DE REPVBLICA ECCLESIASTICA PARS TERTIA:

CONTINENS LIBROS VII. VIII. IX. X.

CVM VTILISSIMO GEORGII CASSANDRI TRACTATV; DE OFFICIO PII VIRI CIRCA RELIGIONIS DISSIDIA, qui libro ſeptimo appendicis loco ſubijcitur.

IN FINE OPERIS

PRÆTER NECESSARIOS INDICES ALIÆ DVÆ APPENDICES adduntur, quibus quædam in prioribus tomis omiſſa complentur: quædam nudius poſita fortius roborantur.

AVTORE
MARCO ANTONIO de Dominis,
Archiepiſcopo Spalatenſi.



HANOVIÆ,
Sumptibus hæredum LEVINI HVLSII.
ANNO M. DC. XXII.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

PRIOR horum de Repub. Eccleſiaſtica librorum pars generali ſua ad vniuerſos eccleſiæ vere-Catholicæ Epiſcopos præfatione: altera vero ſpeciali ſua ad Sereniſſimum & Sapientiſſimum Angliæ Regem dedicatione, adeo ſapienter & commode loquuntur, vt tertia iſta, quæ iam tecum Chriſtiane beneuoleq; lector, communicatur, noua aliqua præfatione non indiguiſſet, niſi in excudendo paruum aliquid incidiſſet, de quo paucis te admoneri res ipſa poſtulat. Poſtquam enim reuerendus atq; celeberrimus Auctor, M. Antonius Archiepiſcopus Spalatenſis tertium hunc ſuorum librorum tomum mihi commiſiſſet in Germania imprimendum, ego operi iam inchoando accinctus in biuio conſtiti non ſine magna animi moleſtia. Nam oculis meis obuerſabantur priores partes primum in Anglia, deinde etiam in Germania noſtra editæ, quas diuerſas eſſe, non quidem re & veritate pertractata, ſed tantum typis & forma papyracea ſpectabam, dubius igitur fui, cuinam formæ & quibus typis hic nouus tomus aptandus eſſet. Ex altera enim parte locum habitationis, in quo iam Auctor, relicta Babylone, commoratur, & ex quo priores ſuos libros emiſit, conſiderabam: ex altera vero locum impreſſionis, ex quo nouus hic tomus prodire debeat, Germaniam ſcilicet noſtram attendebam. Illic in debitam Auctoris obſeruantiam Anglicanos: hic vero in amabilis patriæ honorem, Germanicos imitandos eſſe typos tacite ſubmonebar. Quid facerem? En, lector beneuole, conſilij factiq; mei non contemnendas tibi aperio rationes. In Anglia quidem iam degit ſcribitque Auctor celeberrimus: non tamen pro illa tantum, quæ in Anglia colligitur, ſed pro Catholica, ſicut in Symbolo noſtro vocatur, quæque per vniuerſum terrarum orbem diſperſa eſt, Eccleſia, ſcribit Archiepiſcopus venerabilis. Sicut igitur Anglia iure quodam ſuo poteſt gloriari, quod tantum Eccleſiæ lumen apud ſe primum illuxerit, & ex ſe radios in totam Chriſti Eccleſiam emiſerit: ſic etiam Germania iſtum auctoris honorem ſibi gratulatur, quod poſtremos hoſce in Anglia cōceptos libros, in Germania velit primum aſpici, in lucem editos. Nonne res iſta infallibile dat argumentum, auctorem etiam Germanicas amare Eccleſias, & non tam typos ac formam librorum ſuorum, quam potius propoſitam in illis atque erutam & demonſtratam attendere veritatem? & ſicut Germania priores tomos accepit typis forma-

que Germanica? Sunt enim iſtæ duæ filiæ vnius viri, Ieſu Chriſti: & ſororem ſorori inuidere res eſt iniquiſſima.

Atque hæc prima fuit facti mei cauſa: altera occurrit in deſignando precio. Cum enim deplorandus Germaniæ noſtræ ſtatus omnium pene rerum conduplicet precia, & liber magnus magni æſtimandus ſit ſecundum æquitatis regulam, en typus formaque Germanica aliquantulum contractior valorem etiam libri aliquantum contrahit, vt tibi in emendo ſit tolerabilior.

Dantur igitur tibi lector beneuole Archiepiſcopi Spalatenſis libri de Repub. Chriſtiana poſteriores; ſed ita dantur, vt iam quidē octauus & decimus deſiderentur, idque certo ac bono auctoris conſilio, donec vltima eis manus impoſita fuerit: quod tu iniquo animo ferre non debes. Nam de Virgilio referunt hiſtoriç, quod mane carmina ſua fecerit quidem, aſt poſt meridiem quaſi lambendo ea demū perfecerit; atq; hoc nemo vnquam ei vertit vitio, quin potius ille & habetur & celebratur doctiſſimus poetarum. Si in rebus profanis & fictis, quales Virgil. deſcripſit, tam æq; iudicamus omnes; multo magis eundem candorem adhibeamus illis, qui res diuinas veraſque meditantur & proferunt, vt nimirum gratia pleni illas ex diuinæ illuminationis ſemine in ſe primum concipiant; conceptas deinde taciti intra ſe foueant: fotas ſuo tempore læti ex ſe pariant: tum partas apud ſe ſoliciti educent, atque forment: & denique formatas in publicum Eccleſiæ Chriſti conſpectum & vtilitatem prodire faciant. Nati ſunt deſiderati illi, & apud Auctorem iam educantur, & breui hac ipſa forma typiſque emittentur, ita vt octauus commode interponi, & decimus aptiſſime poſtponi valeat. Tu interea duobus hiſce libris cum prioribus antehac datis in Domino fruere; ſicut per Dominum tecum ſunt communicati: & iſtud auctoris erga veritatem diuulgandam ſtudium gratus deprædica, quod potius tomum dimidiatum emittere, quam te deſiderio diutius æſtuari voluerit permittere.

Sed & alia iam ſemel opera molitur laborioſiſſimus Archiepiſcopus, quæ pro ſummo veritatis profitendæ ſtudio, maximaque alios inſtituendi cupiditate vſibus Eccleſiæ Chriſtianæ non (ſpero) denegabit Doctor faciliimus & humaniſſimus. Lucerna enim accenſa non amplius ſtat ſubter modio, ſed in candelabrum iam poſita eſt, & ſplendet omnibus, qui in domo ſunt. Bene vale, Chriſtiane LECTOR.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE, QVI IN HOC LIBRO VII. REIPVBLICÆ ECCLESIASTICÆ allegantur & explicantur.

PRIOR NVMERVS CAPVT LIBRI SACRÆ SCRIPTVræ denotat: poſteriorum duorum prior folium, poſterior columnam.

Ex Geneſi.

1. *In principio creauit Deus cælum & terram* 106.1.
Ibid. Congregentur aquæ in locum vnum 136.1.
2. *Erunt duo in carne vna* 134.2.
Ibid. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea ibid.
Ibid. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori 134.2.
4. *Nonne ſi bene egeris, recipies?* 276.2.
7. *De arca Noæ* 135.1.
Ibid. Arca in qua ſoli ſaluandi 139.1.
14. *De Melchiſedecho* 138.2.
15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam* 12.1.
18. *Benedicendæ ſunt in illo omnes nationes terræ* 249.1.
18. *Scio, quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini* 26.1.
Ibid. Et faciant iudicium, & iuſtitiam ibi.
19. *De Lothi ereptione* 207.2.
20. *Scio quod ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te, ne pecces in me, & non dimiſi, vt tangeres eam* 251.2.
21. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen* 256.2.
22. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicã tibi* 249.1.
23. *Si fuerit Dominus Deus mecum, & cuſtodierit me in via, & dederit mihi panem, &c.* 206.2.
26. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ: eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea, &c.* 283.1.
28. *Scala Iacobi, per quam aſcendebant & deſcendebant Angeli* 283.2.
37. *De manipulis Ioſephi* 144.1.
40. *De volucribus piſtoris, de racemis pincernæ* 144.1.
41. *De ſomnio Pharaonis & bobus pinguibus* 144.1.
46. *Noli timere deſcendere in Aegyptum. In gentem enim magnã faciam te ibi* 206.2

Ex Exodo.

2. *De Raguel, qui & Iethro* 139.1.
4. *Indurabo cor Pharaonis* 206.2.
ibid. Ego aperiam os tuum, & inſtruam te 217.2.
12. *De agni Paſchalis ritu* 128.1. & 135.1.
13. *Ne forte pœniteat eum, ſi vidiſſet aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Aegyptum, ſed circunduxit per vias deſerti, &c.* 251.2.
18. *Nunc cognoui, quia magnus Dominus ſuper omnes Deos* 139.1.
19. *Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus* 273.1.
20. *Et perterriti ac pauore concuſſi ſteterũt procul, dicentes Moſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur; ita vt non poſſent oculos intendere in faciem Moyſi, &c.* 273.1.
25. *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte mõſtratum eſt* 145.1.

23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & intro ducat in locum, quem paraui. Obſerua eũ, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo, &c.* 284.1.
31. *De Idololatria Iudæorum* 169.2.
ibid. Recordare Abraham, Iſaac & Iacob. 283.1.

EX LEVITICO.

6. *De comedendis vel non comedendis, ſed comburendis carnibus ſacrificij* 127.2.
18. *Qui fecerit hæc, viuet in eis* 275.1.
19. *Eritis mihi ſancti, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter, qui ſegregaui vos ab omnibus gentibus eſſe mihi* 257.2.

EX NVMERIS.

16. *De Chore, Datan & Abiron* 156.2. & 169.2.
21. *De ſerpente æneo* 289.1.
22. *De Balaam* 139.1.
25. *De ſtrage à Phinees exercita* 276.2.

EX DEVTERONOMIO.

2. *De filiis Eſau* 139.1.
13. *Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, non audias verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non* 101.2.
17. *Facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, ſequeriſq; ſententiam eorum* 42.1. & 143.1.
Ibid. Et homo quicunq; fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, &c. 161.1.
30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, ſed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud* 270.2.
30. *Propoſui vobis vitam & mortem: elige ergo vitam, &c.* 117.1. & 223.2.
32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi; quando diuidebat altiſſimus gentes, &c.* 26.1.
Ibid. Recordare Abraham, Iſaac & Iacob 283.1.

EX LIBRO IOSVE.

6. *De Rahab* 135.1.
24. *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, &c.* 117.1.

EX LIB. I. REGVM.

10. *Tetigit corda partis exercitus, qui locutus eſt Saul* 221.1.
23. *Dauid conſulebat Dominum, an Saul ſit venturus ad eum opprimendum, & an ſi maneat in vrbe Ceila, ſit ibi tutus futurus, an vero ſint eum viri Ceilæ, in manus Saulis tradituri?* 212.1.

EX LIB. II. REGVM.

17. *Achitophel dabat Abſaloni in re mala optimum conſilium, vt opprimeretur Dauid* 252.1.

EX LIB. I. CHRONICORVM.

1. *De Madianitis* 139.1.
3. *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur* 160.1. & 168.1.
8. *Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cũ patribus noſtris, nõ derelinquens nos, neq; projiciens, ſed inclinet corda noſtra ad ſe, vt ambulemus in vniuerſis viis eius, & cuſtodiamus mandata eius, & ceremonias eius, & iudicia, quæcunque mandauit Patribus noſtris* 271.1.
14. *incedebant in omnibus mandatis tuis, & iuſtificationibus ſine querela* 271.1.
19. *Septem millia, quorum genua non fuerant ante Baal curuata* 70.2.

EX LIB. II. CHRONICORVM.

2 *Eliæ mirabilia circa Eliſæum* 288.1.
13. *Oſſa Eliſæi mortuum vitæ reddunt* 288.1.
18. *De Ezechia rege, ſerpentem æneum comminui iubente* 289.1.
23. *Seruauit legem plene Ioſias* 271.1.

EX LIBRO ESRÆ.

8. *Qui hoc dedit in cor Regis* 211.1.

EX LIBRO ESTHER.

10. *Gratias tibi Domine, quoniam feciſti*

noua ſigna & prodigia, qualia non ſunt facta in gentibus, diuidens omne ſeculum in ſortes duas: Elegiſti vnam tibi populi tui; relinquens aliam gentibus 257.2.

Ex Libro Jobi.

1.11.& 42. De Iob 138.2.
42. Ite ad ſeruum meum Iob; &c. 287. 2.

Ex Psalmis.

1. Nouit Dominus viam iuſtorum. 247. 2.
4. Iraſcimini, & nolite peccare 182.1.
Ibid. Signatum eſt ſuper nos, &c. 204.1.
13 Non eſt, qui faciat bonum, non vſq; ad vnum 222.2
14. Non eſt qui faciat bonum; non eſt vſque ad vnum, omnes declinauerunt 179. 2.
15. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerarunt 213 2.
18. Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius 235.2.
24. Non eſt in homine via eius 206. 2.
Ibid. Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos 206.2.
27. Ex voluntate mea confitebor tibi 224. 2.
29. In voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem 206.2.
35. Apud te eſt fons vitæ 207.1.
31. Beatus cui non imputauit Dominus peccatum 207.1.
33. Accedite ad eum, & illuminamini 236. 1.
35. Iudicia Dei abyſſus multa 239.1.
38. Saluabit eos, qui ſperauerunt in eo 264. 2.
36. A Domino greſſus hominis dirigentur 200.1. & 207.1.
45. Qui lætificat ciuitatem Dei, &c. 70.2.
Ibid. Omnis gloria filiæ Regis ab intus 144.1.
49. Proieciſti verba mea retrorſum 223. 2.
50. Et labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam 217.1.
53. Voluntarie ſacrificabo tibi 117.1.
58. Miſericordia eius præueniet me 207. 1.
72. Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me 207.1.
82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine 213. 2. & 264. 2.
80. Aperi os; & adimplebo illud 217. 1.
84. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, &c. 235.2.
Ibid. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum 266. 1.
87. Auertiſti faciem tuam à me 206.2.
90. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum 264.2.
94. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda 117.1.
Ibid. Nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius 211.1
112. De ſtercore eleuat pauperem 206.2.
116. Omnis homo mendax 79.1.
118. Præuenerunt oculi mei ad te diluculò 250. 1.
ibid. Et cuſtodiui legem tuam 271.1.
120. Et ne des in commotionem pedem tuũ 227.1.
126. Niſi Dominus ædificauerit ciuitatem, fruſtra, &c. 206.2.
138. Intellexiſti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas præuidiſti. Tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua 252.1.

Ex Proverbiis Salomonis.

1. Proferam vobis Spiritum meum, & oſtendam vobis verba mea 235.2.
ibid. Vocaui, & renuiſtis 254.1.
2. Lætantur cum malefecerint 141. 1. & 187.1.
3. Ne deſieris benefacere inopi 17.2.
ibid. Eſto confidens in Dominum 206. 2.
13. Redemtio viri diuitiæ eius 265.1.
14. Timor Domini fons vitæ 264. 2.
15. Per miſericordiam & fidem purgantur peccata 17.2.
ibid. Eleemoſynæ ac fides ne te deſerant ibi.
16. Deuolue ſuper Dominum, &c. 206.2.

24. Septies

24. Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit 142.2. & 269.2.
25. Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria 252.1.
28. Qui ſperat in Domino, ſaluabitur 264.2
30. Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe; ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniariſq; mendax 201.1.

Ex Ecclesiaste.

1. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari 264.2.
Ibid. Timor Domini expellit peccatum ibi.
2 Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra 265.1.
Ibid. Pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata ibid.
3. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum 265.2
Ibid. Qui amat periculum, peribit in illo 276.1.
10. Qui diſsipat ſemen, mordebit eum coluber 158.1.
Ibid. Quid gloriatur terra & cinis? 206.2.
11. Relinque proximo tuo nocenti tibi, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluuntur 265.1.
15. Ecce ignis, & aqua, &c. 227.1.
33. Et omnes homines de ſolo & ex terra, vnde Adam creatus eſt. In multitudine diſciplinæ Domini ſeparauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipſis benedixit, & exaltauit, & ex ipſis ſanctificauit, &c. 259.2.

Ex Cantico Canticorvm.

1. Exit poſt veſtigia gregum, & paſcit hœdos, non agnos. 168.1.
2. Capite nobis vulpes paruulas 119.2.
4. Tota pulcra es, & macula non eſt in te. Hortus concluſus, fons ſignatus 139.1. & 142.2.
5. Aperi mihi ſoror, mea ſponſa 117.2.
8. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam 269.2.

Ex Esaia.

1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi vero nolueritis, &c, 223.2.
Ibid. Si volueritis & audieritis me, &c. 227.1.
5. Vinea Domini dilecta domus Iſrael cur reprobata à Deo? cur ablata ei ſepes? cur direpta maceries? cur data in direptionem? 249.1.
5. Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam 39.2.
Ibid. Quid vltra debui facere vineæ meæ, &c. 239.1.
6. Vt videntes non videant 206.2.
Ibid. Calculus ignitus de altari ab Angelo forcipe latus 265.1.
10. Si fuerit numerus filiorum Iſrael, vt arena maris, reliquiæ ſaluæ fient 250.1.
26. Omnia opera noſtra operatus es nobis Domine 254.1.
26. A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum ſalutis. 264.2.
30 Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri 249.1.
43. Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero, &c. 267.1.
45. Creans tenebras & creans malum, &c. 221.1.
49. In vacuum laboraui, &c. 227.2.
50. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij 221.1.
58. Frange eſurienti panem tuum 17.
64. Iuſtitiæ noſtræ pannũ menſtruatæ 265. 2. & 277.1.
65. Vocaui, & non reſpondiſti mihi 254.1.

Ex Hieremia.

1. Priuſquam te formarem in vtero, noui te 39.1.
Ibid. De olla ſuccenſa 144.1.
10. Non eſt in homine via eius 206.2.
12 Quare impiorum via proſperantur, &c. 152.1.
13. Si Aethiops mutauerit pellem, &c. 206.2.
15. Si ſteterit Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum 283.1.
24. Ego plantabo eos, &c. 206.2.
26. Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant: ſi non audieritis me, &c. 227.2.

31. Dabo

31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam, &c.* 204.1.
32. *Et timorem meum dabo in cor eorum, vt à me nõ recedant, & viſitabo eos, vt bonos eos faciam* 211.1.
36. *De exuſtione libri Prophetici Ieremiæ* 169.2.

EX EZECHIELE.

3. *Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo* 228.1.
11. *Dabo vobis cor carneum* 206.2.
15. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ait Dominus, ſuperbia & ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarũ eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant, &c.* 276.1.
16. *Perfecta eras in decore meo* 206.2.
18. *Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa* 268.1.
18. *Proijcite à vobis omnes impietates veſtras* 214.2.
ibid. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius* 265.2.
22. *Quærebam inter illos, num quis murum ſe faceret?* 252.1. & 287.1.
36. *Ego faciam domus Iſrael, ſed propter nomen meum ſanctum. Et dabo vobis cor nouum, &c.* 211.1.
ibid. *Faciam vt in præceptis meis ambuletis* 239.1.
37. *in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, & facient ea* 271.1.

EX DANIELE.

3.4. *De Nabuchodonoſore et Cyro* 203.1.
7. *Antiquus dierum* 293.2.
9. *Et conuertebar ad Dominum Deum, orando, lacrymando, et ieiunando, et cet.* 276.2.

EX HOSEA.

1. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael, vt arena maris, reliquiæ ſaluæ fient* 250.1.

EX IONA.

1. *De Niniue vrbe* 139.1.

EX MICHA.

6. *Si annunciatum eſt, ô homo, quid eſt bonum, aut quid Dominus requirit à te, niſi vt facias iudicium, & diligas miſericordiam, & paratus ſis ire cum Domino Deo tuo* 223.2.
7. *Quis Deus, ſicut tu, auferens peccata, & transferens impietates?* 267.1.

EX MALEACHI.

1. *Iacob dilexi, Eſau odio habui* 257.2.
ibid. *Montes Eſau erant poſiti in ſolitudinem, & hæreditas eius in dracones deſerti* ibid.
3. *Placebit Deo ſacrificium Iuda* 277.1.

EX SAPIENTIA SALOMONIS.

4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius* 260.2. & 268.2.
7. *Sapientia omnium artifex me docuit* 17.2.
8. *Niſi Deus det & hoc ipſum* 207.1.
Ibid. *Sortiti ſunt animam bonam* 247.2.
11. *Miſereris omnium, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam* 266.2.
12. *Vocaui, & renuiſtis* 235.2.

EX LIBRO TOBIÆ.

4. *Eleemoſyna à peccato liberat* 265.1.
ibid. *Eleemoſyna de morte liberat* 265.2.

EX MATTHÆO.

3. *Permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili* 139.1. & 2.
5. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis* 270.2.
5. *Orate pro perſequentibus vos* 117.1.
ibid. *Ego dico vobis, non reſiſtere malo. Quicunq; iratus fuerit, &c.* 223.2.
6. *Fiat voluntas tua* 206.2.
5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera, &c.* 286.1.
7. *Cauete vobis à falſis Prophetis, qui veniunt*

niunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces 42.
ibid. Omnis qui audit verba mea, & facit ea, &c. 223.2.
ibid. Margaritæ ante porcos non ſunt proijciendæ 233.2.
8. *Saluos nos fac, &c.* 206.2.
9. *Secundum fidem tuam fiat tibi* 224.2.
ibid. Omnia poſſibilia ſunt credenti ibid.
10. *Quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta* 36.1.
ibid. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum 239.2.
ibid. Unus paſſer non cadet ſuper terram ſine patre veſtro 252.2.
11. *Ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant, qui videlicet verbum audiunt, ſed non capiunt* 36.1.
ibid. Venite omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos 254.1.
ibid. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis 260.2.
ibid. Iugum meum ſuaue, onus meum leue 271.1.
12. *Facite arborem bonam, & fructum bonum* 220.2.
13. *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, auferetur ab eo* 237.1.
13. *Quod vobis dico, omnibus dico* 36.1.
ibid. Sagena miſſa in mare ex omni piſcium genere congregans, & bonos & malos 139.2. & 142.1.
15. *Miſſus ad oues domus Iſrael* 234.1.
16. *Tu es* CHRISTVS *filius* DEI *viui* 40.2.
ibid. Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam 69.2. & 87.1.
ibid. Tu es Petrus, et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam 88.2. et 133.1. et 139.1.
18. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio illorum* 40.2.
ibid. Sit tibi ſicut ethnicus et publicanus 139.2.
19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hoc fac et viues* 270.2.
Ibid. Hæc omnia ſeruaui à iuuentute mea 271.1.
ibid. Qui reliquerit patrem et matrem, et ſecutus me fuerit, centuplum accipiet, et vitam æternam poſſidebit 276.1.
22. *Ego ſum Deus Abraham, etc. non eſt Deus mortuorum ſed viuorum* 5.1.
Ibid. Multi vocati, pauci electi 139.2. et 152.2.
23. *Quoties volui congregare filios tuos, et noluiſti* 117.1. et 239.1.
24 *Fugite ad montes* 155.1.
Ibid. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, qui autem perſeuerauerit vſq; in finem, ſaluus erit 268.1.
25. *Venite Benedicti patris mei, etc. Eſuriui enim et dediſtis, etc.* 223.2.
26. *Omnes vos ſcandalum patiemini nocte iſta* 87.1.
ibid. Percutiam paſtorem, et diſpergentur oues ibid.
Ibid. Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego nunquam ſcandalizabor ibid.
Ibid. Vigilate & orate 206.2. & 276.1.
26 *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu* 206.2.
Vlt. Ite, docete omnes gentes 36.1. & 260.1.
Ibid. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi 42.1. 2. & 70.1.

EX MARCO.

9. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, non perdet mercedem* 276.2.
11. *Dimitte nobis, ſicut nos dimittimus* 265.1.
12. *De eo qui vineam plantauit* 224.1.
Vlt. Euntes in vniuerſum mundum docete omnes gentes, & baptizate, &c. 260.1.

EX LVCA.

1. *Incedebant in omnibus mandatis tuis & iuſtificationibus ſine querela* 271.1.

2.Gloria

3.*Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus* 134.1.231.1.
5.*Duc in altum* 89.2.
7.*Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* 223.2.& 224.1.
8.*Ut videntes non videant* 206.2.
10.*Tyrij ac Sidonij minus punientur propter infidelitatem, &c.* 242.2.
11.*Omne regnum contra ſe diuiſum deſolabitur* 168.1.
12. *Homo, quis te conſtituit iudicem ſuper nos* 79.1.
Ibid. Complacuit patri veſtro dare vobis regnum 215.1.
Ibid. Nolite timere puſillus grex, &c. 260. 2.
14.*Compelle eos intrare* 120.2.
15.*Gaudium eſt in cœlo coram Angelis ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente* 285.1.
16.*Habent Moyſen & Prophetas* 5.1.
Ibid. Facite vobis amicos de Mammone iniquitatis 265.1.& 283.1.
17.*Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus* 227.2
18. *Et adduxerunt cæcum ad* IESVM 17.2.
Ibid. Oportet ſemper orare 206.2.& 276.1.
Ibid. Deus propitius eſto mihi peccatori 262. 1.
22.*E[illegible]liquando conuerſus confirma fra[illegible]s* 79.1.
Ibid. Rogaui pro te, ne deficiat fides tua 86. 2.& 206.2.& 268.
Ibid. Orate, vt non intretis in tentationem 206.2.

EX IOANNE.

1.*Verbum caro factum eſt* 6.1.& 134.2.
ibid. Agnus qui tollit peccata mundi 135. 1.
ibid. De Spiritu ſancto in ſpecie columbæ ibid.
ibid. Lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum 204.2.
3.*Niſi datum fuerit deſuper* 206.2.
5.*Pater operatur, & ego operor* 206.2.
5.*Ego habeo teſtimonium maius Joanne, opera, &c. Si mihi non creditis, operibus credite.* 5.1
ibid. Scrutamini ſcripturas ibid.
6.*Cum remigaſſent ſtadia quaſi viginti quinq; aut triginta* 12.1.
ibid. Nunquid & vos vultis abire 141.1.
8.*Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis* 151.1.
10.*Oues meæ vocem meam audiunt, & nō peribunt, &c.* 139.1.
10. *Alias oues habeo* 5.2.
ibid. Ego & Pater vnum ſumus 30.2.
11.*Expedit, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat* 133.1.
12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad me ipſum* 133.2.
13.*Qui ſemel lotus eſt, non indiget, vt amplius lauetur* 6.1.
14.*Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum* 40.2.
ibid. Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis 134.1.
16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem* 40.2.& 42.2.
19. *De tunica inconſutili* 135.1.
21. *Paſce oues meas* 133.1.
Ultim. Non omnia ſcripta ſunt, quæ Ieſus fecit 24.1.

EX ACTIS APOSTOLORVM.

2.*Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter* 260.1.
7.*Reſtitiſtis Spiritui ſancto* 234.1.& 239.1.
ibid. Moſes accepit verba vitæ dare nobis, cui noluerunt obedire patres noſtri 272. 2.
9.*Saule, Saule, quid me perſequeris* 134.2.
ibid. Vas electionis, &c. 234.2.
10.*Deus non eſt acceptator perſonarum* 35. 2.
13.*Per hunc annunciatur vobis remiſſio peccatorum, ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari* 236.1.
15.*Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis* 40.2. & 50.2.
ibid. Quando facta eſt diſſenſio, ita vt diſcederent ab inuicem 156.1.
17.*Scrutantes quotidie ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent* 5.1.

19. *Cum maximè fructu prædicauit* 237.1.
20. *Beatius eſt magis dare, quam accipere* 30.1. & 114.2.
Ibid. Purus ſum à ſanguine omnium veſtrũ, non enim ſubterfugi, &c. 237.1.
26. *Aperire oculos gentium, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos, per fidem quæ eſt in me* 263.1.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

1. *Euangelium eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem* 202.2.
Ibid. Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, &c. 20.1.
2. *Aut diuitias bonitatis & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* 223.2.
Ibid. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci: gloria autem & honor & pax omni operãti bonum, &c. 203.1.
3. *Iudæis tradita ſunt eloquia Dei, &c.* 7.2.
ibid. in quo omnes peccauerunt 132.1.
4. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem, captiuantem me in lege peccati* 206.2.
5. *Charitas quæ per Spiritum ſanctum diffuſa eſt in cordibus noſtris* 134.2.
6. *Stipendium peccati mors* 207.1.
7. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonũ non inuenio* 206.1.
8. *Chriſtus caput Eccleſiæ: Eccleſia corpus Chriſti, ſine macula & ruga* 139.1.
9. *Non eſt volentis, neq; currentis* 206.2.
10. *Fides ex auditu* 23.2.
ibid. Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum 69.2.
ibid. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem 140.1.
11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, &c.* 127.1.
ibid. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit 247.1.
ibid. Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt 215.1.
12. *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus eſt: ita & Chriſtus: etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus: nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus* 134.1.
15. *Veniã ad vos ſi Dominus voluerit* 206.2.
16. *Deus autem pacis conteret Sathanam ſub pedes veſtros breui* 207.2.

EX I. EPIST. AD CORINTHIOS.

1. *Ut idem dicant omnes, & non ſint in ipſis ſchiſmata: ſint autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia* 161.1.
ibid. Ego ſum Pauli: ego Apollo 238.2.
ib. Prædicamus Chriſtum crucifixum 160.1.
3. *Accepi legem, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus* 22.1.
ibid. Nos ſumus Pauli: nos Cephæ: nos Apollo 79.1.
ibid. Aliqui ſuperædificant ſuper fundamentum, ligna, ſtipulam, &c. 88.2.
ibid. Neq; qui rigat, neq; qui plãtat 206.2.
4. *Quid n. habes, quod non accepiſti* 211.1.
10. *Quoniã vnus panis, vnum corpus multi ſumus, &c.* 134.2.
9. *Sic currite, vt comprehendatis* 224.1.
11. *Aperto capite viueret* 31.1.
ibid. Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis 30.1.
ibid. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, cætera cum venero, diſponam ib.
12. *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, &c.* 134.1.
13. *Per ſpeculum & in ænigmate* 23.2.
ibid. In parte cognoſcimus: in parte prophetamus 127.1.
ibid. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nil ſum 264.1.
14. *Donum linguarum in ſignum eſt infidelibus: Prophetia autem fidelibus* 5.1.

Ibidem.

Ibidem. *Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quod ſi quid alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat: poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur: & ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt, &c.* 40.2. & 41.1. & 82.2.

15. *Gratia Dei ſum id quod ſum* 206.2.

ibid. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris* 235.2.

ibid. *Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem* 247.1.

15. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* 254.1.

Ibidem. *Abundantes in opere Domini ſemper ſcientes quod labor veſter, & cætera.* 276.2.

EX II. EPIST. AD CORINTHIOS.

1. *Non dominamur fidei veſtræ* 117.1. & 118.2.

2. *De fornicario* 142.1.

ibidem. *Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia bonus odor ſumus Deo iis, qui ſalui fiunt; & in iis, &c.* 236.2.

3. *Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati, quod Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus* 204.1.

4. *Quid habes quod non accepiſti* 206.2.

ibid. *Tribulatio operatur æternum gloriæ pondus* 276.2.

ibidem. *Quod ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelii; & cætera.* 237.2.

10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur* 206.2.

12. *Angelus Sathanæ colaphizans* 210.1.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

1. *Gratias ago, &c.* 204.2.

Ibidem. *In me magnificabant* DEVM 207.1.

ibid. *Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ* 250.1.

2. *Ad veritatem Euangelij non ambulas* 69.2. & 80.2.

ibid. *Mihi qui videbantur aliquid eſſe, nihil contulerunt* 80.2.

ibid. *non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti* 274.1.

3. *Videte ne dum inuicem mordetis, inuicem conſumamini* 168.1.

ibid. *Qui fecerit hæc, viuet in eis* 275.1.

5. *Vt nō quæ volumus, illa faciamus* 206.2.

ibid. *Perſuaſio veſtra non eſt ex eo, qui vocauit vos* 228.1.

Ibid. *fides, quæ per charitatem operatur* 263.2.

ibidem. *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis* 268.1.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

1. *Et ipſum dedit caput ſuper omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius* 134.1.

ibid. *In vno ſpiritu omnes vos in vnum corpus baptizati, &c.* 139.1.

ibid. *Elegit nos vt eſſemus ſancti* 255.1.

2. *Qui eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & cætera.* 134.1.

ibidem. *Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio, &c.* ibid.

4. *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis in vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate, &c.* 134.1.

5. *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia* 134.2.

ibid. *Chriſtus mundat Eccleſiam lauacro aquæ, in verbo vitæ* ibid.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini* 263.2.

Ibid. Deus operatur in nobis, velle & perficere 206.2.& 212.1.& 227.2.

3. *Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc Deus vobis reuelabit* 169.1.

Ibidem. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, ſecundum iuſtitiam, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, propter quẽ omnia detrimentum feci, & arbitror, vt ſtercora, &c. 274.1.

4. *Quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo* 277.1.

Ibid. Poſtulationes veſtræ innoteſcant apud Deum 283.2.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

2. *Et vos cum mortui eſsetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illa donans vobis omnia delicta, &c.* 266.2.

ibid. Conſepulti Chriſto in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei 220.1.

3. *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram* 220.1.& 276.1.

ibidem, Vt homo noſter vetus vincatur ibid.

EX I. EPIST. AD THESSALONICENSES.

5. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete* 114.2.

ibidem. Nolite extinguere ſpiritum 223.1.

EX II. AD THESSALONICENSES.

2. *Tenete traditiones quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam* 30.1.

ibid. etiamſi angelus de cælo aliter eas doceret 69.2.

ibidem. Quem Dominus Ieſus tollet ſpiritu oris ſui. Quapropter etiam præceptum eſt nobis rogare Dominum, vt ne deueniamus in tentationem, ſed liberet nos à malo, &c. 207.2.

EX EPIST. I. AD TIMOTHEVM.

1. *Timothee, depoſitum cuſtodi* 30.1. & 36.2.

2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem, & cætera.* 236.2.

2. *Quæ audiſti à me, hæc commenda fidelibus* 30.1.

ibid. Dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus 235.2.

3. *Eccleſia columna eſt & firmamentum veritatis* 69.2. & 139.1.

ibidem. Vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei, &c. 70.1.

4. *Qui eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium* 235.2.

EX EPIST. II. AD TIMOTHEVM.

2. *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam* 248.2.

2. *Non coronabitur, niſi qui legitime certauerit* 248.1.

2. *Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, & cætera.* 118.2.

ibid. In magna domo vaſa aurea, & argentea, lignea & fictilia 139.2.

2. *Nouit Dominus, qui ſunt eius* 144.1. & 247.2.

ibidem. Si quis emundauerit ſe ab iſtis, &c. 224.1.

3. *Ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. Omnis enim Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectius ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus* 5.1.

4. *Argue, obſecra, increpa cum omni patientia*

tientia & doctrina 119.1.
ibidem. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui 277.2.

EX EPIST. AD TITVM.

1. Deum noſſe fatentur, factis autem negant 270.2.
2. Deus mundauit populum ſectatorem bonorum operum 275.1.
ibid. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum 276.1.
3. Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita, ſciens quod ſubuerſus eſt eiuſmodi, & delinquit, quia eſt à ſemetipſo damnatus 158.1.
ibidem. Iuſtificati gratis per gratiam 274.1.
ibidem. Admone illos ad omne opus bonum paratos eſſe: vt curent bonis operibus præeſſe, qui credunt DEO, & cætera. 276.1.

EX EPIST. I. PETRI.

1. Secundum præſcientiam Dei Patris in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti 247.2.
1. Ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum 276.1.
4. Charitas operit multitudinem peccatorum 265.1.
5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam 224.1.
ibid. Conſenior ego, & teſtis Chriſti paſſionum 260.1.

EX EPIST. II. PETRI.

3. Non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti 236.2.

EX EPIST. I. IOANNIS.

1. Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt, annunciamus, &c. 23.& 2.
ibid. Nam ſi in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti filii eius emundat nos ab omni peccato 133.2.
2. Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris 265.1.
2. Non erant ex nobis 139.1.
ibid. Ex nobis prodierunt, ſed ex nobis non erant 141.2.
ibid. Qui enim dicit, ſe noſſe Deũ, & mandata eius non ſeruat, hic mendax eſt 264.1.
3. Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres 265.1.
4. Charitas ex Deo eſt 211.1.
ibid. Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen illius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt 269.2.
5. Et mandata eius grauia non ſunt 271.1.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

1. Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis? 283.2.
3. Chriſtus tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus 268.1.
5. Exauditus eſt pro ſua reuerentia 70.1.
6. Non enim iniuſtus eſt Deus, qui obliuiſcatur operis noſtri & laboris 278.1.
9. Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificauit ad emundationem carnis 274.2.
10. Hoſtiæ legis non auferunt peccata 274.2.
ibid. Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum 276.1.
11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit 5.1.
ibid. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo 21.1. & 265.1.

EX EPIST. IACOBI.

1. Si quis veſtrum indiget Sapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat & dabitur ei 262.2.
ibidem. Omne datum optimum deſurſum eſt 207.1.
2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mũdo

diuites in fide & hæredes regni, quod re promiſit Deus diligentibus ſe? 247.2.

3. *In multis offendimus omnes* 275.1 & 277.1.

3. *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones in vobis ſint, non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio eſt, ibi inconſtantia & omne opus prauum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, plena miſericordia, & cætera.* 262.2.

4. *Si Dominus voluerit, &c.* 206.2.

ibid. Subditi eſtote Deo, reſiſtite Diabolo 224.1.

5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum* 265.2.

EX APOCALYPSI.

2. *Primam charitatem reliquiſti: memor eſto, vnde excideris* 268.2.

3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis mihi aperuerit* 221.2. & 224.1. & 239.1.

ibid. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam 248.1. & 268.2.

5. *Odoramenta & incenſum ſunt orationes ſanctorum eorum, qui iam erant cum agno* 283.1.

20. *Et regnabunt cum Chriſto mille annis* 103.2.

21. *In ſpiritu Ioannes vidit ciuitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cælo* 144.1.

22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc* 276.2.

F I N I S.

DE REPV-

DE REP. ECCLESIASTICA

LIBER VII.

qui eſt

De directione Eccleſiæ interna per fidem.

PROOEMIVM.

QVæ ſupernaturalia ſunt,ſciri non poſſunt, neque humanis demonſtrationibus probari; Vim enim humani ingenij effugiunt; neque naturæ lumen ad ea penetrat:ſola fide credi debent; diuina ſpecialique reuelatione ex gratia hominibus manifeſtantur. Natura humana ſeipſam & reliquam naturam ſui intellectus acumine; etiam ipſum naturæ Autorem Deum ſuo modo percipere poteſt ac intelligere, ſuisque viribus cognoſcere; Deum eſſe naturæ totius Autorem, & gubernatorem: eum tamen vt Autorem, & donatorem gratiæ non poteſt agnoſcere: Hîc iam reuelatione opus eſt. Eccleſiaſticam porro Remp. iam conſtituimus ex hominibus ad æternam beatitudinem ſupernaturalem, reuelatam,& per gratiam ſupernaturalem conſequendam ordinatis. In his ergo ante omnia inſtrui & dirigi debet Eccleſia, vt ex reuelatarum rerum notitia vitam ſuam ſpiritualem fidelis homo, & actiones ſpirituales poſſit dirigere, & cauere ab erroribus. I.

Reſpublica humana tota in agibilibus conſiſtit, & in his dirigitur, vt actiones potius politicæ, quam morales bene directæ bonum Reipub. ſtatum conſeruent: Hanc in agibilibus directionem Rector Politicus ex ſuæ rationis dictamine moderatur: eſtque ipſa viua lex, vt ſiquid dubij occurrerit ipſe legem ſuam interpretetur, mutet, variet, figat, ac refigat. Non ſic eſt in Repub. Eccleſiaſtica, in qua non ſolum ſunt agenda omnia ferme moralia iam ſatis nota, ſed etiam credenda, non ex humana lege, & voluntaria præſcriptione, ſed ex ſola, & mera diuina reuelatione, quæ eadem ſemper eſt immutabilis & inuariabilis, in qua, ſi dubium occurrat, non eſt in poteſtate hominum, illud pro ſuo arbitrio tollere, ſed nuda & ſimplex veritas, vt à Deo reuelata fuit, eſt indaganda: in qua ſi erretur, error eſt pernicioſiſſimus, & humano remedio prorſus inemendabilis. Regula igitur aliqua certa eſt in Eccleſia obſeruanda, quam Deus vt certam, ac infallibilem ſuæ Eccleſiæ tradiderit, cuius ductu interna potiſſimum fides regatur, & dirigatur: Et ſi in ipſo vſu regulæ contingat in Eccleſia diſſidium, videndum eſt, quemnam iudicem controuerſiarum in Eccleſia eſſe voluerit, certum, ſenſibilem ac ſimul infallibilem: ne alioquin dicamus Chriſtum Eccleſiam ſuam non ſatis inſtructam inſtituiſſe, ac in periculis, abſque certo remedio, deſeruiſſe. II.

Laborarunt in hoc antiqui Patres plurimum, laborarunt ac laborant in dies magis Doctores recentiores: Res plena difficultatis eſt, ac periculi. Si ſemel inter Chriſtianos Theologos de regula ipſa, ac de vltimo iudice controuerſiarum conueniret, controuerſiæ omnes facile ſedarentur, componerentur diſſidia, ſumma pax, vnitas, & tranquillitas in Eccleſia conciliaretur. Hinc enim facile, & aperte Ortho- III.

doxi ab hæreticis ſecernerentur, veri hæretici, verique ſchiſmatici abiicerentur. Vt hæc conſequamur, conabor ego, pro mea virili quicquid potero in hoc libro in medium proferre. Sudandum erit (fateor) ſi enim in humanis ſcientiis principia ipſarum ſupponuntur, ſed in ipſis non probantur ſiquis aduerſus ea difficultates proponeret, ideoque altiſſima quadam humana ſapientia, quam Metaphyſicam aliqui generalem vocant, inſtructus eſſe debet, qui omnium humanarum ſcientiarum principia propria probare velit, & à difficultatibus vendicare; quanto altior ſapientia eſſe debet, quæ ab ipſis Theologicis Principiis, quæ in Theologia ſumuntur & præſupponuntur, non probantur, difficultates tollere poſſit, & dubia auferre?

LIBER

LIBER HIC, VT ALII, DVODECIM CAPITA CONTINEBIT.

Primum maxime propriam fidei regulam ſacram canonicam Scripturam eſſe ſtatuet. IV.
Secundum Traditionum non ſcriptarum vim perpendet.
Tertium Conciliorum, in iudicandis fidei controuerſiis, autoritatem conſiderabit.
Quartum in Eccleſiæ autoritate, ad fidei definitionem, ventilanda verſabitur.
Quintum Papalem in hoc poteſtatem examinabit.
Sextum, Patrum & Doctorum ſententiæ quantum in hoc valeant, excutiet.
Septimum Hæreſim & hæreticos in genere inquiret.
Octauum, vi fidem neque propagari neque conſeruari probabit.
Nonum magnam moderationem in rebus Theologicis tractandis & definiendis apponet.
Decimum de ſchiſmate in genere, quo vnitas Eccleſiæ diſcinditur, & à vera Eccleſia receditur, pertractabit: In ſpecie vero tam Græcorum, quam Proteſtantium ſchiſma explicabit.
Vndecimum dogmatum controuerſias præſentis temporis non eſſe cauſas ſufficientes ſchiſmatum oſtendet.
Duodecimum Ritus externos non dare iuſtam cauſam ſchiſmati confirmabit; & concordiæ vniuerſalis aliquam rationem inire conabitur.

CAPVT I.

Sacram Scripturam eſſe primam & certiſsimam fidei Regulam ſenſibilem.

SVMMA CAPITIS.

Sacra ſcriptura homini iam fideli regula eſt credendorum. n.1.2.
Sacra ſcriptura magna eſt authoritas & neceſſitas, vt ipſa ſcriptura docet. n 3 & Patres n.4.5.6.7.
Diſcernere ſcripturam canonicam à non canonica, cuius ſit diſputatur n.8 9.10.11.
Eccleſia non diſcernit, ſed, nixa Traditioni legitimæ, teſtatur quæ ſint canonica ſcripturæ n.12.13.14.15: nec propterea ipſa Eccleſia dat ſcripturis autoritatem. n.16.17.
Non fide diuina, ſed humana certitudine canonica ſcriptura innoteſcit; n.18. ab externo teſtimonio, non ab interno indicio n.19 20 neque lapſus alicuius momenti in ſcriptura eſſe poteſt. n.21 22.
Regula ponitur ad cognoſcendas in genere canonicas veteris teſtamenti ſcripturas. n.23.
In ſpecie canonici libri veteris teſtamenti numerantur. n.24.
Scripturæ non canonicæ in communi examinantur à n.25. ad n.36. In particulari libri 5. veteris teſtamenti, Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus, & Machabaici à canone excluduntur. n.37 38. 39. 40.
Noui teſtamenti partes ſuſpectæ recenſentur n.41. 42. 43. Epiſtola ad Hebræos defenditur n. 44. Item Apocalypſis. n. 45. Omnibus linguis communicandam eſſe ſcripturam paucis innuitur; & de verſionum fide pauca attexuntur n. 46.

I. FIDES non imperatur, fides humanis rationibus non imprimitur, ideo vt credat, nemo cogi poteſt; quia nemo circa res fidei per homines conuinci poteſt. Credibile eſſe aliquid oſtendi, corroborari, confirmari poteſt, credendum tamen eſſe nulla ratio cogit, ita vt qui non credebat, iam credere cogatur, & ſuum præſtet aſſenſum. Hoc genere argumenti vſus eſt Auguſtinus quando ſe à Manichęis liberauit. Obiiciebant illi Auguſtino ipſum temere credere ſine probationibus, ijs quæ ei Catholici ex ſcripturis tradebant: ipſi vero Manichęi ex literis illis, quas fundamenti literas appellabant, offerebant ſe veritatem claram ei oſtenſuros: At ille cum nihil aliud videret in illis literis niſi ſimplicem Manichæi aſſertionem, ſe eſſe Apoſtolum Ieſu Chriſti, & Paracletum à Chriſto miſſum, in hoc iam pares eſſe ſcripturas, ait; vtrobique enim non habentur niſi ſimplices aſſertiones. Interim conqueritur de Manichæis, & ait; a Non credere incognita, ſed certa cognoſcere acceſſi: à vobis ipſis factus timidior: vos enim noſtis temere credentibus quam vehementer inſultare ſoleatis: præſertim cum ipſe qui iam cœpit incerta narrare, plenam ac certam ſcientiam paulo ante promiſerit. Deinde ſi fides mihi imperanda eſt, magis me teneret illa ſcriptura, vbi lego veniſſe Spiritum ſanctum, & Apoſtolos inſpiraſſe, quibus eum Dominus, ſe miſſurum promiſerat. Quapropter aut ea quæ dicis proba mihi vera eſſe, vt oſtendas quæ non poſſum credere: aut eum qui dicit, proba mihi Spiritum ſanctum eſſe, vt credam quæ non potes oſtendere. Ego namque Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam ſcientiam peruenturum præſumo: tu vero, qui fidem meam labefactare conaris, certam ſcientiam trade, ſi potes: vt id quod credidi, temere me crediſſe conuincas.] Et paulo poſt: Nihil aliud elegiſti, niſi laudare quod credis, & irridere quod ego credo. Cum igitur etiam ego viciſſim laudauero quod credo, & quod tu credis irriſero, quid putas nobis eſſe iudicandum, quidve faciendum, niſi vt eos relinquamus qui nos inuitant certa cognoſcere, & poſtea imperant vt incerta credamus: & eos ſequamur, qui nos inuitant prius credere, quod nondum valemus intueri, vt ipſa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur: non iam hominibus, ſed ipſo Deo intrinſecus mentem noſtram firmante atque illuminante.] Ac demum ferme concludit hoc pacto: Debuit ergo non nobis polliceri ſcientiam, neque manifeſtam cognitionem, neque ad id quod quæritur, ſine vlla ambiguitate peruentionem: ſed dicere potius ſibi iſta eſſe monſtrata: illos autem quibus narrantur credere ſibi debere quæ neſciunt. Sed ſi hoc diceret; quis non ei reſponderet, Si ergo incognita crediturus ſum, cur non ea potius credam, quæ iam conſenſione doctorum indoctorumque celebrantur, & per omnes populos grauiſſima autoritate firmata ſunt? Hoc ille timens ne ſibi diceretur, offundit nebulas imperitis: primum pollicens rerum certarum cognitionem, & poſtea incertarum imperans fidem. Cui tamen ſi hoc dicatur, vt ſaltem vel ſibi hæc doceat eſſe monſtrata, ſimiliter deficit, & hæc quoq; vt credamus iubet.]

a August. cont. Ep. fundam. c.14.

II. Si itaque ſola ſcriptura infideli offeratur, in qua res aſſeruntur, non probantur, & dicatur ei, crede iſta: tunc profecto ei fides imperatur, & ille imperium detrectabit: ideo ait Auguſtinus, ſi imperio agitur, illi ſcripturæ potius adhærebo; quæ apud plures & doctiores obtinuit autoritatem, quam illi quæ autoritatem vix vllam obtinuit.] Nihilominus quia fides non imperatur, idcirco ait; Ego fidem Catholicam profiteor, & per illam me ad certam ſcientiam peruenturum præſumo. Et Catholicos, ait, prius inuitare infideles vt credant quod nondum valent intueri, vt ipſa fide valentiores facti, quod

cti,quod

cti, quod credant intelligere mereantur. Fides ergo generica præcedit ſcripturam, vt infidelis ante omnia fide credat Deum eſſe, & ipſum eſſe remuneratorem: *Credere oportet accedentem ad Deum*, inquit *a* Paulus, *quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator*
a Hebr.11. 6. *ſit.*] Et in hoc includitur oportere credere Deum ſe ipſum hominibus aliquando reuelaſſe, & reuelationes per ipſum variis temporibus factas fuiſſe literis conſignatas. Hac vero fide generica, qua quiuis iam credit omnia ad æternam ſalutem ſupernaturalem neceſſaria Deum reuelaſſe; & datam fuiſſe ſcripturam, in qua verum verbum Dei, hoc eſt, reuelationes iſtæ contineantur, fideliter, vt factæ ſunt, conſcriptæ: hæc ſcriptura dum ipſi ex hibetur, redditur ille capax, vt credat & intelligat ſingula, quæ in ſpecie credenda in ipſa ſcriptura proponuntur. An vero in ipſa ſacra ſcriptura omnia credenda contineantur, an etiam aliqua per traditiones non ſcriptas in Eccleſia conſeruentur, videbimus capite ſequenti. Et beneficio huius genericæ fidei, dum ſacram quis arripit ſcripturam, per eam deducitur in notitiam, & intelligentiam rerum ſpiritualium ſupernaturalium, quas ſine illa fide impoſſibile eſt percipere: Merito igitur dicebat Auguſtinus, fide nos valentiores fieri, vt quod credimus intelligamus. Eſt ergo ſacra Scriptura iam fideli, non infideli regula certa, ad fidem ſuam dirigendam; & ad diſcendum, quid ei in particulari credendum ſit, quid non credendum, ſed abijci-
b 1.Cor.14. 22. endum. Et ita Paulus ait, *b donum linguarum eſſe in ſignum infidelibus: Prophetiam autem fidelibus* hoc eſt, rectam Scripturæ intelligentiam fidelibus tantum competere. Creatio tamen in Scriptura narrata, & apparitiones Dei poſſunt etiam atheo eſſe initium fidei; dummodo ei conſtiterit vera eſſe hiſtorice quæ narrantur: id eſt, vere illa contigiſſe, & non eſſe conficta: de quo infra.

III. Certe Chriſtus Dominus, tametſi miraculis & operibus ſua dicta confirmaret interdum, vnde &
c Ioan.5. 36. dicebat; *c Ego habeo teſtimonium maius Ioanne, opera, &c. Si mihi non creditis, operibus credite:*] tamen ordinarie doctrinam ſuam ex ſcripturis confirmabat; vt quando reſurrectionem mortuorum aſſerebat,
d Matth. 22.32. locum ſcripturæ adduxit, *d Ego ſum Deus Abraham, &c. non eſt Deus mortuorum ſed viuorum.* Sic ſæpe a-
e Ioan.5.39. lias: vnde & dicebat, *e Scrutamini ſcripturas:* & diſci-
Luc.24. pulis in Emaus proficiſcentibus, interpretabatur ſcripturas; ex quibus confirmabat oportuiſſe Chriſtum pati. Et quando diues epulo rogabat, vt liceret ei fratres ſuos monere de loco tormentorum; reſpondit Chriſtus, in perſona Abraham:
Luc.16. *Habent Moyſem & prophetas:* ex quibus neceſſaria ſaluti poſſent ſatis diſcere: nec eſſe neceſſe vt ex mor-
f 2.Pet.1. 19. tuis reſurgat aliquis, qui eos doceat. Et *f* Petrus ex miraculo transfigurationis Chriſti, vocisque tunc auditæ, confirmat ea, quæ ipſe de Chriſto prædicabat; ſed addit, *firmiorem eſſe propheticum ſermonem:* ita vt firmius ex ſcriptura, quam ex mi-
g 2.Tim.3. 15. raculis Chriſti doctrina confirmetur. Et *g* Paulus ad Timotheum: *Ab infantia,* inquit *ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.*] Propterea Beroenſes prædicationem Pauli, quaſi ad lydium lapidem, ad ſacram ſcripturam probabant: Et examinabant num illa, quæ doce-
h Act.17. 11. bat, cum ſacra ſcriptura conuenirent: *h ſcrutantes quotidie ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.*] Nullus enim ipſa ſcriptura datus eſt nobis iudex certior ad diuina cognoſcenda, modo recte intelligatur: de quo poſtea. Sic & Patres omnes, ſacrique Doctores in articulis fidei inquirendis & confirmandis, ad ſcripturam, tanquam ad ſacram anchoram ſemper confugerunt.

Tertullianus, *i Nobis,* inquit, *nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit: Apoſtolos Domini habemus Autores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignarunt.*] Verbo quidem præſentibus, & tunc viuentibus; ſcriptis vero abſentibus; & poſtea naſcituris: ſcriptura enim noui teſtamenti ſuccedit viuæ voci Apoſtolorum, & eſt ipſamet vox eorum, ſed fideliter, Spiritu ſancto aſſiſtente, ſcripta; neque ſcriptura noui teſtamenti Canonica minoris autoritatis eſt, quam ipſa viua vox Apoſtolorum. Apoſtoli vero Chriſtum ipſum audierunt, ipſum Doctorem & Magiſtrum habuerunt, & præterea *k* Spiritu ſancto repleti ſunt, qui *l* eos induxit in omnem veritatem. Inde Euangelium autoritatem obtinet. Apoſtoli enim, vt docet Origenes, *m* inſtar Lunæ fuerunt à Chriſto Sole illuminati, & facti *n* Lux mundi; quorum vox erat vox Chriſti: ait enim Dominus ſe alias oues habere; id eſt gentiles: quæ *o* oues, inquit, vocem meam audient: profecto non per ipſum, ſed per Apoſtolos: & generaliter omnis canonica ſcriptura à Spiritu ſancto eſt. De qua tota ordinarie verum eſt: Hæc dicit Dominus. IV. i Tertul. de præſcri. k Act.2.4. l Io.16.13. m Origen. in Gen. hom.1. n 2.Reg.23 2.Luc.1.70 2.Pet.1.21. 2.Tim.3. 16.&c. o Ioa.10. 16.

Cyprianus, ſi in aliquo nutauerit & vacillauerit veritas, *p* ad originem, *inquit*, Dominicam, & Euangelicam, & Apoſtolicam traditionem reuertamur, & inde ſurget actus noſtri ratio, vnde & ordo & origo ſurrexit.] vtitur exemplo aquæductus; vt ſi confracto canali fluere aqua ceſſet, reparetur canalis, & à fonte ſuo iterum ſumat aquam. Fontem vero & ſcaturiginem veritatis catholicæ dicit eſſe Dominicam, Euangelicam, & Apoſtolicam traditionem, id eſt. Id quod à Domino in Euangelio, & per Apoſtolos traditum legimus: de traditione enim ſcripta loquitur: nam ſubdit: Traditum eſt nobis, quod ſit vnus Deus, & Chriſtus vnus, & vna ſpes, & fides vna, & vna Eccleſia & baptiſma vnum, &c.] Hoc vero ſumit ex Epiſtola Pauli ad Epheſ. cap. 4. ac pergit idem ex aliis ſcripturæ locis confirmare. V. p Cypr. ad Pompeium.

Optatus contra Donatiſtas, qui ad ſe venientes ex catholicis, rebaptizabant, ſic diſputat: *q* vos dicitis, *licet*: nos dicimus non licet. Inter *licet* veſtrum & *non licet* noſtrum nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentioſi homines. Quærendi ſunt iudices: ſi chriſtiani, de vtraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur. Deforis quærendus eſt iudex: ſi paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta: Si Iudæus; inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis: Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium: de cælo quærendus eſt index. Sed vt quid pulſamus ad cœlum, cum habeamus hic in Euangelio Teſtamentum? Quia hoc loco recte poſſunt terrena cœleſtibus comparari: tale eſt, quod quiuis hominum habens numeroſos filios: His quandiu Pater præſens eſt, ipſe imperat ſingulis: non eſt adhuc neceſſarium teſtamentum. Sic & Chriſtus quamdiu præſens in terris fuit (quamuis nec modo deſit) pro tempore quicquid neceſſarium erat, Apoſtolis imperauit: Sed quomodo terrenus Pater cum ſe in confinio VI. q Optat. cont. Parmen. lib.5.

ſenſerit mortis, timens ne poſt mortem ſuam, ru-
pta pace, litigent fratres, adhibitis teſtibus, volun-
tatem ſuam de pectore morituro transfert in tabu-
las diu duraturas. Et ſi fuerit inter fratres contentio
nata, non itur ad tumulum, ſed quæritur teſtamen-
tum. Et qui in tumulo quieſcit, tacitis de tabulis lo
quitur viuus. Is, cuius eſt teſtamentum, in cœlo eſt.
Ergo voluntas eius, velut in teſtamento, ſic in Eu-
angelio inquiratur. Etenim præſentia, quæ modo
facitis, iam futura conſpexerat Chriſtus.] Ac ſoluit
a Io. 13. 10. Optatus dubium ex illis Euangelij verbis, a Qui ſe-
mel lotus eſt, non indiget vt amplius lauetur, &c.
Et ſic iudicium controuerſiæ de anabaptiſmo, re-
ducit ad Euangelium.

VII. Athanaſius diuinitatem Chriſti contra Samoſa-
b Athan. tenum, vrget ex Euangelio; *Verbum caro factum eſt.* b
de Incar. Nobis, *inquit*, decorum eſt diuinis verbis inhærere,
neque ea deſerta relinquere ſyllogiſmorum com-
mentationibus, quæ tam clare & euidenter nobis
c Opta. l. 1. ſunt tradita.] Sic Optatus quoque, c Veritas, *inquit*,
non deſiderat argumenta: ægroti eſt remedia quæ-
rere, inertis, & imbecillis eſt auxilia comparare,
mendacis eſt argumenta conquirere.] vbi videlicet
d Atha. ad ſcriptura clare loquitur. Et rurſus Athanaſius, d Ne
Serap. de interroges, *inquit, de Trinitate*, ſed ſolum ex ſacris li-
Spir. S. teris condiſcas: ſufficiunt enim quæ in ipſis reperias
e Theoph. documenta.] Theophilus Alexandrinus: e Eccleſię
Epiſt. paſc. præceptores, *inquit*, habentes teſtimonia ſcriptura-
3. rum, firma doctrinæ faciunt fundamenta, & intre-
pidi permanent, offerentes opera ſua Chriſto, atq;
f Pſ. 118. dicentes, f confirma me in verbis tuis, &c.] Chry-
28. ſoſtomus totum ferme firmamentum fidei ponit in
g Chryſ. in ſacra ſcriptura. Ait enim: g ſanctus Spiritus tã mul-
Epiſt. ad ta geſſit & adminiſtrauit, vt eę *Scripturæ* cuſtodiren-
Heb. ho. 8. tur, videre autem vſque ab ipſo repetentes initio,
vt Dei diſcatis benignitatem & clementiam. Moy-
ſen inſpirauit, tabulas inſculpſit, quadraginta dies
eum tenuit in monte, & rurſus totidem vt daret le-
gem. Poſtea autem miſit Prophetas mala perpeſſos
innumerabilia. Ingruit bellum, omnes ſuſtulerunt,
conſciderunt, exuſtę fuerunt tabulæ: alium rurſum
virum inſpirauit admirabilem, vt eas exponeret:
Eſdram, inquam, & fecit vt componerentur ex re-
liquis. Poſtea autem curauit, vt ſeptuaginta eas in-
terpretarentur. Illi eas ſunt interpretati. Aduenit
Chriſtus, eas ſuſcipit. Apoſtoli eas in omnes diſſe-
minant. Chriſtus fecit ſigna & miracula. Quid ve-
ro? poſt tam multa tam exacte & accurate geſta, ſcri
pſerunt etiam Apoſtoli, ſicut etiam dixit Paulus:
*Scripta ſunt autem ad noſtram admonitionem, ad quos fi-
nes ſæculorum peruenerunt.* Et dicebat Chriſtus: *Erratis
neſcientes ſcripturas.* Et rurſus dicebat Paulus: *Per pa-
tientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*
Et rurſus: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt vtilis.*
Et: *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter.* Et Pro-
pheta: *In lege eius meditabitur die ac nocte.* Et rurſus ali-
bi: *Omnis narratio tua ſit in lege Altiſſimi.* Et rurſus:
Quam dulcia gutturi meo eloquia tua. Non dixit auri-
bus, ſed gutturi meo: *Super mel & fauum ori meo.* Et
Moyſes: *Meditaberis*, inquit, *in eis ſemper, ſurgens, ſe-
dens, cubans.* Sta, inquit, in eis: & de eis dixeris in-
h Baſil. numerabilia.] Baſilius de fide ſcripturus, h ſe
de vera & non alia ſcripturum profitetur, niſi quæ à ſacris
pia fide. literis accepiſſet, abhorretque ab accipienda fide
aliunde.

i Cyrill. Cyrillus Hieroſolymitanus, i Diuinorum, *in-
Hieroſol. quit*, ſanctorumque fidei ſacramentorum, nihil, ne
cate. 4. minimum quidem abſque diuinis ſcripturis tradi
debet, neque ſimplici probabilitate, neque verbo-
rum ornatu traduci. Ne mihi quidem & tibi pro-
ferenti ſimpliciter fidem adhibeas, niſi de diuinis
ſcripturis eorum quæ dicam demonſtrationem ac-
cipias.] Auguſtinus k ſcripturas dicit eſſe montes k Aug. in
vnde veniat nobis auxilium.] Faceturque alibi ſe P. 71.
circa credenda non poſſe conuinci l niſi ex ſcri- l Idem de
pturis ſanctis, vbi, *inquit*, leguntur tanta manife- vnit. Eccl.
ſtatione, vt quiſquis illas literas in fidem recepit, c. 12.
non poſſit niſi & iſta veriſſima confiteri.] Mitto
alia innumerabilia teſtimonia, nemo enim ca-
tholicorum negabit ſcripturam vbi clara eſt, eſſe
certiſſimum & vltimum ac infallibilem rerum fi-
dei iudicem, regulamque inconcuſſam. Sed cir-
ca ſcripturam ſacram tres ad minimum inſurgunt
difficultates. Prima, quæ ſit vera ſacra canonica
ſcriptura, & vnde illa oſtendatur. Secunda, an
ſacra canonica diuina ſcriptura perfecte ſtabilita
ſola complectatur omnia prorſus, quæ fide diui-
na ſint credenda. Tertia, vbi ſcriptura obſcura
eſt, & inde oriantur controuerſiæ, quis ſit vlti-
mus iudex ac deciſor controuerſiarum ac defini-
tor. Primam difficultatem in hoc capite expe-
diam: ſecundam in proxime ſequente cap. pertra-
ctabo: Tertiam in tertio diſcutiam & aliquot ſe-
quentibus.

Quod ſpectat ad ſtabiliendum, quænam ſint VIII.
ſcripturæ veræ & indubitate diuinæ, lis, & con-
trouerſia eſt non exigua: & tamen niſi certam &
infallibilem habeamus regulam, qua diſcerna-
mus ſcripturas diuinas à non diuinis, ſemper in-
certi erimus, & fidei noſtræ ſolidum fundamen-
tum nutabit. Diſtinguit Bellarminus ſcripturas
in tres partes. m Vt prima contineat libros, de m Bella. de
quorum autoritate nunquam ab vllo Catholico verbo Dei
fuerit dubitatum. Secunda eos contineat, quæ l. 1. c. 4.
etſi vere, *inquit*, Canonici ſint, non tamen ſem-
per æque certa & explorata eorum fuerit auto-
ritas. Tertia demum eorum, qui, quanquam in
nonnullis clariſſimis doctiſſimisque viris aliquan-
do in numero diuinorum voluminum haberen-
tur, publico tamen totius Eccleſiæ iudicio nun-
quam approbati ſunt.] Cur vero libri primi or-
dinis ſint indubitate canonici, & libri tertij or-
dinis indubitate non ſint canonici, ea nititur re-
gula Bellarminus, quia Pontifices, & Concilia,
dum numerarent ſacros libros omnes prorſus
nominatim illos incluſerunt, & hos excluſerunt.
Ac proinde libros etiam ſecundi ordinis eſſe ca-
nonicos inde n contendit, quod ex ipſis Patres n Ibid. c. 7.
nonnulli interdum producunt verba, & ſenten- & ſeqq.
tias ſuis tractatibus inſeruientes; ſed potiſſimum
quia vel Pontifices, vel concilia illos quoque
inter canonicos numerarunt. Vult ergo Eccle-
ſiam habere poteſtatem definiendi qui libri ſint
diuini, & qui non ſint: Et ſi de aliquo libro a-
liquis Patrum dubitarit, ſit ne diuinus, poſt-
quam iam Eccleſia eſſe diuinum declararit, hoc
eſt, vel Pontifex Romanus, vel Concilium ge-
nerale, tunc fide certa diuina & infallibili talem
librum ab omnibus fidelibus Catholicis pro di-
uino eſſe habendum. Hæc tamen regula mihi
videtur eſſe fallaciſſima, imo falſiſſima, quod
iam oſtendo.

Eccleſiam habere poteſtatem definiendi in a- IX.
ctu ſignato circa libros ſacros, ita vt qui pro di-
uino non fuerit vniuerſaliter à tota Eccleſia an-
te definitionem Eccleſiæ habitus, iam fiat diui-
nus, & pro tali in tota Eccleſia habeatur, nullo
modo eſt aſſerendum. Quod enim de fide non
eſt, vt de fide ſit, Eccleſia facere non poteſt,

nouos enim fidei articulos formare & proponere Eccleſia non poteſt. Omnes enim articuli fidei, in tantum ſunt articuli fidei, in quantum ſunt à Deo reuelati. Eccleſia vero non poteſt efficere, vt reuelatum ſit, quod aut reuelatum non eſt à Deo, aut non conſtat eſſe reuelatum. Declarare poteſt Eccleſia, poſt diligentiſſimam & exactiſſimam inquiſitionem, & poſtquam reuelationem iam à Deo factam clare agnouit, aliquid fide tenendum; non quod iam non eſſet de fide, ſed quod clare non conſtabat eſſe de fide; cum tamen reuera reuelatum, & de fide eſſet. Itaque ſi Eccleſia vult definire declaratorie duntaxat (nam aliter non poteſt) hunc vel illum librum, ſeu partem libri, de quo vel de qua dubia ſit Eccleſia, an ſit ſcriptura diuina, inquirere debet prius, & clare inuenire librum illum vel illam partem vere eſſe diuinam, & Spiritu ſancto dictante conſcriptam. Ad hoc autem inquirendum, & inueniendum illam ſolam vnicam, & ſingularem habet regulam, vt Eccleſia vniuerſalis ſeipſam conſulat, & quid ipſa in actu exercito teneat, non quid in actu ſignato definierit, quærat, & plane cognoſcat. Si enim viderit librum illum, vel partem in tota Eccleſia pro ſacro & diuino indubitanter non haberi, ſed eſſe & fuiſſe ſemper Eccleſias, quæ illum pro tali non habuerunt, ſed vt pium tamen librum ad ædificationem opportunum, vere tamen vt humanum legerunt, hinc colligere tenetur librum, vel partem, abſolute loquendo, diuinum non eſſe. Et illæ Eccleſiæ, quæ diuinum eſſe putent, & vt diuinum videantur tenere, cum ſciant id ita paſſim in omnibus Eccleſiis non eſſe, dubium tenentur admittere: quia ſola vniuerſalitas Catholicarum Eccleſiarum, in actu, vt dixi, exercito, cuſtos eſt librorum Canonicorum; eodem ferme modo, quo Arca teſtamenti, erat cuſtos certa, & fidelis legis Moſaicæ. Si quis enim ambigeret, num exemplum legis quod haberet, ſit exemplum fidele & penitus conueniat cum exemplari quod Moyſes à Deo accepit, conſulere debuiſſet Arcam, & ſuum exemplum conferre cum exemplari in Arca ſeruato; & ſic omne dubium Arca auferre poterat, non quidem in actu ſignato definiendo ſua propria autoritate, ac pronunciando exemplum illud eſſe fidele, & veritatem legis vere diuinæ continere; ſed in actu exercito, per oſtenſionem veri originalis, quod in ipſa Arca contineretur. Sicut ergo Arca, etiamſi animata fuiſſet, non poterat ex ſe dicere; hoc exemplum legis eſt verum, hoc vero falſum: ſed poterat duntaxat tabulas, quas ſeruabat promere: vt ex collatione quiſque cognoſceret, num tranſcriptam haberet legem veram, vt in tabulis originalibus contineretur; an vero variatam & corruptam, & cum falſis additamentis, quæ in originalibus tabulis non haberentur.

X. Potuerunt poſteriores qui non fuerunt teſtes oculati quando tabulæ illæ primum in Arca poſitæ ſunt, ambigere, an eſſent tabulæ originales digito Dei ſcriptæ, an aliæ ſuppoſitæ; imo poterant etiam ambigere poſteriores, an verum ſit Moyſem accepiſſe legem à Deo in Monte; & ad hoc dubium tollendum nulla ſupererat via, niſi fides humana, & hiſtorica, quæ indubitata perpetuo conſeruaretur; Imo poſtquam amiſſa eſt Arca, deſtructum templum, lex quoque illa originalis, & tota ſcriptura tum Moyſis, tum Prophetarum & ſacrorum hiſtoricorum periit, & ab Eſdra reſarcita, ac reuocata, loco Arcę ipſa Iudęorum Eccleſia ſucceſſit, quæ ſcripturam, tanquam depoſitum precioſiſſimum à Deo, illi ſoli nationi commiſſum, ſeruauit, tranſcriptione fideli per omnes ætates propagatam. Neque vnquam eguit Synagoga, vt fieret decretum in actu ſignato hanc eſſe veram, & authenticam ſcripturam: ſatis enim ei erat in actu exercito in ſinu ſuo conſtanti traditione habere ſcripturas veras, diuino miraculo cum primum traditę ſunt ſtabilitas.

XI. Quod igitur ſpectabat ad veterem ſcripturam, illa profecto ſola diuina erit, quæ pro diuina vniuerſaliter in tota Iudæorum ſynagoga ſeruata eſt vſque ad Chriſtum. Iudæis enim tradita ſunt Rom. 3. b.
eloquia Dei, vt ait Paulus: id eſt, apud eos, & non apud Gentiles depoſiti ſeruati ſunt libri Moyſis, Lex & Prophetæ; & ſacræ diuinæ hiſtoriæ. Et ſi quis alienigena haberet eoſdem libros, dubitaretque num ipſius exemplum fidele ſit, & veram ſacram ſcripturam contineat, ad ſynagogam erat ei recurrendum, & cum ſacris illius populi libris ſuum librum conferre debuiſſet. His addo Chriſtum Dominum ſcripturam Iudæorum, qualis tunc apud eos erat, perfecte approbaſſe, & fidem ei pleniſſimam conciliaſſe. Ex ipſa enim ſcriptura, ſuam ipſe doctrinam corroborabat: & vt ſcrutarentur ſcripturas, iubebat, quæ ſiquid in ſe falſi, ſiquid non diuini continuiſſent, ſiquid etiam maligne occultaſſent, profecto Chriſtus id non tacuiſſet. Ita etiam Apoſtoli eadem ſcriptura vſi ſunt; & illam ad Chriſtianos profecto integram & authenticam attulerunt. Quicquid ergo cum Iudæorum libris, quales erant tempore Chriſti, & quales Apoſtoli in Chriſtianiſmum ex Iudaiſmo inuexerunt, congruit, id profecto Canonicum eſt, & à Chriſto approbatum. Quod vero cum libris Hebræorum non congruit, id profecto à Chriſto approbatum non eſt, neque ab Apoſtolis receptum, qui veteri ſcriptura illa ſola vtebantur, quam ſynagoga tempore Chriſti & ipſorum habebat.

XII. Ac quemadmodum veteris teſtamenti eloquia Dei tradita ſunt Iudæis, ita vt apud illos ſolos tanquam in propria Arca à Deo inſtituta ſeruarentur: Sic apud Eccleſiam Chriſtianorum, maxima ex parte ex gentilibus congregatam, diuina eloquia noui teſtamenti, tanquam in alia noua Arca ſunt repoſita. Neque alia regula eſt diſcernendi noui teſtamenti ſcripturas Canonicas, à non Canonicis, niſi vt videamus, quid in hac arca vniuerſali ſeruetur; Non quæramus ex Eccleſia Chriſtianorum Catholica, vt ipſa ſuo decreto, in actu ſignato dicat nobis, illos & illos libros vt diuinos admittite; alios vero reſpuite: ſed totum quod ab ipſa petimus eſt; vt ſciamus, quibus ipſa libris tanquam diuinis vniuerſaliter & indubitanter vtitur: vt hoc pacto in actu exercito videamus nos ipſi, ipſa etiam tacente, quinam libri in ipſius ſinu, vt indubitate diuini ſeruentur: illi enim ſoli nobis eſſe debent vere diuini. Et quoniam conſtanti traditione habemus in Catholica Eccleſia, Matthæum, exempli gratia, ſcripſiſſe Euangelium de Chriſti vita, & doctrina, prout ipſe Chriſti Apoſtolus & aſſecla vidit, audiuit, obſeruauit; Et Eccleſia Euangelium Matthæi nunc nobis legat; prout in tota Eccleſia ſemper lectum fuit; ideo Euangelium Matthæi tale, quale nunc in Eccleſia Catholica

vniuerſaliſſime legitur, vere diuinum Euangelium eſſe non dubitamus. Et hoc eſt quod ait Auguſtinus: *a Euangelio non crederem, niſi me autoritas Eccleſiæ commoueret.*] Non quod Eccleſia in actu ſignato poſitiue dicat; Hoc eſt verum Euangelium, prout fuit à tali Euangeliſta ſcriptum (hoc enim nemo expectat vt dicat Eccleſia) ſed quia in actu exercito inuenio in tota Eccleſia Catholica ſcripturam hanc pro vero Euangelio à Matthæo edito legi. Et ſicut qui habuiſſet olim à ſynagoga ſacra Biblia, certus fuiſſet illa vera eſſe & indubitata, quia inde ſumpta vbi à Deo fuerunt depoſita: Ita Auguſtinus ait: *Se autoritate Eccleſiæ Euangelio credere*: hoc eſt: ideo ei credere, quia in tota Eccleſia catholica, vniuerſaliter per totum orbem ſparſa, & Chriſtum profitente, ipſum inuenit tanquam depoſitum apud verum & proprium Chriſti depoſitorium. Mitto hic inutiles aliorum, ſuper hoc dicto Auguſtini, concertationes.

a Auguſt. cont. Epi. fundam. c.5.

XIII. Hanc vero Eccleſiæ autoritatem Auguſtinus non putat eſſe autoritatem quandam poſitiuam, quæ poſſit negantem Euangelium ſua vi conuincere, & dicere; Crede tu huic Euangelio tanquam Euangelio vero: vere ab Euangeliſta Matthæo, vel Ioanne &c. conſcripto, quia ego tibi affirmo id ita eſſe: ſed ait, Crede huic Euangelio, quia ego illud apud me ſemper depoſitum habui, & vt verum Euangelium legi, ac conſeruaui. Si quis autem adhuc incredulus nondum conſentit, neque putat ita eſſe, etiamſi in tota Eccleſia ita creditur, aliam rationem Eccleſia non habet niſi illum conſenſum. *b Si incognita, inquit Auguſtinus*, crediturus ſum, cur non ea potius credam, quæ iam conceſſione doctorum indoctorumque celebrantur, & per omnes populos grauiſſima autoritate firmata ſunt?] Hæc eſt ergo illa Eccleſiæ autoritas, qua commotus Auguſtinus Euangelio credebat, & ſine qua Euangelio non crediſſet. Quæ ſane autoritas ex humana tota pendet traditione; quia videlicet per continuatas ſucceſſiones, Euangelium ab Euangeliſtis viuentibus & ſcribentibus ſuis traditum auditoribus per manus, abſque vlla corruptela, ſeruatum eſt in Eccleſia. Neque enim aliam autoritatem inuenit Auguſtinus, niſi hanc: ſic enim loquitur: *c* Hic iam ſi quæratis à nobis, nos vnde ſciamus Apoſtolorum eſſe iſtas literas? Breuiter vobis reſpondemus, Inde nos ſcire, vnde & vos ſcitis illas literas eſſe Manichæi, quas miſerabiliter huic autoritati præponitis. Si enim & hinc vobis aliquis moueat quæſtionem, & ſcrupulum contradictionis impingat: dicens libros quos profertis Manichæi, non eſſe Manichæi, quid facturi eſtis? Nonne potius eiuſdem deliramenta ridebitis, qui contra rem tanta annexionis & ſucceſſionis ſerie confirmatam, impudentiam huius vocis emittat? ſicut ergo certum eſt illos libros eſſe Manichæi, & omnino ridendus eſt, qui ex tranſuerſo veniens tanto poſt natus, litem vobis huius contradictionis intenderit: ita certum eſt Manichæum, vel Manichæos eſſe ridendos, aut etiam dolendos, qui tam fundatæ autoritati, à temporibus Apoſtolorum vſque ad hæc tempora certis ſucceſſionibus cuſtoditæ atque perductæ, audeant tale aliquid dicere.] Sicut ſiquis credere nollet res geſtas antiquas humanas, quæ conſtanti & indubitata ſcriptorum memoria conſeruantur, negaretque Salluſtij hiſtoriam eſſe Salluſtij, Liuij hiſtoriam eſſe Liuij; & ſic aliorum, ille ſe ridiculum præberet, neque contra ipſum, nolentem communiſſimo omnium conſenſui ſtare, alia ratione, niſi riſu eſt inſurgendum: ita inquit Auguſtinus etiam agendum cum illis qui, ſcripturas ſacras iam vniuerſaliſſime receptas, & continuata ſucceſſione ab ipſis ſcriptorum temporibus traditas, & conſeruatas, veras ſcripturas non crederent eorum eſſe, quorum eſſe dicuntur.

b Auguſt. cont. Epi. fundam. c.14.

c Auguſt. con. Fauſt. Manich. l. 32. c. 21.

XIV. Addit idem Auguſtinus; ſi quis quærat, vnde ſciamus libros Hippocratis eos, quos omnes iam Medici vt genuinos Hippocratis agnoſcunt, eſſe illius autoris libros, ac proinde negaret eſſe Hippocratis, *d* hic non refellitur, ſed ridetur; quia nimirum ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore vſque ad hoc tempus, & deinceps, ſucceſſionis ſeries commendauit, vt hinc dubitare dementis ſit. Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque eiuſmodi autorum libros vnde nouerunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de literis Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem autoritate canonica, ſed aliquo adiuuandi ſtudio, ſiue diſcendi. Vnde conſtat quid cuius ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuauit atque edidit, & inde in alios atq; alios continuata notitia latiusq; firmata ad poſteros, etiam vſque ad noſtra tempora peruenerunt: ita vt interrogati, cuius quiſque liber ſit, non hæſitemus quid reſpondere debeamus? Sed quid pergam in longe præterita? Ecce iſtas literas quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ huius noſtræ, vel illas quiſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, vnde conuincitur, niſi quia illi qui nunc iſta nouerunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt futuros, continuatis poſterorum ſucceſſionibus, traijciunt? Quæ cum ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatur, niſi dæmoniorum mendaciloquorum malitia atque fallacia conſentiendo ſubuerſus, qui dicat hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam, tam fidam, tam numeroſam fratrum concordiam, vt eorum ſcripta fideliter ad poſteros traijcerent, cum eorum cathedras vſq; ad præſentes Epiſcopos certiſſima ſucceſſione ſeruaret, cum hoc qualiumcunque hominum ſcriptis ſiue extra Eccleſiam, ſiue in ipſa Eccleſia, tanta fœlicitate proueniat.] Non ergo conuincit Auguſtinus huiuſmodi abſurdos homines, qui admiſſam communiſſime ſcripturam negarent, Eccleſiæ autoritate poſitiua; hoc eſt; decreto aliquo Eccleſiaſtico, in quo actu ſignato ſcripturæ approbentur; ſed autoritate ſola, quæ in actu exercito, ob conſeruatam traditionem habentur, vt explicaui, & fatetur Euſebius ita ſcribens: *e* Atque certe iſtorum librorum enumerationem neceſſario fecimus, vti, cum ſcripturas, quæ ſecundum Eccleſiæ traditionem veræ, germanæ, & omnium ſententiis manifeſto confirmatæ ſunt, perſpicua quadam nota ab aliis, quæ non ſunt eiuſdem autoritatis, ſed ſunt poſitæ quidem in controuerſia; à pleriſque tamen Eccleſiaſticis viris euolutæ & pertractatæ diſtinxerimus, facile quidem non iſtas ipſas modo, ſed eas etiam quæ Apoſtolorum nomine ab hæreticis circumferuntur, poſſimus diſcernere.] Et Serapion Antiochenus, Pater antiquiſſimus, *f* Euangelium Petri propterea reſpuit, quia cognoſcebat ipſum Eccleſiam ab Apoſtolis

d Ibid. lib. 33. c. 6.

e Euſeb. li. 3. c. 19. in Latinis. Græce c. 25.

f Apud Euſeb. l. 6. c. 10.

ſtolis

ſtolis non accepiſſe. Ita quoq; Tertullianus eadem ſola regula veræ, & confirmatæ veteris traditionis cum Marcione pugnat, ad verum Lucæ Euangeliũ cognoſcendum. *a* Ego meum, *inquit* dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis affirmo adulterатum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio ei præſcribẽs autoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem quod poſterius reuincetur? In quantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum. Prior erit res paſſione, & materia æmulatione: alioquin quam abſurdum, vt ſi noſtrum antiquius probauerimus, Marcionis verò poſterius; & noſtrum ante videatur falſum, quã habuerit de veritate materiam; & Marcionis ante credatur æmulationem à noſtro expertum, quam eſt editum, & poſtremo id verius exiſtimetur quod eſt ſerius, poſt tot ac tanta iam opera atque documenta Chriſtianæ religionis ſæculo edita, quæ edi vtiq; non potuiſſent ſine Euangelij veritate, id eſt, ante Euangelij veritatem?] Et paulo poſt. Dico itaque apud illas *fides Apoſtolicas*, nec ſolas iam Apoſtolicas, ſed apud vniuerſas, quæ illis de ſocietate Sacramenti confœderantur, id Euangelium Lucæ ab initio editionis ſuæ ſtare; quod cum maxime tuemur, Marcionis vero pleriſque nec notum. Eadem autoritas Eccleſiarum Apoſtolicarũ cæteris quoq; patrocinabitur Euangeliis, quæ proinde per illas & ſecundũ illas habemus.] Nullã Eccleſiæ definitionẽ protulit Tertullianus, qua Catholica Euangelia tueretur, ſed ex ſola Eccleſiarum, præſertim Apoſtolicarum, per continuatam temporum ab ipſo initio editorum Euangeliorum ſeriem, traditione rem codem modo, quo & poſtea Auguſtinus, confirmat. Nos videlicet diuinas ſcripturas veras & indubitatas inde habere, & cognoſcere, quia eas per Eccleſias, & ſecundum Eccleſias habemus, omni alia ſcriptura, quæ falſitatis dubium admittat, priores. Et Origenes, *b* quatuor ſolum Euangelia eſſe teſtatur: & quod per traditionem de quatuor Euangeliis ſola ſunt in vniuerſa Eccleſia Dei, quæ ſub cœli cõplexu continetur, rata ſtabilia, & quibus à nemine cõtradicitur.] Baſilius ait, *c* ſi traditio reſpuatur, etiam ipſis præcipuis Euangelij partibus damnum inferendum.]

a Tertull. cont. Marcion. lib. 4.

b Apud Euſeb. lib. 6. c. 19.

c Baſil. de Spir. ſancto c. 27.

XV. Poteſt itaq; & ſolet Eccleſia in catalogum redigere, & ſigillatim commemorare, ac recenſere libros omnes, quos vt ſacros illa penes ſe ex dicta traditione conſeruat: ſicut poteſt Bibliothecæ alicuius cuſtos catalogum ſcribere, quo omnes illius bibliothecæ libri contineantur: qui catalogus nihil aliud conuincit, niſi illos libros in illa bibliotheca reperiri. Quod ſi bibliotheca illa cum primum inſtructa eſt, nullos alios libros ibi depoſitos habuit, niſi quos ipſimet librorum autores ibi aſſeruandos in perpetuum appoſuerunt, profecto non ex catalogo per cuſtodem facto, ſed ex ipſa bibliotheca conſtabit, qui libri ſint illorum autorum, qui non. Ita Deus autor ſacrorum librorum, ſuos libros poſuit in vniuerſalis Eccleſiæ bibliotheca: cõcilia & Patres, ſunt quaſi bibliothecæ cuſtodes, poſſunt illos libros quos in Eccleſia tanquam diuinos vniuerſaliter habitos reperiunt, in catalogum, quẽ canonem vocant, redigere: ſed non ideo diuini libri ſunt, & vt diuinos accipit Eccleſia, quia ſunt in canone librorum diuinorum, ſed contra ideo in canone ſunt, quia diuini ſunt, & in Eccleſia vt diuini habentur. Non ergo catalogus, ſiue canon regula eſt, quam Eccleſia ſequatur; ſed Eccleſia regula eſt quam canon ſequatur; inde vel maxime, vt ego puto, canonici libri; canonicæq; ſcripturæ dictæ ſunt. Et ſicut Eccleſia, ſcripto canone, teſtari poteſt & ſolet, quinam apud ipſam ſeruentur, & ſint libri canonici, ita etiam autoritatiue præcipere poteſt & ſolet, vt illi & non alij pro canonicis à ſuis filiis habeantur: ſed hæc autoritatiua præceptio non eſt iudicialis declaratio, qui ſint canonici; ſed intimatio quędam, quo ad vſum, & praxim ſcripturarum. Quo modo Princeps laicus præcipit executiue canonem aliquem Eccleſiaſticum, qui iam ab Eccleſia promulgatus ſit, & ad omnium notitiam datus: Sic Eccleſia prius ſua ſola certificatione librum canonicum ad notitiam deducit omnibus fidelibus: deinde præcipit, vt in vſu fideles, quo ad fidem & morum inſtructionem, illis ſolis libris, vt canonicis, & non aliis vtantur. Et quidem Petrus Marci Euangelium approbauit, vt tradit *d* antiquitas; ſed hinc non ſequitur Eccleſiæ iudicio decretiuo libros canonicos autorizari. Marcus enim, non ex ſpeciali & immediata diuina reuelatione Euangelium ſcripſerat, ſicut neq; Lucas; ſed quod à Petro alter, alter à Paulo prædicari audiuerant, id ſcriptis proprio Marte, non tamen ſine ſpiritus ſancti ſpeciali inſtinctu & auxilio mandarunt, ideoq; ſcripta hæc non poterant eſſe Eccleſiæ canonica, niſi Petrus, aliјve Apoſtoli veras eſſe in ijs relationes: hoc eſt, tales qualium ipſi erant, & teſtes oculati, & promulgatores, teſtarentur. Matthæi vero, & Ioannis ſcriptum Euangelium tali non eguit approbatione, quia ipſimet, qui erant Apoſtoli, quæ viderant & audierant, quæq; prædicabant, ſcriptis conſignabant, & Eccleſiæ tradebant: Eccleſia vero ea conſeruabat, cuſtos optima; & vt ſibi ab Apoſtolis tradita ſucceſſoribus filiis manifeſtabat, non modo quæ Apoſtoli ſcripſerant; ſed etiam quæ à non Apoſtolis ſcripta, ab Apoſtolis tamen firmata fuerant, & publice approbata, atq; Eccleſiis commendata. Poteſt enim Apoſtolus, ſine noua ſpeciali reuelatione diuina, agnoſcere relationes aliorum ſcriptas, & approbare vel reprobare, prout eas conformes ſuis prædicationibus quiſq; eorum inueniebat: Quod Eccleſia poſt ipſos non poteſt: quia ipſi immediate reuelationes non ſunt datæ, ſed Apoſtolis.

d Euſeb. l. 3 c. 24.

XVI. Hic iam magna poteſt inſtitui concertatio de autoritate Eccleſiæ, an illa maior ſit, quam ſcripturæ, an ipſa det ſcripturis autoritatem: Ego de Eccleſia tractabo ſeorſim infra cap. 4. & ca. 10. ſed quod ad præſens negotium ſpectat de libris canonicis dignoſcendis, inuenio concertationes, quia ſtatus quæſtionis diſtincte vix proponitur. Viderunt multi ſcripturam diuinam pro diuina & vere canonica, niſi Eccleſiæ autoritate, non cognoſci: Hinc alij noſtrorum dixerunt *e* ſcripturam non eſſe authenticam, niſi Eccleſiæ autoritate: & conſequenter maiorem eſſe autoritatem Eccleſiæ quam ſcripturæ, aut ſaltem non minorem, quia Scriptura Eccleſiæ ſubditur: vnde fit, vt Eccleſia ſit ſupra ſcripturam. Alij dicunt *f* ſcripturę autoritatem non poſſe defendi ſine Eccleſiæ traditione, à qua traditione pendeat ſcripturæ autoritas. Alij audacter nimium dixerunt, non plus autoritatis habituras ſacras ſcripturas, quam fabulas Æſopicas, niſi Eccleſiæ teſtimonium accederet: & hoc tanquam pium dictum defendit *g* Hoſius. Alij cautius quæſtionem proponunt de ſcriptura, non ſecundum ſe, ſed ratione noſtri: & fatentur ſcripturas ex ſeipſis eſſe diuinas, & ex ſe (quia ſunt à Deo) ſuam habere autoritatem; ſed illas à Deo prodijſſe nobis non conſtare, niſi ex Eccleſiæ teſtimonio. Sed needum video clarum huius

e Eckius in Enchirid.

f Pighius l. 1. c. 2. Hierarch.

g Hoſius de autorit. ſcript. l. 3.

huius quæſtionis ſtatum. Si enim quæratur, vnde habeant ſacræ ſcripturæ, vt ſuos lectores, & auditores moueant, doceant, inſtruant, & ad fidem perducant, num ex propria illa autoritate, quam ex ſe, quia vere diuinæ ſunt, habent: an vero effectus hic proxime debeatur Eccleſiæ autoritati: ideo videlicet aliquem credere ſcripturis, quia Eccleſia docet, illas eſſe vere diuinas ſcripturas: ſine quo teſtimonio ſcripturis nihil inſit diuinitatis ad nos permouendos. Atque hunc ſtatum quæſtionis multi ex noſtris ſibi proponunt, & tuentur partes Eccleſiæ: contra quos facile eſt inſurgere, & partes ſcripturæ potius defendere.

XVII. Quia tamen hic ſtatus quæſtionis mihi non videtur ad rem in ea difficultate, quam nunc tractamus de libris canonicis diſcernendis, ideo quæſtionem hanc omitto, aliquid de illa poſtea dicturus. Aliud profecto eſt quærere; an ſcripturis nos fidem adhibeamus propter ſolam Eccleſiæ commendationem: Aliud, an ſcripturas tanquam diuinas admittamus propter eandem ſolam commendationem. Nam certe ſi infideli Chriſtum prædicauero illum eſſe filium Dei, & doctrinam ſuam cœleſtem mundo tradidiſſe, & inter alia diuinitatem Chriſti confirmauero ex miraculo Lazari quatriduani reſuſcitati, ille vero mihi obiecerit; Vnde ſcis ita eſſe? tu præſens non fuiſti; ſunt iam mille & ſexcenti anni à Chriſto elapſi, vnde mihi probas Chriſtum id miraculum feciſſe? ſtatim ei dicam, oſtendam tibi hiſtoriam id narrantem, ſcriptam ab vno ex Chriſti diſcipulis: offeramque ei Iohannis Euangelium: iſte, antequam aperiat librum, quærit de fide libri, & num conſtet eſſe authenticum librum, & fidele tranſumptum ex autographo Ioannis: & ita aliud erit hunc infidelem aſſentiri librum eſſe Ioannis, aliud fidem adhibere iis quæ in eo libro ſcripta ſunt: & ita alia eſt ei danda probatio, qua conſtet ei librum eſſe Ioannis: alia vero qua oſtendatur vera eſſe quæcunq; ſcripſit Ioannes. Prior probatio ex ſola traditione humana petitur, quia Eccleſia tota Chriſtianorum illum Ioannis librum, ipſo initio quo ſcriptus fuit, accepit, & per continuatas ſucceſſiones in Eccleſia eſt conſeruatus, & vt talis perpetuo habitus. Hoc ei probato, ac proinde præſtito per eum aſſenſu librum eſſe Ioannis, tum poſtea, Spiritu ſancto operante, credit iis quæ in Euangelio Ioannis ſcripta ſunt, non amplius autoritate Eccleſiæ, ſed autoritate propria diuinæ ſcripturæ, quia Spiritus ſancti aſſiſtentia ſcripta ſit, & conſequenter non niſi vera in ea ſcripta eſſe aſſentitur. Poteſt enim ſæpe, ac ſolet etiam primum dubium mouere auditores infideles Chriſtum prædicari audientes, vnde prædicatori ſint illa, quæ de Chriſto prædicat, nota? vnde ille credere debeat rem ita & ita geſtam, tale factum contigiſſe, talia verba à Chriſto dicta, talia miracula patrata? Dicunt ſæpe infideles: ſi certo mihi conſtiterit Chriſtum mortuos ſuſcitaſſe, futura prædixiſſe, &c. iam ſtatim crederem in ipſum. Iſti non petunt vt doceantur vnde veritatem habeant Euangelia; ſed dari dumtaxat hiſtoriam authenticam: & cum cognouerint ea vere ſcripta fuiſſe, & ſcripturam non eſſe confictam, tunc credunt Chriſtum eſſe filium Dei, & reliquam ipſius doctrinam in Euangeliis contentam veram eſſe. Habent enim illam Maximam: Quicquid Deus aut homo diuinus iuſſu Dei reuelauit, id verum eſt, etiam de ſupernaturalibus: Si ergo certum ſit Chriſtum mira illa feciſſe, & prædixiſſe, tunc certum eſt, Chriſtum aut Deum, aut hominem diuinum eſſe: & conſequenter doctrinam eius eſſe veram, & vere reuelatam: ac proinde ei credendum eſſe.

XVIII. Probatio autem hæc ad ſolam ſcripturæ authenticam fidem pertinens, alia non datur, niſi, vt vidimus, ſola, & vnica Traditio, & Eccleſiæ teſtificatio: teſtificatio, inquam, & non autoritas: quia Eccleſia, in actu ſolo exercito, & non in actu ſignato, vt explicaui, ſcripturas approbat, vel reprobat. Et hoc teſtimonium, fateor, humanum eſt, non diuinum: nec diuina ſed humana fide credendum. Nec tamen mihi obiicias, hinc ſequi, diuinas ſcripturas eſſe vere diuinas, & à Spiritu ſancto dictatas, non eſſe fidei articulum. Eſt enim in genere fidei articulus, ſcripturas omnes, veras diuinas reuelationes continentes, eſſe diuinas, & eis eſſe credendum; ſed in particulari hunc & illum librum eſſe vnum ex illis, in quibus diuinæ ſcriptæ ſunt reuelationes, & diuina myſteria conſignata, non eſt articulus fidei, ſed eſt notitia humana ac ſenſata. Qui Chriſtum in terris mortalem viderunt, & docentem audierunt, profecto illi non fide diuina, ſed cognitione ſenſata audiebant verba Chriſti: Et ſi quis ex iis quæſiiſſet, vnde ſcis Chriſtum hæc dixiſſe, & illa feciſſe; reſpondiſſet; Ego id ſcio, quia id præſens vidi, & audiui. Ita nunc perinde eſt, legere Euangelium, atque audire Chriſtum concionantem: & eſt quædam ſenſata notitia; Lego Euangelium, & in eo audio vocem Chriſti, & facta intueor: cum hoc diſcrimine, quod qui teſtes erant oculati, non egebant probatione vlla: at vero qui ex relatione diſcunt, egent ea ſola probatione, vt conſtet relationem illam eſſe authenticam, & fidelem. Sicut ergo Chriſtus loquens, & operans, non erat obiectum fidei, ſed alius ſenſus, in quantum loquens & operans: ita Euangelium, vt referens dicta & facta Chriſti, eſt obiectum duntaxat ſenſus, vel alterius potentiæ æquiualentis ſenſui: Nam & Euangeliſtæ quando ſcribebant Euangelia, non ex reuelatione Spiritus ſancti, dum ſcriberent ſibi facta, ea ſcribebant, ſed ex ſenſata notitia, quæ viderant, & audierant, illa in commentarios redigebant, vt fatetur Lucas a in proœmio ſui Euangelij: ita etiam in Actis: quamuis non ſit eis neganda aſſiſtentia Spiritus ſancti, qui & ad ſcribendum eos permouebat, & ne errarent, muniebat, ac eorum memoriam adiuuabat. Traditio itaque Eccleſiæ in hoc ſimilis eſt illis, qui b adduxerunt cæcum ad IESVM: Ille enim IESVM cognoſcere non poterat, & dummodo ad illum per aliquos qui illum cognoſcebant adduceretur, ille ſciebat, quid poſtea eſſet facturus. Credidit in Chriſtum, non autoritate eorum qui eum adduxerunt ad Chriſtum, ſed ex verbis & facto Chriſti, qui illi viſum reſtituit. Sic Eccleſia ſua traditione ducit homines ad veras, & authenticas ſcripturas, vt in illis diſcant ea, quæ ſalutem operantur, non vlla autoritate Eccleſiæ; ſed propria diuina autoritate, qua ipſæ pollent ſcripturæ.

a Euſeb. l. 3. c. 24.
b Luc. 18. 35.

XIX. Hic ego Eccleſiæ, & Traditioni nihil trado ſupra ſcripturam: Ducem ſolum facio Eccleſiam ad veram ſcripturam, eſt potius conditio quædam, ſine qua libri canonici diſcerni non poſſunt à non canonicis, non quod ipſa Eccleſia,

vel

vel traditio eos poſitiue diſcernat, & ſuo quodam peculiari labore per Spiritum ſanctum cognoſcat, quæ ſint ſui ſponſi verba, quæ non ſint. Si enim ſit aliqua ſcriptura nondum nota, an ſit canonica nec ne, eam nunquam Eccleſia poterit pro canonica agnoſcere, ſi vere non ſit iam ei cognita pro vere canonica, vt iam oſtendi. Ideo non poſſum probare, ſi quis dicat, præter teſtimonium Eccleſiæ, requiri etiam internum Spiritus ſancti teſtimonium, & alias coniecturas, maieſtatis, puritatis, conſonantiæ, &c. ad hoc vt canonici libri perfecte cognoſcantur, & Eccleſiam per hæc etiam procedere, antequam reddat teſtimonium: non poſſum, inquam, his aſſentiri: quia iam nullus vnquam eſſet finis diſſentionum circa libros canonicos. Siquidem quiſque Spiritum ſanctum ſe habere prætendet, hic ad includendum in canone librum aliquem, ille ad excludendum: Sed neque dico propter ſolum iudicium Eccleſiæ includi vel excludi libros: non enim expecto, vt Eccleſia declaret autoritatiue & iudicialiter, Hic liber eſt, ille non eſt Canonicus: ſed ſolum dicere poteſt: Hunc librum ego Eccleſia vniuerſalis tota perpetuo in meo ſinu habui, mihi initio etiam ab ijs, vt canonicum commendatum, quos certum erat canonica ſcribere; illum vero non habui, & hoc eſt inuariabile, ac certiſſimum. Nam vel vere habuit, vel non habuit; & ſic vel ſemper fuit Canonicus; vel nunquam: vt inferius etiam in ſingulis explicabo. Neque concedendum eſt Eccleſiam habere Spiritum Chriſti, per quem illa abſque vlla traditionis ope veram diuinam à falſa ſcriptura certo & euidenter diſtinguat. Habet enim Eccleſia Spiritum Chriſti, qui in ea perpetuo reſidet, ſed hic Spiritus ei ad hoc non inſeruit. Vt enim voces diuinæ datæ ſunt ſenſibiliter à Deo Eccleſiæ, ita etiam ſcripturæ; & illa ſenſibilitas in traditione per ſucceſſiones conſeruatur: atque hinc ſufficientiſſime dignoſcitur vera à falſa ſcriptura, nec opus adiumento Spiritus ſupernaturalis. Alioqui ſi extra ſcripturam habet Eccleſia hunc Spiritum ad diſcernendas ſcripturas, cur non facile ei concedatur habere etiam Spiritum ad veros ſcripturæ ſenſus infallibiliter exprimendos: cum vero illam non habere facile oſtendam capit. 4. Quando ergo Eccleſia declarat hunc librum eſſe canonicum, hunc non eſſe, id declarat, non ex ſupernaturali notitia à Spiritu Chriſti habita, ſed ex ſenſata & naturali cognitione, quam ex continuata traditione apud ſe retinet: Quod ſi hanc ſenſatam cognitionem non habet, non niſi temere poteſt definire, librum aliquem eſſe canonicum, quem tamen pro canonico ſemper ex traditione non habuerit. Sicut Eccleſia, quæ & Chriſtum & Apoſtolos ore proprio loquentes audiebat, antequam ſcriptis quicquam noui teſtamenti mandaretur, non ponderabat, neque debebat ponderare per Spiritum vllum verba Chriſti, & Apoſtolorum, & ad examen ea reuocare, num Chriſtum ea verba deceant, num Apoſtolos Chriſti præcones: & ſtultus fuiſſet, qui tali examini ſe dediſſet: quia & oculis cernebat Chriſtum, & Apoſtolos, & auribus audiebat: non ergo poterat niſi ab inſanis dubitari, num illa verba quæ audiebant, eſſent Chriſti, & Apoſtolorum verba; ita, dummodo ſenſui pateat ſcripturam hanc eſſe vel ab Apoſtolis ſcriptam, & promulgatam, vel expreſſe approbatam: (ſenſui autem patuit, cum viuentibus adhuc Apoſtolis eorum ſcripta vel aliorum ſed ab ipſis approbata, vt Lucæ, & Marci, publicabantur & legebantur: Et hæc ſenſata cognitio per traditionem continuatæ ſucceſſionis ad poſteros, & vſque ad nos tranſijt) inſani erit trutinare, num ea, quæ talibus ſcripturis continentur, cum Chriſti & Apoſtolorum doctrina cohæreant: &c. Verba enim Chriſti & Apoſtolorum non poſſunt non eſſe verba Chriſti, & Apoſtolorum, nec vlla trutina, vlloue egent examine. Quod ſi tunc in vulgus doctrina aliqua ſpargeretur, cum fama aliqua & rumore aut etiam ſcripto, eam fuiſſe à Chriſto vel ab Apoſtolis prædicatam, ſtultum fuiſſet illam doctrinam, etiamſi alioquin in ſe bonam, ſanam, & piam, tanquam doctrinam Chriſti & Apoſtolorum admittere, eique diuinam autoritatem tribuere, ſi nulli eſſent teſtes fide digni, imo infallibilis autoritatis, qui eam ex ore Chriſti vel Apoſtolorum ſe audiſſe teſtarentur, nullaque ei ſenſata notitia ſuffragaretur. Ita nunc, ſi Eccleſia tota teſtis non eſt ſenſatæ notitiæ alicuius libri, illum ab ipſo ſui initio tanquam diuinæ autoritatis Apoſtolicum ipſi Eccleſiæ commendatum fuiſſe, omnino ſtultum erit, pro diuino illum quibuſcunque argumentis (ſecluſa ſpeciali certa reuelatione diuina) admittere, cui ſenſata notitia ſaltem ex ſufficienti traditione non ſuffragetur. Non nego tamen Spiritum ſanctum poſſe, & ſolere addere fidelibus internam aliquam propenſionem, qua facilius aſſentiantur ijs, quæ ab Eccleſiæ accipiunt teſtificatione. Sed hæc interna operatio Spiritus neque neceſſaria omnino eſt ad libros canonicos dignoſcendos, neque ſola ſufficiens ad dandam nobis infallibilem certitudinem, quæ ſit canonica ſcriptura, quæ non ſit.

Audiui aliquos argumentantes, poſſe ſcripturam veram & canonicam ex multis coniecturis, etiam ſine autoritate Eccleſiæ agnoſci; & inter alias coniecturas afferebant, idiotas fuiſſe ſcriptores; qui cum grandia ſcripſerint, non potuiſſe niſi Dei Spiritu actos illa ſcribere, vt Moyſes, Hieremias, Petrus, Matthæus, &c.] Atqui hoc nihil penitus eſt ad rem: Non enim inquirimus credibilitatem eorum, quæ in ſcripturis continentur, ſed quærimus, num Pentateuchus ſit à Moyſe famulo Dei ſcriptus: Num prophetia, quæ dicitur Hieremiæ, ſit vere à Hieremia ſcripta: Sic de Petro; ſic de Matthæo. Fac me prius certiorem ſcripta illa eſſe vere Moyſis, Hieremiæ, Petri, Matthæi, &c. tunc ego vtar illa coniectura, idiotas non potuiſſe ſine diuino Spiritu illa ſcribere. Quod ſi traditio Eccleſiæ mihi non ſubueniat modis explicatis, ex ipſis ſcripturis nunquam cognoſcam illud eſſe ſcriptum Moyſis, illud Hieremiæ, illud Petri, illud Matthæi, &c. Hoc nobis ſola traditio per ſucceſſiones manifeſtat, aut ſaltem illum vel illum librum perpetuo pro diuino ab omni Eccleſia habitum fuiſſe, ex quo primum prodijt, etiamſi ſcriptor libri ignoraretur. XX.

Ex his conſequens eſt, vt neceſſario dicamus, non omnia, quæ in ſcripturis continentur, eſſe ſimpliciter & abſolute obiectum noſtræ fidei, ſeu ſpectare ad articulos fidei: ſola XXI.

enim

enim reuelata ſunt obiectum fidei; at non omnia quæ ſcriptura habet, docet, aut narrat, ſunt reuelata. Quod Deus dixit Abramo, *a* ſemen ipſius fore maximopere multiplicandum, erat reuelatio, & hoc dictum Dei fuit Abramo articulus fidei: propterea ait ibidem ſcriptura; *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* At vero illud Dei dicere, ſeu, Deum illa proloqui, & promittere, non erat Abramo fide credendum; quia non erat reuelatio Deum ita loqui: Id quod reuelabatur erat reuelatio, ſed ipſum reuelare non erat ipſi Abramo reuelatio (ſumo nunc reuelationem paſſiuam non actiuam) hoc enim Abram ſenſu ipſo percipiebat, non fide credebat. Igitur nos quoq; ſenſata cognitione, per humanam traditionem, ſcimus ſcientia ſeu notitia ſenſata, non fide diuina credimus, Deum ita Abramo locutum: multiplicationem tamen illam ſeminis Abrami per Chriſtum, tanquam diuinam reuelationem, fide credimus. Et ſic de quocunque facto, quod in ſcripturis narratur.

a Gen. 15. 5.

XXII. Vnde vlterius ſequitur, & *b* Auguſtinum & alios doctos atque catholicos autores, quos affert *c* Maldonatus, non eſſe penitus inexcuſabiles, quod lapſum memoriæ tribuant interdum Euangeliſtis, ſicubi æquiuocare contigerit, vt vnum nomen pro alio inaduertenter poſuerint, vt *d* Hieremiam pro Zaccharia: vel circa tempus, aut alias circunſtantias facti inter ſe non videantur conuenire; dummodo lapſus circa ſubſtantiam facti, & in re ipſa reuelata non admittatur. Tales enim lapſus extra ſubſtātiam facti nihil fidei obſunt, aut obeſſe poſſunt, neq; ſunt circa aliquid fide diuina credendum, ſed circa id quod ſolam humanam ſenſatam ſecum fert notitiam. Humanam porro notitiam ſubeſſe poſſe lapſui non videtur abſurdum, etiam in ſacris Spiritus ſancti ſcriptoribus, quoties lapſus humanæ notitiæ in facti ſubſtantiam, & adiunctam reuelationem non redundat. Poteſt enim Spiritus ſanctus ſcriptorem ſuum hominem humanæ conditioni, & fragilitati permittere, vbi veritas circa ſubſtantiam facti narrati, & circa diuina dicta, dogmata, ac myſteria maneat firma, & inconcuſſa. In his enim ſalua debet eſſe ſcripturæ fides: cui lapſus illi leues circa rei narratæ circunſtantiam, nihil derogant. Certe Ioannes Euangeliſta non potuit præciſe ſcribere, quot ſtadiis remigaſſent diſcipuli Domini. *e* Cum remigaſſent, *inquit*, quaſi ſtadia viginti quinque, aut triginta.] Num Spiritus ſanctus ignorabat, quantum fuiſſet præciſe illud ſpacium remigationis? & tamen reliquit in hoc Ioannem, vt ipſe ſuo humano iudicio in hoc vteretur, & ſane incerto. Non igitur valet conſecutio, ſi Euangeliſta in hoc nomine, vel in hac circunſtantia potuit labi, ergo labi etiam potuit in aliqua re ad fidem pertinente: quia labilitatem non admittimus, niſi vbi de ſola agitur humana notitia naturali, nullam fidei notitiam ſecum neceſſario afferente. Scio multa eſſe in ſcriptura loca, quæ ſcriptoris lapſum videntur ſecum ferre; & nihilominus eorum ſolutionem à ſanctis doctoribus afferri, ita vt ab omni lapſu ſacri ſcriptores excuſentur: ſed ſcio etiam violentas, duras, & coactas afferri excuſationes, quæ piæ menti ſatis eſſe debent; humano tamen ingenio rigidiori non ſatisfaciunt. Ego ſane, quod in me eſt, rigorem depono, & malo cum difficultate piam amplecti interpretationem, quam lapſum etiam iſtum leuem, & circa ſolas circunſtantias admittere. Hæc tamen dixerim ad excuſationem ſanctiſſimi, & doctiſſimi Auguſtini, & aliorum catholicorum, lapſus hoſce potius, citra omne fidei periculum, admittentium, quam vt duras nimium, & violentas velint vrgere interpretationes, quæ infidelibus, & mundanis hominibus riſum excitent, & ſtomachum moueant, & conſequenter faciæ ſcripturæ in ſubſtantialibus, & reuelatis, in quibus nullus vnquam poteſt eſſe lapſus, fidem derogent.

b Aug. de conſenſ. Euang. l. 3. c. 7.
c Maldon. in Matth. c. 27. 9.
d Matt. 27. 9.
e Ioan. 6. 19.

Nunc igitur, quod ſpectat ad veterem ſcripturam, nulla mihi videtur facilior, nulla certior regula ad diſcernendam proprie canonicam, hoc eſt vere, & indubitanter diuinam à non canonica, nec diuina, niſi illa quam ſuperius commemoraui: vt canonica illa ſit, & diuina, quam vt canonicam & diuinam tunc legebat ſynagoga, quando Chriſtus prædicabat. Ille enim illam citabat, & vt illam ſcrutarentur Iudæi, monebat: & conſequenter illam Chriſtus vt vere diuinam approbabat. Quæ autem illa tunc eſſet, facile eſt, tum ex Iudæorum Bibliis ſtatuere; tum etiam ex catalogis diuinorum librorum, quos antiquiſſima Chriſtiana Eccleſia habuit, quia Apoſtoli Iudæi, & fideles ex Iudæis ab Apoſtolis ad Chriſtum conuerſi, illa ſacra Biblia procul dubio habebant, quæ tunc apud Iudæos legitima erant, à Chriſto, vt dixi, atq; affirmat *f* Chryſoſtomus, approbata; & Apoſtolicæ prædicationis vſui inſeruientia. Illi erunt nobis canones inquirendi & Patres Hebræorum voluminum notitiam habentes conſulendi. Si quancunq; aliam regulam ſequamur, illa fallax erit, & facile nos inducet in errorem. Dixi in genere, vndenam ſcripturæ canonicæ & diuinæ, à non diuinis nec proprie canonicis diſcerni debeant: iam ad ipſas ſecernendas in particulari accedo. XXIII.

f Chryſ in Ep. ad Heb. ho. 8.

Scripturæ veteris teſtamenti, quæ indubitato Hebræorum canone habitæ perpetuo fuerunt, ex quo variis tamen temporibus diuino iuſſu populo Dei datæ ſunt, quaſq; conſequenter Chriſtus Dominus ſuo vſu approbauit, & confirmauit, nobiſq; ut Chriſtianis, vt veras & legitimas, ac vere diuinas conſequenter commendauit, & pro talibus poſt Chriſtum Eccleſia ſancta vniuerſalis, communiſſimo ſenſu tenuit, legit, ac conſeruauit, & de quibus nulla vnquam particularis Eccleſia, nullus verus fidelis dubitauit, ſunt iſtæ: Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Ioſue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor: Paralipomenon duo. Eſdræ duo, Pſalmi, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticū, Iob, Eſther. Iſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Et duodecim Prophetæ, qui dicuntur minores. Canon Hebræus tempore Chriſti & Apoſtolorum alios libros, præter hos, vt vere diuinos non habebat, & hos ſolos & vere & proprie canonicos Eccleſia Chriſtiana accepit, & Patres vetertimi commemorarunt ac numerarunt. * Melito Sardenſis *g* Origenes: *h* Athanaſius: *i* Gregorius Nazianzenus: *k* Cyrillus Hieroſolymitanus: *l* Epiphanius quater: *m* Hilarius. Antiquum *n* Concilium Laodicenum celebratum circa annum Domini 364. cuius canones in codice canonum Eccleſiæ vniuerſalis poſiti ſunt. *o* Hieronymus: Ruffinus: *q* Amphilochius Iconij Epiſcopus: *r* Leontius aduocatus Bizantinus ſexti ſæculi ſcriptor: Deniq; *ſ* Ioannes Damaſcenus, octaui ſcriptor ſæculi, Iunilium Africanum omiſi, quia confundit libros vere & proprie canonicos nonnullos, cum libris mediæ autoritatis, & non canonicis: Non enim bene percepit Hieronymi diſtinctionem. XXIV.

Hi omnes catalogum librorum diuinorum ediderunt & nec plures in veteri teſtamento, nec pauciores, quam à me modo recenſiti ſunt, recenſuerunt.

* Apud Euſeb. l. 4. c.
g Ibi. l. 6. c. 19.
h Atha. in ſynopſi.
i Naz. in libro, ſuorum carminum.
k Cyr. Hieroſol. cate. 4.
l Epip. hęr. 8 & cont. Anomocos hęr. 76 Et de menſur. ac ponder. bis.
m Hil. prologo in pſalmos.
n Concil. Laodic. c. vlt. in cod. c. 163.
o Hier. in prologo Galeato.
p Ruffin. in ſymb. Apo.
q Amphil. Bibl. SS. PP. to. 8.
r Leo. ibid. tom. 4.
ſ Dam. l. 4. c. 8.
Iunil. de par. diu. leg. l. 1. c. 3.

runt. Si Melitonem excipias, qui librum Eſther o-
miſit quem ſimiliter omiſerunt Athanaſius, Nazi-
anzenus, & Leontius; Licet Athanaſius referat à
quibuſdam illum inter Canonicos apud Hebræos
haberi. quod facit etiam Amphilochius. Cur autem
hi librum Eſther omiſerint, cauſa eſt, quia ſeptem
poſtrema capita quæ adiecta ei libro videbant, apo
crypha eſſe ſciebant. Cæterum ſex capita præcedē-
tia Canonica ſunt, & in canone Hebræo indubita-
ta, vt oſtendit *a* Hieronymus. Illa vero ſeptem ca-
pita, quæ fons Hebraicus non habet, velle pro Ca-
nonicis obtrudere, non eſt ſolidi Theologi: quæ
profecto pro Canonicis admittere noluerunt no-
ſtrates *b* Theologi Lyranus, Carthuſianus, Hugo,
Caietanus, & Sixtus Senenſis. Bellarminus tamen
contranititur. Et miror quomodo ſibi poſſit, & no
bis perſuadere ſperet, illā additionem eſſe Canoni-
cam, ſi diuinā autoritatē indubitatam ei conciliare
nullo modo poteſt, qui graues ſuæ etiam factionis
Theologos habet hanc ei parti autoritatē negātes,
& à ſcripturis vere Canonicis, etiā expreſſe amouē-
tes. Et ſane ſola regula, vt ſupra dicebā, veras Cano
nicas Scripturas cognoſcēdi, eſt, ſi in vniuerſali Ec-
cleſia ſint per continuatā iam inde ab ipſarū origi-
ne traditionem acceptæ. Sacros vero ante Chriſtū
libros ab Hebræis nos habere oportuit: planū vero
eſt eā partē libri Eſther Hebræos in ſuis Canonicis
libris non habuiſſe: & ita tēpore Chriſti, & Apoſto
lorum à ſacris libris aberat: Non ergo à Chriſto ap-
probata fuit, nec ab Apoſtolis accepta, nec ex ſyna
goga in Eccleſiā tranſportata. Quicunque ergo ex
Chriſtianis Patribus librū Eſther in catalogo ſacro
rū librorū recenſuerunt, illi omnes intelligēdi ſunt
de libro Eſther, vt in canone Hebræo inuenieba-
tur. In eo tamen volumine, quo illi Patres, & Eccle
ſia vniuerſalis tunc vtebatur, inquit Bellarminus, li-
ber Eſther etiam, cum illis additamētis legebatur.
Hoc ego illi facile conceſſerim: negabo tamen illa
additamēta tanquam vere diuina, & Canonica fu-
iſſe lecta: ſed oportuit ea cū debita diſtinctione le-
gi: vt legebantur alij libri, in eodē volumine poſiti,
ſimul cum Canonicis, licet illi Canonici nō eſſe o-
ptime ſcirentur; vt boni tamen, & pij, & ad mores
opportuni legebantur: & à Patribus etiā citabātur.
Hebræos quoque habuiſſe ſimul cū Canonicis ali-
quos nō Canonicos, ſed pios libros, ijſq; ad mores
vſos eſſe, ſatis conſtat: quos tamen optime ſciebāt
non eſſe diuinos, ſed humanos. Vnde nō ſequitur,
vt, etiāſi ſeptuaginta interpretes Ptolomæo Græce
dederint, ſimul cū ſacris, etiam aliquos ex his vere
non ſacris, pijs tamen, & ſanā doctrinam continen
tibus, ſtatim Canonici debeāt dici, quia eos illi 70.
& Theodotion, alijve ſint interpretati. Quod vero
Concilium Tridentinum etiam illam partē videa-
tur canonizaſſe, (quod contendit Bellarminus, ne-
gat vero Sixtus Senenſis) nihil conuincit: quia, vt
iam dixi ad initiū huius capitis, neq; Concilia, neq;
Eccleſia poſſunt definire, & ſtatuere, ac præcipere,
vt aliqua Scriptura ſit canonica: poteſt tantum atte
ſtari quæ Scriptura vt canonica & diuina ſemper in
tota Eccleſia indubitanter ſit, vt talis, ſeruata & le-
cta. Si igitur illa pars libri Eſther in tota Eccleſia ca-
tholica non fuit ſemper, ac præſertim in ſynagoga,
pro vere ſacra, & diuina Scriptura habita, definitio
Concilij impertinens erit, & nullius pōderis, ac mo
menti. Mitto nunc abſurditates, aut ſaltē difficulta
tes etiā hiſtoricas, q̄ in illo additamēto continētur.

XXVI. Hieremiæ quoq; Prophetæ ſuum eſt appoſitum
additamentum, prophetiæ Baruch ipſius ſcribæ, cū
Epiſtola in fine Hieremię attributa: cū tamen apud
Hebræos, neq; Baruch, neq; Epiſtola illa cum reli-
qua Hieremię Scriptura indubitata habeatur. Thrē
nos ſiue lamētationes, eiuſdē Hieremiæ, & Hebręi
habent, & vniuerſa Eccleſia vetus & noua, vt partē
canonicā æque cum reliqua Hieremiæ prophetia
ſemper agnouit. Origenes vero Hieremiæ prophe-
tię tribuit, & threnos nominatim, & Epiſtolā illam.
Sic facit etiā Hilarius. Sed Baruch ab eis non nomi-
natur. Epiphanius tamen hęr. 8. Hieremiā ponit ſi-
mul cū lamētationibus, Epiſtolis, & Baruch. Ita fa-
cit etiā Cyrillus Alexandrinus. Hieronymus tamē,
cū inter Canonicas Hebræorum Scripturas Baru-
chum nō inueniret, eū ex ſuis Bibliis à ſe correctis,
& emendatis penitus excluſit, *c* Librum à, *inquit*, Ba
ruch notarij eius Hieremiæ, qui apud Hebræos nō
legitur, nec habetur, p̄termiſimus.] Pater ſane hic,
in hoc præſertim genere, omni exceptione maior,
amplam fidem facit, Baruchi librū non fuiſſe ei Ca-
nonicū, neq; diuinæ autoritatis: & argumentū fuit
illi irrefragabile, q̄ libri veteris pacti illi ſoli Cano-
nici eſſent, quos mater ſynagoga Eccleſiæ filiæ tra-
didit, quippe à Chriſto pro diuinis habitos, & ap-
probatos, & ab Apoſtolis acceptos. Ex modernis
theologis Romano-catholicis, Hieronymū ſecutus
eſt, *d* Driedo: Decepti vero multi ſunt fortaſſe, quia
Hieremias c. 36. fatetur Baruchum ſcripſiſſe verba
Domini, ex ore ipſius Hieremiæ. Sed ibidem
planum eſt ipſamet prophetiam totā integrā Hie-
remiæ fuiſſe à Baruch notario, dictante Hieremia,
bis conſcriptā, priorem n. Rex Ioachim diſciderat,
& in ignem proiecerat. Cum tamen liber peculiaris
Baruchi nō eſſet reprobatus, nec inter Apocryphos
illos tertij ordinis reiectus, ſed ad ædificationē lege
retur, apud aliquos Patres autoritatē etiam, quoad
ipſorum priuatum ſenſum, diuinā obtinuit. Idcirco
& Epiphanius, & Cyrillus Catechiſta, illum ſuo
catalogo inſcripſerunt: Et *e* Athanaſius, ad dogma-
ta de Filio Dei, & de Spiritu ſancto cōfirmanda Ba-
ruchi dictis vſus eſt tanquā diuinis. Sic aliquot alij *f*
Patres. Hinc tamē non ſequitur eſſe vere, & p̄prie
Canonicum, ſiquidē nō omnes Eccleſię librum il-
lum habent pro Canonico. Et quāuis talium Scri-
pturarum dicta, ad deducenda dogmata, non vale-
ant, ad iam deducta tamen valent tanquā argumē-
to probabili corroboranda. Si a. Eccleſia Romana
legit aliquid ex Baruch, nō tamen omnes Eccleſiæ
legunt: Et, ſi legunt, legunt vt Scripturam piā, & v-
tilē, nō vt diuinā, legit etiam Patrum homilias, &c.
Lamentationes Hieremianas eſſe nō videtur *g* Hie-
ronymus dubitare. Sed Epiphanius tamen dicit li-
brum eſſe ſuperfluū, extra numerum Canonicorū,
& Hieremię adiunctū. Sed ſi hęc fuit ſolius Epipha
nij priuata opinio, nō derogat Threnis autoritatē.

Danielis prophetia ipſa quoq; habuit ſuā addita- XXVII.
menta, quæ ſunt c. 3. c. 13. & c. 14. de hymno puero-
rum: de Suſanna & ſenibus: de Idolo Bel, & de Dra
cone, & offa picea. & miror ſummopere, quomodo
noſtri partes haſce tueri audeant, & fidelibus pro
ſacra diuina Scriptura obtrudere; q̄ maxime cona-
tur *h* Bellarminus. Et tamē apud Hebræos nihil ho
rum haberi diffiteri non poſſunt: quę eſt, vt dixi, re-
gula veteris Scripturæ infallibilis. Sed iudiciū ma-
gni noſtri Hieronymi an nō vehemēter poteſt quē-
que mouere, vt partes illas reſpuat, quarū aliquas
etiā fabulas vocat Hieronymus. Ait enim: Qui, *Da-
niel* apud Hebræos nec Suſannę habet hiſtoriā, nec
hymnum trium puerorum; nec Belis Draconiſq; fa
bulas. *i* Africanus Origeni, *k* Porphyrius vero Chri-
ſtianis obiecerunt ex fonte Græco haberi Danielē,
& nō eſſe Scripturā Hebræis datā; Quia alluſio illa

a Hier. præfat. in lib. Eſther.

b Apud Bellar. de verbo Dei lib. 1. c. 7.

c Hier. præfat. in Hierem.

d Driedo de ſcrip. & dog. Eccl. l. 1. c. vlt.

e Atha. Epi. ad Serapionem.

f Apud Bel. de verbo Dei l. 1. c. 8.

g Hieron. procem. in Ezech. ad Euſtochium.

h Bell. de verbo Dei lib. 1. c. 9.

i Hier. præfat. in Dan.

k Idem procem in Dan. ad

Lamach. & Marcellam & Euſeb. lib. 6. c. 24.
a Hier. in eodem procem.
b Ibid.

verborum Schini, & Prini, in ſolo Græco idiomate poteſt haberi. Quare & a Origenes & Euſebius, & Apollinarius Porphirium confutabant, dicentes, Suſannæ, Beliq; ac Draconis fabulas in Hebraico non contineri: Et ſic tam iſti, quam alij Eccleſiaſtici viri, & doctores Græciæ, inquit b Hieronymus, has viſiones non haberi apud Hebræos fatetur; nec, ſe reſpondere, aiūt, debere Porphirio pro his quæ nullam Scripturæ ſanctæ autoritatē præbeant. Monetque idē Hieronymus has partes ex Theodotionis tantum interpretatione in Eccleſiis haberi: qui tamen poſt aduentum Chriſti incredulus fuit, vel Hebionita. Et Origenes, ac ipſe Hieronymus, in ſua Biblia has partes poſuerūt quidem, ſed obelis & aſteriſcis notatas, vt pateret legentibus vel defuiſſe quæ addita erant, vel eſſe ſuperflua. Et Auguſtinus c negat inueniri tempora, quibus tres ex minoribus prophetarunt Abdias, Naum, & Abacuc, & tamen ex cap. 14. Danielis habetur Abacuc Propheta prandium ad Danielem in lacu Leonum poſitum referens. Sed Aug. apocryphum eſſe caput illud ſciebat, nec eo vti voluit.

c Aug. de ciuit. Dei l. 18. c. 31.

XXVIII. Quatuor ſunt argumenta ferme ordinaria, quib. Bellarminus hęc Apocrypha, & ſimilia conatur facere canonica, quę tamē tot antiqui grauiſſimiq; Patres, vt Hieronymus refert, penitus contēpſerunt: & ex recentioribus etiā Ioannes Driedo. vbi ſupra: contra quos niti eſt in caſſum laborare. *d Primum argumentū eſt ex Autoritate Concilij Tridentini.* Et hoc iam errorem poſt errorē vocat: Proteſtantes cæperant apertiorib. oculis ſacra eloquia perluſtrare: & vere canonicas ſcripturas à nō canonicis ſeparare: Quid Patres Tridentini? ſuas non poterant nænias ex ſacra Scriptura vere canonica probare, ideoq; noluerunt permittere, vt ſibi aliæ Scripturæ etiā non canonicæ eriperentur, quo ſuas qualeſcunq; haberēt pharetras, vnde ſpicula deſumerēt: Ac præterea, ne viderentur re in aliqua proteſtantib. cedere, aut cōſentire, maluerunt etiā falſa tueri & definire. Errauit igitur grauiſſime Conciliū, dum Apocryphas, & ex parte fabuloſas, pro ſacroſanctis nobis obtrudit ſcripturis. Iam vero qui Conciliū tueri volunt, neceſſe eſt, vt manifeſtos errores tueantur. *Secundū argumentū eſt, quod Eccleſia legit publice has partes.* Reſpōdeo vt ſupra, Quod in Romana Eccleſia legitur, nō etiā in vniuerſali Eccleſia legitur. Quoties Breuiaria ſunt reformata? Quot legendas fabuloſas illa aliquādo continebāt? Sed neq; ſequitur diuinā eſſe Scripturam, quia in Eccleſiis legitur. Nam etiā Scripturæ piæ, & non diuinæ, in Eccleſiis leguntur. *Tertium, quod illis etiā partib. Patres vtantur tanquam diuinæ autoritatis ſcripturis.* Reſpondeo, vt ſupra, etiā ſcripturis ſecundi ordinis ſolere Patres vti, ad mores præſertim, & veritatū corroborationē: Neq; mirū eſt, ꝙ aliqui diuinā eſſe Scripturam aliquam putēt, quā alij diuinam eſſe negēt: ſed vere diuina non eſt, aut ſaltē ꝓ diuina in Eccleſia non debet abſolute haberi, niſi quā tota Eccleſia pro diuina ſemper habuit, & habet. *Quartum argumentum eſt, quia Concilia & Patres in canone Danielē ponentes, illum Danielis librūm ponebant, quē Eccleſia tunc legebat, quemq; vulgati tunc Græci codices continebant. Is vero illas etiā partes habebat:* Reſpōdeo codices vulgatos tunc, vt etiā nunc noſtri, vtriuſq; ordinis libros cōtinuiſſe; etiā iſta additamēta: ſed in ipſis codicib. plane cōſtabat, ꝙ partes eſſēt nō canonicæ. Audiamus Hieronymū, e vnde & nos ante años plurimos cū verteremus Danielē, has viſiones obelo prænotauimus. Sed & Origenes de Theodotionis opere in editiōe vulgata aſteriſcos poſuit. Cumq; omnis Chriſti Eccleſia, tam Græcorū, quā Latinorum, Syrorumq;, & Ægyptiorū hanc ſub aſteriſcis & obelis editionē legant, &c.] Canonicum ergo erat in Scriptura tunc vulgatæ editionis, quicqd ſine obelo & aſteriſco in ea legebatur: & ita qui libros aliquē in canone recenſebant, ad canonē illū ſpectare ex ea parte ſciebant, quæ obelis careret, & aſteriſcis. Quicquid n. veteris Scripturæ in vulgata habebatur, quod Hebraica nō haberet, id perpetuo aſteriſco prænotabatur, aut etiā obelo: vt hoc pacto lector diſtingueret Canonicas partes à nō canonicis: Et neceſſarias à ſuperfluis. Et ſi Concilij Tridentini Patres ſua vulgata Biblia ſub obelis & aſteriſcis, vt prius fuerunt, habuiſſent, nunquā illa cum omnibus partibus tāquam diuina acceptaſſent, & nobis acceptanda propoſuiſſent. Mens tamen ipſorū fuit non veritatem inquirere, ſed errores Romanæ curiæ ſtabilire; ac Proteſtantibus in omnibus refragari, etiam vbi illi apertiſſimam docerent veritatem.

d Bell. de verbo Dei l. 1. c. 9.
e Hier. in procem. in Dan. ad Pammac. &c.

XXIX. Ex regula à me pro veteri Scriptura poſita, vt illi ſoli ſint libri Canonici proprie, quos Hebraicus, tēpore Chriſti & Apoſtolorū, continebat canon, ſequitur Canonicos proprie non eſſe libros integros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorū. Ac propterea canon, ſeu catalogus veteris Eccleſiæ, à Melitone, Origene, Athanaſio, Cōcilio Laodiceno, Hilario, Nazianzeno, Cyrillo Hieroſolymitano, Epiphanio, Hieronymo, Ruffino, Amphilochio, Leontio, ac Ioanne Damaſceno deſcriptus, nullū ex his quinq; libris continet: quod etiā eſt argumentū irrefragabile, in Catholica Eccleſia Hebræorū Canonē fuiſſe certam regulā pro canonicis libris veteris teſtamēti. Siquidē à ſecundo ferme vſq; ad octauū poſt Chriſtum ſæculū habemus continuatis tēporibus editos à nominatis Patribus canones ſacrarū ſcripturarum, qui omnes vnanimi conſenſu illos quinq; libros ex canone excluſerūt, vel eorū omiſſione, vel etiā expreſſa amotione. Origenes recenſitis libris veteris Scripturæ Canonicis, ait; *f Extra numerū iſtorū, ſunt libri Machabaici.*] Athanaſi⁹ poſt enumeratos libros canonicos, addit; *g Sapientia Salomonis: Sapientia Ieſu filij Syrach; Eſther; Iudith; Tobia; Iſti ſunt libri veteris inſtrumēti, non Canonici. Quidā vero ex veterib. apud Hebræos pro canonicis reputari dixerunt librū Eſther, & Hiſtoriā Ruth: quam cū hiſtoriis iudicum vno libro cōprehendi: Eſther vero ad aliud quoddā volumen canonicum pertinere. Et tot quidē ſunt, & eiuſmodi cum in canone, tum extra canonē veteris inſtrumenti libri.*] Et ita Atha. abſolute extra canonē ponit Sapientiā, Eccleſiaſticū, Iudith, & Tobiā: Machabęorū nec meminit quidē. Cyril. Hieroſol. deſcripto ſuo canone, hæc addit; *h Reliqua omnia extranea, ſecundoq; loco habeantur: Et quæ in Eccleſiis non leguntur, ea omnia neq; per te legas.*] Innuit extraneorū nō canonicorū eſſe duos ordines; vnū eorū librorū, qui vt boni & pij in Eccleſiis legebātur: alterū Apocryphorū, & penitus reijciendorū: Illos vero quinq; in Eccleſiis legi ſolitos eſt certiſſimū: ſed nō propterea erant canonici. Hilar. 22. libros veteris Teſtamēti cū cōmuni Hebræorū canone iuxta numerum alphabeti Hebraici literarum 22. numerauit: mox hæc addidit; *i Quibuſdam autem viſum eſt, additis Tobia & Iudith 24. libros ſecundum numerum Græcarum literarum connumerare.*] Hebraicos libros ad normā Græci alphabeti, & nō Hebraici numerare, nō videtur rei cōſentaneum. Et Hilar. alicuius priuati Græci doctoris priuatā opinionē parum probabilē cōmemorat, non vſum Eccleſiæ recēſet, qui prius iuxta cōmunem Eccleſię vſum canonē poſuit, in quo nullus ex his quinque libris recenſetur. Epiph. k & ipſe, dato cōmuni canone ſine his libris, addit: *Atq; hi ſunt 27. libri à Deo Iudæis dati; verum 22. iuxta numerum Hebraicum literarū numerati: propterea quod decem libri in quinq; duplicantur. Sunt & alij duo libri apud*

f Euſeb. l. 6. c. 19.
g Ath. in Synopſ.
h Cyrill. Hiero catech. 4.
i Hilar. prologo in pſalmos.
k Epiph. hær. 8.

ipſos ambiguæ lectionis, Sapientia Syrach. & Salomonis, citra alios quoſdam libros Apocryphos;] profectò Iudith, Tobiam, & Machabæos. Quid vero ſit illud eſſe illos duos ambiguæ lectionis, explicat alio loco clarius, ita ſcribens; *a Duo libri verſu ſcripti, Salomonis Sapientia Panaretus ab omni virtute appellata, & Sapiētia Ieſu filij Syrach vtiles quidē ſunt, & cōmodi, ſed in numerum receptorū non referuntur. Quare neq; in Aaron. neq; in teſtamenti arcā repoſiti ſunt.*] Ruffinus hæc habet; *b Sciendū tamen eſt, quod, & alij libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à maiorib. appellati ſunt: vt eſt Sapientia Salomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filij Syrach: qui liber hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus appellatur. Eiuſdē ordinis eſt libellus Tobiæ, & Iudith. & Machabæorū libri.*] De ſolis vero canonicis quos abſq; his quinq; recēſuerat illud ꝓtulit idē Ruffinus: *Hæc ſunt, quæ Patres intra canonē concluſerunt, ex quib. fidei noſtræ aſſertiones cōſtare voluerunt.*] c Damaſc. ſimiliter eoſdē excludit. Sed Hierony. noſter vt omniū fortiſſimus, quippe ſcripturarū peritiſſimus, claudat agmen. Is poſito communi Hebræorū canone, ait *ſe eos libros vertiſſe in Latinū, & catalogū deſcripſiſſe* d *vt ſcire, valeamus, quicquid extra hos eſt, inter Apocrypha eſſe ponendū.*] Ac pergit; *Igitur Sapiētia, quæ vulgo Salomonis inſcribitur, & Ieſu filii Syrach liber, & Iudith & Tobias, & Paſtor, nō ſunt in canone. Machabæorū primum librū Hebraicum reperi: ſecundus Græcus eſt, quod ex ipſa quoq; phraſi probari poteſt.*] Et de iiſdē libris rurſus ait: *Fertur & Paneretos Ieſu filii Syrach liber: & alius pſeudepigraphus, qui Sapientia Salomonis inſcribitur: quorum priorē Hebraicū reperi: nō Eccleſiaſticū, vt apud Latinos, ſed Parabolas prænotatum: Secundus apud Hebræos nuſquā eſt: quin & ipſe ſtylus græcam eloquentiā redolet:* Et nonnulli ſcriptorū veterū *hunc eſſe Iudæi Philonis affirmant. Sicut ergo Iudith, & Tobiæ & Machabæorū libros legit quidē Eccleſia, ſed eos inter canonicas ſcripturas non recepit: ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis; nō ad autoritatem Eccleſiaſticorū dogmatum confirmandam.*] Hæc Hieronymus.

a Idem de menſur. & ponder.

b Ruffin. in ſymb. Apo. inter opera Cypriani.

c Damaſ. l. 4. c. 18.

d Hier. in prologo galeato.

XXX. Quid ergo Bellarminus e ſolos Hebræos facit Autores illorū quinque librorum ex canone excludendorum; & cum Hebræis hæreticos, quos ipſe vocat, coniungit? Hieronymum ſolum adducit, nō vt excludentem eoſdem libros, ſed vt atteſtantem Hebræos illos excludere. Et tamen Hieronymus ipſe expreſſe eōs excludit. Excludūt expreſſe etiam Origenes, Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius, Epiphanius, Ruffinus, Damaſcenus. Excludunt præterea per omiſſionem Melito, Origenes, Nazianzenus, Concilium Laodicenum, & Leontius. Cum his negotium habere debuiſſet Bellarminus, non cum Magdeburgenſibus, Luthero, Caluino, Kemnitio, Brentio, & ſimilibus: iſti ſunt diſcipuli; illi magiſtri: Magiſtros aggredi debuiſſet. Sunt igitur boni illi quinque libri; ſunt pij, ſunt vtiles, vt monebat Epiphanius: Et in Eccleſiis legebantur, vt colligebāt ex Cyrillo: & Patres in ſuis ſcriptionibus illis vtebantur, etiam ad dogmata non inducenda, ſed corroboranda: attamen vere Canonici neq; erant, neq; pro vere Canonicis habebantur.

e Bellar. de verbo Dei l. 1. c. 10.

XXXI. Opponit nobis Bellarminus Concilium Carthaginenſe tertium, quod canone 47. recenſet, canonem librorum ſacrorum, in quo adſunt hi quinque libri. Sic Concilium Tridentinum. Opponit ſimiliter Innocentij primi ſimilem canonem in Epiſtola ad Exuperium. Item Gelaſij Decretum de ſacris libris. Opponit Patres, Auguſtinū de doctrina Chriſti. l. 2. c. 8. Iſidorum: Caſſiodorum; & Rabanū, qui canonem eundem recenſent, & ſimul hos 5. libros numerant cum reliquis canonicis, vt infallibilis veritatis. At ego his oppono multo plures ſupra citatos & productos, & multo maioris autoritatis, ſciētiæ, & doctrinæ. De Auguſtino dicā paulo poſt. Certe Conciliū illud Carthaginenſe quod vocatur tertiū, canonē hunc non habet. Editus n. canon ille eſt nō nullis poſt añis, iam tēpore Bonifacij, vt ex ipſo canone conſtat. Tunc vero Patres illi omnes ſacros libros, in vnum codicē colligebant, & opportunū eſſe cenſebant, ſi oēs libros, qui in Eccleſiis tum legebātur, etiā illos pios & nō vere Canonicos, ſimul vnico volumine cōplecterētur, & hoc conſiliū cōmunicandū eſſe tranſmarinis ſtatuit. *f Hoc etiā*, inquiunt, *fratri & conſacerdoti noſtro Bonifacio, vel aliis earū partiū Epiſcopis, pro confirmādo iſto canone, innoteſcat: Quia à Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.*] Ecce igitur catalogū conficiunt quem canonem vocāt, in quo oēs libri qui in Eccleſia tunc legerentur, omniū oculis expoſiti paterent. At certū eſt, pter libros vere Canonicos & diuinos, primi ordinis, etiā non Canonicos ſecūdi ordinis, ſed pios & vtiles fuiſſe lectos. vt ex Cyrillo & Epiphanio oſtendebā, & fatetur g Hieronymus. Idē conſiliū fuerat paulo ante Iñocentij; idē Gelaſij; idē Auguſtini, Iſidori, Caſſiodori, & Rabani. Et antiquiores quidē illi Patres ac Cōcilia canonē ſuū ex ſolis primi ordinis libris conficiebant, quos ſolos vere diuinos eſſe cognoſcebāt, quos tamē vt oſtendi etiā poſteriores Leontius & Damaſ. ſunt ſecuti, & ante quadringētos circiter abhinc annos Hugo de S. Victore, † qui expreſſe excluſit è canone veteris teſtamenti Sapientiā, & Eccleſiaſticū, libros itē Iudith, & Tobiæ, & Machabæorū. Innocentius tamē & Auguſt. in ſuū canonē etiā ſecundi ordinis libros poſuerunt; & quia in ipſorū canone erant, inde oēs indifferenter Canonicos vocauerūt: admiſſa nimirū iā differentia, *inter Canonicos diuinos, & Canonicos nō diuinos*; pios tamē, ſacros, & vtiles, ad diſtinctionē Apocryphorū illorum, qui reiectanei eſſent, & ab Eccleſia penitus abijciendi, vt ſuum h Cyrillus inſtruebat Catechumenum.

f Cod. canonum Eccl. Afri. c. 24. & in Conc. Carthag. 3. c. 47.

g Hier. præfat. in libros Salo.

† Hugo in prologo li. 1. de Sacr.

h Cyril catech. 4. illuminat.

XXXII. Auguſtin. ſane duplicem in Eccleſia ſuo tēpore videbat ſacrarū Scripturarum canonē, vnum anguſtiorem, quo ſolæ diuinæ Scripturæ indubitatæ, & ab omnib. Eccleſiis pro talibus habitæ continerentur: Et hunc canonem videbat apud Melitonē Aſiaticum, Origenem, Athanaſium, Nazianzenū, Concilium Laodicenum, Cyrillum Hieroſolymitanū, Epiphanium, Hilarium, Hieronymū: Alterum ampliorē, & nuperū ab Innocentio traditū, & in Concilio Africano ipſomet fortaſſe Auguſtino præſente, ꝓpoſitum. De priore ſic loquitur: *i Neq; ſine cauſa tam ſalubri vigilantia Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi prophetarum, & Apoſtolorum libri pertineant: quos omnino iudicare non audeamus; & ſecundum quos de ceteris literis, vel fidelium, vel infideliū, libere iudicemus.*] Hoc eſt ſacrarum literarum priuilegium, vt ab omni falſitate ſint penitus immunes. k Ego, *inquit alibi*, ſolis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, vt nullum eorum Autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam.] Et hoc priuilegium Auguſtinus tribuit etiam libris ſecundi ordinis, vt ab omni periculo falſitatis & deceptionis ſint immunes. Nam illos quoque ipſe diuinos eſſe putat, licet longe inferioris autoritatis, quam ſint priores in primo ordine poſiti. Videbat in recentē canonem redactos omnes libros etiā ſecundi ordinis, excluſis illis ſolis, qui eſſent in tertio ordine, omnino abijciendi; ſed etiā aduertebat in autoritate non eſſe pares, cū libris primi ordinis. Si n. omnes libri, quos ob generalem canonē vocat Canonicos, eſſent vere & indubitāter diuini à Spi-

i Aug. con. Creſc. l. 2. c. 31.

k Idem Epiſt. 19. ad Hieron.

ritu ſancto dictati, omnes æquam haberent autoritatem: non tamen habent. *a* Ait enim Auguſtinus: Tenebit igitur hunc modum in ſcripturis canonicis; vt eas quæ ab omnibus accipiūtur Eccleſiis Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiūt. In eis vero, quæ non accipiuntur ab omnibus præponat eas quas plures grauioreſq; accipiūt eis, quas pauciores, minoriſq; autoritatis Eccleſiæ tenēt: Si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauiorib. haberi, quanquam hoc inueniri non poſſit, ęqualis tamen autoritatis habendas puto: Totus a. Canon ſcripturarum, in quo iſtam conſiderationē verſandā dicimus, his libris continetur.] Libri porro ſunt apud Auguſtinum 44. nimitū 5. Moyſis. Sextus Ioſuæ. Septimus Iudicum. Octauus Ruth. 9. 10. 11. 12. Regnorū. 13. 14. Paral: 15. Iob. 16. Tob. 17. Heſt. 18. Iudith. 19. 20. Machab. 21. 22. Eſd. 23. Pſal. 24. Prou. 25. Canticū canticorū. 26. Eccleſiaſtes. 27. & 28. Sapientia & Eccleſiaſticus; quatuor Prophetę maiores. Sunt 32. & 12. minores, ſunt 44.

a Idem de doct. Chri. l. 2. c. 8.

XXXIII. Hic iam planum eſt de his ipſis libris huius Canonis, Auguſtinum expreſſiſſe, eos non omnes eſſe æqualis autoritatis. Et tamen omnes hos agnoſcit & fatetur eſſe Canonicos. Vertat ſe quo vult Bellarminus, *b* Conciliorum definitionibus ſe & Auguſtinum excuſet: certe Auguſtinus ipſos Canonicos libros, qui iam eſſent in canone nouo Eccleſiaſtico, inæqualis facit autoritatis: Et nouit aliquos ex his eſſe plene indubitatos, & ab omnibus recipi Eccleſiis, & pro diuinis haberi: & in his plenā profecto & diuinā ponit autoritatem: aliquos vero nō ita. Cū igitur illi libri, qui ab omnib. Eccleſiis non recipiūtur, minoris ſint autoritatis in Eccleſia, quā illi qui ab omnibus, non erit ipſorū diuina autoritas: quia diuina autoritas nō ſuſcipit magis & minus. Habebūt ergo autoritatem magnā illi quidem, quia Canonici ſunt, & non apocryphi, nec reiecti; non tamen diuinā ſed humanā. Et conſequenter ad probāda dogmata quæ ſint de fide, non inſeruiēt: quia fides non niſi diuinâ indubitatâq; autoritate ſtabilitur: ad pietatē tamen & mores optime inſeruiūt; & ſuā etiā dogmatibus, rebuſq; fidei addunt corroborationē, ob adiectum antiquū Eccleſiæ ſenſum circa res fidei, in ſcripturis primæ autoritatis; hoc eſt diuinę, reuelatas & in eo ſenſu in veteri Eccleſia acceptas. Hæc ergo autoritas, quæ tandem nō niſi humana eſt, fecit, vt Eccleſia libenter eos libros reciperet & legeret, in ſuoq; canone retineret, cū eorum tantūmodo reiectione, qui apocryphi & nullius fidei eſſent, imo etiā fabuloſi; de quibus ſic Auguſtinus; *c* *Omittamus igitur*, inquit, *earum ſcripturarū fabulas, quæ Apocrypha nuncupātur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, à quibus vſq; ad nos veraciū ſcripturarum certiſſima & notiſſima ſucceſſione peruenit. In his autem Apocryphis, etſi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt Canonica autoritas.*] ſed ipſa Canonica autoritas, vt vidimus, gradus habet: nec tota eſt diuina.

b Bellar. de verbo Dei l. 1. c. 10. §. Reſpondeo B. Auguſtinum.

c Augu. de ciuit. Dei lib. 15. c. 23.

XXXIV. Vtuntur profecto Patres etiam ad dogmata cōfirmanda illis ſcripturis, quæ ab omnibus Eccleſiis non recipiuntur vt diuinæ, quia & illę Canonicæ ſunt ſuo modo, & à periculo falſitatis immunes, & interim ſaltem humanam, vt dixi, habent autoritatem, quatenus antiquū Eccleſię ſenſum proferunt, docentq; quomodo res aliqua fidei olim in Eccleſia intelligeretur circa obſcuriorem aliquē ſcripturarum vere diuinarū locum. Sed tamen Patres ſcripturis illis ſecundi ordinis, tanquam diuinæ autoritatis ſcripturis vti non inuenio in dogmatibus deducēdis. Certe Auguſtinus in Eccleſiaſtico ſcripturarum ſacrarum canone poſuit Sapientiā, & Eccleſiaſticum: & tamen *d* fatetur eos non eſſe Salomonis, niſi ad ſimilitudinem. Et addit: *Qui tamen quoniam in autoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt.*] Quid eſt illud, *meruerunt recipi in autoritatem*? niſi quod eos vt diuinos Eccleſia vniuerſa non recepit; vt bonos tamē & pios, & lectu dignos cenſuit, nec vt Apocryphos & ſpurios reiecit. Et cū aliquando Auguſtinus contra Pelagianos, libro Sapientię vſus fuiſſet, *e* obiecerūt ei aduerſarij in Galliis Catholici, librum ſapientiæ non eſſe canonicū: Non igitur omnes Eccleſiæ librum illū pro diuino legebāt, neq; illum in canone vere diuinorum habebant. Neq; Auguſtinus reſpondit librum illū ab omnibus Eccleſiis vt diuinum recipi: ſed tantūmodo, librū illum ſua autoritate non carere, quia multi etiā diuinam ei tribuunt autoritatē: *f* *Qui ſententiis*, inquit, *tractatorū inſtrui volunt, oportet vt iſtum librum ſapientiæ omnib. tractatoribus anteponant: quoniam ſibi eū antepoſuerunt, etiam tēporibus proximi Apoſtolorum egregij tractatores, qui eum teſtem adhibentes nihil ſe adhibere, niſi diuinum teſtimonium crediderunt.*] Ac profert Cyprianum huius libri autoritate vtentem: ſeu potius ſimilem doctrinā doctrinæ in hoc libro traditæ, de iuſto morte præoccupato *g* ne malitia mutaret intellectum eius, defendentem. Mox addit Auguſtinus: *Nec ideo liber ſapientiæ, qui tanta numeroſitate annorum legi meruit in Eccleſia Chriſti, pati debet iniuriam, &c.*] Et cum rurſus idem Auguſtinus alio ex libro ſapientiæ loco vteretur, ſic loquitur; *h* *Et de continentia legitur in libro ſapientiæ: Cuius autoritate vſi ſunt magni & docti viri, qui longe ante nos eloquia diuina tractarunt.*] Cur non ait illum librum eſſe ab omnibus Eccleſiis pro diuino receptum? Quia ſciebat ita non eſſe: & cōſequenter ſecundum ipſius regulam, non eſt tantæ autoritatis, quantæ ſunt illi libri, qui omnium conſenſu diuini habentur. Aliqua tamen autoritate illum pollere contendit, quia aliqui viri docti illo, tanquam diuino, vſi ſunt: diuinam tamen autoritatem non habebit, quia licet diuinus eſſet, cum ab omnibus pro tali non habeatur, plenam diuinam apud nos non obtinet autoritatem. Et Auguſtinus illi libro conciliare cupit aliquam autoritatem, ne reſpuatur, vbi diuinę gratiæ fauere oſtenditur, diuinam tamen illam plenam autoritatem ei tribuere non enititur. Neque enim obijcientibus illum librum non eſſe Canonicum (hoc eſt primi ordinis) reſiſtit, nec probat illum à tota Eccleſia eſſe receptum: ſed quia in aliquibus pro diuino habetur, hinc vult illum tantam habere autoritatem, quanta ſufficit, vt cuicunq; priuato tractatori præferatur, non tamen quæ rem abſolute faciat de fide.

d Idem de doct. Chriſti l. 2. c. 8. & Retract. l. 2. c. 4.

e Hilarius epiſt. ad Auguſt. ante librum de prædeſt. ſanct.

f Aug. de prædeſt. ſanct. l. 1. c. 14.

g Sap. 4. 11.

h Augu. de bono perſeu. c. 17.

XXXV. Tertullianus quoq; Euangelium, cui tanquā diuino ſcripto credendū ſit, inde duntaxat probat, Si ab omnibus perpetuo receptū fuerit Chriſti Eccleſiis. Sic enim ſcribit: *i* *Ego meum Euangeliū dico verum; Marcion ſuum: Ego Marcionis affirmo adulteratū, Marcion meum: Quis inter nos determinabit? niſi tēporis ratio ei præſcribens autoritatē, quod antiquius reperietur; & ei præiudicans vitiationē quod poſterius reuincetur.*] Et paulo poſt: *Dico itaq; apud illas Eccleſias nō ſolas iā Apoſtolicas, ſed apud vniuerſas quæ illis de ſocietate ſacramenti confœderātur, id Euangelium ſtare, &c.*] Nō ſufficit ergo vniuerſalitas Eccleſiarū ad probandum librum eſſe Canonicū, niſi etiā adſit vetuſtas & antiquitas: Nec vera & tuta traditio eſt, quę ſolam habeat vniuerſalitatē, niſi etiam habeat antiquitatem. *Id enim verius*, inquit ibidē Tertullianus, *quod eſt ſerius*? quod ſequenti capite cōſiderabimus. Canonici ergo ꝓprie erūt, qui ſunt

i Tertull. adu. Marcion. l. 4.

ſunt vniuerſaliter pro diuinis accepti: non canonici vero proprie erunt, qui dubietatem admittunt. Et ita antiquiores Auguſtino Patres, etiam Hieronymus, nunquam vocant librum canonicum, qui non ſit certiſſime diuinus, & vt talis ab vniuerſa Eccleſia lectus, & acceptus. Ipſe tamen Auguſtinus propter nouum canonem nuper ampliatum, & ſecundi ordinis libris non vere nec proprie canonicis auctum, iam vocat canonicos, etiam illos, qui dubietatem admittunt, neq; certo conſtat eos eſſe diuinos. Sic etiam Concilium Nicęnum in numero ſanctarum ſcripturarum computandum eſſe cenſuit librum Iudith, vt ait Hieronymus: non quod ex non canonico canonicum proprie fecerit; ſed quia in Eccleſiis tum tuto legi poſſe cenſuit. Alioquin ſi eſſe vere & proprie canonicum ac diuinum definiuiſſet, quomodo Hieronymus ibidem dixiſſet, Autoritatem huius libri ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idoneam iudicari?]

XXXVI. Quicunq; itaque libri ſacri olim indubitati fuerunt, hodie adhuc ſunt certi, & indubitati ac diuini: & quicunque olim dubium verum admiſerunt, dubium deponere ſine ſpeciali diuina reuelatione nunquam potuerunt: ſed adhuc hodieque ſub dubietate manent. Neque Eccleſia auferre poteſt dubium: quia, vt iam docui, Eccleſia non facit librum canonicum in actu ſignato; ſed in actu tantum exercito; Tota etenim Eccleſia iam inde ab initio librum illum vt diuinum indubitanter accepit, & per ſucceſſiones illum ſequentibus tradidit. Quod ſi initio Eccleſia vniuerſa aliquem librum indubitatum non habuit, quomodo poſtea, ſine ſpeciali reuelatione poterit ipſa Eccleſia vniuerſa indubitatum habere? Quod ſi Eccleſia vniuerſa indubitatum non habet, neq; poteſt eum, vt indubitatum, ſuis poſteris tradere: ac multo minus poterit illum pro indubitato declarare, & definire. Nec valet obiectio *a* Bellarmini, de libro Iudith in Concilio Nicæno in numero ſanctarum ſcripturarum computato: Id enim non fuit in canonem verum recipere, vt modo dicebam, ſed in ſecũdo ordine ſcripturarum ſanctarum illum collocare: ac declarare ipſum poſſe tuto, vt ſacrum & pium, in Eccleſiis legi. Neque ſatis eſt quod aliqui olim habuerint librum aliquem pro diuino, & id ſatis eſſe contendit Bellarminus, vt poſtea Eccleſia non temere nec pro arbitratu, ſed ex veterum teſtimoniis poſſit librum eſſe canonicum declarare; *quaſi ex communi*, inquit, *conſenſu & guſtu populi Chriſtiani, vt de Iacobi Epiſtola refert b Hieronymus.*]Non eſt, inquam, ſatis: quia quę ſcripturæ olim dubiæ fuerunt, perpetuo dubietatem retinuerunt. Nam etiam Damaſcenus poſt octingentos ferme Eccleſiæ Chriſtianæ annos, adhuc dubias ſcripturas reliquit dubias: Et traditio, quæ ſola ſcripturas conſeruat, iam locum non habet, quia antiqua non eſt, neq; cum antiquitate coniũcta: Neque res hæc pendet à guſtu & ſenſu ac conſenſu totius etiam populi Chriſtiani; niſi ſcripturá fuerit manifeſte aliquando à Deo, id eſt, ipſo iubente & dictante data, ac per continuatam traditionẽ in Eccleſia vniuerſali indubitanter conſeruata. Neque vllus liber propterea eſt Canonicus, quia omnes Chriſtiani illum tandem pro canonico recipiunt, ſed ideo omnes Chriſtiani librum pro canonico recipiunt, quia omnes antecedentes Chriſtiani illum pro canonico habuerunt, & ſic per manus vſque ad ea tempora, in quibus liber á Deo ſiue ab hominibus indubitanter diuinis datus eſt, notorie, clare, & manifeſte. De Iacobi Epiſtola dicam inferius ſuo loco. Hæc in communi de quinque libris non canonicis. Perperam igitur Tridenti *c* anathema ijs dictum eſt, qui hos libros vt canonicos non recipiunt.

a Bella. de verbo Dei l.1.c.10.
b Hier. de ſcrip. Eccl. in Iacobo.
c Concil. Tri. ſeſſ. 4.

XXXVII. Singulos hoſce libros, non proprie canonicos, ſeorſim excutit Bellarminus, & eos nititur cum cõfirmare, tum ab obiectis vindicare: Ego pauca annotabo. Tobiæ librum eſſe diuinum probat *d* Bellarminus autoritate Cypriani: qui ait; *e Loquitur in ſcripturis diuinis Spiritus ſanctus, & dicit: Eleemoſynis & fide delicta purgantur.*]Fallitur Bellarminus dum hęc ex Tobia deſumpta putat, *f* Tobias enim ait: Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat. Hic nihil de fide, nihil de purgatione. Sed locus eſt in prouerbiis Salomonis; *g Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.* Calliſti Papæ Epiſtolam adducit: ſed illa eſt apocrypha, & nullius fidei. Addit Ambroſium; Ambroſius ad mores libro Tobiæ vtitur, & Tobiam vocat prophetam: eiuſq; librum prophetalem, ſumpto nomine prophetæ in latiori quadã ſignificatione. Nam ſi vere canonicus Propheta fuiſſet, tunc vel eſſent quinq; prophetæ maiores: vel 13. minores. Addit & Baſilium, quem, ait, diuinum præceptum vocare ſententiam quandam ex Tobia deſumptam. Sed Baſilius neq; diuinum pręceptum appellat, nec quicquam ex Tobia producit: verba Baſilij de illo ſunt qui volebat *h* horrea deſtruere, *i* nec vllam inibat rationem illius præcepti: *k Ne deſieris benefacere inopi.* Itemq; *l Eleemoſynæ ac fides ne te deſerant.* Item *m frange eſurienti panem tuum.*] Nihil horum in Tobia. In prouerbiis aliquid ſimile habetur: & ſenſum non verba poſuit Baſilius. Auguſtini demum addit neſcio quod ſpeculum, Auguſtini profecto nomine indigniſſimum: in quo tamen ex Tobia nihil citatum potui veloci tranſcurſu obſeruare. Sed prius iam oſtendi Auguſtinum Canonicas ſcripturas vocare etiam illas, quæ eſſent ſecundi ordinis: quæ tamen vere & proprie non ſunt canonicæ. Et profecto noſter Hieronymus ad elucidationem hiſtorialem vtitur Tobiæ libro, ſed prius illud proloquitur. *n* Liber quoque Tobiæ, licet non habeatur in canone, tamen quia vſurpatur ab Eccleſiaſticis viris, tale quid commemorat, &c.] Hæc de Tobia. De libro Iudith iam ſatis dixi, quẽ vt ab erroribus variis hiſtoricis tueatur *o* Bellarminus, ſatis laborat. Careat tamen ille omni errore, certe Canonicus non eſt, vt oſtendi.

d Bell. vbi ſup. c. 11.
e Cypr. de Op. & Ele.
f Tob. 4. 11.
g Prou. 15. 27.
h Luc. 12. 18.
i Baſil. ho. de auaritia.
k Prou. 3. 27.
l Prou. 15. 27.
m Iſa. 58. 7.
n Hier. in procemio in Ionam.
o Bella. de verbo Dei l.1.c.12.

XXXVIII. Sapientiæ librum vt faciat vere canonicum, varia profert *p* Bellarminus teſtimonia. *Primum eſt Concilii Sardicenſis apud Theodoretum* l. 2. hiſt. c. 8. Ad probandum enim Filium eſſe opificem vniuerſi, vtitur autoritate huius libri c. 7. *Sapientia omnium artifex me docuit.*]Reſpondeo. Concilium Sardicenſe nullius eſſe autoritatis, quia factum in ſchiſmate, vt probaui lib. 4. cap. 8. num. 34. Sed & in ſubſidiũ alicuius veritatis dogmaticæ, iam dixi Patres vſos eſſe hiſce libris, etiam non vere canonicis, imo & expreſſe Apocryphis, ac reiectis. Nam *q* Clemens Alexandrinus vſus eſt Petri Apocalypſi, quæ tamẽ ab omnibus penitus ex libris ſacris excluditur. *Secundum teſtimonium eſt Concilii Toletani ſecundi.* Reſpondeo, ſacrum ideo hunc librum vocari, quia iſti libri quoq; ab antiquis vocantur hagiographi ad diſtinctionem canonicorum. Sunt enim ſacri, quia ad pietatem & ſanctitatem lecti in Eccleſia proſunt: non tamen ſunt vere & proprie Canonici, ac diuini. *Tertium, ex Patribus*: Reſpondeo Dionyſium eadem ratione Sapientiam librum ſacræ ſcripturæ dixiſſe. Melito *r* Sapientiam in canone poſuit; quia Prouerbia etiam ſapientię nomine erant inſignita:

p Ibid. c. 13.
q Apud Euſeb. l. 6. c. 11.
r Ibid. l. 4. c. 25.

ſignita: ſane abſque vllo fundamento librum Sapientiæ nũc dictum, inter Canonicos poſuiſſet. Nam ab Hebræis illum non habuimus, nec Hebraice vnquam à quoquam viſus eſt; nec vnquam Eccleſia vniuerſa eo, vt diuino, indubitanter vſa eſt. Sicut & Amphilochius, tres duntaxat libros dixit eſſe Salomonis, & tamen etiam Sapientiam nominauit ſicut & Prouerbia, pro vno tamen, & eodem libro; tum Eccleſiaſtem, & Canticum. Cyprianus *a* diuinam Scripturam vocat, non illum ſolum ex Sapientia locum quem citat, ſed ſuas ſequentes ibidem citationes. Nam præter Sapiẽtiam producit & Paulũ ad Corinth. 7. & Acta c. 3. & de his omnibus locis ſimul ſumptis, ait *diuinam Scripturam illud dicere*: quia maior horum pars eſt diuina Scriptura: ſed & in latiori ſenſu diuina Scriptura poſſunt & ſolent vocari libri, etiam ſecundi ordinis, quia ſimul cum veris canonicis compinguntur, & leguntur. Et potuit Cyprianus illam priuatam habere opinionem, ſicut & Cyrillus, hunc librum eſſe diuinum, ſed niſi tota Eccleſia illum, vt talem, teneat & legat, priuatæ opiniones vere diuinum non faciunt. De Auguſtino ſatis dixi ſupra num. 32. & oſtendi apud ipſum librum Sapientiæ nõ eſſe vere & proprie diuinum. Negare enim non poterat, pro tali illum ab vniuerſali Eccleſia non haberi. Nã certe Gallicana Eccleſia illum pro canonico non habebat, quæ Auguſtino id obiiciebat: at ſecundum regulam ipſiuſmet Auguſtini ſupra num. 30. poſitam, minoris autoritatis ſunt libri, quos nõ omnes recipiunt, quam illi quos omnes recipiunt. Non ergo ſunt diuinę autoritatis, quia hæc non ſuſcipit magis & minus. Et verum quidem eſt Auguſtinum aliquando dixiſſe Sapientiæ librum eſſe filij Syrach: & poſtea id retractaſſe; non tamen propterea vnquã aſſeruit eſſe librũ Salomonis, vt conſideraui ſuperius n. 32. Quare ſi Sapientiæ libro vtuntur interdũ etiam ad dogmata corroboranda Patres, ſciunt illi quidem librum non eſſe proprie Canonicum; non tamen tãta religione vrgentur, vt nefas putent huiuſmodi libris ſecundi ordinis vti; dummodo dogma aliquod ex his ſolis non deducant, quod ex vere Canonicis nullo modo deduci poſſit. Sic neq; fuit eis religio has quoq; non Canonicas Scripturas vocare diuinas. Diuina enim Scriptura dici merito poteſt quęcũq; de Deo cũ pietate & veritate loquitur: ac multo magis ea, quæ vt ſacra & valde antiqua publice in Eccleſiis legeretur. Epiphanius quoq; diuinum hunc librum facit: ipſum paulo poſt explicabo.

a Cypr de Diſcipl. & hab. virg.

XXXIX. Librum Eccleſiaſtici confirmat *b* Bellarminus *primum* ex Cypriano, *c* qui illum eſſe Salomonis agnoſcit, & Salomonis in Spiritu ſancto conſtituti: vbi de *d* ſacerdotibus honorandis loquitur.] Hoc ipſo Cyprianus aut errare, aut ex vulgari tunc, ſed falſa opinione loqui conuincitur, quod librũ hunc eſſe Salomonis dicat: cum plane communiſſima iã ſententia ſit librũ illum eſſe Ieſu filij Syrach. Quod ſi etiam eſſet Salomonis, & pro libro Salomonis ab omnibus agnoſceretur, non propterea eſt Canonicus, niſi fuerit & ſit in canone. Potuerunt enim ſacrorum librorum ſcriptores alia quoq; ex ſe ſcribere, quæ tamen ſacra & diuina non ſint. *Deinde* confirmat ex Epiphanio, qui *e* Sapientiam, & Eccleſiaſticum cum diuinis libris recenſet, & diuinos vocat. Reſpondeo Epiphaniũ hoc quidẽ loco ex Catalogo Hebraicorum Canonicorum Sapientiam vtranq; : id eſt quam vocat Salomonis, & Ieſu Syrach excluſiſſe. Et poſt nominatos omnes libros Canonicos vtriuſq; teſtamenti, ſapientias haſce recenſuiſſe. Diſputabat enim contra Aëtium Anomæum, qui Ingeniti nomine abutebatur: & obiicit ei, quod in tota ſacra Scriptura nunquam inueniet Deum vocari Ingenitum: & ſic ei nominat omnes libros vere Canonicos. Addit ad finem has Sapientias: vt tanto melius ſuum negatiuum firmet argumentum: videlicet ne in illis quidem libris, qui extra verum canonem ſunt, licet diuini & ipſi in latiori ſignificatione, vt ſuperius explicaui vocentur, ingeniti nomen de Deo inueniri. Tribus tamen aliis locis Epiphanius, vt dixi, catalogum ex profeſſo, & non incidenter, vt hoc loco, ſacrorum librorum texit: vbi neq; hos, neq; alios ſecundi ordinis libros nominat. Conſtat porro ante Chriſtum inter Canonicos libros has Sapientias non fuiſſe cõputatas: quomodo autem poſt Chriſtum, & quando & qua reuelatione in canonem ſunt ingreſſi? & ſi ſunt legitime ingreſſi, cur Epiphanius, & tot alij Patres, imo etiam Damaſcenus, vbi ex Conſilio libros ſacros numerant, eos penitus omittunt? Ante Damaſcenum ergo, per octingẽtos poſt Chriſtum annos, nondum erant canonici, niſi lato modo, & improprie: abſq; plena autoritate, quam tamen libri vere & proprie Canonici pleniſſimam habent. Qui ergo hos libros Sapientiæ, & alios ſimiles ſecundi ordinis, etiam poſt Epiphanium, ſacros & diuinos vocant, vt Ambroſius, & Auguſtinus, ſacri, diuini, & Canonici nomen in latiori ſumunt ſignificatione; ſed ſemper ſub minori autoritate, quam ſint ij, qui primo ordine recenſentur. Certe *f* Iulianus Toletanus Eccleſiaſticum non audet, vt Canonicum, admittere: quoniam ei propterea contradicebatur, quia in Hebræo canone non erat.

b Bell. vbi ſup. c. 14.
c Cypr. l. 3. Ep. 9.
d Eccl. 7. 31. 33.
e Epiph. hær. 76. cap. 5.
f Iul. Tolet. prognoſt. lib. 3. c. 30.

De libris Machabæorum vidimus plures antiquos Patres, in texendo librorum catalogo, ne meminiſſe quidem. Argumentum pro eorum canonica autoritate nullum aliud adeſt, niſi eos diuinos, & ſacros à quibuſdam patribus vocari. De quo argumento iam ſatis dixi. Contra vero inefragabile argumentum eſt, quod nulla alia Scriptura ante aduentum Chriſti promulgata ſit Canonica, niſi quã Chriſtus ipſius vſu approbauit, & ad quam ſuos auditores remittebat: ea vero nec hos libros, nec ſimiles alios continebat. Sed libri Machabæorum ſua peculiaria potiuntur argumenta, quibus ex canone vero & proprio extrudantur. Ego aliquid attigi lib. 5. c. 8. n. 41. Et Bellarminus *g* plura affert, & conatur ſoluere, ſed mihi videntur inſolubilia, & ipſius ſolutiones non puto vlli ſapienti ſatisfacturas. Sed quia in his alij fæliciter laborarunt, mihi ea omittenda eſſe duxi. Non tamen omittam Gregorium libros Machabæorum pro canonicis non habentem: *h Non inordinate*, inquit, *agimus, ſi ex libris licet non canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis, teſtimonium proferamus.*] Et profert exemplum *i* Eleazari, qui ſub elephãnto occubuit. Ignorauitne Romanus magnus Pontifex, qui libri poſt ſex à Chriſto ſæcula, in Eccleſia eſſent Canonici, & qui non eſſent? Et tamen legerat ille Cypriani ſcripta, Nazianzeni, Ambroſij, & Auguſtini hos libros pro Canonicis proferentia: ſed ſciebat Patres illos in non vero & proprio ſenſu eos Canonicos vocaſſe, ideo ipſe abſolute, & rotunde negat eſſe Canonicos. Iam igitur de libris teſtamenti noui pauca attexamus. XL.

g Bell. de verbo Dei l. 1. c. 15.
h Greg. moral. l. 19. c. 13.
i 1. Machab. 6.

De partibus quibuſdam Euangeliorum, Marci, Lucæ, & Ioannis, viguerunt aliquando dubia aliqua, non quod integra illa Euangelia; vt nunc in Eccleſiis leguntur, non fuerint perpetuo ab vniuerſali Chriſtiana Eccleſia communiſſime recepta, ſed quia Apocrypha quædam fuerant à ſciolis inter- XLI.

iuſta

ſuta, aut ad malum aut hæreticum ſenſum alia traducta. Sed expunctis Apocryphis, & vero ſenſu percepto, Euangelia pura, & integra ſubſtiterunt. Epiſtolæ quæ dicuntur Catholicæ, ſemper indubitatæ fuerunt duæ. Prima Petri, & prima Ioannis. Nemo enim ex Catholicis, his contradixiſſe reperitur: & quotquot ex antiquis diuinas noui teſtamenti Scripturas numerant, has duas Epiſtolas recenſent. Aliæ vero quinq; indubitatæ ſemper non fuerunt: nimirum 2. Petri. 2. & 3. Ioannis. Et vnica Iacobi: & vnica Iudę, eas tamen in canone abſolute ponunt Athanaſius, Nazianzenus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Epiphanius hær. 76. Concilium Laodicenum, Concilium Carthaginenſe 3. Auguſtinus, Leontius, & Damaſcenus. At vero *a* Origenes primam Petri ab omnibus approbatam eſſe aſſerit, de 2. ait eſſe controuerſiam. Ita primam Ioannis ab omnibus acceptam fatetur; non ita duas poſteriores. *b* Euſebius quinq; iſtas in dubium vocari aſſerit, à pleriſq; vero eſſe receptas. Hieronymus, de epiſtola Iacobi ait, *c* illam ab alio ſub Iacobi nomine editam aſſeri: tempore tamen procedente obtinuiſſe autoritatem. De ſecunda Petri idem ait, eã à pleriſq; negari: & de Epiſtola Iudæ ait eam à pleriſq; reijci: vetuſtate tamen, & vſu autoritatem meruiſſe, & inter ſanctas Scripturas fuiſſe computatã. Propterea vero ab aliis reiectam, quia ex apocrypho Henochi libro aliquid citat. Propterea Caietanus de his Epiſtolis dubitat, & minoris eas eſſe autoritatis, quam cæteras, cenſet. Regula profecto *d* Auguſtini ad hoc ipſum nos cogit. Siquidem vult minorem autoritatem Scripturas illas apud nos habere, quas non omnes Eccleſiæ, vt indubitatas, recipiunt, quam illas, quas omnes recipiunt. Quod autem ait Hieronymus Epiſtolam Iacobi & Iudæ tempore & vſu autoritatem obtinuiſſe, & inter ſanctas Scripturas fuiſſe repoſitas, intelligit de autoritate ſecundaria, & de loco inter Scripturas ſecundi ordinis. Iam enim docui diuinarum Scripturarum vere diuinam autoritatem vel ex certa & ſpeciali reuelatione diuina haberi, vel ex certa & infallibili traditione ab ipſo Scripturæ cũ prodijt initio, cum Eccleſiæ vniuerſali acceptatione. Quæ enim Scriptura ſemel non eſt Eccleſię toti, tanquam in depoſitum initio tradita, non poteſt amplius vnquam pleniſſimam autoritatem obtinere; ſiquidem præter reuelationem ſpecialem, hæc ſola traditionis, atq; vnica regula eſt, ad ſcripturas confirmandas.

a Apud Euſeb. lib. 6. c. 19.

b Euſeb. l. 3. c. 3. & c. 23. in fine, & c. 19.

c Hier. de ſcrip. Eccl. in Iacobo, Petro, & Iuda.

d Aug. de doct. Chri. l. 2. c. 8 in prin. 25.

XLII. Opinio & probabilitas non ſufficit ad dandam Scripturæ alicui canonicam autoritatem, ſed debet haberi illius certiſſima, & legitima cognitio. Sicut prædicante Chriſto in terris, ſi rumor aliquis ſpargeretur, Chriſtum hoc vel hoc pro concione dixiſſe, id pro Chriſti doctrina non haberetur, niſi adeſſent, qui fide digni pro certo affirmarẽt, ſe propriis auribus id ex Chriſti ore audiuiſſe. Ita Exempli gratia Iacobi Epiſtola ſi cum primum euulgari cæpta eſt, rumor tantum increbuit, illam à Iacobo fratre Domini eſſe ſcriptam, niſi adeſſent, aut adfuiſſe oſtenderentur illi ad quos primum ſcripta eſt, vel ad quorum primum manus vt res notiſſima peruenerit, qui illam Iacobi eſſe ſenſata cognitione ſcirent & publicarent, indeq; per manus certa traditione ſucceſſionum ad poſteros tranſmitterent, fidem plenam nunquam obtinebit. Autoritatem quidem obtinere poterit, eam piam eſſe & doctrinam ſanã continere, ſed à Iacobo ſcriptam eſſe, ſine ſpeciali reuelatione, nunquam conſtabit. Si verum eſſet, quod veriſimile eſſe puto, aliquam Scripturam Canonicam periiſſe, & illa nunc tãdẽ aliũde emergeret, ſine reuelatione ſpeciali illa pro canonica nõ poſſet certo admitti: etiam ſi nominatim in Eccleſiaſticis memorijs conſtaret, talis nominis ſcripturã olim in Eccleſia fuiſſe, & iam non extare; puta Epiſtolam *e* Pauli ad Laodicenſes (ſi tamen ad eos Paulus ſcripſerit, & non potius fuerit Epiſtola aliqua, quam Laodicenſes ad Paulum ſcripſerint) Hæc enim ſi nunc prodiret, quia traditio interrupta eſt, fidem omnino non obtineret, autoritatem aliquã paulatim fortaſſe, ſi vetuſtatis ſecum indicia ferret, aſſequeretur: nunquam tamen vere Canonica fieret, quantumuis Concilia & viri docti id anniterentur.

e Col. 4. 16.

XLIII. Sola itaq; vera traditio ſi adſit pro aliqua Scriptura, illa erit indubitate Canonica: & ſola obiectio defectus traditionis, derogat fidem Scripturis. Ac propterea miror cur *f* Bellarminus laboret contra Eraſmum pro Epiſtola Iacobi, qui Eraſmus obiiciebat Iacobum illum Epiſtolæ ſcriptorem non eſſe Apoſtolum: Quid hoc ad rem? Certe Iacobus frater Domini, primus Hieroſolymorum Epiſcopus, non erat ex 12. Apoſtolis, vt probaui lib. 2. c. 3. Sed neque Lucas neque Marcus fuerunt ex 12. Apoſtolis: & tamen Euangelia ſcripſerunt. Cur Iacobus Domini frater non potuit Canonicum aliquid ſcribere? ſic omnes aliæ ſiue probationes ſiue obiectiones nihil poſſunt aut prodeſſe non Canonicis, aut obeſſe Canonicis; modo traditio vera vel adſit vel abſit. Ego quidem quinque illas Catholicas Epiſtolas, pro vere Canonicis admittere non renuo: ſed ſi ad verum examen rigoroſum ſint reuocandæ, veram regulam diſſimulare non poſſum, neque deſerere; niſi eam oppugnatam ſatis, & expugnatam videro.

f Bell. de verbo Dei l. 1. c. 18.

XLIV. Epiſtola ad Hebræos ſuam aliquandiu paſſa eſt difficultatem, eique *g* Romana quoque Eccleſia aliquando contradixit: & *h* Latini quidam eam Pauli eſſe negarunt, ſed Barnabæ vel Lucæ, vel Clementi Romano tribuerunt. Ideo *i* Caietanus cum Eraſmo illam in dubium reuocauit. Sed aliud eſt de Autore illius Epiſtolæ, aliud de autoritate eiuſdem dubitare. Video quidem de Autore dubium aliquod olim etiam excitatum: ſed de Autoritate huius Epiſtolæ nunquam dubitatum inuenio. Meus vero Lydius lapis eſt traditio. Eam igitur Apoſtolorum tempore ſcriptam, & in Eccleſia acceptam, ac diuulgatam, omnino, etiam ſub Pauli nomine, cerno. Si quidem Clemens Romanus, *k* Pauli diſcipulus in Epiſtola ſua ad Corinthios; quam Euſebius integram & indubitatam habuit (nunc ea caremus) eadem *l* dicendi forma vſus eſt, eoſdemque ſenſus expreſſit. Veteres vero Patres, & Concilium Laodicenum inter Epiſtolas Pauli etiam Epiſtolam ad Hebræos in canone indubitato poſuerunt. Quoniam tamen Paulus Hebræis Hebraice ſcripſiſſe ab antiquis aſſeritur, Chriſtiani vero primæ orientis Eccleſiæ maxima ex parte Græcorum, eam Græce traductam habuerunt, interpretes vero non adeo cogniti fuerunt. (Nam aliqui Lucam, aliqui Barnabam, aliqui Clementem eſſe dixerunt, in quem *m* Euſebius inclinat;) hinc dubium de interprete Epiſtolæ ad Hebræos; tranſijt in dubium de Autore: Auxit interpres dubium, quia ornatius & elegantius, quam Pauli eſſet ſtylus, Paulinas ſententias expoſuerit. *n* Bellarminus excluſit Clementem ne ſit Autor Epiſtolæ eo argumento, quod Clemens ab Euſebio dicatur Epiſtolam ad Hebræos in ſua Epiſtola ad Corinthios citaſſe. Dupliciter errat:

g Apud Euſeb. l. 3. c. 3.

h Hier. de ſcrip. Eccl. in Paulo, & in c. 6. Iſaiæ. & Aug. de ciuit. Dei l. 16. c. 22.

i Caiet. in Epiſt. ad Heb. init.

k Phil. 4. 3.

l Euſeb. l. 3. c. 32.

m Euſeb. l. 3. c. 32. & l. 6. c. 11.

n Bell. de verbo Dei l. 1. c. 17.

primum quia non fuit dubitatum, an Clemens eſſet Autor Epiſtolæ, ſed an interpres: Et ipſe conatur eum excludere, ne ſit Autor. Deinde quia putat Clementem Romanum citaſſe Epiſtolam Pauli ad Hebræos, quod Euſebius non aſſerit: ſed Clementem ait, vſum eadem ſententia, & ijſdem ſenſibus, qui ſunt in Epiſtola ad Hebræos, vt videre eſt in fragmentis quæ Clemens Alexandrinus ex Clemẽtis illa epiſtola profert Strom. lib. 4. & hinc colligit veriſimile eſſe Clementem illam Epiſtolam fuiſſe ex Hebræo in Græcum interpretatum. Sed *a* Clemens Alexandrinus, qui omnino Epiſtolam ad Hebræos Paulinam eſſe, & Hebraice ſcriptam agnouit, Lucam putat fuiſſe illius interpretem, & in ſuis Stromatum libris ſæpius ex hac epiſtola ſententias proferens, eas ait eſſe diuini Apoſtoli, ita lib. 2. præſertim, & 4. Cum itaq; Epiſtola vt Paulina fuerit & edita & accepta, & poſtea dubium de interprete motum initio, apud poſteriores tranſierit in dubiũ de Autore, id nihil poteſt autoritati huius Epiſtolę derogare, quin & ſacra ſit, & vere Paulina. Eccleſię enim perpetuo pro ſacra, & Paulina eam habuerunt, & hodie continuata traditione habẽt. Quod vero aliqui pauci per errorem dubium quod erat de interprete (& hoc ad rem nihil facit) dubium de Autore fecerint: & inde aliqui etiam, aucto errore dubium ad autoritatem tranſtulerint: Epiſtolę ipſi obeſſe nihil poteſt. Matthæi quoque Euangelium, vt communiter ſenſit *b* antiquitas, ab eo eſt Hebraice ſcriptum, neq; id authenticum, & approbatæ fidei extat, & nihilominus Græca tranſlatio fidem plenam obtinuit, etiam in primitiua Eccleſia, quia nimirum ab ipſomet Matthæo recognita fuit, & approbata, tametſi ipſius interpres, qui certus ſit, & indubitatus, ignoretur. Iacobum fratrem Domini Athanaſius: Ioannem Euangeliſtam Theophylactus autumant. Hieronymus *d* ſe Hebraicum Matthæi Euangelium ex Bibliotheca Pamphyli martyris habuiſſe aſſerit, ſed interpretem incertum eſſe ait.

a Apud Euſeb. l. 6. c. 11.
b Iren. l. 3. c. 1. & Euſe. l. 6. c 18. & Hiero. de ſcrip. Euſe. in Matthæo.
c Apud Maldon. præfat. in Matth.
d Hier. vbi ſup.

XLV. Apocalypſin Ioannis inter canonicos libros ita admitto, vt tamen fatear illam non ſemper ſcrupulo aliquo caruiſſe. *e* Marcion hæreticus, & quidã *f* alij eam non admittebant. Sed hoc veritati nihil puto præiudicare. Catholicis olim dubiũ aliquod obortum inuenio circa Apocalypſin: quia nimirum ex ea Hæretici, Cerinthus præſertim, colligebãt fabulam de *g* regno Chriſti poſt mille annos in deliciis & voluptatibus corporeis, vt narrat *h* Caius, & alia figmenta comminiſcebãtur, veluti ſi à magno quodam Apoſtolo eſſent conſcripta. Ex his Cerinthi fabulis, erroribusq; ſpurciſſimis, quos ille Apocalypſi Ioannis perperam tribuebat, aliqui ex Catholicis erga Apocalypſin male affecti, eam *i* antiquare & abiicere conati ſunt. Sed Dionyſius Alexandrinus aduerſus illos eam propugnauit, & à Cerinthi impoſturis liberauit. Quamuis Ioannem illum, qui autor ſeu ſcriptor eſt libri illius, ſubdubitet ipſe Dionyſius, ſit ne Ioannes Euangeliſta, an aliquis alius. Sed non propterea tollit libro diuinã autoritatem; quam abſq; vlla dubitatione, aut hæſitatione Canones omnes antiqui habent. Sed illud antiquorum dubium ad poſteriores etiam non nullos tranſijt. Amphilochius Iconij de hac Ioannis Apocalypſi, ita verſu ſcripſit, Autor quinti ſæculi;

e Tertull. adu. Marc. l. 4.
f Epip. hær. 51. 54.
g Apoc. 20. 4.
h Apud Euſeb. l. 3. c. 22.
i Euſeb. l. 3. c. 19. & lib. 7. c. 20.

k *Aſt Apocalypſim Ioannis aliqui*
Hu inſerunt; id eſt canonicis; *rurſus ſed longe plurimi*
Adulterinam dicunt.

k Amphil. in Bibl. SS. PP. to. 8.

Et Iunilius Africanus ſimiliter quinti ſæculi ſcriptor, de Ioannis Apocalypſi *l* orientales admodum dubitare ſcribit. Et ſeptimo iam ſæculo, ſub Honorio primo huius nominis Papa, in Hiſpaniis non deerant plurimi, qui inter diuinos libros Apocalypſin non recipiebant: quos *m* Concilium quartum Toletanum excommunicatione, vt eum reciperẽt, adigebat. Fortaſſe cum Dionyſio plures olim de Ioanne dubium fouebant, Autorem Apocalypſis nõ eſſe Euangeliſtam Ioannem, ſed alium: at hoc non tollit libro autoritatem, quia diuinus eſt, & Canonicus, etiamſi Ioannis Euangeliſtæ non eſſet, ſed alterius cuiuſcunq; Ioannis Chriſti diſcipuli & aſſeclæ, quod conatur Dionyſius euincere. Non enim neceſſe eſt, vt omnis diuinus liber certum & nominatum habeat ſcriptorem. *n* Sciendum eſt, *inquit Iunilius*, quod quorundam librorum penitus ignorantur Autores; vt & Iudicum, & Ruth, & Regum tertius, & vltimus, & cætera ſimilia. Quod ideo credendum eſt diuinitus diſpenſatum, vt alij quoq; diuini libri, non Autorum merito ſed ſancti Spiritus gratia tantum culmen Autoritatis obtinuiſſe noſcantur.] Epiſtolas quoq; duas poſteriores Ioannis, aliqui non eſſe Ioannis Apoſtoli, ſed alterius *o* Ioannes presbyteri, quem Papias nominat, putauerunt.

l Iunil. Afric. de par. diu. leg. l. 2. c. 4.
m Conc. Tol. 4. c. 16.
n Iunil. vbi ſup. c. 7.
o Hier. de ſcrip. Eccl. in Ioannẽ, in Papia.

XLVI. Atq; hic iam habemus expeditam primam circa ſacram ſcripturam difficultatem ex tribus, quas ſupra n. 7. propoſuimus: *Sola videlicet traditione humana, vera tamen perpetua ab initio, & conſtanti, diuinas ſcripturas proprie canonicas à non proprie diuinis diſcerni, ac ſeparari.* Procedamus ad alias, ſed prius illud moneamus ſacram diuinam ſcripturam olim non fuiſſe ſolis ſacerdotibus datam, ſed toti populo Dei, & ſane illius populi lingua communi: & quando aliis nationibus communicata eſt, lingua eorum ſimiliter communi cõmunicata fuit, vt omnes ex ea diſcerent & inſtruerentur. Quando igitur ex Hebræa Græca facta eſt, omnibus Gręcis innotuit, Chaldęa Chaldæis, Arabibus Arabica, Latinis Latina; &c. Quod ſi plebs inferior, alijq; non plene docti, legere tamen ſcientes, à ſacrę ſcripturę lectione fuiſſent arcendi, Deus ipſe id monuiſſet, iuſſiſſetq; vt omnis natio legeret ſcripturam in alterius, ignota, & non in propriæ nationis nota lingua. Adeoq; præceptũ vt omnibus quidem linguis, ipſa ſacra ſcriptura tranſcriberetur, vſus tamen ipſius communis non eſſet, niſi lingua plebi aliena, etſi ſolis doctis nota. Et ita Græci vterentur ſcriptura Arabica, vel alia; Latini Græca, vel alia, quamdiu latina lingua fuit communis & popularis, & ſic de cæteris. Quæ tamen prohibitio nunquam facta eſt, neq; alias vſus obtinuit: cum planum ſit ſcripturam fuiſſe perpetuo cuiq; populo in propria lingua commendatã, & eam fuiſſe omnibus ſuis legentibus communẽ. Imo & pręcepta extant, vt ſcriptura omnibus pateat, & nemini occultetur, quod à multis eſt iam optime oſtenſum. Cur ergo tantum bonum Romana curia ſubtrahit omnibus ſuis Chriſtianis, vetatq; ne ſinguli ſcripturas in propria lingua habeant: id mihi plane videtur intolerabile. Sed rudes populi cæci à cæcis ducti, ſacrilegas non agnoſcunt Papales excommunicationes, quas ſtulte & imperite timent, ſi lingua vulgari, & ſibi intelligibili ſacram legant ſcripturam. Dei ergo verbum legere, quæ eſt maxima & ſingularis fidelium animæ paſtura, & vniuerſale pabulum à Deo hominibus datum, erit piaculum excommunicatione plectendum? Scio-lus fortaſſe aliquis, & audaculus idiota abutetur interdum ipſa ſacra ſcriptura, ſi ea peruia permittatur. Hæretici omnes ea abuſi ſunt, &c. Nunquid

propterea

propterea abolenda fuit, aut ita occludenda, & in latebris recondenda, vt nemini illa pateret? Stultum remedium, & ſine comparatione morbo grauius. Centum, mille, & decem millia fructum ingentem capient ex ipſa diuina ſcriptura, vbi vnus ille abutatur. Simplices enim, quæ clara & aperta ſunt, facile diſcent & obſeruabunt: difficiliora aut doctioribus relinquent, & ea cum venerãdo ſilentio præteribunt, aut magiſtros conſulẽt, & ab ipſis citra periculum inſtruentur. Nec ſummum & perpetuum commune bonum eſt impediendum, propter leue & rarum, ac in pauciſſimis malum. O miſeros igitur, ac infelices, ſub tanto animarum Tyranno, Chriſtianos! ſed hæc alij iam ſatis deplorarunt. De fonte ſimiliter, & verſionum in alias linguas riuulis, ſatis eſt ab aliis diſputatum. Illud mihi eſt certiſſimum fundamentum, ſolum fontem ex immediata diuinâ peculiari aſſiſtentia fluxiſſe; Interpretes vero diuinam habuiſſe vel habere peculiarem aſſiſtentiam, non conſtare, niſi interpretationem aliquam Apoſtoli approbarint, vt factum puto in Euangelio Matthæi, & Epiſtola Pauli ad Hebræos; vt propterea nemini licuerit, liceatve à proprio genuino ſenſu deflectere, & alium à genuino diuerſum opponere. Venio ad alteram difficultatem, iam proprio capite tractandam.

CAPVT II.

Solam diuinam ſcripturam eſſe theſaurum omnium dogmatum fide diuina credendorum: & Traditiones iam ad habenda dogmata quæ non ſint in ſcriptura nihil inſeruire.

Svmma Capitis.

Reuelatio rerum diuinarum ſaluandis neceſſaria potuit aliquando eſſe interna duntaxat per Spiritum ſanctum à creatura ad Creatorem ducentem. n. 1. 2. 3. 4.

Data deinde eſt reuelatio externa, & efficacior, tum voce, tum ſcriptura, quæ vox & ſcriptura idem efficerent, idem poſſent, vtranque vero Traditio conſeruaret. n. 5. 6. 7. 8.

Quæritur itaque an iam ſola ſcriptura totam fidem comprehendat, an vero etiam aliquis fidei articulus in traditionibus non ſcriptis, qui in ſcriptura non ſit, conſeruetur; ponitur que concluſio, ſolam ſcripturam ſufficere, & contra Traditiones duo probanda proponuntur. 1. Iam, veras traditiones dogmatum nullas dari. 2. Neque eas eſſe aptas ad vllum dogma, quod ſcripturis ſit ignotum, aperiendum n. 9.

Concluſio de ſufficientia ſcripturæ ad habenda omnia dogmata, abſque neceſſitate traditionum, niſi ad veram aliquarum ſcripturarum neceſſariarum intelligentiam cognoſcendam, probatur ratione n. 10. & ex Patribus n. 11. 12 13. 14.

Obiectiones quæ neceſſitatem Traditionum inducunt. n. 15. 16. 17. quæ vero inſufficientiam ſcripturæ colligunt à n. 18 ad n. 25. proponuntur & ſoluuntur.

Traditiones veras iam nullas ad noua dogmata dari per veras regulas probatur, licet ad habendam veram ſcripturarum neceſſariarum intelligentiam plurimum valeant. n. 26. 27.

Obiectiones in contrarium veras traditiones aſſerentes afferuntur, & diluuntur, & primum ex ſcriptura num. 28. 29. 30. Deinde ex Pontificibus Rom. ex Conciliis, & Patribus à num. 31. ad num. 45. Tum demum ex rationibus & argumentis. n. 46. 47. 48.

Regulæ falſæ ad veritatem Traditionum legitimarum indagandam reiiciuntur à num. 49. ad num. 53.

Traditiones inhabiles eſſe ad dogmata ſcripturæ ignota aperienda probatur. n. 54.

Sufficientia ſcripturæ in neceſſariis claræ colligitur, n. 55. In obſcurioribus vero Iudex controuerſiarum requiritur, qui in ſequentibus capitibus indagandus proponitur. n. 56.

I. a Heb. 11. 6

TOTAM fidem diuinam, *a* ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, à ſola diuina reuelatione proficiſci, concedunt, & fatentur omnes diuinarum rerum indagatores: ita vt omnia à Deo Eccleſiæ ſuæ reuelata firma fide credenda ſint; & nihil fide credendum ſit, quod non fuerit à Deo reuelatum. Ita tamen neceſſario omnia reuelata credenda ſunt, vt nihil eorum negetur, nihil tanquam falſum, aut non reuelatum reſpuatur. Deo enim dicenti æque omnia credenda ſunt, quia ille neq; falli, neq; fallere poteſt; ſed non omnia, & ſingula à Deo reuelata certo ſcire, & credere poſitiue, ac in ſpecie, quiſque tenetur: Non enim omnia reuelata neceſſaria ſunt ad ſalutem; quæ vero neceſſaria ſunt, ea omnes, & ſinguli ſaluandi ſcire, & credere tenentur explicite, quantum quiſque capax eſt; de quo poſtea. Alia quæ neceſſaria non ſunt, & tamen reuelata re vera ſunt, ſatis eſt ſaluando, vt ea negatiue, ſeu implicite, vt ita dicam, credat: id eſt, nihil eorum neget, etiamſi in ſpecie illa, quænam ſint, ignoret, & paratus ſit illa quoq; in ſpecie credere explicite, cum primum ſufficienter ei tanquam reuelata fuerint propoſita.

Reuelatio porro à Deo primo homini magis interne per Spiritum, quam externe per vocem, aut ſcripturam facta eſt. Cor ei rectum, & mundum dederat, & conſequenter capax diuinæ internæ per gratiam locutionis: Habebat quidem loco ſcripturæ to- II.

ræ totam creaturam nuperrime à Deo conditam; ex ipſius magnitudine, & pulchritudine, ad Creatorem facile ferebatur; recentem creationem in illa infantili mundi ætate intuebatur; & diuina gratia intus in corde operabatur, vt & Deum ſuũ, mũdiq; creatorem cognoſceret, & altum Redẽptionis, ac Redemptoris myſterium Spiritu interno, diuini opera Spiritus, apprehenderet, vt *a* Paulus poſt-
a Eph. 5. 30. 31. 32.
ea explicauit. Et poſt lapſum protoplaſti diu valde neceſſariam hominibus reuelationem Deus per opera ipſa ſua externa naturæ, & per internum Spiritum, ijs qui mundo, & diſpoſito eſſent corde aperiebat; & hæc reuelatio erat longe ſublimior, vt ait Chryſoſtomus, quam illa, quæ poſtea facta fuit per Scripturam. Ait enim; *b Oportuerat quidẽ nihil nos indigere auxilio literarum, ſed tam mundam exhibere vitã; vt librorum vice gratia Spiritus ſancti vteremur; & ſicut atramento illi, ita corda noſtra inſcriberẽtur à Spiritu. Quia vero hanc à nobis excußimus gratiam, age, vel ad ſecundam nauigationem animum adijciamus. Equidem quod primum illud fuerit profecto ſublimius, & ex verbis ſuis Deus, & ex operibus oſtendit. Nam & Noe, & Abrahæ, eiuſque poſteris, & Iob, & Moſi, non per literas, ſed per ſemetipſum locutus eſt, quia ſcilicet munda eorum corda reppererat. Poſtquam vero omnis populus Iudæorum in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſario iam inde literæ dantur, ac tabulæ, & ea quæ per has adminiſtratur admonitio. Et hoc non tantum veteris teſtamenti ſanctis, ſed etiam noui accidiſſe perſpicimus. Siquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquid tradidit Chriſtus, ſed pro literis, ſancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit: Ille, inquit, ſuggeret vobis omnia. Atque, vt diſcas, quia hoc multo ſit illo melius, audi Dominum per prophetam loquentem: & diſponam, inquit, vobis teſtamentum nouum. Dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum perſcribam eas, & erunt omnes docibiles Dei. Paulus quoque hanc eminentiam deſignando, dicebat c ſe accepiſſe legem, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*]
b Chryſ. in Matt. ho. 1.
c 1. Cor. 3. 3

III. Atque hoc ipſum eſt, quod Paulus conſiderabat Deum etiam gentibus ſe manifeſtaſſe, quia per creaturam viſibilem ad inuiſibilia Dei penetrare poterãt; Spiritu *d* ſane diuino in corde illorum, qui ipſum non abijciunt, operante. Ac proinde etiam *4* Gentes Scriptura carentes naturaliter ea, quæ legis ſunt feciſſe, & legem in cordibus ſcriptam habuiſſe. Hæc enim eſt prima, & communiſſima reuelatio; & primus, ac cõmuniſſimus liber Deum manifeſtans eſt liber Creaturæ, ſed non ſine diuini Spiritus ope interne operantis. Pergit vero Chryſoſtomus, & ait: *e Quia vero progrediente iam tempore, alii quidem propter dogmata, alii vero propter vitam, & mores grauiter impegerunt, ea rurſus, quæ conſtat literis admonitione fuit opus. Iam ergo conſidera quam ſit extremæ omnino dementiæ, vt qui tanta deberemus vitæ perfectione pollere, vt nihil prorſus literis egeremus, ſed ſcribenda Spiritui ſancto corda propaginis præberemus, quale inquam eſt, ſi poſtea primam illam perdidimus dignitatem, atque eo redacti ſumus, vt ſcriptis indigeamus, ne ſecũdo quidem remedio ad noſtram vtamur ſalutem.*]
d Rom. 1. 19. 20. & ſeq.
4. Ro. 2. 14.
e Chry. Ibi.

IV. Noſtræ igitur infirmitati compatiens Deus, cum videret homines creatura abuti, & corda mundanis affectibus diuinum Spiritum abigentibus repleri, cæpit vocibus, & ſcripturis agere, & ſuas reuelationes vocibus humanis exprimere; & ſic aliqua, voce tantum, ſeu miraculoſa per Angelos, ſiue ordinaria per homines ab ipſo Deo inſpiratos, & miſſos, ac præſertim per vnigenitum ſuum, aliqua ſcripto, etiam cum primum ea hominibus publicata ſunt nos docuit, illa quoque quæ ſola voce primum à Deo, vel eius miniſtris expreſſa fuerunt, eiuſdem Dei mandato, & Spiritu ſancto atteſtante, Scripturæ monumentis ſunt conſignata. Tales fuerunt omnes per Chriſtum factæ viua voce reuelationes; quas Euangeliſtæ, ſimul cum actionibus Chriſti ſcripto tradiderũt. Apoſtoli quoq;, qui initio rudiores Chriſti verba & facta multa, & præcipua non intelligebãt, poſtea à Spiritu ſancto, iuxta Chriſti permiſſionem inſtructi, atq; in omne veritatẽ inducti, & voce in prædicando Euangelio expreſſerunt, *e* verumq; ſenſum Chriſti dictorum, & factorum declararunt, vetereſq; Scripturas, in præcipuis fidei articulis maxime ad ſalutem neceſſariis elucidarunt; & ſcriptis etiam Epiſtolis, ac libris aliqui eorũ veritatem fidei Eccleſiis tradiderunt, aliquorũ vero prædicationes alij exceperunt, & conſcripſerunt, quæ ſcripta Apoſtoli ipſi approbarunt. Ac profecto Spiritus ille ſanctus, qui ſcribi voluit diuinas reuelationes, etiam ſola voce factas, Eccleſiæ commodum, & vtilitatem aſpexit; Ne enim doctrina reuelata aut obliuionis, aut corruptionis periculo exponeretur, eam ſcriptis perennibus voluit conſignari.
e Ioan.

V. Iam igitur magna illa ſurgit controuerſia, *An diuina canonica Scriptura ſufficiens ſit ad omnia fidei reuelata dogmata Eccleſiæ tradenda; an vero præterea etiam non ſcriptæ Traditiones ſint in Eccleſia neceſſariæ: & conſequenter; Num regula noſtræ fidei ſit ſola Scriptura, an etiam pro regula fidei Eccleſia Traditiones iſtas non ſcriptas habere teneatur.* Ego de more paucis agam, & controuerſiæ huic clarum, & perſpicuum finem imponam. Sunt quidem aliqua per Scripturam primum, & immediate Eccleſiæ reuelata, & publicata, in vtroque teſtamento, ſuam reuelationem Deo alicui homini à ſe electo inſpirante, & vt eam ſtatim ſcriberet iubente, talia ſunt fere omnia prophetica, vbi proprie prophetica ſunt, & admiſta non habent hiſtorica. Et illa certe ex traditione non ſcripta Eccleſia nunquam habuit, neque per traditionem non ſcriptam, quæ in illis continentur, ſcire vnquam potuit, ſiquidem cum primum edita ſunt, non voce, ſed Scriptura ſunt edita. Alia vero plurima, ac præſertim à Chriſto prædicata doctrina, quia viua voce Eccleſiæ proponebãtur, hæc procul dubio ante fuerunt in Traditione non ſcripta, quam in Scriptura. Si quis ergo quærat, an ad cognoſcenda myſteria fidei ſit Eccleſiæ Scriptura adeo neceſſaria ſimpliciter, vt Traditio ſola non ſcripta ei ſufficere non poſſit: facile reſpondebo in hoc ſenſu ſcripturam non fuiſſe neceſſariam, ſed præſentibus, & audientibus verba Dei voce prolata, eam auditionem ſatis eſſe potuiſſe ad fidem concipiendam eorum, quæ audita percipiebantur. Ita Apoſtoli in fide Chriſti, abſq; vlla Scriptura, ſolis Chriſti verbis ore ipſius prolatis, & auribus ipſorum acceptis, operante intus Spiritu ſancto confirmati ſunt. Sic primitiua Eccleſia quam fundarunt Apoſtoli, initio abſq; vlla Scriptura ſola Apoſtolorum prædicatione in fide Chriſti plene inſtructa eſt.

VI. Et quanquam, viuentibus adhuc Apoſtolis, Euangelia conſcripta ſunt, & maxima quæque fidei myſteria per Apoſtolica ſcripta expoſita, nihilominus tamen adhuc ipſis viuentibus Traditione ſola non ſcripta, & per diſcipulos ipſorum in nationes plures delata, Eccleſiæ multæ ſunt fundatæ, & inſtructæ. Sic etiam proximis poſt Apoſtolos temporibus. Idem enim verbum Dei Chriſti ore prolatũ eſt in fideli viuæ vocis relatore, atque in fideli Scriptura, & perinde poſſunt homines fideli relatione orali, verbalique Traditione inſtrui in rebus fidei, ac Scripturis: Nam & Scriptura nihil aliud eſt, niſi relatio, quæ poteſt

voce poteſt & ſcripto concipi. Iam erant Euangelia conſcripta, & totum Teſtamentum nouum in ſcripturam redactum, quando multæ gentes barbarorum in Chriſtum credebant, vt ſcribit Irenæus, *a* ſine charactere, vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes in vnū Deum credentes, &c.

a Iren. lib. 3. c. 4.

VII. Imo ipſe Irenæus, antequàm ex ſcripturis hæreticos ſui temporis redarguere conatus eſt, ad Traditiones ſolas confugit, non quatenus ſcriptæ eſſent, ſed quatenus in Eccleſiis per manus traditæ, & per ſucceſſiones eſſent conſeruatæ. *b* Cū enim, *inquit*, ex ſcripturis arguuntur, in accuſationē conuertuntur ipſarū ſcripturarū, quaſi non recte habeant, neque ſint ex autoritate, & quia varie ſint dictę, & quia non poſſit ex ijs inueniri veritas ab ijs, qui neſciant traditionem. Nō n. per literas traditam illā, ſed per viuam vocem. Cum autem ad eam iterum traditionē, quæ & ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones presbyterorū in Eccleſiis cuſtoditur, prouocamus eos, aduerſantur traditioni dicentes, ſe non ſolum presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapiētiores, ſynceram inueniſſe veritatem: Apoſtolos a. admiſcuiſſe ea, quæ ſunt legalia ſaluatoris verbis. Euenit itaq; neq; ſcripturis iā, neq; traditioni eos conſentire. Aduerſus tales certamen nobis eſt, quapropter vndiq; reſiſtendum eſt illis, &c.] Atq; inde veritatem doctrinæ Catholicæ ante omnia, ex ſolis confirmat traditionibus, non quatenus ſcriptæ erant, vt dixi, ſed quatenus etiam ſine ſcripturis in Eccleſiis, per continuatam fidelem, & non interruptam ſucceſſionem conſeruarentur. Et quia eadem doctrina penitus, quæ tum traditione incorrupta in omnibus Eccleſiis Catholicis habebatur, in ſcripturis etiam canonicis continebatur, conciliata iam, & confirmata ſcripturarum autoritate ex traditione, eo modo, & ea ratione quam primo præcedenti cap. explicaui, inde ex ſcripturis quoq; eos nititur confundere. Idem fecit Tertullianus, ipſe quoque aduerſus hæreticos illos, qui Eccleſiam Chriſti admittebant, circa Scripturas vero nutabant; ac interim illis etiam pro ſuis hæreſibus contra Catholicam fidem vtebantur. Ergo, *inquit*. non ad Scripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituēdum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita euaderet collatio ſcripturarum, vt vtramq; partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt; quibus competat fides ipſa; Cuius ſint Scripturæ; A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianorum.] Et quia plane certa traditione conſtabat Chriſtum prædicaſſe, & Apoſtolos ſuos elegiſſe, inſtruxiſſe, miſiſſe, inde iam ſit euidens eas Eccleſias veram Chriſti doctrinam, & veras, ac incorruptas Scripturas habere, quæ ſunt ab Apoſtolis ipſis fundatæ, & ſtabilitæ, vt etiam *c* Auguſtinus affirmat. Atque hoc pacto ex traditione certa confirmatis ſcripturis, earumque in articulis fundamentalibus fidei expoſitionibus in Eccleſia Catholica conſeruatis, aperit ſibi viam Tertullianus ad hæreticos, etiam ex ſcripturis confundendos. Prius enim acuendus eſt gladius, & ab omni rubigine detergendus, tum vero eo libere, & viriliter vtendum. Traditio itaque acuit, & purgat Scripturas, quæ ablata rubigine per traditionem, iam ſunt gladius ex ſe vtraq; parte acutus. Ita Auguſtinus, & alij Patres paſſim, vt inferius explicabo.

b Ibid. c. 2.

Tertull. de præſcrip.

c Aug. de doct. Chri. lib. 2. c. 8.

Atque in hoc ſenſu hactenus declarato nemo non videt Traditiones huiuſmodi non ſcriptas paris omnino fuiſſe in Eccleſia autoritatis cum ipſa ſacra canonica Scriptura; Perinde enim eſt Eccleſiæ, ſi ſola viua voce, veraci tamen, & authentica, atque ſi per veracem & authenticam ſcripturam inſtruatur, vbi vtraque tam vox, quam Scriptura ad eundem diuinæ reuelationis fontem reducatur. VIII.

Sed illud maxime aduertendum eſt tam vocem vocali traditione propagatam, & conſeruatam, quam ſcripturam ſcriptis characteribus, eorumque fideli per manus traditione acceptam ſimiliter, & conſeruatam, non habere in Eccleſia, niſi ſolam vim proponentis, veracis tamen, & infallibilis: quæ à proponente proponuntur, ea creduntur, & ſunt obiectum noſtræ fidei; proponens vero ipſe non eſt obiectum fidei; Non enim fide diuina credimus proponentem nobis credenda, ipſa credenda proponere, id enim ſenſata cognitione plane apprehendimus, quæ tota humana eſt, & ſimpliciter naturalis, non diuina, non ſupernaturalis, vt etiam ſupra capit. 1. num. 18. 19. explicaui. Proponens igitur ſiue ſit ſola vox, ſiue Scriptura, nobis debet traditione humana, quia ad ſenſatam id ſpectat cognitionem, innoteſcere. Apoſtoli enim, exempli gratia, non fide, ſed ſenſu certo ſciebant Chriſtum illa, & illa loqui, vel facere quæ videbant, & audiebant; & non fide credebant Chriſtum illa loqui, vel facere, ſed ſenſu ipſo proponentem aliqua proponere plane percipiebant. *d* Quod audiuimus, *inquit Ioannes*, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus: & manus noſtræ contrectauerunt annūciamus, &c.] exaggerat profecto ipſas ſenſatas cognitiones; non ſola fide creditas, & receptas. Loco ſenſatæ cognitionis nobis, qui nec audiuimus Chriſtum; nec vidimus, ſeruit vel relatio ſi qua nunc haberi poſſit certa, & infallibilis, traditione ad nos perlata; ſiue etiam Scriptura; ſed tam relatio quam Scriptura nihil aliud ſunt niſi proponens. Credebat Abraham fide vera diuina veras eſſe promiſſiones, quas ex Deo audiebat de benedictione omnium gentium in ſuo ſemine; ſed Deum id ſibi promittere non fide diuina credebat, ſed ſenſu ipſo percipiebat. *Et e fides eſt ex auditu*; auditus eſt ſenſus, & ſenſus carnalis, & quæ auditu percipiuntur, ſenſu carnali percipiuntur; audita tamen, & percepta ſenſu, deinde fide creduntur, & ita fides noſtra tota in hac vita, quæ eſt *f* per ſpeculum, & in ænigmate, tandem in ſenſatam cognitionem reducitur, non tāquam in rationem formalem credendi; ſed tāquam in proponens fidei. Vt ſi quæras ex me, quid credam de Chriſto? dicam me credere ipſum eſſe filium Dei viui: quæres, vnde id ego ita eſſe mihi perſuadeam? reſpondebo, quia ipſemet Chriſtus ſe filium Dei eſſe aperte dixit. Hic iam duo vltima quæſita poſſunt vlterius fieri; alterum quomodo ego ſciam id Chriſtum dixiſſe, alterum quomodo ſciam Chriſtum vera dixiſſe: prius quæſitum ad ſenſatam ſolam carnalem ducit cognitionem; videlicet, quia ex ore ipſo Chriſti multi audierunt, qui veraces aliis vel ſola voce, vel etiā ſcripto, vſq; ad noſtra tempora retulerunt: poſterius quæſitū ad primā fidei radicem ducit; quia Chriſtus eſt ipſa veritas; & Deus neq; falli, neq; fallere poteſt. Ita Petrum, etſi ex Chriſto carnali ſenſu audiuerit ipſum eſſe filiū Dei, & Deum habere patrē, tamē carne, & ſanguine reuelāte id didiciſſe negat Chriſtus, quid

d 1. Ioan. 1. 1.

e Rom. 10. 17.

f 1. Cor. 13. 12.

auris carnaliter duntaxat percipit myſteria fidei, cor vero Spiritu ſancto reuelante ea credit. Traditiones ergo quæ veræ ſint, ex parte proponentis ſunt in Eccleſia certiſſima regula, & anterior quam ſit Scriptura, in ijs quæ viua voce primum ſunt tradita; quæ autem ſint veræ traditiones, inferius examinabimus.

IX. Iam ergo circa Traditiones non ſcriptas præcipua controuerſia eſt, *An poſt datam Eccleſiæ totam Scripturam Canonicam*, ſint adhuc neceſſariæ, adeo vt in aliquo ſiue modico, ſiue multo ſupplere debeant, vbi ſufficiens non ſit Scriptura. Fuiſſe neceſſarias ſimpliciter ante datam Scripturam, & poſt datam etiam eſſe neceſſarias ad veram Scripturam diuinā à non diuina diſcernendam, & vtiles ad ipſam Scripturam corroborandam, & intelligendā mihi nullum videtur dubium. Sed verum aliquod veræ fidei dogma quod in tota Scriptura non ſit, vel actu, vel virtute ex ſola traditione non ſcripta vera & legitima Eccleſiam nunc habere, omnino nego, & negationis meæ triplex eſt cauſa. Prima, quia ſacra Scriptura ſola ſufficiens eſt ad omniā fidei dogmata, præſertim ad ſalutem neceſſaria, Eccleſiæ conſignanda. Secunda, quia vera, & legitima traditio iā amplius in Eccleſia Catholica nulla datur. Tertia, quia Traditio de ſe inhabilis eſt, & inſufficiens ad dogmata primitiuæ Eccleſiæ ignota, proponenda. Atque hæc tria iam probo; ſed tamen non tueor. Neq; enim tueri debeo, omnia, quæcunq; Deus reuelarę poteſt iam fuiſſe in ſacra Scriptura Eccleſiæ à Deo reuelata. Abyſſus enim diuinorum ſecretorū immenſus, imo infinitus eſt; & quotidie poſſet, ſi vellet, plurima adhuc Eccleſię ignota reuelare. Sed neque tueor omnia, quæcunq; Deus iam Eccleſiæ ſuæ, ſiue veteri, ſiue nouæ aliquando reuelauit, in Scripturis, quas habemus contineri. Nam neq; ſcriptoribus ſacris omnia quæ viderunt, aut audierunt ſcribenda occurrerunt, aut ſaltem Spiritus ſanctus non omnia ſuggeſſit, neq; fortaſſe omnia quæ ſcripta ſunt, extant; Eſt enim veriſimile, *a* aliquas diuinæ Scripturæ partes vtriuſq; Teſtamenti perijſſe; & Ioannes fatetur, *b non omnia eſſe ſcripta, quæ Ieſus fecit.* Illud duntaxat tueor ex neceſſarijs ad ſalutem fidei dogmatibus nullum eſſe, quod in Scripturis, quas habemus, etiam clare & dilucide non contineatur; &, ſi quid ex Canonica Scriptura perijt, aut poſſet aliquo modo recuperari, & in Scripturis quas habemus non adſit, id omnino ad ſalutem non eſſe neceſſarium puto.

a Bellar. de verbo Dei lib. 4. c. 4.
b Ioan. vlt.

X. Sacram itaq; Scripturam quam habemus, ſufficientem eſſe ad exhibenda nobis omnia fidei dogmata, quęcunq; ad ſalutem æternam conſequendam fide diuina credi neceſſario debent, neq; ei talium quicquam deeſſe, & ratione, & autoritatibus probo. Ratio eſt, quia quicquid ad ſalutem neceſſarium eſt, Deus iam reuelauit Eccleſiæ ſuæ, ex quo ſtatuit genus humanum lapſum reparare; alioquin Deus ei in neceſſariis defuiſſet. Iam vero in ſacra Scriptura omnia reuelata contineri probatur, quia quicquid dogmatici traditio potuit conſeruare, id poſitum eſt in Scriptura; Ideo enim Spiritus ſanctus impulit ſuos ſcriptores, vt reuelata ſcriberent, vt ſic periculo obliuionis, atq; corruptionis eriperentur; & quæ erant neceſſaria, illa vel maxime à periculo eripi debuerunt. Hanc rationem inde corroboro, quod quoties hactenus hæreſes obortę ſunt, ſemper de aliquo Scripturæ loco aut locis agitatæ ſunt controuerſiæ; neq; vlla hæreſis hactenus fuit, quæ ſacræ Scripturæ niti non ſit conata. Et ſi quando antiquis Eccleſiæ Chriſti temporibus etiam traditionibus contra hæreſes vſa eſt Eccleſia, non ex defectu id fecit Scripturarum, quaſi traditiones aliquod dogma ſuppeditarent, quod in Scripturis non haberetur; ſed ad corroborationem ſcripturarum, vt ſummam concordiam oſtenderet inter veras traditiones, & ſcripturas; Eadem enim doctrina, quæ per manus in Eccleſiis ab ipſo fonte Chriſto, & Apoſtolis per ſucceſſiones tradebatur, (de qua ſucceſſione plura inferius cap. 10.) in ſcripturis etiam expreſſa cernebatur: ſic fecit Irenæus, vt ſupra vidimus. Sed præterea ſeruierunt etiam traditiones ad veram ſcripturarum intelligentiam habendam, non ad noua dogmata ſuggerenda: ſic ijs vſi ſunt Patres Concilij primi Nicæni, vt ex Athanaſio teſtatur *c* Theodoretus: licet enim ſcripturis maxime egerint Patres contra Arium, vt fatetur *d* Athanaſius, nihilominus tamen verum Scripturæ illius ſenſum, in qua Chriſtus ſe vnum cum Patre dicit, fuiſſe in Eccleſia perpetuo, ab Apoſtolorum tēporibus, ſubſtātialiter intellectum, ac per verbum *ὁμοούσιον* explicatum, plurimum Patres Concilij Nicæni vſi ſunt, quod cōtendit ex Athanaſio Theodoretus, & nos plurib. id cap. 4. huius libri tractabimus. Diuinitatem enim Chriſti ſemper orthodoxa tenuit expreſſe, & prædicauit Eccleſia, ſic ab Apoſtolis edocta, & inſtructa: Ariana vero hæreſis erat, filium non eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre: qui autem conſubſtantialem Patri dicit filium, totam hæreſim Arianam deſtruit. Ideo igitur magis traditio, quam Scriptura Arianos oppugnabat. Non enim dogma aliquod, quod in Scriptura non eſſet Arianis opponebatur, ſed dogma quod erat in ſcripturis ad ſuum verum ſenſum, beneficio traditionis, reducebatur. Significauit igitur Athanaſius à Theodoreto productus, traditione non ſcripta Patres Nicænos in ſenſu veræ conſubſtantialitatis Apoſtolos, & proximos eorum ſucceſſores, Scripturas, quæ filium exęquant Patri, intellexiſſe, & expoſuiſſe: ſed Scriptura fuit ſemper præcipuum fundamentum, cuius ſenſum verum poſſet & ſoleret traditio manifeſtare. Certe Conſtantinus in Concilio Nicæno oſtendebat *e* quam graue eſſet, imo vero quam acerbum, hoſtibus iam profligatis, & nemine ex aduerſo ſe opponere audente, vt ipſi *Epiſcopi* ſe oppugnarent mutuo, & lætitiam inimicis, atque adeo riſum pręberent; pręſertim cum de rebus diuinis diſputarent, haberentq; doctrinam ſacratiſſimi Spiritus, literarum monumentis proditam. *Nā libri*, inquit, *Euangeliſtarum, & Apoſtolorum quin etiam veterum prophetarum oracula nos euidenter docent quid de diuino Numine ſentiendum ſit,*] ſed videamus autoritates.

c Theod. hiſt. lib. 1. c. 8.
d Athan. Synod. & hiſt. ad Epiſc. Afric.
e Theod. l. 1. c. 7.

Huc primum illę faciunt omnes quas primo ca. produxi n. 3. & ſeqq. quæ neceſſitatem ſacræ Scripturæ ponunt; & de neceſſitate Traditionum ne verbum quidem. Illis addo Tertullianum, *f* Adoro, *inquit*, Scripturę plenitudinem: ſcriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adijcientibus, vel detrahentibus, deſtinatum.] Reſpondet *g* Bellarminus de vno dogmate tantum hoc dici à Tertulliano, quia Hermogenes verā creationem rerum à Deo ex nihilo negabat. Sed ſi Tertullianus traditiones non ſcriptas dogmaticas eſſe in Eccleſia agnouiſſet, debuiſſet Hermogenem, non tantum ad ſcripturam, ſed etiā ad traditionem prouocare, cum tamen ad ſolam ſcripturam tanquam generalem, & ſolum Lydium lapidem dogma quodcunq; probari velit (quod enim de illo vno creationis ait, de quocunque alio profecto dicturus eſt) igitur traditio Tertulliano XI.

f Tertull. contra Herm.
g Bellar. de verbo Dei l. 4. c. 11.

non

non eſt lydius lapis ad probanda dogmata chriſtiana. Nec propterea ſequitur regulam eſſe particularem, quia vni particulari, & ſingulari dogmati applicetur, cum ipſa de ſe ſit generalis, & vnicuiq; dogmati applicabilis, quã ſane regulã ſub ſua generalitate idem Tertull. alio loco cõmemorauit, vbi hęreticos quoq; ex ſcripturis ſuas hęreſes confirmare ait, & addit regulã: quia *a* aliũde, *inquit*, ſuadere nõ poſſent de rebus fidei, niſi ex literis fidei.] Traditiones ergo non ſcriptas ad ſuadendã rem de fide, ineptas eſſe cognoſcebat: quas tamen plurimi fecit ad habendã veram multarũ ſcripturarũ intelligentiã.

a Idem de præſcrip.

XII. Baſilius vbi de fide agebat ita loquut⁹ eſt. *b* Quod ſi fidelis eſt Dominus in omnibus verbis ſuis, fidelia autem omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate, & æquitate, haud dubie manifeſtiſſimum hoc infidelitatis argumentum fuerit, & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velit reijcere & eorum quæ non ſcripta introducere, cum Dominns noſter Ieſus Chriſtus dixerit: Oues meæ vocẽ meã audiunt, & paulo ante idem dixiſſet, Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia nõ nouerunt vocem alienorum. Apoſtolusq; ex humana ſimilitudine vehementiſſime interdicat, nequid eorum quæ in diuinis literis habeantur, dematur, aut quod abſit, addatur. Sic enim eſt apud illum, tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat.] Ex ipſa Scriptura oſtendit Baſilius fidelitatem Domini in verbis ſuis ſcriptis oſtẽdi, quibus nihil addi, nihil ſuppleri poſſit, aut debeat; & vocẽ Paſtoris Chriſti eſſe in ſola Scriptura: voces vero alieni eſſe eas, quæ extra ſcripturã pro voce Domini obtrudantur; & argumentum eſſe infidelitatis etiam, vbi quis non ſcripta velit introducere: hoc eſt, pro verbo Dei vero, licet nõ ſcripto, obtrudere. Reſpondet *c* Bellar. Baſilium loqui de ijs qui addunt ad Scripturæ dogmata aliqua alia contraria, & aliena, ſcripturisq; repugnãtia, ſeu qui non contenti vocib⁹ ſcriptis, ex proprio capite inueniunt alias.] Vanum ſubterfugium eſt hoc Bellarmini. Baſilius fidei confeſſionem ſimplicem, quietam, & pacificam erat ex ſolis ſcripturis propoſiturus, non erat cum quoquam concertaturus, non quenquam redarguturus: *Veſtro*, inquit, *ad ſuos fratres, & meo propoſito arbitratus ſum conuenire hoc tempore, impoſitum mihi à veſtra, quæ eſt in Chriſto charitate negotium cum ea, quæ ſanæ fidei congrueret, ſimplicitate conficerem, eaque dicerem quæ à ſanctis literis accepiſſem.*] Cum ſuis monachis fidelibus fidei plene obſequentibus, non cum infidelibus, aut hæreticis refractariis, & contentioſis negotium habet. De rebus, & doctrina, confeſſioneque fidei, non de vocibus eſt acturus; & quia confeſſio hæc aliunde haberi non poterat, niſi ex ſcripturis, vt ſui conſilij æquitatem oſtendat, & ſe Magiſtrum à ſuperbia, & infidelitate liberet, ſe ſolas Scripturas ſecuturum docet, ac generaliter excludit à ſua confeſſione quicquid aliunde quam ex ſcripturis haberi poſſit Superbiæ enim, & infidelitatis eſſe iudicat, ſi extra ſcripturas ad veram fidem aliquid vndecunq; aduocetur.

b Baſil de vera fide; & in moralibus reg 71. c. 1. & reg. 80. c. 22.

c Bell. de verb. Dei ibid.

XIII. Chryſoſtomus ex ſola lectione, aut auditione Scripturæ poſſe quemq; omnia *d* neceſſaria addiſcere, ſæpe profitetur, quod, & paſſim omnes Patres faciunt. Quid ergo neceſſariæ nõ ſcriptæ Traditiones? Articuli profecto fidei in Scriptura omnes ſunt clariſſimi, & patentiſſimi, quo ad ſuum, *quod ſit*: licet ſint multi obſcuriſſimi quoad ſuum *quomodo ſit*. Fidei autem ſimplicitas in eo quod clarum eſt ſiſtit, & quomodo res ſit, non quærit, ad ſalutem enim neceſſarium eſt credere quod ſit, quomodo vero ſit ſcire, aut credere, non eſt neceſſarium, vt inferius num. 54. 55. cum Auguſtino explicabo.

d Chryſ. in 2. ad Theſ. hom. 3.

Theophilus Alexandrinus; *e* Diabolici, *inquit*, Spiritus eſt aliquid extra ſcripturarum ſacrarum authoritatem putare diuinum.] Reſpondet *f* Bellarm. Theophilum loqui de libris apocryphis, qui à quibuſdam pro diuinis ſupponebantur. Ineptum autem eſt, *inquit*, ne quid grauius dicam, quæ de vna re dicuntur, torquere ad aliam.] Ego quoq; aio ineptum eſſe, ne quid grauius dicam, ea in ſcriptoribus comminiſci, quæ in ipſis non inueniuntur, & ex confictione ſolutiones fabricare, quæ ad rem nihil faciant. Nulla in Theophilo librorum apocryphorum, aut mẽtio, aut cogitatio: in Origenem inuehitur, quod per ſophiſmata humani ingenij voluerit de rebus diuinis ſtatuere, cum diabolici ſit Spiritus extra ſacram ſcripturam aliquid diuinum, ad fidem nimirum ſpectans, ſtabilire. Hic non modo excludit philoſophica ſophiſmata (non autem apocryphas ſcripturas obtruſas pro diuinis) ſed etiam abſolute negat poſſe quicquam diuinum, nempe fidei dogma extra ſcripturam inueniri, & per hanc generalem propoſitionem non minus excluditur quæcunque etiam traditio, quæ tam ſcripta non eſſet, quam mera placita philoſophiæ, vel ingenioſa ſophiſmata; aut ſi vis etiam, quam ſcripturas apocryphas, & fabuloſas. Et quando propoſitio, vel regula generalis applicatur vni rei, vel dicto particulari, vt id per eam examinetur, illa nihilominus ſuam non amittit generalitatem. Sunt & aliorum Patrum dicta clariſſima, quæ ſoli Scripturæ inhærendum aſſerunt, & conſequenter Traditiones iam non ſcriptas, quoad dogmata, nullas agnoſcunt: ſed hi nobis ſufficiant, ne lites in exponendis ipſis patribus multiplicemus. Vide tamen lector, & *g* Gregorium Nazianzenum, & *h* Cyrillum Hieroſolymitanum nihil audere de Spiritu ſancto proloqui, nihil quod ex ſacris ſcripturis poſſunt proferre. His ſubnecte ſi placet Gerſonium, ita ſcribentem; *i* Conſtat quod doctrina fidei, habet terminos ſuos prædefinitos in ſacris literis nobis reuelatis, vltra quos nihil audendum eſſe definire, vel tradere B. Dionyſius expreſſit. XIV.

e Theoph. Epiſt. 2. Paſchali.

f Bell vbi ſup.

g Naz. de theol l. 5.

h Cyril. catech. 16.

i Gerſ. lect. 1. pænitemini.

Neceſſitatem tamen Traditionum non ſcriptarum probare nititur Bellarm. leuibus certe ſophiſmatis, tanto viro indignis, à Peretio Aiala ferme deſumptis. Primum, *k* quia, *inquit*. ab Adam, vſque ad Moyſem fuerunt Dei cultores, & nullam habebant ſcripturam: ergo ex regula traditionum non ſcriptarum religionem conſeruabant.] Hoc argumento, fateor, concluditur ſcripturam abſolute, & ſimpliciter non fuiſſe ſemper neceſſariam; & potuiſſe adhuc etiam religionem ſine Scriptura conſeruari. Hoc ego iam conceſſi, & oſtendi, poſſe id fieri tam ſine Scriptura, quam etiam ſine traditionibus; & quod ſpectat ad iuſtos veteres, ante legem ſcriptam, maximam eorum partem puto religionem ex lumine naturæ, & Spiritu diuino interno, vt ſuperius n. 2. expoſui, conſeruaſſe, ſed non nego in paucis quibuſdam per traditionem ab Adamo aliquam per manus habitam notitiam, imo non exiguam conſeruatam fuiſſe, Creationis mundi à Deo, & primi hominis, ac ſtatu innocentiæ, & naturæ integræ; de lapſu primi hominis, & corruptione naturæ, de diluuio, & ſimilibus: Nam, & Moyſes ex tali traditione potuit plurima, adiutus tamen ſpeciali diuini Spiritus aſſiſtentia, in commentarios XV.

k Bell. de verbo Dei l. 4. c. 4.

a Deut. 32. 7. ſuos redigere. Ait n. ipſemet populo Iſraelitico; *a Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas: interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi; quando diuidebat altiſſimus gentes, &c.*] Quæ ergo ſcripſerat Moyſes, ea per paternam, & auitam traditionem à quoqitam illorum cognoſci poterant. Nec traditio fuit nimis longa multarum generationum, licet fuerit multorum annorum, propter longas vitas primarum ętatum humani generis. In ſexta enim generatione diligens amputator chronologiæ ſcripturalis ab Adamo inueniet Moyſem, quia Aaram Pater Moyſis videre potuit Iacobum: Iacob Semum Noe filium: Sem Matuſalemum, & Matuſalem Adamum, & ſic traditio ex recenti quoq; memoria potuit tuta ab Adamo ad Moyſem primum ſancti Spiritus ſcriptorem peruenire.

XVI. Stante vero hac veritate, ſcripturam aliquãdo, & aliquandiu non fuiſſe neceſſariã, quod negare non poſſum, non tamen ſtatim ſequitur neceſſarias fuiſſe Traditiones: Ac pręſertim tempore, quod legis naturæ vocatur, & præceſſit legem ſcriptam. Vtcũque enim aliqui illorum fidelium, modo à me recẽſita traditione fidem in Deum retinere, plurimi tamen eorum, abſq; hac traditione fidẽ ſuam ex creatura ipſa, & Spiritus diuini interna motione cor piũ regentis, accipere potuerunt, & fouere: vt *b* Paulus ſupra n. 3. aſſeruit, & Patres explicãt, quod ſuo loco fuſius probabo: & paulo ante aliquid ex Irenæo ,p-tuli n. 6. Male ergo Bellar. ait religionẽ in primis illis antiquis iuſtis cõſeruatam ſola traditione, quia, inquit, ſcripturam non habuerunt;] & tamen non modo ſine Scriptura, ſed etiã ſine traditionibus in plurimis religio vigebat; Nec ſequitur ſtatim, vt fideles, qui ſcripturam non habeant, traditionibus neceſſario indigeant. Et quod profert Dei de Abrahamo dictum. *c Scio quod præcepturus ſit filijs ſuis & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini*; aut ad Traditionẽ dogmatum nihil pertinet, ſed ad mores, (nã dogmata nõ pręcipiuntur, ſed proponuntur, & exponũtur, & ſtatim addit. (*Et faci n iudiciũ, & iuſtitiã.*) aut ſi aliqua traditio hoc dicto includitur, ea eſt priuata, & particularis pro ſola Abrahã familia, non vniuerſalis pro reliquis pijs, & religioſis familijs, quæ ſine Scriptura, & ſine traditione tunc Deo ſeruiebant. Non ergo inde colligitur abſolute neceſſitas traditionum, vbi Scriptura nulla eſſet. Multo craſſius ſophiſma eſt illud Bellarmini, vbi ait. *d* A Moyſe ad Chriſtum extiterunt quidẽ ſcripturæ, tamen eæ ſolæ erant Iudæorum: reliquæ autem gentes, in quibus etiam erat apud aliquos vera religio, & fides, ſola traditione nõ ſcripta vtebantur.] Qua rogo, traditione? à quo habita? quorum articulorum? Illis pro Scriptura erat creatura, & Spiritus diuinus ſenſa illius magni libri aperiebat, atq; in veram fidem, & religionem eos inducebat, abſq; vlla alia aut Scriptura, aut traditione, vt declarat Paulus ad Rom. 3. & Chryſoſtomus ſupra n. 2.

b Rom. 1. & 2.

c Gen. 18. 19.

d Bell. vbi ſupr.

XVII. Vt neceſſitatem traditionum corroboret Bellarmin. ex ipſis ſcripturis plura profert loca, in quibus traditio etiam habentibus iam ſcripturam, maxime commendatur. *Narrabis filio tuo. &c.* Exod. 13. *Interroga patrem tuum, maiores tuos, &c.* Deuteron. 32. *Interroga generationem priſtinam, &c.* Iob. 8. (*Iob tamen & ante datam ſcripturam fuit, & Iſraelita non fuit*) *quæ narrauerunt nobis patres noſtri* Iudic. 6. *Patres noſtri annunciauerunt nobis*. Pſal. 43. *Nota facere ea filijs ſuis, &c.* Pſalm. 77. *Non te prætereat narratio ſeniorum, &c.* Eccleſ. 8. Non eſt dubium plurima reuelatã myſteria vel factis, vel dictis, prius tradita eſſe, quam ſcripta; & in his quandiu traditio recens fuit, & ſincera, perinde valebat, ac Scriptura, imo Scripturam corroborabat, & viua vox longe plus mouet, quam Scriptura. Sed fidelior, & tutior conſeruatrix eſt Scriptura, in proprio depoſitorio, quam traditio. Vbi ergo Scriptura adeſt fidelis, & legitima, traditio neceſſaria non eſt. Et loca allata non neceſſario traditiones innuunt; ſed aliqui eorum viuam vocem duntaxat poſtulant, qua ea, quæ de ſcripturis continentur, rudionbus, pueris, & legere neſcientibus voce ipſa narrentur, & inculcentur; & ita Patres filios, & ſeniores iuniores inſtruant. Vbi præſertim Scriptura iacet otioſa. Poſſunt etiam quædam ex his locis non de Traditionibus, ſed de ipſa Scriptura intelligi. Narrauerunt nobis Patres, dum ſcriptis res diuinas comprehenderunt. Et facta hiſtorica potuerunt traditione etiam ad poſteros deuenire, & à Moyſe, vt ſuperius monui, ſcripturis conſignari. Quando poſtea traditiones humanæ in ſynagoga inualuerunt, & Rabbinorum commenta, omiſſis ferme ſcripturis, autoritatem obtinuerunt, tunc fabulæ veritati prælatæ ſunt, lex corrupta, & ſuperſtitio erecta. Nouimus quam ægre tulerit Chriſtus ſui temporis Iudæos, qui propter *e* traditiones humanas mandata Dei tranſgrediebantur. Sic profecto contingit, vt traditiones mere humanæ pro diuinis, etiam contra diuinas obtrudantur, de quo inferius. Quamuis itaq; traditio vera, & incorrupta potuerit aliquando ſola ſine Scriptura fidem, & religionem conſeruare, & poſt Scripturam, ipſam Scripturam corroborare, tandiu tamen eſt, ex quo veræ traditiones (quo ad dogmata) perierunt, & Scripturæ ceſſerunt; ac propterea ex ſola Scriptura dogmata ipſa omnia, quæcunq; fidem noſtram firmant, ſunt petenda; & ita Scriptura omnino neceſſaria eſt: Traditio vero, & ſi vtilis, & commoda eſſe poſſit, neceſſaria tamen ad habenda dogmata non eſt, vt in ſequentibus explicabo.

e Matt. 15. 3.

Scripturam vero ſolam ſufficientem non eſſe, & contendit, & probare nititur Bellarm. *f* Primo quia ſufficientia Scripturæ non poteſt eſſe in ſingulis libris canonicis, ſed in vniuerſis: Ac conſtat aliquos libros canonicos perijſſe: igitur in illis, qui ſuperſunt, non eſt doctrina ſufficiens.] Reſpondeo poſſe commode defendi, nullum librum canonicum perijſſe, neq; enim euidenter conſtat cõtrarium. Sed eſto perierint (nolo enim hac diſputatione fruſtra diſtineri) negabo tamẽ in illis aliquod dogma fuiſſe, quod in alijs non ſit præſertim ex neceſſarijs. Nunc etiam Epiſtola aliqua ſeu Pauli, ſeu canonica, non habet vllum dogma nouum diuerſum, ac diſtinctum à dogmatibus, quæ ſunt in Euãgelijs, vel alijs libris, alijſue Epiſtolis noui Teſtamẽti. Et ſi diuina prouidentia permitteret vt ex illis aliqua periret, non propterea iactura illius dogmatis, pręſertim ad ſalutem neceſſarij, Eccleſia pateretur. Ac denum aio cauſam Traditionum hinc nihil iuuari, niſi oſtendant nobis Traditioniſtæ dogmata illa fidei, quę erant in libris qui perierunt, firma, & certa traditione non ſcripta in Eccleſia adhuc conſeruari, quod illi nunquam præſtabunt. XVIII.

f Bell. de verbo Dei l. 4. c. 4.

Secundo inſufficientiam Scripturę inde colligit Bellarm. quod Apoſtoli ad prædicandum potiſſimum miſſi ſunt, non ad ſcribẽdum; & quod eorum conſilij non fuit coarctare verbum Dei, quod pręcidicabant, ad ſolam Scripturam, &c.] Reſpondeo viuam vocem præceſſiſſe ſcripturam. Sed quia viua vox traditionibus commiſta facile poterat, quoad multa etiam neceſſaria, vel corrumpi, vel etiam interire, XIX.

interire, ideo Spiritus ſancti inſtinctu deuentum eſt ad Scripturas, in quibus dogmata omnia fidei, ac primum quidem neceſſaria, tum vero etiam alia, ſacrorum librorum ſcriptores digeſſerunt. Eam vero fuiſſe diuinam voluntatem facto ipſo, licet non verbis expreſſis, ipſi Apoſtoli declararunt. Vt idem Spiritus qui prius linguas eorum mouebat, etiam calamum ſine noua tamen reuelatione dirigeret, non modo vt ſcriptores ſacrorum hoc, & illud ſcriberent; ſed etiam abſolute, vt diuina ſcriberent, quæ eis fuerant reuelata. Et quæ *a* oculis viderant, & auribus audierant, & manibus contrectarant. *b* Non enim per alios, *inquit Irenæus*, diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognouimus, quam per eos, per quos Euangeliũ peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum, & columnam fidei noſtrę futurum.] Neq; Spiritui ſancto eos mouenti, & dirigenti erat neceſſarium, vt eos in vnum alligaret, vt vnum communem librum facerent, qui potius voluit, vt ſinguli ſeorſim ab aliis fidei doctrinam ſcriberent, vt ſic veritas patentior fieret, vbi conſpiratio in fraudem, & in ſuſpicionem venire potuiſſet, vt optime Patres conſiderarunt. An vero ſuſpicari quis poteſt, aliquid Apoſtolos ſecretæ traditioni commiſiſſe, & ſcribere noluiſſe, aut ſcribi vetuiſſe, quod ad fidem pertineret? quo conſilio id facerent? Circa ritus quidem, & externum regimen Eccleſiæ ſatis erat ſi vel facto ſolo diſcipulos inſtruerent, vel etiam oretenus præcepta darent, quæ in Scripturam canonicam conijcere non erat operę precium, tum quia leuiora ſunt illa, tum quia mutabilia, & libertati Eccleſiarum relicta. Et in his Traditiones inferius & admittemus, & confirmabimus: imo etiam circa verum ſenſum alicuius loci vel in Traditione tunc, vel in Scriptura poſtea contenti, de quo ſuo loco agemus. cap. 4.

a 1. Ioan. 1. *b Ire. l. 3. c. 1.*

XX. Tertio inſufficientiam Scripturæ probat Bellar. ex multis quæ ignorari, *inquit*, non poſſunt, & tamen in Scripturis non continentur. Exempla dat iſta. Primum in veteri Teſtamento maſculis peccatum originale, per circumciſionem remittebatur, fœminis vero quomodo? imo, & maſculis ante octauum diem morientibus? an carebant remedio?] Et cur ignorari iſta non poterant? quis certo nouit, notitia certæ fidei, aut circunciſione olim, aut nunc Baptiſmo remitti peccatum originale? quis fide certa nouit, quid ſit peccatum originale? cui notum eſt certum, & infallibile remedium ad dicti peccati remiſſionem? Cur fides id obtinere non poteſt? quis Deo ligat manus, vt remittere non poſſit niſi certo; & ſenſibili remedio, vel in Scriptura, vel per traditiones expreſſo? Alterum exemplum profert, Gentilium qui Scriptura carebant, & ſaluabãtur. De hoc ſatis ſupra dixi illos neq; Scriptura, neque traditione vlla expreſſe, ſed fide per lumen naturæ, & Spiritum diuinum comparata.

XXI. Poſt hæc agitat argumentum de neceſſitate cognoſcendi, & dari aliquam ſcripturam diuinam, & quæ ſint ſcripturæ diuinæ, & hanc, atq; hanc in particulari eſſe illam quæ diuina eſſe dicatur. Cum autem hæc ex ſcriptura haberi non poſſint, ſcriptura erit inſufficiens.] Hoc tamen argumentum eſt à me tum primo cap. tum etiam paulo ante in hoc cap. 2. explicatum. Dico ergo breuiter, infidelem quemcunque, etiam atheum, ſiue traditione, antequam eſſet ſcriptura, ſiue etiam ſcriptura conuinci poſſe, Deum ſe manifeſtaſſe, mundum creaſſe, primum hominem feciſſe. Primo ipſi homini, & deinde etiam ſubinde aliis locutum eſſe, & diuina reuelaſſe, & Moyſem primum, deinde Chriſtum miſiſſe. Conuinci, inquam, poteſt, non vt fide diuina, ſed vt fide humana, certa tamen, & euidenti credat hiſtorice, quæ ei vel dicuntur, vel leguntur, & hanc fidem humanam hiſtoricam ille arripiet, vbi viderit ex conſtanti omnium fidelium aſſertione, & per manus traditione illa, tanquam quæ vere contigerint, narrari: vt nunc fide humana certa credunt omnes Romam eſſe, etiam Antipodes, qui nunquam in Europa fuerunt; & Romanos orbem ſubegiſſe, &c. Traditione itaque fateor ſola euidenter conſtare hominibus Deum ſe reuelaſſe, cum hominibus locutum, ad homines ſuos nuncios deſtinaſſe, Chriſtum fuiſſe, prædicaſſe, paſſum eſſe, mortuum, ſepultum, & reſurrexiſſe. Traditione etiam conſtat Moyſem, & prophetas libros ſcripſiſſe, Chriſti etiam Apoſtolos, & diſcipulos idem feciſſe. Traditione demum conſtat hanc in particulari ſcripturam eſſe Moyſis, hanc Iſaię, hanc Matthęi, hanc Ioannis, &c.

Et ad hoc ego Traditiones omnino vt neceſſarias admiſi; ſed ab ijs fidei articulos nos vllos habere omnino nego. Vt enim ſciamus, an Deus ſe reuelauerit externe, nec ne: an miſerit nuncios homines ad homines, ſiue etiam Angelos, nec ne: An dixerit, & nunciauerit iſta, & iſta nec ne: an nuncij illi ſcripſerint libros nec ne: an hic liber, quem nunc pręmanibus habem⁹, ſit ille quem ſcripſit ille propheta, ille Apoſtolus, nec ne: ſola fides humana requiritur, & ſola ſufficit. Hæc enim reuelata non ſunt, ſed ſenſibus obiecta; & quia ſola traditione, vera tamen, & ſincera hæc ipſa fides humana ſtabilitur, ideo ad hæc Traditio eſt maxime neceſſaria. Ac propterea credere Chriſtum talem hominem natum eſſe in Betlehem, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, ſepultum, & reſurrexiſſe, non ſunt articuli fidei, ſed articuli hiſtoriæ humanæ, certi, & euidentes ex humana certa traditione: neque hac ratione ponuntur in ſymbolo. Sed credere Chriſtum filium Dei verum, & naturalem, de Spiritu ſancto in vtero virginis conceptum, natum, pro noſtra redemptione paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum, & propria virtute reſurrexiſſe, atque in cælum aſcendiſſe; *c* per gloriam naturalem, *inquit Athanaſius*, non per donum, aut gratiam illi impartitam. Hi iam ſunt articuli fidei. Hiſtoriam habemus ex ſola traditione humana, & auditu carnali, fidem vero aliunde; quod Chriſtus dixerit ſe eſſe filium Dei, ex ſola traditione humana, certa tamen, habeo quod verum dixerit, & ita re vera ſit, hoc iam credo, & non propter traditionem, ſiue non ſcriptam, ſiue ſcriptam; ſed quia Spiritus Dei id mihi in corde loquitur quod humana vox in auribus ſonat, vt ſupra dicebam de Petro. Fruſtra ergo ex Scriptura quæritur, quod Scripturæ non eſt dare, neque propterea Scriptura eſt inſufficiens; Scriptura etenim non eſt, niſi proponens fidem, & ſufficiens proponens eſt, quando omnia quæ ſunt proponenda proponit. Ita ſi legatus alicuius Regis veniat ad alium Regem, vt proponat, negotium aliquod, ſi ille omnia proponat, quæcunque ad illud negotium ſpectant, & nihil deſideretur, profecto eſt ſufficiens legatus, & ſufficienter inſtructus. Sed prius debet probare, ſe eſſe verum, & legitimum legatum illius Regis: & quamuis ſeorſum extra negotium indigeat literis quæ vocantur credentiales, non propterea dici debet illum, quo ad negotium,

XXII.

c Atha. de Incarn. cont. Samoſaten.

 gotium,

gotium, eſſe ſine illis literis inſufficientem, quia illæ literæ nihil de illo negotio in ſe continent. Traditiones itaque ſunt literæ credentiales rerum, ſiue voce, ſiue ſcripto à Deo Eccleſiæ traditarum.

XXIII. Inſtabit adhuc Bellarm. & dicet primo, a ſi ita eſt: non igitur ſola Scriptura ſufficiens eſt: ſi enim deſtituatur traditione non ſcripta, & Eccleſiæ teſtificatione, parum proderit.] Reſpondeo aliud eſt eſſe inſufficientem, aliud carere autoritate. Sufficiens eſt ille legatus ad illud negotium tractandum, ſed ſine literis credentialibus non habet autoritatem, proinde nec audietur. Scriptura ſufficientiſſima eſt ad proponendos nobis omnes articulos fidei hactenus reuelatos, nullo penitus excepto; ſed autoritatem illos nobis proponendi non habebit, cui ſtare teneamur, niſi diuinam eſſe conſtiterit; Quia igitur aliunde indiget ope, vt diuinam eſſe conſtet, non propterea inſufficientia ſunt quæ illa intra ſe continet; & verum eſt illam parum, aut nihil profuturam, ſed hoc non facit inſufficientem. Excellentiſſimus architectus habet ſufficientiam maximam ad grande ædificiũ extruendum; parum autem, aut nihil proderit Regi arcem ædificanti, & illum non adhibenti; quod vero à Rege non adhibeatur non facit illum eſſe inſufficientem. Et quod ait de teſtificatione Eccleſiæ, iam primo cap. explicaui, & vlterius cap. 4. explicabo, Eccleſię enim teſtimonium non eſt in actu ſignato, ſed in actu tantũ exercito. Inſtat ſecũdo, ſi hæc traditio ad nos peruenire potuit, cur non per eandem viam potuerunt etiam aliæ peruenire? Reſpondeo quæcunque ad fidem neceſſaria habemus; omnia per traditionem ad nos peruenerunt, etiam Scripturæ. Traditio enim nobis, & viuas voces, & ſcriptas profert, & conſeruat; & omnem fidem hiſtoricam tuto per ſolam traditionem habemus, ſed dogmata omnia traditio nobis dat in Scripturis, & nullum extra ſcripturas: ſolam aliquorum ſanam intelligentiam dat nobis traditio extra ſcripturam. Inſtat tertio, vel hæc traditio eſt verbum Dei, vel non eſt: ſi non: igitur non habemus fidem; fides enim verbo Dei nititur; ſi ſic; ergo datur verbum Dei non ſcriptum.] Reſpondeo me non negare verbum Dei potuiſſe, ac poſſe, & ſola voce, & etiam per ſcripturam traditione deportari, & conſeruari; erit itaque verbum Dei & id quod ſola traditione defertur, & illud quod in ſcripturis continetur. Sed dico nullum verbum Dei dogmaticũ poſſe nũc per traditionem proponi, quod in Scriptura non contineatur; quia omnia verba Dei, dogmata continentia, quæ poſſent traditione retineri, & per manus dari, in Scriptura ſunt poſita, ſed præſertim omnia neceſſaria ad fidem, & bonos mores, & deinde multa alia ad ſalutem non neceſſaria, ſed ad conſolationem fidelium ſummopere proficua. Dico etiam traditionem ipſam non eſſe verbum Dei, neq; traditionis autoritatem eſſe autoritatem verbi Dei, licet verbum Dei ipſa poſſit proponere, ipſius enim autoritas non eſt niſi humana vt explicaui. Idem dico de Scriptura, Scriptura enim vt Scriptura non eſt verbum Dei, ſed continet in ſe, & proponit nobis verbum Dei; ita vt verbum Dei ſit in Scriptura, ſed non eſt Scriptura. Traditio, & Scriptura per traditionem authenticata, dicunt Chriſtum dixiſſe ſe eſſe filium Dei, & hoc traditionis, ſeu Scripturæ dicere non eſt verbum Dei: Chriſti tamen dicere eſt verbum Dei. Traditio, & Scriptura dicunt Paulum dixiſſe, omnes homines in Adam peccaſſe. Hoc traditionis, & ſcripturę dictum, non eſt verbum Dei; ſed Pauli dictum eſt verbum Dei. Poſſum aſſentiri, & traditioni, & ſcripturæ vera eſſe quæ hiſtorice vtraq; narrat, ſed hic aſſenſus non eſt fidei diuinæ. Credo enim Chriſtum dixiſſe ſe eſſe filium Dei, à Deo Patre miſſum, ſed non propterea credo in Chriſtum, niſi quando aſſentior vera eſſe quæ Chriſtus dixit, ita de alijs.

a Bellar. ibid. l. 4. c. 4. de verbo Dei.

Eandem ſcripturarum inſufficientiam vlterius probat Bellarm. b quia ſæpe ambigua eſt, & perplexa, niſi ab aliquo qui errare non poſſit explicetur, nempe traditione.] Reſpondeo hoc eſſe diuertere ad quæſtionem de iudice controuerſiarum: quæ ſeorſim erit tractanda, & quamuis in bono quodam ſenſu ibi explicando, Traditio multum poſſit adueros ſcripturæ ſenſus habendos, hoc tamen nihil obeſt ſufficientiæ ſcripturæ, de qua nunc agimus. Agimus vero de ſufficientia, quæ dogmatum plenitudinem, & numerum contineat, & defectum quemcũque, atq; carentiam excludat: ita vt nullum dogma verum ſit in Eccleſia, quod in Scriptura ſiue clare, ſiue obſcure non inueniatur. Sufficiens profecto in ſe aurifodina eſt, quæ magnam vim auri continet, etiam ſi lateat adhuc, & necdũ aperta ſit, licet hæc aurifodina vt ſit ſufficiẽs etiam hominibus, debeat prius aperiri, & effodi. Sed non propterea dicenda eſt inſufficiens in ſe, quia hominibus vſui re ipſa nõ eſt, ſcripturam tamen in neceſſariis ad ſalutem, clariſſimam, & omnibus peruiam eſſe oſtendemus. XXIV.

b Bell. ibi. l. 4. c. 4.

Proponit quoq; Bellarm. articulos aliquos fidei, qui in Scriptura non habentur, ergo illa non continet omnes, ſed ad traditionem non ſcriptam pertinebunt: vt perpetua virginitas Mariæ Deiparæ. Paſchę in Dominica celebratio, Paruulorũ Baptiſmus: Purgatorium: Ac demum ad homines, Nullũ eſſe verbum Dei, niſi ſcriptum:] Reſpondeo nullum ex his eſſe verum dogma, ſiue articulum fidei: virginitas Mariæ poſt partum pie, & merito creditur, ſed firma fide diuina nõ creditur, & Heluidius hoc nomine non fuit hæreticus, licet fuerit parum pius, & temerarius; & errabat quidem, ſed non errore in fide. Sane c Epiphanius in tuenda perpetua virginitate Mariæ traditionem ne commemorauit quidẽ, ſed ſuas adduxit probabilitates, quarum nulla rem facit de fide. Sic Hieronymus: Et expreſſe Baſilius, nihil fidem vitiari aſſeruit, ſi poſt ſaluatoris partum quis putet Mariam nuptiis operam dediſſe, ſed hãc curioſitatem putat abiiciendam, & perpetuam virginitatem per ſcripturam non tolli docet; ibi, vbi ait Euangelium: *Et non cognouit eam donec peperit, &c.* ſubdit Baſilius. d *Hoc porro iam ſuſpicionem præbet, quaſi poſtquam pura generationi Domini per Spiritum ſanctũ perfecta inſeruierit, debita nuptiis opera Maria non abnegarit. Nos autem etiamſi hoc nihil pietatis rationẽ vitiet, nõ vſq; ad diſpenſationis miniſterium erat virginitas: quod vero deinceps conſecutũ eſt nullam curioſitatẽ rationi myſterij exhibet. Tamen vt ne eorũ qui Chriſtum amant aures ſuſcipiant, quod Deipara aliquando virgo eſſe deſijt, illa teſtimonia ſufficiẽtia eſſe putamus, ad hoc quidẽ quod non cognouit ipſam donec peperiſſet filium ſuum, quod particula donec, &c.* Fidei ergo articulum circa perpetuam Mariæ Deiparæ virginitatem Baſilius non agnouit; quandam tamen apocrypham de Zacharia traditionem affert, de qua inferius. Paſchæ celebratio ſpectat ad ritus, non ad dogmata. Et quartadecimani inepte dicũtur hæretici, vt obſeruaui c. 9. n. 11. ſexti libri. Niſi forte iudaizarent, & Iudaiſmi ritus inducerent, qui eſſet error alterius generis, & non contra celebrationem feſti. Baptiſmus puerorum, eſt ſimiliter ritus, & praxis duntaxat, non dogma, quod ſi reducatur XXV.

c Epiph. hær. 78. & Hier. adu. Heluid.

d Baſil. ſer. de S. Natiuitate.

ducatur ad dogma, de validitate nimirum, & inualiditate baptiſmi, id ex ſcripturis ſolis eſt diſcuriendum, vt fecit Cyprianus; fecit poſtea contra ipſum, & Donatiſtas Concilium plenarium, & Auguſtinus. Praxis tamen illa Eccleſiæ *a* traditione ante omnia roborata eſt vſq; ad tempora Agrippini, ante Cyprianum. Purgatorium qui perperam credunt, ex Euangelio, & Paulo id videntur ſibi deducere: vt oſtendi lib. 5. c. 8. Verbum Dei nullum iam inueniri quod ſcriptum non ſit, quoad ipſa dogmata, non eſt mihi articulus fidei, ſed demonſtratio ſcientifica, imo fortaſſe ſenſata certitudo. Sic igitur manet Scripturæ ſufficientia, vnde Traditiones tãquam neceſſarias ad habenda omnia dogmata nõ recipimus; & hoc eſt primum quod Traditionibus ſupra n. 8. opponebam.

a Aug. de bapt. l. 2. c. 7.

XXVI. Alterum quod Traditionibus obiiciebam, eſt, nullam dogmatum veram, & legitimam nunc in Eccleſia Catholica dari. Ex quo enim Spiritus ſanctus voluit, vt quæ à Deo reuelata erant ſuæ Eccleſiæ, ſcripturis conſignarentur, totus Eccleſiæ conatus fuit, iam vt ſcripturas illæſas conſeruaret, & fida traditione per ſucceſſiones poſteris tranſmitteret; & cum ſcripturæ eſſent ſufficientiſſimæ, vt iam probaui, Eccleſia non fuit ſollicita, vt viua voce quicquam amplius vel diſceret, vt reuelatum, vel doceret, niſi quod in ſcripturis contineretur; ideo ſcripturarum neceſſitatem probabam primo cap. & Chriſtus ad ſcripturas Iudæos reuocabat, & à *b* traditionibus auocabat. Sicut enim iam tum diuinis traditionibus ſe *c* humanæ permiſcuerant, ita nunc vel maxime. Fateor traditionibus primum nouellam Chriſti Eccleſiam fuiſſe plurimum inſtructam, quo ad noui Teſtamenti propria dogmata: Nam & Chriſtus viua voce, & factis ipſis tradebat ſuas inſtructiones, & Apoſtoli ſimiliter *d* quod ipſi viderant, quod audierant, quod manibus contrectarãt de verbo vitæ, viua etiam voce populis tradebant; & hæ traditiones erant proprie diuinæ, & veræ illæ ſummæq; autoritatis, in quibus diuina dogmata à Deo reuelata continerentur. Sed præterea Apoſtoli quoq; Apoſtolica autoritate Eccleſiam propriis ſuis etiam traditionibus inſtruebant, non dogmata propria, tanquam à Deo reuelata promulgantes, (id enim ad primum traditionis genus, quæ diuina eſt, pertinebat) ſed vel dogmatum diuinorum, diuinarumq; traditionum, & conſequenter ſcripturarum explicationem, ſenſum, & intelligentiam tradebant, vel externos ritus, externamque Eccleſiæ gubernationem proponebant: Atque hoc pacto in Eccleſia iam, præter diuinas traditiones, erant etiã Apoſtolicæ propriæ traditiones, quarum nonnullæ in ſcripturis expreſſæ ſunt, & nequaquam cum diuinis confuſæ. Bene enim Paulus ſolebat diſtinguere *e quod non ipſe ſed Dominus: & quod ipſe & non Dominus diceret.* Sed planum eſt multas quoque tales proprie Apoſtolicas traditiones non ſcriptas manſiſſe, & adhuc manere in Eccleſia. Præterea Patres quoq; antiqui, ſiue ſinguli in ſuis Eccleſiis, ſiue plures in ſynodis, multa ſimiliter, quæ ad ritus & regimen Eccleſiarum pertinerent, tradiderunt; & ſic iã tertium traditionum genus; id eſt Patrum, & Conciliorum, habuit Eccleſia. Addo quartum traditionum mere humanarum ab hæreticis, à ſuperſtitioſis, ab auaris, à rapacibus, ab ambitioſis, & ſimilibus malis hominibus, præſertim Eccleſiarum Prælatis corruptis inductarum. Sic igitur cum tot traditionum facta ſit permiſtio, & primum ſolum genus vera dogmata contineret, quis illas nunc ſeparet ab illis ſiue bonis, ſiue malis?

b Io. 5. 4. *c* Matt. 15. *d* 1. Ioan. 1. *e* 1. Cor. 7. v. 12.

XXVII. Regula ſane certa, & tuta poteſt dari cum Vincentio Lyrinenſi, vt illa ſit vera diuina traditio, etiã extra Scripturam, quæ oſtendatur fuiſſe *f* vbique in tota Chriſti vniuerſali Eccleſia, fuiſſe ab omnibus communi conſenſu, & fuiſſe ſemper receptam, creditam, admiſſam. Illud ſemper ego intelligo ita; vt conſtituatur aliquod punctum temporis poſt fundatam Eccleſiam Chriſti, à quo puncto retrocedendo vſque ad ipſa Chriſti & Apoſtolorum tempora, erit illud ſemper quod requiritur; & ſimiliter per hoc idem ſemper accipiatur illud ab omnibus, & vbiq;. Quare etſi nunc tota Eccleſia aliquid credat, vt dogma fidei, quod in Scriptura non ſit actu, vel virtute, idque ab omnibus, & vbique credatur, & ſemper à longo tempore puta mille annorum ab hodierno die retrocedendo, fuerit creditum, aut practicatum, niſi hæc traditio amplectatur illud ſemper, quod clare, & aperte ad Chriſti & Apoſtolorum tempora reducatur, vera traditio diuina eſſe non poteſt; nec pro verbo Dei eſt habẽdum, quod à Chriſto, & ſanctis Apoſtolis, tanquam verbum Dei prædicantibus per continuatam traditionem; primam radicem, & originem non habeat: Quod ſi aliquid oſtendatur, ante mille quoq; annos traditum, & creditum, ac prædicatum tanquam Dei verbũ vbiq; ab omnibus, & ſemper, modo explicato; etiam ſi poſtea iam per mille annos deſitum ſit, & abolitum, non propterea amittit ſuam diuinam autoritatem; & cum primum oſtendi poteſt illud, ita creditum fuiſſe olim vbiq;, ab omnibus, & ſemper; & pro verbo Dei habitum, illud erit verum verbum Dei, & quidquid poſtea contra illud obtinuerit, etiam ſi vbiq;, & ad omnes, & ſemper poſt illa tempora propagatum fuerit, erroris & corruptelæ arguendum erit; Semper enim veritas prior eſt quam mendacium, vt optime probat *g* Tertullianus. Talem vero traditionem alicuius dogmatis, quod pro verbo Dei habendum ſit, & in Scriptura non habeatur, dari iam à multo tempore in Eccleſia Chriſti nemo vnquam probabit, & conſequenter verã traditionem diuinam non ſcriptam hoc tempore, & iandiu antea nemo mihi reperiet, & oſtendet; vtcunq; Apoſtolicas: id eſt ipſorum proprias non ſcriptas, & Patrum traditiones, quæ neque diuinæ ſunt, neque dogmata, & verbum Dei contineant; non grauate ſim admiſſurus. Sicut & alias quæ ſcripturarum, & dogmatum verum ſenſum, veramque intelligentiam ab Apoſtolis datam, contineant.

f Lyrin. adu. hæreſ. c. 3. *g* Tertull. de præſcri.

XXVIII. Conatur Bellarm. *b* demonſtrare aliquas eſſe veras traditiones, idq; primum ex Scripturis; Deinde ex teſtimoniis Pontificum, & Conciliorum; tum vero ex dictis Patrum: ac demum certis argumentis: Ex Scriptura profert ex Ioan. 16. *Multa habeo dicere vobis, &c.* Et Ioan. vlt. *Sunt & alia multa, &c.* Quid hæc ad rem? Chriſtus ore, & non ſcripto tradidit, hoc verum eſt: Omnia tamen quæ neceſſaria Eccleſiæ erant futura, & maxime proficua, ea Chriſti Spiritus ſcribi iuſſit, quæ nolebat obliuioni tradi. Atq; hæc ipſa, quæ ſcribenda erant, viuente adhuc Chriſto, ab Apoſtolis tunc ſatis rudibus non intelligebantur, & conſequenter neq; ea probe ſcribere tũc potuiſſent, & hoc eſt quod ait Chriſtus, *Se habere adhuc multa, quibus eſſent inſtruendi*, vt illa ipſa quæ iam viderant, & audierant recte, & ſibi, & aliis intelligerent, & hoc ait per Spiritum eos poſt aſcenſionẽ docturum. Ita factum eſt, vt poſt acceptum Spiritũ iam bene intellecta, quæ prius viderant, & audierant, & voce prędicare, & ſcripto tradere potuerint. Illa ergo multa dicenda, quę tunc portare non poterant, ſpectant ad viſorum iam, & auditorum intel-

b Bell. de verb. Dei l. 4. c. 5. 6. 7. 8.

intelligentiam, non ad nouorum dogmatum propoſitionem; & illam ipſam intelligentiam totam, quatenus Eccleſiæ neceſſaria erat, & vtilis, ac proficua, ſua prædicatione publicarunt, & partim etiam literis prodiderunt. Et multa quidem arbitror, quæ ſcripta non fuerunt, nec ab Apoſtolis prædicata, quippe minus neceſſaria, aut vtilia, fuiſſe tamen in memoria Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti conſeruata, & aliquandiu per traditionem priuatam non Eccleſiæ vniuerſalem, in aliquibus retenta. Certe ex tali traditione ad Pauli notitiam peruenit illud
a Act. 20. 35. Chriſti dictum. a *Beatius eſt magis dare, quam accipere:* quod tamen Euangeliſtæ omiſerunt. Eſt enim dictum morale, & non eſt dogma fidei. Sed hę priuatæ traditiones talium cito euanuerunt. At niſi dogma aliquod fidei proferat Bellarmin. quod in Scriptura non ſit, ſed certa illa quam ſupra deſcripſi traditione in Eccleſia, tanquam Chriſti dictum ab omnibus vbique & ſemper habeatur, imò expreſſe aſſeratur, loca hæc Scripturæ traditiones ipſius nihil iuuant.

XXIX. *Sacramentorum* b *nobis neſcio quam inſtitutionem obtrudit, rem Eccleſiæ neceſſariam, & in Scriptura non contentam, ſed traditione à Chriſto per 40. illos dies, quibus poſt reſurrectionem, ante Aſcenſionem* c *apparebat diſcipulis, loquens de regno Dei.*] Sacramenta non eſſe alia à Chriſto inſtituta, niſi duo illa quæ in Euangeliis expreſſa habemus, ſatis probaui lib. 5. c. 4. 5. 7. 10. 11. Ibique traditiones has excluſimus. Nunc paucis dico, traditiones non debere in his ſupponi, ſed probari. Si enim licet eas ſupponere, licebit cuique dogmata fidei confingere, & errores qui iam inualuerunt traditione defendere. Oſtendat nobis Bellarm. traditiones haſce de Sacramento extremæ vnctionis, matrimonij, &c. fuiſſe pro Sacramentis à Chriſto inſtitutis, illa expreſſe habita ab omnibus, vbique & ſemper: & tunc aliquid fecerit. Non debemus ſomnia noſtra pro traditionibus vendere. Nam ſeptem Sacramẽta nouæ legis numerata non ſunt, niſi poſt Magiſtrum ſententiarum, vt ſuis locis docui, & aperte demonſtraui nunquam ante illa tempora per mille & ferme ducentos annos pro veris Sacramentis nouæ legis in Eccleſia habita eſſe, niſi duo, Baptiſmum, & Euchariſtiam, quomodo ergo Traditio poteſt hic obtrudi?

b Bell. ibid. c. 5.
c Act. 1. 3.

XXX. Profert etiam ex ſcripturis pro traditionibus loca Pauli. 1. d *Sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* 2. e *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis; Cætera cum venero diſponam.* 3 f *Tenete traditiones quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam.* 4. g *Timothee depoſitum cuſtodi* h *quæ audiſti à me hæc commenda fidelibus, &c.* Profert etiam ſecundam, & tertiam Ioannis Epiſtolam; *Nolui per chartam, & atramentum, &c.*] Ad hæc omnia primum in genere reſpondeo, loca illa etſi à quibuſdam Patribus intelligantur de traditionibus non ſcriptis, ea tamen, vt alij Patres volunt, poſſe & ſolere explicari de traditionibus etiam ſcriptis: quia ea quæ ſcripta erant, etiam viua voce inculcabant Apoſtoli prædicãtes. Loca ergo illa rem non conuincunt de traditionibus non ſcriptis, vbi Catholica expoſitio ab Eccleſia non reiecta, etiam ſi vnius Catholici viri, vim tollit argumento. Reſpondeo ſecundo, Me libenter admittere, traditione non ſcripta fuiſſe initio dogmata fere omnia propagata: ſed tamen omnia illa dico fuiſſe in Scripturam redacta. Et quod ſpectat ad ſingularem doctrinam Pauli, ille totam quidem in ſcripta collegit, non tamen totam in vnaquaque Epiſtola, ſed partim ad vnam Eccleſiam, partim ad aliam, partim ad vnum diſcipulum, partim ad alium. Et quod in vna Eccleſia viua voce, data occaſione prædicauerat, hoc alteri Eccleſiæ, in qua id non prædicauerat, per Epiſtolam communicauit, id videlicet quod vt dogma fidei, & morum inſtructio ſciri deberet. Ideo dicebat; *ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam*; & ſic ſermones vnius loci per Epiſtolas aliis communicabat, quod ſi quod dogma extat per ſermones, & non per Scripturam à Paulo traditum, doceat nos Bell. quodnam ſit, & illud tanquam à Paulo dictum, ſed non ſcriptum, oſtendat pro certo ex traditione vera, quæ vbiq; apud omnes, & ſemper fuerit, conſtare: Reſpondeo tertio, loca poſſe intelligi de traditionibus non ſcriptis, & veris, Apoſtolicis tamẽ, Apoſtolorum propriis circa ſenſum, & intelligentiam dogmatum ſcriptorum, de quibus poſtea agam; & circa ritus externumq; regimen Eccleſiæ, ac diuini cultus. Cuiuſmodi traditiones poſſe adhuc haberi, maxime ex probabili coniectura non negabo, ſed nunc noſtra quæſtio eſt, *an ipſa fidei dogmata ſint nunc aliqua neceſſario*, tanquam verbũ Dei, ex ſola traditione non ſcripta, admittenda; quod omnino ego negandum cenſeo. In ſpecie de cuſtodiendo depoſito, cur depoſitum illud non eſt ipſa fides, qua fuerat imbutus Timotheus, tũ verbis Pauli, tum ſcriptis? cur depoſitum ſignificabit ſecreta quædam dogmata non ſcripta, puto per Cabalam tradenda? quia ſi loqueretur de verbis ſcriptis, *inquit Bellarm.* non tam anxie commendaret; depoſitum enim Scripturæ facile conſeruatur in thecis, & à librariis.] Ridiculum: Scriptura ergo debuit eſſe mere chartacea, in bibliothecis compacta, & repoſita blattis, & tineis: & in corda non debebant ſcribi, ea quæ in chartis legebantur, & ita depoſitum vere, & proprie cuſtodiri?

d 1. Cor. 11. 2.
e Ibi. verſ. 23.
f 2. Theſ. 2. 15.
g 1. Tim. 1. & vlt.
h 1. Tim. 2.

Quoad Pontifices, & Concilia: Reſpondeo Fabianum illum eſſe confictum; ſed ſit verus Fabianus, & iſte, & Innocentius 1. & Leo adducti, nihil de dogmatibus, ſed de ritibus agunt, quos à traditionibus pendere aliquos non diffiteor. Nicænum Cõcilium ex traditionibus potiſſimum non ſcriptis Arianos confutaſſe admitto. Sed illę traditiones non dogma, ſed explicationem & intelligentiam duntaxat dogmatis continebant. An imaginum adoratio, vt eſt dogma, probari poſſit ex traditionibus veris; & an ſeptima Synodus in hoc errauerit, ſeorſim eſt proprio loco conſiderandum. Quoad Patres vero, vel in genere nominant, laudant, commendant Traditiones; vel in ſpecie & in particulari aliquid ex Traditione in Eccleſia haberi aſſeuerant. Si in genere interdum intelligunt Traditiones dogmatum, & doctrinæ initio viua voce traditæ, & ad tempus traditione ſucceſſiua conſeruatæ, tametſi iam eſſet in Scripturam redacta, ita vt traditio tunc recens, vera, ac tuta, & incorrupta Scripturas poſſet corroborare, ſed hinc non ſequitur traditiones illas iam in Scripturis non contineri, & nunc eas adhuc eſſe non ſcriptas traditiones. Interdum Traditionem intelligunt ipſam ſcriptam traditionem: interdum intelligunt traditionem Apoſtolicam Apoſtolorum propriam circa ſenſum, & intelligentiam dogmatum diuinorum, ab ipſis vel voce, vel ſcripto traditorum, nec non eorundem traditionem circa praxim, ritus & gubernationem externam Eccleſiarum, quæ traditio ritualis non continet ipſa dogmata fidei, nec Dei verbum primarium, & eſt humana (ſtricte loquendo) non diuina, vt me- XXXI.

bus infra patebit. Si vero deſcendunt ad Traditiones in ſpecie circa particularia, nullum dogma fidei illi ad ſolam non ſcriptam traditionem reducunt; ſed ritus aliquos, & ceremonias, praxinque regiminis ad Apoſtolicas ipſorum proprias ſolent reducere traditiones: hoc eſt, illud vel illud vt fieret, vel non fieret, vel ita fieret Apoſtolos docuiſſe, & inſtituiſſe, & hoc non erit verbum Dei, ſed verbum Apoſtolorum ipſorum proprium; tanquam Chriſti tamen miniſtrorum, & ab eo autoritatem habentium. Poterant enim Apoſtoli aliqua Eccleſiæ & voce & ſcripto tradere, tanquam diuinas reuelationes, & verum verbum Dei: & talia ad diuinas, non ad Apoſtolicas reducuntur Traditiones & omnia neceſſaria, ac ſumme vtilia ſcripta ſunt: poterant etiam, autoritate à Chriſto accepta, alia Eccleſiis tradere, non vt diuinas reuelationes, aut iuſſiones, quæ eſſent verbum Dei, ſed vt ipſorum proprias inſtitutiones, & præceptiones; & quæ verbi Dei veram explicarent intelligentiam: & hæ ſũt propriæ Apoſtolicæ traditiones, quales non paucas in particulari afferunt Patres, vt videbimus in ſequentibus.

XXXII. Nihil ergo eorum, quæ ex pluribus Patribus proferunt *a* Bellar. atq; *b* Baronius traditiones dogmatum non ſcriptas pro noſtris temporibus probat; eo ſenſu quo eas noſtri Romanenſes ſolent obtrudere. Ignatius etenim *c* traditiones Apoſtolorum plurimum commendabat, explicationes videlicet, & declarationes dogmatum in Scripturis iam poſitorum, nec non etiam praxim, & rituum inſtitutiones ab Apoſtolis traditas. Si vis etiam aliquod verbum Dei intelligere, quod eo tempore nondum fuerat literis conſignatum, prædicatum tamen in Aſia per Ioannem, & Ioannis auditores (Polycarpum Ignatio familiarem, & alios) non repugno. Nam Euangelium ſuum Ioañes adeo dogmaticum nondum ſcripſerat, quando Ignatius traditiones illas commendabat, quas etiam, quo tutius poſteritati reſeruarentur, ſe ſcripturum pollicebatur. Si Ignatius nihil aliud ſcripſit de his traditionibus, quas ſe ſcripturum quodammodo promittebat, niſi id, quod iam in quibuſdam ei tributis Epiſtolis circumfertur, in illis certe Apoſtolicæ traditiones dogmaticæ nullæ apparent, ſed practicæ circa ieiunia, & quoſdam ſimiles ritus. Areopagitæ dictos libros nemo qui ſapit pro Areopagitæ partu admittet, quibus traditio vera humana vſque ad ea tempora non ſuffragabatur. Sed & illi libri traditiones non ſcriptas intelligunt circa expoſitionem dogmatum, & circa practica. Quænam fuerint traditiones Apoſtolicæ, & cuius generis, quas Egeſippus ſuis quinque libris comprehenderit, tunc explicabimus, quando ipſi quinque libri nobis exhibebuntur. Interim *d* Euſebius res geſtas tempore Apoſtolorum ab eo ſcriptas aſſerit, & ſinceram, minimeque fucatam Apoſtolicæ prædicationis traditionem. Hoc vero mihi non dogmata, ſed dogmatum intelligentiam, ac explicationem ſonat.

a Bell. de verbo Dei l.4.c.7.
b Baro. to. 1. an. [illegible]
c Apud Euſeb. lib.3.c. 36.
d Apud Euſeb. l.4.c.8.

XXXIII. *e* Polycarpus referebat, quæ ab Apoſtolis ille audierat à Domino eſſe dicta, & de virtutibus ipſius Domini, ac doctrina, & hæc quæ à Polycarpo referebantur Irenæus deſcribebat nõ in charta, ſed in corde ſuo; Quæ referebat Polycarpus, erant declaratiua, & confirmatiua eorum, quæ iam ſcripta erant, & ideo digna, quæ & in charta, & in corde ſcriberentur. Nam & ibidem hæc habet Irenęus de Polycarpo; *Et quo pacto memoraret eorum ſermones; quin etiam, quænam ab illis de Domino audiuiſſet, quomodo de miraculis eius, ac virtutibus & de doctrina; denique, ſicut ab illis qui fuiſſent ſuis oculis verbum vitæ conſpicati, Scripturis vere conſentientia narraret.*] Illę ergo viuæ vocis traditiones continebant dicta aliqua, & facta Chriſti, quę iam eſſent cum Scripturis conſentientia. Non ergo quicquam eſſentiale continebant, quod non eſſet in Scripturis. Conferebat enim Irenæus Polycarpi narrationes cum Scripturis, & videbat illas conſentire. Sicut ſiquis narraret alicui prælium, cui ipſe interfuit, & ille eiuſdem prælij hiſtoriam iam ſcriptam haberet, inueniretq; huius narrationem cum hiſtoria conſentire. Nec alio modo narratio ex viſu, vel ex auditu ab ijs, qui viderunt, conſentire poteſt cum hiſtoria ſcripta, niſi idem contineatur in hiſtoria ſcripta, quod alius ex viſu, vel auditu narrat. Poſſunt quidem multæ circumſtantiæ ab illo, qui interfuit narrari, quæ in Scriptura non ſint; ſed & illæ dicentur conſentire quando recte congruunt cum principali facto in ſincera & vera hiſtoria contento. Ita non negarim tales accidentales circumſtantias potuiſſe initio in traditionibus non ſcriptis haberi, quæ in Scripturis non eſſent; ſed illæ non ſunt eſſentiales, neque neceſſariæ, dum quæ ſunt principalia in Scripturis habemus, licet aliquibus circunſtantiis deſtituta.

e Ibid. l.5.c. 19.

XXXIV. Iuſtinus aliqua habet de traditionibus non ſcriptis; ſed illæ ſunt traditiones mere Apoſtolicæ, & circa ritus Eccleſiaſticos, ac praxim. Irenæus, vt ſupra numer. 6. explicaui, Traditionibus ipſis viua voce habitis à Chriſto, & ab Apoſtolis, ac ſucceſſiue conſeruatis, perinde ac ſi eo tempore ſcriptæ non eſſent, veritatem doctrinæ, & dogmatum fidei illis confirmabat, qui Scripturas non vere, nec fideliter ſcriptas cauſabantur; & ſimul profecto tali traditione, quæ ſecluſa Scriptura, traditio non ſcripta vocari poterat, ipſammet Scripturam confirmabat: quia illa doctrina, quæ tali traditione confirmabatur, erat in Scripturis, & non alia, & ita ſcripturarum etiam veritas & fidelitas, ac ſinceritas reddebatur manifeſta. Falſum porro eſt; quod ait Bellarm. Irenæum aſſerere, non eſſe aliam viam perueniendi ad veritatem, quam conſulendo Eccleſias, in quibus eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis; & hæreticos conuinci non poſſe ex Scripturis. Eadem enim via eſt Irenæo traditio, atque Scriptura; licet hæretici ab vtraq; conarentur effugere. Contra quos primum agit ſola traditione, perinde ac ſi ſcripta non eſſet, & ex ea conuincit tunc præſentem fidei doctrinam eandem eſſe, quam Apoſtoli prædicarunt, & ijs tradiderunt, quibus Eccleſias commendabant; & quia Scriptura eandem penitus doctrinam continebat, ideo ex traditione etiam Scriptura manebat confirmata, tanquam poſterius à ſuo priore, cũ pręſertim etiá Scriptura per eandem traditionẽ ab Apoſtolis & primis Spiritus ſancti ſcriptoribus Eccleſiis cõſignata fuerit. Ac propterea poſt confirmatã & doctrinam & Scripturam ex traditione contra eoſdẽ agit Scripturis, & his verbis incipit. *f Traditione igitur, quæ eſt ab Apoſtolis ſic ſe habente in Eccleſia, & permanente apud nos, reuertamur ad eam, quæ eſt ex Scripturis oſtenſionem, &c.*] Et quemadmodum doctrinam ſui temporis Catholicam probauerat ex traditionibus, prædicationibuſque Apoſtolorum eatenus rite conſeruatis: ita eandem penitus probat ex Scripturis: Imo nullum peculiarem fidei articulum in particulari ex traditione ſola probauit, niſi totam doctrinam Catholicam in genere; & quia Catholica tota doctrina illius temporis erat in Scriptu-

f Iren. l. 3. c. 5.

Scripturis;inde Scripturarum veritate ex traditionibus confirmata, ad particularia dogmata iam Scripturis tradita deſcendit, neque amplius ad traditiones prouocat. Potuit autem tunc commode, puris hactenus & incorruptis traditionibus exiſtētibus,ad eas refugium habere, quod nunc fieri nō poteſt, quia Eccleſia ſemel bene nixa Scripturis, iјs conſeruandis illaborauit, & per manus tradendis;à traditione vero viuæ vocis, quæ verbalis eſſet tantummodo,abſtinuit, quia fideliores pro poſteritate ſunt Scripturæ,& tutius,ac facilius illæſæ cōſeruantur,quam voces.

XXXV. *Clemens* a *Alexandrinus fatetur ſe à familiaribus ſuis compulſum, vt traditiones quas à veteribus presbyteris accepiſſet literis proderet ad poſteritatem.*] Oporteret tamen dogma aliquod noſtræ fidei,tanquam verbum Dei proferre, quòd Clemens traditione non ſcripta acceptum,poſteritati prodiderit,& in Scripturis non habeatur. Alioquin ex Clemente nihil habemus pro noſtra principali quæſtione. Prodere enim potuit traditiones mere Apoſtolicas circa intelligentiam dogmatum,quæ ſcripturis ſint comprehenſa, & circa ritus ac praxes; & de his traditionibus non eſt quæſtio. Origenes quoque traditiones admittit,ſed in ritibus dumtaxat,& praxi Eccleſiæ: vt eſt b infantes eſſe baptizandos;& in aliis, c *qua* inquit *omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorum omnibus patet: Cum ita amplius ea, & exequimur, vt à magno Pontifice,atque eius filiis tradita, & commendata ſuſcepimus.*]Exempla dat Genuflexiones in precibus: Orationem ad orientem: Ritus Euchariſtiæ ſumendæ,& Baptiſmi conferendi,&c. Huius generis traditiones non ſcriptas nemo puto abijciet.

a Apud Euſeb.lib.6.c.11.

b Orig.in cap.6. Epi. ad Rom.

c Idem in num.to.5.

XXXVI. *Euſebius ait Chriſtum in mentibus bene diſpoſitis documenta noui Teſtamenti deſcripſiſſe; quia Chriſtus nihil ſcripto, ſed omnia viua voce tradidit: & ea cordibus non auribus dumtaxat committebat.* d *Apoſtolos quoque, ait, iis qui capere poterant, præcepta à Chriſto commendare ſolitos, aliis vero infirmioribus, ſeſe eorum captui accōmodantes, alia partim literis, partim ſine literis, quaſi iure quodam non ſcripto ſeruanda commendaſſe.*] Sed certe Euſebius hoc loco de Traditionibus, prout à nobis nunc excogitantur,nihil prorſus habet. Traditiones enim dogmaticæ non ſcriptæ ſi cui tradendæ & commendandæ erant ab Apoſtolis, eæ profecto fortioribus & capacioribus, meliuſque diſpoſitis committendæ erant, non autem imbecillioribus & minus capacibus; & tamen Euſebius dicit, Apoſtolos,his infirmioribus condeſcendentes, aliqua iure non ſcripto ſeruanda commendaſſe. Non igitur loquitur de doctrina, & dogmatibus,ſed de forma viuendi, ac vitę genus eligendi. Fortiores enim,& qui capere poterant,ad altius,& ſublimius vitæ genus, vt ibidem explicat Euſebius, ab Apoſtolis euehebantur,ad cælibatum,ad vitam quandam cęleſtem cōtemplatiuam,à ſæcularibus negotiis remotam,&c. Alij vero imbecilliores, & huius altioris vitæ incapaces inſtruebantur ita mundo vti, vxori & liberis vacare,mercaturā aliaq; mūdana negotia exercere, vt ſimul fidē, & puritatē conſeruarent. Sed ad hāc vitam cōmunem, ait, Apoſtolos aliquā documenta ſcriptis ſuis, aliqua etiam ſola voce tradidiſſe, quæ tamen illæ quaſi iure non ſcripto conſeruarēt. Hic eſt verus Euſebij ſenſus, eo loco ſatis clare explicatus.

d Euſeb. demonſt. Euang.l.1. c.8.

XXXVII. *Athanaſius ait* e *à Patribus ad Patres traditam per manus fuiſſe illam ſententiam.*] Quam nam? quæ nam dogmata non ſcripta, & tamen quæ verbum Dei ſint, probat Athanaſius ex Patrum traditione? Probat vocem *conſubſtantialis*, etiaſi à Patribus ante Concilium Nicænum fuiſſe agnitam, & admiſſam. *Hoc igitur* (inquit) *intellectu Patres, qui Niceæ conuenerunt iſtas voces vſurpare voluerunt: ipſos porro non ex ſe, quod aduerſarii obiiciunt, hæc vocabula finxiſſe, ſed ab aliis olim accepiſſe, age in præſentia declaremus, ne ea eis cauillatio integra relinquatur.*] Et profert Theognoſtum, Dionyſium Alexandrinum, Dionyſium Romanum,& Origenem, tum ſubinfert illa: *Ecce nos demonſtrauimus iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe.*] Non tractat de dogmate aliquo non ſcripto, ſed ſenſum dogmatis & traditi & ſcripti, f (*Ego & Pater vnum ſumus*) contra Arianos quid ſignificaret, inquirebat;& quia ad veri ſenſus Catholici explicationem vox ὁμοούσιον, conſubſtantialis, inſeruiebat, hanc conſubſtantialitatem Patres veteres,& tenuiſſe,& docuiſſe, & per manus tradidiſſe ſucceſſoribus,contendit Athanaſius,quæ eſt traditio Apoſtolica,non in aliquo dogmate non ſcripto proferendo, ſed in dogmatis ſcripti intelligentia aperienda.

e Athan. de decret ſyn Nicen.

f Ioan. 10. 30.

XXXVIII. Baſilius Traditionum maximus aſſertor noſtris videtur eſſe,præſertim g Bellarmino, Baſilium tamē ſolas commemorare traditiones Apoſtolicas circa ritus,& praxim Eccleſiæ non eſt dubium,neque id negat Bellarm. Tales enim traditiones rituum,partim ſcriptæ ſunt in libris Canonicis, partim non ſcriptæ, ſed vera & legitima traditione in Eccleſia vniuerſali conſeruatæ;& hoc teſtantur Patres:& tales traditiones aut damnare, aut negare mihi magnum videtur abſurdum. Atque interim vanus timor eſſet, ſi quis ex harum traditionum, vt legitimarum & admiſſarum, aliquod verbum Dei non ſcriptum admitti oportere ſuſpicaretur. Tales enim traditiones,quæ extra Scripturam poſt datam totam Scripturam habeantur, verbum Dei non ſunt,ſed ſimpliciter verbum humanum,etiam ſi Apoſtolicum; ac proinde libertati Eccleſiæ permiſſum,vt pro tēpore ritus illi,& conſuetudines, quāuis ab Apoſtolis inſtitutæ, ex legitima cauſa aut omitti aut variari poſſint. Fatetur Bellarm. aliqua, quæ ad ritus continent traditiones, non eſſe neceſſaria ad ſalutem ; potuit commode dicere, nulla eſſe neceſſaria; ſed ait neceſſarium tamen ad ſalutem eſſe, credere illa eſſe bene inſtituta, & ea non contemnere. Aſſentior. Et quis reprehendat antiqua Apoſtolorum,& Eccleſiæ inſtituta,niſi inſaniat? aut contemnat, vel ex contemptu omittat? ſi iam aliqui ritus ab Apoſtolis etiam inſtituti inutiles facti ſint, aut ſuperſtitioni, & abuſui inſeruiant, commode aut omitti aut variari poſſunt, imo debent. Et ita licet iuſte aboleantur, adhuc tamen vir Catholicus,qui abolitioni conſentit, credit fuiſſe bene & ſancte inſtitutos,ac ſuo tempore ſeruādos; & interum nunquam contemnendos: omittere enim eos ex cauſa,non eſt eos contemnere. Credere vero eos eſſe bene inſtitutos & non contemnendos;eſto,ſit neceſſarium ad ſalutem;eos tamen ſemper ſeruare non eſt neceſſarium ad ſalutem; & hoc nomine traditiones iſtæ nihil continent,quod exequi ſit neceſſarium ad ſalutem. Sed neque illę vllum dogma proponunt extra Scripturam, quod credere neceſſarium ſit ad ſalutem, licet explicationes & veros dogmatum ſenſus dare poſſint: ipſę vero ſe ipſas eſſe fide diuina credendas nunquam proponunt: ſicut neq; Scriptura vnquam ſe ipſam eſſe veram diuinam ſcripturam fide credendum proponit,ſed omnia alia, quæ ſunt diuina fide credenda, illa proponit. Addit tamen Bellarm. Baſilium, præter ritus & praxim ad traditiones non ſcriptas reuocare etiam quædam neceſſaria ad credendum,

g Bell. vbi ſup. de verbo Dei l.4. c.4.

nempe

nempe ſymbolum Apoſtolorum, & olei vnctionem in Sacramento confirmationis.] Olei tamen vnctio eſt merus ritus, meraque externa ceremonia, vt l. 5. c. 5. oſtendi; ad ſalutem nequaquam neceſſaria. Omnia autem, quæ ſunt in ſymbolo Apoſtolorum, ſunt etiam in Scripturis. (De deſcenſu Chriſti ad inferos nolo nunc diſputare) & aliud eſt credere ea, quæ ſunt in ſymbolo Apoſtolorum, aliud vero credere Apoſtolos ſymbolum illud confeciſſe. Illud prius diuina fide credimus, quia totum eſt in Scripturis: poſterius vero, quod non eſt articulus fidei, ſed hiſtoriæ, & ſane humanæ, ex traditione humana habemus, & humana fide credimus, ſicut ſiquis fuiſſet oculatus teſtis, & vidiſſet Apoſtolos ſimul iunctos ſymbolum illud componere, iſte non fide diuina crederet Apoſtolos ſymbolum compoſuiſſe, ſed humana ſenſata certitudine id ſciuiſſet, neque plus dat traditio poſteris, quam dederit viſus, & auditus, tunc præſentibus. Quod vero ait Baſilius, *vtraque eandem ad pietatem vim habere*, (hoc eſt, ſcripta, & non ſcripta) aures delicatas turbare non debet. Loquitur enim Baſilius de præceptis rituum; ad pietatem inquit, & non ait ad fidem. Pietatem vero iuuant æque ceremoniæ ab Apoſtolis inſtitutæ, & in ſacra Scriptura ſcriptæ, atque aliæ ab ijſdem inſtitutæ, ſed non ſcriptæ, Eccleſiis tamen commendatæ. Exempli gratia; æque ad pietatem valet *a* aperto capite virum orare, (quod ſcripſit Paulus,) atque ſigno crucis frontem ſignare, *b* quod habet ſola traditio. Tametſi vero Baſilius compararet etiam dogmatum traditionem, alteram per Scripturas canonicas, alteram per veram, & ſinceram traditionem, non video, cur vllo ſcrupulo anxie debeamus admittere Baſilij dictum, æqualis eſſe vtranque traditionem autoritatis: vt iam ſuperius num. 7. huius cap. oſtendi. Quicquid enim euidenter conſtat Eccleſiæ eſſe à Deo ſiue per ſe, ſiue per Filium ſuum, ſiue per ſuos miniſtros, aut voce, aut ſcripto reuelatum, id æque de fide accipiendum, & credendum eſt Eccleſiæ, ſiue illud ad ſalutem neceſſarium ſit, ſiue non; ſiue ſit magni, ſiue parui momenti. Nam neque Scriptura, neque vera traditio poteſt falſitatem vllam continere, & prior fuit traditio, quam Scriptura, & Scriptura per ſolam traditionem potuit & poteſt confirmari; & hoc dupliciter: initio quidem traditio, quæ doctrinam à Chriſto & Apoſtolis viua voce traditam fideliter conſeruabat, doctrinam ſcriptam eſſe illam eandem oſtendebat. Deinde vero traditio ſola potuit, & poteſt oſtendere ſcripturam, quæ nunc eſt indubitata in Eccleſiis eſſe illam eandem, quæ fuit initio ab Apoſtolis, & aliis Spiritus ſancti ſcriptoribus conſcripta: etiam traditio pro ſola ſecunda oſtenſione prodeſt plurimum, pro prima nihil, vt in præcedentibus docui. Addit ex Baſilio illud quoque *c* Bellar. illum aſſerere, *d* ſe contra hęreticos diſputantem ſępe vſum eſſe ſermonibus non ſcriptis, tamen cum Scripturis conſentientibus, & hoc vellet ipſe ad traditiones pertrahere: Vbi tamen Baſilius non loquitur de doctrina aliqua non ſcripta, ſed de locutione, & vocibus: ſe nimirum vſum fuiſſe vocibus, quę in Scriptura non adeſſent; puta *ingeniti, conſubſtantialis, &c.*

a 1. Cor. 11. 7
b Tertull. de corona mil.
c Bell. de verb. Dei l. 4. c. 11.
d Baſil. de vera fide.

XXXIX. Nazianzenus *e* Traditiones admittit, quoad ritus, & politiam Eccleſię, quas non negamus. Chryſoſtomus dum traditiones non ſcriptas *f* aſſerit, eodem modo eſt intelligendus, circa ritus, & praxim Eccleſię, Nam & *g* memoriam, quæ in myſterijs habebatur paſſim in Eccleſijs pro defunctis, ex traditione Apoſtolica prouenire cenſebat. Theophilus Alexandrinus Epiſtola prima, & tertia Paſchali, ieiuniorũ legem ad Apoſtolicam deducit traditionẽ. Hoc ad ritus & praxim ſpectat. De ritibus & ceremonijs agens Cyrillus Hieroſolymitanus, ſæpe traditionib. ea niti profitetur. *Epiphanius, quoad dogmatica, & fidẽ, ait, & h traditionibus Apoſtolorũ, & Scripturis, & ſucceſſionib. doctrinam firmari, ac muniri, vt nemo decipiatur nouis fabulis.*] Vt nimirũ eadẽ doctrina, quæ in Scriptura habebatur, etiam traditione, & ſucceſſione confirmaretur. Hic ergo nihil aut de traditionibus, quæ dogmata non ſcripta conſeruarent, aut de neceſſitate traditionũ habetur. Idẽ quoq; alibi aſſerit *i* non omnia ex Scripturis poſſe haberi, ſed aliqua ex traditionibus Apoſtolicis.] Intelligit de agibilibus, & de aliquibus pręceptis practicis in Scriptura poſitis obſeruandis, vt circa coniugia poſt votum, &c. Ait quoq; alibi *k* Eccleſiam habere à Patribus acceptã veram fidem, & traditiones. Ac ſtatim, quo ad traditiones, exemplũ ponit ſolemnitatis Paſchatis, &c. Damaſ. *l Plurima* (inquit) *Apoſtoli ſine ſcripto tradiderunt.*] Num dogmata fidei? minime vero: ſed quid? Docuerunt traditione non ſcripta, adorare, *inquit* imagines, & cruces, & orare ad oriẽtẽ, &c. Hæ traditiones dogmata nulla habẽt. Nam iſtę adorationes ceremoniæ ſunt, & ritus: licet propter cõtrouerſias ad dogma iam videantur reductæ. Sit ne verum Apoſtolicas traditiones (quod aſſerit Damaſcenus, Autor iam recentior) adorationem imaginum, & crucis docere, & quamnam, qualemue adorationem, non eſt hoc loco diſputandum: Aliquid in ſequentibus. Sed iam regulam habemus ſupra num. 27. veras traditiones ad Lydium lapidem probandi: ex quibus non permittamus nobis abuſus, & ſuperſtitiones, meraſque humanas, & hominum errantium traditiones, pro Apoſtolicis obtrudi. Hactenus de Patribus Græcis Bellarminus.

e Nazian. orat. 1. in Iulian.
f Chry. in 1. Cor. ho. 26.
g Idem in ep. ad Philip. hom. 3.
h Epiph. hær. 55.
i Idem hær. 61.
k Idem hær. 75.
l Damaſ. ortho. fid. l. 4. c. 17.

XL. Potuit tamen adhuc ex Athanaſio vrgere, dum ait. *m Vos autem permanentes ſuper fundamentum Apoſtolorum, & traditiones Apoſtolorum retinentes, optate quæſo, &c.*] Et ſermo Athanaſij eſt circa maximum dogma conſubſtantialitatis Filij. Poſſunt tamen hoc loco intelligi traditiones ſcriptæ, & nihil cogit, vt locus ſit de non ſcriptis. Poſſunt etiam non ſcriptæ hic accipi, non quo ad dogma de Filij diuinitate; ſed quo ad doctrinam, & explicationem conſubſtantialitatis. Vt velit Athanaſius traditione non ſcripta in canonicis Scripturis haberi, Apoſtolos vnitatem, & identitatem Filij cum Patre explicaſſe in natura & ſubſtantia, & non in ſola gratiæ & charitatis participatione. Baſilium quoque vlterius adducere poterat; vbi ait. *n At vero, vt ne ſepares à Patre, & Filio Spiritum ſanctum, compeſcat te traditio. Dominus ſic docuit, Apoſtoli prædicauerunt. Patres conſeruarunt, martyres confirmarunt.* Hæc traditio certe eſt de dogmate Trinitatis, & partim ſcripta eſt, partim non ſcripta: quæ Dominus docuit de hoc dogmate, ſcripta ſunt: quæ Apoſtoli prædicauerunt, & ad dogmatis verum ſenſum, & veram intelligentiam explicandam; ea partim ſcripta ſunt, partim etiam traditione per manus, apud Patres conſeruata. Ad quam traditionem penes Patres conſeruatam idem Baſilius rurſus confugit, vbi modos quoſdam loquendi de Filio nititur comprobare: *o Quicunq;, ait, per morum conſtantiã, antiquitatis authoritatem nouationib. prætulerunt, & Patrũ traditionẽ*

m Atha. de ſym. in fin.
n Baſil. cont. Sabell & Arium.
o Idem de Spir. ſanct. c. 7.

inuio-

inuiolatam per regiones ac ciuitates conſeruarunt, hac *voce* (*Cum quo*) vſi ſunt.] Nos de Patrum traditione, & autoritate inferius proprio capite, nim. ſexto, agemus. Potuit etiam fratrem eiuſdem Baſilij pro traditionibus afferre Gregorium Nyſſenum *a* qui ex occultiori traditione haberi ait, homini cuique poſt lapſum Angelum cuſtodem eſſe aſſignatum. Humana tamen hæc traditio fuerit; Nam initium ipſius non commemorat, à Deo ne in veteri Teſtamento ita primum traditum, an à Chriſto, an ab Apoſtolis. A Rabinis puto hanc traditionem emanaſſe; cui Nyſſenus pie, tanquam veræ fidem adhibet: humanam quidem puto, non diuinam. Potuit ex Clemente Alexandrino afferre locum, vbi ait, *Traditionem* b *eſſe quo tempore, & qua occaſione ſcripta ſunt Euangelia.* Hæc de Græcis. Iam de Latinis Patribus.

a Nyſſen. de vita Moyſis.

b Apud Euſeb. hiſt. l. 6 c. 11.

XLI. Tertullianus inde traditiones non ſcriptas admittit, *c* quia multa, quæ tamen ad ritus duntaxat & praxim pertinent, non poſſint niſi conſuetudine & traditione confirmari. Si vero interdum idem Tertullianus non ad ritus, ſed ad dogmata videtur traditionibus aliquem vſum dare, id facit, vt fecit Irenæus, ſupra n. 6. quod traditiones tunc temporis adhuc recentes ſimul cum Scriptura conſeruarentur, & ſcripturam confirmabant. Ideoque dicebat, *d Traditioni Apoſtolorum Eccleſiæ autoritatem patrocinari;*] Hoc eſt, teſtimonium Eccleſiæ docere, quænam fuerat doctrina Apoſtolica, ab ipſis viua voce tradita; Eccleſia enim eſt depoſitorium doctrinæ Apoſtolicæ, initio quidem & per viuam vocem, & per Scripturas traditæ; poſtea vero non niſi per Scripturas, aut per viuam vocem, non tamen niſi ex ſcripturis. Tertulliani igitur tempore conſuetudo Eccleſiaſtica, ex traditione, vt ipſe ait, manans illud habebat, vt baptizandus renunciaret Diabolo, pompæ, & Angelis eius; lactiſq; ac mellis concordiam prægustaret; & Euchariſtia de manibus Antiſtitis, etiam cætibus antelucanis ſumeretur: oblationes pro defunctis anniuerſariæ fierent: die Dominico non ieiunaretur: de geniculis adoraretur, excepto tempore Paſchali: panis & vinum Euchariſticum cum reuerentia tractarentur; frons cruce ſæpiſſime ſignaretur. Horum, & ſimilium, *inquit*, traditio prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, *e* fides obſeruatrix.]

c Tertul. de corona milit.

d Idem cont. Marcion. l. 4.

e Idem de corona mil.

XLII. Cyprianum Traditionibus vſum affirmat Bellarm. quia *f* vnctionem baptizatorum ille neceſſariam eſſe dixit, & tamen ex Scriptura non eſt neceſſaria: ergo ex traditione: At cur non poteſt eſſe neceſſaria ſolo iure poſitiuo Eccleſiaſtico? ſi traditio diuina vnctionem iniunxiſſet, omnes Eccleſiæ illam vnctionem adhibuiſſent, quod non eſt verum, vt oſtendi lib. 5. c. 5. Ait quoque Cyprianus *g* Dominica traditione calicem vino debere miſceri, & tamen in Scriptura non habetur aut factum aut præceptum, vt aqua vino in Cæna Dominica miſceatur. Ergo hæc erit traditio non ſcripta.] Reſpondeo primo id quoq; ad ritum pertinere & ceremoniam, non ad dogma. Reſpondeo ſecundo ſæpe in ea Epiſtola Cyprianum *miſceri calicem vino*, intelligere, vinum debere in calicem infundi, & non puram aquam: quamuis velit etiam ne vinum quidem merum infundi, ſed miſtum aqua, propter myſterium quoddam, quod ibi explicat. Vbi igitur contendit Dominica traditione calicem miſtum vino offerri debere, intelligit calicem cum vino, & non cum pura aqua. Dominus enim facto ſuo, vino, & non pura aqua vſus eſt, & hoc conſtat ex Scriptura. Impugnat enim Cyprianus eos, qui aqua pura in myſteriis vtebantur. At vero aquam debere miſceri vino, hoc nunquam dixit ex Dominica haberi traditione. Neq; enim calicem miſceri vino, ſignificat vinum aqua miſtum infundi, ſed ſimpliciter vinum infundi, ad excludendam puram aquam, licet vinum illud aqua miſtum ſolere offerri aſſerat Cyprianus, id tamen à Domini traditione non deducit, qua in re hallucinantur multi.

f Cypr. l. 1. ep. 12.

g Idem l. 2. ep. 3.

XLIII. Ex Hilario *h* Bellarminus Traditionem aliam non habet, niſi eam quam ego libenter, imo & neceſſario admitto: non dogmatum, ſed intelligentiæ ſanæ illorum. Conſtantius iubebat, ne Epiſcopi Catholici vterentur vocibus in Scriptura non contentis, vt ſic nomen *conſubſtantialis*, quo Ariani impetebantur, tolleretur. Reſpondet Hilarius: Epiſcopis in rebus eorum curæ commiſſis, vt eſt fides, neminem poſſe iubere; & vocem illam, licet in Scripturis non ſit, explicare tamen verum ſenſum Apoſtolicæ prædicationis; *procul dubio traditione conſeruatæ*; quem ſenſum corrumpere tentabant Ariani; cui corruptioni antidotum dare tenebantur Catholici; & ab hoc deterreri non poterant. *Ambroſius* non niſi pro ritibus & ceremoniis vtitur traditionibus, quas non negamus. Symbolum etiam Apoſtolorum ad Apoſtolicam reducit traditionem: ſed iam oſtendi num. 38. dogmata illius ſymboli omnia eſſe in Scriptura: & ratione dogmatum ſymbolum illud traditioni ſoli non ſcriptæ non deberi, ipſum vero ab Apoſtolis confectum, ſeu compilatum fuiſſe, eſt traditio aliqua, quod ad rem noſtram nihil facit. Eſt enim mera facti hiſtoria.

h Hil. con. Conſtan-tium.

XLIV. *Hieronymus i* Quadrageſimale ieiunium ad traditionem Apoſtolicam reducit. Hic vero eſt ritus & praxis. Miror autem alterum etiam locum pro traditionibus à Bellarmino, ex Hieronymo afferri, qui nihil æat cum diuinis, aut cum Apoſtolicis congruit Traditionibus, ſolas Eccleſiaſticas attingit conſuetudines, quæ vim præcepti Eccleſiaſtici dumtaxat ſeu legis Eccleſiaſticæ ſolent habere. Ex traditione tamen Dominica ait *Hieronymus* haberi *k* orationem Dominicam in liturgia debere recitari.

i Hier. ep. ad Marcellam.

k Idem adu. Pelag. l. 3.

XLV. Auguſtinus procul dubio ſæpiſſime Apoſtolicas commemorat traditiones, ſemper tamen in rebus practicis, ritibus & obſeruationibus Eccleſiaſticis, quæ ex traditione Apoſtolica propria, vt Apoſtolorum, non vt Domini eſt, dimanarint. Loca plura Bellarminus ex Auguſtino affert, primum ex Epiſtol. 118. de feſtiuitatibus in memoriam Chriſti, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c. Diſtinguitque ibidem Auguſtinus traditiones, quæ ſunt vniuerſales in tota vniuerſali Eccleſia, à traditionibus particularibus particularium Eccleſiarum, quas eſſe liberæ obſeruationis ait. An vero etiam priores ſint liberæ obſeruationes, videbimus poſtea. Alia loca ex Auguſtino profert ex lib. 2. de baptiſmo. cap. 7. & lib. 4. c. 6. & c. 24. & lib. 5. cap. 25. & lib. de vnitate Eccleſ. cap. 19. Quibus locis aſſerit in genere; *Ea quæ ab omnibus Eccleſiis obſeruantur, non niſi ab Apoſtolis tradita credi, idque Eccleſiæ teſtimonio confirmari.* Et hæc quidem eſt generalis ipſius ſententia, in ſpecie tamen propter anabaptiſmum prolata. Eſt autem duplex modus de anabaptiſmo diſputandi, vnus *dogmatice*, an Baptiſmus à malo miniſtro, vel hæretico datus, ſit legitimus & verum Sacramentum; nec ne; Et in hac diſputa-

putatione nullus eſt apud Auguſtinum aut alium quemcunque vſus traditionum. Sed ex Scripturis, & rationibus ſcripturalibus nodus diſſoluitur. Alter modus eſt, *practic*: id eſt, quinam ſit, & fuerit vſus Eccleſiæ vniuerſalis, à temporibus Apoſtolorum, num ſcilicet ab hæreticis baptizati, cum ad Eccleſiam venirent, rebaptizarentur; an vero ſub ſolo baptiſmo ab hæreticis habito reciperentur: & hunc vſum, hancque conſuetudinem ſolis probant traditionibus. Nam de vſu talis caſus in Scripturis nihil conſtat. Traditiones autem, quo ad rerum praxim, non negantur. In particulari tamen Auguſtinus multa ad traditionem reducit, omnia de ritibus, & vſu rerum. Conceptionem Chriſti contigiſſe die 25. Martij, ait traditione à maioribus conſeruare Eccleſiam. De Trinitat. lib. 4. cap. 5. Quod Baptiſmus vocetur *ſalus*, & Euchariſtia *vita*, Apoſtolica traditione ait haberi, de peccator. mer. & remiſſ. lib. 1. cap. 124. Modus ſumendi Euchariſtiam, ait Paulum docuiſſe, & id traditione iam haberi. Epiſt. 118. Adamum ex inferno ſolutum à Chriſto. 1. Pet. 3. ait vniuerſam ferme Eccleſiam tenere, vndecunque, *inquit*, hoc traditum ſit; etiam ſi in Scripturis canonicis non habeatur. Epiſt. 99. Infantes eſſe baptizandos Apoſtolicam ait eſſe traditionem. De Geneſi ad lit. lib. 10. cap. 23. &c. Fateor tamen Patres non dogma vllum, ſed dogmatum ſanam intelligentiam ſæpe ex traditionibus quærere: qua de re inferius capite quarto, & capite ſexto agam.

XLVI. Argumenta pro traditionibus in ſuo ſenſu quatuor tractat *a* Bellarminus. *Primum, quia ab hæreticis ſemper reiectæ fuerunt traditiones; ergo à Catholicis retinendæ.*] Reſpondeo veras traditiones à Valentinianis, & Marcioniſtis quos ipſe producit non fuiſſe negatas, aut reiectas, imo Scripturis noui Teſtamenti ſtare nolebant, propterea quod priores fuerint traditiones, quam Scripturæ; ſed etiam traditionibus obiiciebant, Apoſtolos nimirum legalia Euangelio permiſcuiſſe. Nihilominus Patres contrà eos, & traditionibus & Scripturis egerunt, & tam traditiones quam Scripturas ab omni obiectione vindicarunt; iiſque eos conuicerunt. Itaque ne hæretici quidem veras traditiones abijciebant, ſed eas impuras eſſe cauſabantur. Impuras verò Traditiones abijciendas eſſe, omnes Catholici fatemur. Cyprianum profert in anabaptiſmo *b* errantem, erroremque ſuum ſine traditionum abiectione defendere non valentem.] Reſpondeo Cyprianum Stephani Pumani reſcriptum, *qui nihil innouandum, ſed et quod traditum eſt ſtandum eſſe ſtatuebat*, declarare, & in quo ſenſu verum eſſe poſſit, interpretari: vt videlicet ſtetur veræ, & ſinceræ traditioni. Veram autem, & ſinceram traditionem illam eſſe ſentit, quæ initium habeat à Domino vel Apoſtolis etiam canonicis ſcripturis ſit conſignata; aut ſaltem canonicis ſcripturis non ſit contraria. Ipſe vero contrarium ex ſcripturis videbatur ſibi colligere, propterea traditionem ſcripturalem, traditioni non ſcriptæ præferebat. *Auguſtinus* qui hunc Cypriani ſenſum ponderabat & examinabat, non eſt auſus dicere, quod ait Bellarminus, *Cyprianum traditiones reiicere, & ad ſcripturam prouocare*: ſed rationem Cypriani vt optimam admiſit: ſtandum nimirum eſſe traditioni ſcriptæ; & non ſcriptis illis talem fidem adhibendam, quæ à Dominica vel Apoſtolica voce, à ſuo nimirum fonte emanantes, tanquam per canalem ad illa tempora dirigerentur; & in hoc Cyprianum ſequitur *c* Auguſtinus, atque ex fonte Scripturarum id confirmat, quod traditum ſeruandum eſſe reſcripſerat. Stephanus, dum probat nihil contra ſcriptam traditionem eſſe; ſi praxis vniuerſalis Eccleſiæ ſeruetur. Si enim Cyprianus conuictus fuiſſet Eccleſiæ vniuerſalis vſum & conſuetudinem ab anabaptiſmo abhorrentem, traditioni ſcriptæ non repugnare, procul dubio ceſſiſſet, & traditioni legitimæ, ab obiectionibus liberatæ locum dediſſet. Veram enim & puram, ac ſinceram, fidelemque traditionem nunquam negauit. Arianos quoque traditiones reſpuiſſe, probat ex Hilario & Epiphanio. Ita etiam Neſtorianos ex Baſilio, ac alios, & demum Wicleffum, & Lutheranos, &c.] Ariani acriter reſtiterunt, ne verbum ὁμοούσιον, quod in Scripturis non erat, admitterent, & nulla traditio diuina aut Apoſtolica offerri eis vnquam potuit, ex qua vocem hanc haberet Eccleſia. Habuit illam ſola Patrum traditione, vt vidimus ſupra numer. 10. ex Athanaſio: traditiones autem Patrum non ſunt illæ de quibus nunc diſputamus, neque illæ ſemper tutæ ſunt & infallibiles; vt ſuo loco videbimus. Mittamus tamen hoc odioſum & vix topicum argumentum. Nam hæretici omnes abiecerunt ſcripta vere Apocrypha, neque ea in Canonem admitti vnquam permiſerunt; num propterea Catholici debent ea vt canonicas ſcripturas admittere? Mitto etiam *alterum argumentum* nihil priori fortius: *Quod Iudæi habuerint traditiones non ſcriptas; quod Reſpublicæ profanæ etiam legibus non ſcriptis regantur; quod Pericles, Ariſtoteles, Lycurgus, Cicero, Pythagoras, Socrates, Iura ciuilia, &c. Traditiones admittant & conſuetudines.* Nos enim veras, & ſinceras in agibilibus admittimus, non in dogmatibus.

a Bell. de verbo Dei l. 4. c. 3.
b Cypr. ad Pompei & ad Iulian.
c Aug. de bapt. l. 5. c. 26. & de vnit. eccl. c. 19.

Tertium argumentum eſt, Dignitatem Eccleſiæ XLVII.
Chriſtianæ, quæ eſt *d* columna, & firmamentum veritatis, ac diues Depoſitorium ſcientiæ ac rerum diuinarum requirere, vt nouerit ſecreta ſui Sponſi, & plus quam Sectæ quæcunque: quod verum non eſſet, ſi in Scripturis continerentur omnia myſteria fidei.] Reſpondeo me de autoritate Eccleſiæ ſeorſim proprio cap. inferius acturum. Interim tamen ſciat Eccleſiam Chriſtianam excellere omnes Sectas, non ſola chartaceorum librorum conſeruatione, & nuda litera occultorum myſteriorum; ſed etiam, & multo magis intelligentia ſcriptorum myſteriorum; ac fide & moribus rebus ſcriptis conformibus. Aliæ Sectæ poſſunt habere corticem, ſed Eccleſia noſtra penetrat in intimas medullas; & ſicut omnia ad ſalutem neceſſaria ſunt in Scriptura, & plurima ad iucunditatem fidelium Spiritus, & conſolationem, ita illis contenta eſt; & illa ſcire ei eſt ſufficientiſſimum: alia ſecreta ſui Sponſi, quæ ille chartis committi noluit ſub deuoto ſilentio veneratur. Vt pluribus perſequar capite nono huius.

d 1. Tim. 3.

Quartum argumentum eſt. e Myſteriorum noſtro- XLVIII.
rum dignitatem ſilentium poſtulare; nec decere vt ex Scripturis, quæ toti mundo leguntur explicentur. Sic Patres multa ſeorſim à catechumenis, ſeorſim ab infidelibus docebant.] Reſpondeo *f* Deum non eſſe acceptatorem perſonarum, vt ſua myſteria quibuſdam etiam ex fidelibus reuelet, & quibuſdam abſcondat: Abſcondit quidem, non ſubticendo, neque ſubtrahendo ſua verba, ſed permit-

e Bell. de verbo Dei l. 4. c. 8. & c. 11.
f Act. 10. 34.

permittendo, *vt videntes non videant, & intelligentes*
non intelligant, qui videlicet verbum audiunt, ſed non capi-
a Matt. 11. 25. *unt*. Quibus quippe a ſapientibus, & prudentibus
mundi abſcondit alta myſteria, quæ non reuelat ni
ſi paruulis. Patres vero ſolebant clam Catechume-
nis aliqua dicere, non articulos aliquos, ſeu do-
gmata non ſcripta proponentes, ſed ipſa dogmata
ſcripta explicantes ſolis prouectis, quæ nimirum
aut ſcandalo eſſent puſillis, aut contemptui non-
dum talium capacibus. Neq; video quomodo hinc
ſequatur debere eſſe aliquas traditiones non ſcri-
ptas; propterea quod non debeant eſſe omnibus
notæ; ſi traditio vera non eſt, niſi quam vniuerſa in
ſe conſeruat extra Scripturam Eccleſia, ergo vni-
uerſa Eccleſia eam nouit; ergo nemini fidelium,
quantum ex ſe, illa eſt occulta. Num ſoli Epiſcopi
ſolis Epiſcopis à ſe ordinatis illa tradũt per manus?
an ſolis presbyteris? & quis vnquam vidit aut no-
uit aliquas traditiones à paucis fidelibus ad pau-
b Matt. 10. 27. cos tranſire? certe Chriſtus dicebat. b *Quæ in au-*
re auditis, prædicate ſuper tecta: c *Quod vobis dico, omnibus*
c Matt. 13. 37. *dico*; d *Ite, docete omnes gentes, &c.* Moneo vero etiam,
hoc olim fuiſſe hæreticorum argumentum, quo
d Matt. vl. fidem vniuerſalis Eccleſiæ ſuis falſitatibus corrum-
pere conabantur, docentes ea, quæ vniuerſalis Ec-
cleſia non haberet. Dicebant enim, Apoſtolos ali-
qua publice omnibus fidelibus ſuis auditoribus
tradidiſſe; aliqua vero etiam ſecreto paucos docuiſ
ſe, quæ iam ipſi docerent; vt hoc pacto ſuos errores
ad primam regulam Apoſtolicæ doctrinæ quoquo
modo reducerent, quos aliter ſuadere non pote-
rant, ac multo minus tueri. Contra eos, & conſe-
quenter contra hoc traditionum ſomniatarum ar-
gumentum omnis erroris inductiuum, ſic inſurgit
e Tertul. *Tertullianus*: e Dominus palam edixit, ſine vlla ſigni-
de præſcr. ficatione alicuius taciti Sacramenti; ipſe præcepe-
rat, ſiquid in tenebris & in abſcondito audiſſent,
in luce, & in tectis prædicarent. Ipſe per ſimilitudi-
nem præfigurauerat, ne mnam, id eſt, vnum verbũ
eius ſine fructu in abdito reſeruarent. Ipſe doce-
bat lucernam non ſub mod.o obſtrui ſolere, ſed in
candelabrum conſtitui, vt luceat omnibus, qui in
domo ſunt. Hæc Apoſtoli aut neglexerunt, aut mi-
nime intellexerunt, ſi non adimpleuerunt, abſcon-
dentes aliquid de lumine, id eſt Dei verbo, & Chri
ſti Sacramento. Neminem, quod ſcio, verebantur,
non Iudæorum vim, non Ethnicorum: quo magis
vtiq; in Eccleſia libere prędicabant, qui in ſynago-
gis, & in locis publicis non tacebant: imo neq; Iu-
dæos conuertere, neq; Ethnicos inducere potuiſ-
ſent, niſi, quod credi ab eis volebant, ordinarie ex-
ponerent. Multo magis iam credentibus Eccleſiis
nihil ſubtraxiſſent, quod aliis paucis ſeorſum de-
mandarent: quamquam etſi quædam inter dome-
ſticos, vt ita dixerim, diſſerebant, non tamen ea fu-
iſſe credendum eſt, quæ aliam regulam fidei ſuper-
ducerent, diuerſam, & contrariam illi, quam Ca-
tholice in medium proferebant: vt alium Dominũ
in Eccleſia dicerent, alium in hoſpitio: & aliã Chri-
ſti ſubſtantiam deſignarent in aperto, aliam in ſe-
creto: & aliam ſpem reſurrectionis apud omnes an
nunciarent, aliam apud paucos: cum ipſi obſerua-
rent in Epiſtolis ſuis, vt idipſum & vnum loquerẽ-
tur omnes, & non eſſent ſchiſmata, & diſſenſiones
in Eccleſia; quia ſiue Paulus, ſiue alij, eadem prædi-
carẽt. Alioquin meminerant, *ſit ſermo veſter*, Eſt, eſt:
Non, non; quod amplius, hoc à malo eſt, ne Euan-
gelium in diuerſitate tractarent. Omnia iſta ſcrupu
loſitatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreti-
cis.] Sic Tertullianus contra hæreticos ſui tempo-
ris, quos ibidem arguerat dementiæ, cum confite-
rentur quidem nihil Apoſtolos ignoraſſe, nec di-
uerſa inter ſe prædicaſſe, ſed non omnia vellent il-
los omnibus reuelaſſe; quædam palam, & vniuer-
ſis, quædam paucis, & in ſecreto demandaſſe. Qui
etiam ad has ſecretas traditiones trahebant depo-
ſitum illud quod Paulus Timotheum iubebat cu- 1. Tim. 6.
ſtodire: quod depoſitum explicat Tertullianus eſ- 20.
ſe totam doctrinam de Chriſto; nimirum inculcari
à Paulo de non admittenda alia præter eam, quam
audierat ab ipſo.] Agnoſcit Tertullianus Paulum
in tertium cælum raptum didiciſſe ſecreta aliqua:
ea tamen ad has ſecretas traditiones non pertinere
oſtendit, quia ſi alicui ea Paulus inſinuaſſet, profe-
cto ſecreti proditi reus fuiſſet, cui illa eloqui non
fuerat permiſſum. Nihil ergo hæc concludunt ar-
gumenta, ſed omni errori ianuam aperiunt.

Meum autem vnicum & ſolidum argumentum, XLIX.
quo Traditiones diuinæ verbum Dei dogmaticũ
continentes iam omnino ſint reſpuendæ, eſt, quia
nulla vera traditio iamdiu poteſt in Eccl.ſia haberiextra
Scripturam; per regulam à me ſupra num. 27. ex Ly-
rinenſi traditam; *vt conſtet, id vbiq; ab omnibus & ſem-*
per ita traditum eſſe; & ſi quid tale nunc probari po-
teſt fuiſſe aliquo tempore in Eccleſia traditum, id
vbique, ab omnibus, & ſemper ab initio quo ali-
quod dogmaticum, vel factum vel dictũ ſit à Deo,
vel diuinis miniſtris vſq; ad illud tempus, id iam di
co in Scripturis contineri, & nihil tale extra Scri-
pturas poſſe proferri. Illa vero tria, *vbiq; ab omnibus*,
& *ſemper* intelligo, vt ſimul in eadem traditione in-
ueniantur, vt ſit vera, legitima, & authentica. *Bellar*
minus enim hæc perperam ab inuicem ſeparat. Ille
enim quinq; regulas ponit ad veram traditionem
confirmandam, quarum ſingulas vult ſufficere; &
in hoc plurimum errat, alioſq; in errores inducit. f f Bell. de
Prima regula (inquit) *eſt quãdo vniuerſa Eccleſia aliquid,* verbo Dei
tanquam fidei dogma amplectitur, quod non inuenitur in l. 4 c. 9.
diuinis literis, neceſſe eſt dicere id ex Apoſtolorum traditione
haberi: quia Eccleſia vniuerſa errare non poteſt.] De Ec-
cleſię autoritate ſuo proprio capite ego inferius diſ
putabo, & hæc diſcutiam. Nunc dico regulam eſſe
fallacem, & inſufficientem; ſi enim Eccleſia etiam
vniuerſa aliquid doceat extra Scripturam, quod
ipſa Eccleſia ſemper non docuit, illud non poteſt
eſſe traditio Apoſtolica, quia quod ab Apoſtolis
traditum eſt, id per manus in primitiua tota Eccle-
ſia acceptum fuit, & ab illa ſucceſſiue poſteris tradi
tum. Niſi ergo inueniatur primitiuam Eccleſiam i-
ta docuiſſe, fruſtra ad traditionem Apoſtolorum re
curritur; quod ſi Eccleſiam primitiuam contrarium
docuiſſe oſtendatur, tunc prætenſa traditio erit error
manifeſtus; Poſſe vero Eccleſiã fere vniuerſam errori-
bus, ſaltem ad tempus, infici, probabo ſuo loco. Et
licet verum eſſet Eccleſiam errare nõ poſſe, ac pro-
inde id quod illa vniuerſaliter docet, eſſe verum &
de fide; non propterea ſequitur id Eccleſiam ex tra
ditione Apoſtolorum habere, ſed ad ſummum ſe-
quitur id Eccleſiæ diuino Spiritu, qui in ea perpe-
tuo reſidet, reuelari. Sed ne hoc quidem eſt admit-
tendum, vt poſtea docebo. Dat exemplum duorũ
articulorum. Alterum eſt de perpetua virginitate
Mariæ; Alterum de numero librorum Canonico-
rum. Et tamen neminem producet vnquam aſſerẽ-
tem, Eccleſiam agnoſcere priorem hunc articulum
ſe ab Apoſtolis habere tanquam reuelatum. Vter-
que vero hic articulus, ex traditione ſenſata non re
uelata poteſt cognoſci. Vterq; enim factum conti-
net quod ſenſui fuit primum notiſſimum, & hæc
ſenſata notitia per traditionem poſteris eſt com-
muni-

municata, quæ traditio non parit fidem diuinam, ſed humanam, cum certa tamen & euidenti notitia; vt ſupra de Scriptura cap. 1. & de perpetua virginitate Mariæ huius capit. numer. 25. declaraui.

L. *Secunda regula* apud Bellarminum parum diſtat à prima; & eſt *quando vniuerſa Eccleſia aliquid ſeruat, quod nemo conſtituere potuit, niſi Deus, & nuſquam inuenitur ſcriptum, neceſſe eſt dicere ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis eſſe traditum.* Ratio *quia Eccleſia vniuerſa errare non poteſt, neq; in credendo, neq; in operando, in ritu præſertim & cultu diuino.*] Hæc regula probabilitatem aliquam ſecum fert ita eſſe; neceſſitatem & ſummam certitudinẽ non item: aut ſi habeat ſummam certitudinem, ea poteſt eſſe humana ex traditione ſenſata; non diuina, ex diuina reuelatione. Conſtare igitur debet quid Eccleſia cõſeruet traditum per ſenſatã primam cognitionem, quid per reuelationẽ: priora ad fidem humanam hiſtoricã pertinebunt, ſed certam; poſteriora ad fidem diuinam; & quid eſt in humanis atq; agibilibus, quod ſecundum ſuũ materiale cõſtituere poteſt Deus ab hominibus faciendũ, homines vero ipſi id conſtituere ſibi non poſſint? Ritus Eccleſiaſtici circa diuinũ cultum ſunt multi, & aliqui in vniuerſali Eccleſia admiſſi, quos tamen aperte conſtat eſſe ab Eccleſia inſtitutos. Vt eſt Paſchatis in die Dominico celebratio; qui ritus plane in Concilio Niceno fuit ſtabilitus, & inde factus in Eccleſia Chriſti vniuerſalis. Si n. ille fuiſſet à Chriſto, vel ab Apoſtolis vbiq; inſtitutus, Aſia à Ioanne aliter inſtructa, non tandiu Romæ & occidenti reſtitiſſet. Nec propterea quia aliquid recte fit in tota Eccleſia, cui ſtandum eſſe clamat *a* Auguſtinus, ſtatim id à Chriſto, vel ab Apoſtolis eſt inſtitutum, & id negare eſſe diuinum vel Apoſtolicum inſtitutũ, modo vt recte factum, & approbetur & ſeruetur, non erit inſolentiſſimæ inſaniæ. Nihil ergo huic regulæ ſuffragatur Auguſtinus, cuius illa etiam verba ſunt. *b* Illa a. quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodim⁹, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dãtur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Cõciliis (quorũ eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas) commendata, atq; ſtatuta retineri] dat exempla ſolennitatum. Quinimo regula illa poteſt etiã facile decipere; vt ſuperſtitioſum aliquod inſtitutũ humanum, ſeu potius Diabolicũ inuentum, totã peruadat Eccleſiã; Deo n. permittente poteſt id fieri, nec à tali periculo Eccleſia eſt penitus immunis, vt docebo infra c. 4. Sed huius, & aliarum regularum in hoc genere Lydius lapis ſit optima, & tutiſſima regula, quam ex patribus Vincẽtius Lyrinenſis ſupra n. 24. collegit. Vt videamus num hoc inſtitutum habeat habueritue aliquando illa tria, *vbique, ab omnibus, & ſemper*, ab ipſis Apoſtolorũ tẽporibus; & hæc erit tutiſſima in hoc regula regulatũ; q; ſi inſtitutũ aliquod vniuerſaliter ſeruatũ reducatur ad aliquod Concilium, (quod permittit Auguſt.) iam erit humanum, non diuinum; nõ Apoſtolicum inſtitutũ; ac proinde mutabile ex cauſa. Baptiſma paruulorũ per illam ſuam ſecundam regulam probari vult Bellarminus; & baptizatos ab hæreticis non eſſe baptizandos. Quoad theoriam Scriptura eſt generalis: *Ite, baptizate omnes*, ſub hoc termino, *omnes*, ſunt etiã paruuli: Scriptura ſimiliter, dum ait, *baptizate*, vnicũ baptiſmum intelligit cuiq; dandum; & ita theorice ſequitur neminẽ eſſe rebaptizandum. Sed quia praxis primitiuæ Eccleſiæ rem clarius demõſtrat, id eo videndum, *an vbiq; an ab omnibus, & an ſemper* & paruuli baptizati fuerint, & hæretici nõ rebaptizati. Nam ſi hoc fiat nũc in tota Eccleſia, & ab omnibus, ſed non ita ſemper factum fuerit, regula hæc erit fallaciſſima, & falſiſſima, & conſequenter illa inſufficiens eſt.

a Aug. Epi. 118.

b Ibidem.

Tertia ipſius regula eſt. Id quod in Eccleſia vniuerſa, & omnibus retro temporibus ſeruatum eſt, merito ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiam ſi illud tale ſit, vt potuerit ab Eccleſia inſtitui.] Reſp. Si vbiq; ab omnibus, & ſemper ſeruatum eſt inde ab Apoſtolorum temporibus, procul dubio ab Apoſtolis inſtitutum, per regulam illam quam ex Lyrinenſi protuli generalem, merito cenſebitur; & hæc ſola regula ſufficit; aliæ ſine illa ſunt omnes fallaciſſimæ, & inſufficientes; & hæc ſola eſt optima, & tutiſſima, & ſufficientiſſima, tam quo ad credenda, quam quo ad operanda. Diſtinguenda interim ſunt inſtituta practica ab Apoſtolis data, à doctrina dogmatica per eoſdem tradita: illæ enim ſunt traditiones meræ Apoſtolicæ ipſorũ propriæ, & conſequenter in rigore humanæ, & Eccleſiaſticæ: hæc vero ad diuinam pertinebit traditionem, non proprie Apoſtolicam, reſtrictiue; hęc ad fidem immutabilem pertinet; at illę ritus, & praxim recipiunt mutabilem, & variabilem, quia iuris vere humani, & Eccleſiaſtici poſitiui, licet Apoſtolici ſunt. Vt propterea ſine grauiſſima, & maxime neceſſaria cauſa mutari, & variari non debeant, ſi qua ſua ſpõte non exoleuerunt. LI.

Quarta regula Bellarmini eſt. *Cum omnes doctores Eccleſiæ communi conſenſu docent, aliquid ex Apoſtolica traditione deſcendere, ſiue in Concilio generali congregati, ſiue ſcribentes ſeorſim in libris, illud credendum eſt Apoſtolicam eſſe traditionem.* Ratio, *quia ſi omnes doctores Eccleſiæ poſſent errare in vna ſententia aſſerenda, tunc tota Eccleſia, quæ eos ſequitur poſſet errare.*] Reſp. Regula hæc ex ſe nullius penitus eſt momenti. De Patrum autoritate diſputabo cap. 6. huius. Nunc dico, Non propterea verum id eſſe quia omnes Patres hoc dicunt; ſed ideo Patres omnes id dicunt, quia verum eſt, & verum eſſe ipſis conſtabat. Quomodo autem ipſis cõnſtabat? per regulam illam generalem, quia cernebant illud *vbique, ab omnibus, & ſemper* traditum; & quando omnes Patres id affirmant, tunc nobis teſtes ſunt illarum trium conditionum, quæ ſolæ ſunt vera regula. An aliqua doctrina ſit *vbique*, nos ſcire non poſſumus, niſi ex ſcriptoribus omnium nationum Chriſtianarum. An *ab omnibus* teneatur, ex iiſdem ſcimus, qui fateantur ibi neminem contradicere. An *ſemper*, oportet nos omnium temporum præcedentium per ætates retrocedendo teſtimonia quærere, & huc duntaxat ſeruiunt nobis Patres, non quod traditioni ipſi vllam tribuant autoritatem, ſed quod traditionem illi ab aliis acceptã poſteris per manus tradant. Sunt ergo meri delatores traditionis, non confirmatores. Sola ergo hæc regula per ſe nihil valet, niſi quatenus regulę generali famulatur. Quod ſi vnica ex tribus conditionibus regulæ generalis, illis omnibus Patribus idem aſſerentibus, defuerit, illis omnino ſtandum non erit. *c Baſilius* perpetuam virginitatem Mariæ probat ex traditione qua habebat Zachariam occiſum fuiſſe à Iudæis inter templum, & altare, quia virginitatem Mariæ perpetuam, etiam poſt partum, prædicaret. Hanc traditionem *Hieronymus* Apocryphorum *d* ſomnium vocat. Quis ergo ei innitatur? Iuſtinum, Irenæum, & alios grauiſſimos Patres traditiones in errorem millenariorum, & alios inuexerunt, & illi ſe traditione, ſed vana & corrupta tuebantur, vt vidimus in *e* præcedentibus. Addo regulam hanc, licet eſſet tutiſſima, & veriſſima, eſſe impracticabilem, & vſui nunquam inſeruituram. Omnes enim Patres non ſunt aut qui in vnum Concilium LII.

c Baſil. ſer. de S. Natiuitate.

d Hier in Matt. c. 23.

e Nos. lib. 5. c. 8. n. 123.

cilium generale conuenerint, aut qui libros edunt; innumerabiles alij ſemper ſuperſunt multo plures, qui non adfuerunt, aut qui nihil ſcripſerunt; & ita nunquam ſcire poterimus, an omnes in eo dicto conſentiant. Regula autem generalis hac vniuerſitate non indiget. Ex vnius enim autoris, ac præſertim Epiſcopi dicto, aut ſcripto facile percipimus, quis ſit circa huiuſmodi traditiones illius Eccleſiæ ſenſus, qui vſus, quæ praxis. Ita de aliis. *Omnium Patrum conſenſum poſſe colligi*; ait Bellarminus, *etiam ſi aliqui. nec multi aſſeruerint, & contradictores non habuerint.*] Sed in hoc regula redditur adhuc longe fallacior. Nunquid ſemper omnium ſcripta ab aliquo ad cenſuram reuocabantur, vt ſi quid perperam dictum eſſet, ſtatim ei contradiceretur? quis contradixit Irenæo in admiſſione erroris modo dicti millenariorum, quem per Papiam Apoſtolorum diſcipulum, quaſi traditionem Apoſtolicam hauſit, & aliis tradidit; & ſic de aliis? Per hanc regulam in decipulas ſæpius pedem, vt monui loco citato libri 5. poneremus.

LIII. *Quinta illius regula eſt; Id ſine dubio credendum eſt ex Apoſtolica traditione deſcendere, quod pro tali habetur in illis Eccleſiis, vbi eſt integra. & continuata ſucceſſio ab Apoſtolis.*] Reſp. Hac regula vſi ſunt Irenæus, & Tertullianus, & Auguſtinus, & alij: fateor, & regula optima fuit, quandiu fons purus & limpidus ſuo continuato alueo fluebat, neque in eum alueum à latere turbidæ, ac lutulentæ aquæ irruebant; quandiu videlicet illæ ipſæ Eccleſiæ alienas doctrinas, aliunde quam ab Apoſtolis, aut à Chriſto prodeuntes, non admiſerunt. Quis fideret doctrinæ Alexandrinæ ſub Dioſcoro? & tamē Dioſcorus in ea Eccleſia erat ſucceſſor Marci Euangeliſtæ, per integram cōtinuatam, & non interruptā ſucceſſionem. De hac regula ex ſucceſſionibus plura dicā inferius ca. 5. & 10. Oſtēdam n. nullam iam eſſe Apoſtolicam ſedē, ſiue Eccleſiam, neq; Romanam, in qua aut Epiſcopus, aut quis alius, aut ſimul multi ſæpius nouam, & falſam doctrinā non inuexerint. Sola itaq; regula noſtra manet tuta, fida, & inconcuſſa ad bonas à malis, & veras à falſis, & veteres à nouis commode ſecernendas Traditiones. Ex qua regula manifeſtiſſimum redditur, nullum iā vera Traditione dogma haberi, quod in ſacra Scriptura non contineatur. Imo etiam nullam nunc in Eccleſia, extra Scripturā, veram dogmatū Traditionem haberi. Quicquid n. proferetur, per dictam regulam, tanquam adulterinum & ſuppoſititium explodetur, & veram traditionem eſſe non poſſe conuincetur. Et hoc eſt quod ſecundo loco tractandum in hoc capite propoſueram, ſupra n. 8. venio ad tertium.

LIV. *Traditiones iam inhabiles eſſe, & inſufficientes ad dogmata primitiuæ Eccleſiæ ignota poſtea in lucem edenda tertio loco tractandum propoſueram*: Id iam expedio, & breuiſſime. Traditionibus enim id præſumentibus, & conantibus neruos iam præcidi, dum regulas illas Bellarmini, quæ ad hoc ei inſeruire poterant, totas deſtruxi. Sane ſiquid iure, & ſolide poteſt in Eccleſia Traditio non ſcripta, id inde poteſt, quia à Chriſto, vel ab Apoſtolis tradita in vniuerſali Eccleſia ſtatim accepta, per manus eſt ſucceſſiue in totam Eccleſiam tranſmiſſa: Quomodo igitur poteſt nouum dogma primitiuæ Eccleſiæ inauditum traditioni diuinæ, vel Apoſtolicæ acceptum ferri, ſi nullo modo conſtat id ex ore Apoſtolorum fuiſſe auditum, & in Eccleſia acceptum, in eaque conſeruatum, & ad poſteros tranſmiſſum? Poteſtne aqua fonti tribui, quæ cum fonte alueum non habet coniunctum? & cuius fons ſit ab illo fonte, cuius eſſe dicitur, valde remotus? Dicat nunc, dixerit aliquando Eccleſia vniuerſa quicquid volit, teneat, credat, ſeruet quicquid libet, niſi id dixerit, tenuerit, crediderit, ſeruauerit ſemper, ab ipſis Apoſtolorum temporibus tanquam diuinam reuelationem, ne mihi traditionem ingerat, quia regula illa certiſſima generalis repugnat, quæ fallere nunquam poteſt. Reliquæ omnes regulæ ab hac diuerſæ, ſunt fallaces. Dogma fidei debet eſſe reuelatum: priuatas reuelationes Eccleſia non admittit: veræ reuelationes in Eccleſia Chriſtiana factæ ſunt à Chriſto per ſe, & per Apoſtolos. Dogma igitur reuelatum in Eccleſia Chriſtiana eſſe non credam, niſi mihi euidenter conſtiterit, id vel Chriſti vel Apoſtolorum ore prolatum; id vero ſine continuata traditione ijs, qui non interfuerint, conſtare non poteſt; ſi continuatio abſit, dogmati tota fides cadit: & vbi continuatio non eſt, impoſſibile eſt traditionem veram aliquid propagare, & propalare. Quę igitur primitiuæ Eccleſiæ ignota fuerunt, ea eſt impoſſibile poſteros ex traditione habere; & traditio quæ ſui non habet continuationem, tota euaneſcit.

Manet itaque, *vnicam & ſolam noſtræ fidei regulam,* LV.
eſſe ſacram diuinam Canonicam Scripturam. Ita vt iam nihil fide diuina credendum ſit, niſi quod nobis in ſacra Scriptura proponitur. Sed quia ſacra Scriptura multa in ſe habet obſcura, vnde & variæ in Eccleſia Chriſti exoriuntur controuerſię, iam *quæritur*, quæ regula fidei tenenda ſit ad ipſum verum & genuinum Scripturæ ſenſum eliciendum; & quis Iudex vltimus ſit in terris huiuſmodi controuerſiarum, cui omnes ſtare debeant, & cuius definitio Catholicos omnes obliget, & renitentes legitime damnet. In neceſſariis quidem ad ſalutem Scriptura ordinarie clara eſt, & non controuerſa, nec indiget Iudice aut definitore; non gloſſis, nec ſubtilibus interpretationibus. *Chryſoſtomus* ſane ſuadebat populo, vt frequentaret Eccleſiam, ibique Scripturarum lectioni intereſſet, & inde omnia neceſſaria ad ſalutem diſceret. Illi tamen maluiſſent interdum concionem audire; quibus, ille: a *Quid opus eſt,* (inquit) *aliquo qui verba faciat, & ſermonem habeat? ex noſtra ſocordia hoc vſu venit; quid enim opus eſt ſermone? omnia ſunt dilucida & recta, quæ ſunt in diuinis Scripturis.*] Explicat autem ſtatim quo ſenſu id dicat, & ſubdit; *Manifeſta ſunt quæcunque ſunt neceſſaria*] vt ſupra num. 13. Et *Auguſtinus* quamuis profunditatem magnam in ſacris literis inuenerit, in illis tamen neceſſaria ad ſalutem, abſque difficultate patere docuit, vbi dixit: b *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, vſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.*] Sed ſtatim quoq; ſubdit: *Non quo ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate, ſed cum quiſq; ibi fidem tenuerit, ſine qua pie recteq; non viuitur, tam multa, tamq; multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, &c.*]

a Chryſ. in 2 ad Theſ. hom. 3.

b Aug. Ep. 3.

In multis igitur, quæ ad ſalutem neceſſaria non LVI.
ſunt non deeſt difficultas, non deeſt obſcuritas; vt pie & religioſe in illis meditandis, pij homines, & docti exercerentur, & ſemper tanquam ex immenſo theſauro abſcondito inuenirent, quod eruerēt. Ob ſcuritatem etiam alias falſus eſt Auguſtinus, vt vbi ait, c *In profundo Scripturæ ſenſu præſtemus magis diligentiam requirendi, quam affirmandi temeritatem.*] Et ſæpe alibi;

c Aug. de Gen. ad lit. lib. 6. c. 9.

elibi: quam obſcuritatem, etſi Patres communiter commemorant, vt plurimum tamen eam intelligunt, non in dogmate eliciendo ex Scriptura quoad *quod ſit*; ſed in dogmatis vero ſenſu intelligendo, aut in eo explicando quoad, *quomodo ſit*, Exemplum dat Auguſtinus loco citato, dogma certum in Scriptura eſſe & fide credendum, *Deum cognouiſſe Hieremiam antequam formaretur in vtero*. Deus enim aperte ait, *a Priuſquam te formarem in vtero, noui te*. Propoſitio hæc per ſe eſt clariſſima, & quod ita ſit, firma fide credendum. Sed vbi, & quãdo, & quomodo Deus nouerit Hieremiam, antequam in vtero formaretur, quis nouit, niſi ſolus Deus? Poteſt enim id intelligi vel in creatione Adami, vel in cauſis ſecundis naturalibus, vel in prædeſtinatione ab æterno, vel alio modo.] Profert & alia ibidem exempla Auguſtinus dogmatum fidei in ſe clariſſimorum, in ſuo *quod ſit*, ſed fortaſſe inexplicabilium in ſuo *quomodo ſit*. Primum à nobis firma fide tenendum eſt quod clarum eſt. Secundum, quod obſcurum, ſæpe ſcrupuloſius non eſt quærendum. Delectatio mouere ſolet ingenioſos, vt abdita Scripturæ ſenſa inquirant, quibus illud documentum dat Auguſtinus, *b Quod in eis eluxerit, ſine typho arrogantiæ communicandũ, quod autem latuerit ſine ſalutis diſpendio tolerãdum*.] Tertullianus etiam prius docuerat; *c Totam noſtræ fidei ſummariam confeßionem, quam vocat regulam, ex Scripturis per eum formatam, nullas habere quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt*. Et diſtinguit in Scriptura fidem ac peritiam; quod ſi intelligentia etiam ſit interdum, & aliquibus neceſſaria, videndum eſt an Eccleſia habeat certum, & ſenſibilem Iudicem ſuarum controuerſiarum, & quis ille ſit. Nam Spiritus ſancti operationem eſſe ante omnia neceſſariam ad Scripturas intelligendas; nemo Catholicus negabit vnquam. Paulus expreſſit 1. Cor. 14.29. & ſeq. & *d* Patres paſſim affirmant. Sed quis poſt Apoſtolos ſcripturæ interpres eſt qui audeat, aut poſſit alios certos reddere, ipſius interpretationem eſſe Spiritus ſancti interpretationem? Ideo quærimus Iudicem aliquem patentem, & ſenſibilem, cui omnino ſtandum ſit. Is igitur vel erit Concilium, vel Eccleſia, vel Patres, vel Papa. Alius non videtur poſſe eſſe. Nam cernimus res fidei ſæpius à Conciliis fuiſſe definitas, & alias Eccleſiæ, alias Patrum autoritate corroborari, & noſtri Papam vltimum fecerunt in rebus fidei Iudicem. Ego hos ſingulos iudices ſingulis capitulis examinabo.

a Hier. 1.5.

b Aug. Ep. 49 in fine.

c Tertull. de præſcri.

d Cyp. ad Quirinum Aug. Epi. 120. & de Trin l. 15 c. 27.

CAPVT III.

Concilia in vero Scripturæ ſenſu declarando infallibilitatem propriam non habere.

Svmma Capitis.

Concilia & de doctrina tractant, & de diſciplina. Quid circa doctrinam poſſint, hoc capite diſcutiendum proponitur, num 1.

De Concilijs multa quæruntur: præcipua quæſtio eſt de ipſorum autoritate; & ſtatus huius quæſtionis explicatur. num. 2.

Concilium ſua propria conciliari autoritate infallibilis iudex fidei non eſt, quod probatur Scripturis, rationibus, & teſtimoniis ex Scripturis deductis à num. 3. ad num. 8.

Conciliorum non eſt niſi inquirere & eruere veritatem, iamq; inuentam, & erutam proponere; ac facile errare poſſunt, quod probatur à num. 9. ad num. 13. contrariæ vero Patrum autoritates pro inerrabilitate Conciliorum adductæ reſoluuntur à num. 14. ad num. 18. Soluuntur etiam rationes inerrabilitati fauentes num. 19. 20. 21.

Antiquorum tamen primorum quatuor Conciliorum generalium definitiones ſunt regulæ fidei infallibiles: non ſic definitiones poſteriorum. num. 22 23.

Stabilita autoritate Conciliorum, minora de Conciliis quæſita octo paucis abſoluuntur.

1. *De neceſſitate Conciliorum plenariorum, & non plenariorum, num. 24. 25. 26.*
2. *De indictione & conuocatione Conciliorum, num. 27.*
3. *De perſonis Concilium facientibus, ac iure ſuffragii, à num. 28. ad num. 34.*
4. *De numero conficiente Concilium generale, à num. 35. ad n. 40.*
5. *De conſultiua, & deciſiua poteſtate in Conciliis, num. 41.*
6. *De Præſide Conciliorum, à num. 42 ad num. 64.*
7. *De confirmatione, & reprobatione Conciliorum, à num. 61. ad num. 78.*
8. *De Concilii autoritate ſupram Papam, à num. 79. ad n. 85. Concilium Tridentinum in ſpecie examinatur: vbi de conditionibus ad bonum & proficuum Concilium celebrandum neceſſariis plura obſeruantur, à num. 86. ad finem capitis.*

1. Conciliorvm vſus ſemper duplex fuit in Eccleſia, alter circa fidei dogmata, & ſacrarum Scripturarum intelligentiam, ad tollenda dubia, ſi quæ interdum exorirentur, & amputandos errores, qui irreperent; alter circa regimen externum, & diſciplinam Eccleſiaſticam, iudicia, & leges; Vſus ſane vterq; maximi momenti, & circa vtrunq;, Concilio-

tum vis, & poteſtas, ſuas poſcit conſiderationes. De Concilijs, quoad vſum poſteriorem, agendum ſeorſim erit lib. 8. conſequenti: de ijſdē, quoad vſum duntaxat priorem, hoc capite breuem, & ſuccinctā inſtituo diſputationem. Quæ autem de Concilijs in hoc ipſo priori vſu diſputari ſolent, ſunt ferme iſta; *Conciliorum vtilitas; & neceſſitas; autoritas, conuocatio; dimiſſio; & translatio; ius ſuffragij: præſidentia, confirmatio, ac reprobatio.* Sed totus neruus huius diſputationis in explicanda Conciliorum autoritate conſiſtit. Ea vero perfecte explicata facili negotio reliqua illa innoteſcent. Prius vero ago de Concilijs, quam de Eccleſia, quia in dubijs fidei & hæreſibus ſolemus vel maxime ad Concilia cōfugere, & quia Eccleſiæ ſenſus ordinarie per Concilia indagatur.

II. *De autoritate Conciliorum* ſcripſit, poſt multos alios, vltimo loco exactiſſime Bellarminus, cuius totus ſecundus liber de Concilijs, in ipſorum autoritate explicanda conſumitur; formatq; ſtatum quęſtionis in eo, vt inquirat *an Concilia generalia præſertim, à Papa confirmata, errare poſſint.* Supponit igitur Concilia habere poteſtatem definiendi res fidei, & quærit, an iſta poteſtas ita exerceatur, vt error occurrere non poſſit, ſed ſit in ſe infallibile, quod Concilium definierit; ac concludit definitiones Conciliares in Concilijs generalibus, modo eas Romanus Pontifex approbarit, ſeu confirmarit, eſſe omnino certas, ac infallibiles; & conſequenter Concilia generalia cum Papæ confirmatione eſſe regulam fidei, quæ errare non poſſit, quæq; fidem diuinam neceſſario poſtulet, & dubijs omnibus, ac controuerſijs finem imponat. Hic tamen non eſt verus quæſtionis noſtræ ſtatus; ſupponit n. ſtatus hic (prout à Bellarmino tractatur) id ꝙ potiſſimum in quæſtione eſt, & quod ſolum explicatum ipſam quam quærimus veram Conciliorum autoritatem patefacit; Quærere autem, an Concilia à Papa cōfirmata errare poſſint, eſt quęrere an Concilia, q̄ nō erraſſe fuerint agnita errare poſſint; ac interim ſupponitur Papam in apꝓbandis vel reꝓbandis Cōcilijs, ꝓ tota Eccleſia vniuerſali habere poteſtatē, & ſane infallibilem; q̄ etiam ipſa, vel maxime cōtrouerſa ſunt, ac re vera falſiſſima, vt oſtendā inferius. Ac ſane approbatio hęc etiā admiſſa nō facit, vt Cōcilium errare poſſit, vel non poſſit; ſed abſolute definitiones conciliares ſupponuntur de ſē eſſe incertiſſimę, & ſemper neceſſario fallibiles. Siquidē nouum iudicium extra Concilium ſemper ſit neceſſarium, nempe Romani Pontificis, à quo, & nō à Cōcilio, definitio conciliaris habeat omnē autoritatē. Itaq; ſtatus quęſtionis de autoritate Conciliorum, prout ponitur à Bellarmino, non eſt de autoritate Conciliorum, quæ iam nullam propriā habere autoritatem expreſſe ſupponuntur: ſed de autoritate Papę, de qua tamen ſeorſim eſt agendum. Noſter itaq; ſtatus quæſtionis ſit: *An Concilia, vt Concilia, habeant poteſtatem definiendi res fidei, & conſequenter verum Scripturarum ſenſum, veramq; earum intelligentiam exponendi: & quæ ſit hæc poteſtas: & vnde: & qualis, an certa, & infallibilis, atq; ab omni alio externo vlteriori iudicio independens.*

III. Ego, vt breuiter agam, Dico *Concilia quæcunque, ſiue prouincialia, ſiue nationalia, ſiue generalia, de ſe, vt Cōcilia ſunt, nullam propriam habere autoritatem res fidei abſolute & ſimpliciter, ipſorum proprio, ac peculiari iudicio, definiendi.* Ita vt, ſi quod dubium, ſi quod obſcurum ſit in ſacra Scriptura, manente dubietate, & obſcuritate, Concilium quodcunque poſſit ſua ſola definitione dubietatem tollere, & eam partem dubij facere de fide, cui iudiciale decretum Concilium interpoſuerit. Hanc enim autoritatem cum diuina ſit, & ad fidem diuinam obliget, nulli homines, ſiue vt ſinguli, ſiue vt coniuncti, & vniuerſi, ſibi arripere, aut arrogare poſſunt, niſi plane, & aperte ipſis diuinitus datam eſſe conſtet. Atqui hoc de Concilijs conſtare non poteſt: Igitur, &c. Dictum Chriſti *a* afferri ſolet: *b Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.*] Sed hoc eſt nimium generale, tum quo ad perſonas, tū quo ad res: & ſi ex hac generali promiſſione Chriſti ſequitur infallibilitas definiendi res fidei; Igitur quoties Clerus, vel Monachi conuenerint in chorum ad diuina peragenda, poſſunt infallibiliter res fidei definire; imo etiā laici, quoties vel ad conciones, vel ad ſacrā ſynaxim conueniunt. Sed certū etiam eſt illam ſpecialem aſſiſtentiam Chriſtum promiſiſſe, vbi Eccleſia quæcunq; particularis cū ſacris miniſtris ad ſacra cōgregata aliquē incorrigibilē excommunicat, & ex cętu fideliū rite eijcit; quod ſpectat ad praxim & diſciplinam; non ad doctrinam & dogmata declaranda. Non nego in Concilijs vere in nomine Domini congregatis adeſſe Spiritu ſuo Chriſtum, dum inquirunt veritatē, ſcripturas ſcrutantur, & in Spiritu humilitatis, & deuotionis inter ſe de ſacris dogmatibus conferunt; Ait n. Paulus, *c Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri diiudicent: Quod ſi quid alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat: poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant & omnes exhortentur: & Spiritus prophetarum prophetis ſubiectus eſt, &c.*] In intelligentia ergo Scripturarum, collatio plurium ſimul multū prodeſt, & adeſſe ſolet Spiritus ſancti reuelatio ijs, qui donum à Deo habent interpretādi, & vocantur prophetæ. Sic ait Tertullianus, *d Chriſtum poſt Aſcenſionem miſiſſe vicariam vim Spiritus ſancti, qui credentes agat.*] Certe Petrus à Chriſto ſæpe audierat ipſum eſſe filium Dei, & tamen quando confeſſionem illam edidit; *e Tu es Chriſtus filius Dei viui;* tunc Patris reuelationem illū habuiſſe Chriſtus affirmauit. Fidem n. Spiritus Dei in corde docet. Hęc tamen reuelatio, & Spiritus aſſiſtentia perpetua nō eſt: tum quia interdum in nomine Domini non cōgregantur Concilia, ſed ꝓ humanis conſilijs: tū q̄a iuſto diuino iudicio interdū turpiter labi, & grauiter errare Cōcilia ſunt à Deo permiſſa, vt tot cōſtat experimētis. De quocunq; ergo Concilio ſuſpicari poſſumus ipſū potuiſſe à Chriſti Spiritu deſeri, & aliūde nobis conſtare deberet fidei certitudine, hoc vel hoc Concilium vere in nomine Domini cōgregatum, & à Chriſto labi non fuiſſe permiſſum.

a Bell. de Conci. l. 2. c. 2.
b Matt. 18. 20.
c 1. Cor. 14. 29 30 31.
d Tertul. de præſcri.
e Matt. 16.

IV. Alter locus qui *f* affertur eſt, *g Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem;* cum illo alio addito: *Alium paraclitū dabit vobis, vt maneat vobiſcū in æternū.*] *h* Hæc quoq; ſunt valde remota, q̄ multis modis verificari poſſunt, abſq; ſpeciali Conciliorū autoritate; & ſic ut ordinarie non eſt negandum Spiritum ſanctum docere Eccleſiam omnem veritatē, & in perpetuū, nimirum vbi quæritur veritas aliqua neceſſaria, ita non excluditur hic diuina permiſſio, qua Concilia labi ſolita ſunt, & ſine concilijs generalib. omnis veritas neceſſaria à Spiritu ſancto aperta fuit Eccleſiis ante Nicænum primum per 300. circiter annos. Tertius locus affertur ille, vbi Apoſtoli & fratres in Concilio congregati dicunt; *i Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.*] Concilia legitima, & in Spiritu ſancto congregata habere propriam autoritatem circa ritus, praxim, & diſciplinam Eccleſiaſticam iudicare, definire, ſtatuere, & regulas ſeu canones præſcribere, docebo lib. 8. Atque in ſolis huiuſmodi practicis definitionibus

f Bell. ibid.
g Ioa. 16. 13
h Io. 14. 16.
i Act. 15. 28.

Conci-

Concilia dicunt, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*: At vero vbi de fide agitur, Concilia ita loqui neque poſſunt, neq; debent; ſed quod Eccleſia ab Apoſtolis inſtructa credit, id ſimpliciter debent Concilia confiteri, vt de Concilio Nicæno inferius obſeruat optime Athanaſius: huius capitis num. 13. Confeſſio vero fidei non eſt de ijs quæ confitenti videntur, ſed de ijs, quæ ſoli Spiritui ſancto viſa ſunt, & à ſolo Spiritu ſancto ſunt reuelata, in quibus nullam ſuam partem habet confitens. Sed etiam in ſcrutandis Scripturis, & veritate indaganda ordinarie Concilia à Spiritu ſancto iuuari iam conceſſi, & inferius concedam, atq; explicabo: ſed cum hoc ſtat, vt interdum vel culpa congregatorum in humano & non in diuino nomine, vel iuſta diuina nobis occulta permiſſione à recto fidei tramite poſſint deuiare. Alioquin prædatoria Epheſina & Ariminenſis, ac ſimiles ſynodi potuiſſent dicere, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*; & ſi quam autoritatem hæc loca tribuunt Concilijs, procul dubio eam tribuunt ſimpliciter, & abſolute, & non dependenter à Papali confirmatione.

V. Huc adducit Bellarminus illa etiam loca, quæ Eccleſiam errare non poſſe videntur docere. Ex quibus pro Concilio generali ſic argumentatur. Primo, *a Tota Eccleſiæ autoritas formaliter non eſt niſi in prelatis: ſicut viſus non eſt niſi in capite; idem ergo eſt Eccleſiam non poſſe errare, quod Epiſcopos non poſſe errare in rebus fidei definiendis; atqui ſinguli errare poſſunt, ergo ſimul congregati errare non poſſunt.*] Hoc argumentum totum vndique claudicat. Primo quia Eccleſiam in ſolis Prælatis ponere eſt magnum abſurdum, non enim ſoli Apoſtoli, ſed etiam presbyteri, & fratres in Concilio Hieroſolymitano affuerunt; & ſicut Apoſtolis dictum eſt, *Ite docete*: ita Apoſtoli dixerunt tam Epiſcopis, quam presbyteris; *Ite docete*. Et Paulus vt ſupra monui, etiam laicos fideles agnouit poſſe, & ſolere Scripturam ſacram ex dono Spiritus explicare. *b Prophetæ* (inquit) *duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent: quod ſi alii reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat, &c.*] Et ſane nō ſcribit hoc Paulus ad ſolos Prælatos, ſed ad totam Eccleſiam Corinthiorum. Deinde claudicat: quia Eccleſia, quæ non poteſt errare, *& aduerſus quam portæ inferi non ſunt præualituræ* eſt tota Eccleſia vniuerſalis, prout complectitur & omnes particulares, nulla dempta, & omnes etiam fideles particulares, nullo dempto; & ſic nullum Concilium eſt hæc Eccleſia. Quare licet errarent omnia Concilia, non propterea vniuerſalis abſolute, vniuerſalis Eccleſia erraret; de qua ſequenti cap. 4. diſputabo. Claudicat tertio; Quia, etſi omnes Epiſcopi in vnoquoque Concilio errarent, non propterea abſolute omnes Epiſcopi totius Eccleſiæ errarent, quia in nullo Concilio adſunt, aut adeſſe poſſunt omnes; imo ſemper in quocunque numeroſiſſimo Concilio pauciſſimi ſunt Epiſcopi, reſpectu eorum qui non adſunt.

a Bellar. vbi ſupra.

b 1. Cor. 14. 29.

VI. Secundo argumentatur, quia *Concilium generale repræſentat Eccleſiam vniuerſam, & eius conſenſum habet*] Si ſemper, & neceſſario Concilia generalia fierent ſuper re in Conciliis prouincialibus ſeu nationalibus diſcuſſa, vt olim factitatum fuiſſe docet *c* Auguſtinus, atque ita ex omnibus prorſus Chriſtianis prouinciis, qui nam fuerit ſuarum Eccleſiarum in ipſarum exordijs communis ſenſus circa articulū, qui excutitur ad generale Concilium referretur, ſi omnes conuenirent, tunc Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam merito repræſentaret; quia vniuerſalis veteris Eccleſiæ verum ſenſum aperiret. Quod ſi Epiſcopi veniunt ad Concilium generale, inconſultis ſuis Eccleſijs, & Metropolitani inconſultis ſuis ſuffraganeis, & Patriarchæ incōſultis ſuis Metropolitanis, vel etiam cōueniunt prorſus ignorantes, quinam articuli ſint in conſultationem Cōcilio proponendi, tunc nulla ratione Concilium generale vniuerſalem Eccleſiam repræſentabit: Eccleſia enim vniuerſalis nunquam cōſentit, vt quod pauculi Epiſcopi, reſpectu innumerabilium abſentium, ex proprio capite protulerint, id ratum ſit toti Eccleſię, & pro tota definitū, ſiquidē Epiſcopos, aliosq; viros Conciliares vult coire, non cum poteſtate ex ſe quicquam definiendi, ſed tātum vel proponēdi id quod ipſorum Eccleſiæ tenent iam inde ab Apoſtolorum tēporibus; vel ad ſummum inquirendi, & indagandi modis legitimis id quod vel dubium ſit, vel obſcurum vt iā explicabo. Eſt igitur ſēper limitata cōmiſſio, quę Patribus vniuerſaliter ꝑſumitur data in Concilijs; videlicet, vel vt ſenſum ſuarum Eccleſiarum ꝓponant, & explicent, & tunc ſinguli Patres ſingulas repræſentant aut Eccleſias aut prouincias; Vniuerſi vero vniuerſas: vel vt ſimul conferant, & inquirant; & tunc Eccleſia vniuerſalis expectat quid coniunctim Patres in Concilio cenſuerint, ſibiq; reſeruat iudicium in huiuſmodi, vel aſſentiendi, vel diſſentiendi: & in hoc Concilium non repræſentat vniuerſam Eccleſiam, niſi in indagando; & tunc definitio Concilij eſt priuata ſententia illorum duntaxat, qui affuerunt, ac propterea etiam poſſunt errare; neque enim repræſentant Eccleſiam vniuerſalem, niſi in conferendo, & indagando, non autem in definiendo; Quando ergo in ſcriptis Patrum legimus: *Generale Concilium totius Eccleſiæ conſenſum continere*, intelligendi ſunt de Concilijs, in quibus omnium Eccleſiarum ſingularium Catholica ſententia eſt in vnum collecta, & inuenta communis, quod in multis Concilijs poſterioribus vocatis generalibus, non eſt factum, quæ re vera ex neutra cauſa Eccleſiam vniuerſalem repræſentarunt.

c Aug. de bapt. l. 2. c. 4. & l. 7. c. 53.

Addit Bellarminus Martinum quintum in Concilio Conſtantienſi ſuſpectum de hæreſi illum habere, qui neget Concilium generale vniuerſam Eccleſiam repræſentare; ſed non ita cenſuerunt Iulius 3. Paulus tertius, & quartus, Pius 4. & alij qui Tridentinum conuentum celebrarunt. Hi enim nunquam aſſentire voluerunt, vt Concilium ipſum Tridentinum vniuerſalem Eccleſiam repræſentare diceretur, licet Patres multi in eo Concilio id plurimum vrgerent, & flagitarent, vt bene norunt qui adhuc viui extant, & illi Concilio interfuerunt. Timent enim Papæ, ne ſubdantur Concilio, ſi vniuerſalem Eccleſiam illud repræſentet, cuius pars & membrum eſt Papa. Sed iam explicaui ipſe in quo ſenſu verum ſit Concilium generale vniuerſam Eccleſiam repræſentare. Cypriani dictum ibidem affert Bellarminus; *Eccleſiam eſſe in Epiſcopo, non quod Epiſcopus ſolus habeat poteſtatem dogmata proponendi, & explicandi*] Sed contra ſchiſmaticos illud dicit Cyprianus; nimirum *d* Eccleſiam eſſe gregem ſuo paſtori hærentem; ac proinde eos qui refractarij ab Epiſcopo proprio Catholico recedunt, non eſſe in Eccleſia, quia non ſunt oues paſtori ſuo hærentes; quod ſi Epiſcopus eſſet hæreticus, tunc ab eo recedere nō eſſet ſchiſma. Tunc enim paſtor ille non eſt, ſed lupus: & Eccleſia eſt grex paſtori non lupo hærens; Ex hoc igitur, quod Eccleſia eſt in Epiſcopo, puta dum Catholicus eſt & orthodoxus, non ſequitur Epiſcopum ſemper Catholicum, & orthodoxum eſſe, ac inerrabilem. Et quamuis Cyprianus de ſin- VII.

d Cypr. l. 4. Ep. 9.

giſtis tantum loquatur Epiſcopis, & Eccleſiis particularibus, verum tamen eſt etiam Eccleſiam vniuerſalem eſſe in Epiſcopis vniuerſis, ſi paſtores tamen illi ſint, & non lupi. Fatebor etiam pium eſſe credere Deum nunquam permiſſurum, vt omnes Epiſcopi totius mundi, ſi in vnū Concilium coirēt ꝓ dogmate aliquo declarando, & definiēdo omnes errarēt. Id tamen tanquam diuina fide certum eſſe nunquam affirmarim, quia poſſet id Deus permittere, & tamen Eccleſia tota non propterea erraret, contra quam portæ inferorum non poſſunt præualere; Nam præter Epiſcopos, ſunt in Eccleſia innumerabiles presbyteri, etiam ipſi paſtores; & alij fideles, qui rectam fidem retinent, & errans Concilium reſpuerent, ac corrigerent. Exemplum quod affert ex comitiis Reip. non eſt ad rem. Leges enim, quibus Reſp. gubernatur, ſunt humanæ, & ſola humana poteſtate, ex diuina inſtitutione feruntur. Poteſt ergo Reſp. ſiue communitas democratica conſentire, vt quod in comitiis à paucis, reſpectu totius multitudinis, ſtatutum fuerit, pro ipſorum arbitrio, omnes obliget: ſed in rebus diuinis, non ex arbitrio humano vllo pendent ſtatuta, & definitiones circa fidem, & res reuelatas, neq; arbitrio humano, etiam omnium prorſus totius mundi fidelium ſunt commiſſa, quare neq; tota communitas fideliū poteſt vlli Senatui, aut Concilio diuina hæc committere, vt proprio arbitrio circa illa quicquā, quoad fidem, diſponant. a *Facies quodcunq; dixerint qui præſunt loco,* inquit Scriptura, *quem elegerit Dominus ſequeriſq; ſententiam eorum:*] illa tamen interponuntur; *& docuerint te iuxta legem eius.*] Si igitur ex arbitrio proprio te docuerint aliquid quod non ſit iuxta legem Domini, profecto non facies illa, neq; illorum ſententiam ſequeris.

a Deut. 17. 10.

VIII. Quatuor claſſes teſtimoniorum Scripturæ poſuit pro ſua aſſertione b Bellarminus. Prima claſſis ipſam Conciliorum autoritatem quoquo modo attingebat. Secunda Eccleſiam vniuerſalem per Cōcilia generalia repræſentari contendebat; & de his iam egimus: ſupereſt tertia, quę Pontifici Romano tribuere putatur inerrabilitatem. Quarta paſtoribus, & Epiſcopis obedientiam in rebus fidei poſcit. De tertia nihil nunc dico, quia proprio capite 5. id excutio. Quarta nihil eſt ad rem, Epiſcopi habendi ſunt, vt paſtores, audiendi vt magiſtri, ſequendi vt Duces, quandiu paſcunt, docent, ducunt, iuxta legem Domini, quandiu lupi non fiunt, nec falſitatis magiſtri, nec cæci Duces. At eos non poſſe degenerare in lupos, in falſarios, in cæcos, nulla dicit Scriptura. *Imo* c *cauendum eſſe à falſis Prophetis, qui veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces,* ſerio monuit Chriſtus, & vnde cognoſci debeant, docuit. Poſſunt ergo, & ſolent ex paſtoribus fieri lupi; non modo diuiſim, ſed etiam vbi multi ſunt coniuncti. Ponere equidem poſſum, vt ſupra, omnes paſtores Eccleſiæ ſimul iunctos errare & fallere nō poſſe, ſed nullum eſt, neq; eſſe poteſt Concilium, in quo omnes adſint.

b Bellar. de Concil. l. 2. c. 2.

c Mat. 7. 15.

IX. Conſtat igitur manifeſte ſcripturam nullam ſecuritatem ab errore dare vlli Concilio; imo ne autoritatem quidem quicquam, quod ad fidem pertinet, per modum iudicij proprij definiendi. Profecto non de Papa, non de Concilio, non de vllo homine, vlliſue hominibus dixit Chriſtus veritatem eſſe ab ijs, poſt eius è terris corporalem diſceſſum, aperiendam; ſed ſe ipſum per Spiritum ſuum aſſuturum perpetuo ſuæ Eccleſiæ promiſit, vt eam doceat, & inſtruat in illis, quæ in Scriptura vel occulta, vel dubia eſſent. d *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi:* e *Cum venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, &c.* Et quia in Eccleſia Spiritus Chriſti non ex æquo omnibus datur, & Scriptura ſcrutatione indiget, ideo vbi dubium, vel difficultas occurrit, & diuinus Spiritus, & humana ratio, & exemplum Apoſtolorū dictant, vt Eccleſiæ Paſtores multi in vnum conueniant, & ſimul iūcti veritatem inquirant, prudentibus, & piis collationibus verum Scripturæ ſenſum colligant, illumq; ſcriptis prodant, & ad omnium notitiam deducāt. Exortum de recipiendis lapſis ad pænitentiam dubium tractandum fuit in Africa, tempore Cypriani; tunc f *in vnum conuenimus,* (ait *Cyprianus*) *& ſcripturis diu ex vtraq; parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione librauimus. &c.*] Sunt Epiſcopi in Cōciliis idem quod foſſores in aurifodinis: Hi profecto aurum non faciunt, ſed latens eruūt, & erutum aliis exhibent. Ita Concilia articulum fidei nullum faciunt, ſed quod in ſcripturis latebat, & explicatū ab Apoſtolis Apoſtolicisq; viris quibus potiſſimum ſuam aſſiſtentiam promittebat Chriſtus, vetus Eccleſia penes ſe depoſita conſeruabat, inueniunt, eruunt, & palam faciunt; quod optime explicat Vincentius Lyrinenſis his verbis, g *Chriſti vero Eccleſia, ſedula, & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in ijs vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, non amittit ſua, nō vſurpat aliena, ſed omni induſtria hoc vnum ſtudet, vt vetera fideliter ſapienterq; tractando, ſi qua ſunt illa antiquitus informata, & inchoata accuret, & poliat; ſi qua iam expreſſa, & enucleata, conſolidet, firmet, ſi qua iam confirmata, & definita, cuſtodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis eniſa eſt, niſi vt quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſtea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur? quod antea ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur? Hoc, inquam, ſemper, neq; quicquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorū ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt quod prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret; magnam rerum ſummā paucis literis comprehendendo, & plerunq; propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, nouæ appellationis proprietate ſignando.*] Intelligit hic explicationes, & veros Scripturæ ſenſus, in quibus Scripturæ in obſcuris quibuſdam fidei noſtræ fundamentalibus eſſent accipiendæ, ab Apoſtolis, & viris Apoſtolicis Eccleſiæ traditos. Ita profecto Concilium Nicęnum cōſubſtantialitatē Filij ex antiquo Eccleſię ſenſu, per manus à Patribus accepto, & ſuis etiam ſcriptis conſignato, corroborauit; quæ traditio, verba Scripturę, *Ego & Pater vnum ſumus.* in vero ſenſu conſubſtantialitatis explicata à primis fidei Chriſtianæ diſſeminatoribus, eorumue proximis ſucceſſoribus, dabat; vt ex Theodoreto, ſeu potius Athanaſio ſupra explicaui cap. 2. huius n. 10. & 37.

d Mat. vlt.

e Io. 16. 13.

f Cypr. lib. 4. ep. 2.

g Lyrin. cont. hær. c. 32.

X. Antiqua igitur illa Concilia, quæ illis temporibus facta ſunt, quando Apoſtolorum, & eorū, quos ipſi inſtruxerant, explicationes Scripturæ, & declarationes, præter eas quas ipſi ſuis ſcriptis canonicis inſeruerunt, in Eccleſiis purę, & incorruptæ conſeruabantur, eo potiſſimum nomine autoritatem obtinuerunt h ſaluberrimam, vt loquitur Auguſtinus, quia, ex ipſis Apoſtolicis declarationibus fideliter habitis, Scripturas explicabant, earumque ſenſum verum, & Apoſtolicam intelligentiam manifeſtabant. Ac propterea ad antiqua ſola Concilia prouocat idem Lyrinenſis, ſi iam ſuo tempore (quod erat quinti poſt Chriſtum ſeculi) dubia aliqua, aut hæreſes exurgerent. i *Atq; ideo,* (inquit) *ſua ſiungq; illius anti-*

h Aug. ep. 118.

i Lyrin. c. 39.

quiorer. vel ſchiſmatum, vel hæreſeos profanitates, nullo modo nos oportet, niſi aut ſola, ſi opus eſt, Scripturarũ autoritate conuincere, aut certe iam antiquitus vniuerſalibus ſacerdotum Catholicorum concilijs conuictas damnatásq; vitare.] Atq; hoc idem in ſua recapitulatione poſuit his verbis: a *Item diximus in ipſa Eccleſiæ vetuſtate duo quædam vehementer ſtudioſeq; obſeruanda, quibus penitus inhærere deberent quicunq; hæretici eſſe nolint. Primum ſi quid eſſet antiquitus ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotibus vniuerſalis concilij autoritate decretum.*] Deinde Patrũ ponit conſenſum: de quib. nos infra cap. peculiari. Iã igitur noluit ponere regulã credendorum in locis Scripturæ obſcuris, vel occultis, noua concilia vniuerſalia; Supponit n. ea de ſe nullam habere autoritatem, niſi quatenus poſſent ex Scriptura, vel antiquitate veritatem, quę quęritur, eruere. Antiqua n. Eccleſia in neceſſarijs ſatis inſtructa fuit, nõ modo ſacra canonica Scriptura, ſed etiam neceſſarijs eiuſdem ſacræ Scripturæ expoſitionibus; quas vel Concilia antiqua ex antiquis, & fidei traditionibus erutas manifeſtarint, vel antiquiſſimi Patres ſuis ſcriptis conſignarint. His vero antiquis fidis traditionibus recentiora Concilia ſunt penitus deſtituta, vt probaui cap. 2. huius, aut ſi quas ex illis habere poſſint, non propria conciliari autoritate veritatem eruent, & definient, neq; n. Concilia rem faciunt de fide, ſed b eliquant, vt loquitur Aug. & declarãt, ac præcepto humano Eccleſiaſtico fideles obligant, vt ita credant, & paſtores vt ita doceant, anathemate comminato.

a Idem c. eodem.

b Aug. de Bapt. l. 2. c. 4.

XI. Concilium igitur, etiam generale, ſi deſtituatur, aut ſacræ Scripturæ auxilio, vbi clara eſt, vel ſe ipsã interpretatur; aut fidæ antiquitatis fido teſtimonio, nihil certi poteſt propria autoritate ſtatuere; & ſi ſtatuat, mille periculis errorum ſe exponit, neq; Eccleſia conciliaria decreta, tanquam fidei certos articulos admittere debet, imo ea tenetur reſpuere, niſi ſacra Scriptura, vel antiquitate ſtabilita fuerint. Tanquã priuatas priuatorum hominũ ſententias ſub ſua probabilitate admittere poterit, nõ tanquam publicas fidei definitiones. Propterea plura Concilia iam dictis adiumentis deſtituta, quia ſine illis voluerunt, propria autoritate, & ex proprio humano ingenio aliquid definire, ideo turpiter lapſa ſunt. Spiritus n. ſanctus Concilijs pijs, & religioſis aſſiſtit, dum ſcrutantur Scripturas, & Apoſtolicas indagant prædicationes. Hæc n. eſt regula ſenſibilis, certa, infallibilis, & ordinaria, ſacra Scriptura canonica, & pro canonica agnita, & manifeſtata, vt cap. 1. docui huius libri; & eiuſdẽ Scripturæ in obſcurioribus, & neceſſarijs Apoſtolicæ declarationes, & expoſitiones iam datæ, etiam ſi non ſcriptæ, quãdiu legitimæ, tutæ, & fideles haberi potuerint. Diuini vero Spiritus operatio inſenſibilis illa, & nõ manifeſte patens, quicquid in hac parte operatur, circa Scripturæ, quæ eſt regula ſenſibilis, intelligentiã operatur, nec deeſt in neceſſarijs, quamuis in nõ neceſſarijs ſæpe velit manere obſcuritatẽ, vt pijs vtilis labor maneat in profundis ſcripturarum, rerũque diuinarum penetrandis; Quæ n. ſunt fundamẽtalia fidei, & neceſſaria ad ſalutem, iam plane explicata ſunt in antiqua Eccleſia, & plene definita. De quo nos poſtea.

XII. Optime nouerat Auguſtinus, ex Concilijs, quãtumuis generalibus, ſi eorum propria ſpectetur autoritas, non poſſe quemquam cõuinci aut hæreſis, aut erroris, niſi conſtet aperte ipſa Concilia veritatem ex ſcripturis, earumq; veteribus explicationib. in Eccleſia, ab ipſis eius primordijs, conſeruatis eruiſſe, & ſic definiuiſſe. Agẽs n. pro Filij diuinitate; cum Maximino Ariano, ſic loquitur. c *Hoc eſt illud homouſion, quod in Concilio Nicæno aduerſus hæreticos Arianos à Catholicis patribus veritatis autoritate, & autoritatis veritate firmatum eſt, quod poſtea in Concilio Ariminenſi propter nouitatem in verbis minus quam oportuit intellectũ, quam tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas ſub hæretico Imperatore Conſtantio labifactare tentauit. Sed poſt non longũ tempus, libertate fidei Catholicæ præualente, poſtquam vis verbi ſicut debuit, intellecta eſt; Homouſion illud Catholicæ fidei ſanitate longe lateq; defenſum eſt. Quid eſt enim Homouſion, niſi, Ego & Pater vnum ſumus? Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præiudicaturus proferre Concilium: Nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris, ſcripturarum authoritatibus non quorumq; proprijs, ſed vtriſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet. Vtriq; legimus, &c.*] Atq; eas Scripturas & rationes exagitat, ex quibus Nicæni Concilij Patres conſubſtantialitatem collegerunt, & cõfirmarunt. Concilij verò authoritatem propriam non vult vrgere; quia illam videbat de ſe exiguam eſſe, nec aliunde eam vim habere, niſi ex eruta veritate ex ſcripturis, earumq; legitimis, & authenticis explicationibus. Sic n. etiam Lyrinenſis ad antiqua Concilia confugiendum eſſe docuit, non propter eorum propriam autoritatem, ſed quia illa iam pro nobis ſufficienter in indaganda veritate ex ſcripturis, & veteris Eccleſiæ ſenſu, laborarunt, vt non ſit operæpretium nobis eoſdem denuo fruſtra ſubire labores; ſed & illa habuerunt traditas Eccleſiæ priſcæ Apoſtolicas ſcripturarum explicationes, ex quibus etiam illa conſecuta ſunt tantam autoritatem, vt ab illis recedere nobis nullo modo liceat; & hoc ſupponitur merito, vt, vbi agam de Patrum autoritate, explicabo. His vero deſtituta poſteriora Concilia, etiam autoritate illa magna deſtituantur, & errandi periculis, vel maxime ſubiaceant, neceſſe eſt.

c Aug. con. tr. Maxim. l. 3. c. 14.

XIII. Athanaſius quoq; doctrinæ quidem Patrum Nicænſium totus hæret pro Filij conſubſtantialitate, autoritati conciliari non multum tribuit. Quia enim Ariani in Concilio Nicæno conuicti alias ſubinde ſynodos colligi ſatagebant, à ſynodis non parum abhorret; ſed neq; Nicænum nimium vrget: Si quidem (inquit) d *Nicæna ſynodus non temere habita eſt, vt quæ habeat grauiſſimos vſus, & legitimam rationem.* e *Syri etenim, Cilices, Meſopotamiam in cauſa feſti claudicabant atque vna cum Iudæis Paſcha celebrabant, vt iam cum Ariana hæreſis, quæ contra Eccleſiam inſurrexerat, ſui propugnatores haberet, qui ipſam defenderent, & qui pijs inſidias facerent, Euſebianos ſcilicet. Atq; ea cauſa fuit, cur vniuerſus orbis in Conciliũ coiret, vt & eodem die vbi feſtũ celebraretur, & hæreſis quæ ſuppullulauerat, anathemate percuteretur: quod & factũ eſt. Nam & Syri in aliorum ſententiam traducti ſunt, & Arianã hæreſim decreuerunt pro Antichriſti præcurſatrice habendã eſſe, & ſcriptis contra eã editis placita ſua promulgarũt. Sed tamen quũ tot, ac tanti viri eſſent, nihil tale quale iſti, qui nõ niſi tres, aut quatuor ſunt, auſi fuerũt facere. Siquidem nec conſulem, nec menſem, nec diẽ addiderunt ſed in negotio Paſchatis non abhorruerunt ab iſtiuſmodi appendice. Ibi enim placuit, vt adderetur, viſum eſt, vt omnes obtemperarent. De fide vero non ſcripſerunt, viſum eſt, ſed ad iſtum modum credit Catholica Eccleſia, & ſtatim confeſſio ipſa credendi adiuncta eſt, vt oſtenderent eam non nouam eſſe ſententiam, ſed Apoſtolicam, & quæ ipſi ſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed Apoſtolorum documenta. Contra, ſynodi ipſorum quam quæſo habent legitimam cauſam cur inſtituantur? ſi enim recens aliena hæreſis poſt Arianam emerſit, age, proferant nobis eius hæreſeos commenta, autoreſque Sectæ: interim tamen ſcriptis ſuis anathematizent*

d Atha. de ſynod.

e Idem ibi.

omnes hæreſes ipſorum Concilio priores, & inter cæteras etiam Arianam ſectam, quemadmodum Patres Nicæni fecerunt, vt videantur ſaltem aliquam veriſimilem occaſionem habere noua moliendi. Quod ſi tale nihil accidit, neque quicquam iſtiuſmodi oſtendere poſſunt, ſed ipſi potius ex morbo Arianæ hæreſeos iſta loquuntur, victique quotidie in omnem ſpeciem ſe mutant, quis vſus quæſo Conciliorum, cum Nicænum Concilium aduerſus Arianam cæteraſque hæreſes ſatis valeat, quas per ſanam fidem condemnauit? Porro Ætius, cognomento impius, quem pro cauſa habendi Concilij toties iactitant, non de propria inſania quaſi à ſe inuenta, ſuperbit, ſed in Arianam quæ alterius dogmatibus conſtat, transiens, cum ſuis quos decepit naufragium fecit. Fruſtra igitur circuncurſitantes prætexunt ob fidem Synodos ſeſe poſtulare, quum ſit diuina Scriptura omnibus potentior. Quod ſi ad hanc rem vſus ſynodi deſideratur, ſuperſunt acta patrum: nam neque hac in parte negligentes fuere, qui Nicææ conuenerunt, ſed ita accurate ſcripſerunt, vt qui ſynceriter eorum ſcripta legat, facile reminiſcatur eius in Chriſtum religionis, quæ à ſacris literis annunciatur.]

a Item Epiſt. de decret. Nicænæ ſyno.

Idem alibi. a *Ecce nos* (inquit) *demonſtramus iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres quaſi per manus traditam eſſe. Vos autem noui Iudæi, & diſcipuli Caiphæ, quos verborum veſtrorum Patres, ac maiores demonſtrabitis, quum ne vnum quidem ex prudentibus, aut doctis in authorem citare poſſitis? Cuncti enim vos, præter Diabolum iſtius vobis à Chriſto defectionis authorem, auerſantur; ille, & olim vobis hanc impietatem inſeuit, & nunc vobis author eſt vt orbis terrarum Concilium vituperetis, non alia de cauſa, quam quod in eo Concilio non quæ veſtræ factioni patrocinentur, ſed illa ſint ſcripta quæ ab initio, ipſi qui teſtes oculati, & miniſtri verbi fuere, tradiderunt. Fides enim quæ ſcriptis decretiſque ſynodi ſancita eſt, ea eſt totius Eccleſiæ, hanc cum aſſerere vellent beati Patres, iſtis verbis concipiendam putauerunt, condemnaruntque Arianam hæreſim.*] Non in his autoritatem Nicæni Concilij vrget Athanaſius, nec inculcat ipſum errare non potuiſſe, aut infallibilis eſſe autoritatis, ſed doctrinam in eo agitatam, & Scripturas Scripturarumque veterem intelligentiam, & ab Apoſtolis habitas explicationes ab illo Concilio inuentas & productas ad Arianos qui pullulabant confutandos, & neceſſarias, & ſufficientes eſſe cenſuit.

XIV. Cum igitur Scriptura nullam Conciliis tribuat infallibilitatem, & Patres Athanaſius, atque Auguſtinus Conciliorum autoritatem propriam omnino tutam non agnouerint, quomodo aſſerere quis audeat, Concilia cum quibuſcunque conditionibus errare non poſſe, ſed eſſe tutam, & firmam regulam, imo, & vltimam, ad res fidei toti Eccleſiæ definiendas? *Sed Patres* (inquit b *Bellarminus*) *id aſſeruerunt.*] Qui nam obſecro? Profert ipſe quoque Athanaſium aſſerentem c non poſſe mutari Concilij Nicæni ſententiam, niſi errando. Bene eſt; quando conſtat in Concilio aliquo veritatem ex Scripturis, & primitiuę Eccleſię ſenſu erutam, & promulgatam, vniuerſæq; Eccleſiæ approbatione, & communi conſenſu, nemine ex orthodoxis renitente, vel contradicente, admiſſam, ea certe mutari non poteſt, niſi cum errore. Non ergo Concilij Nicæni ſententiã mutari non licuit, quia fuit in eo Cõcilio definita, ſed quia definitio illa ex Scripturis, & antiquo Eccleſiæ ſenſu fuit deducta, & in vniuerſa Catholica Eccleſia admiſſa, & approbata. Concilium enim non dat ſuę definitioni autoritatem, ſed definitionem ſuam eruit & probat, ac oſtẽdit, vnde nam illa ſuam habeat autoritatem; quam oſtenſionem Cõcilij & probationem, ſi Catholica Eccleſia tacite, & ſine vlla contradictione laudat, approbat, admittit, tũc veritas obtinet, & ceſſant cõtrouerſię;

b Bell. de Concil. l. 2. c. 3.
c Athan. Epiſt. ad Epict. & apud Epip. hær. 77.

& à tali veritate, ſeu definitione recedere, eſt penitus errare. Et eſt per accidens, ꝙ in tali vel tali Concilio illa fuerit reperta. Quomodocũq; reperiatur, etiã ſine Cõcilio, per quancunq; cõmunicationem, etiã per literas, & libros, inter Catholicas Eccleſias, & à Catholica Eccleſia vniuerſali recipiatur, nec habeat amplius oppoſitiones, niſi forte ab hæreticis, & refractariis, vt infra melius videbimus, illa firma fide tenenda eſt, & ſuam propriam habet, tanquã à Deo vere reuelata, autoritatẽ, & non à Concilio, non ab hominibus, licet labore, & induſtria hominum ea ex Scripturis, & Apoſtolicis prædicationibus ſit eruta; ſicut aurum de ſe eſt aurũ, licet hominum induſtria ex aurifodinis ſit effoſſum: nec effoſſio dat ei vt ſit aurum. Si certũ, & indubitatum eſſet aliquos certos foſſores, quoties aliquid è terra effodiunt, id ſemper eſſe purũ putũ aurũ, nec eos poſſe in fodiendo decipi, tũc ſane nobis etiã infallibiliter conſtaret, id quod tales nobis foſſores è terra effoderunt, eſſe perfectum aurum, & non plumbũ, nõ ferrum, non terram, non lutum. At hoc ſicut in auro, ita in doctrina quoq; non datur, vt à Deo ſit alicui, ſeu aliquibus, & ſub certis conditionibus conceſſum, vt quicquid ipſi docent, ſit ipſamet reuelata veritas, vt iam probaui.

Auguſtinum præterea nobis obijcit d Bellarm. e quem, ait, *aſſerere, vltimum iudicium Eccleſiæ eſſe generale Concilium.* Verba tamen Auguſtini nulla adducit. Hoc ego in Auguſtino non inuenio. In Epiſtola enim 162. quam citat Bellarminus, potius contrariũ aſſerit, vbi poſtulat à Donatiſtis, vt tantam autoritatem tribuant Concilio Secundi Tigiſitani, in quo damnatus fuit Cæcilianus, quantam etiam tribuũt Concilio Maximinianenſiũ, in quo damnatus fuit Primianus. Vel n. vtrunq; corrigi potuit alio ſaniori Concilio, ſi vtrunq; errauit, vel neutrum, cum vtrũque debeat eſſe paris autoritatis. Quod ſi fatebantur Primianum fuiſſe merito abſolutum, & Concilium Maximianenſium correctum, cur etiam Secũdi Concilium non potuit per vltramarinos Epiſcopos corrigi, & Cęcilianus abſolui?] Hęc porro ſunt de Concilijs prouincialibus ab Auguſtino dicta, nõ de generali; & in materia iudiciorũ criminalium, non definitionum fidei, atq; ita nihil ſunt ad rem; & perperam Auguſtinus producitur, apud quẽ nihil tale eſt quod ei appingit Bellarminus. Nam nullum Concilium generale abſoluit Cæcilianũ, neq; ipſius cauſa ad vllum Concilium generale eſt deducta; Eo enim tempore nullũ adhuc in Eccleſia fuerat Concilium generale celebratum. Illud tantummodo vrget Auguſtinus, abſolutionem Cæciliani eſſe multo maioris autoritatis, quam abſolutionẽ Primiani. Hic enim nõ niſi in Africa fuit abſolutus, at vero Cęcilianus abſolutus fuit vltra mare, à paucis quidem etiã ipſe Epiſcopis, Melchiade Romano, & Gallis tribus; ac poſtea in Concilio Arelatẽſi, quam abſolutionem ratam habuerit tota, & occidentis, & orientis Eccleſia, quæ tota cum Cæciliano communicabat. Hæc vero ad Conciliũ generale non ſpectant, ſed ad ſenſum Eccleſiæ vniuerſalis, ſine Concilio; quam totam præfert ibi Auguſtinus ſoli Africanæ, vt abſolutio Cæciliani ſic rata habita à tota Eccleſia; quæ cum ipſo communicabat, poſt damnationem ipſius in Africa perperam factam, & ipſum iudicialiter Romæ & Arelate abſolutũ, maioris eſſet adhuc autoritatis, quam ſi in ſola Africa fuiſſet à ſolis Epiſcopis Africanis abſolutus. In his igitur plurimum hallucinatus eſt Bellarminus, dum neſcio quod Concilium generale confingit.

XV.
d Bell. ibid. c. 3
e Aug. Epi. 162.

Addit Leonem Papam & Martianum Imperatorem, ac XVI.

Conci-

Concilium Chalcedonenſe, qui ſemel in Conciliis generalibus definita, aiunt non debere retractari. Procul dubio quæ ſemel ſufficiẽter diſcuſſa ſunt, & ex Scripturis, ac ſenſu communi veteris Eccleſiæ confirmata, ac in vniuerſali Eccleſia citra controuerſiam admiſſa, ac recepta, & vt ſufficienter probata, agnita, quorſum ineptus nouus labor? quis ſic confirmata in dubium reuocet? ſed hæc certitudo, & infallibilitas veritatis definitæ non pendet ex Concilij definientis ipſius propria autoritate, ſed ex Scripturis, & veterum teſtimonijs Apoſtolicas Scripturarum explicationes apud ſe retinentibus, vniuerſalique orthodoxorum approbatione, qui conuicti Scripturis, & antiquitate earum tutis explicationibus conſenſum præbent; quo ſemel iam tuto & prudenter non temere præſtito, illa iam definitio in eo articulo regula tuta eſt omnibus ſubſequentibus. Quod ſi quis dubium idem rurſus excitet, vt turbas faciat, merito obiecta ei ſola definitione iam facta, ac in Eccleſia approbata, abijciendus eſt. Si vero dubia moueat, vt diſcat, & in veritate inſtruatur, tunc ei non autoritas Concilij proponatur, ſed Scripturæ, & ſenſus Eccleſiæ exponatur, vt feciſſe Auguſtinum, & Athanaſium iam vidimus.

XVII. *Inde etiam confirmat Bellarminus Conciliorum infallibilem autoritatem, quod Patres paßim excommunicant, & ipſa Concilia anathematizant Epiſcopos, qui definitis in Conciliis non aſſentiuntur.* Patres excommunicant aduerſantes Conciliorum definitionibus, non quia ſunt in Concilijs definitæ, ſed quia ex Scripturis & alijs adiumentis ſunt collectæ, & ab Eccleſia Catholica admiſſæ, & approbatæ. Quis Patrum excommunicabit recuſantes acta & decreta in Epheſina prædatoria, & in Ariminenſi? Ipſa vero Concilia non modo generalia dicunt anathema, ex ſtylo ordinario, ijs qui ipſorum canones doctrinales non admittunt, ſed etiam prouincialia; ſed non propterea ſunt excommunicati, qui errantia Concilia non ſequuntur. Etiam Concilia Ariana dicere potuerunt anathema ijs, qui Filium dicerent conſubſtantialem Patri. *Nazianzenum addit, ab hæreſi eos excuſantem, qui in aliquo Cõcilio Catholico fuerint in vnionem recepti.* Ergo Pelagius qui in Palæſtino Cõcilio fuit receptus, non fuit hæreticus! Nazianzenus ſupponit Catholicum Concilium iam admiſſum, & ab Eccleſia receptum. Alioquin poteſt Conciliũ nomine Catholicum, re ipſa non eſſe Catholicũ; poteſt Conciliũ, & nomine, & re Catholicum perſonam in vnionẽ recipere, quæ ficte accedat, & hæreſim ſuam regat, ſicut fuit receptus Vrſacius, Valens, Pelagius, & multi alij.

XVIII. Quod vero paſſim Patres ſummam tribuant autoritatem primis illis quatuor Concilijs, eſt peculiare illis, quia facta ſunt ijs temporibus quib. Eccleſiæ ſanam doctrinã conſeruabant ab Apoſtolis acceptam, & Concilia ex tali doctrina controuerſias definiebãt, vt ex Lyrinenſi ſuperius obſeruaui. Ideo ab illorum autoritate ad aliorum poſteriorũ autoritatem non valet conſecutio; illa n. habebant & Scripturam, & Eccleſiarum ſanam doctrinam: poſteriora vero ſolam Scripturam habuerunt, & aliquid veteris doctrinæ in Patrum ſcriptis conſeruatæ. Sed iam vix vllę Eccleſię ſunt in mundo, quę nõ magnis ſint, aut aliquando fuerint erroribus, & falſitatibus corruptæ. Romani potentia Papatus, ſuis nouis fidei formulis, & profeſſionibus, ſumma vi obtruſis, quantam, bone Deus, in Eccleſiis fecit corruptionem? extinxit illa priores bonos, ac pios bonarum traditionum vetuſtiſſimarum ſenſus, & nouis ſenſibus humanis, cõſilia humana Papę promouentibus, diuinæ bonæ & ſanctæ traditiones ſunt notabili ex parte obliteratæ. Merito vero quatuor illa prima Concilia, quia veritatem fundatiſſime eruerunt, & neminem orthodoxum vnquam contrarium habuerunt, ſed ab vniuerſali Eccleſia ſunt recepta, ideo à Spiritu ſancto, & cõgregata, & recta dicuntur: quia certiſſimũ eſt ea in ſuis definitionib. nõ erraſſe. Itaq; eorũ magna autoritas eſt, nõ quod errare non potuerint, (potuerunt n. errare, vt alia, homines illi erant, nec Spiritus ſanctus ex neceſſitate eis aſſiſtere tenebatur, ac proinde permitti poterant iuſto Dei iudicio in errores labi) ſed quia de facto nõ errarunt, & de facto Spiritum ſanctum aſſiſtentẽ habuerunt, quod à poſteriori Eccleſię innotuit, nõ à priori; & poſtquã id innotuit autoritatem obtinuerunt, & tantã, vt ſancti etiam mori pro dogmatibus in ipſis definitis eſſent parati. Eadẽ erit autoritas cuiuſcunq; Concilij, quod ſufficienter innotuerit Catholicæ Eccleſiæ de facto non erraſſe; ſed veritatem Catholicam definiuiſſe. Non ergo ex Concilio veritas, ſed contra, ex veritate Concilium ſumit autoritatem.

Rationibus demum inſurgit Bellar. pro Conciliorũ infallibilitate. a Prima: *Si Conciliũ generale poteſt errare, nullũ erit in Eccleſia firmum iudiciũ ad tollendas controuerſias.* Reſpondeo. Vltimum iudicem controuerſiarum eſſe Scripturam, & ſenſum antiquæ Eccleſię incorruptæ. Vt explicabo inferius ſuis locis: à quo Iudice etiã Concilia tenentur pendere, & ſine quo Concilia nihil poſſunt. Secunda ratio. *Si Concilia errare poſſunt, omnes etiam hæreſes per Concilia damnatæ in dubium poſſent reuocari.* Reſpond. Hæreſes damnatæ non propterea merito, & infallibiliter ſunt damnatæ, quia Concilia errare non poterant, quę illas damnarunt: ſed ideo, quia Concilia illa non errarũt, quamquam errare potuerint. Adſunt vero regulæ ad examinanda Concilia quæ errent, & quæ non errent; & per eas ea, quæ non errarunt, non erraſſe conuincimur, & conuincimus, vt poſtea explicabo. Tertia ratio, *Nulla eſſet certitudo de libris Canonicis; nam aliqui dubij fuerunt, quouſq; à Conciliis fuerint pro canonicis declarati.* Reſpon. Libros Scripturę, qui aliquando ab vniuerſa Eccleſia non fuerunt habiti pro diuinis, nunquam poſſe eſſe proprie diuinos, & canonicos. Neque Concilia hanc habent autoritatem, niſi vſurpatam. Sola, certa, vera, & perpetua traditio Eccleſiæ, quæ fuerit vbique, & ſemper, diſcernit libros canonicos à non canonicis, vt explicaui cap. 1. huius. Quarta ratio. *Si poſſent errare, ſequitur, Vt omnia intolerabilem errorem admiſerint, dum propoſuerint aliquid tanquam articulum fidei credendum, de quo non conſtet, an ſit verum, vel falſum.* Reſpondeo: Omne Concilium exponit ſe huic periculo, vt falſum pro vero doceat, ſi propriam autoritatem magis, quam ductum Scripturæ; & antiquitatis ſequatur, & humanis duntaxat nitatur traditionibus, ſed etiã ſi Scripturas ſcrutetur, adhuc ab errore tutũ nõ eſt, qa ex male intellectis Scripturis, vt humana fert, aut malitia aut fragilitas, Deo ſic permittẽte, poteſt errores docere, & ſtabilire, ac ſic intolerabilem errorẽ admittere. Propterea nullius Cõcilij definitio tuta habetur in Eccleſia; niſi poſt Eccleſiæ approbationẽ, ſaltẽ tacitã, quia nullus orthodoxus cõtradicat, ſed ex regulis ſacrę ſcripturę; & antiquitatis recte definita eſſe quiſq; orthodoxus agnoſcit, & cõſentit. Nõ derogat fidẽ definitis à Cõciliis ꝙ potuerint errare, ſed ijs cõciliat fidẽ, quia & potuerũt ſimiliter nõ errare, & ea non erraſſe certo

XIX.

a Bell. de Concil. l. 2. c. 4.

ſcimus;

ſcimus, à poſteriori, vt ſupra dicebam, non à priori. Concilia ſemper quoties definiunt ſupponunt ſe non errare, ſed interdum falluntur. Ac niſi certo aliunde conſtet ea non erraſſe, intolerabilis eſſet error ea credere, quæ non conſtet vera ne ſint, an falſa. Nec Eccleſia credit conciliaribus definitionibus, niſi poſtquam ei conſtiterit veras eſſe, & Concilium non erraſſe. Tunc autem id Eccleſiæ conſtat, quando orthodoxorum nullus definitioni cõtradicit, quippe ſufficienter ex Scripturis, & antiquitate deductæ. Quæcunq; igitur credenda ab antiquis Conciliis proponuntur, licet verum ſit in illis definiendis potuiſſe concilia errare, non tamen proponuntur ſub hac ambiguitate, & formidine, errarint, nec ne. Si enim non conſtet ea nõ erraſſe, intolerabilis error eſſet illa articulũ fidei facere; ſtãte vero fallibilitate Conciliorum in definiendo, adhuc poteſt conſtare, definita per Concilia fallibilia, cum infallibili veritate fuiſſe de facto definita. Sunt ergo maximo honore digna illa prima Concilia, nec vllum intolerabilem admiſerũt errorem, quia ex Scripturis, & antiquitate veritatem contra hæreſes, accuratiſſime eruerunt, neq; errarunt, licet errare potuerint. Sicut laudi dat ſapiens, *quod quis* a *potuerit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit.* In eo vero decipitur Bellarm. quod fallibilitatem Conciliorum definientium transfert in ipſas res definitas. Nam certe ſi quę definita ſunt adhuc continent fallibilitatem, & ſubſtent periculo falſitatis, eſſet intolerabilis error ea articulos fidei facere; non tamen ſic eſt, quia fallibilis cauſa poteſt habere certum, & infallibilem effectum, ſi non erret, & poſt factum conſtare poteſt erraùerit, nec ne. Poteſt mulier monſtrum parere, ſi deficiens, ſiue ſuperflua fuerit natura, at poſtquam peperit, diſcerni poteſt an perfectum hominem pepererit, an monſtroſum, & peccabilitas quæ erat in cauſa, non ponit peccatum in effectu, niſi actu cauſa peccauerit. Sic igitur manet Concilia ſemper eſſe de ſe peccabilia, & licet in facto interdum peccent, interdum tamen etiam non peccant; & quando peccarint, quando non peccarint, adſunt regulę dignoſcendi; de quibus plura inferius.

a Eccl. 31. 10.

XX. Huc accedunt *exempla Conciliorum generalium* quę miſerabiliter lapſa ſunt, vt ſecundum Epheſinum, & Ariminenſe, ac, ſi Leoni credimus, etiam Chalcedonenſe errauit circa primatum ſedis Conſtantinopolitanæ, vt vidimus noſtro lib. 4. c. 4. n. 14. Secundum veritatẽ etiam errauit idem Concilium Chalced. dum Theodorum Mopſueſtenum, Ibam, & Theodoretum non damnauit, ſed cum laude admiſit, qua in re corrigendum fuit per quintam ſynodum generalem, vt vidimus ſupra lib. 6. c. 9. n. 40. Addunt noſtri Conſtantienſe, & Baſileenſe: excuſant vero paſſim ea Concilia quæ lapſa ſunt, & dicunt non fuiſſe legitima; infallibilitatem autem, & inerrabilitatem ſolis legitimis Conciliis generalibus competere, & quatenus legitima ſunt. Et illud mirum, quod legitima intelligunt, quæ à ſede Apoſtolica Romana fuerint approbata. Ego de approbatione, ſeu confirmatione Conciliorum agam paulo poſt: *Nunc illud obijcio*, ſi vnumquodq; Concilium, vt admittatur tanquam legitimum, indiget externo aliquo iudicio, vt conſtet ſit ne approbandũ, aut reprobandum, & conſequenter ſit ne legitimũ, an illegitimum, igitur vnumquodq; Concilium errare poteſt; Nam ſi errauerit reprobabitur, ſi non errauerit confirmabitur; vt quid enim ſubiiciatur iudicio ſedis Apoſtolicę, ſi errare non poſſit? ſed quia nullum eſt, quod errare non poſſit, ideo nullum eſt quod externo iudicio non debeat ſubijci. Et hoc eſt quod volumus, hoc quod probamus. Ariminenſe, Epheſinum alterum, & ſimilia ſunt illegitima, non quia errare potuerunt, ſed quia re ipſa errarũt, errarunt autem, nam & errare potuerunt. Si poſſent dari conditiones aliquæ, ex quibus Concilium ſit de ſe legitimum, & conſequenter inerrabile, nunc Concilium eſſet optima & tutiſſima regula in Eccleſia ad res fidei tuto definiendas, & omnes controuerſias tollendas; puta ſi ſit generale, ſi conuocatũ à Papa, aut ipſo conſentiente, ſi adſint in ipſo omnes Patriarchæ, ſaltem per legatos, ſi ſit liberũ, &c. ſed nunquam poterunt tot conditiones multiplicari, quin adhuc ſubſtet periculo errandi, modo magis, modo minus. Et ſane Epheſina ſecunda ſynodus omnes illas habuit conditiones, & tamen turpiſſime errauit, & hæreſim Euthychianã confirmauit. Poſſunt quidem, & debent apponi Concilio multæ conditiones, quæ plurimum poſſint ad veritatem indagandam & inueniendam, ſed quæ infallibilitatem dent Concilio, nullæ erunt ſufficientes, vnica excepta diuini Spiritus aſſiſtentia, quã adeſſe ex manifeſta diuina reuelatione conſtet: quã tamen non habemus niſi probabilem. Certum ſane habemus in Eccleſia adeſſe Spiritum ſanctum perpetuo, qui non permittat, ſiue per Concilia, ſiue per quoſcunq; hæreticos veritatem opprimi, *quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, & ita ſemper ſuſcitat orthodoxos, qui errare etiam Concilia clamitent, & conuincant, alioſque excitent ad reſiſtendum; ſed nullum Concilium de ſe habet hanc certitudinem.

XXI. Non potuit itaque etiam Bellarm. non fateri b *legitimum quoq; Concilium poſſe errare in ijs* (inquit) *quæ non legitime agit.*] poteſt igitur omne Concilium, quantumuis legitimum aliquid non legitime agere, poteſt igitur errare, nec vllum Concilium, etiam legitimum, immune eſt à periculo aliquid illegitime agendi. *Et de facto* (ait) *legitimum Concilium errat, quando ab Apoſtolica ſede reprobatur, vt factum eſt in Concilio Chalcedonenſi cuius vnam actionem reprobauit Leo.*] Demus erraſſe, (quod lib. 4. c. 4. negauimus) at non ideo errauit, quia ſedes Apoſtolica reprobauit, ſed ideo reprobauit illa, quia ipſum errauit. Erat legitimum, & errauit, ergo errare potuit. Ergo Conciliũ generale legitimum errare poteſt. Et approbatio ſedis Apoſtolicę non eſt conditio faciens Conciliũ inerrabile, & legitimum, ſed eſt iudicium externum Concilio, illud de facto non erraſſe, nec illegitime proceſſiſſe atteſtans. Semper ergo Concilium cum quibuſcunque conditionibus eſt errabile, & poteſt illegitime procedere, Nec approbatio illud facit legitimum, ſed declarat.

b Bellar. de Concil. l. 2. c. 7.

XXII. Concludo igitur quæſtionem hanc primam de autoritate Conciliorum, *Nullum eſſe Concilium in Eccleſia, nullum fuiſſe, nullum futurum, quod dũ ſedum celebratur poſſit eſſe Eccleſiæ certa & infallibilis regula credendi: ſiquidem omnia poſſunt errare, vt probatum eſt.* Dico tamen interim Concilia antiqua iam celebrata nõ modo generalia, ſed etiam prouincialia aut nationalia, quæcunq; dogmata fidei, ex Scripturis, & ex ſenſu antiquæ, nondum corruptæ Eccleſiæ ſtabilierunt, & ita ea ſtabiliuiſſe vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu agnita, ac proinde ſi legitime approbata fuerint, nullum errorẽ poſſe cõtinere. Ac proinde quæ ſic definita ſunt, ea eſſe toti Eccleſiæ fidei articulos firmiſſimos, & inconcuſſos: & eos, qui contra tales definitiones inſurgunt, ſerio & animo obfirmato, hæreticos eſſe, & pro hæreticis habendos. Talia Concilia dico eſſe prima quatuor generalia: Nicænum

num

num primum, Conſtantinopolitanum primum, Epheſinum primum, & Chalcedonenſe. De quinto, & ipſo legitimo, ac omnino retinendo, non ſumus multum ſoliciti, quia non tam circa dogmata controuerſa, quam a circa perſonas quaſdam occupatur. Talia vt prima quatuor ſunt multa Concilia prouincialia, & in Oriente, & in Occidente contra Arianos; talia ſimiliter prouincialia aliqua, & in Oriente, & in Africa, & in Gallijs contra Pelagianos celebrata. Nam eſſe generale vel prouinciale, plenarium vel non plenarium, non ſunt differentiæ eſſentiales, vt inferius explicabo. Si enim etiam pauci inuenerint veritatem, etiam ſi vnus ſolus, & ſine Concilio, eamq; clare ex Scripturis, & antiquitate manifeſtarit, Eccleſiaque vniuerſa illam approbarit, eiuſdem erit illa fidei, & autoritatis, ac ſi eam Concilium plenariiſſimum inueniſſet.

a Pag l. 5. ind. 12. ep. 56.

XXIII. Cum itaque Concilia poſteriora non poſſint eſſe regula fidei, niſi poſt veram & legitimam, quæ debitum examen conſequatur, vt factum eſt in prioribus, approbationem, antequam Concilio cuicunq;, & quantumuis plenario fidem adhibeamus, examen dictum, & approbatio ſunt nobis inſpicienda, & de his erit mihi agendum in ſequentibus. Et quidem de poſterioribus Concilijs toties loquitur b Auguſtinus, & alij, priora per poſteriora corrigi; Nam prima illa iam in Eccleſia vniuerſali ſufficienter approbata per vniuerſalem eorum admiſſionem, quippe ſacræ Scripturæ, & primitiuæ Eccleſiæ ſenſum Catholicum, & Apoſtolicum exprimentia, correctioni amplius non ſubſtant, & de illis veriſſime Patres, & Imperatores aiunt *ſemel definita non eſſe amplius retractanda*. Poſteriora vero antequam autoritatem obtineant, diſcutiēda ſunt, vt dixi, & ſi claudicare fuerint inuenta, tunc per alia Concilia maiora, aut ſaniora veniunt corrigenda. Ita Epheſina ſecunda ſynodus prædatoria per Cōcilium Chalcedonenſe correcta fuit: ita Ariminēſe generale Cōcilium per plura in c Gallijs potiſſimū autore Hilario prouincialia, ſed ſaniora. Et regula Tertulliani: d *Quod prius hoc verum*: intelligenda eſt, & de eo ꝙ eſt ſimpliciter prius, ante quod non eſt aliud prius, & conſequenter de primis Concilijs, iā vniuerſali cōſenſu approbatis, & de doctrina Apoſtolica in primitiua Eccleſia accepta, & cōſeruata. At vero ꝑ temporibus poſterioribus regula illa locum non habet; quia ſæpe ꝙ prius eſt, erratum eſt, & per poſteriora examina ſaniori doctrina correctum, & emendatum. Atq; hæc de Conciliorū autoritate ſatis. Ex his vero iam plura ordinaria quæſita de Conciliis, facile, & breuiter ſoluo.

b Aug. con. Creſc. l. 2. c. 32. & de Bapt. l. 2. c. 3. & c. 9. Leo Epiſt. 26. & 45. Gelaſ. ep. 5. & 11.

c Sulp. ſac. hiſt. l. 2.

d Tertull. cont. Marcion. lib. 4.

XXIV. 1. *Quæ eſt in Eccleſia Conciliorum neceſſitas?* Vſus Conciliorum in Eccleſia eſt duplex in genere; vel ad fidei dubia tollenda, vel ad externum Eccleſiæ regimen in canonibus, & iudiciis dirigendum; quā neceſſaria ſint pro externo regimine, videbimus libro ſequenti, qui erit octauus huius operis; quo ad priorem vero vſum in rebus fidei; Dico nō modo valde vtilia eſſe Concilia in Eccleſia, ſed etiā neceſſaria, ſed tanquam conditionem ſine qua non. In dubiis enim, & cōtrouerſiis fidei, vt veritas eluceſcat; pios, & doctos Scripturarum contemplatores inter ſe conferre neceſſe eſt. Collatio vero per ſcripta & literas incommoda admodum eſt, difficilis, longa, & quæ vix vnquam terminari poteſt. Oporteret enim vnumquemq; ad omnes, ac ſingulos ſcribere, & reſpondere. Propter ſolam igitur collationē viri docti coeunt in Concilia, vt iuncto labore Scripturas ſcrutentur, & Apoſtolicas inquirant prædicationes, vt iā explicaui. Nec me nimium mouet diſtinctio inter Concilia prouincialia, aut nō plenaria; & generalia ſeu plenaria, quam vrget e Bellarminus; Magis n. & minus non variant ſpeciem, neque plus autoritatis habet Conciliū generale, vt Conciliū, quam nō generale, quodcunq;, niſi quatenus plus videt oculi, quam oculus; & quatenus ꝓbabile (ſed non neceſſariū) eſt, plures melius ſentire, quam pauciores. Certū tamen eſt conciliares definitiones, vt ꝓbaui, vim ſuam totam ex Scripturis bene allatis, & productis & ex antiquitate ſincere habita, nō ex numero inquirentium vim veritatis habere. Vt proptereа pondus, non numerus ſit in Conciliis, vt infra oſtendam, ſpectandus. Imo addo, quod etiā ſuperius n. 5. obſeruaui, impoſſibile eſſe vnum verum Concilium generale congregari; quia nunquam omnes penitus totius Chriſtianitatis Epiſcopi cōuenerunt, aut conuenire poſſunt, nedum omnes presbyteri, & animarū paſtores, ac viri docti quicunq; & in Scripturis, ac rebus ſacris verſati; Nunquam igitur adeo plenarium poteſt eſſe Concilium, quin aliud magis plenarium poſſit haberi. Abſolute ergo loquendum eſt, & dicendum: Concilia in Eccleſia eſſe neceſſaria, modo minora, modo maiora. Et illa quidem non quod in ipſis certum conſtet iudiciū, vt vult f Bellarminus, quo, inter alia, hæreſes dānari poſſint: ſed vt debitæ collationes, & in Eccleſia, quando dubia inſurgunt, neceſſariæ fiant: quibus collationibus iudicium controuerſiarum definitiuum ex certis Scripturæ, & antiquitatis regulis eruatur, & inueniatur, erutum, & inuentum toti Eccleſiæ proponatur; qua de re appoſite Patres quintæ ſynodi generalis ſic loquuntur. g *Licet ſancti Spiritus gratia, & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, vt non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo quod mouebatur, ſi oporteret gentes circuncidi, definire, priuſquam communiter congregati, diuinarum Scripturarum teſtimonijs vnuſquiſque ſua dicta confirmauerunt. Vnde communiter de eo ſententiam protulerunt ad gentes ſcribentes: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil aliud imponere vobis oneris præterquam neceſſario, vt abſtineatis ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Sed ſancti Patres, qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis conuenerunt, antiquis exemplis vtentes communiter de exortis hæreſibus, & quæſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto, quod in communibus diſceptationibus cum proponuntur, quæ ex vtraq; parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cum vnuſquiſq; proximi adiutorio indiget, ſicut in prouerbiis dicit Salomon; Frater fratri adiutorium præſtans, exaltabitur ſicut ciuitas munita valet vero ſicut regnum fundatum. Et iterum in Eccleſiaſte dicit. Optimi duo quam vnus, quibus eſt merces bona in labore ipſorum. Sed etiam ipſe Dominus dicit. Amen dico vobis ſi duo ex vobis conuenerint ſuper terram, de omni re quamcunq; petierint, continget illis à Patre meo qui in cælis eſt. Vbicunq; enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum in medio ipſorum.*] Et prætereа vetus canon, qui dicitur Apoſtolorum, in Eccleſia Conciliares has diſcuſſiones præcipit hoc pacto. h *Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, vt inter ſe inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoueant.* Atque hoc ipſum fuit in Concilio etiam i Nicæno ſtabilitum; & poſtea in aliis ſæpe repetitum.

e Bell. de Concil. l. 1. cap. 10.

f Bell. ibid. cap. 11.

g Quintæ ſyn. gen. collat. 8. ad init.

h Can. Apoſt. 38.

i Conc. Nicæ. c. 5.

XXV. Ac merito ſane Conciliorum vſus debuit, & eſſe debet frequens in Eccleſia; Siquidem Monarchicū in ea regimen Chriſtus non inſtituit inter mortales miniſtros, quibus illam commiſit regendam & commendauit, vt in libris præcedentibus fuſe

fuſe probaui; ſed vt loquitur Cyprianus, *Eccleſia v-* a Cypr.l.4. ep.2. *na, & a Epiſcopatus vnus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.*] Propterea in difficilioribus negotiis, illi qui in ſolidum Eccleſiam ex æquo miniſterialiter gubernant, ſimul conuenire debent, vt ſimul coniunctis viribus fidem & bonum commune ſpirituale promoueant. Qua in re optime philoſophatur Cæleſtinus, primus Rom. pont. vbi Concilij Epheſini Pa- b Cæleſt. Ep.7. to.1. Ep. Decre. Rom.Pon. par.2. tres ita per ſuas literas alloquitur. *b Spiritus ſancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum. Certum eſt enim quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri: cuius in Euangelio iſta ſententia eſt: vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorũ. Quod cum ita ſit: nam nec huic tam breui numero Spiritus ſanctus deeſt; quod magis eum nunc intereſſe credamus, quando in vnum conuenit tanta turba ſanctorum? Sanctum namq; eſt pro debita veneratione Concilium, in quo vtiq; nunc Apoſtolorum frequentiſſimæ illius, quam legimus congregationis aſpicienda reuerentia eſt. Nunquam his defuit magiſter, quẽ receperant prædicandum: affuit ſemper iis Dominus & magiſter. Sed nec docentes à ſuo doctore deſerti ſunt, docebat ille qui miſerat, docebat qui dixerat quod docerent, docebat qui in Apoſtolis ſuis ſe confirmat audiri. Hæc ad omnes in commune Domini ſacerdotibus mandatæ prædicationis cura peruenit: Hæreditario namq; in hac ſollicitudine iure conſtringimur, quicunq; diuerſa terrarum eorum voce nomen Domini prædicamus: dum illis dicitur: Ite, docete omnes gentes. Aduertere debet veſtra fraternitas, quia accepimus generale mandatum: omnes etiam nos id agere voluit, qui illis ſic in commune mandauit officium. Neceſſe eſt, vt competenter noſtros ſequamur autores: ſubeamus omnes eorum labores, quibus omnes ſucceſſimus in honore: præſtemus eorum diligentiam prædicationi: poſt quæ monente Apoſtolo, nullam prædicationem iubemur adducere. Non eſt minor tradentis officio cuſtodia traditorum. Illi ieceerunt fidei ſemina; noſtra hæc ſollicitudo cuſtodiat, vt incorruptum, & multiplicem fructum noſtri Patrisfamilias aduentus inueniat, qui ſoli vtiq; Apoſtolorum aſſignatur vbertas. Loquente namq; electionis vaſe, plantare, & rigare non ſufficit, niſi Deus dederit incrementum. Agendum igitur nunc eſt labore communi, vt credita, & per Apoſtolicam hucuſq; ſucceſſionem detenta ſeruemus, &c.*] Sic c Leo, ſic d Gregorius, ſic e Martinus, & alij c Leo Ep. 4. & 5. agnoſcũt fidei explicationem, & defenſionem Epiſcopis ex æquo mandatam eſſe à Spiritu ſancto, vt d Greg. li. 12. Ind.2. Ep. 21. Paulus aſſeruit illis verbis: *f Attendite, &c.* Hormiſda præclare, *g Ob hoc Patres, prouidentia, qua Spiritus* e Concil. Latera. ſub Mart. conſul.1. *ſanctus cultores ſuos compungere dignatus eſt, incitati bis in anno per parochias ſingulas Concilia habere debere docuerunt, vt in vnum, iuxta ſalubris inſtitutionis dogmata, congregati, pro Eccleſiaſticis cauſis tractandis libere conuenirẽt,* f Act.20. g Hormiſ. Ep.60. *vt ſi iuxta votum vniuerſa conſiſtũt, Deum iunctis vocibus, qui præſtat deſiderata collaudent.*]

XXVI. Atq; ex intermiſſis frequentibus Conciliis damna ingentia in Eccleſia conſecuta deplorant Pa- b Leo. ep.4. tres; Audiamus illos; Leo, *b Ex quo autem* (inquit) *multas prouincias hoſtilis occupauit irruptio, & executionem legum tempeſtates interdixere bellorum; ex quo inter ſacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt eſſe conuentus, inuenit ob publicam perturbationem ſecreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium ſubuerſionem his malis eſt incitata, quibus debuit eſſe correcta.*] Concilium To- i Concil. Tolet. xi. init. let. vocatum vndecimum, ſic loquitur, *i Erratus enim hucuſque, pro labentis ſæculi colluuione, inſtabiles: quia annoſa ſeries temporum, ſubtracta luce Conciliorum, non tã vitia auxerat, quam matrem omnium errorum ignorantiã ocioſis mentibus ingerebat. Cernimus enim, quomodo Babylonicæ confuſionis olla ſuccenſa nunc tempora auerteret Conciliorum, nunc ſacerdotes Domini de reſolutis moribus irretiret: Purpuratæ enim meretricis ſequebantur incitamenta, quia Eccleſiaſtici conuentus non aderat diſciplina, nec erat qui errantium corrigeret partes, cum ſermo diuinus haberetur exoſus. Et quia non erat adunandorum pontificum vlla præceptio, creſcebat in maius vita deterior.*] Tulleuſe etiam Concilium ſic ſtatuit. *k Synodales conuentus Epiſcopi ſecundum traditionem canonicam frequentare procurẽt,* k Apud Bin. con to.3. an.859. c. 24. *quatenus ordo Eccleſiaſticus, qui quaſi obliteratus iam fuerat (quoniam ſynodi propter diſcordiam Regum frequentari non poterant) Epiſcopali collatione ad neceſſarium, ac debitum ſtatum reduci præualeat.*] Noſtris poſtremis ſæculis ſæpius ingemuit Eccleſia, ſe Conciliorum ope deſtitutam totam ſyluſcere. Ioannes Gerſonius non ſine doloris ſenſu id conſiderabat, quando illa ſcribebat. *l Concludimus tandem ex dato Moyſi conſi-* l Gerſ. de poteſt. Eccleſ. conſid.2. *lio, & præcepto legis. Deut. XVII. & ex inſtitutione Chriſti Matt. XVIII. quod nulla fuit hactenus, nec erit in poſterum peior, nec perſior peſtis in Eccleſia, quam omiſſio generalium Conciliorum, & prouincialium, vel in re ipſa, vel autoritate.*] Propterea ſaluberrima fuit illa Concilij Conſtantienſis conſtitutio, vt ſingulis decenniis Conciliũ generale celebraretur. Sed quia noſtri Papæ Concilij voce terrentur, vt ait m Ionius, ſciunt enim in m Ion. lib.3 Concilio libero ipſorum vſurpationes, & facile patere poſſe, & cohiberi. Iccirco toto conatu impediunt, ne fiant Concilia, præſertim generalia; ſed etiã prouincialia toruis oculis intuentur: Mandata etiã dant Archiepiſcopis, ne vlla decreta ſynodalia publicent, niſi prius fuerint à ſede Apoſtolica confirmata. Hoc ego viſo, & accepto mandato cum primum factus ſum Archiepiſcopus, nullum vnquam volui in mea prouincia conuocare Concilium; Siquidem totus labor eſſet futurus inanis. Hæc eſt mera Tyrannis, qua libertates Eccleſiarum miſerrime opprimuntur. Vidit Creſpetius monachus Cæleſtinus neceſſitatem Conciliorum toties a Patribus inculcari, & tamen ea prorſus in deſuetudinem abijſſe, nec potuit non exclamare, & in hæc verba prorumpere, *n Concilia generalia frequentius in-* n Creſp. ſumma Cathol. fid. verbo Concilia. *bentur celebrari, ſed nec generalia, nec particularia celebrantur, vnde tot malis ſuccumbimus; o damnum, & ineſtimabile præcipitium.*]

2. *Cuius eſt Concilia indicere, & congregare?* De hoc XXVII. quæſito fuſe tractaui lib. 6. cap. 5. à num. 5. ad n. 104. Vbi probaui Principes etiam propria autoritate poſſe, & ſolere, & ſæpe debere indicere Concilia, ſiue prouincialia, ſiue nationalia, ſiue etiam generalia; & de generalibus non eſſe in ſolius Papæ poteſtate ea conuocare: ſed quandiu Imperatores toti ferme orbi dominabantur, ipſi vel maxime cogere poterant Epiſcopos, qui in toto Romano eſſent Imperio, vt Concilio à ſe indicto adeſſent. Papa vero licet poſſit etiam ipſe (quod non puto negandũ) Concilia generalia indicere; in Patriarchatu quidẽ ſuo totius occidentis, etiam autoritatiue, autoritate tamen non iuris diuini, ſed iuris humani Eccleſiaſtici Patriarchalis, adhibitis etiam cenſuris, extra Patriarchatum tamen ſuum Epiſcopos exiſtentes, nõ poteſt autoritatiue ad generale Concilium vocare, ſed inducere ſuo hortatu prius debet alios primos Patriarchas orientis, vt ad celebrandum generale Concilium ſuum ipſi quoq; præſtent conſenſum, & Epiſcopos mittant, &c. Sed Princeps quicunque in ſua ditione ſupremus poteſt Epiſcopos ſuæ ditionis ad Concilium non modo vocare, ſed etiam cogere; Quod ſi generale Concilium eſſet laica autoritate, vt olim, conuocandum, omnes Principes Chriſtiani deberent communi conſenſu de congregando Concilio ſtatuere, & quiſq; ſuos Epiſcopos, vt ad Concilium eant compellere: vt monui etiam lib. 6. cap. 5. n. 96. Dimiſſionem ſimiliter Conciliorum, & translationem ibidem, n. 50. 78. 121. probauimus

nimus in Principum quoque eſſe poteſtate, & ad Concilia poſſe Epiſcopos ex ſe ipſis conuenire nu. 89. Arauſicanum nanq; Concilium occaſione dedicationis Eccleſiæ celebratum eſt ab illis Epiſcopis, qui ad eam dedicationem conuenerant, & hoc vel maxime Pelagianam hæreſim damnauit. Arelatenſe quoque tertium eadem occaſione conuenit. Turonicum primum ab illis celebratum eſt, qui ad Martini feſtum conuenerant. Quid vero iuris, & poteſtatis habeat Papa ſiue in Conciliis, ſiue in Cōcilia, explicabitur in ſequentibus.

XXVIII. 3. *Quinam ſunt in Concilia admittendi?* Vt quæſito huic plene ſatisfiat, aliqua ſunt mihi non exigui momenti prænotanda. *Primum eſt, longe diuerſam eſſe rationem conſultandi in rebus humanis, & diuinis.* In humanis vbi fit à pluribus conſultatio, qui ius ſuffragij habeant, numerus vincit; & quiſq; liber eſt pro ſuo arbitrio, iuxta dictamen ſuæ propriæ rationis ferre ſuffragium, quod ſi etiam contra conſcientiā recto dictamini ſuæ rationis aduerſum; & ex ſolo humanorum conſiliorum, vel amicitiæ, vel proprij commodi, propriæq; vtilitatis impulſu ille tulerit, nihilominus, & pondus, & effectum habet, & habere debet. At vero in diuinis ſecus eſt; Docui enim in præcedentibus Concilia nihil propria autoritate poſſe definire, ſed ea veritatem debere ex propriis fundamentis Scripturæ, & antiquitatis eruere, ac propterea numeri ſuffragiorū in Conciliis fidei nullam haberi rationem, ſed ponderis. Auguſtinus ſane cōparans Concilium quoddam quatuor duntaxat Epiſcoporum, Melchiadis videlicet Papæ, cū tribus ex Gallia ipſi ab Imperatore Conſtantino additis, vt iudicarent cauſam (non quidem fidei, ſed criminalem) Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi in Concilio 70. Epiſcoporum Donatiſtarum damnati, cum hoc ipſo Concilio, ſic loquitur. a *Conferte nunc iſtam paucitatem cum illa multitudine Epiſcoporum; neq; numerum numero, ſed pondus ponderi comparate.*] Quod ſi ponderi addatur etiam numerus, ſeu potius numero pondus, tunc iudicia fiunt adhuc tutiora, vbi Concilium cum Concilio conferantur. Sed in vno, & eodem Concilio pondus magis ſemper eſt, quam numerus ſequendus. Nicolaus Papa huius nominis primus optime ait. b *Et quid prodeſſe conſideramus eiuſdem numeri collegium præeſſe, vbi ipſius ſententia prauaricantur, cuius & numerus imitatur? quod non laude magis, quam reprehenſione ducimus dignum, quia omnino magis peccatis eſt cumulus vbi multipliciter fuerit agmen prauaricatorum. Nos quidem non numeroſum tantum ſanctorum Epiſcoporum collegium Nicæni, & Chalcedonenſis Conciliorum, cæterorumq; ſanctorum Patrum Synodicas conſtitutiones ſequimur, ſed illorum librales veneramur iuſtas diuinitus inſpiratas ſententias, & non tantum pro ſuorum multitudine obſeruantur à nobis (quia re vera multi in perſonis fuere) ſed in validiſſimis ſententiis eos perpendimus plures.*] Neque potuit Bellarm. c hanc veritatem non fateri; *Ait enim, Reſpondeo ad primum, ſententiam vnius priuati poſſe anteponi ſententiæ Concilii generalis ante definitionem, dum cauſa diſcutitur: in diſcuſſione enim eruditio, non autoritas perſonæ primas tenet; præterea etiam poſt definitionem, quando conſtat concilium fuiſſe illegitimum, at nullo modo poſt definitionem Concilii legitimi.*] Atqui totum conſiſtit in diſcuſſione cauſæ: Aliud enim iudicium rectum fieri non debet, niſi id quod diſcuſſio pepererit. Poſt definitionem etiam ſiquis ponderoſe obſiſtat, & definitionem ex ſcripturis, & antiquitate iā irrefragabiliter oppugnet, tunc ſemper Concilium illud conuincetur erraſſe, & proinde ſemper erit illegitimum. Legitimum vero cum nullum ſit, niſi quod non erraſſe de facto conſtet; certe nunquam ei à quoquam poterit legitime opponi. Nec dicimus nos ſententiam Docti, priuati anteponendam eſſe Concilio non erranti, ſed anteponendam eſſe Concilio erranti, ac proinde ſemper illegitimo. Pondus etiam non numerum ſpectandum diſerte docet d Melchior Canus; ſed turpiter errat dum totum pondus Conciliorum ponit in ſola Papæ autoritate confirmatiua, vel reprobatiua, de qua infra.

a Aug. ep. 162.

b Nicolaus ep. 5.

c Bell. de Conc. l. 2. c. 16.

d Canus de loc. co. l. 5. c. 5. q. 2.

XXIX. *Secundum* quod prænoto, eſt: *Non ex ſolo titulo Epiſcopali habito, dari ſtatim cuiquam ius ſuffragii in Conciliis*; ſi enim Epiſcopus nomine ineptus ſit ad tractandam rectam ſcripturarum intelligentiam, & inquirendum quid Apoſtoli ſancti, & Apoſtolici viri in primitiua Eccleſia docuerint, & in quo ſenſu ſcripturam illi declarabant, & interpretabantur; is profecto non aliter atq; ſtipes in conſultationibus fidei pro nihilo eſt habendus; nec eius ſuffragium eſt aliis annumerandum, & ſolum illius PLACET ridiculum eſt, ac penitus contemnendum. Epiſcopi enim non quia ordinati ſunt, vtcunq; Epiſcopi, ſed quia docti & periti, & in ſacris rebus verſati, ad cōferendum de rebus ſacris conuocantur. Merito igitur *Gregorius Nazianzenus* illas ſynodos deteſtabatur, in quibus Epiſcopi ſuffragia ferentes eſſent ruſtici, idiotæ, illiterati, nulla ſacrarum literarum ſcientia præditi, nec in rebus ſacris exercitati, qui vtiq; æquum iudicium ferre nō poſſent. Audiamus ipſum. e *Dimiſerunt me, (inquit) ab vrbe, non admodū repugnantem: quippe turpiſſimum erat illorum me fidei cauponum in numero eſſe. quorum alii nepotes erant eorum qui tributorū ſcribæ fuerant, & aliud nihil animo voluebant, quam falſas, & ſubdolas rationum deprauationes: alii ab aratris venerant aduſti à ſole, alii à ligone vel bidente, totum diem non quieſcentes, alii remos exercitumue reliquerant, redolentes adhuc ſentinam, vel corpus fœdatum cicatricibus habentes; populi gubernatores, ac duces militum, qui ne minimum quidem conceſſuri videntur, nonnulli etiam opificiorum, quæ citra ignem operas ſuas perficere nequeunt, gnari, ne fuliginem quidem carnis integre abluerant. flagriones, ac piſtrinis digni, &c.*] Tales erant olim multi ex fæce hominum, quando Epiſcopatus ordinarius erat onus, & non honor, nec luxus, niſi in præcipuis quibuſdam Eccleſiis, ac propterea nec nobiliores, nec literati, niſi ferme coacti ad gradum illum adducebantur. Nunc vero rudes etiam innumerabiles Romæ fiunt Epiſcopi, curiales homines, auaritiæ, & ambitionis mancipia (ſaluo bonorum, qui pauci ſunt, honore) in arte lucrandi, & dominandi aſſentandique plurimum: in ſacris autem literis nihil exercitati, ad ſummum leguleij in rebus ſacris prorſus peregrini. An igitur in controuerſiis fidei decidendis talium ſuffragia numeranda? Maximus Abbas, martyr Eccleſiæ orientalis inſignis, in diſputatione cum Theodoſio Epiſcopo præclare ait. f *Illas nouit probas, & ſanctas ſynodos pius Eccleſiæ canon, quas rectitudo dogmatum probauit.*] Non ergo reſpicit Eccleſia in ſuis Conciliis ſuffragiorum numerum, ſed pondus; nec reſpicit, quot ſuffragia data ſint pro aliqua definitione; ſed quam bona; quam recta; quam Scripturæ, & antiquitati conformia.

e Naz. in carm. de Epiſcopis.

f Apud Baron. to. 8. an. 656. n. 18.

XXX. *Tertio* prænoto: *Nunquam ferme Concilium quodcunque conuocari, etiam pro fidei, & dogmatum controuerſiis tractandis, quin ſimul quoque de diſciplina Eccleſiaſtica, & praxi, ritibus, ac regimine externo Eccleſiæ aliquid pertractetur.* Et quia magnum diſcrimen eſt inter tractationes dogmaticas ac doctrinales, & practicas, ac rituales; ideo alio modo ſtatuendum eſt de perſonis Conciliaribus pro dogmatibus, alio pro regimine, & praxi Eccleſiæ. De Conciliis

prioris generis hic agimus; de ijs quæ ſunt generis poſterioris agam lib.8.

XXXI. *Quarto* præmitto: *Concilia generalia non eſſe tumultuarie, & ex abrupto conuocanda, ſed prius capita controuerſiarum quæ in diſceptationem veniunt, eſſe per Patriarchas, vel Primates omnibus ſuis Metropolitanis ſignificanda, vt ſuper illis fiat in prouincialibus ſynodis diligens Epiſcoporum totius prouinciæ, ſacrarum tamen literarum ſtudioſorum, conſultatio, vt ex Scripturis, & antiquitate; veterique earundem Eccleſiarum ſenſu, quantum fieri poteſt, eruatur totius prouinciæ ſententia; qua inſtructiores iam facti Epiſcopi ad Concilium generale accedant, non omnes, ſed doctiores & aptiores.* Et hic eſt mos antiquæ Eccleſiæ. Nouatiano nouam hæreſim, de neganda lapſis pænitentia, efficiente, Cornelius Papa Synodum conuocat, & per alias prouincias curat conuocandas. a *Ob quam rem.* (inquit *Euſebius*) *Concilium maximum Romæ cogitur; in quo ſexaginta Epiſcopi, & presbyteri totidem, atque amplius vna cum diaconis, in vnum conueniunt. A paſtoribus etiam ſeparatim per ſingulas cuiuſque regionis prouincias, quid de ea re agendum eſſet, deliberantibus, colloquia fiunt. A quibus omnibus tandem decernitur, &c.*] Auguſt. hunc morem ſupponit, vbi de magna illa controuerſia Africana circa Baptiſmum hæreticorum ſic loquitur; b *Quomodo enim potuiſſet iſta res tantis altercationum nebulis inuoluta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc, atque hinc diſputationibus, & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?*] Et rurſum, c *Sed nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio capta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.*] Et Patres, qui in ſeptima ſynodo cauſam imaginum diſcutiebant fatentur ſynodum non poſſe dici vniuerſalem, quæ (inter alia) per prouinciales literas non habeat Eccleſias cooperatrices.] Vide etiam Baron. to.6. an.451. n.29. qui hunc eundem morem confirmat. Quæ ergo in plenario Concilio erant terminanda, ea prius in regionalibus diſcutiebantur. His prænotatis,

a Euſeb. li. 6. c.35.
b Aug. de Bapt. l.2. c. 4. & 8.
c Ibid. l.7.

XXXII. Dico, *In Conciliis quibuſcunque, in quibus de fide agatur, nullum certum perſonarum genus ita locum poſſe prætendere, vt quicunq; homo doctus, & in ſacris literis eruditus ſit excludendus, ſiue ille Eccleſiaſticus ſit, ſiue laicus, & tanti ponderis debere eſſe ſententiã cuiuſcunq; etiam laici, qui ex ſcripturis & antiquitate eam deducat, & probet, quanti ponderis eſt ſententia cuiuſcunq; Epiſcopi etiam ſi ex ſummis ſit Patriarchis,* vt docet d Gerſon. Non enim in rebus fidei perſonæ dant dictis autoritatem, ſed doctrina, & documenta, quę quiſq; pro ſua ſententia profert: & quia non numerus, (vt probaui) ſed pondus in Cõciliis ſpectandum eſt; illa ſententia vincat neceſſe eſt, quæ plus ponderis habere fuerit conuicta. Theodoretus Cyri Epiſcopus ad Numam Conſularem hæc ſcribit Epiſt.81. e *Fiat igitur Concilium, adſint piiſſimi Epiſcopi, qui iudicare norunt, adſint & magiſtratus, & qui in dignitate ſunt conſtituti, qui res diuinas ſunt edocti: dicamus aperte quæ ſentimus, dicant & Iudices quænam Apoſtolorum doctrinæ ſint conſona.*] Paucis ſane verbis boni Concilij conditiones optime deſcripſit Pater hic doctiſſimus; quem bene ſequitur Cardinalis Cuſanus, dum ſic loquitur: f *Nec laicos nec clericos, puto indifferenter admitti debere, ſed electos, & doctos viros Eccleſiaſticos non puto etiam in iudicio ſpernendos. cum bonum Reip. tantum quæratur, & non obſtet vndecunq; veniat, dum ſaltem inueniatur.*] Fateor vt plurimum Concilia præſertim generalia, ſolis Epiſcopis conſtitiſſe; ſed ratio ex prænotatis eſt manifeſta. Quia enim Concilia generalia, & nationalia pleniora, præparantur per Concilia prouincialia minus plena, propterea ſenſus prouincialium Conciliorum deferri debet ad plenariũ, & magis generale per perſonas in prouinciis, imo & in ſingulis Eccleſiis in rebus diuinis inſigniores; hi vero ſunt Epiſcopi, ideoq; Epiſcopos duntaxat ordinarie vocabant Imperatores; & in Concilio Chalcedonenſi ſæpe clamant aliqui Epiſcopi Concilium eſſe tantum Epiſcoporum, & excludendos foras clericos, qui non vt diſſererent, ſed vt factiones fouerent erant ingreſſi. Interdum tamen omiſſo Epiſcopo, Eccleſiæ particulares miſerunt ad generale Concilium Abbatem aliquem, quippe in ſacris literis magis eruditum, & aptiorẽ in his tractandis, quam ſit Epiſcopus; quorſum ergo presbyteri, & laici fatigarentur cum tanto incõmodo, & grauibus expenſis, vbi pro illis ſupplet vnus, qui doctiorum ſuæ Eccleſiæ, vel prouinciæ ſententiam ſecum fert, & parcit incommodis, & ſumptibus? Quamuis enim interdum Imperatores publicis ſumptibus, & vecturis Epiſcopos ad Concilia deducendos curarent, id tamen viſum eſt aliquibus indecens, vt oſtendi lib.6.c.5.n.18. Imo & periculoſum id eſſe cenſuere Aquitani, Galli, & Britanni, Epiſcopi, quando Conſtantius Magnum Ariminenſe Concilium congregabat; Qui n. ipſius ſumptibus aduehebantur, & nutriebantur ipſius parti, hoc eſt Arianæ, fauere quodãmodo cogebantur; ideoq; vt liberiores eſſẽt, g *repudiatis fiſcalibus*, inquit *Sulpicius*, *ꝓpriis ſumptib. viuere maluerũt.*] At hęc Conſtantij bene nota fuit noſtris Papis, in celebrãdo Concilio Tridentino, quę & plurimũ ipſis profuit.

d Gerſon. de exam. doctri. par. 1. conſid. 5. & tract. Quæ veritates ſint creden. de neceſſi. ſal. corollar. 4. ſerie 2.
e Apud Baro. to.6 an. 448. n.12.
f Cuſa. l. 2. de concor. cat. c.16.
g Sulp. Sac. hiſt. l.2.

Eſt & alia ratio, cur Epiſcopi maxime Concilia celebrent, quia nimirum vix vllũ Concilium fit, in quo canones pro Eccleſiaſtica diſciplina, externoq; regimine nõ edantur. Cum vero regimen externũ Eccleſiaſticũ ſit penes ſolos Epiſcopos, vt oſtendi lib.2.c.3. neq; presbyteri, neq; Diaconi, neq; laici, vbi talia tractantur, locum habẽt. Sed quemadmodum non pauca extant Concilia, in quibus ſoli Epiſcopi cum ſuffragij poteſtate videntur affuiſſe; ita etiam non pauciora, vt puto, erunt, in quibus etiam presbyteri, imo interdum etiam laici cum ſuffragij poteſtate affuerunt. Poteſtatem ſuffragij intelligo ius dicendæ ſententiæ, cum ipſius explicatione, & probatione. Non enim admitto in Concilio aliquos vt Iudices, alios vt diſputatores, nam oſtendi iudiciũ conciliare conſiſtere in illius ſententiæ approbatione, quæ ſupra alias plus ponderis habere oſtenſa fuerit, cui refragari nemo ſatis potuerit; Quare *nemo in Concilio habere debet vocem iudiciariam, niſi ſit ſimul diſputator, & aſſignet rationem cur illi ſententiæ adhæreat, & aliam repellat; & rationem quidem ex Scripturis duntaxat, & ex antiquitate deductam.* XXXIII.

Concilia itaq; in quibus alij, præter Epiſcopos, proprio iure locum, & ſuffragium habuerunt, & ſi non omnia, præcipua tamen nominabo, quæ quiſque apud Hiſtoricos, & Patres, atq; in tomis Conciliorum inuenire poterit, & videre presbyteros quoque ea ad conſultationem admiſiſſe. Sed ante omnia Concilium illud primum b Apoſtolicum, quod forma fuit, & exemplar cæterorum, & Apoſtolos habuit, & Epiſcopum Hieroſolymorum, Iacobum, qui non erat ex 12. Apoſtolis, vt probaui lib.2.ca.2. & ſeniores, ſeu presbyteros, & fratres; hoc eſt laicos, & ſane presbyteros ſaltem habuiſſe partem in definitione planum eſt, quia literæ expeditæ ſunt omnium nomine: *Apoſtoli, & ſeniores fratres, &c. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, &c.* Et ſane Paulus, & Silas, i *cum pertranſirent ciuitates, trade-* XXXIV.

b Act. 15.
i Act. 16.

bant

bant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus.] Hoc exemplum ſecuta ſunt ordinarie etiam reliqua, non omnia, ex cauſis dictis, ſed pleraque. Victor Romanus Pontifex *a* fecit Concilium, & collatione facta cum presbyteris, & diaconibus conſtituit, &c.] Cornelius contra Nouatianũ magnum *b* Concilium Romę habuit, 60. Epiſcoporum, & totidem presbyterorum, atq; amplius, vna cum diaconis. Concilium Carthaginenſe ſub Cypriano congregatos habuit Epiſcopos, cum presbyteris, & diaconis, præſente plebe.] Sed obiicit Bellarminus, *d* presbyteros in eo Concilio non fuiſſe Iudices, *quia ſoli Epiſcopi (inquit) ſententias dixerunt.*] Sed fallitur. Quomodo enim conſtat eos omnes qui ibi nominatim recenſentur ſuas ſententias proferentes, eſſe Epiſcopos? Cæcilius à Bitta, exempli gratia, cur non poteſt eſſe etiam presbyter duntaxat Birtenſis Eccleſiæ? nullus enim eorum in eo Cõcilio, inter opera Cypriani nominatur Epiſcopus. Sed patet etiam aliquos ex illis fuiſſe duntaxat presbyteros, aut fortaſſe etiam non niſi diaconos. Ponitur enim in eo Concilio Confeſſor Saturninus à Tuua, & rurſus Honoratus à Tuua. At duos Epiſcopos eiuſdem ciuitatis non admittit Bellarminus. Sed quid plura? Dicat ipſe Cyprianus an presbyteri quoq; in illa conſultatione ſuffragium tulerint. *e* De qua re, *ſcribit ipſe ad Quirinum; Quid nuper in Concilio plurimi Coepiſcopi cum presbyteris qui aderant, cenſuerimus. vt ſcires. eiuſdem Epiſtolæ exemplum tibi miſi.*] NB. Cenſuerimus ait; Fuit ergo commune & Epiſcoporum, & presbyterorũ decretum. Sede vacante poſt Fabianum, *f* Clerus Romanus, ſuper negotio lapſorum, collationem eſſe neceſſariam agnoſcit, inter Epiſcopos, presbyteros, diaconos, confeſſores, pariter aſtãtibus Laicis.] In Concilio Antiocheno contra Paulum Samoſatenum fuerunt *g* Epiſcopi plurimi, cum presbyteris, & diaconis. Ac in eo primas tulit in cõuincẽdo hæretico *h* Malchion ſimplex presbyter. Marcellinus Papa in Sinueſſanę cryptæ Concilio iudicatus fuit, non modo ab Epiſcopis plurimis, ſed etiam à 30. presbyteris, & trib. diaconis, atq; damnatus. In Concilio Nicæno primo: fuit Epiſcoporum multitudo (*inquit Euſebius*) ad numerum 250. & amplius; presbyterorum autem, Diaconorum, Acolythorum, & aliorum, qui iſtos comitabantur, turba ne enumerari quidem poteſt. *Itaq; ex his Dei miniſtris alij prudenter, & diſerte dicendo, &c.*] Huius ſane Concilij inſignis pugil fuit Athanaſius, tunc non niſi Diaconus. In vno Concilio Romano ſub Sylueſtro affuerunt Epiſcopi, presbyteri, Diaconi, Clerici. Elibertinum Concilium celebratum eſt ab Epiſcopis, reſidentibus etiam 36. presbyteris, aſtantibus diaconibus, & omni plebe. Ad Concilium Arelatenſe miſſi & Epiſcopi, & presbyteri, & clerici. Aquileienſe ſub Damaſo, quod fuit pene generale, habuit etiam presbyteros. Imperator Theodoſius ad Dioſcorum ſcribens mandat vt *k* Barſumas presbyter in Lyria Archimandrita in Concilio Epheſum indicto conſideat. Toletanum primum, conſidentibus etiam presbyteris celebratum eſt. Arauſicanum ſecundum occaſione dedicationis Eccleſiæ congregatum contra Pelagianos inſurrexit, eique etiam laici ſubſcripſerunt. Romanum ſub Hilario Papa, aſſidentibus presbyteris vniuerſis, & aſtantibus diaconis factum eſt. Abſolutio Miſeni facta eſt in ſynodo Romæ, ſub Gelaſio, *l* reſidentibus Epiſcopis circiter 45. & presbyteris 58. Synodi item Romanæ ſub Symmacho conſtant Epiſcopis, & presbyteris, & diaconis. Ita Romana ſub Gregorio Magno, & altera ſub Gregorio ſecundo. In Concilio Toletano octauo Abbates, & Archipresbyter, & Primicerius, vt pars Concilij, affuerunt. In ſexta ſynodo generali, ac deinceps in omnibus fere poſterioribus, presbyteri Abbates, Epiſcopis admiſſi fuerunt. Ita in Toletano XI. & XII. Zacharias Papa etiam presbyteros ad ſuam ſynodum conuocauit. Vernenſe Concilium huiuſmodi canonem ſub Pipino Rege edidit, *m* vt bis in anno ſynodus fiat. Prima ſynodus menſe primo quod eſt Mart. Kalend. vbicunque Dominus Rex iuſſerit, in eius præſentia. Secunda ſynodus Kalend. Octobris, aut ad Sueſſiones, vel alibi, vti in Martiis kalend. Inter ipſos Epiſcopos, & illi Epiſcopi ibidem conueniant quos modo vice Metropolitanorum conſtituimus, & alij Epiſcopi, vel Abbates, ſeu presbyteri, quos ipſi Metropolitani apud ſe venire iuſſerint, ibidem in ipſa ſecunda ſynodo conuenire faciant.] Moguntiaca duo antiquiora Epiſcopos, cum Abbatibus, & cætero clero habuerunt. In Rhemenſi, & patres ſunt, & fratres. Colonienſe ſub Carolo III. Epiſcopi cum Abbatibus, presbyteris, diaconis, & laicis; ita etiam Metenſe celebrarunt. Triburienſe quoque presbyteros habuit. Romanum ſub *n* Eugenio 2. etiam presbyteris, & diaconis conſtitit. Mitto alia. Atque ita praxis etiam Eccleſiæ idem confirmat, quod ex rationibus euidenter deduximus, non ſolos Epiſcopos in conſultationibus, & definitionibus Conciliaribus locum habere.

4. *Quot Epiſcopi requiruntur ad Generale Concilium?* XXXV.

Iam dixi verum generale Concilium ſic proprie dictum illud futurum, in quod omnes prorſus ex omnibus ordinibus, ſiue Eccleſiaſticis, ſiue laicis totius Chriſtianitatis docti, & ſcripturarum periti, ac præſertim Epiſcopi cõuenirent, quod quia fieri nõ poteſt, verum Concilium generale nullum vnquã habuimus, nullum vnquam habere poſſumus. Debet profecto quodcunque Concilium, etiam prouinciale eſſe numeroſum. Nam ſi decem, vel vndecim faciant Concilium, hoc *o* Auguſtinus vix Concilium eſſe vocandum putat; Quam ergo audax dictum fuit illud Eugenij quarti? quando Patribus Græcis, qui ad Concilium Florentinum venerant, dixit; *p Vbi ego, & Imperator, ac Patriarcha Conſtantinopolitanus. ſumus, ibi Chriſtianorum omnium ſynodus eſſe creditur.*] Sed ex numero non diſcernitur Conciliũ generale à prouinciali, vel nationali. Nam, vt etiam obſeruat *q* Bellarminus, ſecundum Concilium vocatum generale, quod fuit primum Conſtantinopolitanum non habuit niſi 150. Epiſcopos: at vero Carthaginenſe quoddam, quod fuit ſolius Africæ Concilium nationale, tempore Auguſtini, habuit *r* Epiſcopos 217. Sane ante primum, quod vocatur generale, Concilium Nicænum, in oriente mos erat ſæpe congregare Concilia totius Gręciæ vniuerſalia, in quibus totius Chriſtianitatis ſenſus pateret, vt affirmat Tertullianus, dum ait; *ſ Aguntur præterea per Græcias illas certis in locis concilia ex vniuerſis Eccleſiis, per quæ, & altiora quæq; in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur.*] quia tũc videlicet exigui nominis, & exiguæ Eccleſiæ erant in noſtro occidẽte. Sed poſtquam fides iam in occidente quoque dilatata eſt, & inſignes Eccleſiæ ædificatæ, tunc, Conſtantini inuento, (vt cenſet *t* Pighius,) & mandato, orientaliũ Epiſcoporum conuentui in oriente Nicææ facto, ſententiam quoq; occidentalium pręcipuarum tũc Eccleſiarum voluit adijci, ita vt aliqui, licet pauci, ex occidente aut per ſe, aut per legatos adeſſent;

a Liber Pontifi. in Victore.
b Euſeb. l. 6. c. 35.
c In operibus Cypr. & epiſt. eiuſdem Cypr. ad Quirinũ.
d Bellar. de Concil. l. 1. c. 16.
e Cypr. epi. ad Quirinum.
f Apud Cypr. l. 2. ep. 7.
g Conc. to. 1. & Euſeb. l. 7. c. 21.
h Euſeb. l. 7. c. 23.
i Euſeb. de vita Cõſt. l. 3. c. 9. & Theod. l. 1. c. 10. & Sozom. l. 1. c. 16.
k Apud Concil. Chalced. Act. 1.
l Inter Ep. Gelaſii to. 1 epi Decr. Rom. Pon. poſt ep. 11.
m Concil. Vern. c. 4.
n Apud Baro. to. 9 an. 826.
o Aug. poſt coll. cont. Don. c. 14.
p Concilii Flor. proœmium q. de Purg.
q Bell. de Conc. l. 1. c. 17.
r Proſper in chron. an. 420.
ſ Tertul. de Ieiun. adu. pſychicos.
t Pighius de Eccl. Hierar. l. 6. c. 1.

qui prius de Occidentalium omnium Eccleſiarum ſententia, ſuper controuerſia excitata inſtructi; vnitique cum toto Oriente, veritatem magis roboratam confirmarent; & hoc iam vocatum fuit, & merito, *Concilium generale:* Nam Orientalibus additi ſunt Occidentales, ex Italia legati Romani Pontificis, & Marcus Calabriæ, ex Galliis Dinionenſis; ex Hiſpania Oſius Cudubenſis; ex Africa Cæcilianus Carthaginen; Imo ex Perſide quoque, & Scythia, quæ extra Romanum erāt Imperium, *a* aſfuerunt ſinguli Epiſcopi.]

a Euſeb. de vita Conſt. l. 3.

XXXVI. Quoniam vero in primo Concilio hoc pacto generali, ſtabiliti ſunt quatuor primi Patriarchæ cum Metropolitica poteſtate, totum Chriſtianum orbem complectentes, quos iam Eccleſiaſtica conſuetudo, vt docui lib. 3. pepererat, inde iam illud fuit vere, & proprie *Concilium generale*, in quo quatuor illi primi adeſſent, cum ſuis ſelectis ſuarum regionum, & Eccleſiarum Epiſcopis, & doctoribus ex clero, aut aliis. Quia enim ſub iure Metropolitico principali; hoc eſt Patriarchali horum primum quatuor, deinde quinque poſt adiectum Hieroſolymitanum, erant omnes ferme Eccleſiæ Chriſtianæ; quæcunque videlicet in Romano erant Imperio, vt lib. 3. oſtendi; Ideo *vere generale Concilium* eſt, in quo adſint ex omnibus ſi non Eccleſiis Chriſtianitatis, ſaltem prouinciis, qui ſuarum Eccleſiarum ſenſum perferant, & explicent, in ſuis prouincialibus ſynodis prius inſtructi. Quod enim vnaquæque Eccleſia à prima ſui per Apoſtolos, vel Apoſtolicos viros fundatione, didicerit circa fidem, & ſacræ Scripturæ intelligentiam in neceſſariis, per huiuſmodi conuentus facile innoteſcebat, & hoc confugium in dubiis ad Eccleſias per Apoſtolos, ſiue viua voce, ſiue etiam per literas, & per Apoſtolicos viros fundatas, & inſtructas, dum adhuc Eccleſiæ ipſæ incorruptæ conſeruabantur, fuit vnicum, & ſingulare remedium ad puritatem fidei indagandam, & retinendam. *b Age iam, (inquit Tertullianus) qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur; apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum: ſi non longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes: ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ adiaces, habes Romanam. &c.*] Quod ſi ſingulæ hæ Eccleſiæ ſatis erant ad docendum dogmatum eſſentialium veritatem, quanto magis iam vniuerſæ ſimul iunctæ poterant eam confirmare?

b Tertull. de præſcri.

XXXVII. Concilium generale, plenarium vocat Auguſtinus, idque hoc pacto deſcribit. *c Quis autem neſciat ſanctam Scripturam canonicam tam veteris quam noui Teſtamenti certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari, & diſceptari non poſſit, vtrum verum, vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Epiſcoporum autem literas, quæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem doctrinarumque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis forte à veritate deuiatum eſt? & ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere, ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana.*] Item. *d Nec inuenio cur iſtam conſuetudinem non rebaptizandi improbent, quæ poſt Cyprianum etiam plenario totius orbis Concilio confirmata eſt.*] Hoc idem Concilium plenarium, in quo Cypriani ſententia de Baptiſmo hæreticorum damnata fuit, poſtea idem Auguſtinus vocat *e* ſanctum cunctarum gentium Concilium. Et in hoc Concilio ponit *f* Paſtores Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ. Idque Concilium vocat *g* vniuerſale, quod tamen ſacrarum Scripturarum autoritate decreuerit etiam in hæreties inuentum *h* Chriſti Baptiſmum non eſſe improbandum.] Quodnam vero fuerit hoc Concilium vniuerſale, Catholicum, totius orbis terrarum, cunctarum gentium, paſtorum Eccleſiæ Catholicæ toto orbe diffuſæ, in quo id decretum fuerit, non facile apparet. Hoc ſane Concilium ait Auguſtinus, *i* antequam ipſe naſceretur factum eſſe. Natum vero Auguſtinum circa annum Domini 355. facile colligi poteſt. Solum igitur Nicænum Concilium ex generalibus cum ante natum Auguſtinum celebratum fuerit, neceſſe eſt aſſerere in hoc Concilio definitum fuiſſe ab hæreticis in hæreſi baptizatos non eſſe rebaptizandos, quam tamen definitionem in hoc Concilio difficile eſt inuenire, quia ſub his verbis non eſt poſita. Concilium quidem plenarium Capuanum habet *k* canonem (vt refertur in Concilio Carthagin. 3.) rebaptizationes non debere fieri. Sed ſynodus hæc Capuana facta eſt ſub Siricio circa annum Domini 380. quando iam Auguſtinus vir erat. Itaque neceſſe eſt definitionem illam in octauo canone Concilij Nicæni contineri; in quo Clerici Cathari, id eſt puritani (certe Nouatiani, ac Donatiſtæ) ſi redirent ad Eccleſiam per manuum impoſitionem recōciliandi eſſe dicuntur, & in clero retinendi; Profecto igitur etiam cum ſuo Baptiſmo, ſine anabaptiſmo recipiendi, non modo Clerici, ſed etiam quicunque alij, vt innuit *l* Siricius, & expreſſit *m* Hieronymus; quod ſi hic canon non continet illam tam celebrem definitionem, quam toties inculcat Auguſtinus, certe naufragium fecit, vt multa alia acta celeberrimi illius Concilij; Nam aliud œcumenicum Concilium celebratum pro hac præſertim quæſtione, ante natum Auguſtinum nullum extat, imo ne memoratur quidem. Ac ſane *n* Hieronymus ex ipſis actis Nicænæ ſynodi oſtendit eam & facto, & decreto omnes hæreticos vt rite baptizatos, ſuſcepiſſe.

c Aug. de bap. l. 2. c. 3.

d Idem l. 4. c. 6. & l. 5. c. 17.

e Ibid. l. 5. c. 17.

f Ibid. l. 6. c. 1.

g Ibid l. 7. c. 7.

h Ibid. c. 15.

i Ibid. l. 2. c. 9.

k Concil. Carth. 3. c. 18.

l Siric ep. 1. c. 1. & ep. 4. c. 8.

m Hieron. adu. Lucif.

n Ibid.

Quatuor ponit conditiones Bellarminus, quæ Concilium efficiant eſſe generale; *Euocationem generalem: Nullius veri Epiſcopi, qui excommunicatus non ſit, excluſionem: Præſentiam quinque Patriarcharum, etiam per legatos: præſentiam actualem alicuius Epiſcopi ex omnibus prouinciis.*] Mihi videtur hæc ſola vltima conditio efficere verum Concilium generale, quale haberi poteſt: Non enim, quia intimatio conuocationis facta eſt toti orbi, ideo Concilium erit generale, ſi ex toto orbe non conueniant Epiſcopi, etiam vocati; & conuocatio neceſſaria eſt, non vt vim tribuat Concilio, ſed vt perſonæ conciliares conueniant. Neq; ſi imperiti, aut contentioſi, aut inquieti, & non ſedati excludantur, ideo Concilium quicquam verum amittet, imo profecto viribus augebitur: Et præſentia Patriarcharum de iure poſitiuo, & de congruo requiritur: ſed ſi abſentibus Patriarchis aliquid definiatur, & Patriar- XXXVIII.

chæ ab-

quæ abſentes nihil habeant quod ponderoſe definitioni obijciant, illa profecto tenebit, vbi per vniuerſalem Eccleſiam fuerit ſine contradictione admiſſa, tanquam ex Scripturis, & antiquitate ſatis declarata. Neque vllum ſit aut Patriarchæ, aut cuicunque Epiſcopo, viroue docto, & Scripturarum perito, ac erudito præiudicium, ſi abſint, & ipſis abſentibus in quocunque Concilio aliquid definiatur. Semper enim etiam poſt definitionem liberum eſt cuique obijcere, & reluctari, donec vniuerſalis Eccleſia ſuum Concilio præbeat aſſenſum, etiam non obſtante alicuius oppoſitione, & contradictione. Hæc enim contradictio ſi fuerit alicuius ponderis, trahet ad ſe plures alios, etiam ex illis qui contrarium in Concilio, per errorem definierunt, vt factum eſt in Hilarij ferme ſolius contradictione, quæ Ariminenſe Concilium generale totum ſubuertit. Si autem ſequaces non ſit habitura, erit friuola, & contemnenda, vt melius infra explicabo, vbi agam de Conciliorum confirmatione. Commodiſſima tamen Concilij œcumenici conuocatio, & maxime ordinata eſt, ſi fiat per encyclicas Patriarcharum, communi eorum conſenſu. Neque adeo laborandum eſt, vt conditiones inquirantur, ex quibus Concilium ſit, vel non ſit generale, quia iam probaui, Concilium, vt Concilium, nullam de ſe habere autoritatem quicquam vere, & proprie definiendi, ſed inquirendi tantum, eruendi, & declarandi. Et tantam ſane autoritatem habebit declaratio vnius Concilij prouincialis, ſi illa toti Eccleſiæ innotuerit, eamque vt rite, & ſufficienter factam, ac debitis documentis confirmatam agnouerit, & admiſerit, quantam habet definitio cuiuſcunque Concilij etiam generaliſſimi; Nam pro generalitate conſultatiua, ſupplet generalitas approbatiua, quis tamen fuerit, & eſſe debeat mos ordinarius legitima Concilia generalia legitime celebrandi, ex diſputatione Maximi Abbatis, & martyris cum Pirrho facile intelligimus. Ait enim Maximus de quadam ſynodo illegitima: *a Subit me admiratio, quomodo ſynodum vocet, quæ non eſt habita, vt leges & canones ſynodici, & Eccleſiaſtica iubent. Nec enim Epiſtola encyclica ex conſenſu Patriarcharum edita eſt, neque locus, neque dies conueniendi decretus: non fuit aliquis actor, aut accuſator. Qui conuenerunt epiſtolas commendaticias non habuerunt, nec Epiſcopi à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis; non Epiſtolæ, neque ſubſtituti ab aliis Patriarchis miſſi ſunt; Quis igitur particeps rationis ſynodum velit appellare, quæ ſcandalis, & diſſidiis cunctum orbem repleuit.*] Hæ ſane conditiones ſunt optimæ, & ex ſe decentiſſimæ.

a Maximus in diſput. cum Pirrho.

XXXIX. Conciliares igitur illæ conſultationes, in quibus de fide vniuerſali totius Eccleſiæ Catholicæ agitur, merito debent eſſe in Conciliis plenariis œcumenicis, propter cauſas ſuperius aſſignatas, & ad vitanda tum incommoda itinerantium, tum damna Eccleſiarum, ſi omnes, aut multæ deſtituantur paſtoribus, tum etiam onera expenſarum, ac conturbationis detrimenta. *Modus optimus generalia Concilia celebrandi*, erit, ſi vel iuſſu, & mandato Principum, vel Eccleſiaſticorum inſtantia, primi quinque Patriarchæ inter ſe conueniant de Concilio œcumenico ſuper tali, & tali controuerſia, tali tempore, & loco celebrando. Et quidem dum Orientis Eccleſiæ erant in temporalibus liberiores, maxima quæque Concilia in Oriente ex maximo orientalium Epiſcoporum, & ſacerdotum numero celebrata ſunt; cum paucorum Occidentalium coniunctione, & præſentia, ſaltem per legatos. Nunc Occidente ferme toto Europæ ſub Principibus Chriſtianis exiſtente, ex Occidentalibus maxime Concilium coire deberet, cum ea tamen præparatione, vt in ſingulis aut regionibus, & regnis nationalia, aut etiam prouincialia rite fierent Concilia, in quibus quæ maxime ſunt controuerſa ad plenum per omnes, & ſolos doctos Epiſcopos, presbyteros, ſiue etiam laicos libere diſcuterentur, & acta iſta Conciliaria ad generale Concilium cum duobus, aut tribus ad ſummum ex aptioribus ſiue Epiſcopis, ſiue presbyteris, ſuffragiis dictorum Conciliorum eligendis, & literis teſtimonialibus munitis, tranſmitterentur. Orientales vero Patriarchæ quatenus eis per ſuos Principes liceat, adnitentibus Principibus Chriſtianis cum Turca, Perſa, & aliis, vt id citra omnem ſuſpicionem permittant, ſinguli vnum, aut alterum vel Epiſcopum, vel quemcunque Eccleſiaſticum viros doctos, ſimiliter inſtructos ad generale Concilium mittant, expenſis ex noſtrorum Principum, & Prælatorum liberalitate, & charitate illis, qui omnes pauperes ſunt, ſuppeditatis. Atque hic eſt mos vetus Eccleſiæ. De Epheſina enim prima magna ſynodo hæc ſcripſit Theodoſius Iunior Imperator ad Cyrillum Alexandrinum. *b Quamobrem ne illa quæ ad præſentem rerum tantopere vtilium inquiſitionem ſpectant, ſi negligentius curentur, in peius incrementa ſumant (id quod à temporum noſtrorum pietate alienum eſſe decet) tua pietas, Deo bene propitio, operam dabit, vt ſacroſancto Paſchate, quod iam in foribus viget, elapſo, ſub ſacrum Pentecoſtes diem, ad Epheſiorum Aſiæ ciuitatem accurrat; nonnulloſque quos nimirum idoneos iudicabit ſanctiſſimos prouinciæ ſuæ Epiſcopos ſimul eodem ſecum adducat, ita vt neque neceſſarii ſanctiſſimis eiuſdem prouinciæ Eccleſiis deſint; neque ii rurſum qui ad eam rem apti cenſebuntur in ſacra ſynodo deſideraremur.*] Et rurſus idem conuocans iterum Concilium Epheſum, ita ad Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum ſcribit: *c Igitur, & tua ſanctitas, ſumptis ſecum decem Reuerendiſſimis Metropolitanis Epiſcopis, qui ſub tua degunt diœceſi, & aliis; ſimiliter decem ſanctis Epiſcopis, ſermone, & vita ornatis, qui in doctrina, & ſcientia recta, & immaculata fidei præ cæteris apud cunctos eminent prox. Kalend. Auguſti Epheſum Metropolim Aſiæ conuenire, abſque vlla dilatione, feſtinet.*] Hæc quo ad delectum perſonarum. Reliqua de bona Conciliorum regulatione in ſequentibus ſubinde attingentur.

b In actis concil. Epheſ. & apud Cyrill. ep. 17.

c In actis Concil. Chalced. act. 1.

XL. Neque vllo modo approbare poſſum quæ monet Bellarminus, nunc non eſſe neceſſarios Patriarchas orientales, *d quia, (inquit) hæretici, vel certe ſchiſmatici ſunt.*] In oriente enim Eccleſiæ orthodoxæ ſunt plurimæ, & Patriarchæ ipſi omnes primi quatuor iam à multis temporibus ſunt orthodoxi, & ab orthodoxis ordinantur, & conſecrantur. Et illi ab omni hæreſi vera, & à vero ſchiſmate facile ſe defendunt. Imo ſi etiam eſſent veri hæretici, vereque ſchiſmatici, inuitandi eſſent ad Concilium, & admittendi, vt doceantur, & de ſenſu Catholicæ Eccleſiæ vero, & legitimo inſtruantur. Profecto quicquid ſtatuatur in noſtro quocunque Concilio occidentali, etiam quod generale vocamus, ſi Eccleſia orientalis, & cum ſuis legitimis ex Scriptura, & antiquitate fundamentis contradicat; id nunquam erit ſufficienter definitum, neque fide Catholica credendum: propterea ipſius etiam ſententia in

d Bellar. de Concil. l. 1. c. 17.

legitimo Concilio eſſet omnino audienda, & probationes ponderandæ.

XLI. 5. *Perſonæ Conciliares ſuntne in Concilijs conſultores duntaxat, an etiam Iudices?* Suppono ante omnia in hoc quæſito id quod primo loco prænotaui ad q̄ſitum 3. num. 28. huius capitis. Inde vero reſpondeo, Conciliares viros, neq; eſſe meros Conſultores, neq; vere, ac proprie, & abſolute Iudices. Si eſſent meri Conſultores, nihil aliud facerent, niſi vt quiſq; ſuam ſententiam promeret, & probaret, ac contrariam refelleret, & hoc nil aliud eſſet, niſi cõcertare, & digladiari. Sed neq; vllus eſt in Cõcilijs, in cuius poteſtate ſit ſecundum ſolum ſuum arbitrium pro vna ſententia, abiectis alijs, decreto Iudiciali, & Prætorio, pronunciare. Conciliares enim ante omnia conferunt inter ſe, & diſcutiunt propoſitam controuerſiam, auditisque omnibus, & hinc inde exagitatis, atq; in acta per plures notarios vt mos antiquus fuit, ſaltem quinque (vt contra Eutychetem factum eſt *a* Conſtantinopoli, ſic iubente Imperatore) colligenda ſunt ſuffragia ſingulorum, ſed ita vt ſui ſuffragij quiſq; aſſignet rationem, aut ſaltem fateatur ſe à tali, vel tali conuictum, nec habere quicquam, quod contra documenta per illũ ex Scripturis, & antiquitate allata, opponat. Alias vero habebit quod opponat, & proponet; cuius oppoſitioni ſi fiat ſatis, illa concedat neceſſe eſt, & ita ſuffragia omnia neceſſario conuenient in vnam ſententiam. Nam quandiu vnicus etiam ex Conciliaribus, reliquis omnibus plane conſentientibus, ita repugnat, vt ipſi⁹ Scripturæ, & interpretationes tantam habeant probabilitatem, vt ab altera parte falſitatis conuinci non poſſint, & antiquitas nihil ſuppeditet, quod poſſit dici fuiſſe vniuerſæ Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtolicisue viris traditum, tum controuerſia non erit definibilis, ſed manebit in libera cuiuſq; opinione, & conſequenter nõ erit de articulo vllo eſſentiali ad ſalutẽ neceſſario, vt poſtea oſtendam pluribus. Iudicium itaq; Concilij, ſiue definiat abſolute, ſiue liberam opinionẽ relinquat, nondum eſt verum, & proprie dictum iudicium, niſi quantum in ipſis eſt, ſemper tamen adeſt tacita conditio, & reſeruatio, niſi aliter Eccleſia vniuerſalis, aliuſue vir doctus in contrarium conuicerit, ita vt vniuerſalem cõſenſum obtineat, etiam illorum, qui contrarium definierant. Hoc enim conciliare iudicium nunquam in rem iudicatam (quo ad fidei dogmata, & hæreſes) tranſiiſſe eſt dicendum, niſi poſtquam fuerit, ſaltem tacite, per vniuerſam Eccleſiam Catholicam approbatum, admiſſum, & abſq; vlla alicuius momenti contradictione receptum, & tunc tandem ſtandum eſt iudicio Concilij tanquam iudicio Prætoris, & ſane in vltima inſtantia inappellabili, quando iam ſententia tota, & perfecte tranſiit in rem iudicatam; & tunc duntaxat habet vim anathema conciliare, non prius. Verum itaq; eſt, & vnumquenque etiam laicum ius ſuffragij deciſiuum habere, modo explicato, & non numerum, ſed pondus ſuffragiorum facere deciſionẽ, quia quicunque ius habet ſuffragij, pondus, & non numerum ſequi & debet, & cogitur, alioquin ſi impertinenter contradicat, exſibilabitur. Quid vero iuris, & poteſtatis habeat Papa in firmandis decretis conciliaribus dogmaticis, poſtea inquiram. Sed profecto, niſi & ipſe ſequatur pondus ſuffragiorũ, & illi ſententiæ adhæreat, quæ contradictionem iã nullã habet, etiam ipſe exſibilari debet, ſicut etiam ſi rem opinabilem tunc agitatam indefinibilem voluerit definire.

a In actis Concil. Chalc act. 1. ante libellum confeſſionis Eutychetis.

XLII. 6. *Cuius eſt Concilio præſidere?* Si Concilia ſumma charitate, & ſolo veritatis inueniẽdæ zelo congregarentur, ad vitandam confuſionem duntaxat, ſolius humani ordinis cauſa, æquitas naturalis, vt prius ſeniores, deinde iuniores ſententiam dicant, ſatis ipſa per ſe permoueret, nec illa exacta cum aliqua iuriſdictione præſidentia requireretur. Quoniam tamen homines ſunt qui in Concilijs congregantur, & facile inter ipſos acerbiores ſolent exoriri concertationes, non modo ob rectum ordinem proponendi, & dicendi, controuerſiamque in ſuo ſtatu, ſine euagationibus retinendi, Præſidentia aliqua eſt neceſſaria, ſed etiam ad tumultus, & ſeditiones, inutileſq; contentiones comprimendas. Et quidem ad controuerſas diſputationes dirigẽdas, vt ordine, & abſq; confuſione fiant, vſus, & conſuetudo priſca, canonibus etiam poſtea generalium Conciliorum confirmata obtinuit, vt in Concilijs prouincialibus Metropolis ciuitatis Epiſcopus; id eſt, illius prouinciæ Archiepiſcopus, etiam Metropolita, vel Metropolitanus dictus; in nationalibus Primas; in Patriarchalibus Patriarcha: in generalibus totius orbis, id eſt, œcumenicis ex Patriarchis dignior, præſideret. Ad continendos tamen in officio Conciliares omnes, vt ſine tumultibus, & ſeditioſis contentionibus rite Concilium peragatur, (cuius rei periculũ maxime in generalibus Concilijs vigere ſolet) talis præſidentia fuit in ipſis neceſſaria, vt ex poteſtate, & iuriſdictione coactiua, per pœnas etiam corporales, excluſionis, carceris, exilij, poſſent turbulenti, & inquieti, aut ſedari, aut amoueri, ac proinde Imperatorum, & Principum officium fuit Concilijs ſæpe prouincialibus etiam, & nationalibus, œcumenicis vero ferme ſemper præſidere, eaq; quoad bonum ordinem regere, ac in officio continere, imo etiam ordinem tractandorum præſcribere, & totum Concilium extreme regulare.

Præſidentia itaq; Conciliaris tria in ſe conuncta includit; propter quæ illa eſt in Concilijs neceſſaria. Primum eſt, diſputationes in bono ordine continere. Secundum eſt, iudicialiter per ſentẽtias interlocutorias finem contentionibus, quoad modum, & praxim externam, imponere. Tertium, inſolentes, & inquietos compeſcere. Quoad *primum*; certe præſidere debet perſona Eccleſiaſtica, in ſacris literis erudita; & quia doctiſſimi omnium deberent ad primas ſedes promoueri, idcirco primarum ſedium Epiſcopi, vt dixi, nempe Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, & ex Patriarchis, dignitate prior ſolent ex priſca conſuetudine, reſpectiue, Concilijs præſidere. Vbi tamen contigit, vt aliquis adeſſet etiam ſimplex Epiſcopus, doctrina, & in rebus agendis valde inſignis, ei profecto Præſidentia, vel Principum iuſſu, vel Concilij electione data fuit. Talis olim fuit celeberrimus ille *Hoſius Cordubenſis Epiſcopus*, adeo doctrina ſuis temporibus excellens, vt ipſius ſcripta Theologica Athanaſius omnibus omnium eiuſdem temporis Patrum ſcriptis præferre non dubitarit: *Vbi enim hæreticorum fallacia ſcripta reijcienda eſſe docet, ait. b Si igitur ſcripta iſta ab orthodoxis proficiſcerentur, qualia ſunt magni illius, & confeſſoris Hoſij, Maximi in Galliæ, aut eius ſucceſſoris, aut Philogonij, & Euſthatii Orientis Epiſcoporum; aut Iulij, & Liberij Romanorum Pontificũ: nihil eſſet quod in his ſcriptis ſuſpicaretur, &c.*] Propter inſignem igitur doctrinam ipſius, & charitatem, ac vniuerſalem curam, quam geſſit Eccleſiæ vniuerſalis, ab Imperatore præſertim Conſtantino iuſſus, & in orientem contra Arianiſmum pugnaturus miſſus, vt Dux, & choragus præcipuorum ſui temporis Conciliorum minorum, ac maiorum ab

b Athan. cont. Aria. orat. 1.

XLIII.

eodem Athanaſio ſummis laudibus extollitur. Ait enim. *a Nam de magno, & grauiſſima ætatis viro, eodemq; confeſſore Hoſio, qui vere Hoſius eſt, id eſt, ſanctus, ſuperfluũ arbitror mentionem facere, cum nullus fortaſſe ſit, qui cognitum non habeat eum ab iſtis quoq; in exilium miſſum eſſe. Non enim quicquam latere poteſt in viro illo tanta claritudinis. In qua enim ſynodo ille non dux, & anteſignanus fuit? quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam pertraxit? Quæ Eccleſia illius præſidentia non pulcherrima monumenta retinet? quis illum mæſtus adiit, vt non lætus abierit? quis indignus ab eo poſtulauit, quin poſtulatum obtinuerit? Atqui contra hunc quoq; ſe audaces improbosq́, oſtendere.*] Et Ariani illius doctrina, & maxima actiuitate perterrefacti ſic Conſtantium ipſorum fautorem alloquuuntur. *b Omnia quidem à nobis facta ſunt, profligauimus in exilium Romanorum Pontificem, & iam ante eum extorres fecimus quamplurimos Epiſcopos, omnia loca terroribus impleuimus, ſed tamen pro nihilo ſunt tanta tua opera, neq; quicquam profecimus, quandiu reliquus eſt Hoſius. Quandiu enim ille in ſuis agit, omnes in ſuis Eccleſiis agere videntur, poteſt ille, & verbis, & authoritate fidei ſuæ omnes contra nos inducere. Hic Princeps eſt ſynodorum, & ſi quid ſcribit, vbiq; auditur, hic formulam fidei in Nicæna ſynodo concepit, & Arianos vbiq; pro hæreticis traduxit. Quod ſi ille igitur in ſuo ſtatu maneat; ſuperuacuum eſt cæterorum exilium: hæreſis enim noſtra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc perſequi, neque illi ob annos parcendum putes.*]

a Idem Apolog. de fuga ſua.
b Apud Athan. Epiſt. ad ſolitar.

XLIV. *c* Baronius, & *d* Bellarminus, *e* Hildebrandum ſecuti, confugiunt ad ſomniatam quandam Hoſij per ſedem Apoſtolicam Rom. legationem: quod iſta omnia legati poteſtate loco Romani Pontificis fecerit, Hoſium autem fuiſſe Syluestri legatum ex leuiſſimis duntaxat coniecturis nituntur colligere. Cum tamen neque ſe Hoſius vnquam Romani Pont. legatum, aut vocauerit, aut fuerit profeſſus, neq; id vllus ſcriptorum veterum affirmarit, & documenta in contrarium habeantur firmiſſima, vt iam oſtendo. Planum profectò eſt Hoſium Cordubenſem Epiſcopum Hiſpanum lateri Conſtantini in Oriente hæſiſſe, antequam Nicænum primum generale Concilium celebraretur, ſaltem annis 13. quod patet ex *f* literis Conſtantini ad Cæcilianum Carthaginienſem datis, in quibus illum iubet pecuniam quandam à ſe tributam ita diſtribuere, vt Hoſius in ſcheda quadã præſcripſerat; nec id diffiteri potuit *g* Baronius: Quem etiam Hoſium idem Conſtantinus Alexandriam *h* miſit in Ægyptum, vt Arianis ibi gliſcentibus initiis, ſua doctrina, & vigilantia occurreret. Non enim dignitate, iuriſdictionaliue autoritate, ſed doctrina, & ſapientia contra illam nouam hæreſim tunc pugnandum erat.

c Bar. to. 3. an. 318. n. 88. & ſeq. 9. & an. 319. n. 16. & an. 324. n. 127. & an. 325. n. 13. 20. 171.
d Bellar. de Concil. l. 1. c. 19.
e Greg. 7. l. 6. ep. 2.
f Apud Euſeb. l. 10. c. 36.
g Baro. to. 3. an. 311. n. 91.
h Socrat. l. 1. c. 4.

XLV. Legatum vero Syluestri, aut cuiuſuis Romani Pontificis, Hoſium non fuiſſe iam oſtendo, ſi enim fuit Romanæ ſedis legatus, in Concilio potiſſimũ Nicæno profectò fuit, nam in eo Hoſium præſediſſe nec Baronius, nec Bellarminus negare audent. Sane primus ſubſcripſit, ante eos, qui legati erant Romani Pontificis, vt patet in actis, & apud Atha. apolog. 2. Seuerus Sulpitius ait, *i* Autore Hoſio Nicænam ſynodum confectam fuiſſe. Euſebius vero poſtquam dixit *k* Hoſium vnum ex Hiſpanis Epiſcopis in conſeſſu illo adfuiſſe, mox excuſat Romanum Pontificem, quod propter ingraueſcẽtem ætatem adeſſe non potuerit, miſiſſe tamen ait ſuos presbyteros, qui locum illius ſupplerent; vbi patet omnino Hoſium non fuiſſe Rom. Pontificis legatum. Patres porro Concilij Nicæni literas ad Syluestrum feruntur ſcripſiſſe, quæ in actis dicti Concilij ſolent referri; illæ, ſi alicuius ſunt fidei & autoritatis, profectò Hoſium habent illius Concilij præſidem. earum initium tale eſt. *Beatiſſimo Papæ vrbis Romæ omni reuerentia colendo Syluestro, Hoſius Epiſcopus prouinciæ Hiſpaniæ ciuitatis Cordubenſis, Macarius Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ; Victor, & Vincentius presbyteri vrbis Romæ ordinati ex directione tua, & cæteri Epiſcopi 318.*] Luſcus etiam poteſt videre in his literis, verba illa *ordinati ex directione tua*, ad duos tantum vltimos nominatos pertinere; Nam ſicut nemo Macarium Hieroſolymitanum fecit vnquam legatum Syluestri in Concilio Niceno, ita neq; facere poteſt Hoſium, qui ab illis verbis adhuc plus diſtat. Ponitur autem primus Hoſius, quia erat Præſes ob doctrinam, vt dixi, & rerum gerendarum ſummam peritiam, & ob ætatis grauitatem, à toto Concilio procul dubio conſtitutus. Habuiſſe porro præſides aliquos Concilium Nicænum aſſerit ex Euſebio *l* Theodoretus, *qui etiam expreſſe ait à Pont. Romano miſſos duos presbyteros.* *m potestate illis conceſſa actus illius Concilii aſſentiendi.*] & de præſidentia, quæ principalis fuiſſet, Theodoretus nihil.

i Sulpic. ſac. hiſt. l. 2.
k Euſeb. de vita Con. l. 3. c. 7.
l Theod. l. 1. c. 13.
m Ibid. c. 7.

In Sardicenſi quoq; Concilio, quod œcumenicum fuiſſe contendunt noſtri (Athanaſius vero nõ puto id concederet, qui hanc ſynodum dicit fuiſſe ex pluribus, quam 35. prouinciis coactum, non dicit ex vniuerſo orbe.) Hoſius omnino præſedit; & tamen aderant legati Romani à Papa Iulio miſſi; ſubſcriptiones enim, vt eas recenſet Athanaſius qui aderat, ſunt huiuſmodi, *n Hoſius ab Hiſpania, Iulius Romæ per Archidamum, & Philoxenum presbyteros ſuos, &c.*] Hoſius ergo non erat in eo Concilio legatus Iulij, & ipſemet acta ſua in Concilio Sardicenſi in cauſa Athanaſij Conſtantio commemorans, ait, *o Quem Athanaſium, Nos, & Romana Eccleſia, & vniuerſa ſynodus innocentem pronunciauit.*] Et de eodem Cõcilio, ac de illius parte Catholica hæc ait Athanaſius. *p Epiſcopi occidentales vnum duntaxat Hoſium habuere, ducem ſcilicet.*] Hoſium, & Protogenem Epiſcopũ Sardicenſem principem locum tenuiſſe in hoc Cõcilio, ſcribunt *q* Sozomenus, & *r* Theodoretus. Imo Baronius tandem conuictus Hoſium primas in Concilio Sardicenſi tuliſſe, noluit præſidem dicere, ſed *ſ* patronum; *cuius muneris* (inquit) *erat definienda proponere, atq; ſingulorum rogare ſententias.*] Atque hoc ipſum eſt primum illud præſidis munus, quod iam è manibus ſui Papæ elabi lubens, & volens patitur Baronius. XLVI.

n Athan. Apol. 2. poſt literas ſynodicas ad Alexandrinos.
o Apud Athan. in Epiſt. ad ſolitar.
p Ibidem.
q Sozom. l. 3. c. 11.
r Theod. l. 2. c. 15. in fine.
ſ Bar. to. 3. an. 347. n. 10.

In primo Conſtantinopolitano Concilio, quod fuit ſecundum generale, neque præfuit Romanus Pontifex aut per ſe, aut per ſuos legatos, neque affuit. Profectò graue ſibi, ſuæq; ſedi præiudicium generauit, vt pateretur Concilium œcumenicum ſine ſua præſentia celebrari, ſi ipſius priuilegium eſt, vt talibus præſideat, ſaltem per ſuos legatos, Conciliis. Excuſatio Bellarmini tota penitus abijcienda eſt; Pergit enim in errore, de quo ſatis egi lib. 6. cap. 5. n. 25. Ibi vero conſtat primũ Concilium hoc Conſtantinopolitanum abſq; vllo Damaſi concurſu fuiſſe celebratum. Alterum enim fuit Concilium Cõſtantinopolitanum ab hoc diuerſum, & ſubſequenti anno coactum, quando Damaſus quoque ſuum Romæ celebrabat. Quis vero pſederit in hoc primo Conſtantinopolitano, non ſatis conſtat. Nectariũ præſidem fuiſſe aſſerit *t* Bellarminus, ſed fallitur. Quia Gregorius Nazianzenus in ſede Conſtantinopolitana ſedebat, quando primum hoc Conſtantinopolitanum fuit celebratum; & quia ipſe ab ea ſe ſede abdicauit, in eodem Concilio Neſtorius fuit Epiſcopus Conſtantinopolis ordinatus. Præſedit XLVII.

t Bellar. de Concil. l. 1. c. 19.

ſedit vero ipſe alteri ſynodo Conſtantinopolitanę, quam ſequenti anno Theodoſius voluit congregari, vt oſtendi loco ſuperius citato. Sane Pelagius 2. commemorans prima Concilia de præſidentia ſuę ſedis in Nicæno, & Conſtantinopolitano primo nihil dixit: *a* Epheſino vero ait, & Cęleſtinum, & Cyrillum præſediſſe.

a Pelag. 2. apud Bar. to. 7. an. 186.

XLVIII. *Exultant noſtri de præſidentia Cæleſtini Papæ in Concilio Epheſino*. quod fuit tertium generale, per Cyrillum Alexandrinum legatum ſuum; ad quod probandum coaceruat Bellarminus multa teſtimonia. Sed profecto Cyrillus tanquam Patriarcha Alexandrinus, primus dignitate inter Patriarchas orientales, & qui doctrina excelleret, ac contra hæreſim Neſtorij, primus vindex acerrimus inſurrexerit, ſuo proprio iure, & Concilij voluntate in ipſo Epheſino Concilio præſedit. Patrum eiuſdem Concilij de iniuria facta Cyrillo, & Memnoni, per Ioannem Antiochenum corruptum hæreticum, verba ſunt huiuſmodi. *b Contra omnem Eccleſiaſticum ordinem & præter canones, contra ſanctam ſynodum, & caput congregatorum Epiſcoporum, Cyrillum dicimus ſanctiſſimum Archiepiſcopum,-auſi ſunt, &c.*] Rogatque Reges eadem ſynodus. *c* Vt quæ violenter acta ſunt irrita ſint, ita vt noſtra ſynodus capite non careat. *Vinctis enim fratribus, & præſidibus (id eſt Cyrillo, & Memnone Epheſino) ſancta noſtra ſynodi, etiam nos quodammodo vincti ſumus.*] At quomodo ex abſentia Cyrilli, etiam ſi legatus fuerit Apoſtolicus, capite caruiſſet ſynodus, ſi præterea tres alij aderant Papæ legati *d* Archadius, & Proiectus Epiſcopi, ac Philippus presbyter? ſuos ſane legatos habere voluit in Concilio illo Cæleſtinus, non vt præſiderent, ſed vt intereſſent, & ipſius, occidentaliumque nomine in damnationem Neſtorij conſentirent. *e Direximus (inquit) pro noſtra ſolicitudine ſanctos fratres, & conſacerdotes noſtros, vnanimes nobis, & probatiſſimos viros Arcadium, & Proiectum coepiſcopos, & Philippum Presbyterum noſtrum, qui ijs, quæ agantur interſint.*] Non ait qui præſideant. Synodus quoque ipſa Epheſina ſic loquitur ad Reges ſcribens, *f Aſſanſit, & vniuerſalis ſynodus (cui aſſidet, & magnæ veſtræ Romæ ſanctiſſimus, & pientiſſimus Archiepiſcopus Cæleſtinus, omneſq; Occidentalis ſynodus per eos quos ad nos miſit ſanctos Epiſcopos. Aſſidet etiam & Africa, &c.*] Aſſidere igitur non eſt præſidere, & Cyrillus hic non nominatur, vt Cæleſtini legatus; ſed illi, qui Roma miſſi ſunt. Neque in ſuis ſubſcriptionibus, quas facit Cyrillus tanquam Præſes, vnquam ſe legatum Papæ nominat, aut hoc nomine ſe præſidere profitetur? ſed ſemper ſuam propriam præſidentiam ſupponit. *g Ego (inquit) Cyrillus Alexandriæ Epiſcopus, opto vt in Domino ſalui ſitis, dilectiſſimi, ac deſideratiſſimi fratres.* Item *Philippus presbyter Eccleſiæ Apoſtolicæ. Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymorum, &c.*]

b Relatio ſynodi ad Imp. apud Cyr. to. 2. ep. 5.
c Relatio ſynodi ad Reges in Apologetico Cyrilli to. 2. & in actis Concil. Epheſ.
d Cæleſti. ep. 7. & ſynodalis, apud Cyril. ep. 7.
e Ibidem.
f Relatio quæ ſupra poſterior.
g Synodalis ad Clerum, & pop. Conſtantinop. apud Cyri. ep. 2.

XLIX. Commiſit, fateor, vices ſuas Cyrillo Cæleſtinus, ſed quando, & ad quid eas commiſerit nolunt noſtri conſiderare, & diſcernere. Si poſtquam Concilium Epheſinum fuit congregatum, aut iuſſu Imperatoris intimatum, indictum, & conuocatum, Cæleſtinus vices ſuas Cyrillo in ipſo Concilio credidiſſet, aliquid, non tamen adeo multum haberent, quia non ad præſidendum, ſed ad Neſtorium damnandum vices illæ commiſſæ poſſent intelligi. At vero quia Cæleſtinus ſuas vices Cyrillo commiſit antequam de congregando Concilio Epheſi actum fuiſſet, planum eſt non ad præſidendum in Concilio nondum indicto, ſed ad reſiſtendum Neſtorio, ipſumque niſi reſipiſceret, abdicandum, vices Cæleſtini Cyrillo fuiſſe commiſſas: vt & propria, & Romanæ Eccleſiæ ſententia hæreſiarcham percelleret. Literæ porro commiſſionæ Cæleſtini, à Cyrillo de hæreſi noua Neſtorij admoniti, ſic ſe habent. *h Hunc Neſtorium nos igitur ab ouilibus arcere oportet, niſi, vt optamus, ad bonam frugem ſeſe receperit, quod ſi vero in pertinacia ſua perſtiterit, aperta mox condemnationis ſententia in illum feretur - ſciant vniuerſi eum communionem poſthac nobiſcum habere non poſſe, ſi doctrinæ Apoſtolicæ porro aduerſatus peruerſam hanc viam contumaciter vrgere perrexerit. Quamobrem noſtra ſedis autoritate aſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequeris, nempe, vt, niſi decem dierum interuallo, &c.*] Quæ tota commiſſio à Cæleſtino data Cyrillo, eſt ad condemnandum Neſtorium, eumque etiam à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregandum, cum nihil adhuc de congregando Epheſino Concilio actum aut cogitatum fuiſſet.

h Cæleſt. ep. 3.

Cum poſtea Cæleſtinus Epheſinam ſynodum congregari audiſſet, alias ad ipſam ſynodum dedit literas, eandem Neſtorij condemnationem vrgentes, in quibus nullæ amplius nouas commiſſiones dantur Cyrillo, nullę vices committuntur; ſed ſuos legatos, qui vice ipſius adeſſent Concilio, & negotia conciliaria agitarent: miſit Archadium, Proiectum, & Philippum, qui *i* ijs quę agantur interſint, vt paulo ante vidimus. Illud quidem verum eſt, Cyrillum etiam in Concilio Epheſino, vi iam prius habitæ commiſſionis à Cæleſtino, in Neſtorium & propriam, & Romanæ ſedis dixiſſe ſententiam, & duplici Patriarchali ſuffragio hæreſiarcham condemnaſſe; Romanæ nimirum ſedis, & Alexandrinæ; ſed ſolius Alexandrinæ ſedis nomine in Concilio præſedit. Atq; hinc eſt, quod priſci etiam hiſtorici Cyrillum in Concilio quoq; vices Romani Pont. geſſiſſe, nonnulli aſſeuerent; ſed nemo eorum aſſerit quod aſſeruit ex proprio ſomnio Nicolaus 1. Cyrillum tanquam legatum Cæleſtini in Concilio Epheſino præſediſſe; licet etiam Romana autoritate Neſtorium condemnarit. Atq; hoc ipſum ſynodalis quoq; relatio ad Impp. ſatis aperte teſtatur. *k Hæc quidem, (inquit de damnatione Neſtorij) & antea priuſquam ſanctiſſima ſynodus congregaretur ſanctiſſimus Cæleſtinus Romæ Epiſcopus, literis ſuis ſignificauit, iniungens ſanctiſſimo, ac dilectiſſimo Cyrillo magnæ ciuitatis Alexandriæ Epiſcopo, vt vices ſuas in hac cauſa ſubiret, & nunc iterum alijs literis hæc ſanctæ ſynodo manifeſtauit, quam dominatio veſtra Epheſi congregari præcepit, quas per ſanctiſſimos Epiſcopos Arcadium, & Proiectum, & Deo dilectiſſimum Philippum Magnæ Romæ Presbyterum miſit, qui & ſanctiſſimi, ac Deo dilectiſſimi Cæleſtini Epiſcopi vices hic ſubiit. Quoniam igitur viri iſti præſentes hic conſtituti vniuerſæ occidentalis ſynodi ſententiam huic noſtræ ſynodo per literas manifeſtarunt, deque fide & pietate mentem nobis conſonam oſtenderunt, atque eadem nobiſcum cum per literas tum per ea quæ in mandatis habent, quæ & ſcripto nobis obtulerunt, decreuerunt: ideoque neceſſitas hoc exegit, vt & nos, quæ concordiæ noſtræ erga ipſum competunt faciamus, ad dominationem veſtram iſta retulimus; quo pietas veſtra cognoſcat iudicium illud noſtrum, quod nuper tulimus, commune eſſe, & vnam totius orbis ſententiam, quam zelus veſter circa fidem, & pietatem cognitam, & manifeſtam fieri curauit.*] Totum igitur negotium Cæleſtini nomine in Concilio Epheſino peractum fuit, vt Neſtorius, etiam Romana autoritate damnaretur, & commiſſio data Cyrillo fuit antequam Concilium Epheſinum indiceretur, cui tamen in rerum tractatione, loco

i Cæleſt. ep. 7.
k Apud Cyril. ep. 7.

Cæle-

Cæleſtini, proprij eius legati interfuerunt. Atque ex his quæ ego protuli claris documentis conſtat, fabellam eſſe eam, quam de præſidentia Cyrilli Papali nomine, & de neſcio quo Phrygio memorant Nicephorus, & Balſamon noſtro lib.3.c.11.n.3. eaque inculcat *a* Bellarminus. Aliqui ſane Epiſcopi in Concilio Chalcedonenſi, dum publicam quandam faciunt fidei profeſſionem, & tria præcedentia generalia admittunt Concilia, de Epheſino aiunt ipſi, *b* Cæleſtinum, & Cyrillum præſediſſe; tanquã duos, non tanquam vnum, ſic etiam *c* Pelagius ſecundus; fortaſſe enim data fuit legatis Cæleſtini ab eo Roma miſſis, vt nomine Cæleſtini ſimul cũ Cyrillo præſiderent, non enim negamus id honoris id litos fuiſſe habere Romanos Pontifices, vt iam explico; Leo tamen in Concilio Epheſino *d* Cyrillum ſolum nominat, & agnoſcit præſidem.

a Bell. de Concil. l.1. c.19.
b Concil. Calced. act.4.
c Apud Baro. 10.7. an.585.n. 31.
d Leo ep. 49.

LI. Concilium Chalcedonenſe, quartum generale, in hoc primo præſidentiæ munere, quoad doctrinalem ordinem Leonem ſolum Romanum Pontificem per ipſius legatos habuit præſidentem. Aſſerit id ſæpius Leo ipſe, ep.49.51.55.56. Actio tertia illius Concilij id ſatis manifeſtat, præſertim in Relatione ſynodali ad Leonem. Neq; enim Romanum Pontificem facimus huius præſidentię incapacem. Scimus interdum præſediſſe tum Imperatorum, tũ ipſorum Conciliorum voluntate, non ſuo proprio, iuris præſertim diuini, priuilegio. Merito autem debuit Leo in doctrinalibus in hoc Concilio præſidere, quia ipſius Epiſtola dogmatica ad Flauianũ de Chriſti incarnatione, contra Eutychetem fuit doctiſſime elaborata, & in eo Concilio prius diſcuſſa, & approbata, tũ vero pro regula in damnanda Eutychetis hereſi habita. Prius tamen contra eundem Eutychetem Theodoſius Concilium Conſtantinopoli voluit celebrari, atq; in eo *e* Præſidem eſſe iuſſit Theodoſium Cæſareæ Cappodociæ Epiſcopũ; in hoc vero ipſo Chalcedonenſi Concilio, etiam quoad ordinem tractandorum, multam præſidentiam exercuit Imperator Martianus; & ipſius Iudices laici, de quo paulo inferius.

e Apud Concil. Chal. act.1.

LII. Concilium Epheſinum alterum, quod Chalcedonenſi occaſionem dedit, omittit Bellarminus: & tamen legitime quidem congregato, ſed turpiter poſtea lapſo, non modo ſuo iure proprio, ſed etiam iuſſu Imperatoris in doctrinalis iudicij traditione; præfuit Dioſcorus præcipue, Patriarcha Alexandrinus, cum tamen in eo etiam ſedis Apoſtolicæ legati intereſſent. Theodoſius ad Dioſcorum ita ſcripſerat. *f Manifeſtum facimus tuæ Beatitud. & vniuerſæ S. ſynodo, quod nos regulas SS. Patrum ſequentes autoritatem, & primatum tuæ præbemus Beatitudini.*] Et ipſe Dioſcorus ita loquitur in Concilio Chalcedonenſi, *g* Comperit veſtra clementia, quia non mihi ſoli ſacratiſſimus noſter Imperator commiſit iudicium, ſed & beatiſſimo Iuuenali, & ſanctiſſimo Epiſcopo Thalaſſio autoritatem ſynodi dedit. Nos ergo iudicauimus quæ iudicata ſunt *contra Flauianum* conſenſit nobis, & vniuerſa ſynodus, & confeſſa eſt propriis vocibus, & ſubſcripſit, &c.] Glorioſiſſimi quoque Iudices eiuſdem Concilij Chalcedonenſis in diſcuſſione actorum Prædatoriæ Epheſinæ, interpellant eos, qui præſides in ea cum Dioſcoro fuerunt, *h quibus (aiunt acta) autoritas tunc eorum quæ agebantur ab Imperiali data eſt clementia.*] Patet vero in iiſdem actis cum Dioſcoro illi ſynodo iuſſu Imperatoris *i* præſediſſe Iuuenalem Hieroſolymitanum, Thalaſſium Cæſareæ Cappad. Epiſcopum, Euſebium Ancyræ, Euſthathium Berythi, & Baſilium Seleuciæ Iſauriæ, (*qui poteſtatem, (inquiunt acta) habuerunt, & Principes tunc fuere Concilij.*] Primates Concilij, & Præſides vocari etiam *k* Leo. Hanc Præſidum deputationem in Conciliis tolerare non potuit Baronius, & inde in Theodoſium ipſe primus poſt multa ſæcula, ſolus factus ſapiens, iniquus inſurgit Iudex, & ſatis inepte, vt conſideraui meo lib.6.c.9.n.34. In hoc porro Concilio expreſſe negatam fuiſſe præſidentiam legatis Rom. Pontificis Leonis, ſcribit Liberatus; *l Eccleſiæ (inquit) Romanæ Diaconi, vices habentes Papæ Leonis, aſſidere non paſſi ſunt, eo quod non fuerit data præſeſſio ſanctæ ſedi eorum.*] Et tamen in ſynodo permanſerunt, & ſynodalibus actis interfuerunt, & iis quæ ibi perperam agebantur; *m* contradixerunt.

f Apud Concil. Chal. act.1
g Ib. act.1.
h Ibid.
i Ibi & act. 4.
k Leo ep. 53.
l Liberat. Breui. c.12.
m Ibid.

LIII. Quinta ſynodus generalis Conſtantinopolitanum Patriarcham habuit præſidentem, initio Mennam, deinde Eutychium. Vigilius enim Papa nunquam voluit in ſynodum ingredi, & tamen aderat Conſtantinopoli eo à Iuſtiniano Imperatore vocatus. Si ingreſſus fuiſſet, neſcio an præſidentiam habuiſſet, ex eo quod dignitate primus erat Patriarcha, & perſonaliter præſens. Nam Iuſtinianus in forma illa, quam initio dictę ſynodo legendam exhibuit, de Vigilio ſic loquitur, *n Mandauimus illi etiam per noſtros iudices, & per quoſdam ex vobis, vt vna cum omnibus conueniret, & communiter diſceptaret.*] Hoc profecto non erat præſidere. Nihilominus eo intereſſe renitente, ex cauſis à me lib.6.c.9.n.46.& ſeqq. explicatis, Concilium legitimum, abſque ipſius vel præſentia, vel præſidentia factum eſt, illudque admittere, & ei conſentire, vellet nollet, ab Imperatore compulſus fuit.

n Quinta ſyn. gen. collat. 1.

LIV. In ſexta ſynodo omnes actiones, præſidente Imperatore Conſtantino, prænotantur. De præſidentia legatorum Romanorum nihil habemus, præter leues coniecturas, aut prælocutionum, aut ſubſcriptionum. Neſcio quomodo in doctrinali directione præſidere potuerunt *o* perſonæ, quales, ſecundum temporis huius defectum, *inquit Agatho Papa* ac ſeruilis prouinciæ qualitatem poterant inueniri.] De quorum ſcientia parum confidens, ait: *p Nam apud homines in medio gentium poſitos, & de labore corporis quotidianum victum cum ſumma hæſitatione conquirentes, quomodo ad plenũ poterit inueniri ſcripturarum ſcientia? Non n. nobis eorum ſcientia confidentiam dedit, vt ad pia veſtra veſtigia eos auderemus dirigere, &c.*] Ob honorem igitur ſedis potuerunt & primi ſententiam ſæpius dicere, & primi ſubſcribere, ſed Concilium ſua præſidentia in doctrinalibus dirigere non potuerunt. Sane Leo ſecundus ſcribens ad Imperatorem Conſtantinum de ſexta ſynodo; ait; *q Quam nutu Dei, veſtra clementia, & ſedule conuocauit, & cui pro Dei miniſterio præfuit.*]

o Agathonis ep. in 6. ſyn. act.4.
p Ibid.
q Leo 2. ep.1. to.2.

LV. Septima quæ vocatur ſynodus generalis, Nicææ habita legatos Romanos Præſides habuiſſe, ex iiſdem coniecturis, quia primi nominantur, & primi ſubſcribunt, affirmat *r* Nicolaus primus; & contendit Bellarminus; Directionem tamen illius Concilij totam Taraſio Patriarchæ Conſtantinopolitano deberi; acta ipſa ſatis probant. Sic enim Siculi Epiſcopi exordiuntur; *ſ Dignum arbitramur ante omnia, & conuenientis huic ſanctę & œcumenicæ ſynodo, ſanctiſſimum ſummumq; paſtorem, & rectorem præſidẽtem peratricis, vrbis Conſtantinopoleos nouæ Romæ, ad initiũ quæ deinceps tractabuntur, capitum præfari, & veluti ianuam aperire, & quæ hoc loco deceant, prius explicare.*] Ac deinceps Tharaſius in doctrinalib. perpetuo regit Cõcilium. Et in quodam Concilio orientali legatos

r Nic. ep. 8
ſ Sept. ſyn. inter.

Romanos ad ſcrutandum Theologice ſimul cum reliquo Concilio, miſſos, ſcribit *a* Photius, non ad præſidendum.

a Apud Baro. to 10. an. 883. n. 16.

LVI. Octaua ſynodus generalis libenter admiſit præſidentiam legatorum Adriani, vt factum etiam eſt in Chalcedonenſi. Igitur Romanus Epiſcopus præſidentiā habuit, ex conſenſu Conciliorum in duobus duntaxat ex primis octo, quę numerantur Cōcilia œcumenica; licet octauum fide nutet, vt infra patebit: in reliquis non habuit, & quando eam habuit, ad ſolum regimen boni ordinis tractandorū, tam ipſe, quam reliqui quicunq; alij Prēſides Conciliorum illam exercuerunt. Definitio enim, & iudicium doctrinale in rebus fidei cōciliariter diſcuſſis, non ſpectat ad ſolos præſides, ſed ad totius Concilij viros congregatos, iuxta pondus, non iuxta numerum ſententiarum, vt iam in præcedentibus explicaui; Cuſanus quoq; Cardinalis illud habet præclare, *b In Concilijs vniuerſalibus Romani Pontificis autoritas concurrit in primo gradu per conſenſum cum alijs omnibus ipſum Concilium celebrantibus, vigor nihilominus definitionis non ab ipſo primo omnium Pontifice, ſed ex omnibus omnium & ipſius, & aliorum conſenſu, dependet.*] Et quoniam Conciliorum libertas ſecum fert, vt quiſque libere, vel tractandas difficultates in Concilio proponat, vel eas agitet, & ſententiam in ipſis propriam exponat, & corroboret, ſumma Tyrannis eſſet Præſidum, ſi ipſi propria autoritate, vel proponenda ſibi ſolis aſſumant, vel propoſita ſoli reijciant, vt fiebat in Concilio Tridentino, in quo lex etiam Tyrannica data eſt, vt, proponentibus legatis, omnia tractarentur. Iudicium totius ſynodi debet eſſe an ab aliquo propoſita ſint tractanda, an vero reijcienda, puta, ſi in primis quatuor Concilijs iam fuerunt diſcuſſa, & definita, quæ retractare nullo modo licet, vt vidimus in præcedentibus. Præſides vero circa rectum ordinem in diſputationibus, & tractatibus ſeruandum, inuigilent. Si itaq; in tot celeberrimis œcumenicis Concilijs Romanus Pontifex præſidentiam, etiam illam doctrinalem non habuit, ſed alij etiam ab Imperatoribus deputati, quanto magis ei neganda eſt præſidentia vbi de ipſius agitur vſurpationibus, & contra ipſius violētiam querelæ ſunt agitandæ, atq; vbi ipſius potiſſimum vrgetur reformatio? Quis ignorat quantam Legati Papæ Tridenti adhibuerint vim, in illis omnibus Patribus comprimendis, qui vel, vt papalis poteſtas indagaretur aliquid conabātur, vel an poteſtas Epiſcoporum eſſet iuris diuini definiendum eſſe cenſebant & proponebant; ſpero futurum vt noſtris diebus Tyrannis illa Papalis in Conciliabulo Tridentino exercita, omnibus fiat manifeſta.

b Cuſan. de concor. cathol. l. 3. c. 4.

LVII. Diximus de primo munere in Concilijs præſidentium. *Alterum munus erat*, ſupra n. 43. *per ſententias interlocutorias iudicialiter acta Conciliaria dirigere.* Hoc munus ſæpiſſime ſiue per ſe, ſiue per ſuos commiſſarios, & Iudices, Principes exercuerūt. Quantam directionem habuerit Concilium Nicænum primum, quod & primum œcumenicum fuit, à magno Conſtantino plenæ ſunt hiſtoriæ. Libellos accuſationum accipiebat; quid tractandum, quid omittendum eſſet interlocutione definiebat. In Chalcedonenſi id maxime patuit: Nam, & Martianus interloquendo *c* pronunciauit prius eſſe iudicandam cauſam Flauiani occiſi, quam hæreſis Eutychianę; & glorioſiſſimi Iudices, ac ſenatores perpetuo Cōcilium per ſuas *d* interlocutiones dirigunt, etiam in ipſis fidei tractationibus, poſt damnatum Dioſcorum criminaliter. In Conſtantinopolitana ſynodo contra Eutychetem ſub Flauiano, Florentius iudex ſedit, & vbi ante eius aduentum Flauianus dabat interlocutorias, poſt eius aduentum Flauianus abſtinuit, & ipſe *e* Florentius interloquebatur. Mitto nunc tot ſynodos prouinciales, & nationales, in quibus Iudices laici à Principibus dati acta Conciliaria per ſuas ſententias, ſuaque decreta rexerunt.

c Apud acta Conci. Chalced. act. 1.

d Ibid. act. 4. & 5.

e Nos. l. 6. c. 5. n. 12.

Tertium demum præſidum in Concilijs munus erat, turbas compeſcere, rixas ſedare, inquietos, & turbulentos ejicere & vt pacifice omnia peragantur, coactiua poteſtate efficere. LVIII. Hoc ſane fuit maxime proprium Principum munus. Ad Concilium Tyri pro cauſa Athanaſij congregandum, miſit Conſtantinus magnus Imperator *f* Dionyſium conſularem, vt omnium rerum gerendarum eos, qui ei ſynodo adeſſe debebant admoneret, maxime vero vt idem animaduerſor eſſet, & cuſtos conſeruandæ æqualitatis, & ordinis.] *g* Candidianum comitem Theodoſius iunior aſſiſtere voluit Concilio Epheſino, vt ſubmoueat etiam ex ciuitate inquietos, qui turbare poſſent Concilium; & proſpiciat ne qua grauior diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, & ſæuæ tempeſtatis inſtar debacchata, ſanctiſſimæ ſynodi conſultationem, exactioremque veritatis indagationem quouis modo obturbet, tum denique det operam ſedulam, vt omnibus, & ſingulis quæ dicuntur nec perceptis, ſinguli inoffenſe, quod viſum fuerit, in medium proponere, vel ab alijs propoſitum, ſi opus id fuerit, refutare queant; quo ea tandem ratione, vbi per ſingulas propoſitiones, exceptionesque inquiſitio, citra vllam omnino turbam contentionemque habita fuerit, quod omnibus placitum, probatumq; erit, communi ſententia conſtituatur, decernaturq;.] Iſta præclare Theodoſius; à quo diſcant noſtri Principes Concilia ſacerdotalia & cogere, & in officio libera continere. Quintam ſynodum generalem quam exacte rexerit Iuſtinianus, nemo ſtudioſus ignorat. Sextæ ſynodo præſedit Imperator Conſtantinus Pogonatus dictus, vt ex actis ipſis in ipſo initio patet.

f Noſtro lib. 6. c. 5. n. 7. & ſeq.

g Literæ Theodoſ. ad ſynod. in actis Concilij Epheſ.

Epheſinam alterā illam malā ſynodum Theodoſius Iunior Elpidio comiti, & Eulogio tribuno, ac notario regendam his verbis commiſerat. *h Vos ad miniſterium elegimus fides, ſicut probatos & valentes diligenter noſtris iuſſionibus miniſtrare; & de ijs quæ à ſancta ſynodo Epheſi fuerunt conſtituta, & nullum fieri tumultum permittere. Sed & ſi quem viderit conturbationibus & tumultui ſtudentem ad læſionem ſanctæ fidei, hunc cuſtodia mancipare, & ad noſtram perferre notitiam; & cauſam quidem ordine prævenire: intereſſe autem iudicio, & operam dare, celerem, & circumſpectam probationem, & à ſancta ſynodo fieri, & nobis cognitam facere; hi qui pridem Eutychetis religioſiſſimi Archimandritæ Iudices extiterunt, præſentibus quidem, & tacentibus, nullum tamen iudicantium habentibus locum, ſed communem aliorum omnium ſanctorum Patrum ſententiam expectantibus: quoniam ea quæ ab ipſis dudum iudicata ſunt, nunc retractantur. Non licere autem vllum aliquid mouere ex pecuniarijs capitulis, antequam ea quæ de fide ſunt Catholica effectui mancipentur. Ideo namq; & ſimile per literas, quas ad virum ſpectabilem Proconſule, ac reliquos ſcripſimus, & militare vobis auxilium delegauimus, quatenus & vos ſuper proprium ſtudium hi fulti auxilio ſufficere poſſitis ad ea, quæ præcipimus adimplenda; quæ tanto omnibus bonis meliora ſunt, quanto ſolent humanis diuina præcellere; & quæ in hac cauſa fuerint conſtituta, ad noſtram perferre notitiam.*] Hi ſane optime inſtructi præſides, aut iuſſa Principis neglexerunt, aut ſuo Domino infidi Dioſcoro, & Eutychianis adhæſerunt, & turbis non obſtiterunt, imo fortaſſe eas fouerunt. Abſentiæ enim Imperatoris, lapſum illius LIX.

h Apud acta Concilij Chalce. act. 1.

ſynodi

ſynodi tribuunt, *a* Epiſcopi Iſtrij ad Mauritium Imperatorem ſcribentes: Et Cuſanus Cardinalis, qui multa viderat, multa legerat, non potuit veritati teſtimonium amplum non reddere. *b Sciendum eſt (inquit) quod in vniuerſalibus octo Conciliis, vbi Imperatores interfuerunt, & non Papa, ſemper inuenio Imperatores, & Iudices ſuos cum ſenatu, primatum habuiſſe, & officium præſidentiæ per interlocutiones, & ex conſenſu ſynodi, concluſiones, & iudicium feciſſe; & non inuenitur inſtantia in octo Conciliis, præterquam in tertia actione Concilii Chalcedonenſis.*]

a Nos. lib. 6. c. 5. n. 73.
b Cuſa. de concor. catholi. l. 3. c. 16.

LX. Imo non modo in regimine externo Concilij præſidentiam habuerunt Principes, ſed etiam qui cordatiores fuerunt in ipſa fidei doctrina ſuas partes laudabiliter interpoſuerunt. Inſigne eſt, quod de Conſtantino Eccleſiaſticæ narrant hiſtoriæ. Euſebius iſta ſcribit, & Theodoretus vt inſignia repetit. *c Quin etiam Imperator ipſe noſter ſanctiſſimus hanc noſtram fidem, veritatem in ſe complecti, primus omnium teſtificatus eſt; ſeque eodem animo eſſe conſtanter aſſeruit: præcepitque, vt omnes eidem aſſentirentur, decretis eiuſdem ſubſcriberent, congruerent cum eiſdem, dummodo vna vox, Conſubſtantiale videlicet, adſcriberetur; quam quidem ille ipſe explicauit ad hunc modum: Conſubſtantiale de corporu affectionibus non poſſe intelligi, neq; filium Dei vel deciſione, vel deſectione, vt ita dicam, ex patre ſubſiſtere. Nā non poſſe fieri, vt natura, quæ materia expers eſt, quæ ſola intelligentia percipitur, quæ corpore vacat, corpoream vllam affectionem in ſe excipiat, ſed eiuſmodi res nos diuinis, & arcanis verbis debere complecti, ſapientiſſimus quidem, & pius noſter Imperator de his iſto modo philoſophatus eſt.*] Idem *d* particeps omnino eſſe vult Conciliarium definitionum, imo, & Iudex.

c Apud Theod. l. 1. hiſt. c. 12.
d Nos li. 6. c. 1. n. 10. e lib. n. 9.

LXI. Conſtantij Conſtantini filij diligentia, licet ei parum profuerit, ſummopere tamen laudanda eſt, & Principibus Catholicis imitanda, quam ſic deſcribit Sozomenus. *f His literis Baſilii acceptis Imperator primum dat mandatum, vt ineunte æſtate Epiſcopi omnes Nicæam conueniant, exceptis illis, quibus inualetudo eſſet impedimento, hique ſuo loco presbyteros, vel diaconos, quos vellent, eo mitterent, qui ipſorum declararent ſententiam, & de rebus controuerſis concilium inirent, vt communiter omnes de omnibus inter ſe concordarent. Deinde vt decem Epiſcopi ex partibus Occidentis, & totidem Orientis, quos Concilium communi ſententia deligeret, ad palatium ſuum vna venirent, ſibique quæ decreta eſſent exponerent, ad eum finem, vt ipſe quoque non cognoſceret ſolum, vtrum conuenienter Scripturæ ſacræ inter ſe conſenſiſſent, verum etiam quid optimum factu videretur decerneret.*] Vtinam ſe perfecte inſtrui paſſus fuiſſet, & non ſe nimium ab Arianis abripi ſiuiſſet! Mitto plura alia exempla.

f Zozo l. 4. c. 15.

LXII. Soluendæ iam ſuperſunt ratiunculæ aliquæ, quibus præſidentiam omnium Conciliorum generalium *g* Bellarminus ad Romanum Pontif. pertinere conatus eſt confirmare. Sed antequā proponeret illas rationes, obſeruare ei placuit ita potuiſſe ſemper Papam Conciliis vel per ſe, vel per ſuos legatos præſidere, vt tamē Orientalibus Conciliis nunquā per ſe, ſed ſemper p legatos interfuerit, & huius rei myſticos indagat ſenſus; Nō n. caſu, ſed certa ratione id factum putat. Nam *h Leo ſcripſit* (inquit) *ad Theodoſium iuniorem, & ad i Concilium Chalced. ſe non venire ad ſynodum, quoniam id non patitur conſuetudo, nec vlla prædeceſſorum habet de hac re exempla.*] Affert exemplū Vigilij, qui in ſynodum ingredi noluit, ſed per libellum confirmauit acta quintæ ſynodi generalis: Morem etiam ſcribendi obſeruat Imperatorū, qui per edictum præceptiuum euocabant alios Epiſcopos, Romanum autem inuitabāt, vt dignaretur venire, ſi ei placeret. Vt fecit Martianus cum Leone. Cur autem Rom. Pontifices non perſonaliter, ſed per legatos ad Orientalia Concilia accederent, duas ipſe excogitauit cauſas, cum ſuſpicione tamen. Prima quia non videbatur conuenire, vt caput ſequeretur membra; ſed contra. Altera ne Papæ ſederent inferiores Imperatoribus. Sic egregie noſter Cardinalis philoſophatur. Sed & in facto, & in iure errat plurimum. Quia licet verum ſit Romanum Pontificem perſonaliter ad prima quatuor generalia Concilia in orientem non acceſſiſſe, acceſſit tamen ad quintum, iuſſui Imperatoris Iuſtiniani obtemperans; nec enim in mentem venit Vigilio ſuæ dignitatis non eſſe in hoc Imperatori obtemperare. Ad prima vero quatuor, imo etiam ad poſteriora eodem modo; & totidem verbis inuitabantur, & vocabantur, pro vt reliqui Patriarchæ, quod ſi priuilegium iuris diuini fuiſſet, vt Rom. Pont. ad orientalia Concilia perſonaliter non accedat, Imperatores ipſos Rom. Pontifices perſonaliter accedere non iuſſiſſent. Ad primum Oecumenicum Romanus Pontifex Nicænum non acceſſit ipſemet, ſed legatos miſit, non ex his Bellarmini ſophiſmatis, ſed quia ætas ipſius ingraueſcens longo & incommodo itineri, ac nauigationi apta non erat. Hanc ſolam excuſationem affert Euſebius, & non vllam inconuenientiam, vllumue priuilegium. *k Et quanquam, (inquit) Vrbis illius, penes quam Imperium eſt, Epiſcopus, ingraueſcente ætate præditus, abfuit, eius tamen presbyteri qui aderant, illius locum ſuppleuerunt.*] Sardicenſe generale Concilium à Conſtante, & Conſtantio indictum eſt præcepto *l* generali, tam Orientales, quam Occidentales Epiſcopos includente, nihil ſpeciale ad Romanum ſcriptum. In primo Conſtantinopolitano ne legatos quidem habuit Romanus Epiſcopus. In Epheſino primo affuit per legatos, agnita illius indictione per ſacram generalem Theodoſij Imperatoris; licet ipſe ſpecialiter non fuerit, quod ſciam, aut extet, inuitatus: Videtur enim Imperator, vt ex eadem ſacra colligo, ſolos orientales aliquos, & per Patriarchas ſelectos Epiſcopos ad illud Concilium euocaſſe: vt ea quæ per Cyrillum contra Neſtorium actitata fuerant, in eo examinarentur.

g Bellar. de Concil. l. 1. c. 19.
h Leo epi. 21.
i Ibid. ep.
k Euſeb. de vita Conſt. l. 3. c. 7.
l Athan. apolog. ad Conſtantium & Theod. l. 2. c. 5.
m Noſtro lib. 6. c. 5. n. 33.

Quid mirum igitur ſi Leo ad Concilium Chalcedonenſe vocatus; imo modeſte inuitatus exempli carentiam obtendat, & conſuetudinem non inueniat? Non enim ſerio Imperatores Romanorum Pontificum præſentiam perſonalem; vſque ad Chalcedonenſe incluſiue, requiſierunt: at poſtea Anaſtaſius eam requiſiuit, qui iuſſerat Hormiſdam in Orientem ad quoddam Concilium, quod tamen euanuit, perſonaliter conuenire; Qui ſane Hormiſda, licet exemplum neget ſe habere ſuorum prædeceſſorum, non auder tamen abſolute repugnare, *n* paratum vero ſe eſſe profitetur, ipſe primus nouam conſuetudinem inchoare, dummodo ipſi prius cauſa congregandi Concilij in oriente innoteſcat. Vigilius vero Iuſtiniano, abſque vlla tergiuerſatione paruit: non tamen ingreſſus eſt ſynodum, quia timebat ſibi à ſuis Epiſcopis Occidentalibus, qui in damnationem trium Capitulorum nolebant vlla ratione conſentire; vt obſeruaui libro ſexto, capite nono, numero quadrageſimo quarto, & ſequentibus. Non ergo Hormiſdam, non Vigilium ea ratio retraxit, ne caput membra ſequeretur; non Innocentium quartum; non Clemētem LXIII.

n Nos. lib. 6. c. 5. n. 62.

quintum

quintum, quorum alter perſonaliter interfuit procul ab Italia Concilio generali Lugdunenſi, alter Viennenſi. Quid vero dicemus de Conſtantino Pogonato ad ſextam ſynodum Romanum Pontificem inuitante? Ex pia ille benignitate ait, a *Inuitare, & rogare poſſumus: neceßitatem vero inferre nullatenus volumus.*] Poterat ergo, ſi voluiſſet Papam cogere, vt ad Concilium veniat in orientem perſonaliter.

a Ibid. n. 65.

Atq; hoc ipſum fatetur b Theodorus Studita, vt alias oſtendimus. De vaniſſima vanitate, ac turgentiſſimo ſuperbiæ typho præcedentiæ ſeſſionis cum Imperatore, nihil dico; indigniſſima & Chriſti miniſtris, & Cardinali Ieſuita eſt illa obſeruatio; Luciferi fumum, non Chriſti humilitatem illa redolet, imo & ad nauſeam vſque fœtet. Venio ad Bellarmini rationes, quibus Præſidem ordinarium facit Papam generalium Conciliorum.

b Ibi, n. 77.

LXIV. Prima eius ratio eſt ex ſcripturis, vetus illa cantilena, c *Paſce oues*: cui nos ſilentium impoſuimus noſtro lib. 1. & lib. 4. Neque ſolus Romanus vocatur Papa, & Pater, ſed etiam alij Epiſcopi, ac præſertim Patriarchæ. Nouit Bellarminus, quam mordicus Conſtantinopolitani Epiſcopi retinuerint, ac retineant titulum œcumenici Patriarchæ; & quid eſt Patriarcha, niſi Princeps Pater, vel Patrum Princeps? Secunda ratio eſt, quia *Petrus præſidit in Concilio Hieroſolymitano* Act. 15. Sed bene ſcit Bellarminus præſidentiam eſſe aliam honorariam, aliam autoritatiuam; priorem Petrus fortaſſe habuit in eo Concilio (quod non video euidenter probari poſſe) poſteriorem non habuit. Iacobus ſane in eo Concilio magnas partes habuit. Sed habuerit Petrus vtranq; præſidentiam, quid inde iuris acquiſiuit Romanus Epiſcopus? nihil profecto, vt docui lib. 4. cap. 6. Inde tranſit Bellarminus ad exempla octo primarum generalium ſynodorum, de quibus nos iam ſatis diximus. Et hic ſexti quæſiti finis eſto.

c Ioan. 21.

LXV. 7. *Cuius eſt confirmare, vel reprobare Concilia?* quæſito huic, ex hactenus in hoc capite explicatis facile ſatisfieri poteſt. Erranti enim Concilio quantumuis magno, numeroſo, & generali, poteſt quilibet etiam priuatus, etiam laicus, doctus tamen, & prudens, Scripturis, & antiquitate, ac bene fundatis rationibus contradicere, ac repugnare, & quantum in ipſo eſt, illud abiicere, & reſpuere. Si Concilium re vera errauerit, & vnus aliquis, vel plures ſic contradixerint, mox alij contradictionem æquam eſſe perſpicient, & per ſcripturas, euidentiaq; documenta de errore Concilij conuicti, contradictionem facient in Eccleſia vniuerſalem, vniuerſalemq; illius Concilij reprobationem, in quo caſu denuo alia Concilia ſolent congregari, quæ agnito errore prioris Concilij illud aboleant, & contrariam doctrinã ſtabiliant, & ſæpe per illos eoſdem id fiat, qui in priori Concilio decepti errauerant; vt factum eſt de Concilio ſecundo Epheſino latrocinali, & de Ariminenſi; & ſic d Concilium prius Concilio poſteriori, aut maiori, aut ſaniori corrigitur. Si vero Concilium non errauit, ſed cum veritate definiuit, tunc vnius, aut alterius, aut paucorum contradictio, vt vana, friuola, & nihil fundata primũ à doctioribus, deinde ab vniuerſali Eccleſia contemnetur, & Cõcilium illud ſic conſequenter ab vniuerſa Eccleſia, cognita contradictionum debilitate, approbabitur. Sic Damaſus Concilium Ariminenſe reprobat, quia e *Neq; Epiſcopo (inquit) Romano, cuius ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat, neque Vincentio, videlicet Capuano, qui tot annis Epiſcopatum integre geſſerat, neque alijs eidem conſentientibus, cumq; etiam (quod eſt omnium maximum) illi ipſi, vti ante diximus, qui in fraudem illecti, à veritate deflexiſſe viſi ſunt, & poſt ad meliorem mentem denuo traducti, plane teſtentur, hanc formulam ſibi magnopere diſplicere. Itaq; veſtra integritas manifeſto videt, hanc fidem ſolam, quæ autoritate Apoſtolica Nicææ ſtabilita eſt, firme perpetuo tenendam eſſe. Atq; de hac ipſa fide tum Epiſcopos Orientis, qui ſe de Eccleſia Catholica eſſe profitentur, tum Occidentis etiam Epiſcopos nobiſcum vna gloriari conſtat.*] Contradictio igitur Romani, & Capuani, & aliorum Epiſcoporum poſt Hilarium, bene probata, & fundata, totam fidem Ariminenſi Concilio derogauit; & Nicæna fides, non ſola Romana confirmatione, ſed omnium Epiſcoporum Orientis, & Occidentis, ſtabilita eſt. Admiſſa vero ſemel in Eccleſia Catholica, atq; bene probata contradictione, aliqua conciliari definitione, vbi Eccleſia ipſa documentis, quibus Concilium nixum rem definiuit, conuicta, veritatem perſpexerit, & ſit amplexa, contradictionumque viderit inſufficientiam, tunc tandem Concilium manet approbatum, & confirmatum: & ſic approbatum & cõfirmatum retractari amplius non debet, ſed ipſius dogmaticæ definitiones firma fide erunt credendæ, & eas obſtinate non credere erit crimen hæreſis.

d Aug. de bapt. l. 2. c. 3. & c. 9.

e Dam. ep. 1.

Epiſcoporum ſane, ac aliorum Conciliorum ſuffragia deciſiua ſunt, vt probauimus, & non mere conſultatiua, quod omnes iam concedunt: Cur ergo Papali egeant confirmatione? & profecto ſi cõmunis omnium Conciliarium conſenſus nondum rem definit, niſi adſit Papæ confirmatio, Epiſcoporum ſuffragia non erunt deciſiua, ſed vix conſultiua. Si Romanus Pontifex non contradicat, licet cõſenſum expreſſum non præbeat, definitio de ſe valida eſt, & perfecte tenet, fitq; de fide, quando nemo ſolide contradicat, ſed Catholica conſentiat Eccleſia. Et licet Romanus Pontifex ſolus contradixerit, ſed ipſius contradictionem ſolidam non eſſe conſtiterit, neq; ſequaces bene ſentientes vllos habeat, tunc Conciliaris definitio, vel ipſo inuito, erit validiſſima, & ipſe, niſi velit vt hæreticus aut ſchiſmaticus ab Eccleſia Catholica abijci, tenetur definitioni ſtare. Vt factum eſt in Vigilio circa quintam ſynodum generalem. In contradicendo vero, & reſiſtendo Concilio erranti, non minus priuilegium habet Epiſcopus quilibet minimus, imo, & doctus quicunq; etiam laicus, quam ſummus quiuis Patriarcha, niſi quod ſedes Apoſtolicæ diu præſumebantur doctrinam Apoſtolicam melius cõſeruare; quæ præſumptio iam ceſſauit, vt docui lib. 4. c. 9. & quæcunq; ſynodus fuit reprobata, non ideo id ei contigit, quia Pontifex Romanus illam reiecerit, ſed quia vt ait Gelaſ. f *male geſta ſynodus illa intelligitur, quæ res definiuit contra Scripturas ſanctas, contra doctrinã Patrũ, contra Eccleſiaſticas regulas, quam tota Eccleſia merito non recepit, & præcipue ſedes Apoſtolica non probauit, & talis ſynodus per bene geſtam ſynodum, id eſt ſecundum Scripturas, ſecundum traditionem Patrum, ſecundum Eccleſiaſticas regulas pro fide Catholica, & communione probatam, quam cuncta recepit Eccleſia, quam maxime ſedes Apoſtolica comprobauit, debet & poteſt immutari.*] Sedium Apoſtolicarum ſententia ſemper magni fuit momenti in Eccleſia, ſed ſynodus generalis proprie confirmata non intelligitur, niſi poſtquam à tota Eccleſia, modis à me explicatis, recepta fuerit: reprobata vero ſemper eſt quando tota eam reſpuit Eccleſia. Vnde Maximus etiam martyr ideo reprobatas ait fuiſſe aliquas ſynodos etiam generales, non quia Papa eas reprobauit, g *ſed propterea quod ſancita in illis dogmata ſine Deo facta, Deo aduerſabantur.*] Et Theodorus Studita, h omnem ſynodũ œcumenicam approbatam admittit, veritati tamen congruentem.] Sciebat ille nul-

LXVI. (in the margin beside the paragraph "Epiſcoporum ſane…")

f Gelaſ. ep. 11.

g Apud Ba. to. 8. an. 656. n. 18.

h Apud Ba. an. 806. n. 18.

le nullam eſſe approbationem tutam, niſi poſt veritatem aperte cognitam, & receptam. Confirmatio enim, & reprobatio Conciliorũ non pendet ab humana vlla autoritate, ſed à ſolo ſufficienti examine doctrinæ: Ex quo Eccleſia vniuerſalis ſuum præſtat vel aſſenſum, vel diſſenſum. Illud quoque habet idem Gelaſius, *a vniuſcuiuſq; ſynodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſia probauit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedem præ cæteris oportere, quam primam quæ & vnamquamque ſynodum ſua autoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, &c.*] Veritatem planam confeſſus eſt etiam ſedem Romanam teneri parere Conciliis in Eccleſia vniuerſali acceptis; licet ſtatim penitus contraria, in ſui Papatus gratiam ſubdiderit, ſedem ipſius vnamquamque ſynodum ſua autoritate confirmare: Nam etiam ſi non confirmaret, tenetur tamen ſynodo ab vniuerſali Eccleſia, ſeruatis ſeruandis, recepta, omnino parere, quod falſus eſt Gelaſius.

a Gelaſ. ep. 11.

LXVII. Applaudunt ſibi plurimum noſtri Hieromonarchici quod acta Conciliaria vetera, & Patres ſæpe à Romano Pontifice ſynodorum confirmationem petunt; ſed libenter & ſibi ipſis ijdem noſtri Hieromonarchici, & nobis vellent imponere, per ambiguitatem vocis, *confirmandi.* Vellent enim confirmare in hac cauſa idem eſſe quod ex infirmo, & inualido, firmum, ac validum facere; in quo profecto ſenſu nullum vnquam Concilium petiit à Romano confirmationem; nullus Pater, qui Romanus Pontifex non eſſet propriæ poteſtatis exaltator, Concilia dixit à Rom. Pont. confirmari: *Confirmatio Papalis* nihil aliud fuit, quam definitionis factæ admiſſio, & confeſſio, additioneque ſui ſuffragij corroboratio, & plenius firmamentum: imo ſæpe etiam confirmare fuit, definitioni factæ ſe ſubiicere, eique ſe obligare, ſeu laudare eam, & approbare, vt veram & legitime factam, atq; tueri; id patebit exemplis.

LXVIII. Nicænum Concilium fertur confirmationem à Syluestro petiiſſe; & circumferuntur in hoc genere Concilij literæ, & Syluestri confirmatio; quæ etſi ſpuriæ non eſſent, adhuc tamen nihil aliud obtineret *b* Baronius, qui eas non nihil, ſed non ſine ſuſpicione, vrget, niſi conſenſum, & approbationem: *c Meum, (inquit Sylueſter) chirographum, & diſcipulorum meorũ eſſ.ro, in veſtro ſancto Concilio quicquid conſtituiſtis vna parem dare conſenſum.*] Nam poſt peractum Cõcilium, ſequuta eſt ipſius confirmatio per vniuerſas totius orbis Eccleſias; id eſt, conſenſus, admiſſio, & approbatio: quæ ſimul iunctæ faciunt veram Conciliorum confirmationem: Hoc ſane ſenſu Athanaſius Nicæni Concilij confirmationem vrget ex conſenſu omnium Eccleſiarum; ſic enim cum ſynodo Ægyptiaca ſcribit ad Imperatorem Iouianũ; d *Pro certo ſcias, volumus, Auguſte ſanctiſſime, hanc ipſam ab omni ſæculorum memoria prædicatam fuiſſe. Hanc confirmarunt ſancti Patres Nicææ coacti: huic omnes vbique Eccleſiæ aſſenſæ ſunt. vt Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Myſiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes Eccleſiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Iſauriæ, & Eccleſiæ Ægypti Libyæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum Eccleſiæ, Orientis denique Eccleſiæ, exceptis paucis, qui ſectæ fauent Arianæ. Nam iſtarum omnium reipſa explorate cognitam habemus ſententiam, literasque ab illis accepimus, proque certo ſcimus, Auguſte ſanctiſſime, quod quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen præiudicium inde poteſt orbi terræ fieri vniuerſo.*] Rurſus idem Athanaſius. *e Huic (inquit) Concilio Nicæno vniuerſus orbis aſſenſum præbuit, & quamquam multæ habitæ ſunt ſynodi, huius tamen omnes ſunt memores, tum per Dalmatiam, Dardaniam, aliasque Inſulas, Siciliam, & Cyprum; tum per Iſauriam, Pamphyliam, Liciam, & vniuerſam Ægyptum, & Libyam; & plerique in Arabia hanc agnouerunt, & admirati ſunt & ſubſcriptione approbarunt.*] Mirum quod ad conciliandam fidem huic Concilio, non vrgeat ipſum fuiſſe à Romano Papa confirmatum. Sane Marius Victorinus, vt tanti Concilij autoritatem oſtendat, non Papæ affert confirmationem, ſed ait, *f* Nicænę fidei multa Epiſcoporum millia conſenſiſſe. *g* Sardicenſis quoque Concilij decreta ab ijs qui intereſſe non poterant fuerunt ſuis ſuffragiis approbata.] Igitur ſua ſuffragia habent etiam abſentes.

b Baro. to. 3. an. 325. n. 17
c Poſt canones Cõcilij Nicæni to. 1. Conciliorum.
d Apud Theodo. l. 4. c. 3.
e Athan. Epiſt. ad Afr.
f Mar. Victorin. l. 2.
g Athan. Apol. 2.

LXIX. Concilij Epheſini confirmatio à Romano Pontifice habita, his verbis explicatur. *h Synodus ſanctiſſimos Epiſcopos omnes vnum, & idem ſentientes habet, propterea quod & magnæ Romæ Epiſcopus ſynodo coniungitur.*] Aliam confirmationem non agnoſcunt illi Patres, niſi conſenſum, & coniunctionem in eadem ſententia. Et eadem ſynodus in relatione ad Imperatores, autoritatem ſententiæ ſynodalis exaggerat, non ex confirmatione ſedis Apoſtolicæ, ſed ex vniuerſali conſenſu, quia Romana ſynodus, quæ præceſſerat hanc œcumenicam Epheſinam, idem prius ſenſerat, & iudicarat. At vera confirmatio non præcedit, ſed ſubſequitur Concilia confirmanda. Si Papæ confirmatio dat vltimam manum Conciliis, & totam autoritatẽ, cur Sixtus Papa Cyrilli proximus ſucceſſor, ipſe quoque Epheſinum Concilium confirmat? ſane, quia ipſe quoque conſentit. *i Conſentanea namque (inquit) ſanctæ ſynodo idem Papa reſcripſit, & quæ ab ipſa geſta ſunt vniuerſa firmauit, nobiſcum modis omnibus ſentiens.*]

h Epiſt. ſynod. ad Imperatores in actis Concilij Epheſ. Ep. 4.
i Cyrill. Epiſt. poſteriori ad Succeſſum Epiſcop. Iſauriæ to. 2.

LXX. De confirmatione Concilij Chalcedonenſis per Leonem multa ſæpe Baronius, & alij. Neque eſt alia confirmatio, niſi quam hactenus explicauimus, & ex ipſis Leonis literis confirmatoriis ſatis patet, Leonem ſuum conſenſum ſuamque admiſſionem, & approbationem illi Concilio addidiſſe; quia Concilia generalia, etiam perſonalem conſenſum ſummorum Patriarcharum requirebant. Itaque Leo Epiſt. 63. approbat, id eſt conſentit, & admittit. Epiſt. 64. requiritur ab Imperatore vt firmet, id eſt, vt ipſe quoque ſubmittat ſe illi definitioni, idemque cum reliquis ſentiat, ita & Epiſt. 65. Imo quamuis Leo doctrinam ſolam, & dogmatica approbarit, expreſſeque exceperit canonem de priuilegio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & illum approbare nunquam voluerit, ſed perpetuo contradixerit, quia tamen etiam in illum canonem reliqua conſenſit Eccleſia, ille canon vel inuitis Romanis Pontificibus obtinuit, & in robore perpetuo permanſit, vt oſtendi lib. 4. c. 4. De quinta ſynodo Gen. & de Vigilio ſatis dixi lib. 6. c. 9. vbi oſtendi etiam inuito Vigilio damnata fuiſſe tria capitula, & damnationem illam à Catholica Eccleſia fuiſſe receptam, Vigiliumque pro ſchiſmatico fuiſſe habitum, & autoritate Imperiali per pœnas exilij adactum, vt ipſe quoque illi definitioni ſe ſubmitteret, ipſiuſque executioni inuigilaret. Ita Flauianus Conſtantinopolitanus, damnato in ſua prouinciali ſynodo Eutychete, poſtulauerat à Leone Romano Pontifice non confirmationem per ſe actorum, vt ſomniat *k* Baronius, ſed executionem, vt dignetur ſuis Epiſtolis hanc damnationem manifeſtare, ne, neſcientes illi, aliqua ratione, cum damnato Eutychete communicarent.] Sic poſtea ſynodus quædam Vienneſis confirmationem petiit à Paſchali 2. hoc eſt executionem contra inueſtituras Imperatoris. Nam ſi non exequatur ipſe Papa

k Baro. to. 6. an. 448. n. 60.

ea quæ illa ſynodus ſtatuerat, minantur ſe ab illius obedientia diſceſſuros. *a* Si vero, *inquiunt*, (quod non credimus) aliam viam aggredi, & noſtræ paternitatis aſſertiones prędictas roborare nolueritis, propitius ſit nobis Deus, quia nos à veſtra ſubiectione, & obedientia repelletis.] Hæc cum aliis Guido Viennenſis, qui paulo poſt fuit Calliſtus Papa 2. qui ſane nomine confirmationis, intelligit executionem.

a Apud Baron. to. 12. an. 1112.

LXXI. Sexta ſynodus ſuam definitionem contra Monothelitas ad Roman. Pont. miſit, ac petiit *b* vt per honorabilia ſua reſcripta eam confirmaret.] Hoc eſt, ipſe quoque ſubſcriberet, atque admitteret, eamque admittendam in toto Occidente curaret. Ideoque Leo 2. in literis ſuis confirmatoriis ad Conſtantinum Imperatorem datis, ait, *c Sancta igitur vniuerſalis & magna ſexta ſynodus quam nutu Dei veſtra clementia, & ſedule conuocauit, & cui pro Dei miniſterio præfuit, Apoſtolicam in omnibus regulam, & probabilium Patrum doctrinam ſecuta eſt, & quia definitionem rectæ fidei (vt dictum eſt) pleniſſime prædicauit, quam, & Apoſtolica ſedes beati Petri Apoſtoli (cuius licet impares miniſterio fungimur) veneranter ſuſcepit: idcirco, & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda ſedes Apoſtolica concorditer, ac vnanimiter his quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & beati Petri autoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidatam petram, qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino adeptis firmitatem: propterea ſicut ſuſcepimus, atque firmiter prædicamus ſancta quinque vniuerſalia Concilia Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum, quæ & omnis Chriſti Eccleſia approbat, & ſequitur: ita & quod nuper in regia vrbe pio veſtræ ſerenitatis adniſu celebratum eſt ſanctum ſextum Concilium, vt eorum pediſſequum, & ea interpretans, pari veneratione, atque cenſura ſuſcipimus; & hoc cum eis digne connumerari, tanquam vna, & æquali Dei gratia congregatum, decernimus: & qui in eo fideliter conuenerunt Chriſti Eccleſiæ ſacerdotes, inter ſanctos Eccleſiæ Patres atque doctores aſcribendos æque cenſemus.*] Synonyma ſunt Leoni iſta; *veneranter ſuſcipere, conſentire, confirmare, prædicare, approbare, &c.* Curauitque idem Leo, poſt datam à ſe confirmationem, idem Concilium vlterius per alios Epiſcopos occidentis confirmari, id eſt recipi, ac approbari. *d Properans, (inquit, ad Hiſpanos ſcribens) vnuſquiſque Chriſti Eccleſiarum Antiſtes ſuum nomen adſcribere, vt in vnius Euangelicæ, atque Apoſtolicæ fidei conſonantia nobiſcum, & cum vniuerſali S. Synodo, per ſuæ ſubſcriptionis confeſſionem tanquam præſens Spiritu conueniat.*] Eandem ſubſcriptionem poſtulat ab Epiſcopis regionis Simplicio Comiti, & Erugio Regi Gotthorum in Hiſpania ſubiectis. Hanc vero ſubſcriptionem vocant Patres Concilij Toletani 14. dictæ ſextæ ſynodi fulcimentum. *f Leonis (inquiunt) antiqua Romæ Pontificis inuitatoria epiſtolarum gratia conſulta ſuſcepimus, per quæ omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucide, vt acta ſunt, noſtris ſenſibus patuerunt. In cuius etiam gratioſo epiſtolæ tractatu ad hoc omnes Præſules Hiſpaniæ inuitati ſunt, vt prædicta ſynodalia inſtituta, quæ miſerat, noſtri etiam vigoris manerent, auctoritate ſuffulta; omnibuſque per nos ſub Regno Hiſpaniæ conſiſtentibus pateſcerent diuulgata.*] Sic enim quo plures Eccleſiæ particulares aſſentiuntur Concilio, etiam poſt ſedis Romanæ, & aliarum Patriarchalium approbationem, eo firmius fit, & maioris autoritatis; ac vbi iam tota Eccleſia vniuerſalis conſenſerit, tum abſolute, & irreuocabiliter Concilium eſt confirmatum. Singulares enim illæ ſingularum Eccleſiarum approbationes ſimul ſumptæ, generalem faciunt veram confirmationem illam, quæ ex inualido, aut non plene valido, faciunt abſolute, plene, & ſimpliciter validum. His addo Martinum I. qui poſtquam communem cõſenſum Patrum vt neceſſario ſequendum plurimum exaggeraſſet, hæc ad vniuerſam Eccleſiam ſcribit; *g Nos ſanctos Patres ſententialiter confirmauimus, --- Vt & vos conſonanter nobiſcum ſimilia exequamini, & omnes quidem ſanctos Patres confirmetis in ſcripto, conſonantes illis, &c.*] Hoc confirmare, eſt admittere, & conſentire. Septima ſynodus quantam reſiſtentiam habuit dicam poſtea alio loco.

b Synodalis epiſt. ante epiſtolas Leonis 2. to. 2. epiſtolarum Rom. Pon.

c Leo 2. ep. 2.

d Idem ep. 2.

e Idem ep. 4. & 5.

f Concil. Tolet. 14. c. 2. ex Gar.

g Martin. ep. 1.

LXXII. Octaua ſynodus, quam Græci *h* reiiciunt, vt infra oſtendam, petit quidem ab Hadriano confirmationem, ſed non aliam quam à nobis iam explicatam: Ait enim. *i Igitur libenter, oppido, & gratanter, imitatrix Dei ſanctitate veſtra, omnium noſtrum conuentum, & vniuerſalis huius, atque Catholicæ ſynodi conſenſum, ac conſonantiam recipiente, prædica eam magis, ac magis, velut propriam, & ſolicitius confirma coëuangelicis præceptionibus, & admonitionibus veſtris, vt per ſapientiſſimum magiſterium veſtrum etiam aliis vniuerſis Eccleſiis perſonet, & ſuſcipiatur veritatis verbum, & iuſtitiæ decretum.*] Confirmare igitur eſt recipere, publicare, & vt ab aliis recipiatur conari. Eſt enim in hoc genere iam ſenſus communis, vt confirmatio ſynodorum, ſeu articulorum, & doctrinæ, ſit approbatio, receptio, admiſſio, &c. Et non ſit autoritate, ac ex inualido validum facere, quod aliquot exemplis oſtendo. Iuſtinianus Imperator Epiſtolam quandam ſuam fidei confeſſionem continentem miſit prius ad Ioannem Papam, deinde ad Agapetum illius ſucceſſorem, petiitque ipſius confirmationem, eamque ab vtroque obtinuit. Agapeti verba ſunt: *k Cuius venerabilis Imperator, vt tuæ pietatis epiſtolam de fidei veſtræ expoſitione nuper adbeatæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum Ioannem Romanæ ſedis Antiſtitem per Hypatium, atque Demetrium Epiſcopos deſtinatam, & à præfato Præſule roboratam noſtra quoque autoritate firmemus; laudamus, amplectimur: non quia laici autoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conuenientis confirmamus, atque roboramus: per quod iam, & vnitas prouenit Eccleſiæ, & reliqua Catholicæ membra Eccleſiæ ad eius compagem Chriſtianitatis conſtantia redditura confidimus.*] Hanc Epiſtolam confirmat, id eſt laudat, & amplectitur, ac roborat ſedes Apoſtolica, quatenus teſtatur illam eſſe Catholicam; quamuis ægre ferat Agapetus, vt laici fidei articulos explicent, & proponant: Iam enim ſuæ Hieromonarchiæ baſes illi ſubſtruebant; quaſi non ſit plurimum laudabile, & deſiderabile, vt pij Principes bene prius inſtructi ſuos inſtruant ſubditos in fide, modo caueant, ne ab hæreticis corrupti formulas fidei firment pernicioſas, vt fuit Senoticum Zenonis, & Conſtantis typus. Orthodoxos prius conſulant viros doctos, & pios, ad amuſſim puræ fidei ſua forment decreta; ſic enim fecerunt Conſtantinus, Theodoſius, Iuſtinianus, & alij Catholici Principes. Si vero confirmare Concilia ſemper ſignificaret ipſis totam quam habent conferre autoritatem, profecto Londinenſis Epiſcopus in Anglia aliquando Romano Concilio vim totam tribuiſſet, & autoritatem, Beda enim ſcribit. *l Mellitum Londinenſem Epiſcopum veniſſe Romam pro neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis ad Bonifacium Papam quartum. Cumque Romæ eo tempore coacta fuiſſet ſynodus Epiſcopalis, inter eos aſſedit, vt quæ decreta erant, (inquit Beda) ſua quoque autoritate ſubſcribens confirmaret.*] Et Concilium Triburienſe iam abſolutum,

h Apud Concil. Flor. ſeſſ. 6. Ferrariæ.

i Epiſt. ſynodalis ad Hadrianum in actis eiuſdem ſynodi.

k Agapet. ep. 6.

l Beda hiſt. Angl. l. 2. c. 4.

&ab

& ab Epiſcopis ſubſcriptum, à presbyteris, & Diaconis, & laicis dicitur *a* confirmatum, & approbatum: hoc eſt admiſſum, & receptum. Et *Baronius*, qui toties Conciliis omnem vim adimit, niſi à Papa confirmentur, & ex Papæ confirmatione eâ omnem vim, & autoritatem habere contendit, tamen *b* Romanum quoddam Concilium miſſum in Gallias aſſerit, *vt ipſius geſta ab aliis Epiſcopis, congregatis prouincialibus ſynodis firmarentur.*] Non ergo ſolius Papæ eſt firmare Concilia, & quæ à Papa firmata ſunt adhuc vlteriori egent firmatione, donec videlicet Eccleſia ea recipiat vniuerſa.

a Concil. Tribur in fine to. 3.

b Bar. to. 8. an. 649. n. 36.

LXXIII. Sed Imperatores quoque pro ſua virili firmare, & confirmare Concilia inuenimus, & tamen non propterea ab Imperatorum confirmatione omnem vim, & autoritatem ea habere quis dicat. Addunt quidem tales Principum confirmationes robur Conciliis, qa Principes ſuo, & ſuę plebis nomine ea recipiunt, laudant & approbant, ac præterea executionem paratam vt habeant efficiunt. Ideoque fuit in more poſitum veteri Eccleſiæ, vt, non modo Principes vel per ſe ipſos, vel per ſuos glorioſiſſimos Iudices, ac magiſtratus Conciliis ipſorum iuſſu, & conuocatione congregatis pręeſſent, vt vidimus, ſed etiam vt ipſi Patres Conciliares definitiones ſuas cum literis ad Principes mitterenr, quibus Actorum confirmationem ſolenni formula pe tebant. Quo ad Concilium Nicænum, *c* literæ extant Conſtantini illius Concilij ſuo modo confirmatoriæ, & præceptoriæ. Primi vero Concilij Conſtantinopolitani Patres ad Theodoſium ſeniorem ita ſcribunt. *d Ea quæ facta ſunt in ſancto Concilio ad tuã referimus pietatem;---Rogamus igitur tuam Clementiam, vt per litteras tuæ pietatis ratum eſſe iubeas, confirmesq; Concilii decretum: & ſicuti literis, quibus nos conuocaſti, Eccleſiam honore proſecutus es, ita etiam ſummam eorum, quæ decreta ſunt, concluſionem, ſententia, atq; ſigillo tuo corrobores.*] Et ipſe Theodoſius congregatis ad ſe omnium ſectarum præcipuis, *e* capit cuiuſq; dogma ſcriptis proditum: Deinde ſe in locum ſeparatum ſolũ concludit; precatur obnixe, vt Deus illi ad veritatẽ eliciendam opem ferre vellet. Poſtremo dogmate cuiuſq; perlecto, cætera omnia, vtpote Trinitatis vnitatem dirimentia damnat, lacerat; ſolam autem *conſubſtantialis* fidem laudat, approbat.] Poterat etiam dici, confirmat.

c Apud Euſeb. de vita Conſt. l. 2. c. 16.

d Synodal. Conſtit. libello to. 1. Concilio rum.

e Socr. l. 5. c. 10.

LXXIV. Theodoſij huius nepos Theodoſius alter, Acta Epheſinæ ſynodi, falſis informationibus deceptus, caſſat, & abolet, & pro irritis, ac omnino nullis habenda eſſe decernit: omniaq; iterum melius tractari iubet, & ait. *f Oportet enim omnia, iuxta Dei beneplacitum, omni contentione ſecluſa, ſummoq; veritatis ſtudio adhibito, excuti; ac tum demum à noſtra pietate confirmationem expectare.*] Non tam vt inde autoritatem habeant rite definita, quam executionem, & quodammodo atteſtationem Imperialem, omnia fuiſſe rite & citra tumultus, ac fraudes peracta. Martianus quoque Imperator in edicto de confirmatione geſtorum ſui Chalcedonenſis Concilij, ait; *g ſacro noſtræ ſerenitatis edicto ſacram ſynodum confirmantes.*] Iuſtinianus poſtea ita *h* confirmauit canones veterum Conciliorum, vt vim legis haberent, de quo nos lib. 8. plura, & Conſtantinus Pogonatus factã ſynodum confirmauit. Ipſe n. ait. *i Sacram autem, ac venerabilem definitionem ſacrum Concilium edidit, cui, & ſubſcripſimus, ac piis noſtris edictis eam ſancimus, &c.*]

f Theodoſij & Valent. literæ ad ſynodum Eph. per Palladium in actis editi. Pelt. to. 3. c. 17.

g Edictum Martiani in Concil. Chalc. act. 3.

h Nouella 131.

i Inter ep. Leonis 2. to. 2.

LXXV. Hic ad finem huius ſeptimi quæſiti monendus eſt mihi lector, ne turbetur ſi legerit in regiſtro Epiſtolarum Gregorij Magni, *k* Pelagium, vel ipſum Gregorium caſſaſſe ſynodum quandam Conſtantinopolitanã; & prius Leonem caſſaſſe, & aboleuiſſe partem aliquam Concilij Chalced. Id enim liberum eſt cuique Epiſcopo, vt vbi putat errorem aliquem in aliquo Concilio ſubrepſiſſe, quantum in ipſo eſt, in ea parte Concilium caſſet; hoc eſt, non admittat, neq; in ſua Eccleſia recipi permittat, ſed contradicat. Non tamen propterea Concilium illud vere, & abſolute, & apud omnes abſq; autoritate manere intelligitur, niſi poſtquam priuata illa caſſatio, & contradictio ab vniuerſa Eccleſia laudata fuerit, & approbata, & merito facta agnoſcatur, quod ſi priuata illa caſſatio ab omnibus non admittatur, Concilio alioquin legitimo nihil nocebit. Nullas vires ſynodorum acta habere aſſerit idem *l* Gregorius, ſine ſedis Apoſtolicæ conſenſu. Quoad canones nimirum vniuerſali Eccleſiæ præſcriptos, & hoc ex conſuetudine, & iure Eccleſiaſtico: de quo alias.

k Greg l. 7. ind 2. ep. 69. & l. 4. Ind. 13. ep. 36.

l Greg. li 7. ind. 2. ep. 69.

Moneo etiam ſynodos minores, quę prouinciales dicuntur, ad ſui Primatis, vel Patriarchæ ſupremi confirmationem, iure Eccleſiaſtico, & olim pertinuiſſe, & adhuc pertinere, ad hoc tantum, vt Primas, vel Patriarcha cognoſcat, an contra fidem aliquid, & vniuerſæ Eccleſię praxim in ea fuerit ſtatutum; & hæc confirmatio nihil aliud eſt niſi atteſtatio nihil fuiſſe erratum. Nunc vero Papa, ita ad ſe auocat prouincialium Conciliorum decreta, vt ſibi caueat, ne Epiſcopi in ſuis conciliis, etiam pro optimo Eccleſiarum regimine, & ſanctorum canonum veterum obſeruantia, aliquid contra ipſius vſurpatam Hieromonarchiam decernant, vel ſtatuant, & vt Conciliorum autoritatem penitus comprimat, dum eorum decreta vult Papali confirmatione, non Epiſcopali autoritate propria corroborari. LXXVI.

Moneo deniq; nulla Concilia minora quam generalia œcumenica vnquam abſolute poſſe dici eſſe vere, & proprie confirmata, quia nulla toti Eccleſiæ vniuerſali patuiſſe pręſumi poteſt. Ideoq; Concilia minora, & non œcumenica, rem de fide non faciunt, ſed ſua priuata autoritate rem probabilem reddunt, quantum eſt ex parte autoritatis propriæ Conciliorum. Nec ea vere, & proprie erunt confirmata, etiam ſi Romanus Pont. illa confirmauerit, quia hæc confirmatio eſt priuata ſolius Romanæ Eccleſiæ, non totius Eccleſiæ vniuerſalis. Si enim toti Eccleſiæ vniuerſali Concilium illud proponeretur, ipſum fortaſſe ab aliquo erraſſe conuinceretur, aut ſaltem contradictionem rationabilem pateretur. Concilium vero nullum eſt ſufficienter confirmatum, niſi quod in vniuerſali Eccleſia vel expreſſe admittitur, vel nullam rationabilem patitur contradictionem. Ideo omnia Concilia vere œcumenica, aut abſolute confirmata ſunt, aut reprobata, aut dubia, quia omnia toti Eccleſiæ vniuerſali innotuerunt, & illa aliqua abſolute admiſit, aliqua abſolute reiecit, & de aliquibus vigent rationabiles concertationes. Prouincialia vero, & nationalia Concilia, cum Eccleſiæ vniuerſali non innoteſcant, ab ea nec confirmari, nec infirmari poſſunt; & fatetur *m* Bellarminus illa non eſſe firmæ autoritatis, niſi à Papa confirmentur; ſed in hac exceptione errat, quia Papa, vt probaui, non poteſt dare abſolutam confirmationem. Pelagiana tamen hæreſis, etiam ſi in Concilio œcumenico non fuerit vnquam diſcuſſa, in omnibus tamen Eccleſiis Chriſtiani orbis ventilata fuit, quia omnibus illa innotuit, & ab omni- LXXVIII.

m Bell. de Concil. l. 2. c. 5. & c. 14.

bus damnata eſt. Nam & in Oriente, & in Occidente Concilia prouincialia fuerunt contra eam celebrata, in Palæſtina, in Africa, in Galliis. Sed quia Concilia prouincialia, vt prouincialia, non toti Eccleſiæ facile innoteſcunt, forte erant articuli aliqui in his prouincialibus ſynodis contra Pelagianos, & Semipelagianos definiti, qui vt plenioris eſſent autoritatis, & clarioris intelligentiæ, deberent vlterius Concilio œcumenico diſcuti, & definiri; & ita toti Eccleſiæ vniuerſali, ad ipſorum tutiorem confirmationem proponi.

LXXIX. 8. *An Papa ſit ſupra Concilium?* Ex falſis ſuppoſitionibus magnam noſtri Hieromonarchici ſtruunt molem; ad Dominum Papam ſupra Concilia exaltandum, ne ille vlli ſubiiciatur, ſed ipſe ſibi Eccleſiam ſubiiciat vniuerſam, quas ſuppoſitiones quia nos fere omnes hactenus in noſtris præcedentibus tractatibus ſuſtulimus, quæſitum hoc ſatis leui labore à nobis ſoluetur. Comparatio inter Papam, & Concilia œcumenica, vel eſt in iuriſdictione illa Eccleſiaſtica, quæ correctionem ſpectat morum, & actionum; vel in fide, & rerum fidei definitione. Priorem comparationem nos totam differimus in librum octauum; in quo videbimus an Papa ſubſit iudiciis Eccleſiaſticis ſynodorum, vt ſubſunt reliqui Epiſcopi: Quoad poſteriorem vero comparationem, iam probauimus, Papam ſupra Concilia tantam non habere autoritatem, vt ſine ipſius approbatione, aut ipſo quoque renitente, & contradicente, illa vires in ſuis definitionibus non habeant. Concilia enim ab vniuerſa Eccleſia approbata, etiam Papam obligant, adeo vt ſi velit obſtinate talibus definitionibus refragari, pro hæretico, aut ſaltem ſchiſmatico ſit habendus, & vt talis merito puniendus, vt contigit Vigi-
a Supra n. 70.
lio, a qui quintæ ſynodo generali nolebat ſe ſubmittere. Et Patres Concilij Chalcedonenſis cum iam communi conſenſu definiuiſſent contra Eutychetem, & Neſtorium, & in ſubſcribendo aliqui pauci pigriores eſſent, & hæſitarent, ac inter eos Romani Pontificis legati, timentes ne definitio illa diuerſa eſſet ab Epiſtola Leonis contra Eutychetem ad Flauianum ſcripta, quia totidem verbis non erat conſcripta, clamare cæ-
b Concil. Chalced. act. 5.
perunt ad Iudices; b *Iubete ſubſcribi definitionem; contra fidem fraus non fiat, qui non ſubſcribit definitioni hæreticus eſt.*] *Omnes enim (vt habent ibidem acta) reuerendiſsimi Epiſcopi, præter Romanos, & aliquos Orientales, clamauerunt: Definitio omnibus placet, hæc fides Patrum; qui præter iſta ſapit, hæreticus eſt; qui aliter ſapit, anathema ſit: hæreticos foras mitte, &c.*] Hi ergo Concilij definitionem pleniſſimam eſſe agnoſcunt, etiam renitentibus Romanæ ſedis legatis: quos inter hæreticos reponunt, niſi ſubſcribant, tantum abeſt vt in rebus fidei Papa legem ponat Conciliis, & ſit ipſis ſuperior. Ad omnem tamen ſcrupulum eximendum, & veritatem plenius confirmandam, merito Iudices in eo Concilio noluerunt definitionem illam vt plenam, & perfectam haberi, ac in acta redigi, niſi illi etiam pauci expreſſe conſentirent, & ſubſcriberent, quod & factum eſt. Si autem ſoli legati Romani reſpuiſſent, & non ſimul cum eis illi etiam pauci Orientales reſtitiſſent, proculdubio, ijs etiam inuitis, & perperam, ac ſine cauſa re-
c Ibid. act. 16.
pugnantibus, definitionem ſtabiliſſent, c vt fecerunt paulo poſt in priuilegio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ confirmando. Nam exigua etiam pars ſi renitatur, definitio plenas vires non habet, niſi contradictio audiatur, & vel in eodem Concilio, vel in altero purgetur, ita Iudices illi ſapientes modos propoſuerunt concordiæ, & di-
xerunt. d *Si autem neque hoc veſtra velit ſanctitas, cognoſcite, quia in partibus Occidentalibus (quod propoſuerat Leo) fieri habet ſynodus, eo quod religioſitas veſtra hic noluit de vera & orthodoxa fide indubitanter definire.*] e Nonne Auguſtinus in doctrina fidei omnia Epiſcoporum (ſane cuiuſcunque Epiſcopi, nullo excepto) ſcripta cuicunque viro docto, ſed præſertim Catholico Concilio cenſenda ſubijcit, & corrigenda? ſed & Gelaſius ſupra num. 66. *Fatebatur nullam ſedem magis quam primam, tenere exequi conſtitutum vniuſcuiuſque ſynodi, quod vniuerſalis Eccleſia probaret aſſenſus.*] f Concilium quoddam Pauli Papæ Papale diploma confirmat; Concilium ergo in rebus fidei eſt ſupra Papam.
d Vbi ſupra act. 5.
e Aug. de bapt. l. 2. c. 3.
f Apud Baron. to. 9. an. 76. n. 11.

LXXX. Vir doctiſſimus Ioannes Gerſonius ex ſacra Scriptura; ex Conciliis; ex Patribus egregie eruditus, ac præſertim Concilij Conſtantienſis nixus definitioni, illam poſuit concluſionem. *Concilium generale poteſtatem à Chriſto immediate habet, cui quilibet cuiuſcunque ſtatus, vel dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, ac generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris.*] An Concilium illud Conſtantienſe res faciat de fide, non inquiro; apud me maximi ponderis eſt iſta concluſio, quia tot Patres doctiſſimi, & eorum Coryphæus Gerſonius, etiam Hieromonarchæ Romano ſua genua flectentes, & ipſius lingentes veſtigia, eam affirmarunt, & communi conſenſu ſtabilierunt: quæ ſane principiis à me hactenus poſitis, & agitatis, eſt ferme tota conformis, & Papam merito in rebus fidei ſubdit Conciliari definitioni, quam ego intelligo ſi ſit ab vniuerſa Eccleſia rite recepta, etiam ſi Papæ, quia de ipſorum agitur vſurpationibus, omnes renitantur, & contradicant: quorum renitentia, & contradictio, niſi Theologice fundata ſit, & vt rationabilis ab vniuerſa Eccleſia agnoſcatur, concluſioni illi nihil poteſt derogare: Nauarrus quoque Papatui addictiſſimus, Papam tamen ſupra Concilium euehere non potuit, ſed g probabile eſſe aſſeruit ipſum Concilio generali ſubeſſe.
g Nauar. in c. Nouit. de iud. notab. 3. n. 6.

LXXXI. Pariſienſes ſane in vtranque partem claudicarunt, nam & Deo vero veritatem aliqua ex parte ſeruauerunt, & ſuo Baal obſequium præſtare voluerunt, ideoque quæſtionem hanc de ſuperioritate Concilij ad Papam, perplexam fecerunt, ac proinde inter ipſos, & Romanos cæcorum pugna perpetuo inſtauratur, hoc eſt Andabatarũ more inter ſe digladiantur. Summam quandam poteſtatẽ Monarchicam in Eccleſia eſſe inter ſe conſentiunt; ſed eam vni prius datam communitati Eccleſiæ quam Papæ, alteri contra Papæ ſoli datam contendunt: Poteſtas enim in Eccleſia faciendi rem de fide nulla eſt, tota fides à Deo reuelata eſt in ſcripturis: Poteſtas interpretandi ſcripturas non eſt vlli certæ perſonæ, aut generi perſonarum, aut Conciliis obligata. Sed notitia neceſſaria ſcripturarum vel eſt in ipſiſmet ſcripturis, vel per Apoſtolos, ac viros Apoſtolicos prædicata & tradita in Eccleſia vniuerſali conſeruatur, vt iam explicaui. Et vbi agam de priuilegio Papæ, vel Eccleſiæ, vel Patrum, in rebus fidei declarandis, ſequentibus tribus capitibus multo fuſius explicabo. Solam enim in his omnibus indagatiuam, oſtenſiuam, & atteſtatiuam inueniemus poteſtatem, nullam

proprie decretiuam, & iudicialiter definitiuam. Igitur de ſumma in hoc poteſtate velle decertare, eſt pro re tantum ſomniata, & conficta, & quæ à parte rei non reperitur, pugnam inire. Quoties Cõcilium inuenit veritatem, & ex atteſtatione vel expreſſa, vel virtuali vniuerſalis Eccleſiæ conſtiterit Concilium non erraſſe, tunc fidelis quicunque, cuiuſcunq; gradus, & conditionis ſit in Eccleſia, veritati illi ſubijci tenetur; & in hoc ſenſu Papa quoq; perpetuo ſuberit Concilio, & nunquam poterit iure ſibi Concilium tale ſubijcere.

LXXXII. Audaciſſimum ſane, ac prorſus intolerabile mihi videtur noſtrorum Hieromonarchicorum dictum; *a Papam videlicet, quatenus eſt Præſes in Concilijs, teneri definire cum pluribus, & iuxta ſuffragia in rebus fidei iudicare. At vero quatenus eſt Princeps Eccleſiæ, non teneri ſequi maiorem partem; & eſſe paſtorem, & caput omnium Eccleſiarum, etiam ſimul iunctarum.* Hunc Principatũ, & hanc ſuperioritatem totam ei iam eripuimus: & oſtendimus, iure diuino omnes Epiſcopos, etiam incluſo Romano, eſſe penitus pares; & illos omnes non habere vllam aliam niſi miniſterialem poteſtatem; ac in ſolidũ æque omnes animas paſcere, Eccleſiamq; gubernare. Iſtaque in meis præcedentibus libris abunde probantur, & demõſtrantur. Eſt ne talis ille Principatus, vt ſi totum Concilium optimis, & conuenientibus ſcripturarum, atq; antiquitatis documentis, verum in aliquo dogmate Scripturæ ſenſum inuenerint, & confirmarint, ipſe cum nihil habeat quod opponat, poſſit nihilominus contrarium circa fidem definire? poteſt ne aliquid magis ſtultum, magisq; impium in piis fideliũ auribus inſonare? ergo ne vt Papa ſit ſupra Concilium debet poſſe legitime, relicta veritate, apertas falſitates Chriſtianitati obtrudere, & articulos fidei proprios nouos cudere? O inſaniam inſaniſſimam, & ita re vera contingit; idque in dies experimur; Sic enim tot articuli falſiſſimi pro veris articulis fidei Papalibus Eccleſiis ſunt obtruſi; quorum nulla alia aſſignatur ratio, nullum fundamentum, niſi quia Papa ſic vult, ſic iubet, Eccleſiæ Princeps, ſcilicet, qui ſe fecit Principem ſupra Concilia, ne corripientem habeat, & corrigentem, vt optime Patres Concilij Baſilienſis obſeruarunt. b *Nil aliud, (inquiunt) Papa prætendere videtur, niſi vt Eccleſiam peſſundet, iuſque ſibi, & ſucceſſoribus faciat, non ſolum abrogandi ritum ſacrorum Conciliorum, & ea pro libito diſſoluendi, ſed & ipſorum ſacratiſſima decreta. Spiritu Dei promulgata, à quibus ſtatus pendet vniuerſalis Eccleſiæ, irritandi, & abolendi, & præſertim declarationem illam, quod in iis quæ ad fidem, extirpationem ſchiſmatis, & generalem Eccleſiæ reformationem in capite, & in membris pertinent, quilibet, etiam Papalis dignitatis, decretis generalis Concilij ſubijcitur.*] ſed ipſum papale fundamentum ſubruamus.

a Bellar. de Concil. l. 2. c. 18. ad fin. & c. 21. & lib. 2. c. 15

b Concil. Baſil. ſeſſ. 32.

LXXXIII. *Papam eſſe caput ſupra Concilia ex eo contendunt Hieromonarchici, quia ipſe eſt caput, & Paſtor Eccleſiæ vniuerſalis.* Hoc tamen eſt merum commentum vaniſſimum, vt in præcedentibus, præſertim lib. 4. cap. 7. oſtendi. Neque ergo ipſe eſt ſupra ſingulas, præter ſuam Romanam, neque ſupra vniuerſas Eccleſias. Eſt vnus ex illis paſtoribus, quibus ſingulis c portio gregis Dominici, vt loquitur Cyprianus, eſt aſſignata; qui ſimul, & in ſolidum cum reliquis Epiſcopis, & Chriſti miniſtris Dominicum gregem paſcit. Si ſingulis Epiſcopis, & miniſtris ille iure diuino præeſſet, quod Pariſienſes perperam concedunt, profecto etiam vniuerſis ſimul iunctis ipſe præeſſet: ſicut Imperator exercitus non modo ſingulorum militum ſeorſim ſumptorum caput eſt, & rector vniuerſalis, ſed etiam totius exercitus ſimul iuncti, & ita res ſe habet vbicunque Monarchicum verum adeſt regimen. Non ita in Ariſtocratico, vel Dimocratico magiſtratu, vbi ſinguli ſubſtant vniuerſitati, vel populi; vel optimatũ; illa enim vniuerſitas regit, & ſingulos ſubditos, & ipſoſmet ſuos magiſtratus, ipſa vero ſimul iuncta à nemine in terris regitur. Fruſtra igitur admittunt Pariſienſes Monarchiam iure diuino in Eccleſia inter Epiſcopos, & miniſtros, & poſtea negant Monarcham præeſſe toti Eccleſiæ ſimul iunctæ: ſicut, & perperam admittunt Regem Monarcham politicum, & poſtea negant ipſum eſſe ſupra regnum ſimul ſumptum. Sic enim à Monarchia deflectunt ad Dimocratiam, vt oſtendi lib. 6. cap. 2. Quoniam igitur Eccleſia vniuerſa, quo ad regimen miniſteriale, remotiſſima eſt à Monarchia, & partim vergit ad Ariſtocratiam, partim ad Dimocratiam, vt lib. 1. oſtendi, iccirco ipſa vniuerſa, quæ eſt conſeruatrix doctrinæ fidei, ſibi ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, ſiue viua voce, ſiue per ſcripturas traditæ nullũ in terris ſupra ſe habet magiſtrum, aut doctorem, aut caput, aut paſtorem, à cuius gubernatione & inſtructione in fide illa pendeat, ſed ab ipſa quæ eſt fidum ſacrarum ſcripturarum, & Apoſtolicæ prædicationis repoſitorium, veritatem petere, & diſcere debent ſinguli, non modo oues, ſed etiam paſtores; quippe Eccleſiæ vniuerſæ famuli, & miniſtri, ac membra, non domini, non capita, non Reges, & Monarchæ; ſinguli quidem paſtores ſunt ſui partialis gregis capita miniſterialia, & magiſtri; ſed qui, & Scripturam, & fidem, & doctrinam totam reuelatam ab vniuerſa Eccleſia quæ eſt d radix, Sol, fons, tenentur accipere, & hoc proprio capite ſequenti fuſius explicabitur. Papa igitur cum non ſit ſupremus paſtor totius Eccleſiæ, ſed vnus ex ipſius miniſtris, qui nihil tuto poteſt docere, niſi prius id ab vniuerſali Eccleſia rite acceperit, non poteſt conſequenter eſſe Concilio generali ſuperior, cum ſit vnus duntaxat ex illa vniuerſitate, quę ſimul iuncta docet, & inſtruit ſingulos fideles, etiam paſtores.

c Cypr. l. 1. ep. 3.

d Idem Cypr. de ſimpl. præl.

Mirabile eſt, quam ſæpe in ſuis annalibus Baronius Papam conetur maiorem, & maioris autoritatis, in decretandis etiam rebus fidei, facere, quam ſint ipſa Concilia vel Oecumenica. Et ſane perpetuo id præſtat tam inepte, vt nauſeam moueat cuique, qui vel minimum iudicio polleat. Inanis profecto eſſet labor, ſi vellem omnia, & ſingula refellere, quæ in hoc genere ipſe ex rebus geſtis in Eccleſia profert. Vnicum exempli gratia, locum libet cõſiderare, ex quo reliquæ ſimiles hominis ineptiæ cognoſcantur. Cum primum imperitus Monachus ſenex delirus Eutyches ſuam cæpit hæreſim in vulgus edere, Flauianus Patriarcha Conſtantinopolitanus, vt in ſimili caſu fieri ſolebat, coacta ſua prouinciali ſynodo, illum damnauit. Ille vero cum ſuos haberet fautores, illorum confidentia, ſuas in Flauianum querimonias apud Imperatorem Theodoſiũ iuniorem depoſuit; deceptus Imperator iam cogitabat de indicendo Concilio œcumenico altero Epheſino, vt in eo cauſa Eutychetis, ipſiuſque damnatio à Flauiani ſynodo data, diſcuteretur, & ad cenſuram reuocaretur. Tunc Flauianus pro publica Eccleſiæ cauſa ad Romanum Pontificem Leonem per literas confugit, atq; ita inter cætera ad eũ ſcribit. e *Commotus itaq;, ſanctiſſime Pater, in his omnibus quæ ab eo præſumpta ſunt; & ob ea quæ in nos, & ſanctiſſimam Eccleſiam facta ſunt atq; fiunt, pro conſueta fiducia fiducialiter age, ſecundũ quod ſacerdotio cõpetit; propriamq;* LXXXIV.

e Inter ep. Leonis, poſt ep. 10.

 faciens

faciens communem cauſam & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam, ſimul decernere damnationem aduerſus eum regulariter factam; & per propria ſcripta dignare confortare autem; & piiſſimi, & Chriſto dilectiſſimi noſtri Imperatoris fidem. Cauſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio, atq; defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatē, & pacem cuncta perducere: ſic enim hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam factæ ſunt, facile deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſanctiſſimas literas: remouebitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbiq; ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.]

LXXXV. His relatis Baronius miram ſuam ſubdit obſeruationem, hoc pacto. a *Quibus intelligis tantam vim ineſſe literis Apoſtolicis, vt Concilio dicat nō indigeri œcumenico id quod eiuſdem Romani Pontificis fuiſſet literis definitum.*] Sed nihil aliud hinc habere poteſt, niſi Flauianum fore ſperaſſe, ſi Leo quoq; ſuis literis Eutychetis hæreſim damnaret, & conſequenter damnationem Flauiani corroboraret, vt Concilium œcumenicum ab Imperatore iam conceptum facile poſſet euitari. Non ex ſolis Leonis literis ſpem hanc concipiebat, ſed ex ipſis ſuæ ſynodali damnationi coniunctis. Sed neq; ſynodus Flauiani, neq; literę Leonis indictionem, & congregationem, & infelicem celebrationem œcumenicæ ſynodi ſecundę Epheſinæ euitare potuerunt. Tantum vero abeſt vt ſtantibus literis Leonis contra Eutychetem, ſane pulcherrimis, & doctiſſimis, & elegantiſſimis, Concilio res non indiguerit, vt earundem vſus literarum contra Eutychetē in Concilio Chalcedonenſi non fuerit iudicatus tutus, niſi prius ipſæ literæ, vt ſuperius monui, fuiſſent in ipſo Concilio conciliariter diſcuſſæ, & approbatæ. Sperabat etiam Flauianus ipſius ſynodum ad damnationem Eutychetis ſatis futuram, ſi Leonis literæ ei coniungerentur, ac ſic magni Concilij incommoda euitanda. Sed in magna alicuius hæreſis perturbatione, neq; Concilia prouincialia, neq; Papales literæ ſufficiunt, ſed maior cura œcumenici Concilij eſt adhibenda. Interdum tamen ſynodi prouinciales, cum addita etiam Romanæ ſedis diligentia, potuerūt nouos ſurgētes hæreticos comprimere, & Concilij generalis conuocationem euitare, vt contigit Pelagio. Quia reliqua tota Eccleſia ijs aſſenſit. Nunquam tamen ſine aliquo Concilio hæreſis vlla compreſſa eſt; à ſolo præſertim Pontifice Romano.

a Baron. to.6.an. 449.n. 9. 10.

LXXXVI. Placuit Bellarmino in ſuo tractatu de Conciliis in genere, ad ſpeciale Concilium Tridentinum deſcendere, vt Proteſtantium conditiones octo reijciat, quas illi, dum celebrabatur aduerſus ipſos Cōcilium Tridentinum, proponebant ad legitimum Concilium celebrandum. Placet mihi etiam de eadem re cum Bellarmino paucis agere, & conditiones veras ac iuſtas; omninoque neceſſarias ad legitimum in tot controuerſiis Concilium vniuerſale, & proficuum celebrandum inuenire, & confirmare. *Octo ait Bellarminus fuiſſe tunc à Proteſtantibus requiſita.* b Primo, vt antequam fiat ſynodus irritentur omnia acta Concilij Tridentini. Secundo, vt Concilium fiat in Germania: Eſt enim canon Eccleſiaſticus apud Cyprianum lib. 1. Epi. 3. vt illic lites iudicentur, vbi exortæ ſunt. Tertio, vt Pontifex Romanus nō indicat Concilium, nec ei præſit, ſed ſit altera pars litigantium, quandoquidē ipſe eſt qui accuſatur, & nemo debet eſſe ſimul iudex, & pars. Quarto, vt ex ſola Scriptura diuina ſententiæ ferantur, nō ex traditionibus, vel canonibus. Quinto, vt deciſio non fiat penes ſuffragiorum pluralitatē, ſed vt iuxta normam verbi diuini pronuncietur. Sexto, vt Romanus Pontifex abſoluat omnes Prelatos iuramento fidelitatis, quo ei obſtricti ſunt. Septimo, vt Theologi principum, ac ſtatuū confeſſionis Auguſtanæ, & non minus, quam Epiſcopi in Concilio ſententias, ac voces deciſiuas proferre permittantur. Octauo, vt detur ſaluus conductus ab Imperatore non ſolū perſonis, ſed etiam ipſi cauſę principali; id eſt, vt nec perſonæ poſſint puniri, ſi nolint Cōcilio aſſentiri, nec fides, & cōfeſſio Lutheranorū poſſint dānari, etiamſi Theologi Lutherani eā defendere non potuerint. Cum his conditionibus dicunt ſe Concilium toto pectore optare, & hoc vere pium, & liberum Concilium ſe vocare.]

b Bellar. de Concil. l.1.c.21.

LXXXVII. Singula deinde hæc requiſita, ſeu ſingulas has cōditiones pergit Bellarminus reſpuere, & confutare. Sed certe immerito. *Prima conditio eſt neceſſaria* ſi nō vt irritentur acta Concilij Tridentini, ſaltem vt ſuſpendantur, nec in rem iudicatam tranſiiſſe ſupponatur. Cum enim Proteſtantium doctrina, ipſis inauditis in eo Concilio damnata fuerit, æquum eſt, vt vbi audiri velint, ex iam facta damnatione, nullū ipſorum defenſioni fiat præiudicium. An vero damnāda ſint illa acta, & irritanda, an vero confirmāda, poſtquam accuſatores, & contradictores auditi fuerint, in ſynodo generali ſtatuetur. Decreta profecto Concilij Tridentini in rem iudicatam non tranſiiſſe, multa conuincunt. Primum quia Concilium non fuit generale, vere œcumenicum, ſiquidē ex toto Oriente nulli penitus affuerunt, imo ne vocati quidem fuerunt. Secundo quia ex ipſo etiā occidente plurimæ, & maxime inſignes Eccleſiæ abfuerunt, puta tota Anglicanā, & maxima pars Germanicarum. Tertio quia Gallicana tota Eccleſia actis illis reſtitit, nec ea voluit admittere, aut approbare, multo minus ea, totius Orientis Eccleſiæ fere omnes, Anglicana, Germanicæq; plurimę, receperunt: ſed omnes contradixerunt, & contradicunt. Quod ſi propter pauciſſimos cōtradictores Concilij Chalcedonenſis definitio obtinere nō potuit, ſed aliud erat conuocandum Concilium, niſi & illi conſenſiſſent, vt ſupra vidimus n.79. cur vbi maxima pars Eccleſiæ vniuerſalis contradicit, Concilij Tridentini acta valida erunt? Quarto quia in eo Concilio Papa per ſuos Legatos dominus fuit, & Tyrannus: nihil enim tractari potuit, niſi proponentibus legatis, & libere diſſerentes, illi, minis etiam vbi blanditiæ non ſuccedebant, ſilere aut abire cōpellebant Epiſcopos. Quinto quia non pondus, ſed numerus ſuffragiorum rem decernebant, numerus vero erat vel ex Epiſcopis titularibus ad ſpeciem; qui nullius Eccleſiæ erant Epiſcopi in actu; vel ex illiteratis, aut Iuriſtis, in Theologia penitus infantibus, vel demum ex pauperibus, aut ambitioſis, qui Papæ partes, pecuniis ipſius, & beneficiorū, ac dignitatum ſpe lactati, contra ius, faſq; ſequerentur. Sexto quia Concilium alios non habuit, niſi eiuſdē ſententiæ iuratos homines in vnum conſpirantes; contrarias ſententias, pro quibus, imo contra quas Concilium illud fuit congregatum, qui explicaret, & defenderet, nemo aderat. Sic Auguſtinus Cypriani Concilium pro Anabaptiſmo factum erraſſe cēſet; *quia c tūc (inquit) non exiſterant niſi qui ei conſuetudinem opponerent, definitiones autem ipſius conſuetudinis non tales afferrent quibus illa talis anima moueretur, noluit cedere.*] Sic factum eſt in Concilio Tridentino: Opponebantur Proteſtantium opiniones, ſed earum definitiones qui afferrent, nulli erant: Ideo Concilium ſimiliter atq; illud Cypriani lapſum eſt. Septimo quia Principes etiam Chriſtiani ſuæ ditionis Epiſcopos in eā ſententiam propēdere cōpellebant, quæ non Chriſti, Eccleſiæq; cauſam, ſed ipſorū hu-

c Aug. de bapt. l.2.c. 8.

manā

mana conſilia promoueret. Sunt & aliæ cauſæ quæ Concilio illi omnem auferunt autoritatem, quas breui ſpero perfectiſſima hiſtoria explicabit: ſed hę ſunt præcipuæ cur acta illa ſint omnino in bene regulato Concilio retractanda.

LXXXVIII *Secunda conditio proculdubio iuſta eſt, & valde neceſſaria*, vt & tuto, & commodo, & opportuno loco fiat Concilium, in quo abſque vllo metu, aut timore veritas poſſit libere, & ſincere aperiri, ac proinde locus deberet eſſe ſub talis Principis ditione, à quo vis nulla timenda; ac proinde liberæ ciuitates Imperij, in quibus libertas eſt plena reformatæ, & reformandæ religionis, ad hoc ſunt aptiſſimæ; ſed cum colligatione mutua Principum, tam Romano Pontifici, quam religioni reformatæ addictorum, qui interim dum controuerſiæ diſcutiuntur vniti, vtriuſque partis perfectam libertatem in Concilio tueantur.

LXXXIX. *Tertia conditio, eſt ſummopere neceſſaria.* Indicere enim Concilia œcumenica eſt Principum magis quam Papæ, ac præſertim vbi de ipſa Papali poteſtate eſt diſſerendum. Id ego fuſe probaui lib. 6. c. 5. ſed neque Papa per ſe, aut per ſuos legatos pro modernis controuerſiis præſidere debet, vllo genere præſidentiæ, quia ille doctrinalia pro ſuo commodo, & non pro veritate diriget. Maxima n. nunc controuerſia in Concilio generali diſcutienda eſt; An Papa ſit Dominus abſolutus Eccleſiæ, & Iudex primus ac ſupremus controuerſiarum fidei; & inferior, an ſuperior Conciliis; & an ſibi multam poteſtatem ille arrogauerit tam in Eccleſiam vniuerſalem; & Epiſcopos, quàm in Principes etiam Chriſtianos; in his enim petra illa ſcandali, & tot ſchiſmatum, ac diuiſionum cauſa conſiſtit. Cur ergo in hac concertatione ille præſideat, cuius poteſtas etiam hæc ipſa prætenſa præſidendi ad examen eſt neceſſario reuocanda? Præſidentia ergo doctrinalis, iuſſu Principum, & Concilij conſenſu dari deberet duobus, aut quatuor maxime doctis, diſcretis, & pacatis viris Eccleſiaſticis, ex æquo Romanæ, ac reformatæ religionis; cum ſola illa poteſtate Præſidum quam n. 42. & ſeqq. explicaui. Ad interlocutorias vero, & pacem; ac tranquillitatem Concilij Iudices à Principibus, viri ſimiliter & docti; & diſcreti, ex æquo ſimiliter vtriuſque partis, deputentur, cum ipſorum Principum aſſiſtentia, vt poſui ſupra num. 57. & ſeqq.

XC. *Quarta conditio eſt & ipſa maximè neceſſaria.* Sola enim ſacra Scriptura eſt illud vnicum penu in quo omnia à Deo reuelata, noſtram fidem requirentia, continentur, vt oſtendi cap. 2. huius. Explicationes vero dogmatum, & ſcripturarum obſcuriorũ, maxime ex Apoſtolorum Apoſtolicorumq; virorũ prędicationibus ſunt petendæ: & pro Scripturę declarationibus verus primitiuę Eccleſiæ ſenſus inquiratur, etiam ſi illũ ipſa primitiua Eccleſia ex traditionibus nõ ſcriptis habuerit. Nunc verò Traditiones non ſcriptas obtrudi, non eſt tolerandũ; quia iã veras nullas habemus: vt ꝓbaui cap. 2. huius. Inſeruiãt antiquæ definitiones primorũ quatuor Conciliorum: Et quæ ſemel in illis Cõciliis, aliiſuę legitimis, & in tota Eccleſia vniuerſali ſemp contra omnem contradictionẽ admiſſis, definita sũt, & approbata non amplius retractentur, ſed pro infallibili regula aſſumantur. Vrget Bellarminus iã definitum eſſe in Concilio Tridentino, Traditiones eſſe recipiẽdas. Nos a. oppoſuimus Concilio illi multas nullitates; & illis oppoſitionibus addimus definitionẽ illã factam eſſe à ſolis quinq; Cardinalibus, & in totum 48. Epiſcopis, qui Concilium œcumenicum non poſſunt efficere, veras tamen traditiones, ſi vllę habentur, non reſpuimus.

Quinta conditio quam neceſſaria ſit, ſatis eſt à me ſupra explicatum n. 28. huius cap. vera enim & ſolida definitio Concilij erit, quando in colligendis ſuffragiis illa ſententia obtineat, cui nemo poſſit, ſcripturis, aut antiquitate bene armatus & fundatus, contradicere. Ac propterea nemini liceat contradicere per ſolum *non placet*, Sed teneatur ſuã contradictionem ſcripturis, & antiquitate cõmunire, hoc ſi nõ poſſit, intelligendus eſt omnino aſſentiri. Quod ſi contradictio ſit bene fundata, & quæ omnino tolli per alios aduerſa ſentientes non poſſit, neq; ille interim aduerſam ſententiam omnino tollat, tunc controuerſia remanebit in illo Concilio indefinita, cum libertate vtriuſq; partis opinandi, & tunc neutra alteram damnabit, ſed vtraq; alteram tolerabit, res enim controuerſa non erit ex neceſſariis. XCI.

Sexta conditio eſt & ipſa neceſſaria; vt videlicet, vel Papa abſoluat Epiſcopos à iuramento fidelitatis, quo iam ſibi obſtringit omnes Epiſcopos, eoſq; obligat Sacramento, vt Papatum tueantur: vel ſaltem ſupponãt, & iuſte ac legitime, omnes & ſinguli quicunq; tali iuramento obſtricti fuerint, ſe iniquo iuramento obligaſſe, quod ipſo iure coram Deo nullum ſit; iurare enim ſe velle rem iniquam defendere, eſt ſe vinculo iniquitatis obſtringere. Illegitimum porro, & iniquum iuramentum non indiget irritatione, quia ipſum ſe ipſum irritat. Fuit olim legitimum iuramentum, quo ordinatus ſe ſuo ordinatori ad fidem Catholicam retinendam, & obedientiam canonicam præſtandam obligat. Mox Papa ad ſe tyrannice traxit iſta iuramenta, eaq; peruertit, & pro vſurpato Papatu tuendo vinculum fecit iniquitatis, vt probaui lib. 3. c. 10. n. 40. l. 4. c. 7. n. 52. & l. 6. c. 7. n. 102. Quomodo igitur libere ſententiam dicet circa Papalem poteſtatem, qui religione Sacramenti putet ſe ad defendendum Papatum talem; qualis eſt obligatum? Deponendus igitur hic inanis ſcrupulus eſt, & pro veritate indaganda vinculum iniquitatis veritati præiudiciale eſt exeundum. XCII.

Septima conditio ex hactenus à me hoc ipſo capite explicatis redditur omnino neceſſaria, vt reformatæ religionis doctores ſuas contradictiones, quas faciunt Romanæ religioni proponant libere, eaſq; explicẽt, & earum fundamẽta ex Scriptura, & antiquitate aperiant. Quorum ſententia ſi tam bene fundata inueniatur, vt pars aduerſa cõtradicere ex ſcripturis, & legitimis documentis non poſſit, cur Reformatorum ſententia non debet obtinere? cur ipſorum ſuffragia pondus non habebunt? Cur etiã deciſiua non erunt, ſi contradictionẽ non habeãt; aut ſi habent, tota per ipſos reformatos tollatur, & argumenta contraria penitus ſoluantur? Nec ideo ſolutũ non erit argumentũ, quia verboſe quis renititur, facile n. patebit quando quis ſolis verbis, quãdo a. re ipſa reſiſtit. Si itaque iudicium in Concilio fiat ex pondere vt explicaui, non ex numero ſuffragiorum, ita vt pro ſuffragio non numeretur illa quę per ſolum *placet*. vel *non placet* fit contradictio, ſed illa quæ bonis documentis ex ſcripturis, & antiquitate approbata obiiciatur, cui ab aduerſa parte non ſiat ſatis, Concilium erit rectum, & bene ordinatũ, nec vlla pars timere poterit ne numero ſuffragiorũ mutorũ obruatur. Muta n. ſuffragia per verbũ *placet* etiam nulla reddita ratione pro ſententia admitti poſſunt, & numerari, vbi nullam ſententiam XCIII.

iam habeat contradictionem. Sed contradictionem repellere per ſola muta ſuffragia, *nonplacet*, nō debet licere; nam ſi omnes Conciliares dicunt, *placet*, & vnicus infimus aliquis ex angulo prodeat, & contradicat per ſuum *nonplacet*, Scripturasque, & documenta ſolida, aut quæcunq; obiiciat; niſi prius communi conſenſu contradictio exhauſta fuerit, & penitus ſublata, omnia illa reliqua, *placet*, non definiunt. Hocenim eſt pondere, & non numero ſuffragiorum definire.

XCIV. *Octaua conditio* demum ex aliis ſeptem præcedentibus redditur perquam neceſſaria. Et falſum eſt in Concilio Tridentino datum, aut oblatum fuiſſe Proteſtantibus ſaluum conductum liberum. Illi enim ſaluiconductus qui oblati fuerunt ſeſſ. 13. 15. & 18. captioſi ſunt, & meræ decipulæ. Bene ſciebāt noſtri Papę, ſi reformatę religionis doctores in Cōcilium venirent, & diſſerendi eis plena daretur facultas, Papatum ipſorum in ſummum diſcrimen vocatum iri, ideo tales ſaluosconductus offerebāt, quibus terrefierent potius, quam inuitarentur. Poſcebant illi ſaluumconductum talem prorſus, & totidem verbis, qualis datus fuit Bohemis in Concilio Baſileenſi, nec ipſum obtinere vnquam potuerunt, quia taciti reſeruabant ſibi Papæ, vt poſſent ipſi datam fidem per Imperatorem fallere, & ad necem quos vellent rapere, vt factum fuit in Concilio Conſtantienſi, ad perpetuam Sigiſmundi Imperatoris, & illius Concilij infamiam, contra Ioannem Hus, & Hieronymum Pragenſem. Propterea ſaluiconductus in Tridentino fiebant nomine ſolius ſynodi, nomine vero Papæ (qui ſe ſupra ſynodos extollit, & quem ipſamet Tridentina ſynodus ſuperiorem agnouit, & ſe ipſam ei ſubiecit) non dabantur, neque vlla in ipſis Papæ mentio fiebat, quę erat mera decipula: ſed aliis etiam deſtituebantur conditionibus, quas illi iuſte requirebant, re vera vt viderentur ad liberum Concilium inuitari, ſed tamen prorſus non accederent, & ita poteſtas Papalis in Concilio non examinaretur. Hic enim fuit ſcopulus, hoc ingens periculum, cuius timore, durante tandiu Concilio Tridentino, Papæ trepidarunt, ne ſi ad ſcopulum hunc Patres Papatum adducerent, ipſe naufragium faceret. Ideoq; illa fuit Paparum, & legatorum in eo Concilio, cura præcipua, ne de Papali poteſtate vlla ratione ageretur, ſed ab eo ſcopulo omnes ad eum accedentes auerterentur. Cæcus profecto omnino eſt qui non videt quantum Papæ ſuo iuri Papatus diffidant; imo certo eos ſcire planę animaduertat, ſe ſuum Papatum non niſi vi poſſe tueri. Omnia enim quæ à Proteſtantibus in controuerſiā vocata fuerant in Concilio illo vtcunque tractari, & definiri voluerunt, controuerſiam vero, quam de Papatu maximam, & præcipuam ipſi proteſtantes mouerant, vt ſilentio penitus obuolueretur, tota induſtria, totaq; vi effecerunt. Si omnes controuerſiæ in Eccleſia Catholica ſemper ſunt per Concilia agitatę, & definitæ, cur controuerſia de Papatu nullo vnquam in Concilio fuit agitata, quia nulla ratione, etiam apud Pontificios poteſt ſubſiſtere. Poſteriorem vero illam octauæ conditionis partem, ſi reliquæ adſint conditiones, non puto à Proteſtantibus requiri, illa enim eſt penitus intolerabilis, & quiſque doctus paratus eſſe debet aſſentiri veritati illi, cui refragari nulla ratione poſſit. Vtinam tale Concilium, cum his iuſtiſſimis, & maxime neceſſariis conditionibus, Principibus Chriſtianis vtriuſque partis inter ſe conuenientibus, ipſorum iuſſu ductuque cōuocaretur, & celebraretur; adeo enim confido diuinæ bonitati, vt non dubitem in tali Concilio diſſenſiones omnes circa fidem, & religionem facillime ſedatum iri, & vniuerſalem concordiam conſecuturam. Hæ enim conditiones omnem ſynodum pacatam, & optime rectam, ad veritatem facillime poſſunt ducere: & ſine his, olim etiam, turbulentæ non paucæ fuerunt ſynodi, quæ in ſolas contentiones inutiles, imo pernicioſas, & ſchiſmatum confirmatiuas abirent, de quibus merito queritur a Nazianzenus, eas bonum finem vix habere; & Auguſtinus fatetur ſe veritatem habere b non ex Conciliis contendentium Epiſcoporum, non ex diſputationibus nouitiis, &c.] Quæ incommoda per has conditiones, & à me datas obſeruationes facile poſſunt euitari.

a Naz. epiſt. 42.
b Augu. de vnit. Eccl. c. 10.

CAPVT IV.

Eccleſiam non eſſe in fidei controuerſiis Iudicem veritatis, ſed Theſaurum, & teſtem.

SVMMA CAPITIS.

Eccleſia vniuerſalis, quæ vere eſt & dicitur Catholica, quatenus in ipſa conſeruantur omnes veritates Catholicæ, ei à Chriſto & Apoſtolis, etiam ſola voce traditæ, poteſt eas ſua teſtificatione proferre, & ſic tollere controuerſias: indeque duntaxat ipſa eſt columna & firmamentum veritatis. Sed ex ſe ſua propria iudiciali poteſtate ſine periculo erroris in his nihil poteſt. à n. 1. ad num. 7.

Eccleſiam eſſe veritatum teſtem, & non proprie magiſtram probatur Patrum teſtificationibus, ac explicationibus doctrinum præſertim Eccleſiæ primitiuæ afferentium: Irenei n. 8 9 10. 11. Tertulliani n. 12. 13 14. Origenis n. 15. Cypriani n. 16. Athanaſii n. 17. Baſilii n. 18. Epiphanii n. 19. Hieronymi n. 20. Auguſtini n. 21. ſed fuſe & præclare. Vincentii Lyrinenſis n. 22. 23. 24. Leonis Papæ n. 25. & aliorum n. 26.

Eccleſiam vero, excepta hac teſtificatione, in qua error non poteſt contingere, ſi aliud tentet, & velit propria autoritate res fidei definire, in errores grauiſſimos poteſt labi: & hoc contra Bellarminum vrgetur n. 27. & 28. & contra alios n. 29. 30.

Si quid

I. SI quid poteſtatis habet Eccleſia circa res fidei, id non habebit niſi illa, quæ vera eſt Eccleſia Chriſti vniuerſalis, quæ Catholica dicitur, quam videlicet Apoſtoli, Apoſtolicique viri in toto orbe fundarunt, quæ eſt corpus ſub capite Chriſto, omnium nimirum Chriſti fidem integram ſub Sacramentis profitentium, vt plenius capit. 10. explicabo: vbi oſtendetur quinam ſint qui proprie conſtituant Eccleſiam, & qui ab ea excludantur; & num viſibilis ſit, num inuiſibilis. Ibi enim hæc, & ſimilia diſcutiendi erit locus opportunior; ſolam hanc Eccleſiæ poteſtatem hoc capite explicandam aſſumo, qua res fidei poſſit illa diiudicare. Illudque ſtatuo, Eccleſiam, quicquid in hoc genere poteſt, ſola poſſe teſtificatione, eo prorſus modo, quo primo huius libri capite oſtendi ipſam Eccleſiam Scripturas canonicas à non canonicis diſcernere: quatenus nimirum ipſa eſt depoſitorium, penu, & theſaurus in quo & libri canonici, & omnes neceſſariæ ad ſalutem dogmatum explicationes fida traditione conſeruantur. Non ergo in dubiis recurrimus ad Eccleſiam, vt ipſa nobis in actu ſignato, velut autoritatiuus Iudex, decernat, hoc ita intelligendum eſſe; & firma fide credendum, vt ipſa iudicialiter pronunciat, & ſtatuit; ſed ad eam recurrimus, vt videamus quid illa in actu exercito in propoſita difficultate credat, & quomodo ab Apoſtolis edocta fuerit, & in illius dogmatis intelligentia firmata. Atque ita autoritas Eccleſiæ in autoritatem legitimarum traditionum diuinarum reſoluitur, quarum conſeruatrix eſt Eccleſia vniuerſa; & vbi dubium inſurgit, ipſa teſtatur doctrinam ſibi ab Apoſtolis traditam, & penes ſe conſeruatam ita ſe habere. Quicquid ergo Eccleſia in hoc genere poteſt, id per ſolam veram traditionem poteſt; & traditionum atque Eccleſiæ in hoc eſt vna & eadem facultas.

II. Tunc igitur erit tuta, & firma Eccleſiæ teſtificatio ad verum ſenſum Apoſtolicum in dubiis fidei cognoſcendum, quando appareat Eccleſiam ex vera, & indubitata traditione Apoſtolica penes ſe conſeruata ſuum reddere teſtimonium. Vera autem, & indubitata traditio eſt, vt plene probaui capit. 2. illa, quæ vbique, apud omnes, & ſemper viguit, ac pro vere Apoſtolica, recepta, habita, & conſeruata fuerit. Hinc eſt, quod atteſtatio præſentis etiam vniuerſalis Eccleſiæ, tuta non ſit, neque pro regula fidei habenda, niſi conſtet id dogmatis quod nunc tota Eccleſia profitetur, & firma fide tenet, fuiſſe vbique, apud omnes, & ſemper ita in tota Eccleſia traditum, habitum, & firma fide creditum. Quare regula hæc, quæ ex Eccleſiæ atteſtatione petitur, vt compendioſius inſeruiat, ſatis eſt ſi inueniatur quid antiqua primitiua Eccleſia vniuerſalis in propoſito dubio crediderit, & edocta docuerit, ſiue id præſens Eccleſia vniuerſalis credat, ſiue non credat, ſiue etiam contrarium credat. Ita capit. 3. præcedenti docui etiam Concilia poſt ſcripturam antiquitate niti, non autem modernis Eccleſiarum, poſt tot corruptiones, ſenſibus, niſi illi ad Lydium lapidem antiquitatis, Eccleſiæ nimirum primitiuæ incorruptæ, probentur.

III. Solum verbum Dei ſiue ſcriptum, ſiue voce duntaxat traditum, modo vere traditum ſit, & pro diuino abſque errore acceptum noſtram regunt fidem, & conſequenter in dubiis ſolum ſimiliter Dei verbum, vel ſcriptum, vel traditum, modo vere verbum Dei ſit, veram nobis dabit intelligentiam: Verbum vero mere humanum, id videlicet quod non conſtet Spiritu ſancto dictante vel prolatum, vel ſcriptum, aut ſaltem ab Apoſtolis approbatum, fidei noſtræ regula nequaquam eſſe poteſt: quia homines ſine certa, & euidenti ſupernaturali reuelatione diuina reuelatorum nullam habent ſcientiam, nullam certitudinem: vna excepta Dei in genere cognitione, qui per creaturam ſe etiam naturæ humanæ reuelauit, vt habet *a* Paulus. Igitur ſi tota Eccleſia ex ſe, non vt teſtis duntaxat, *a* Rom. 1. 19. 20. & vt promptuarium, ſiue dogmatum, ſiue etiam eorundem explicationum, & ſenſuum in actu exercito, ſed vt Iudex propria autoritate in actu ſignato res fidei definiat, & illa definitio ad nullum verbum Dei, aut ſcriptum, aut etiam legitime traditum reducatur, verbum Eccleſiæ, ita etiam Conciliorum, erit verbum pure humanum, & conſequenter fallibile; adeoque ineptum; vt ſit regula fidei, niſi euidenter conſtet illud verbum fuiſſe Eccleſiæ à Spiritu ſancto ſpecialiter reuelatum. Habuit itaque Eccleſia vetus apud ſe omnes fidei definitiones neceſſarias ab ore Apoſtolorum acceptas, & aliquas etiam eorundem ſcriptis conſignatas: Iam vero ſi dubia inſurgant in Eccleſia, ad eam eſt confugiendum, quæ nihilominus requirenda eſt, vt ſola vtatur poteſtate conſultatiua, non proprie deciſiua, aut definitiua, niſi quatenus deciſio, & definitio finis eſt, & terminus huius conſultationis; Conſulimus enim illam, vt teſtem, & non vt abſolutam magiſtram veritatis, & huius conſultationis terminus eſt definitio, quam apud ipſam conſeruatam inuenimus. Hoc enim ſenſu Paulus Eccleſiam vocauit *b columnam, & firmamentum veritatis*: quia eo tempore prædicatio Apoſtolica iam *b* 1. Tim. 3. 15. erat per vniuerſum mundum ſparſa, & dilatata; eodem Paulo teſte: *c Nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum*; & tam *c* Rom. 10. 18. ſufficienter fuerunt ab Apoſtolis Eccleſiæ in fide neceſſaria inſtructæ, vt titubare amplius non poſſent; *etiam ſi Angelus de cælo aliter eas doceret*; dummodo ſtarent firmiter, & *d* tenerent tradi- *d* 2. Theſſ. 2. 15. tiones, quas didicerant ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam; & per hoc Eccleſia facta erat columna, & firmamentum veritatis. Præſens igitur Eccleſia, de qua proxime non eſt dictum eam eſſe columnam, & firmamentum veritatis, eatenus & ipſa erit columna, & firmamentum, quatenus cum illa penitus conſentiat; quæ fuit vera columna, verumque veritatis; modo explicato; firmamentum. Si vero ab ea diſſentiat erit columna confracta, & infirmum firmamentum; ex ea parte qua ab illa diſſentit: nam tota penitus ab illa diſſentire nunquam poterit, ſtante Chriſti promiſſo. *e Et portæ inferi non præualebunt* *e* Matt. 16. *aduerſus eam*; vt totam deuincant; & proſternant.

IV. Ridiculum eſt, quod ait Bellarminus, ideo Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum, *f* *f* Bellar. de Cleric. l. 1. c. 7. quia ſemper illa audit Petrum. Audire Petrum Euangelij præconem, & Epiſtolæ alicuius canonicæ ſcriptorem tuto potuit, & debuit Eccleſia; quia Petri verba erant verba Dei; licet Petri facta, etiam poſt acceptum Spiritum ſanctum Eccleſiæ non ſemper fuerunt ſequenda, & imitanda, *quando videlicet g reprehenſibilis erat dum ad veritatem Euangelii non ambulabat*. Nunc vero *g* Gal. 2. 11.

eum

tum Petrus non ſit amplius ipſe Eccleſiæ præco, &
miniſter Euangelij, neſcio quomodo illum nunc
audiat Eccleſia; Rogauit, *inquit Bellarminus*, pro eo
Dominus, vt non deficiat fides eius.] Rogauit ſa-
a Heb. 5. 7. ne, & a exauditus eſt pro ſua reuerentia: nam Pe-
trus in paſſione Chriſti ſcandalizatus amiſit fidem,
ſed non irrecuperabiliter; recepit fidem cum maxi-
mo incremento. Hæc vero Romano Pontifici velle
applicare, eſt inſignis audaciæ, & inſolentię. Opor-
tet enim verbum Romani Pontificis ex cathedra,
quod ſemper audire, & ei credere ac parere tenea-
tur Eccleſia, eſſe verbum Dei; quod aſſerere ſum-
mæ etiam eſt impietatis. Quomodo igitur verbum
hominis poteſt efficere, vt Eccleſia ſit columna, &
firmamentũ veritatis? ſed de hoc plura cap. ſequen-
ti. Profecto verus Petrus confirmauit pro ſua virili
Eccleſiam, eamq; in columnã erexit, & fecit firma-
mentũ. Confictus vero Petrus, niſi turpiſſime labi
velit, tenetur columnæ huic inniti, & hærere fir-
mamento: neq; minus dicitur Epiſcopo cuicunque
b 1. Tim. 3. 15. Romano à Paulo Apoſtolo; b *vt ſcias quomodo oporte-
at te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, colu-
mna, & firmamentum veritatis*, quam dictum id fue-
rit Timotheo. Nimium ergo deſipit qui Eccleſiam
vniuerſalem ex verbo tantummodo Papæ facit eſ-
ſe columnam, & firmamentum veritatis; Nam veri
tatis reuelatæ columna, & firmamentum aliud nõ
non eſt niſi verbum Dei: quod quia in Eccleſia in-
corrupta incorruptum fuit ſeruatum, ideo Eccleſia
incorrupta fuit, hoc ſolo nomine, & non alio, vere
columna, vere firmamentum veritatis. Sic etiam
parum admodum Theologice, ſed adulatorie plu-
c Cai. opuſ. 1. c. 7. rimum Caietanus c certitudinem fidei ponit in Ec-
cleſia ex capite ipſius illo aſſutitio viſibili. Nã nul-
lo Papa exiſtente, aut omni Papa obmuteſcente,
Eccleſia vere Catholica penes ſe conſeruat ver-
bum Dei, & omnem veritatem reuelatam.

V. Potius deberent dicere Eccleſiam Catholicam
propter aſſiſtẽtiam Spiritus ſancti, qui in ea perpe-
tuo reſidet, in errorem non poſſe incidere circa fi-
d Matt. 28. 20. dem, iuxta illud promiſſum Chriſti; d *Ecce ego vobi-
ſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi*: ac proinde
quicquid tenet, quicquid credit, quicquid docet
quocunque tempore ſancta Chriſti Eccleſia Ca-
tholica, id eſſe normam, id regulam certam creden
dorum. Sed ne hoc quiſquam aſſerat, niſi imperite,
docent exempla plurima, docet praxis omnino cõ-
traria. Vtinam verum eſſet Eccleſiam Catholicam,
ſaltem ſecundum maiorem ſui partem labi nõ poſ-
ſe, ita vt tuta ſit, & firma fides quam maior Eccleſię
Catholicæ pars quocunque tempore tenet. Catho
licam vero Eccleſiam ſumimus nunc illam, quę eſt
viſibilis, quæ in Chriſtum credit, & veram Chri-
ſtianam religionem profitetur, quæ tamen ager eſt
habens triticum in ſe creſcens, & ſimul zizania: eſt
area, in quã ſit triticum, ſint & paleæ: eſt ſagena in
qua ſunt piſces boni, & mali. Niſi enim hoc pacto
ſumamus Eccleſiam, non poſſumus illam in partes
diuidere, & diſcernere partem maiorem à minori.
Experimenta porro docent nunquam totam hanc
Eccleſiam ſanam fuiſſe, & vera dogmata totam te-
nuiſſe, ac docuiſſe. Semper in hoc agro fuerunt cũ
tritico zizania, etiam in fide, vel ipſis Apoſtolorum
temporibus, vt cuique mediocriter erudito in re-
bus ſacris, eſt manifeſtum; in hac area ſemper fue-
runt præter grana etiam paleæ: in hac ſagena ſem-
per fuerunt cum bonis etiam mali piſces. Regula i-
gitur fidei nunquam fuit, nunc non eſt, nec vnquã
erit vniuerſa Eccleſia hæc viſibilis, ſed neque regu-
la eſt, aut vnquã fuit certa, & infallibilis, licet pro-
babilis potuerit, & poſſit eſſe, ſi maior huius Eccle-
ſiæ pars aliquid credat de fide, & doceat: Deus e-
nim ſæpius permiſit, vt maxima etiam pars Eccleſię
labatur in fide; *vt tempore Eliæ, e ſeptem millia duntaxat* e 3. Reg. 19. 18.
*virorum erant in Iſrael, quorum genua non fuerant ante
Baal curuata*. Et f Chriſtus Dominus erat in naui ali- f Matth. 8. 24.
quando, & dormiebat, nauiſq; erat proxima nau-
fragio, id eſt Eccleſia: dormiebat quodammodo
Dominus, quando Ariana peſtis totum ferme mũ-
dum occuparat, nec ſane ad exiguum, ſed ad ſatis
longum tempus. Sic Papatus errores, quos conui-
cimus eſſe apertiſſimos, plurimi diutiſſime maximã
Chriſti Eccleſiæ partem occuparunt, & adhuc val-
de magnam, & fortaſſe maiorem occupant, ſola er-
go Eccleſiæ autoritas, ſi adiumento Scripturæ, &
explicationibus Apoſtolicis deſtituatur, poteſt fi-
deles facile in deuia abripere, & ad præcipitia du-
cere.

Summo quidem diuino beneficio factum eſt, vt VI.
præcipuæ hæreſes, maxime periculoſæ (ſiquidem
permittendæ erant à Deo) recenti adhuc, vigente-
que in auribus & mẽtibus fidelium per vniuerſum
orbem ſparſis Apoſtolica prędicatione, & Apoſto-
licorum virorum ſana doctrina, fuerint permiſſæ,
quæ mature agnitæ per diligentem Patrum curam
euulſis ex agro Eccleſiæ zizaniis, abiectis ex area
paleis, & ex ſagena malis illis piſcibus extruſis, illa
viſibilis Eccleſia in fide ſana manſerit, & tota vere
incorrupta, quæ orthodoxa erat, & ab hæreſibus
libera, ac perfecte purgata. Purgatio vero legitima
facta fuit per quatuor prima Concilia œcumenica.
Illa ergo Eccleſia vniuerſalis, quæ horum Concilio
rum definitionibus approbatis, & admiſſis manſit
perfecte orthodoxa, & ab impuris ſeparata, illa pro
fecto fuit tunc, & adhuc eſt nobis regula tutiſſima
credendorum: quia illa penes ſe puram, & incorru-
ptam tam Scripturam, quam Apoſtolicam prædica
tionem conſeruauit: licet poſtea paulatim ſubſe-
quentes in eadem Eccleſia, & aliis ab ea genitis, fi-
deles, & paſtores à puritate deflexerint, & alia, atq;
alia ratione impuritates multas puræ fidei admiſ-
cuerint, vt propterea iam ſubſequens Eccleſia tuta
fidei regula, etiam in actu exercito eſſe non poſſit,
ſed ad illam puram, ad illum defæcatum fontem ſit
omnino properandum, *ad illum alueum g fluminis il-* g Pſ. 45. 5.
lius qui lætificat ciuitatem Dei, qui à nullo latere alie-
nas irrumpentes aquas turbidas, & cænoſas adhuc
admiſerit. Is enim Eccleſiæ alueus longius produ-
ctus, hinc inde riuulos alienos perperam ſibi non
multo poſt vniuit: ideoq; iam in alueo Eccleſiæ a-
quæ limpidæ, quales ſunt in fonte, & alueõ ab aliis
influentibus riuis libero non decurrunt. Ideo dixi-
mus antiquitatem eſſe circa rectam Scripturarum
intelligentiam conſulendam, vt quod illa vetus Ec
cleſia ab Apoſtolicis prædicationibus didicerit, id
nobis ſit regula, & directio; Hinc inane redditur
Bellarmini illud dictum; h *Non recte de Eccleſia Chriſti* h Bel. con. Barcl. c. 3.
*ſentit, qui nihil admittit, niſi quod expreſſe in veteri Eccle-
ſia ſumptum, aut factum eſſe legit, quaſi Eccleſia poſterioris
temporis aut deſierit eſſe Eccleſia, aut facultatem nõ habeat
explicandi, & declarandi conſtituendi etiam & iubendi
quæ ad fidem, & mores pertinent Chriſtianos.*] Eccleſia
non deſiit: ſed nunquam habuit aliam facultatem
circa fidem, niſi atteſtatiuam quam expoſui.

Dixi Deum aliquando permiſiſſe, vt longe ma- VII.
ior pars Eccleſiæ in fide laberetur; ac proinde, tutã
regulam non eſſe, vt quod maior Eccleſiæ pars te-
net & docet, ſit ipſa veritas: ſubmonui tamen pro-
babile eſſe, vt plurimum Deum non permiſſurum
vt maior pars Eccleſiæ Chriſti errori in fide, ad lon-
gum

gum præſertim tempus, ſubiaceat. Arianiſmus, fateor, aliquando latiſſime ſe, & in Oriente, & in Occidente extendit: ſed vere & abſolute tunc maiorẽ Eccleſiæ Chriſtianæ partem in hæreſim illã lapſam eſſe, merito forte non facile quis concedet. Eſto enim; vt maior paſtorum Eccleſiaſticorum pars aut lapſa ſit aut nutauerit, non tamen tota Eccleſia eſt in ſolis paſtoribus; Numeroſi ſunt greges fidelium ſub paſtoribus, qui non neceſſario paſtores ſequũtur errantes. Sed neque maiorem paſtorum partem in fide erraſſe facile admittam, licet in externa fidei confeſſione plurimi defecerint, alij vi metuque adacti, alij dolis, & fraudibus decepti; quod ſi veram fidem intra ſe detinuerint, illi in fide lapſi abſolute non ſunt dicendi: Vbi igitur vis præualet; vbi Principes terreni ſinceræ fidei fiunt perſecutores, vt fuerunt tempore Arianiſmi Conſtantius, & Valens: vbi ſua Eccleſiæ non relinquitur libertas, Eccleſia viſibilis non eſt conſtituenda tuta regula fidei, vbi eius ſinceritas remanet duntaxat inuiſibilis, ſoli Deo nota; & externa profeſſione contraria obtecta, imo deturpata. Data tamen perfecta libertate Eccleſiæ, admodum probabile puto, maiorem Eccleſiæ viſibilem partem ſemper in vera fide permanſuram, ac proinde regulam fore optimam, vt quod maior Eccleſiæ pars tenet & docet, quando ſua integra fruitur libertate, id tutum ſit & verum, præſertim poſt ſuſcitatas & agitatas inter doctos controuerſias, ſi quid interdum zizaniæ, dum dormiunt homines, inimicus homo ſuperſeminet in medio tritici. Hæc adeo neceſſaria libertas ſi daretur in Papiſmo, qui adeo longe lateque diffuſus eſt, & terrores quos Principes Papalium fouent ceſſarent, ac dolus, ſpes, metusque comprimerentur, vtique verus Romanæ quoque Eccleſiæ ſenſus appareret, & ſinceritas multo melius pateficeret veritatis. Eccleſiam, Eccleſiam quotidie obiicimus nos Romanæ factionis homines; Eccleſiam ita ſentire clamamus, totam nimirum Italiam, Hiſpanias, Galliam ex maxima parte, Catholicos Germaniæ ſub Principibus Catholicis, Polonos multos, in Oriente multos, Indias Orientales, Occidẽtales; nouum orbem nuper inuentum, & conuerſum: ſed detur libertas in Italia, in Hiſpaniis, in Gallia, in Germania, &c. doctis hominibus vt libere legant, & audiant, & quod ſentiunt profiteantur, & pro veritate ſincere, citra vim, citra ſpem, citra metum, citra dolum, citra humana conſilia decertent, diſſerant, legant, ſcribant, & tunc plane videbimus, quota verę pars Eccleſiæ etiam Romanenſis, Romanenſem doctrinam propriam complectatur, Eccleſiæ Chriſtianæ maiori parti, ego, quantum in me eſt, tunc victoriam, & veritatem non ægre deferrem, eo modo quo in Conciliis liberis veritatem obtenturam docui capite proxime præcedenti.

VIII. Eccleſiam porro veram, & vere orthodoxam, ac puram, nempe antiquam, poſſe & debere eſſe tutam regulam noſtræ fidei, non poteſtate aliqua iudicatiua & definitiua proprie, ſed atteſtatiua duntaxat, & in actu exercito, non in actu ſignato, (quod hactenus explicaui) Patres veteres conſiderauerunt, aduerterunt, obſeruarunt, docuerunt, declararunt, quod iam oſtendo. *a* Clemens Romanus ex traditione ab Apoſtolis accepta, diſſidia Corinthiorum componebat. De quo nos inferius capit. 5. num. 10. Irenæus vero hæc habet. *b Prædicationem vero Eccleſiæ vndique conſtantem, & æqualiter perſeuerantem, & teſtimonium habentem à Prophetis & ab Apoſtolis, & ab omnibus diſcipulis, quemadmodum oſtendimus per initia, & medietates, & finem, & per vniuerſam Dei diſpoſitionem, & eam quæ ſecundum ſalutem hominis eſt, ſolidam operationem, quæ eſt in fide noſtra, quam perceptam ab Eccleſia cuſtodimus, & quæ ſemper à Spiritu Dei, quaſi in vaſe bono eximium quoddam depoſitum iuueneſcens, & iuueneſcere faciens ipſum vas in quo eſt. Hoc enim Eccleſiæ creditum eſt Dei munus, quemadmodum aſpiratio plaſmationi, ad hoc vt omnia membra percipientia viuificentur: & in eo diſpoſita eſt communicatio Chriſti, id eſt Spiritus ſanctus, arrha incorruptelæ, & confirmatio fidei noſtræ, & ſcala aſcenſionis ad Deum.* In Eccleſia enim (inquit) *poſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, doctores, & vniuerſam reliquam operationem Spiritus, cuius non ſunt participes omnes, qui non concurrunt ad Eccleſiam, ſed ſemetipſos fraudant à vita, per ſententiam malam, & operationem peſſimam. Vbi enim Eccleſia, ibi & Spiritus Dei; & vbi Spiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque à mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem; ſed effodiunt ſibi lacus detritos de foſſis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Eccleſiæ, ne traducantur; reiicientes Spiritum, vt non erudiantur. Alienati vero à veritate, dignè in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora de eiſdem ſentientes, & nunquam ſcientiam ſtabilem habentes ſophiſtæ verborum magis volentes eſſe quam diſcipuli veritatis. Non enim ſunt fundati ſuper viuam petram, ſed ſuper arenam habentem in ſe ipſa lapides multos: propter hoc. & multos Deos fingunt, & quærere quidem ſemper in excuſatione habent: cæcutiunt enim: inuenire vero nunquam poſſunt.*] Eccleſiam apte Irenæus vas, & depoſitorium veritatis facit, cuius prædicatio ſit regula firma, videlicet illius Eccleſiæ quæ tempore Irenæi erat, quæque incorruptam, Spiritu ſancto ei aſſiſtente, ſeruabat fidem, cum recenti memoria Apoſtolicarum prædicationum.

a Apud Euſeb. l. 3. c. 12. & 31. & Iren. l. 3. c. 3.

b Iren. lib. 3. c. 40.

Et rurſus idem. *c Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, presbyteris obedire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione, chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris acceperunt. Reliquos vero qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus vt hypocritas, quæſtus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes. Omnes autem decidunt à veritate.*] Eccleſia ideo tuta regula eſt Irenæo, quia per manus ab Apoſtolis & Scripturas, & ſcripturarum intelligentiam per eorundem declarationes illa accepit. Apoſtoli enim docuerunt Epiſcopos à ſe immediate inſtitutos & inſtructos; & hi ſuos ſucceſſores, & ita Eccleſia tuta magiſtra fuit, quandiu à fonte per riuulos ſucceſſionis puram, & limpidam hauſit doctrinæ aquam, docendo quæ didicerat; & non ex proprio hominum cerebro. IX.

c Idem lib. 4. c. 43.

Habet etiam illud idem Irenæus. *d Agnitio vera eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus, in vniuerſo mundo, & character corporis Chriſti, ſecundum ſucceſſiones Epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in vno quoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit vſque ad nos, cuſtodita ſine fictione Scripturarum tractatione pleniſſima, neque additamentum, neque ablationem recipiens, & lectio ſine falſatione, & ſecundum Scripturas expoſitio legitima, & diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia, & præcipuum dilectionis* X.

d Idem lib. 4. c. 63.

nis munus, quod eſt precioſius quã agnitio; glorioſius quam prophetia: omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminentius.] Cuſtodem facit Eccleſiam non ſolum ſcripturarum, ſed etiam tractationis, & expoſitionis legitimæ ipſarum ſcripturarum, imo pleniſſimę. Ideo ergo tuto tunc docebat Eccleſia, quia doctrinam ſanam, & plenas (vtique in rebus neceſſariis) cuſtodiebat penes ſe ſcripturarum expoſitiones, ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris datas.

XI. Non omittam alium etiam Irenæi locum, qui ſic habet. a *Omnes enim ij (hæretici) valde poſteriores ſunt, quam Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias, & hoc in tertio libro cum omni diligentia manifeſtauimus. Neceſſitatem ergo habent prædicti hæretici, quoniam ſunt cæci ad veritatem, alteram & alteram ambulare exorbitantes viã, & propter hoc inconſonanter, & inconſequenter diſperſa ſunt veſtigia doctrinæ ipſorum. Eorum autem, qui ab Eccleſia ſunt, ſemita circumiens mundum vniuerſum, quippe firmam habens ab Apoſtolis traditionem, & videre nobis donans omnium vnam & eandem eſſe fidem; omnibus vnum & eundem Deum Patrem recipientibus; & eandem diſpoſitionem incarnationis Filij Dei credentibus: & eandem donationem Spiritus ſcientibus; & eadem meditantibus præcepta; & eandem figuram eius, quæ eſt erga Eccleſiam ordinationis cuſtodientibus; & eundem expectantibus aduentum Domini; & eandem ſalutem totius hominis, id eſt, animæ & corporis ſuſtinentibus. Et Eccleſiæ quidem prædicatio vera & firma, apud quam vna & eadem ſalutis via in vniuerſo mundo oſtenditur. Huic enim creditum eſt lumen Dei, & propter hoc ſapientia Dei, per quam ſaluat homines in exitu canitur: in plateis autem fiducialiter agit; in ſummis muris prædicatur; in portis autem ciuitatis conſtanter loquitur, vbiq; enim Eccleſia prædicat veritatem, & hæc ἑπτάμυχος lucerna, Chriſti baiulans lumen. Qui ergo relinquunt præconium Eccleſiæ, imperitiam ſanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris ſit idiota religioſus à blaſphemo, & imprudente ſophiſta. Tales ſunt autem omnes hæretici, & qui ſe plus aliquid præter veritatem inuenire putant, ſequentes ea, quæ prædicta ſunt varie, & multiformiter, & imbecille facientes iter, de iiſdem non ſemper eaſdem ſententias habentes, velut cæci à cæcis circumducuntur. iuſte cadent in ſublatentem ignorantiæ foueam, ſemper quærentes & nunquam verum inuenientes. Fugere igitur oportet ſententias ipſorum, & intenſius obſeruare, vti ne vexemur ab ipſis; confugere autem ad Eccleſiam, & eius ſinu educari, & dominicis ſcripturis enutriri. Plantata eſt enim Eccleſia Paradiſus in hoc mundo. Ab omni ergo ligno Paradiſi eſcas mãducabis, ait Spiritus Dei; id eſt, ab omni Scriptura diuina manducate; ſuper elato autem ſenſu ne manducaueritis. neq; tetigeritis vniuerſam hæreticam diſſenſionem. Ipſi enim confitentur ſemetipſos agnitionem habere boni & mali, & ſuper Deum qui fecit eos iaculantur ſenſus ſuos impios. Supra igitur ſentiunt, quam eſt menſura ſenſationis. Quapropter, & Apoſtolus ait. Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad prudentiam, vt non illorum manducantes agnitionem, eam quæ plus quam oportet, ſapit, proiiciamus de paradiſo vitæ. In quem Dominus inducit eos, qui obediunt præconio eius.*] Eccleſia eſt Paradiſus, non porrigit illa filiis ſuis proprios vllos à ſe confectos cibos, ſed eos quos ligna ferunt in Paradiſo conſita; Scriptura nimirum, & Scripturæ legitimæ ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus habitę expoſitiones. Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum annecte Irenæo: vt infra, cap. 5. n. 10.

a Idem lib. 5. c. 20.

XII. Tertullianus fundamentum, & regulam fidei ponit confeſſionem, quam Catholica Eccleſia & tunc habebat communiſſimam, & hodie habet de Deo creatore, ac Chriſto Redemptore, eamque confeſſionem primum fuiſſe docet, quam, & Chriſtus, & Apoſtoli docuerunt, & Eccleſię tradiderũt; ex qua vult etiam ſacram ſcripturam exponi, & explicari; Fatetur ſcripturam ſacram propter varias interpretationes non eſſe fidei noſtræ ſemper certam & tutam regulam, ſed ante ſcripturam aliquod aliud fundamentum eſſe ponendum, nempe Eccleſiam illam, cuius ſint & Scripturæ, & verus ſenſus ſcripturarum in fide fundamentali; b *Ergo (inquit,) non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituẽdum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa.*] nimirum, niſi prius Scriptura aliquo alio adiumento fulciatur, vnde illa vim ſuam ſumat, & genuinam accipiat interpretationem; Pergit enim, & ait; *Nam & ſi non ita euaderet conlatio ſcripturarum, vt vtranque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: Quibus competat fides ipſa: Cuius ſint Scripturæ: A quo; & per quos: & quando: & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiũt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.*] Facit hiſce verbis Tertullianus fundamenta ad hæreſes confutandas, & conſequenter cum Chriſtianis eiectos eſt. Hæretici enim ſunt in eadem fide hæretici. Fundamentum verò ei præcipuum, præcipuaque fidei regula eſt, vt ſtetur doctrinę à Chriſto Apoſtolis; & ab Apoſtolis Eccleſiæ traditæ, & conſignatæ, non modo ſcriptis, ſed etiam viuæ vocis explicationibus, à quibus Scripturæ neceſſaria intelligentia habeatur, vnde, & addit. *Hinc igitur dirigimus præſcriptionem: Si Dominus Ieſus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores quam quos Chriſtus inſtituit, quia nec alius Patrem nouit niſi Filius, & cui Filius reuelauit: & nec alius videtur reuelaſſe Filius, quam Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint; id eſt, quid illis Chriſtus reuelauerit, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce quam per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; & ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis; Apoſtoli à Chriſto: Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum, & Chriſti & Dei.*] Quia igitur Catholica doctrina, hæreſibus contraria, erat illa eadem doctrina, quam Eccleſiæ ab Apoſtolis inſtructæ, & aliæ cum ipſis communicantes, firmiter tenebant, hinc vrget veritatem à parte Catholica, & non ab hæreſi ſtare. Non quod Eccleſiæ ex ſe, autoritate aliqua propria, in actu ſignato tunc definirent, aut definierint, ſed quod in actu exercito perpetuo ab ipſis Apoſtolorum temporibus ita crederent, & docerent, quia ita didicerant ab Apoſtolis, & inſtructæ fuerant.

b Tertull. de præſcri.

XIII. Eſt & illa apud eundem Tertullianum pulcherrima vox Eccleſiæ Catholicæ, obgannientes hæreticos à ſe repellentis: c *Qui eſtis? Vos quando, & vnde veniſtis?* quid in meo agitis non mei? quo deniq; (vox Eccleſiæ contra hæreticos.) Marcion iure ſyluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua poteſtate Apelles limites meos commoues? Mea eſt poſſeſſio: quid hic cęteri ad voluntatem veſtram ſeminatis & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo (prior poſſideo, habeo,) origines firmas, ab ipſis autoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum: ſicut cauerunt teſtamento ſuo; *ſicut fidei commiſerunt; ſicut adiurauerunt: ita teneo: vos certe exhæredauerunt ſemper, & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos.*] Non vrget Eccleſia, ſe habere poteſta-

c Tertull. ibid.

poteſtatem res fidei definiendi, & propria autoritate Scripturas interpretandi: ſed penes ſe eſſe veritatem ab Apoſtolis traditam; ſe eſſe hæredem Apoſtolicæ doctrinæ; ſe eam poſſidere; apud ſe depoſitam & conſeruatam eſſe; ſe ſcripturam legitimã, & legitime habere, & in neceſſariis ſcripturarum quoque interpretationem & intelligẽtiam. Quod de antiqua Eccleſia Catholica pura intelligendum eſt, antequam varij in eam errores irreperent, non de impura quæ poſtea corrupta eſt, aut inquinata. Illic enim, *ait ibidem Tertullianus*, & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, *etiam ſi in Eccleſia alioquin Catholica*, vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ.] Illius nimirum doctrinæ quam vetus ſincera Eccleſia, non ipſa quidem ex ſe edidit & tradidit, ſed quam ipſa primum ab Apoſtolis didicit, & penes ſe incorruptam conſeruauit, ac perpetuo profeſſa eſt. Huc ſeruiunt Tertulliano, ſicut & Irenæo, Auguſtino, & aliis ſucceſſiones Epiſcoporum ab Apoſtolis, de quibus infra agam fuſius: Ideo nimirum in Eccleſia vniuerſa eo tempore fuiſſe certiſſimam veritatem, quia doctrina cuiuſcunque Eccleſiæ Catholicæ, & ſenſus verus ſcripturarum in neceſſariis fidei ab Apoſtolis per manus ſucceſſiue per Epiſcopos ad eas Eccleſias peruenit, & ita per analyſim doctrina tunc Catholica in ipſos Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros, atque adeo in ipſum Chriſtum reſoluebatur. Ex qua analyſi tanquam certiſſima regula doctrina Eccleſiæ erat tutiſſima, ac proinde certa

a Tertull. cont. Marcion l. 4. fidei regula. *a Conſtat enim (inquit) id verum, quod prius: id prius quod & ab initio; ab initio quod ab Apoſtolis; pariter vtique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.*]

XIV. Itaque tota Eccleſiæ autoritas inde pendet, quod ipſa ſit doctrinæ, & Scripturarum neceſſariæ intelligentiæ ab Apoſtolis receptæ fida conſeruatrix. Ipſa inquam antiqua, & nondum corrupta. Ita vt doctrina illa ab ipſis Apoſtolorum temporibus perpetuo conſtans fuerit, iuxta regulam

Regula. ſupra poſitam, *Ab omnibus; vbique, & ſemper. Quod*

b Ibi. lib. 1. *ſi poſt Apoſtolorum tempora* b (*inquit idem Tertullianus*) *adulterium veritas paſſa eſt, circa Dei regulam; ergo iam Apoſtolica traditio nihil paſſa eſt in tempore ſuo circa Dei regulam. Et non alia agnoſcenda erit traditio Apoſtolorum quam quæ hodie apud ipſorum Eccleſias editur. Nullam autem Apoſtolici cenſus Eccleſiam inuenias, quæ non in Creatore Chriſtianizet.*] veram fidem de Deo Creatore per eam regulam indagat, vt quod ab Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ, aliæque cum ipſis communicantes, tunc temporis, crederent in actu exercito, & profiterentur, id verę fidei ſit articulus: cuius fides inde tota pendeat, quia Eccleſiæ illæ id ab Apoſtolis primis autoribus poſt Chriſtum habuerunt, atque ita explicatum ab illis acceperunt, & conſeruarunt.

XV. Origenes regulam, firma fide credendorum ponit etiam ipſe Eccleſiaſticam prædicationem, id videlicet quod in Eccleſiis paſſim tanquam ab Apoſtolis prædicatum & explicatum crederetur, & aperta profeſſione teneretur. Rem hanc præclare tractat ipſe: ſententiam ipſius ferme integram libet hic apponere; in ea enim manifeſte apparet, quę, & vnde ſit Eccleſiæ autoritas in rebus fidei proponendis, & quatenus ipſa Eccleſia, vetus nimirum illius

c Orig. in proœm. l. 1. periarch. temporis; regula ſit credendorum. *c Omnes, (inquit) qui credunt, & certi ſunt, quod gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta ſit, & Chriſtum veritatem eſſe norunt, ſecundum quod ipſe dixit, ego ſum veritas, ſcientiam quæ prouocat homines ad bene beateque viuendum non aliunde, quam ab ipſis verbis Chriſti, doctrinaque ſuſcipiunt. Chriſti autem verbis dicimus, non iis ſolum, quæ homo factus, atque in carne poſitus docuit.* Et prius: *Nanque Chriſtus, Dei Verbum, in Moyſe atque Prophetis erat. Sed & poſt aſſumptionem eius in cælos, quod in Apoſtolis ſuis locutus ſit; hoc modo indicat Paulus: An probamentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus? Quoniam ergo multi ex his, qui in Chriſto credere ſe profitentur, non ſolum in paruis, & minimis diſcordant, verum etiam in magnis, & maximis; id eſt, de Deo, vel de Domino noſtro Ieſu Chriſto, vel de Spiritu ſancto: non ſolum autem de his, ſed & de aliis creaturis, id eſt vel de dominationibus, vel de virtutibus ſanctis: propter hoc neceſſarium videtur prius de his ſingulis certam lineam, manifeſtamque regulam ponere, tum deinde etiam de cæteris quærere. Sicut enim multis apud Græcos & barbaros pollicentibus veritatem, deſiuimus apud omnes eam quærere, qui eam falſis opinionibus aſſerebant, poſteaquam credidimus Filium Dei eſſe Chriſtum, & ab ipſo nobis hanc diſcendam eſſe perſuaſimus: ita cum multi ſint, qui ſe putent ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à prioribus ſentiant, ſeruetur vero Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in Eccleſiis permanens: illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione. Illud tamen ſcire oportet, quoniam ſancti Apoſtoli fidem Chriſti prædicantes, de quibuſdam quidem quæcunque neceſſaria crediderunt omnibus credentibus, etiam iis qui pigriores erga inquiſitionem diuinæ ſcientiæ videbantur manifeſtiſſime tradiderunt, rationem ſcilicet aſſertionis eorum relinquentes ab iis inquirendam, qui Spiritus dona excellentia, & præcipue ſermonis ſapientiæ & ſcientiæ per ipſum Spiritum ſanctum percipere merebantur. De aliis vero dixerunt quidem, quia ſint: quomodo autem, aut vnde ſint, ſiluerunt, profecto vt ſtudioſiores quoque ex poſteris ſuis amatores ſapientiæ, & ſcientiæ exercitium habere poſſent, in quo ingenij ſui fructum oſtendere valerent, hi videlicet, qui dignos ſe, & capaces ſapientiæ præparant.*] Certa igitur linea, & manifeſta regula eſt Origeni, vt ſeruetur Eccleſiaſtica prædicatio ſui temporis, quam ſciebat Autores Apoſtolos habuiſſe, & continuata ſucceſſione in Eccleſia fuiſſe puram, & limpidam conſeruatam. Ac prudenter obſeruauit Apoſtolos neceſſaria omnia clare ad credendum propoſuiſſe, & quod res ita ſit docuiſſe, ſed rationem credendorum, & quomodo illud ſit, tacuiſſe; hæc vero inquirenda doctis, & ſpiritualibus reliquiſſe. Ita vt omnia dogmata fidei neceſſaria ſint apertiſſime, ac ſufficientiſſime Eccleſiis propoſita & tradita; rationes vero & modi eorundem ſint noſtræ exercitationi, non definitioni relicta, vt ipſe quoq; alio capite inferius plene diſſeram.

Cyprianus vniuerſam Eccleſiam *d* fontem vocat, ſolem & radicem, vt fuſe eum ego explicaui meo lib. 1. c. 10. num. 17. & lib. 3. c. 1. n. 12. & lib. 4. c. 2. n. 36. & ibid. c. 10. n. 81. non modo vt ſchiſmatum inde oſtendat turpitudinem, ſed etiam, vt ſignificet vitam fidei, ex vniuerſalis Eccleſiæ radice ad ramos ſingulos peruenire; & radios fidei illos ſolos eſſe viuidos, qui à ſole Eccleſiæ fluunt; & riuulos fidei illos puros fluere, qui à fonte Eccleſiæ emanant; modis explicatis, in actu exercito, non in actu ſignato. *Illius (inquit) fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, Spiritu eius animamur. --- Habere enim is non poteſt Dominum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem, &c.*] Et *e* veritatem quaſi per canalem à fonte traditione deduci idem aſſeuerat. XVI. d Cypr. de ſimp. Præl. e Idem epi. ad Pompeium.

XVII. Athanaſius Nicænam fidem traditionibus potiſſimum fert acceptam, ſupra cap.2.n.10.& c.3.n.13.huius. Qui illud etiam alibi habet; *a Videamus tamen adhuc illam ipſam ab initio traditionem, & doctrinã, & fidem Catholicæ Eccleſiæ, quam Chriſtus quidem dedit, Apoſtoli vero prædicauerunt, & ſeruauerunt. In hac enim Eccleſia fundamur, & qui inde excidit Chriſtianus non poterit dici.*]

a Atha. ad Serap. de Spir. S.

XVIII. Baſilius ad hanc ipſam Eccleſiæ confugit anchoram, vt ab ea, non tanquam ab oraculo, ſed tanquam à fido depoſitario diſcat, quid ſit de Spiritu ſancto fide tenendum. *b At vero (inquit) vt ne ſepares à Patre, & Filio Spiritum ſanctum, compeſcat te traditio; Dominus ſic docuit: Apoſtoli prædicauerũt: Patres conſeruarũt: Martyres confirmarunt: ſis contentus dicere velut doctus es.*] Id eſt prout in Eccleſia dici, & doceri audis ac diſcis. Et rurſus dum de confuſione hæreſum, & errorum in Eccleſia queritur, ait. *c Neque diuinitus inſpiratam ſcripturam ſe inter ipſos interponere poſſe, neque Apoſtolicas traditionis inter ipſos reconciliatione procurare.*] Intelligit profecto traditiones circa ſenſum Scripturarum in Eccleſiis à temporibus Apoſtolorum conſeruatas. Idem Baſilius doctrinam Catholicam ex conſenſione omnium Eccleſiarum confirmat: non quia ita Eccleſiæ definierint & credendum præceperint, ſed quia ita in facto ipſæ Eccleſiæ maxima conſenſione credant, & inde ab Apoſtolorum temporibus teneant. *d Iuſtius eſt autem (inquit) res noſtras iudicari, non ex vno, aut altero, qui non recte ambulant ad veritatem, ſed ex multitudine Epiſcoporum per orbem terrarum nobis coniunctorum, per gratiam Chriſti. Examinentur autem Piſidæ, Lycaones, Iſauri, Phryges, vtrique Armeniĳ quantum nobis vicinum eſt; Macedones, Achæi, Illyriĳ, Galli, Hiſpani, Italia vniuerſa, Siciliotæ, Afri, Ægypti pars ſana, Syriæ reliquæ: qui & ad nos literas mittunt, & rurſus à nobis accipiunt. Ex quorum literis licet vobis diſcere, tum ex his quæ illinc afferuntur, tum ex his quæ hinc rurſus remittuntur ad ipſos, quod concordes omnes ſumus, vnum & idem ſentientes. Quare qui ſocietatem noſtram deuitat, is ne lateat ſynceritatem veſtram, quod ſe ipſum à tota Eccleſia abrumpit; &c.*] Ac propterea Theodoſius ſenior ſaniſſimum aduerſus Arianos tulit iudicium, ex eo *e* quod cerneret, non modo ipſos inter ſe non conuenire, ſed etiam quod illi, non veterum de fide expoſitione, ſed ſola differendi ſubtilitate (*quod eſt iam proprium noſtrorum ſcholaſticorum*) confidebant.]

b Baſil. ſer. cont. Sab. & Arium.

c Idem de Spir. S. c. 30.

d Idem epi. 75.

e Socr. l. 5. c. 10.

XVIIII. Epiphanius ponit per modum ſymboli articulos fidei neceſſarios, quos Eccleſia inde ab Apoſtolis prædicaret, ac doceret; tum vero ſubdit. *f Hanc prædicationem, & hanc fidem Eccleſia (veluti dixi) adepta, quamquam per totum mundum diſperſa, diligenter conſeruat, quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter his credit, velut vnam animam, & idem cor habens, & conſone hæc prædicat, & docet, ac tradit, velut vno ore prædita. Nam linguæ in mundo diſsimiles ſunt, verum virtus traditionis vna & eadem eſt. Et neq; in Germaniis fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; in Hiſpaniis, neq; in Celtis, neq; in Oriente, neq; in Ægypto, neq; in Libya, neque hæ quæ in medio mundo conſtitutæ ſunt. Sed quemadmodũ ſol creatura Dei, in toto mundo vnus & idem eſt: ſic etiam prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines ad cognitionem veritatis venire volentes. Et neque qui valde potens eſt in dicendo ex Eccleſiæ præfectis alia ab his dicet: Nemo enim eſt ſuper magiſtrum: neque debilis in dicendo hanc traditionem imminuet. Quum enim vna & eadem fides ſit, neque is qui multum de ipſa dicere poteſt plus quam oportet dicit: neque qui parum, ipſam imminuit. At vero plus atque minus iuxta intelligentiam aliquos noſſe, non in alterando idem argumentum contingit, &c.*] Hæc Epiphaniĳ oratio profecto ſupponit totam fidem neceſſariam iam in Eccleſia expreſſam eſſe, & explicatam; cui neque imperitus Magiſter ſua imperitia poſſit nocere; neque peritus ſua peritia poſſit quicquam neceſſario credendum addere. De Hilario idem ſentiente vide ſuperius capit. 2. numer. 43. huius.

f Epiph. hær. 31.

Hieronymus dum aduerſus Luciferianos contendit ab hæreticis venientes eſſe in Catholica cũ ſuis ordinibus recipiendos, vbi varia commemorauit documenta, ita concludit. *g Poteram -- omnes propoſitionum riuulos vno Eccleſiæ ſole ſiccare. -- Breuem tibi apertamq; animi mei ſententiam proferam: in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata vſque ad diem hanc durat.*] Quia enim communiſſima Eccleſię praxis erat, vt hæretici ad pœnitentiam admitterentur, & in ſuis etiam ordinibus ſacris perſiſterent, hinc argumenta contraria dilui omnia affirmat, quæ vnico Eccleſiæ ſole, ſicut riuuli fontem certum non habentes, facile exiccentur. Ita Auguſtinus paſſim in libris præſertim contra Donatiſtas; Cypriani anabaptiſmum hoc potiſſimum nomine refellit, quod Eccleſiæ vniuerſalis conſtans eſſet conſuetudo, vt hæretici, abſq; nouo Baptiſmo in Catholicã ſi reſipiſcerent reciperẽtur. Non ſane decretũ vllum poſitiuũ Eccleſiæ intelligunt, aut Hieron. aut Auguſtinus, ſed vſum duntaxat & praxim, quam ſupponũt *h* ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutam, & declaratam; quã quam vbi agitur de praxi, & non directe de fidei dogmate, conſuetudo Eccleſiaſtica non ſemper neceſſario rem faciat de fide, quia praxis poteſt facile ab humana ſola pendere traditione. Alioquin Agrippinus primum, deinde Cyprianus cum tot aliis & ſanctiſſimis & doctiſſimis Epiſcopis tum Africanis tum Aſianis Eccleſiaſticam conſuetudinem vniuerſalem, hæreticos non rebaptizandi, non abieciſſent, nec eam corrigendam eſſe exiſtimaſſent. Et Tertullianus ait. *i Eorum, quæ ex traditione obſeruantur, tanto magis dignam rationem afferre debemus, quanto carent Scripturæ autoritate, donec aliquo cœleſti chariſmate aut confirmentur, aut corrigantur; & ſi qua* inquit, *ignoratis, Dominus vobis reuelabit.*] Si tamen conſtet manifeſte conſuetudinem practicam, indirecte ſaltem; dogma aliquod theoricum confirmantem, vere ab Apoſtolis initium habuiſſe, illa tanquam Eccleſiæ tradita, & in ea conſeruata ad dogma illud firmandum magnam vim habebit. Redeo ad Hieronymum. Sapienter ille ſibi optimam regulam præfixit, dicens: *k Meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere quæ bona ſunt, & à fide Eccleſiæ Catholicæ non recedere.*] Fidem quæ tunc erat in Eccleſia Catholica, non decreta, & iudiciales definitiones Eccleſiæ Catholicæ pro firma regula ſibi aſſumit Hieronymus. Qui & alibi ſic in aliquem, qui Origenis errores diſſeminabat, inſurgit: *l Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? cur profers in medium quod Petrus, & Paulus edere noluerunt? vſque in hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit; illam ſenex tenebo fidem in qua puer natus ſum.*] optimam cenſuit regulam, vt quod vetus Eccleſia non tenuit, non docuit, pro nouitate reiicienda habeatur. XX.

g Hie. adu. Lucifer. ad fin.

h Aug. de bap. l. 1 ſcripins & de Gen. ad li. l. 10. c. 23.

i Tertul. li. de ieiunio.

k Hier. ep. 152 to. 3. ad Minerium

l Idem epi. 63. ad Pammach, & Oceanum.

Auguſtinus, *m vides (inquit) quid Eccleſiæ Catholicæ valeat autoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, vſque ad hodiernam diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.*] Non ergo in definiẽdo & decretando, ſed in ſincera fide conſeruanda & atteſtanda Eccleſiæ cõſiſtit autori- XXI.

m Auguſt. con. Fauſt. Manich l. 11. c. 2.

tas,

a Idem de bapti[ſ]. l. 7. c. 3. tas. Habet & illud Auguſtinus: *a Id autem ſit cura ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri & Saluatoris Ieſu Chriſti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.*] Id videlicet, quod vniuerſam Eccleſiam iam inde ab Apoſtolorum temporibus ſentire conſtet, & roboratum intelligit in actu exercito, non in actu ſignato. Ait etiam; *b Si ergo incognita crediturus ſum, cur non ea potius credam, quæ iam conſenſione doctorum, indoctorumque celebrantur, & per omnes populos grauiſſima autoritate firmata ſunt.*] Vbi controuerſia in Eccleſia exoritur, quæ in terminis in ſacris ſcripturis definita non habetur, idem Auguſtinus aliam regulam non habuit certam, & tutiorem ad controuerſiam talem tollendam, quam praxim, & vſum Eccleſiæ Catholicæ, quæ praxis, quique vſus fuerit iam inde ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia communiſſimus. Erat controuerſia cum Donatiſtis de hæreticis rebaptizandis, ea in ſcripturis clare deciſa non habetur, quid igitur Auguſtinus? *c Nunc (inquit) cum in ſcripturis non inueniamus aliquos ad Eccleſiam tranſiſſe ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis eſſe ſuſceptos, puto, ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimonium perhibet, & de hac quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere quod ille dixiſſet, ne non tam ipſi, quam Domino Ieſu Chriſto, cuius teſtimonio commendabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, Ecce Euangelium, lege vbi ait, oportet Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Quomodo ergo ſuſcipit iſta Eccleſia per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem, remotis omnibus ambagibus, & tergiuerſationibus, ſic ſuſcipiendus es. Quod ſi non vis, non mihi, aut cuiquam homini, qui vult ita ſuſcipere, ſed ipſi Saluatori contra ſalutem tuam pernicioſiſſime reluctaris, qui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere.*] Hinc Concilia autoritatem ferme totam habere docui cap. 3. præcedenti. Ait etiam d Aug. con. Creſc. l. 2. c. 33. idem Auguſtinus: *d Et quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.*] Quia nimirum S. Eccleſia fidelis eſt cuſtos non tantum ſacræ Scripturæ, ſed etiam doctrinæ Apoſtolicæ ſacram ſcripturam declarantis, in ijs quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria.

b Idem cont. Epi. fundam. c. 14.

c Idem de vnit. Eccle. c. 19.

XXII. Vincentius Lyrinenſis hoc idem argumentum tractat præclare, vt antiqua Eccleſia ſit firma regula credendorum. Ea videlicet ad fidem manifeſte pertinere, quæ antiqua credidit Eccleſia. Et Concilia nihil aliud dicebat, ſupra cap. 3. huius, n. 9. aduerſus hæreſes efficere, niſi vbi quod prius Eccleſia à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris, etiam per Scripturæ chirographum conſignaret; — Nouitates vero ſemper ſaltem ſuſpectas eſſe: quod ex Patribus Concilij Epheſini primi cõfirmat luculenter. Ait enim in ſui operis contra hæreſum nouationes recapitulatione. *e Diximus in ſuperioribus hanc fuiſſe ſemper, & eſſe hodieque Catholicorum conſuetudinem, vt fidem veram duobus his modis approbent. Primum diuini canonis authoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione; non quia verba diuina pro ſuo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones erroreſque concipiant: Atque ideo neceſſe ſit, vt ad vnam Eccleſiaſtici ſenſus regulam, Scripturæ cæleſtis intelligentia dirigatur: in ijs duntaxat præcipue quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. Item diximus, in ipſa rurſus Eccleſia, vniuerſitatis pariter, pariter & antiquitatis conſenſionem ſpectari oportere, ne aut ab vnitatis integritate in partem ſchiſmatis abrumpamur, aut è vetuſtatis religione in hæreſeon nouitates præcipitemur.*] Iam vero horum addit confirmationem hoc pacto. *f Quod ne præſumptione magis noſtra, quam authoritate Eccleſiaſtica promere videremur, exemplum adhibuimus ſancti Concilij, quod ante triennium ferme in Aſia apud Epheſum celebratum eſt, viris clariſſimis Baſſo, Antiochoque conſulibus. Vbi cum de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan prophana nouitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet, vniuerſis ſacerdotibus, qui illo ducenti fere numero conuenerant, hoc Catholiciſſimum, fideliſſimum, atque optimum factu viſum eſt, vt in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, quorum alios Martyres, alios Confeſſores, omnes vero Catholicos ſacerdotes fuiſſe, & permanſiſſe conſtaret, vt ſcilicet rite, atque ſolenniter ex eorum conſenſu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, iure meritoque ille Neſtorius, Catholicæ vetuſtati contrarius, beatus vero Cyrillus ſacroſanctæ antiquitati conſentaneus iudicatus eſt. Et vt ad fidem veram nihil deeſſet, etiam nomina, & numerum (licet ordinem fuiſſemus obliti) edidimus eorum Patrum, iuxta quorum ordinem ibidem concinentem ſibi concordemque ſententiam, & legis ſacræ proloquia expoſita ſunt, & diuini dogmatis regula conſtabilita.*]

e Lyrin. c. antepenu.

f Ibid. c. penult.

XXIII. Mox recenſet Patres aliquot veteres, ex quorum libris veteris Eccleſiæ ſententia in dogmate propoſito à Neſtorio turbato, fuit collecta; ij vero fuerunt Petrus, Athanaſius, Theophilus Alexandrini Epiſcopi ex Ægypto: Ex oriente vero & Græcia Gregorius Nazianzenus, Baſilius, & Gregorius Nyſſenus Baſilij frater: Ex Italia Fœlix, & Iulius Romani, & Ambroſius Mediolanenſis, ac demum Cyprianus Carthaginenſis ex Africa. Horum ſana doctrina, qualem vniuerſalis perpetuo tenuerat Eccleſia, percepta, ſententiæ recentium auditæ ſunt. g g Ibid. *Namque cum lecta (inquit) eſſet ſancti Capreoli Epiſcopi Carthaginenſis Epiſtola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, niſi, vt expugnata nouitate, antiquitas defenderetur, ita Epiſcopus Cyrillus proloquutus eſt, quod hic quoque interponere non abs re videtur.* Ita enim in fine geſtorum: *Et hæc,* (inquit) *quæ lecta eſt Epiſtola venerandi, & multum religioſi Epiſcopi Carthaginenſis Capreoli fidei geſtorum inſeretur, cuius aperta ſententia eſt, vult enim antiqua fidei dogmata confirmari, nouitia vero, & ſuperflue adinuenta, & impie promulgata reprobari, atque damnari. Omnes Epiſcopi adclamauerunt: Hæ omnium voces ſunt; hæc omnes dicimus, hoc omnium votum eſt. Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, niſi vt quod erat antiquitus traditum, teneretur? quod adinuentum nuper exploderetur? Poſt quæ admirati ſumus, & prædicauimus, quanta Concilij illius fuerit humilitas, & ſanctitas, quot numero ſacerdotes pene ex maiori parte Metropolitani, tanta eruditionis, tantæque doctrinæ, vt prope omnes poſſint de dogmatibus diſputare: Quibus cum ipſa in vnum congregatio audendi à ſe aliquid, & ſtatuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen auderent, nihil præſumerent, nihil ſibi penitus arrogarent, ſed omnimodis præcauerent, ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi à Patribus non accepiſſent; & non ſolum in præſenti rem bene diſponerent, verum etiam poſt futuris exempla præberent, vt & ipſi ſcilicet ſacrata vetuſtatis dogmata colerent, profana vero nouitatis adinuenta damnarent. Inuecti etiam ſumus in Neſtorij ſceleratam præſumptionem, quod ſacram Scripturam ſe primum, & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe iactaret, quicunque ante ſe Magiſterij munere præditi, diuina eloquia tractauiſſent: vniuerſos ſcilicet ſacerdotes,*

vniuerſos Confeſſores, & Martyres, quorum alii explanaſſent Dei legem, alii vero explanantibus conſenſiſſent, vel credidiſſent: totam poſtremo etiam nunc errare, & ſemper erraſſe aſſeueraret Eccleſiam, quæ, vt ipſi videbatur, ignaros, erroneoſque doctores & ſequuta eſſet, & ſequeretur.]

XXIV. Poſt hæc vero dicta in hoc genere ſolidiſſima Xyſti Rom. Pont. & Cæleſtini profert, ac ponde-
a Lyrin. c. 43. rat egregie. Aitque, a *Quæ omnia licet cumulate, abundeque ſufficerent ad profanas nouitates obruendas, & extinguendas, tamen ne quid deeſſe tantæ plenitudini videretur, ad poſtremum adiecimus geminam Apoſtolicæ ſedis authoritatem: vnam ſcilicet ſancti Papæ Xyſti, qui nunc Romanam Eccleſiam venerandus illuſtrat: alteram præceſſoru ſui beatæ memoriæ Papæ Cæleſtini, quam hic quoque interponere neceſſarium iudicauimus. Ait itaque Papa Xyſtus in Epiſtola, quam de cauſa Neſtorii, Antiocheno miſit Epiſcopo; Ergo, inquit, quia ſicut ait Apoſtolus, fides vna eſt, quæ euidenter obtinuit, dicenda credamus, & tenenda credamus. Tandem illa tenenda & credenda proſequitur, & ait: Nihil vltra, inquit, liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati: Perſpicua maiorum fides, & credulitas, nulla cœni permixtione turbetur. Omnino Apoſtolice, vt Maiorum credulitatem perſpicuitatis lumine ornaret, nouas vero profanitates cœni permixtione deſcriberet. Sed & Papa Cæleſtinus pari modo eademque ſententia: Ait enim in Epiſtola, quam Gallorum ſacerdotibus miſit, arguens eorum conniuentiam, quod antiquam fidem ſilentio deſtituentes, profanas nouitates exurgere paterentur: Merito, inquit, cauſa nos reſpicit ſi ſilentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiuſmodi, non ſit iis liberum habere pro voluntate ſermonem: Vetuſtatis prædicatores, an Nouitatis adinuentores? Ipſe dicat, & dubitationem legentiū ipſe diſſoluat. Sequitur enim: Deſinat, inquit, ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt, vt apud me quidam vrbes & prouincias veſtras criminātur, quod eas quibuſdam nouitatibus conſentire noxia diſſimulatione faciatis: deſinat itaq; inquit, ſi ita res eſt, inceſſere nouitas vetuſtatem. Ergo hæc fuit beati Cæleſtini beata ſententia, non vt vetuſtas ceſſaret obruere nouitatem: ſed potius nouitas deſineret inceſſere vetuſtatem. Quibus Apoſtolicis catholiciſq; decretis quiſquis refragatur, inſultet primum omniū neceſſe eſt memoriæ ſancti Cæleſtini, qui ſtatuit, vt deſineret inceſſere nouitas vetuſtatē: deinde irrideat definita S. Xyſti, qui cenſuit ne vltra quicquam liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati: ſed & Beati Cyrilli ſtatuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudauit, quod antiquæ fidei dogmata confirmari cuperet, nouitia vero adinuenta damnaret. Epheſinam quoq; ſynodum, id eſt totius pene Orientis ſanctorum Epiſcoporum iudicata proculcet, quibus diuinitus placuit, nihil aliud poſteris credendum decernere, niſi quod ſacrata ſibiq; in Chriſto conſentiēs ſanctorum Patrum tenuiſſet antiquitas: qui q; etiam vociferantes, & acclamantes, vno ore teſtificati ſunt, has eſſe omniū voces, hoc omnes cenſere, vt ſicut vniuerſi fere ante Neſtorium hæretici, contemnentes vetuſtatem, & aſſerentes nouitatē, damnati forent, ita ipſe quoq; Neſtorius author nouitatis, & impugnator vetuſtatis condemnaretur. Quorum ſacroſancto, & cæleſtis gratiæ munere inſpirata cōſenſio cui diſplicet, quid aliud ſequitur, niſi vt profanitatem Neſtorii adſerat, non iure damnatam? Ad extremum quoq; vniuerſam Chriſti Eccleſiam, & magiſtros eius Apoſtolos & Prophetas, præcipueq; tamen Apoſtolum Paulum velut quædam purgamenta contemnat: illam, quod à religione colenda, & excolendæ ſemel ſibi traditæ fidei nunquam receſſit: illum vero quia ſcripſerit; O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. Et item: ſi quis vobis annūciauerit præterquam, quod accepiſtis, anathema ſit. Quod ſi neque Apoſtolica definita, neque Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſacroſanctam vniuerſitatis, & antiquitatis conſenſionem cuncti ſemper hæretici, & ad extremum Pelagius, Cæleſtinus, Neſtorius, iure meritoque damnati ſunt, neceſſe profecto omnibus deinceps Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, vt ſanctæ ſanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinent, immoriantur: profanas vero profanorum nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur.*] Hactenus Vincentius Lyrinenſis, qui regulam vetuſtatis, & probat, & explicat clariſſime, & vrget meritiſſime: vt in controuerſiis fidei ſemper nouitas cedat vetuſtati: etiam ſi nouitas iam facta ſit vetus, modo eam vetuſtas præceſſerit.

Hoc idem Leo quoque Romanus Pontifex ad XXV.
Theodoſium ſcribens paucis perſtrinxit, & in declarando myſterio Dominicæ incarnationis cōtra Neſtorium, Epheſinam ſynodum ſe quoq; in ſua ad Flauianum dogmatica Epiſtola, vetuſtati potiſſimū
hæſiſſe affirmat. b *Noti ſunt* (inquit) *per vniuerſum, at-* b Leo ep.
que manifeſti, qui ante nos ſiue Græca, ſiue latina lingua in 15.
Catholicæ veritatis prædicatione fulſerunt, ad quorum ſcientiam, atq; doctrinam quidā etiam noſtræ ætatis accedunt, de quorum ſcriptis par. & multiplex profertur inſtructio. Quæ ſicut Neſtorianam hæreſim ſtruxit, ita etiam hunc, qui nunc male repullulat, abſcindet errorem. Relegat itaque ſollicite quia à ſanctis Patribus Incarnationis Dominicæ fides fuerit cuſtodita, ſemperque ſimiliter prædicata, & cum ſanctæ memoriæ Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Epiſtolam, qua Neſtorium corrigere, & ſanare voluit, prauas prædicationes ipſius arguens, & euidentius fidem Nicænæ definitionis exponens, quamque ab eo miſſam Apoſtolicæ ſedis ſcrinia ſuſceperunt, præcedentium ſenſui perſpexerit conſonantem. Epheſinæ etiam ſynodi geſta recenſeat, quibus contra Neſtorii impietatem, à ſancta memoriæ Cyrillo inſerta, & allegata ſunt de Incarnatione Domini Catholicorum teſtimonia ſacerdotum. Non aſpernetur etiam meam Epiſtolam recenſere, quam pietati Patrum per omnia concordare reperiet.] I-
tem alibi: c *Iam dudum fidei Catholicæ prædicationi* c Idem ep.
non deſum; vt qui non poteſtis ignorare quid ex antiqua 49.
traditione credamus, non poſſitis dubitare quid cupiamus. Vnde fratres chariſſimi reſecta penitus audacia diſputandi contra fidem diuinitus inſpiratam, vana errantium infidelitas conquieſcat; nec liceat defendi quod non licet credi; cum ſecundum Euangelicas autoritates, ſecundum Propheticas voces, Apoſtolicamque doctrinam pleniſſime, & lucidiſſime per literas quas ad beatæ memoriæ Flauianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum.]

Scythæ quidam monachi (quos valde imperite XXVI.
d Baronius hęreſis condemnare conatur, vt legatos d Bar. to. 7.
Rom. vere tunc errantes defendat) optime regu- an. 519. n.
lam hanc explicant; Eccleſiæ nempe in conſer- 113.
uandis veræ fidei explicationibus fidelitatem: ita vt ipſa antiqua Eccleſia Lydius ſit lapis ad probanda ea, quæ diuina fide ſunt tenenda; Sic enim ad Africanos Epiſcopos, expedita ad eos
ſolemni legatione ſcribunt. e *Vtile, & perneceſſarium,* e Ibid. n.
ſanctiſque Dei Eccleſiis ſpecialiter credimus profuturum, ea 114.
quæ de incarnatione, & diſpoſitione diuina nobiſcum vniuerſæ ſanctæ Eccleſiæ Orientalium contra hæreticos defendunt qui prauis, & iniquis argumentis antiquam Eccleſiæ fidem inquietare non ceſſant, ſanctitati veſtræ ſuggerere, atque de his conſenſum veſtræ beatitudinis ſuppliciter promoueri. Quia in nullo ſanctam glorioſamque confeſſionem veſtram credimus diſſentire, præſertim cum vno vbique Spiritu ſanctam Dei Eccleſiam vegetari minime dubitemus. Non enim parua, immo potius magna lætitia vniuerſi complebuntur Orientales, ſi ſanctitatem veſtram ſuis; imo magis Catholicis nouerint in omnibus conſentire dogmatibus. Vnde ſuppliciter petimus, & obſecramus beatitudinem veſtram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferius continentur, diſcutiētes, vt decet veriſſimos & intrepidos Chriſti prædicatores ſcriptis ſententiā veſtrā nobis

patefacere iubeatis, vt ſi Deo præſtante, Catholicæ fidei conuenienſ, & Apoſtolicis traditionibus noſtra apud vos (ſicut nos confidimus) fuerit expoſitio comprobata, & facile tantorum virorū probatiſſimorumq́; ſacerdotum autoritate munitis iniqua loquentium ora obſtruere valebimus, & in fide ſanctorum Patrum perſeuerantes, Deo qui nos ſanctimoniæ ſuæ confeſſione glorificauit, gratias referamus Domini ſanctiſſimi. & Deo digniſſimi:] Sed & Gelaſius Roman. Pont. fatetur, ex ſcripturis, & maiorum prædicationibus ſemper Eccleſiam in Conciliis hæreſes confutaſſe. Ait enim ad Dardanos ſcribens. *a Percurrere vos oportet ab ipſis beatis Apoſtolis, & conſiderare prudenter, quoniam Patres noſtri Catholici, doctiq; Pontifices in vnaquaq; hereſi quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica, atq; Apoſtolica, ſecundum ſcripturarum tramitem, prædicationemque maiorum facta ſemel congregatione, ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmumq; conſtare.*] Atque ex his mihi ſufficiat id quod intendebam de autoritate Eccleſiæ probaſſe, & clariſſime declaraſſe, ac confirmaſſe. Alias autoritates in hoc genere, alia occaſione colligo inferius, cap. 6. n. 4. & ſeqq.

a Gelaſ. ep. 11.

XXVII. In hoc ſenſu profecto Eccleſiam errare non poſſe omnino dicendum eſt, quando ex ſuo theſauro veritates à Chriſto & Apoſtolis traditas & explicatas, profert; Nō enim de ſuo quicquam illa profert (nam ſic errare poſſet) ſed ipſammet Chriſti & Apoſtolorum doctrinā profert, quæ nulli errori ſubſtare poteſt. Nullo ergo modo admittenda eſt Catholico viro aſſertio iam cōmunis noſtrarum ſcholarum à Bellarmino poſita, imo & nobis de fide, videlicet *b* Eccleſiam abſolute non poſſe errare, nec in rebus abſolute neceſſariis, nec in aliis, quæ credēda vel facienda nobis proponit, ſiue habeantur expreſſe in ſcripturis ſiue non; *& cum dicimus (inquit) Eccleſiam non poſſe errare, id intelligimus tam de vniuerſitate fidelium, quam de vniuerſitate Epiſcoporum: ita vt ſenſus ſit eius propoſitionis, Eccleſia non poteſt errare; id eſt, id quod tenent omnes fideles, tanquam de fide, neceſſario eſt verum & de fide, & ſimiliter id quod docent omnes Epiſcopi tanquam ad fidem pertinens, neceſſario eſt verum, & de fide*] Hæc aſſertio, niſi ex regula illa communiſſima & certiſſima, quam ex Lyrinenſi in ſuperioribus produximus, ſuam accipiat moderationem, periculoſiſſima eſt, mille falſitatum in Eccleſiam inductiua, & diſſenſionum ac ſchiſmatum, imo etiam hæreſum mater peſtilentiſſima. Noui enim errores poſſunt facile, Deo ſic permittente, (ſe enim id non permiſſurum Deus nunquam promiſit) maximam Eccleſiæ partem occupare, pauciſſimis interdum iiſque oppreſſis, ac conculcatis, errores hoſce reſpuentibus, ne Eccleſiæ penitus præualuiſſe dicantur (in hoc enim firma eſt Chriſti promiſſio.) Propterea ne igitur errores, & hęreſes erunt firma fide amplectēdæ, quia vniuerſitas fidelium, vel Epiſcoporum ita docent, tenēt, & credunt? Abſit. Habemus tutiſſimam regulam, ſi doctrina illa ex proprio alicuius cerebro primum emanauit, & vt ab vniuerſitate reciperetur, dolus, fraus, ars, vis, ingenium, inſcitia, negligentia effecerunt, vim non habebit. Non enim illam Scriptura habet neq; vetus & vera traditio confirmat; quod vero vniuerſitas fidelium vel Epiſcoporum tenet, credit, & docet, cum tribus illis conditionibus ſimul iunctis, *ab omnibus orthodoxis, vbique, & ſemper*, id procul dubio de fide erit, nō quia vniuerſitas ita tenet, ſed quia conſtat id vel in ſcripturis eſſe clarum, vel ſaltem à Chriſto, vel Apoſtolis Eccleſiæ traditum, & conſignatum.

b Bellar. de Eccl. milit. c. 14.

XXVIII. Probat ſuam peſſimam aſſertionem Bellarminus hoc pacto. Primum, *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. Secundo, *Eccleſia à Chriſto gubernatur.* Tertio, *Qui Eccleſiam non audit anathemate percutitur.* Matth. 18. Quarto, Eccleſia eſt ſancta ob profeſſionem ſanctorum dogmatum. Quinto, Aliquid contra Caluinum profert. Vltimo Patres ita ſentiunt Tertullianus, & Auguſtinus. Reſpondeo ad 1. vt ſupra n. 4. Columna, & firmamentum eſt Eccleſia, quia veritatum omnium neceſſariarum ipſa eſt fidiſſima Cuſtos: non modo verbi Dei ſcripti, ſed etiam neceſſariarum traditionum, non ſcriptarum, quæ neceſſarias verbi ſcripti habent explicationes, vt iam declaraui; neq; ſolum eſt Cuſtos ſimplex, ſed etiam propugnatrix & prædicatrix; vere in hoc columna, vere firmamentum, omnes illos fidei articulos repellens, quos vel in ſibi conſignatis ſcripturis, vel traditionibus non inuenerit. Ad 2. Chriſtus ſatis ſuam Eccleſiam præmuniuit in neceſſariis per claras Scripturas, & per Apoſtolicas veras traditiones. In his enim omnia fidei neceſſaria habentur ſufficientiſſime, & extra hæc nihil nobis poteſt eſſe certum de fide, & conſequenter neque vllum poteſt eſſe periculum errandi in fide. Ad 3. Audienda eſt Eccleſia dum dat morum correptiones, & qui non vult ſuos mores Eccleſiæ conformare, ſit vt Ethnicus & publicanus. Ibi enim loquitur Chriſtus de fratre in fratrem peccante. Sed audienda etiam eſt in doctrina fidei, vbi illa quod didicit à Chriſto & Apoſtolis docet, non autem vbi illa ex ſe vult docere, quod expreſſe non didicit. Ad 4. Sancta ſunt omnia dogmata & theorica, & practica, quæ ſcripta Eccleſia conſeruat, & ex Scriptura promit, ſanctæ quoque vtriuſque generis dogmatum explicationes, quas ab Apoſtolis ſibi datas Eccleſia ſeruat & promit, non ex proprio ingenio, ſed ex penu & theſauro legitimæ traditionis. Ad 5. Eccleſia neque in neceſſariis, neque in non neceſſariis poteſt errare, ſi ſemper quod didicit tantummodo doceat; ſi vero velit ex ſe, quæ non didicit à Chriſto & Apoſtolis, promere, ſemper tam in neceſſariis, quam non neceſſariis poterit errare. Ad vltimum Patres, vt vidimus, illam ſolam tradunt Eccleſiæ inerrabilitatem, quod prædicationes Apoſtolicas penes ſe illa intactas conſeruet, & quia doctrina Eccleſiæ eſt Apoſtolica, inde ab Apoſtolorum temporibus conſeruata, ideo nulli errori obnoxia. De Conciliorum autoritate dixi ſatis capit. 3. De Epiſcopis & Patribus dicam cap. 6. Atque in hoc ipſo habemus vel ipſum Bellarminum conſentientem: qui vtinam repertum hoc quaſi obiter fundamentum, ſuo de Eccleſia tractatui ſubieciſſet! ruinoſum profecto illud huius aſſertionis, quam nunc exagitamus, ædificium, adeoque periculoſum, furibus & latronibus duntaxat inſeruiens, non extruxiſſet. Ait enim: *c Definitiones de fide pendent præcipue ex traditione Apoſtolica, & conſenſu Eccleſiarum, vt autem cognoſcatur de orta aliqua quæſtione, quæ ſit totius Eccleſiæ ſententia, & quam traditionem ſeruent Eccleſiæ Chriſti, non eſt alia melior ratio, quam ſi in vnum conueniant Epiſcopi, ex omnibus prouinciis, & quiſque referat Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem.*] Nihil tamen ex ingenio proprio promerent.

c Bellar. de Rom. Pont. l. 4. c. 7.

Noſtri igitur, qui Eccleſiæ autoritatem in rebus fidei definiendis aliter conſiderant, errant plurimum, dum volunt Eccleſiam vniuerſalem ſemper poſſe ex ſe propria autoritate, in actu ſignato res fidei controuerſas definire; & nouas, quæ nunquam antea in Eccleſia datæ ſunt, poſſe dare declarationes, quæ diuina fide ſint credendæ. XXIX

Hancenim autoritatem in Eccleſia etiam vniuerſali, nunquam aut Eccleſia ipſa aut Patres vlli ex antiquis agnouerunt. Illud vero reddidi compertiſſimum, Eccleſiam non per modum Iudicij, & deciſionis res fidei declarare, ſed per modum duntaxat atteſtationis: & ita noua declaratio nulla eſt poſſibilis in Eccleſia, quæ ad fidem obliget, ſi illa in Eccleſia actu ipſo, aut ſaltem virtute, & deductiue per neceſſariam conſequentiam, non conſeruetur. In eo etiam errant, quod vniuerſalem Eccleſiam illam ſolam faciunt quæ Papatui vſurpato ſub eſt. Hoc pacto Donatiſtæ ſuam ſolam fidem veram faciebant, quia ſolam ipſorum Eccleſiam faciebant vniuerſalem, reliquas omnes ex numero Chriſti Eccleſiarum expungebant, indeque fidem ſuam: imo ſectam & hæreſim, veram faciebant; quia ipſis erat vniuerſalis. Hoc pacto & ſchiſmata & hæreſes poſſent facile ſe ipſas, tali vniuerſalitate, confirmare. Hoc incommodum euitatur, & regula tuta, certa, perfecta relinquitur, vt quod vetus Eccleſia Chriſti vniuerſalis, antequam in ſectas diſcerperetur, credidit, tenuit, conſeruauit, id omnino firma fide credendum ſit. Si quid vero nunc Eccleſia etiam vniuerſalis doceret, & diuina fide ſe credere profiteretur, id tutum eſſe non poſſet, niſi ita ſemper poſt Apoſtolos Eccleſiam ipſam Catholicam, aut ſaltem primitiuam, & veterem totam, ante corruptiones, tenuiſſe, crediſiſſe, & docuiſſe, manifeſte conſtaret. Papatus ergo ſeptenarius numerus Sacramentorum, indulgentiæ, & ſimiles plures articuli, quia ſola autoritate Eccleſiæ recentioris firmantur, manent omnia, & improbata, & improbabilia: de vera Eccleſia, & de eius notis agam cap. 10. huius.

XXX. Sed neque id totum, quod Eccleſia tota vetus vbique & ſemper tenuit, erit neceſſario articulus diuinæ fidei, niſi Eccleſia tota vetus vbiq; & ſemper id tenuerit tanquam reuelatum, & vt verbum Dei à Chriſto & ab Apoſtolis traditum & explicatum. Potuit enim primitiua etiam Eccleſia vel ex propria deuotione, non ex reuelatis, nec à Chriſto, vel Apoſtolis traditis aliquid pium, quod licet Scriptura non doceat, Scripturæ tamen & prędicationi Apoſtolicæ contrarium non ſit, tenere & profiteri, non tanquam articulum fidei, ſed vt aliquid pium & valde decens. Præſertim vbi articulus ille potuit primitiuæ Eccleſiæ non ex vlla reuelatione, ſed ex ſenſata & hiſtorica cognitione innoteſcere, & humana traditione in alios per manus tranſmitti ſucceſſores. Sic perpetua poſt partum virginitas Mariæ Chriſti matris beatiſſimæ, poteſt haberi ex humana traditione veriſſima, abſque vlla diuina reuelatione, ac ideo articulus fidei nō erit, ſed quædam quaſi ſenſata cognitio, ſenſibus ipſis primum nota ijs, qui virginem Deiparam cognoſcebant, & poſt partum Chriſti Domini à viro nunquam cognitam ſciebant, idipſum & ipſa & Ioſepho atteſtantibus. Nam virginem peperiſſe Chriſtum Scripturæ apertiſſime teſtantur, & eſt articulus fidei celeberrimus. Poſt partum vero inuiolatam permanſiſſe poteſt hiſtorica, & certiſſima veritate ſciri. a Stultiſſimæ ergo inſaniæ eſſet hoc negare, vt in ſimilibus loquitur Auguſtinus; non tamen infidelis, aut hæreticus eſſet, qui id negaret: Siquidem hac de re nulla extet reuelatio.

a Aug. ep. 118.

CAPVT V.

Romanum Pontificem controuerſiarum fidei Iudicem nec vniuerſalem, nec infallibilem eſſe.

SVMMA CAPITIS.

De Romano Pontifice, quoad controuerſiarum iudicium quatuor probanda proponuntur n. 1.

1. *Munus hoc iudiciarium non fuiſſe vnquam Papæ à Deo commiſſum probatur primum: quia in Scriptura hæc commiſſio non habetur: à n. 2 ad num. 9. Deinde, quia Patres id non agnouerunt, imo negarunt. à n 10. ad num. 22. Et priuilegium de grauioribus cauſis ad ſedem Apoſtolicam referendis diſcutitur n. 23. 24.*
2. *Papam errare poſſe ratione & autoritatibus probatur à n. 25 ad num. 29. Contraria probationes ex ſcripturis allatæ tolluntur à n. 30. ad n. 39. Eccleſiam quoq; Romanam poſſe errare, & erraſſe oſtenditur n. 40. 41. 42. Et de facto Papas plures erraſſe probatur: à n. 43. ad num. 49.*
3. *Implicitam fidem qua quis in genere credit quicquid Romana Eccleſia credit eſſe periculoſam, & inſufficientem: à n 50. ad num. 54.*
4. *Canonizationem ſanctorum eſſe rem vanam: in eaq; Papam ſibi immerito ius arrogare, & errare facile poſſe demonſtratur: à n. 55. ad finem Capitis.*

1. MVLTA vſurparunt Romani Pontifices, multa ſibi indebite arrogarunt: ſed nihil eſt Eccleſiæ ſanctæ perniciosius, nihil ei deteſtabilius, quam quod prętendunt, quod aſſerunt, quod opere exequi perpetuo conantur, *Iudicium vniuerſale in rebus fidei proponendis, declarandis, definiendis.* Hæc enim Lerna malorum omnium; hic fons errorum; hæc diſſenſionum in Eccleſia, ſimultatum & ſchiſmatū ampla vena, & abundans ſcaturigo; dum ipſe, vel in ipſas fidelium conſcientias dominatum deſpoticū exercet, eaſq; flectere ac reflectere eo nititur, quo humana ipſius & ſæpe diabolica eum conſilia dirigunt; & nihil penſi habet num veritates ſpirituales, num falſitates obtrudat; dummodo ad tuendum prodigioſum illum Papatum ipſi inſeruiant. Quod cum

eum oculatus quiſq; facile percipiat, ac proinde ſe cæcum à duce cæco in foueam duci, imo trahi non conſentiat, ecce tibi diuiſiones, & ſchiſmata in Eccleſia; Ille enim huiuſmodi oculatos vocat refractarios, hæreticos ac ſchiſmaticos; eos excommunicat, ac diris deuouet; illi ipſum Tyrannum Eccleſiæ, conſcientiarum carnificem, erronem, auaritiæ & ambitionis mancipium indigitant, horrent, auerſantur, abominantur. Suos ille ſequaces habet, alij ſuos. Hi dicunt, *a Nos ſumus Pauli; illi dicunt nos Cephæ, alii nos Apollo*; & ſic Chriſtus in fruſta miſere diſcerpitur. Quod neceſſe eſt contingere, vbi homo mortalis, miſer, & peccator, atq; vnus ex illis de quibus dicitur, *b Omnis homo mendax*, pro infallibili iudice in rebus fidei aſſumitur, eiq; nimium infælici ter adhæretur; ſiue quis ſibi Iudicem hunc Papam præſtituat, ſiue Lutherum, ſiue Caluinnm, ſiue quẽcunque alium purum hominem ſingularem, quem impoſſibile eſt eſſe tutum Iudicem, cuius ſolius autoritate dubia circa fidem, & ſacræ Scripturæ verã intelligentiam exorientia diſſoluantur. Vt partim iam in præcedentibus probaui, partim in hoc ipſo, ac proxime ſequenti capite confirmabo. Quod enim ad Romanum Põtificem ſpectat, quem in hoc capite conſiderandum ſumpſi, oſtendam, vt ſpero, primum officium hoc primi, ac ſupremi Iudicis cõtrouerſiarum, ei peculiari aliqua ratione non competere. Deinde ipſum, vt quemcunq; alium Eccleſiæ miniſtrum inhabilem eſſe ad hoc iudicium ferendum, cum ſit ipſe æque, vt alius quiuis, fallibilitati & errori obnoxius. Tertio in eo maxime errare noſtros Pontificios, quod fidem implicitam ſufficientem eſſe doceant, qua quis dicat ſe in omni controuerſia credere, quicquid Romana Eccleſia credit & docet. Quarto demum de poteſtate Papæ in ſanctorum canonizatione aliquid ſubiiciam.

a 1.Cor.3.12.
b Pſal.116.11.

II. Poſſumus igitur ante omnia interrogare noſtrũ Beatiſſimum verbis Chriſti, ac dicere ei, *c Homo quis te conſtituit Iudicem ſuper nos*? Ac niſi oſtendat id muneris ſibi à Chriſto commiſſum, & iure diuino ſe habere ſupremam hanc fidei explicandæ poteſtatẽ, audiet merito a nobis; *Quare tibi arrogas illud muneris quod ſine ſpeciali diuina commiſsione nemini competit*? Habent noſtri Hieromonarchici locum ex Euangelio ſibi paratum, vbi Petro dicit Chriſtus, *d Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Sed molem ingentem diuinitatis, aut ſaltem Vicedeitatis in tã exili teſtimonio erigere eſt ſummæ dementiæ. Dominus Petro illud dixit; at quid Papæ cum Petro? Romanus Pontifex non eſt Petrus, neque ſpeciali ſucceſſione ſuccedit Petro; ſatis id probaui lib. 4. cap. 6. Sit tamen ſucceſſor Petri etiam in hoc munere confirmandi fratres; ſed quid ibi eſt confirmare fratres? nimirum negantes Chriſtum corroborare, ac vt in confeſſione fidei conſiſtant hortari, & ſuadere, labentesque ſuſtinere: Hoc vero non eſt controuerſias fidei definire. Eſto tamen: donemus confirmare fratres eſſe fidei dubia illis euellere: At ſi hoc fuit perſonale in Petro, quomodo id ſibi arrogat quicunq; in perſonalibus non ſuccedit; Fuiſſe vero perſonale aliquid in Petro, quando ei dictum eſt, *confirma fratres*, plene docui lib. 1. cap. 6. n. 39. & cap. 9. n. 8. Oſtendant mihi, obſecro, vnum quemcunq; ex orthodoxis Patribus, qui verba illa Chriſti, *confirma fratres*, eo ſenſu intellexerit aut explicarit, quo illa iſti noua, inſolita, priſcæ Eccleſiæ inaudita interpretatione nobis obtrudũt. Deſinant ergo illi tantum officium ſibi arrogare, neq; Euangelicis verbis vim faciant.

c Luc.12.14.
d Luc.22.32.

III. Bellarminus tamen non nihil conatur, Vbi enim nititur Papam facere ſummum Iudicem in controuerſiis fidei & morum dijudicandis, agnoſcit duas eſſe quæſtiones diſtinctas; alteram, *Num in ſummo Pontifice ſita ſit poteſtas iudicandi controuerſias fidei, & morum: alteram, An iudicium in hoc Papæ ſit certum, & infallibile*. Et ſane priorem quæſtionem ſatis ieiune peruolat. *e Nam in diſputatione* (*inquit*) *de verbo Dei iam oſtendimus, Iudicem controuerſiarum non eſſe ſcripturam, nec ſeculares Principes, nec priuatos homines quamuis probos & doctos, ſed Eccleſiaſticos Prælatos.*] Negatiuam hãc propoſitionem facile ipſe quoq; admitto; nempe dubia obſcura Scripturæ per ipſam ſcripturam non ſemper, nec omnia clare & aperte tolli. Neq; Principes ſæculares, neq; priuatam vllam perſonam ſiue laicam, ſiue Eccleſiaſticam habere hanc iudiciariam poteſtatem in controuerſiis fidei & morum diiudicandis. Sed non hinc ſequitur, Papam præſertim ſolum, illam habere. Si enim quis diceret nullũ prorſus in Eccleſia eſſe Iudicem talem, neq; vnicũ hominem, neq; plures ſimul, ſiue Prælatos, ſiue nõ Prælatos, quia videlicet in neceſſariis, vel Scriptura clara eſt, & per ſe dilucida; vel ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris iam pridem ſufficienter expoſita, & declarata. At vero in non neceſſariis Iudicem non eſſe neceſſarium, ſed ea piorum & doctorum pio ac libero ſtudio eſſe relicta, modo ijs quę neceſſaria sũt, & iam clara ac declarata, non repugnent. Si, inquã, hoc diceret aliquis omnino confutandus ei eſſet, qui Iudicem in Eccleſia conatur inducere. Itaque ex illa negatione, meo iudicio veriſſima, nihil pro Papa, aut quocunq; alio poteſt haberi.

e Bellar. de Rom. Pon. l. 4. c. 1.

IV. Addit iſta Bellarminus: *Deinde in hac ipſa diſputatione de Pontifice cum oſtendimus ſummum Pontificem caput, & Paſtorem eſſe totius Eccleſiæ, quid aliud oſtendimus, quam eſſe eum ſummum Iudicem in Eccleſia? aut enim nullus eſſe debet inter homines Iudex, aut is debet eſſe qui cæteris præeſt. Neq; id puto in controuerſiam vnquam eſſe reuocatũ.*] Nos vero probauimus Eccleſiam totam vniuerſalem nullum aliud caput habere niſi Chriſtum. Viſibile caput profligauimus, tum lib. 1. ferme toto, tum lib. 4. Et ſi viſibile caput non eſt niſi ad externa, quid iuris habebit ad interna, cuiuſmodi præcipue eſt fides? De ſpirituali tamen poteſtate dicet Bellarminus ſe loqui. Ego vero ſpiritualem poteſtatem totam, quæ ſit in Eccleſia lib. 5. conſideraui, & in quo, ſeu in quibus illa ſit, abunde poſtremo cap. eiuſdem libri explicaui. Poteſtas ſane dijudicandi fidei controuerſias eſt ſpiritualis, ſed vt dixi poſſet ab aliquo dici eam iam, quippe non neceſſariam in Eccleſia, nequaquam eſſe. Et ſic poteſt eſſe fortaſſe aliquis, qui toti Eccleſiæ præficiatur, ſed hac poteſtate iudiciaria, cum neceſſaria non ſit, non muniatur. Igitur neq; ex hoc, quod quis præſit, ſequitur ipſum eſſe Iudicem hunc controuerſiarum; In eo enim Iudex erit in quo præeſt: At dicet aliqus, in definiendis rebus fidei neminem præeſſe, quia omnes neceſſariæ ſunt iam definitæ. Hoc itaq; eſſet impugnandum.

V. Subdit poſtea illud Bellarminus; *Deniq; id ipſum in ſequenti etiam quæſtione planum fiet. Nam ſi demonſtrare poterimus iudicium ſummi Pontificis certum & infallibile eſſe, profecto conſtabit quoq; eundem Pontificem ſummum Eccleſiæ Iudicem eſſe. Quorſum enim Deus attribuiſſet Apoſtolicæ ſedi iudicii infallibilitatem, niſi attribuiſſet eidem ſedi ſummam in Iudiciis poteſtatem?*] Hanc eandem quæſtionem etiam ipſe paulo poſt tractabo, & Papæ totam auferam infallibilitatem. Sed tamen neque ſequitur ipſum eſſe Iudicem vniuerſalem conſtitutũ, ex eo quod errare non poſſit: ſequitur tantũ ipſum poſſe tuto iudicare, ſi quis ad eius iudicium in re-

bus fidei confugiat. Sed ipſum eſſe Iudicem à Deo conſtitutum, cum publico officio, & munere iſta diiudicandi & definiendi profectò non ſequitur. Facile mihi concedent noſtri, Beatiſſimam Chriſti matrem virginem Mariam in fide fuiſſe firmatiſſimam, neq; errare potuiſſe, etiam dum mortalis eſſet; ſed tamen nemo aſſeret ipſam fuiſſe à Chriſto Iudicem in Eccleſia conſtitutam. Sic doctiſſimus quiſq; legum ciuilium, vel municipalium peritus, infallibile habet iudicium in lite iuxta leges dirimenda; ſed non propterea eſt Iudex litium, niſi ſpecialiter ab habente autoritatē cōſtituatur; & ipſius ſententia erit veriſſima & tutiſſima; priuata tamen, non publica, nec iuriſdictionalis. Si ergo ſedes Apoſtolica Romana aliquandiu initio puriſſimam fidem conſeruauit, hæc fuit ipſius excellentia priuata, ex qua tutum eſſet quicquid illa doceret, & propter quam ad eam libenter confugerent aliæ Eccleſiæ veritatis indagatrices; ſicut ad peritum Iuris-conſultum confugiunt litigantes, non tāquam ad iudicem, ſed tanquam ad infallibilis iudicij doctorem. In hac tamen excellentia aliæ etiam ſedes Apoſtolicæ fuerunt aliquæ breuiori, aliquæ longiori temporis ſpacio inſignes: nulla tamen, neq; Romana habuit hinc priuilegium vllum perpetuum, & inamiſſibile. Certe enim Romana eo iàm diu gloriari non poteſt, vt ſępius monui in pręcedentibus, & inferius explicabo.

VI. Ne tamen nihil omnino dicat Bellarminus pro confirmatione huius primæ quæſtionis, an Papa ſit ſummus ille Iudex, *a profert pauca quædam teſtimonia ex lege, Euangelio, & Patribus. Locum in primis profert ex Deuteronomio, vbi* b *à ſacerdote indaganda eſt iudicii veritas, cuius iudicii executio Principi politico demandatur.*] Multum tamen errat in hoc Bellarminus: Primum quod ſolius ſacerdotis ibi agnoſcit iudicium: cum tamen in eo Concilio ęque includatur magiſtratus laicus atq; ſacerdos, vt oſtendi lib. 1. cap. 12. n. 36. & ſeqq. Deinde quod illud iudicium putat fuiſſe etiā ad interna fidei, cum tamen eſſet circa cauſas ciuiles & criminales, aut etiam ſpirituales, ſed fori externi, non circa dogmata fidei. *Inter cauſam*, inquit Scriptura, *& cauſam; lepram & lepram*: certe corporalem; & hoc poſtea bene explicauit Rex Ioſaphat, vt oſtendi lib. 1. cap. 12. n. 33. Nec ait Scriptura, & credes prout illi credendum eſſe definierint; ſed *facies*, inquit, *quodcunq; dixerint*: ergo iudicium illud erat de agibilibus. Tum vero etiam non ſequitur, vt eadem munera ſacerdoti nouæ legis commiſſa intelligantur, quæ Moſaico ſacerdoti fuerant commiſſa. Præterea non conſtat ſummum ſacerdotem Iudæorum in eo Iudicio ſediſſe. Sane Baronius c negat in hoc Concilio Pontificem præſediſſe, vt alias monui. Ac demum ſolus Romanus Pontifex non tenet quodammodo locum ſummi Iudæorum ſacerdotis, ſed quicunque Epiſcopus, vt probaui etiā ex aſſertione ipſius Bellarmini meo primo libro huius operis cap. 12. n. 29.

a Bell. vbi ſupra.
b Deu. 17. 9.
c Bar. to. 1. an 31. n. 10.

VII. In Euangelio nihil clarius dici poſſe ait Bellarminus, quam quod ait Dominus Petro: *Paſce oues meas: At paſtoris eſt diſcernere bona paſcua à malis.*] Mirabile quot officia, quot dignitates, quot poteſtates vnico illo verbo Paſce contineantur. De hoc ego fuſe egi lib. 1. cap. 8. ac nihil peculiare pro Petro in eo contineri docui, quod non fuerit commune omnibus Apoſtolis. Docui vero etiam lib. 4. cap. 6. Romanum Pontificem Petro non ſuccedere in ſpecie, nec Petri priuilegia ad ipſum ſolum deſcendiſſe. Et ſicut verum eſt boni paſtoris eſſe diſcernere bona à malis paſcuis, ita falſum eſt hoc ad vnum ſolum paſtorem pertinere; Omnes enim paſtores boni hanc habēt diſcretionem, imo etiam plurimi, qui tamen paſtores non ſunt. Non igitur ſolus Papa ideo iudex, quia Paſtor; Nam alij etiam præter ipſum, aut cum ipſo ſunt paſtores, ac proinde alij quoq; bonorum & malorum paſcuorum ſuo modo Iudices. d *Paſtores multi ſumus, & vnum gregem paſcimus*, inquit Cyprianus: Nihil ergo habet ex Euangelio; Euangelium potius hanc iudiciariam poteſtatem negat eſſe in quocunque vno homine ſingulari; illa enim non eſt ſine Spiritus ſancti aſſiſtentia; atqui hæc aſſiſtentia non ſoli Petro, non vni alicui alicuius certi loci Epiſcopo, ſed omnibus ſimul Apoſtolis, eorumq; omnibus ſimul ſucceſſoribus à Chriſto promiſſa fuit. e *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi.*

d Cypr. l. 1. ep. 13.
e Matt. vlt.

VIII. Baronius ex illa Petri confeſſione, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, colligit Petrum ſolum fuiſſe Iudicem primarium in rebus fidei definiendis. f *Quoniam (inquit) Diuina illa ſapientia prauidebat fore, vt in Eccleſia ſæpius eiuſmodi, quæ ad fidem pertinent, orirentur controuerſiæ, ac diſceptationes: iure conſuluit, vt à quo quid quolibet tempore decernendum foret in comperto eſſet, & ne ex cuiuſque animi ſententia fide in diuerſa diſtracta diuina in Eccleſia collata Sacramenta vileſcerent, vnum idemq; viſibile omnibus caput ſtatuendum putarit, &c.*] Si confiteri fidē propriam, eſt definire fidei controuerſias, etiam g Nathanael imo & h Martha, qui ſimilem fidei fecerunt confeſſionem, fuerunt capita fidei viſibilia. Et veritas illa fuit Petro à Patre reuelata, Chriſto id aperte teſtante; at vnde cōſtat Papę fieri à Patre Deo reuelationes? ſomnia ſunt iſta. Hanc vero Petri cōfeſſionem, & verba illa ei à Chriſto repoſita, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram &c.* Papatum nulla ratione reſpicere ſatis probaui lib. 1. cap. 6. neque eſt cur hic amplius in hoc immoremur. Profecto i Paulus præripuit Petro magiſterium hoc, quando de circumciſione aliter, quam Petrus, docebat; imo, & Petrum redarguebat, nec ipſius iudicio ſtare volebat.

f Bar. to. 1. an 33. n. 17. 18.
g Ioa. 1. 49.
h Ioa. 11. 27.
i Gal. 2. 14.

IX. Vrgent nonnulli noſtrûm, nec parum, factum Pauli, qui ad Petrum k acceſſit, conferens cum ipſo ſuam prædicationem, ne in vacuum curreret, aut cucurriſſet. At Paulus cum primum vocatus fuit ad Apoſtolatum, habuit à Deo immediate l reuelationē Filij eius, vt euangelizaret illum in gentibus; quæ reuelatio fuit ei tam certa & tuta, quam certa & tuta fuit reuelatio facta Petro ab eodem Deo Patre, ac propterea nullum dubium habere poterat, quod ei à Petro vel aliis Apoſtolis ſolueretur. Imo ait, ſe cōtinuo non acquieuiſſe carni, & ſanguini, neq; acceſſiſſe Hieroſolymam ad Apoſtolos ipſius anteceſſores. Et carnem, ac ſanguinem ipſos Apoſtolos vocat, vt cum m Chryſoſtomo intelligunt multi. Poſtquam vero iam tres annos prædicauerat in Arabia & alibi, venit Hieroſolymam videre Petrum, non vt diſceret, ſed propter fraternam charitatē, vt idem Chryſoſtomus & Auguſtinus, alijq; obſeruant, vt oſtendi lib. 1. c. 9. numer. 26. n Aſcendit quidem rurſus poſt annos 14. ſuæ conuerſionis Hieroſolymam, ſecundum reuelationem, & tūc contulit Euangelium, quod prædicabat in gentibus, cum Apoſtolis, non cum Petro ſolo, & ſeorſim cum ipſo fortaſſe, & aliquo alio, *qui videbantur*, inquit, *aliquid eſſe*. Hanc tamen collationem non fuiſſe vt diſceret ab eis, quaſi dubitaret, aliquid de veritate ſui Euangelij, quod per ſpecialem reuelationem habuerat à Deo, idque per continuos 14. annos gentibus prædicarat, fatetur ipſe dum ait, o *Mihi, qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt*. Contulit igitur Euangeliū

k Gal. 2. 1.
l Gal. 1. 16.
m Chryſ. in c. 1. ad Gal.
n Gal. 2. 1. & Act. 15. 4.
o Gal. 2. 6.

ſuum cum Apoſtolis, non vt diſceret, ſed vt imperitos quoſdam confunderet, tolleretque ſcandalum, quod multi ferebant, qui aliter Paulum, aliter alios priores illo Apoſtolos, ac præſertim Petrum docere putabant, & aſſerebant. Voluit autem omnibus conſtare idē ipſum & omnes Apoſtolos prędicare. Audiamus Chryſoſtomum. *a Quādo, (inquit) Paulus Act. 15. cap. aſcendit Hieruſalem vt conferret de legalibus, aſcēdit non vt diſceret, ſed vt perſuaderet.*] Et Hieronymus aduentum hunc Pauli ad Apoſtolos poſt 14. annos, ait fuiſſe, *b Non quod Paulus timuerit, ne per 17. annos falſum vrgentibus Euangelium prædicaſſet, ſed vt oſtenderet præceſſoribus ſuis, non ſe in vacuū currere, aut cucurriſſe, ſicut putauerant ignorantes.*] Petrus itaque nō fuit ſolus mundi magiſter; ſed reliqui omnes Apoſtoli æque, ac ipſe, erant magiſtri certiſſimi & indubitatiſſimi, quia à Chriſto inſtructi, & à Spiritu ſancto docti ac perfecte inducti in omnem veritatem; & hoc ſibi velle arrogare Papam Romanum, aut quemcunque Epiſcopum, vel doctorē, eſt ſummæ arrogantiæ. Obiiciet quis fortaſſe Nazianzenum, aſſerentem Paulum emendationi ſe ſubieciſſe tunc quando Euangelium ſuum contulit cum Apoſtolis. Reſpondeo Nazianzenum de Petro nihil dicere; ſed neq; ait Paulum ſuum Euangelium emendationi ſubieciſſe: verba ipſius ſunt: *c Nam & Paulus non ideo Euangelium Apoſtolis communicauit, vt conſideretur, cum contentio ab omni Spiritu bono ſit remota, ſed vt firmaretur id quod emendatum erat, aut emendaretur quod emēdatione indigebat.*] Id videlicet quòd Petri culpa de legalium obſeruatione ſcandalum fratribus ex gentibus pariebat.

[Margin: a Chryſ. in cap. 1. ad Gal. — b Hier. in ep. ad Gal. c. 1. — c Nazian. orat. ad Romam 150. Epiſc.]

X. Ex Patribus paucula attingit *d* Bellarminus pro primæ quæſtionis, quam nunc agitamus, ſolutione. Hieronymum, & Theodoretum profert. Concilium Carthaginenſe; & Gregorium Magnum, cui plures annectit ſola locorum citatione Pontifices Romanos, ſiue præcedentes, ſiue ſubſequentes. Sed parum ſubſidij in hac quæſtione Bellarminum habere in patribus facile oſtendo; primum explicatione multorum intentionis & conſilij, deinde contraria prorſus eorum aſſertione. Porro quid ſibi patres velint, dum vel Romanam fidem laudant, vel ad illam ſedem confugiunt doctrinam tutam ab illa interdum hauſturi, vel contra hæreſes arma poſtulantes, ſatis docui lib. 4. c. 9. Fuit enim diu veritatis puræ à Principibus Apoſtolorum ſibi traditæ ſedes illa & Eccleſia tenaciſſima: fuit illa mater omnium ferme in Occidente, & aliquarum in Oriente Eccleſiarum: fuit magnę autoritatis, & exiſtimationis, propterea ipſius ductum, vel filię ipſius, vel ſorores libenter ſequebantur. Sic profecto *e* Clemens Romanus Apoſtolorum diſcipulus, ex Romanę Eccleſiæ, cui ab Apoſtolis præfectus fuerat, perſona, ad Corinthiorum Eccleſiam Epiſtolam pulcherrimam exarauit. Sed quid in ea docuit, nū vt primus Magiſter ſua autoritate aliqd definiebat, & Corinthiis diſſenſione inter ſe diſſectis præſcribebat? minime vero, ſed quę didicerat ab Apoſtolis ea tradebat; *f Clemens enim qui, vt ſcribit Irenæus, & vidit ipſos Apoſtolos, & contulit cum eis cum adhuc intonantem prædicationem Apoſtolorum, & traditionem ante oculos haberet, ſcripſit potentiſſimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum; & annuncians quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem.*] Non minori cum autoritate poſtea *g* Dionyſius Corinthiorum iam perfecte credentium Epiſcopus; plures alias Eccleſias ſuis literis inſtruebat & confirmabat. Idem fecerunt & ſcriptis, & lingua multi alij Epiſcopi curam vniuerſalem totius vniuerſalis Eccleſiæ gerentes, vt pluribus in locis in meis prioribus huius operis libris oſtendi; ſed non propterea illæ Eccleſiæ, ſeu ſedes etiam Apoſtolicæ dicentur poteſtatem habuiſſe proprie iudiciariam, ac præſertim perpetuam, & inamiſſibilem; ſemper enim vbi maxime viget doctrina aliqua, vel profeſſio, eo libenter conſilij gratia confugiunt omnes; qui recte inſtrui cupiunt. Eſtque illud maxime animaduertendum, non Epiſcopum Romanum, ſed Eccleſiam ipſam Romanam, (cuius tamen ſenſum Epiſcopus vt plurimum exprimeret) conſuli ſolitam fuiſſe, & in talibus conſultationibus non iudiciale Epiſcopi Romani decretum, ſed Eccleſiæ totius Romanæ ſenſum quæſitum fuiſſe, vt patet ex *h* Cypriano, & aliis. Sane ſub Damaſo *i* ſynodicis multarum Eccleſiarum conſultationibus reſpondebat Hieronymus, ex ſe, non Damaſi nomine; ipſum enim tanquam virum in Scripturis doctiſſimum, conſulebant. Atque ita quæcunque Eccleſia pluribus ac melioribus abundat doctoribus, illa aliis inſtructione indigentibus ſolet, & debet eſſe confugium. Iam talibus non ornatur Romana curia, ſed ad ſummum Leguleiis cauillorum in re pecuniaria artificibus, emungendarum crumenarum peritiſſimis, & Chryſum magis, quam Chriſtum amantibus, Sacra Scriptura, & diuina Theologia ab vrbe illa exulant, aut intra monaſteriorum paucorum ſepta, ipſa ſeu potius ipſius larua deliteſcit; in Papæ, Cardinaliumque aulis diuerſorium non habet; Conſiſtorium illam neque de facie nouit, & nihilominus ſupremum & infallibilem fidei Magiſtrum Papam eſſe inſulſiſſime contendimus. Fuit aliquando operæpretium Romanam Eccleſiam in dubiis fidei conſulere; iam vero cum illa duplici ignoratione laboret, & ea, quæ puræ dicitur negationis, & illa longe peiori, quæ prauæ eſt diſpoſitionis, quis amplius illam conſulat? permiſcuit multa falſa veris, &, vt Cardinalis Cuſanus fatetur, *k* ſuperſtitioſa religioſis. Quis igitur ipſius fidat decretis? quis ab ea normam diuini cultus exigat? quis credendi regulas accipiat? fuit aliquando, fuit Roma; ſed, heu, quantum mutata ab illa? Sed tu lector interim vide noſtras conſiderationes libro quarto, capite ſecundo, & capite nono, ac plane cognoſces Romanam Eccleſiam olim aut Magiſtram fuiſſe ſuarum filiarum, aut cum ſororibus ob vnionem conſenſiſſe; aut aliis quibuſdam rationibus, & non Papali autoritate, in veræ fidei profeſſione excelluiſſe:

[Margin: d Bella. de Rom. Pon. l. 1. c. 5. — e Euſeb. l. 3. c. 14. & 15. — f Iren. l. 3. c. 3. — g Euſeb. l. 4. c. 22. — h Cypr. l. 4. ep. 2. — i Hier. ep. 11. — k Cuſan. de Conco. Cath. l. 2. c. 21.]

XI. Sed & hæretici, fateor, Eccleſiæ Romanæ non raro communionem auidiſſime expetebant, & dolis etiam quærebant; quia tantæ Eccleſiæ optima in fide tecta exiſtimatio magnam ipſis, ipſorumque hæreſibus autoritatem poterat conciliare. Sic Vrſacius, ſic Valens, & plurimi alij. Sed eadem ratione quærebant etiam aliarum primarum ſedium communionem: ſane *l* Marcellus Ancyranus Epiſcopus, non modo Romani Iulij, ſed etiam Athanaſij Alexandrini communione ſe defendebat. Et ob eandem Romanæ Eccleſiæ exiſtimationem etiam orthodoxæ aliæ Eccleſiæ, quandocunque contigit, vt hæreſes damnarent & hæreticos profligarent, ſummopere enitebantur, vt Romana quoque idem præſtaret, vt damnatio eſſet robuſtior, quo à pluribus & dignioribus, ac in doctrina purioribus Eccleſiis illa proficiſceretur. Sed hinc ipſi Romani Epiſcopi ſibi altos nimium ſpiritus ex humana ſuperbia facile aſſumpſerunt.

[Margin: l Hier. de ſcriptor. Eccl. in Marcello.]

Et vbi

Et vbi ipſorum iudicium ad augmentum duntaxat roboris, vt *a* fratres iuuarentur à fratre requirebatur, ipſi ſupremum iudicium ipſorum hoc eſſe voluerunt; & dictitarunt. Ars mira; *Patres Concilii Carthaginenſis ad Innocentium ſcribentes* nominat pro ſe Bellarminus; ſed artem ille hanc diſſimulat. *b Significant illi quidem Innocentio ſe Cæleſtium & Pelagium vt hæreticos damnaſſe, ac requirunt, vt ipſe quoque idem præſtaret, & ſe eorum damnationi coniungeret: at vero ipſe reſpondens c laudat eos, quod memores antiquæ traditionis, Eccleſiaſticæq; diſciplinæ, totum iudicium ad ipſum deferrent, à quo omnes diſcere debeant quid approbandum in doctrina fidei; quid damnandum ſit.*] Atque hoc artificio faciunt ſæpe Romani, vt quis in ſilentio id profiteatur, quod verbis nullo pacto vult profiteri. Innocentij artificium ſecuti ſunt alij Papæ, quos Bellarminus aſſertores ſcilicet ſuæ propriæ ſibi arrogatæ poteſtatis, & in cauſa propria teſtes, ac iudices nominauit. Quorum etiam ſolenne artificium eſt, & iam à multis ſæculis ordinarium, vt *d* profeſſionem fidei, quam ipſi Romani Pontifices, ad ſeruandam communionem cum Patriarchis orientis, emittere tenebantur, à ſe datam illis in fide inſtructionem aliqui vocarent, vt inferius explicabitur.

a Prou. 18. 19.
b Inter ep. Aug. ep. 90
c Ibid. ep. 91.
d Gelaſ. ep. 1. & alii.

XII. Exultat in Hieronymo, qui ſane merito *e* Damaſi ſui proprij Epiſcopi, & Epiſcopi magnæ Eccleſiæ, & tunc in doctrina fidei puriſſimę, & inſtructiſſimæ, iuſſionem expectat, num tres hypoſtaſes in Deo debeat dicere: ex hoc tamen non ſequitur Hieronymum agnouiſſe in Damaſo iudiciariam illam poteſtatem, niſi quatenus quilibet Epiſcopus eſt ſui gregis præceptor? Nam & idem Hieronymus *f* ſolem doctrinæ fidei primum in Oriente luxiſſe aſſerit, poſtea Oriente relicto in Occidente purum fulſiſſe; atque ita agnoſcebat non eſſe locum certum vbi tribunal Iudicij fidei perpetuo fixum ſit, & erectum maneat. *g* Idem vero, vt fidem ſuam Catholicam eſſe probet, non modo ait ſe cum Damaſo ſentire, ſed etiam cum Petro Alexandrino. Fidem Rufini, ſi Romana ſit, merito idem Hieronymus *h* vult eſſe Catholicam, quoniam, vt toties dixi, tunc Romana fides erat puriſſima. Eadem de cauſa plurimi facit *i* Auguſtinus, quod Pelagius ſe damnaturum promiſerat quicquid Romana Eccleſia damnaret, & ſæpius ad ſedis Apoſtolicæ autoritatem ſe recipit.

e Hieron. epiſt. 57. 58.
f Idem ep. 57.
g Idem epi. 77.
h Idem adu. Ruff.
i Aug. de pec. orig. l. 2. c. 7.

XIII. Ne prouocet, rogo, Bellarminus ad Patres, quia illos valde contrarios paſſim experietur: nos ex illis aliquid afferamus. Quantum Polycrates, & Aſiani Epiſcopi Victori Romano reſtiterint, ſatis vidimus lib.4.c.8.n.2.3. quem etiam Irenæus, quantum potuit, cohibuit: quod ſi ille fuiſſet ſupremus in illis controuerſiis iudex, magni, & ſancti viri non auſi fuiſſent ei refragari. Vide, ſi placet lector, plurima exempla Eccleſiæ incorruptæ praxim perpetuam continentia, quæ ego eodem c. 8. collegi, & aperte cognoſces munus hoc ſupremi Iudicis in Papa Romano Eccleſiam nunquam agnouiſſe. Vide etiam, quæ eiuſdem quarti libri c. 9. de aliquo primatu Romani Pontificis diſſerui, & perſpicies ipſum generalem quandam ſuperintendentiam, ex aliquot cauſis ortam iure poſitiuo Eccleſiaſtico habuiſſe, in qua tamen ſolus non eſſet. Nam, tametſi ob eam, quam dixi, exiſtimationem, & ob aliarum Eccleſiarum commoditatem, ipſe commune quaſi vinculum eſſet & nodus præcipuus Catholicę communionis, nihilominus tamen Eccleſiaſtica conſuetudo induxit, vt approbandi orthodoxos, vel reprobandi heretodoxos munus eſſet penes Patriarchas, & ſummos prouinciarum primates, vt factum eſt in *k* Concilio primo Conſtantinopolitano generali, Theodoſij Imperatoris iuſſu. Non ergo habent vnde glorientur Papæ ſe eſſe ſupremos Chriſtianæ fidei Iudices. Nam neque in ipſo Occidente, in quo alius Patriarchatus ex illis primis magnis non eſt niſi Romanus, ſemper Papa ſolus fuit talis ſuperintendens & iudex, vt oſtendi lib.4.c.8. n.2. vbi Hiſpanica Concilia in cauſa hæreſis Priſcillianiſtarum, non modo Romani, ſed etiam Mediolanenſis Epiſcopi Ambroſij iudicium expectant. Sed redeamus ad Patres.

k Soz. l. 7 c. 9.

XIV. Tertullianus: *l Veritas Dei, (inquit) non admittit præſcriptionem, nec duratione temporum, nec patrocinio perſonarum, nec priuilegio regionum.*] Ille igitur Romæ non videbat veritatis Dei tribunal erectum. Illud quoque idem habet, *m Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?*] Nullam ergo perſonam agnoſcebat, quæ poſſet fidei dare certitudinem iudicialiter; aut quæ non potius ex fide, quam habet, probanda nō ſit. Rurſus vbi dubia euellenda ſint fideli, huiuſmodi dat inſtructionem. *n Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari, eſt vtique* (quis? an Romanus Papa? *non, ſed*) *frater aliquis, doctor gratia ſcientiæ donatus, eſt aliquis inter exercitatos conuerſatus; &c.*] Miror quod Romam non dirigat perſonas ad petendum dubiorum ſolutiones.

l Tertull. de Velan. virg.
m Idem de præſcrip.
n Ibid.

XV. Cyprianus, & Firmilianus Cappadox, viri doctiſſimi & ſanctiſſimi, in maxima illa controuerſia de Baptiſmo hæreticorum profecto iudicem ſupremum non agnouerunt *o* Stephanum Romanum Pontificem, cui ſatis etiam acerbe & aſpere totis viribus reſtiterunt, eumque inſcitiæ, & indiſcretionis nota aſperſerunt, vt oſtendi lib.4.c.1.n.2.& c.8. n.9. Ac ſane Cyprianus non modo Stephani præſumptionem ſuggillat, ſed etiam ex ſacris literis docet non eſſe vnum quempiam, qui de rebus reuelatis iudex ſedeat. Ita enim ſcribit: *p Non eſt autem de conſuetudine præſcribendum; Nam nec Petrus, quem primū Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, ſe vindicauit ſeu aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret, ſe primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potius oportere* (*præſertim ſupremo fidei iudici à Chriſto inſtituto*) *Nec deſpexit Paulum---documentum ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſuggeruntur ſi ſint vera & legitima, ipſa potius amplectamur. Paulus quoq; proſpiciens concordiæ, & paci fideliter conſulens in Epiſtola ſua poſuit dicens. q Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri examinent: ſi autem alii reuelatum fuerit ſedenti, ille prior taceat. Qua parte docuit, & oſtendit multa ſingulis in melius reuelari, & non debere vnumquemq; pro eo, quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi; ſed ſi quid melius, & vtilius extiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur, maxime in iis quæ ad Eccleſiæ vnitatem pertinent, & ſpei, & fidei noſtræ veritatem.*] Hæc monita Cyprianus Stephano Romano non daret, ſi Stephanus eſſet ſupremus Iudex à Chriſto inſtitutus, qui iam ſententiam ſuam ex cathedra pronunciauerat, neque iam amplius ex humilitate alios conſulebat. Paulus certe Prophetas illos ad Petrum non dirigebat. Auguſtinus quoque eiuſdem controuerſiæ deciſionem non putauit à Romano Pontifice vltimo petendam eſſe, (eam enim ſciebat iam contra Cyprianum rem definiuiſſe,) & tamen ait: *r Video Cyprianum, & alios collegas eius, qui facto Concilio cenſuerunt omnes, qui extra Eccleſiæ communionem fuerint baptizati, Baptiſmum non habere & ideo eis dandum eſſe cum veniunt; ſed ecce rurſus in eadem vnitate*

o Inter epl. Cypr. epi. 57. edit. Pamel.
p Cypr. epi. ad Quiri.
q 1. Cor. 14. 29.
r Aug. de bap. l. 2. c. 6

rate video quoſdam de hac re aliter ſentire, & eos qui ab hæreticis, vel ſchiſmaticis venerint, agnito in eis Baptiſmo Chriſti non audere iterum baptizare. Hos omnes Catholica vnitas materno ſinu complectitur, inuicem onera ſua portantes, & ſtudentes ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum, ſi quid aliter ſapiebant, Dominus reuelaret.] Cur non ait, donec Romanus Pontifex vltimam ſententiam dixerit? Sed eiuſdem controuerſiæ definitionem vrget poſtea Auguſtinus à plenario Concilio ex antiqua conſuetudine, & traditione legitima factum, quod Concilium, nempe Nicænum, diſſenſionem inter Cyprianum & Stephanum, ex eadem veteri traditione & conſuetudine diremerit. Iudicem ergo ſupra ſe vlteriorem etiā Romanus Pontifex habuit, qui quia meliorem cauſam quam Cyprianus fouebat, ideo pro ipſius ſententia pronunciatum eſt.

XVI. Liberius Romanus & ipſe Pontifex ſe ſummum, & ſingularem Iudicem fidei non agnouit, vbi ſuam fidei confeſſionem ab Athanaſio petiit approbari, cuius cenſuræ illam ſubdebat. *a* *Huic igitur,* (inquit) *confeſſioni, frater Athanaſi, quæ vera fides in ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia cenſetur, ſi mecum ſentis, coram Iudice Deo & Chriſto, quæſo ſubſcribas, quo certiores reddamur, num eiuſdem nobiſcum ſuffragiis eademq́ue ſtatuis de vera fide, vt & ego ſecurior efficiar, tuaq́; mandata indubitanter obeam.*] An ſic loqueretur Iudex ſupremus, præſertim infallibilis?

a Apud Athan. epiſt. ad Epict.

XVII. Leonis quoque *b* epiſtola illa ad Flauianum de incarnatione celeberrima (quam aliqui putant à *c* Proſpero dictatam) neq; ab ipſomet Leone habetur pro Iudiciali definitione, ſed pro ſola explicatione, & confeſſione illius fidei, quā Romana Eccleſia ab Apoſtolis acceptam conſeruaret. *d* *quia licet* (inquit) *plene, quæ ſemper fuiſſet atq; eſſet Catholicorum ſententia, ſcripſerimus; tamen nūc quoq;, ad confirmandas omnium mentes, non parum exhortationis addidimus.*] Quā Epiſtolam publicam autoritatem non habuiſſe, antequam in generali Concilio Chalcedonenſi diſcuſſa fuerit & approbata, iam ſæpius monuimus, & ipſemet fatetur Leo, dum ait, *e* *Cum & in Apoſtolicæ ſedis epiſtola, vniuerſalis ſanctæ ſynodi aſſenſu firmata, tanta diuinæ autoritatis teſtimonia nouerimus eſſe cōgeſta, vt nullus queat vlterius dubitare. &c.*] Non tollit dubia ex autoritate iudiciali definientis, ſed ex vi documentorum & probationum, & approbationi Concilij plurimum nititur. Vnde & poſtea vnus legatorū Hormiſdæ, dum nouitates quaſdam conatur in Oriēte amouere, *f* *Sufficit,* (inquit) *ſanctum Chalcedonenſe Concilium, --- ſufficiunt Epiſtolæ Papæ Leonis, quas ſynodus confirmauit.*] Sic etiam Concilium Epheſinum acta Cōciliaria ſynodi Romanæ cum Cæleſtino contra Pelagianos *g* approbat, eaq; ſolida, & firma permanere debere definit.] Ex ſcriptis quoq; Proſperi Aquitanici patet Concilia propria definitione ſtabilire, quæ prius ab Epiſcopo Romano fuerant definita. Quomodo igitur ſupremum Iudicium fidei, & infallibile fuit olim in ſede illa Apoſtolica?

b Leo ep. 12.
c Gennad. de viris illuſtr. c. 84. & Marcellinus in chronico.
d Leo ep. 34.
e Idem ep. 67.
f Suggeſtio Dioſcori inter ep. Hormi. poſt ep. 62.
g Inter epi. Cæleſt. poſt ep. 7. & in actis Concil. Epheſ.
h Proſp. cont. coll. c. 41. & in peroràt.

XVIII. Vigilio Papæ, tria capitula cum quinta ſynodo generali damnanti, *i* opponunt ſe Ruſticus & Sebaſtianus ipſius Diaconi nec non Facundus & alij Africani, & ſe ab eius communione ſeparant: Eum ne igitur Iudicem ſupremum in Eccleſia agnoſcunt? Pro ſchiſmaticis, fateor, habiti ſunt; nō tamen propter Vigilium perperam damnatum, ſed propter Concilij generalis definitionem in Eccleſia vniuerſali admiſſam & approbatam, per ipſos vero repudiatam & reiectam, merito inter ſchiſmaticos fuerunt repoſiti. Quo nomine etiam Vigilius, quandiu tria capitula damnare noluit, ſua infamia, & pœna laborauit, vt oſtenſum eſt à me lib. 6. cap. 9. numer. 49.

i Bar. to. 7. an. 547. 548.

Sophroni⁹ *k* Patriarcha Hieroſolymitanus ſynodicum ſuum libellum de fide orthodoxa diſcutiendum, examinandum, & approbandum ſubiicit Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano. Eſto, fortaſſe *l* communem illum eſſe voluerit etiam Honorio Romano: certe cum æque eum ſubderet Sergio, ac Honorio, Honorium ſupremum & ſolum Iudicem fidei non agnoſcebat. Et Ioannes Damaſcenus quando magna de vſu imaginum agitabatur cōtrouerſia, *m* *Hæc de rebus* (inquit) *ſtatuere atq; decernere, non ad Reges pertinet, ſed ad Concilia --- ligandi & ſoluendi poteſtatem, non Regibus ſed Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus & Patribus, & doctoribus dedit.*] Romano Pontifici nihil priuilegii hic autor tribuit in fidei controuerſiis dirimendis, niſi quatenus & ipſe vnus eſt paſtorum & doctorum. XIX.

k In ſexta ſynod. gen. act. 11.
l Bar. to. 8. an. 633. n. 21.
m Damaſ. orat. de imag.

Carolus Magnus cum de adoptione carnis Chriſti quidam errores ab Elipando Toletano ſpargerētur, in ſubſidium veritatis fidei varias ſynodos collegit, neq; definitionem ſoli Romano Pontifici cōmiſit, à quo, tanquā ab vno cæterorum, ſententiam habere voluit, definitionē vero ab omniū conſenſu collegit. Cui regula fidei nō eſt ſolus Papa, neq; ex ipſius ſola pendet illa definitione; Ait *n* *Ego me Apoſtolicæ ſedis, & antiquis ab initio naſcentis Eccleſiæ & Catholicis traditionib. tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo: quicquid in illorū legitur libris, qui diuino Spiritu afflati toti orbi à Deo Chriſto dati ſunt doctores, indubitāter teneo; hoc ad ſalutē animæ meæ ſufficere credens, quod ſacratiſſima Euangelicæ veritatis pandit hiſtoria; quod Apoſtolica in ſuis epiſtolis confirmat autoritas: quod eximij ſacræ Scripturæ tractatores, & præcipui Chriſtianæ fidei doctores ad perpetuam poſteris ſcriptum reliquerunt memoriam, &c.*] XX.

n In Conc. Francford. ſub Adriano 1.

His addo Concilium generale Conſtantienſe, quod publico & ſolenni decreto ſtatuit ac ſtabiliuit, *o* *Concilium generale legitime congregatū, poteſtatem à Chriſto immediate habere, cui quilibet cuiuſcūq; ſtatus vel dignitatis, etiā ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in iis quæ pertinēt ad fidem: quod ſi quis obedire contumaciter contēpſerit, ipſum, etiā ſi Papalis dignitatis exiſtat, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubiici debere.*] Et tamen præceſſerat Martini V. Bulla, in qua ille, inter alia, hæc habebat. *p* *Nulli fas eſt à ſupremo Iudice, videlicet Apoſtolica ſede, ſeu Romano Pōtifice Ieſu Chriſti Vicario in terris, appellare, aut illius Iudicium in cauſis fidei (quæ tanquam maiores ad ipſum, & ſedem Apoſtolicā deferendæ ſunt) declinare.*] Sed illi Patres Catholici profecto, & valde religioſi, dictum hoc nihili fecerunt, cui contrariū penitus promulgarunt, & viri docti illius tēporis, & ſane Papalē obedientiā profitentes, & à Romana Eccleſia, ſiue potius curia approbati, contra illud Martini decretū acriter inſurrexerunt; quorū argumenta & contrarias propoſitiones profert Gerſonius in tractatu modo citato, & ait: *Sunt aliqui, ſicut dicitur, qui iſtam particulam qualificant, quod eſt palam hæreticalis, & totius Eccleſiaſticæ hierarchiæ, circa fidei defenſionem, ſeu conſeruationem finalem, & reſolutiuam, ſubuerſiua. Nituntur autē fundare dictum ſuum in aliquibus propoſitionibus, quas reputant Catholicas veritates.*] Ac ſtatim aliquot propoſitiones recenſet, inter quas iſtæ ſunt. *In cauſis fidei non habetur in terra Iudex infallibilis, vel qui non ſit deuiabilis à fide de lege communi, præter ipſam Eccleſiam vniuerſalem, vel Concilium generale eam ſufficienter repræſentans.*] Itē: *In cauſis fidei nulla determinatio iudicialis Epiſcopi; imo nec Papæ ſolius præciſe, vt eſt Epiſcopi vel Papæ, ligat fideles ad credendum, quod ita ſit de veritate fidei, ſicut prætendit ſua declaratio.*] XXI.

o Concil. Conſt. ſeſſ. 5.
p Apud Gerſ. tract. de appell. à Papa in cauſis fidei tom. 1.

XXII. Quid ad has & ſimiles propoſitiones Gerſoni⁹; audiamus

mus

a Geſl. vbi ſup.

mus ipſum. *a Hæc autem dicta vel argumentata ſunt magis ad veritatis inquiſitionem, quam ad alicuius (præſertim ſanctiſſimi Domini Martini Papæ) reprehenſionem; attendendo, quod conſtitutio ſua, quantum ad illa quæ fundantur in facto, non iacet ſub Theologica reprehenſione; & quantum ad alia, quæ ius concernunt (ſicut eſt prædicta pars excerpta) dicerent beneuoli ſui, quod non obſtantibus allegationibus in oppoſitum, illa poteſt ſuſcipere rationabilem & veram interpretationem, ſicut recipiunt conſtitutiones poſitiuæ decretis inſertæ, quibus innititur: Sic intelligendo quod nõ eſt fas appellare à Papa, vel eius iudicium in cauſis fidei declinare, non quidem pro omni, & in omni caſu, ſed quando facit id quod in ſe eſt, & quando non apparet deuius a fide, ſed ambulat rectè ad veritatem Euangelii. &c.*] Hæc ille, ob reuerentiã Martini ſui Papę tunc viui, ſed huiuſmodi moderatio profecto derogat plurimum ſupremo Papæ iudicio in rebus fidei, eiuſq; infallibilitati, ac relinquit propoſitiones illas in ſuo vigore & robore, ſicut & cenſuram. Quomodo ergo tolerare poteſt Eccleſia tam pernicioſam audaciam, vt vnus aliquis, quicunq; ille ſit, ſe ſupremum fidei Iudicem conſtituat, quem ipſa Eccleſia Catholica, eiuſque pij & docti alumni, non hæretici, non ſchiſmatici à tanto munere alienum eſſe, & cognouerunt, & monuerunt, hæreticalemq; aſſertionem illam eſſe putauerunt, quæ Papam Iudicem ſupremum fidei faciat & conſtituat? Quorſum Concilia? quis de fide cum Papa diſſentiens ipſius ſe iudicio ſubmittat, in quo ille & pars ſit & Iudex? quomodo inter Papiſtas, & Proteſtantes diſſenſiones ventilari poterunt ad pacem ineundam, & errantes conuincendos, ſi Papiſtarum caput ſupremi iudicij habeat poteſtatem; an non ipſe ſemper à ſuis Papiſtis ſtabit, pars & Iudex? ô quantum prodeſſent paci & vnitati Eccleſiæ Romani Pontifices, ſi hanc vanam deponerent prætenſionem!

XXIII. Obiicies: *An non grauia Eccleſiæ negotia omnia ad ſedem Apoſtolicam Romanam ſunt adducenda? & quod grauius negotium eſſe poteſt, quam vbi de fidei articulis agitur?* Reſpondeo mirum eſſe quam late Papæ extendant hoc priuilegium Romanæ ſedis, ſi quod tamen illud ſit; Quicquid enim Iudiciorum libuit Papis ad ſe trahere, & Epiſcopis eripere, vt ſoli fiant totius Eccleſiæ Domini & Monarchæ, id facile prætextu huius priuilegij grauiorum negotiorum, ad ſe traxerunt: iam enim omnia, etiam leuiſſima ipſis ſunt grauia negotia; modo aut Monarchiam Papæ, aut loculos ipſius, & Curię Romanæ concernant. Spectat hæc obiectio partim ad hunc locum, quia cauſæ grauiores ſunt potiſſimum fidei; partim ad meũ librum octauum, quia iudicia multa Eccleſiaſtica maiores cauſas Romani Pontificis fecerunt, quod ibi examinamus. Nunc de hoc generali axiomate, quod video pluribus etiam antiquioribus Romanis Pontificibus perpetuo in ore fuiſſe, aliquid dicendum eſt. Semper enim obiectant, maiores & grauiores cauſas ad ſedem Apoſtolicam eſſe referendas. Huius priuilegialis axiomatis originem non poſſum inuenire. Inuenio quidem ab antiquiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus grauiora Eccleſiaſtica negotia ad Concilia Epiſcopalia ſolita fuiſſe deferri: ſic enim lego apud Tertullianum. *b Aguntur præterea per Græcias illas certis in locis Concilia in vniuerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæq; in commune tractantur, &c.*] Profecto axioma illud, non niſi in ore Pontificum Romanorum reperio. Ex non apocryphis Damaſum primũ obſeruo, qui talis ſui priuilegij mentionem fecit, ipſum verum ad ſola maiorum inſtituta refert; ſcribit enim ad Africanos; *c Inſtituta maiorũ, eſſe vt cuncta quæ poſſunt aliquam recipere dubitationem, ad nos* (inquit) *quaſi ad caput, vt ſemper fuit conſuetudo, deferre non dubitetis.*] Hoc ipſum fatetur expreſſe Cyrillus Alexandrinus ad Cęleſtinum, *d Longa* (inquit) *Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, vt iſtiuſmodi ſanctitati tuæ communicentur.*] Innocentius vero primus non niſi æquitatem quandam ponderat, *e Vt quoties,* (inquit) *fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum,* (id eſt ſui nominis, & honoris autorem) *referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio* (ex Concilio Mileuitano contra Pelagianos) *quod per totum mundum poſſet Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe*] De huius tamen Pontificis artificio in ipſius literis ad Concilium Carthaginenſe, in eadẽ Pelagij cauſa, ſubmonui aliquid ſuperius, n. 11. vbi ſe Iudicem ſupremũ fidei vellet agnoſci. Leo Theſſalonicenſem Archiepiſcopum ipſius legatum obiurgat, quod ad depoſitionem Archiepiſcopi Epyri ipſo inconſulto deuenerit, aitque; *f Nam cum maiora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtræ ſententiæ expectatione ſuſpendere, nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit in id, quod menſuram tuam excedens deuiandi.*] In quo tamen ſuam hanc fundet autoritatem non video! niſi quod Theſſalonicenſis non ꝓpria ordinaria Iuriſdictione, ſed delegata & vt legatus Romani Põtificis, in eo iudicio proceſſerit. Sed de hoc alias. Vigilius ait quidem, ſed non probat, *g Cunctarum maiorum negotia cauſarum ſancta ſedis reſeruata eſſe liquere.*] Certe mihi non liquet. Pelagius II. *Maiores vero* ait, *& difficiliores quæſtiones (vt ſancta ſynodus ſtatuit & beata conſuetudo exigit) ad ſedem Apoſtolicam ſemper referantur*] quæ ſit iſta ſynodus neſcio; neſciuit etiam Gloſſa, quæ ſynodum hanc nominare nõ potuit. Conſuetudinem vero admitto, ſed eo ſenſu eaq; praxi, quam paulo ante n. 10. explicaui. Nicolaus I. queritur quod contra ſtatuta Patrum ſine ſede Apoſtolica Romana Conſtantinopolitanus Patriarcha Ignatius fuerit per ſynodum exauctoratus. *h A quibus* inquit, *Patribus deliberatum, ac obſeruatum exiſtit, qualiter abſq; Romanæ ſedis Romaniq; Pontificis cõſenſu nullius inſurgentis deliberationis terminus daretur.*] Ac ſane iudicare Epiſcopos eſſe vnam ex cauſis maioribus idem Nicolaus *i* aſſeruit, & declarauit. Ioannes VIII. *k* contentiones de fidei cauſa ad ſedem Apoſtolicam vult tranſmitti è Gallia, eaſq; ſibi reſeruat, vbi legatum ſuum inſtituit Arelatenſem. Leo IX. *l* Maiores, & difficiliores Eccleſiarum cauſas per S. ſedem B. Petri definiendas eſſe aſſerit, *Dominico,* inquit, *& omnium ſanctorum Patrũ concordi decreto, inuiolabiliter cunctis in toto orbe Eccleſiis ſancta Romana & Apoſtolica ſedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores cauſæ omnium Eccleſiarum definiendæ referantur.*] & addit: *Sic omnia veneranda Concilia: ſic leges humanæ promulgant; ſic ipſe ſanctus ſanctorum Rex Regum & Dominus dominantium confirmat. &c*] Semperque ſe reducit ad illud, *Confirma fratres,* quod ipſi nihil prodeſſe iam docui. Concilia vero & Patres, ſi quæ & ſi quos habet, producat ipſe, aut alius pro ipſo, ego nullum inuenio, niſi Romanos ſolos Epiſcopos ſuam ſibi propria autoritate autoritatem firmantes, ac præſertim apocryphos illos, Anacletum 2. q. 6. c. 3. Alexandrum, 11. q. 1. c. 14. Lucium, diſt. 80. c. 1. Iulium, 2. q. 6. c. 10. nullius fidei, nullius autoritatis.

b Tertull. de ieiun. adu. Pſychicos.

c Damaſ. ep. 5.

d In actis Concil. Epheſ.

e Inno. ep. 32. apud Aug. ep. 93 ponitur 24. q. 1. c. quoties.

f Leo ep. 82.

g 2. q. 6. c. Qui ſe ſcit.

h Nicol. 1. ep. 2.

i Idem ep. 42.

k Ioan. 8. ep. 95.

l Leo 9. ep. 34. & 5.

XXIV. Priuilegium ergo hoc de grauioribus & maioribus cauſis, quatenus fidem concernant, aliud non eſt, niſi id quod explicaui ſupra n. 10. huius capitis: quia Eccleſia Romana ſua illa prima veteri optimæ fidei exiſtimatione, & ſedis iure humano dignitate obtinuit, vt primo loco maxime omnium conſuli debuerit. Atq; hoc in cauſis magni momenti, quæ

ad vni-

ad vniuerſalem Eccleſiam pertinerent. Obſeruat vero optime Gerſonius, *a* In cauſis fidei illam cauſã dici maiorem, non quæ eſt de re maiori, ſicut de Trinitate, & vnitate perſonarum, ſed quæ difficilis ſit, & ambigua ad determinandum, iuxta Deu. 17. *Imo,* inquit, *in cauſis fidei poterit vna cauſa dici maior apud aliquem Epiſcopum, vel diœceſim, quæ apud alium Epiſcopum, vel diœceſim non reputabitur eſſe maior, vel ad ſuperiorem ſicut ad Papam remittenda, quia ſcilicet apud talem Epiſcopum, vel diœceſim, propter abundantiam Theologorum cauſa talis non reputabitur difficilis vel ambigua. ſed per ſacram ſcripturam iam damnata, vel approbata.*] Iudicium tamen ſupremum deciſiuum in ea ſola ſede tunc non erit, ſicut nunquam fuit. At vero nunc multo minus poteſt ei tuto tale iudicium committi, quando fidei ſuæ olim puræ iam tot impuritates immixtas habet, & prauis affectibus plena, ſinceraque ſcientia pene deſtituta in deuia ſe & ſuos abripiat neceſſe eſt. Pro conſeruatione puritatis fidei cupit Gerſonius vt ſtudia Theologica certa, & firma inſtituantur, vt in controuerſiis recurſus fiat ad Theologos; *b Si dixerit aliquis.* inquit ille, *fiet recurſus ad ſedem, & curiam ſummi Pontificis: non negabimus hoc, ſi Theologia illic habuerit ſuos doctores, non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non queſtuoſos, aut inuidos, non poteſtati ſæculari, non ſpirituali plus quam veritati fauentes alioquin tolerabilius nullos habere, quam tales pati.*] Et in tales quos vocat ſatrapas Eccleſiarum culpam hæreſum reiicit, & ait. *Illi vero culpantur rationabiliter, hæreſes introducere qui ex officio reſiſtere debẽtes facti ſunt ſpeculatores cæci, canes muti, nautæ ſtulti. nauem Eccleſiæ naufragiis omnibus exponentes, quam regere nec ſciunt, nec volunt, ſcientibus denique volentibusque ſuccurrere viam claudunt, ipſos abiiciunt, infamant, ſpernunt.*] Hæc ille in ſupremum, ſcilicet, tribunal fidei Romæ erectum, cui iam quis fidat?

a Gerſon vb. ſup. & de examin. doct. conſid. 3.

b Ibid. conſid. 5.

XXV. Secunda quæſtio, *An Papæ Iudicium ſit infallibile, ita vt errare ille in decretis fidei ac declarationibus non poſſit.* Donum hoc infallibilitatis, & inerrabilitatis poſt corruptam naturam humanam per peccatum, præſertim circa diuina, & ſupernaturalia, quæ non niſi ex diuina reuelatione cognoſci poſſunt, procul dubio eſt ingens donum, certe non paſſim omnibus etiam fidelibus conceſſum. Habuerunt illud primi illi Eccleſiæ Magiſtri & fundatores Chriſti Domini Apoſtoli, quibus promiſſus fuit à Chriſto Spiritus eius, qui Spiritus ad eos venit, & iuxta promiſſum Chriſti, *c ſuggeſſit eis omnia quæ prius audierant à Chriſto*, neque omnia intellexerant, *& docuit eos omnem veritatem.* Atqui poſt eos nemo prorſus iactare poteſt hoc donum ſe habere, niſi ex diuina ſpeciali reuelatione, & atteſtatione conſtiterit manifeſte à Deo illi id conceſſum fuiſſe. *e* Promiſit quidem Chriſtus iiſdem Apoſtolis ſe adfuturum illis vſque ad conſumationem ſeculi, quam promiſſionem poſt mortem Apoſtolorum quis audeat homo ſingularis ad ſe pertinere aſſerere? veram tamen promiſſionem illam eſſe reſpectu Eccleſiæ ſanctę in genere, nemo dubitat Cui Chriſtus ita pręſens perpetuo eſt ſuo Spiritu, vt eam protectione, & donis ſuis iugiter locupletet: atq; in ſpecie, ne tota in fide aberret, tuetur & defendit. Nam & de hac protectione in ſpecie pollicitus eſt, *f portas inferi non præualituras aduerſus eam.* Mirum igitur quomodo quis auſus fuerit tã audaciter, tam falſo, tam periculoſe donũ hoc ſibi arrogare. Ac, ſi in nulla alia definitione turpiter Romani Pontifices errare conuincerentur. certe in hac ipſa pręteſione turpiſſime errant errore Eccleſiæ pernicioſiſſimo: Suis enim humanis, & ſæpe diabolicis decretis & declarationibus fidem Catholicam maculant & deturpant, decipientes miſeros fideles hac falſa & peruerſa perſuaſione; ipſos eſſe infallibiles magiſtros Eccleſiæ, & *g miſſos à Domino, cum Dominus ad hoc eos non miſerit*, ſed ipſi ſibi arripiũt munus prophetandi; cũ tamen ſint falſi prophetę & lupi, à quibus oues ſtultæ ſibi cauere nolunt, tametſi non ſe veſtimentis ouium illi obtegant, ſed ſatis manifeſte lupinam pellem obtutibus exhibeant. Pompa enim Papatum, faſtus, auri copia, Antichriſtianus dominatus, Tyrannis aperta in Eccleſiam, ne pilum quidem Apoſtolicum eos habere conuincunt, & lupos ſatis clare manifeſtant.

c Ioan. 14. 26.

d Io. 16. 17.

e Matt. vlt.

f Matt. 16.

g Hier. 14. 14. & 23. 32.

XXVI. Pudet me hanc de infallibilitate & inerrabilitate Papæ ingredi diſputationem; cum primum n. audita eſt infelix illa vox, *Papam in docenda fide errare nõ poſſe* non argumentis oppugnari aut conuinci, quippe nimium abſurda, ſed omniũ cachinnis exſibilari debuit, & inter ſtultorũ deliramenta cenſeri. Deliriũ id eſſe optime cognouerunt Catholici Scriptores, alioquin Papatui addicti; illius tamen dicti ſatis memores. Ne qvid nimis: Nouerunt etiã Eccleſiã veterẽ, q̃ poſteriori norma eſt & regula ſingularis; donũ hoc inerrabilitatis nulli certæ perſonæ, nulli certo loco vnquam tributũ eſſe cenſuiſſe. Cõſtat id dictis, & documentis, ac factis Patrum, quos commemoraui paulo ante n. 10. & ſeqq. & alias in præcedentibus: Illi n. neq; ſupremum magiſterium in Romano Pontifice vllũ agnouerũt, neq; ab errore immunẽ eſſe ſunt arbitrati. Notũ eſt cuiq; quam inerrabilitatẽ Baſilius, pſertim in Romana Eccleſia, ipſiuſq; Epiſcopo, poſuerit, vbi queritur Occidentales veritatẽ fidei neq; noſſe, neq; ſuſtinere; eũ nos pduximus libro huius operis 4. c. 8. n. 19. Et poſtea Bonifacius martyr, Anglus natione, Germanię Apoſtolus, non ſolũ Romanum Epiſcopum pro Eccleſiaſtica inſtructione conſulit, ſed etiã *h* Anglicanam Eccleſiam ipſiuſq; Primatẽ, & ab ea reſcripta accipit neq; ſtatim tuta eſſe cenſuit Romana reſcripta, quæ iã receperat. Romanus n. Pontifex, & Romani cũ ipſo Eccleſiaſtici miniſtri peccatũ eſſe ſtatuebãt, ſi quis in vxorẽ duceret viduam, cuius filium prius de ſacro fonte ſuſceperit. Conſulit ipſe Nothelmũ Archiepiſcopum Dorouernenſem; *i Vt ego*, inquit, *intelligendo cognoſcam cuius autoritatis ſit in illo iudicio Romano; quia nullatenus intelligere poſſum, quare in vno loco ſpiritualis propinquitas in coniunctione carnali copulata grande peccatũ ſit, quando omnes in ſacro baptiſmate, Chriſti & Eccleſiæ filii, & filiæ, fratres, & ſorores eſſe comprobemur.*] Et ad Duddonem Abbatem idem eadem de re ſcribens ait. *k Quare vnde iudicetur capitale peccatum eſſe apud Romanos, & ſi alicubi in ſcriptis Eccleſiaſticis de hoc peccato diſputatum aliquid reperies. n. ibi manifeſtare non dubites.*] Non ergo firmæ veritatis, nec magni ponderis erat apud Bonifacium Romana definitio, neque Romanum tribunal infallibile eſſe cenſebat. Poſtquam vero inauditum priſcæ Eccleſiæ hoc nouum delirium prodiit, vtcunq; adulatores Papæ id exceperint prompte, & fouerint, cordati tamen doctores alii aperte, alii in gratiam Papę ſub certis moderationibus ipſum reiecerunt. Lyra ſuper illa Euangelii verba, *& portæ inferi non præualebunt aduerſus illam* id eſt Eccleſiam, ſic infert: *l Ex quo patet, quod Eccleſia non conſiſtit in hominibus ratione poteſtatis, vel dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis. Quia multi Principes & ſummi Pontifices, & alii inferiores inuenti ſunt apoſtataſſe à fide; propter quod Eccleſia conſiſtit in illis perſonis, in quibus eſt notitia vera & cõfeſſio fidei. & veritatis.*] Sed hoc quod eſt proprium Eccleſiæ veræ in communi illius quæ conſtat veris fidelibus, iãdiu ſibi arrogarunt noſtri

h Apud Barõ. to. 9. an. 726. n. 57. 63.

i Ibid. an. 734. n. 6.

k Ib. n. 10.

l Lyra in Matt. c. 16.

Papæ, & ſe ipſos ſub nomine Eccleſiæ ſubſtituerunt. Ac propterea Almaynus Caietano pro hac Papę infallibilitatē adducenti aliqua Romanorum Pontificum teſtimonia, reſpondit *ſe ea reijcere a quia illi (vt in pluribus) fimbrias ſuas nimis extendentes ſibi attribuerunt, quod eſt Eccleſiæ proprium.*] Hæc ante tempora Lutheri, & Caluini ille vir Catholico-Romanus ſcribebat. Scribebat & alia in hunc ſenſum, hoc pacto. *b Poteſtas maior eſt perfectione in Eccleſia quā in Papa; quia in Eccleſia eſt indeuiabiliter, ita quod errare non poteſt in iis, quæ ſunt fidei & bonorum morum-- ſed in ſummo Pontifice eſt deuiabiliter--- Itaque determinatis per ſummum Pontificem non eſt neceſſario credendum (quamuis non ſit oppoſitum publice dogmatizandum) niſi manifeſtum ſit ex ſacris literis, ex reuelatione, aut determinatione Concilij, &c.*] Item; *Papa poteſt errare errore iudiciali* (de errore perſonali omnibus notum eſt) *& probat ex factis de iudicijs determinationis fidei; ne ſit refugium in diſtinctione illa cauilloſa: Papa vt priuatus doctor: & Papa vt Papa, de qua infra.* Nam & infert ibidem; *Ex his ſatis patet quod ſummus Pontifex poteſt errare ſententiando in materia fidei.*] Et probat id rationibus. Quæ ergo aſſeruntur à Papa, & non ex ſacris literis: quæque contraria ſunt Concilijs aut veteri Eccleſiæ, à qua Concilia vim habent, vt ſuo loco cap. 3. huius probaui, publice etiam tradenda ſunt contra Papam, & dogmatizanda, imo antithematizanda; Sic docet nos Doctor optimi nominis Iacobus Almaynus.

a Almayn de autorit. Eccl c. 8. ad 6.

b Ibid. de domi. ciu. nat. & Ecc. concl 3.

XXVII. Gerſonius adhuc maioris & nominis & autoritatis in Eccleſia Catholica doctor Cancellarius Pariſienſis hanc Papæ inerrabilitatem penitus iam reiecerat, vbi ſic ſcripſit, *c Perſona quælibet ſingularis de Eccleſia cuiuſcunque dignitatis, etiam Papalis, circundata eſt infirmitate, & deuiabilis eſt, vt fallere poſſit, & falli.*] Item: *d Determinatio ſolius Papæ in iis, quæ ſunt fidei non obligat, vt præciſe eſt talis, ad credendum.*] Item. *e Stat quod aliquis ſimplex, non autorizatus, eſſet tam excellenter in ſacris literis eruditus, quod plus eſſet credendum in caſu doctrinali ſuæ aſſertioni, quam Papæ declarationi.*] Item. *f Nec Papa, nec Epiſcopus aliquis eſt ſic confirmatus in fide de lege communi, quin poſſit errare.*] nimirum in publica alicuius ſenſus literalis dogmatum ſacræ Scripturæ declaratione.] Ioannes Driedo quam maxime poteſt circumſpecte, ob reuerentiam ſui Papæ, iſta ſcribit, *g Sententia Papæ circa fidem, tanta conſilij moderatione concipi debet, tantaque maturitate patientiæ decoqui, & tanta deliberationis grauitate proferri, vt omnino recta ſit credenda. Verum quia Papa, quatenus homo, talem modum deliberationis circa ea quæ ſunt fidei, poteſt omittere, & inniti proprio ſenſui propriæque prudentiæ, idcirco etiam plerumque liceret examinare literas mandatorum Papæ definientis aliquid credendum eſſe, aut fide tenendum.*] Quanto magis ſuſpicandum eſt, ipſum proprio ſenſui, imo propriæ libidini inniti, vbi ea definit, quæ ad ipſius ſpectant vel ambitionem, vel commodum, vt eſt hic ipſe articulus de ipſius inerrabilitate, & Papatu, ac Papali poteſtate, vt conſideraui etiam lib. 4. cap. 10. n. 97. 98. 99.

c Gerſ. tra. de examin. doct. conſid. 1.

d Ibid. conſid. 2.

e Ib. conſ. 5.

f Idem tract. de ſenſu liter. ſac. ſcripturæ propoſ. 21.

g Dried. de liberat. Chriſt. l. 2. c. 2.

XXVIII. Concilij Baſilienſis Patres omnes ſane Romano-Catholici ſicut definiebant (quicquid ſit de validitate eorum definitionis, de qua nunc nolo diſputare) ita ſane ſentiebant; nimirum, *h Nulli hominum, nec ſummo quidem Pontifici datum priuilegium vt errare non poſſit in iudicijs fidei, ſed ſoli Eccleſiæ.*] Atque ibi fatentur nonnulli ſummos Pontifices in hæreſes, & errores eſſe lapſos? Profecto in iudiciis fidei, (nam de his erat articulus quem definiebant) non diſſenſit Ambroſius Catharinus, qui ſic ſcribit, *i De quolibet alio Papa, præter B. Petrum, prima Concluſio iſta ſit; Nihil prohibet Papam errare, etiam in fide, ac deficere: etiamſi quidam nouitij Scriptores auſi ſint oppoſitū defendere, præter communem ſenſum Doctorum.--- & Papa cū iam ſit fidem amiſit etiā Papatum.*] Fuit hic Dominicanus, vnus Coryphæorum in Concilio Tridentino. & cum non diſtinguat de errore in perſona, aut ex Cathedra, vniuerſalis eſt hæc ipſius concluſio.

h Concil. Baſi ad calcem Concilij vbi de autorit. Concilij ſupra Papam.

i Cathar. in epiſt. Gal. c. 2.

Non deſunt etiam Scholaſtici, qui licet abſolute nolint negare Papæ Iudicij in rebus fidei infallibilitatem, ita tamen eam reſtringunt, & certis limitibus coërcent, vt illa, quo ad Papam penitus euaneſcat. Aiunt enim, *Pontificem non ſolum in ſua perſona poſſe eſſe hæreticum, (& hoc fere omnes concedunt) ſed etiā poſſe hæreſim docere ſi abſque generali Concilio aliquid definiat, & hoc aliquando accidiſſe.* Hoc & Nilus aduerſus Papatum defendebat, & ſchola Pariſienſis docuit, & firmiter tenuit; vt præſertim ex Gerſonio & Almayno iam oſtendi. Id Alphonſus de Caſtro l. 1. c. 2. cont. hær. Id Adrianus Papa in quęſtione de confirmatione docuerunt; quos k Bellarminus ipſe ita ſentientes, in ſecunda ſententia citauit: quia tamen infallibilitatem ponunt in Concilio generali, ideo pari ratione dicere poſſunt Epiſcopum quemcunque; imo & presbyterum, & priuatum doctorem errare non poſſe, ſi cum Concilio generali definiat: quid hoc ad Papam? An non docui ipſe in præcedenti capite 3. Concilia, etiam inuito Papa, poſſe rem definire; & Epiſcopos in Conciliis habere ſuffragium deciſiuum, non conſultiuum tantum? væ tamē illi, qui ſub vnguibus Romanæ curiæ & Inquiſitorum aſſereret Papam errare poſſe, ſi ſine generali Concilio definiat: & non eſſe credendū de fide, quicquid Papa ſolus ex Cathedra definit. Ferrū experietur, & ignes. O immenſam Tyrannidem! doctores pij & Catholici id aſſerūt; id docent; id tuentur, neque vnquam hæreſis ſunt condemnati eorum libri; in omnibus Bibliothecis publicis proſtant, in priuatis reperiuntur, leguntur, terūtur, nobis omnibus eos legere, & ex ipſis diſcere, & cum ipſis docere permittitur, & nihilominus, vt hęretici pro illa ipſa eorum doctrina damnamur; quis iſta tolleret? XXIX.

k Bellar. de Rom Pon. l. 4. c. 2.

Dicant tamen Hieromonarchici, vnde probant Papam non poſſe errare in Iudiciis, ſeu definitionibus, ſeu declarationibus rerū fidei, quando totā Eccleſiam docet? Hanc ſane aſſertionē, vel à priori, vt cum logicis loquamur, ob conceſſum à Deo priuilegium; vel à poſteriori, ex certo vſu & praxi demōſtrent. Vtroque modo inquiunt ſe id probare: A priori quidem; primum, quia *Dominus l rogauit pro Petro, vt non deficeret fides eius*, vt ſic poſſet nutantes in fide confirmare fratres. Pro Petro rogauit Dominus, negari non poteſt, Euangelium hoc dicit. Sed m Pariſienſes aiunt Petrum fuiſſe figurā Eccleſiæ, & ita Dominū tunc inerrabilitatē Eccleſiæ impetraſſe. Fauet eis in hoc Auguſtinus, qui ſub generali regula docet, *n Nihil illuſtre in Euangelio dari Petro ſeorſim, niſi vbi ille Eccleſiæ figuram gerit.* Et quid illuſtrius poteſt dari Petro, quam vt ipſe ſolus ſit fidei Magiſter vniuerſalis? Ego tamen illa Chriſti oratione inerrabilitatē non puto aut Petro impetratā ſeorſim pro totius Eccleſiæ tuta inſtructione, aut Eccleſiæ. Petrus enim priuilegium habuit commune cum cæteris Apoſtolis, vt errare non poſſet in tradenda doctrina fidei & morum ad ſalutē æternam neceſſariorum, tunc quando ipſe cum cæteris accepit o Spiritum illū veritatis, qui miſſus à Chriſto docuit eos omnem veritatem. Errare quidem potuit; & p errauit errore actionis & conuerſationis, non errore doctrinæ. Hoc tamen priuilegium fuit perſo- XXX.

l Luc. c. 22. 32.

m Alij de Eccl. autor 3. par. c. 1. & alij apud Bell. vbi ſup.

n Aug in pſ. 108.

o Io. c. 16. 13.

p Gal. 2. 11.

perſonale in Apoſtolis, in quo nemo ipſis ſuccedit. Eccleſiæ vero data eſt inerrabilitas ex illa Chriſti a Matt. 16. 18. promiſſione. *a Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Chriſtus itaque in ea prece impetrauit Petro gratiam perſonalem, vt fidem non amitteret irrecuperabiliter. Ob nimiam enim illam Petri arrogantiam, qua in ſe confidebat, non credens Chriſti aſſertioni ex quodam magno feruore lapſus inaduertentia, b Matt. 26. 31. quando ei Chriſtus dixit, *b Omnes vos ſcandalũ patiemini nocte iſta*; quod etiã ex propheticis oraculis confirmauit, *Percutiam paſtorem, & diſpergẽtur oues*, ille totus iactabũdus clamabat; *Et ſi omnes ſcãdalizati fuerint, ego nunquã ſcandalizabor*; Et cũ rurſum Chriſtus prędiceret ei, *ter me negabis*, prędictioni illi incredulus obſtitit, dicens, *Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Propter has iactantias & incredulitates meruit à Chriſto tantiſper deſeri, & ſuę relinqui infirmitati. Ex qua deſertione omnino ſecuturũ erat, vt Petrus in perpetuum fide caderet irreparac Tit. Boitrot. in Lu. c. 22. biliter, vt ait Titus Boitrorum, niſi Chriſtus pro eo oraſſet, vt non deficeret fides eius: hoc eſt, non deſtituatur fide in Chriſtum in perpetuum, vt merebatur. Et quia lapſus ipſius maior erat futurus quã cæterorum Apoſtolorum, (ipſe enim negaturus erat Chriſtum, etiam cum iuramento, quod alij nõ erant facturi) ideo pro illo ſpecialius Chriſtus orat, vt hoc ei non ſit in perpetuam ruinam. Hæc eſt vera loci intelligentia, vera interpretatio, quam Chryſoſtomus tractat exactiſſime. Libet ex eo huc aliquid apponere.

XXXI. d Chryſ. hom 83. in Matt. d *Quare Petrus, cum verbis*, inquit, *non crederet à rebus ipſis eruditur. Vt autem credas hac de cauſa Chriſtum permiſiſſe, vt iſtud in eo corrigeret, audi quidnam dicat. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, hoc enim vt vehementius eum tangeret, dicebat, ſignificans eius caſum multo peiorem eſſe aliorum caſu diſcipulorum, ac ideo maiori etiam patrocinio indigere. Duplex enim crimen erat, tum quia repugnauit & reſtitit, tum quia cæteris ſeipſum præpoſuit: imo vero etiam tertium non paruum crimen eum commiſiſſe dixerim, quia ſibi totum impoſuit. His igitur mederi omnibus volens, cadere illum permiſit, ac ideo cæteris prætermiſſis ad eum orationem direxit, dicens: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, id eſt tentaret, perturbaret, vexaret; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Curnam ſi omnes expetiit, non dixit, pro omnibus rogaui? Patet hinc quod paulo ante dicebam, quia vehementius eum tangens, & oſtendens multo peiorem eius quam aliorum lapſum eſſe, ad eum conuertit orationem.*] Et paulo poſt. *Quomodo igitur negauit? Non dixit quippe, vt non neges, ſed vt non deficiat fides tua, vt non prorſus pereat. Cura enim ipſius, atque fauore factum eſt, ne omnino Petri fides euaneſceret: ingens enim pauor eum inuaſerat, & ingens ideo, quoniam diuina protectione valde fuit denudatus, quod porro factum eſt propter arrogantiam, & contradicendi pertinacem duritiam.*]

XXXII. Sicut igitur perſonale fuit Petro obniti Chriſto, ac nimium in ſe confidere, & iactanter nimium ſe gerere, ac proinde perſonale fuit diuina gratia deſtitui, & in perfidiæ barathrum delabi: ita etiam perſonale fuit ab illo barathro per orationem Chriſti liberari, & ad fidem reſtitui, ac conuerti, & poſt conuerſionem ſuo exemplo lapſos ſubleuare. At vero in perſonalibus non ſucceditur. Nam, & e Ioa. 17. 9. pro aliis omnibus Apoſtolis Chriſtus *e* orauit, & impetrauit in fide perſeuerantiam, non tamen propterea Epiſcopi omnes, qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, vt docui lib. 2. cap. 1. ſunt in fide indefectif Bellar. vbi ſup. c. 3. biles. Fatetur *f* Bellarminus primum priuilegium quod Chriſtus orando pro Petro impetrauit, fuiſſe perſonale, vt ipſe non poſſet vnquam veram fidem amittere, quantumuis tentaretur à Diabolo; quod priuilegium perſonale agnouerint, & poſuerint Augu. Chryſ. Theophylactus, & Proſper. Sed alterum quoq; impetratũ priuilegium cũ Sandero, & aliis Hieromonarchicis (certe puto, contra conſcientiam) comminiſcitur, vt Petrus tanquam Pontifex non poſſet vnquam docere aliquid contra fidem; *ſiue* inquit, *vt in ſede eius nunquam inueniretur qui doceret contra veram fidem.*] Et addit; *Ex quibus priuilegiis primum fortaſſe non manauit ad poſteros, at ſecundum ſine dubio manauit ad poſteros, ſiue ſucceſſores.*] Ita ne ſine dubio? Atqui ſecundum hoc priuilegium ne veſtigium quidem vllum habet in Scriptura, neque hoc loco agnitum eſt ab vllo Patrum. Concedit hoc Bellarminus, ait enim, *Cæterum etſi Patres, licet in his locis non meminerint alterius priuilegii, tamen illud non negant, neque negare poſſent, niſi velint plurimis aliis Patribus contradicere.*] Si per Patres confirmari dicemus omnia, quæ illi non negant; quot hæreſes? quot blaſphemias? quot mendacia Patrum autoritate confirmabimus? In eo nunc ſumus, an quiſquam Patrum *illud Chriſti rogare pro Petro*, intellexerit pro ſecundo illo imaginato priuilegio, ſicut locum omnes de ſolo primo priuilegio perſonali explicarunt, cernimuſque illum ſolum ſenſum fuiſſe in tota veteri Eccleſia, & non alium. Quare alterum illud priuilegium totum erit commentitium, & ab Eccleſia Catholica explodendum, vbi non myſtice, non rhetorice, ſed literaliter ex eo nouum dogma fidei maximi momenti in Eccleſiam inducitur, cum tamen locus Euangelij non modo literaliter ſenſum illum non ferat, ſed etiam illi ſenſui omnino repugnet: Rogauit enim Dominus vt non deficeret fides Petri irreparabiliter, & in perpetuum; non autem vt abſolute non deficiat; defecit enim, quando Dominum negauit, non modo defectu confeſſionis externæ, ſed etiam fidei internæ, vt probaui lib. 1. c. 6. num. 36. & 39. Nam ſi Chriſtum ſimul Deum ſimulque hominem credidiſſet, non fuiſſent ei viſa deliramenta mulierum, quæ Chriſtum reſurrexiſſe referebant; Non enim eſt deliramentum, quod Deus homo poſſit propria virtute reſurgere; & ſcandalum à Chriſto prædictum fuit, quod ex paſſione & morte tam atroci purum hominem erant putaturi, & non amplius filium Dei viui, & propterea obiurgati fuerunt, *g* quia eum reſurrexiſſe g Marc. vlt. 14. non crediderunt; quia ſcilicet neque credebant eum poſſe ex ſe reſurgere, & ita conſequenter neque Deum eſſe ipſum crediderunt. Defecit igitur vere Petrus in fide, ſed ad tempus; ac proinde rogauit Dominus, vt illud deficere non eſſet perpetuum. Quod ſi hæc ad ſucceſſores ſpectant, ad ſummum habebunt ex Chriſti oratione id, quod habuit Petrus; hoc eſt, vt ſi contingat eos negare Chriſtum, & fidem eius deſerere, reſipiſcant, & non in perpetuum maneant infideles; non enim plus rogauit Dominus pro ſucceſſoribus, quam pro Petro. Sed hoc non eſt illos facere inerrabiles.

Obiicientibus negationem Petri, etiam poſt- XXXIII. quam Chriſtus rogauit, vt non deficeret fides eius, ac propterea, nec ſucceſſores eſſe immunes à lapſu: reſpondet *b* Bellarminus tunc Petrum nondum b Bell. ibi. c. 8. ſummum Pontificem eſſe cepiſſe. Ex hoc ego ſic infero; Petrus quando negauit nondum erat ſummus Pontifex, profecto multo minus erat ſummus Pontifex, quando Chriſtus pro eo rogauit. Igitur rogauit pro Petro, & non pro ſummo

Pontifice. Quid ergo beneficij poteſt habere ſummus Pontifex ex ratione quæ pro Petro non dum ſummo Pontifice fuſa eſt, ſiquidem ille ſuccedit Petro, non vt Petrus eſt, ſed vt ſummus Pontifex? Eſt igitur ſumma vanitas, ne quid peius dicam, ex illa Chriſti oratione deducere Romani Epiſcopi inerrabilitatem, quam nec locus tolerat, nec Patres vlli vnquam agnouerunt.

XXXIV. a *Imo*, inquit, *de altero priuilegio habemus in primis teſtimonia ſeptem veterum, ac ſanctorum Pontificum: Age, cedo. qui ſunt iſti? Lucius 1. Falix 1.*] Horum Epiſtolas fictitias illas apocryphas, ab impoſtore aliquo longe poſtea confictas, quis admittat? *Leo primus, Agatho, Nicolaus I. Leo IX. Innocentius III.* Hinc ſunt teſtes idonei in propria cauſa: ſed præterea Leo primus nullum ex eo Euangelij loco priuilegium Romanorum Pontificum inerrabilitatis elicit. Ex *b* firmitate perſonali in fide primi Apoſtoli ob bonum exemplum alij quoq; redduntur firmiores. Quid hoc ad rem? ſed addit Leo, *Diuina gratia ita ordinatur auxiliū, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur.*] Sic etiam *c* Sanderus legit; ego tamen non dubito impoſturam eſſe verbum illud, *Apoſtolis*; Id enim in optimis exemplaribus non inuenio. Et ſenſus Leonis eſt, vt firmæ fidei gratia, quam Petrus accepit, cæteri per prædicationem Petri, vbi Petrus prædicauit, ſeu eius ſucceſſorum conſequantur. Sed vere hoc etiam eſt in Leone rhetoricari. Quomodo enim ex hoc, quod Petrus habuit gratiam firmitatis fidei, per illum alij habent eandem gratiam? An Petrus poterat dare? An Romanus Pontifex poteſt dare cuiquam gratiam firmæ fidei? Poteſt, qui firmus eſt in fide, aliis eandem firmitatem verbo & exemplo ſuadere; ſed gratiam firmitatis dare non poteſt. Idem poteſt etiam qui labilis eſt; nec ad hoc, vt quis firmitatem in fide perſuadeat, neceſſe eſt ipſum eſſe illabilem, & inerrabilem. Nihil ergo Theologicum ex his Leonis Rhetoricis floſculis poſſumus colligere.

a Idem vbi ſup. c. 3.

b Leo de ſua aſſum. ſer. 3.

c Sander. de viſib. mor. l. 6. c. 4.

XXXV. Agatho multo minus eſt ad illud ſecundum priuilegium trahendus: Non enim illius vllam facit mentionem, ſed ab exemplo & imitatione, ac de facto; non de iure procedit. *Quod enim Dominus, ſiue orando Petro impetrauit fidei conſtantiam; ſiue imperando confirmationem fratrum commendauit, hoc*, ait Agatho, *ipſius ſucceſſores pro ſua virili fuiſſe imitatos in Petro. & executos.*] An vero illi hoc executi fuerint ex priuilegio à Chriſto tunc, quando rogauit pro Petro ipſis quoque impetrato, an vero ex alia diuina gratia ſpeciali, Agatho nihil dicit. Nicolaus neſcio quæ priuilegia ſedis ſuæ commemorat, & officium confirmandi fratres; ſed de priuilegio inerrabilitatis ne verbum quidem. Leo nonus, & Innocentius tertius ſunt iam ex illis Pontificibus, qui per fas & nefas, cum ſummo etiam abuſu Scripturarum, ſuum Papatum extollere ſunt conati, & ſub illis Eccleſia iam captiua gemebat, & Scriptura vim patiebatur.

XXXVI. Theophylactus de Petro neſcio quid ait, cuius autoritas, quippe recentis autoris poſt claſſicos Patres, non eſt magni momenti præſertim ſi ſit ſingularis: de eo Nos lib. 1. c. 10. n. 9. De Romanis tamen Pontificibus, aut de ſucceſſoribus ille nihil. Petrus vero Chryſologus ait, *Petrum in propria ſede viuere, & præſidere, præſtareq; quærentibus fidei veritatem*; quia doctrina puræ fidei à Petro tradita Eccleſiæ Romanæ adhuc in ea ſede tunc vigebat, vnde quiſque poſſet haurire veritatem. Loquitur ille de præſenti, nihil ait de futuro. Errorem in ea ſede tunc nullum agnoſcit, quoad fidei veritatem: inerrabilitatem tamen nullam ponit, nihil habet de conſtanti aliquo infallibilitatis priuilegio. De Chryſologo nos lib. 4. cap. 10. n. 94. Bernardum inter Hieromonarchicos aliqua ex parte iam repoſuimus lib. 1. c. 10. n. 26. Cuius proprium eſt ad ſuos ſenſus ſcripturas, nec raro cū nimia violentia trahere. Ineptiſſimum igitur eſt Papæ inerrabilitatem in ea Chriſti oratione fundare, *Rogaui pro te, &c.*

XXXVII. Proferunt etiam alium ex Euangelio locum, toties à Hieromonarchicis decantatum, *d Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. e Petrus igitur dicitur petra, & fundamentū Eccleſiæ, & ſummus Rector Eccleſiæ, & proinde quilibet eius ſucceſſor ſimiliter eſt petra. & fundamentū Eccleſiæ. Petra vero dicitur ratione ſoliditatis & conſtantiæ in fide, vt non erret, quatenus petra. hoc eſt quatenus Pontifex eſt; fundamentum etiam dicitur quia domus firma & ſtabilis à fundamento habet firmitudinem & ſtabilitatem.*] Sic Bellarminus: *Et hoc modo*, inquit, *expoſuerunt Patres omnes; & hinc deduxerunt Petrum & conſequenter alios Pontifices non poſſe errare.*] Patres omnes? Imo vero, nullus: vt oſtendi li. 1. c. 6. vbi multa obieci, locumq; hunc Papatui totū ſubtraxi. Nunc paucis ago, & aio; Petram, iuxta optimas meliorum Patrum expoſitiones, eſſe fidem Chriſti diuinitatis, quam Petrus confeſſus eſt. Et hoc eſſe fundamentū Eccleſiæ, à quo habet illa, & non à Petro, vt portæ inferi non ſint aduerſus eam præualituræ; eſt etiam aliquo modo petra Petrus ob fidei conſtantiam, quam poſt aduentum Spiritus ſancti erat accepturus; ſed hæc petra, quatenus Petrus, non eſt fundamentum Eccleſiæ. Petrus fuit ædificator primus & præcipuus Eccleſiæ, quam ille pro ſua virili ſup petram, fidem, quam confeſſus eſt, poſtea feruentiſſime & diligentiſſime prædicando, ædificauit: nō tamen ſolus. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiā meā* hoc eſt, (ſi petram volumus eſſe Petrum) Ego ſuper te ædificabo Eccleſiam meā; nempe, ego tibi, tuiſq; præcipue laboribus innixus ædificationē meæ Eccleſiæ promouebo: Nam ex 12. Apoſtolis nemo te feruentius huic ædificationi dabit operā: ſed cæteri etiam Apoſtoli erunt Eccleſiæ meæ ædificatores. Tu eos omnes tua opera ſuperabis: Te tamē Paulus ſuperabit; qui nondū eſt in numero meorū Apoſtolorū. erit tamen. Ille n. *f* abundantius vobis omnib. qui eſtis 12. laborabit. Hoc vero totū eſt Petro perſonale, nec ad ſucceſſores poteſt trahi, tū quia Petro nulla hoc loco datur aut ꝓmittitur ſtabilitas, aut firmitudo; *Nam ſtatim ferme lapſus eſt, & audit à Chriſto Sathanas*, tū quia Petro ſpecialis ſucceſſio nulla datur, vt oſtendi l. 2. c. 1. tum quia ſi daretur non poteſt ꝓbari Romanum Pontificem eſſe ſpecialē Petri ſucceſſorem, vt docui l. 4. c. 6. tum quia ſi qd conceſſū eſt hoc loco Petro, conceſſum eſt ei cum nondū eſſet Pontifex ſummus, ex conceſſis à Bellarmino ſuperius; non ergo firmitatem petræ habuit vt Pontifex, ſed vt Petrus: tum demū quia poteſt ſtare fundamētum firmum, & domus ruere. Nam & Paulus fatetur aliquos *g* ſuperædificare ſuper fundamentū Chriſtum, ꝙ eſt fundamētum ſolidiſſimum, ligna, ſtipulam, fœnum, q̄ igni non ſint reſtitura, ſed omnino comburenda. Non ergo neceſſario colligitur ex ſtabilitate fundamenti ſtabilitas domus, licet ſtabilitas domus neceſſario ſupponat ſtabilitatem fundamenti? Etſi igitur Petrus cōcederetur eſſe fundamentum ſtabile ſuorū ſucceſſorum Romanorum Pontificum, non tamen inde ſequitur illos neceſſario inde ſtabiles perpetuo, & firmos futuros. Atque vtinam iam omnes non ſint lignum, ſtipula, & fœ-

d Matt. 16. 18.

e Bellar. de Rom. Pon. l. 4. c. 3.

f 1. Cor. 15. 10.

g 1. Cor. 3. 12.

& fœnum potius, quam lapides, aurum; & argentum.

XXXVIII. Affert aliquos Patres Bellarminus, qui ſtabilitatem hanc Romanæ Eccleſiæ ex petra illa deducāt. Origenes profecto de ſolo Petro loquitur, non de vllo ſucceſſore. Si enim portæ inferi præualuiſſent Petro, dum ſuis prædicationibus Eccleſiam ędificabat, præualuiſſent etiam illi Eccleſiæ quam ipſe cū falſa fide ædificaſſet. Nihil aliud ait Origenes. Idē penitus dico de Chryſoſtomo. Cyrillus ille eſt confectus, vt oſtendi lib.1.cap.10.n.16.& lib.4.c.10.n.61. Theodoretus approbat merito ex Eccleſiaſtica nimirum conſuetudine, Romanam Eccleſiam prerogatiuam aliquam primi Patriarchatus habuiſſe, quia eatenus in fide omnium cōſtantiſſima fuit, & ab omni hæreſi remotiſſima. De futuro nihil. Hieronymus ſimiliter ſuper petram confeſſionis Petri; quam Romanæ Eccleſiæ ille tradidit, ædificatā Eccleſiam fatetur, & quia illa confeſſio adhuc integra in vero ſenſu Romę conſeruabatur, ideo petit inde ſui dubij ſolutionem. Nihil de futuro. Nos plura de Hieronymo lib.4.c.10.n.84.& ſeqq. Sic & Auguſt. Romanam Eccleſiam petram vocat, quam nō vincunt inferorum portæ, quia eo tempore talis erat: ipſe quoq; nihil de futuro. Gelaſius nō affirmat, ſed confidit fore, vt ſua ſedes contagione non maculetur, *quia radix mundi eſt illa Petri confeſſio, quam ipſe Romana Eccleſia explicatam tradidit, quamque æquum eſſet intactam conſeruari, alioquin Romanus Epiſcopus non haberet, vnde errori poſſit reſiſtere.*] Hæc nihil ad infallibilitatem. Et tamen Gelaſius iam ſatis in Eccleſia monarchizabat. Gregorius de Petri ſoliditate aliquid dicit, de ſucceſſorum nihil. Imo ideo non vult quēquam eſſe in Eccleſia Epiſcopum vniuerſalem, quia cum *a* quiſque ſit labilis, & poſſit in hæreſes prolabi, ſi id contingeret, tota Eccleſia cum ipſo laberetur, vt conſideraui lib.4.cap.7.n.34. Hoc argumentum Gregorij eſſet puerile, ſi vniuerſalis Epiſcopus eſſet inerrabilis. Hanc igitur inerrabilitatem Gregorius non videbat, nec eam ex petræ dignitate colligebat. Ne ergo amplius noſtri Papæ confugiant ad hanc petram, in qua pedem figere pro ſua infallibilitate nequaquam poſſunt.

a Greg. lib. 4. ind. 13. ep. 32. & lib. 6. ind. 15. ep. 24.

XXXIX. Supereſt ipſis fidiſſima illa omnium tempeſtatū anchora, perfugium illud vniuerſale, vnde ad eos omne priuilegium, omnis poteſtas in cælo, & in terra promanat. Pasce. Ex quo ſic argumētatur Bellarminus: *b* *Pontifex eſt doctor, & Paſtor totius Eccleſiæ, ergo tota Eccleſia illum audire, & ſequi tenetur, ergo ſi ille erret tota Eccleſia errabit.*] Si Papa eſt paſtor vniuerſalis, profecto argumentum concludit. Ac propterea hoc erat vnum ex argumentis Gregorij, quare non ſit in Eccleſia dandus vnus paſtor vniuerſalis, vt modo monui, & alias explicaui. Non enim Deus ſuam Eccleſiam voluit ab homine vllo, cum omnes ſint labiles, & erroribus in fide quoq; obnoxij, pendere: Poterat quidem inerrabilem facere aliquem, cum ſucceſſione in perpetuum, ne Eccleſia periculis exponeretur, non tamen fecit. Nam de ſolis Apoſtolis conſtat eos factos fuiſſe à Chriſto per Spiritum ſuum in tradenda fidei doctrina inerrabiles. De ſucceſſoribus nihil. Sed neque neceſſarium id eſſe duxit, vt tali priuilegio quemquam ornaret, ſiue vnū, ſiue plures. Eccleſiam enim ſuam ſcripturis diuinis optime inſtructam eſſe voluit, & dogmata omnia fidei ad ſalutem neceſſaria, vel clariſſima poſuit in Scriptura, & nulli probabili dubitationi ſubiecta. cuius fidelis & incorruptæ Scripturæ fidiſſimam, & tutiſſimam cuſtodem fecit ipſam Eccleſiam, vt oſtendi cap.1.huius: vel Apoſtolicis explicationibus primitiuæ Eccleſiæ traditis, & in ipſa fideliter conſeruatis, illa ab omni dubio & obſcuritate vindicauit. Ita vt per ipſam Scripturam, & per doctrinam veteris Eccleſiæ quiſque veritatis ſtudioſus poſſit ab omni periculo errorum in fide neceſſaria, ſi quod aliquis Epiſcopus, etiam ex ſupremis, ſiue etiam integra & magna Concilia (omnia enim ſunt errabilia aut ſine Papa, aut cum ipſo, vt docui capit.3.huius) ſeminarent, eſſe immunis. Scriptura enim, & doctrina veteris Eccleſiæ, vt capite proxime ſequenti explicabo, vltima ſunt nobis & infallibilis regula fidei; & doctrinæ neceſſariæ ad ſalutem: reliquæ omnes regulæ ſunt incertæ & fallibiles; Alio Iudice, præter Scripturam & veterem traditionem non indigemus. Et ſi quid controuerſi acciderit, quod hinc ſolui aperte non poſſit, id indefinibile eſt, quippe ad ſalutem nequaquam neceſſarium, & piis opinionibus ad honeſtam exercitationem liberum relinquendum, quæ omnia in ſequentibus plenius explicabo. Nullum ergo aut in Scriptura, aut in ratione habet illa Papę in fide, etiam docenda ex cathedra, infallibilitas & inerrabilitas fundamentum. Ac profecto ſi Papa velit nihilominus aliquid definire, quod neque in Scriptura, neq; in antiquitate explicatum inueniat; ei quoq; illud quadrabit quod Hieronymus de hæreticis ſui temporis protulit dicens. *c* *Sed & alia, quæ abſq; autoritate & teſtimonijs ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte repertunt atq; confingunt, percutit gladius Dei.*] Quod n. ex antiquitate non habetur, traditio Apoſtolica eſſe non poteſt, ſed humana confictio. Illud quoq; Leonis, vbi ait, *d* *In hanc inſipientiā cadunt, qui cū ad cognoſcendam veritatem aliquo impediūtur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, nec ad Euangelicas autoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt: & ideo magiſtri errorū exiſtūt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt.*] Audiui Ioannē 22. ſuam inerrabilitatē in illis Chriſti ad Petrum fundaſſe verbis. *e* *Duc in altum.* hoc eſt in profundum diſputationum pro fidei confirmatione: ſed vt ridiculum id omitto.

c Hier. in Agg. c. 1.

d 24. q. 3. c. Quid autem.

e Luc. 5. 4.

De Romana Eccleſia particulari, an ipſa poſſit errare non eſt cur diſputemus. Nonnulla ipſius priuilegia diſcuſſimus lib.4.c.3. qui dubium *f* mouent hoc, & conantur reſoluere, ſupponunt in ea Eccleſia reſidere Papatum totius Eccleſiæ vniuerſalem, & fortaſſe nunquā eſſe Papatum ipſum ab ea Eccleſia ſeparandum. Itaq; ſuppoſito Papatu, probāt Romanæ Eccleſiæ inerrabilitatē. Quoniam tamen in veritate Papatus nullus eſt, & ſi eſſet non habet annexam hanc inerrabilitatē; propterea iiſdē periculis amittendæ fidei ſubſtat illa, quibus quęcunq; alia Eccleſia particularis. De facto poſſet diſputari, An Eccleſia Romana hactenus in fide perpetuo incorupta manſerit, ſiue ipſa in ſe, ſiue in ſuo Epiſcopo. An vero & ipſa errorib. ſubiacuerit, & ſubiaceat, & an ipſius Epiſcopi aliq. hæretici fuerint, & hæreſim docuerint. Profecto etiā ſi verū eſſet neq; Romanā Eccleſiam vnquā hactenus, neq; Romanos Epiſcopos in fide erraſſe, id tamē nō eſſet ex vllo ipſius inerrabilitatis priuilegio, ſed ex abundantiori diuinę gratiæ præſidio, & ex pia, atq; deuotatū fideliū tū pręſidū cautela, & diligēti cuſtodia, curaq; fidei intactæ conſeruandæ. Sed heu, nimiū doleo, ipſum nō poſſe in hoc gloriari. Quod n. ad Eccleſiam illā ſpectat, non puto quidē illam vnquā à vera Catholica fide in fundamentalib. defeciſſe, certū tamen eſt ipſam ex culpa ſuorū Epiſcoporū Papatū falsū inuehentiū, plurimos Papatus errores hauſiſſe, & plurimis alijs Eccleſiis ſub eodē Papali iugo gemētib. propinaſſe: hos tamē errores nō puto vlla ex parte eſſe veræ XL.

f Bellar. de Rom. Pont. l. 4. c. 4.

b Bellar. ib. c. 3.

Catholicę fidei fundamentalis deſtructiuos. Aliud eſt enim deficere à fide per Ellipſin, ſeu defectum; aliud officere fidei per exceſſum. Vera & proprie dicta hæreſis conſiſtit in defectu, vbi articulus verus & fundamentalis verę fidei negatur, ſeu non creditur, ſeu, (vt ita dicam) diſcreditur. Ego profecto ſub Eccleſia Romana natus, educatus, & promotus ſū, ac ſub ea conſenui: ſed me hæreticum in ſenſu dicto, ne materialiter quidem vnquam fuiſſe, neque volo, neque debeo fateri; & tamen erroribus omnibus Eccleſiæ Romanæ diu fui imbutus. Nullus enim prorſus, quo ad fundamentalia Catholicę veræ fidei articulus eſt, quem aut ipſa neget, aut ipſe cum ipſa vnquam negarim.

XLI. Per exceſſum tamen, quia veræ fidei curia Romana varia fecit additamenta, & nouos fidei articulos ipſa ex ſe procudere voluit, & in dies cudit, quos nec Scriptura habet aut actu aut virtute, nec antiqua Eccleſia vnquam agnouit, quique aut probabilitatem aliquam habent, non ſine probabilitate alia in contrarium, aut manifeſtam etiam continent, fortaſſe etiam contra fidem, ſi non directe, ſaltem indirecte, & deductiue, in non fundamentalibus falſitatem, vt ex ſpecialibus exemplis poſtea confirmabo. Et illi quidem articuli, quãuis multi neq; actu neq; virtute aut conſecutiue veri alicuius veræ fidei articuli contineant negationem, (ſic enim eſſent hæreſes) quia tamen pro veræ fidei veris articulis perperam obtruduntur, ideo inter magnos errores merito debent computari. Verum enim eſt, & fatetur Bellarminus *a errorem eſſe intolerabilem proponere aliquid credendum tanquam articulum fidei, de quo non conſtet, an ſit verum, vel falſum.*] ſed longe intolerabilior eſt error, quando pro articulo fidei proponitur id, quod manifeſte conuincitur eſſe falſum. Tales articulos habet nonnullos Romana Eccleſia, & ipſius ſequaces; plures vero ex illo genere habet, de quorum veritate aut falſitate nihil conſtat, ſed fortaſſe neq; conſtare poteſt. Ac ꝓpterea ego hæreticam abſolute non dixerim, quia non puto ſemper eſſe hæreſim aſſerere aliquid eſſe de fide, quod re vera de fide non ſit; niſi in tali aſſertione virtualiter includatur alicuius veræ fidei articuli negatio, & deſtructio. Atq; hi errores, licet integram veram fidem Catholicam Romę relinquãt, eam tamen puram non relinquunt, ſed ſuperadditis tanquam fidei articulis, qui reuera de fide non ſunt, veram illam & integram Catholicam fidem inficiunt, deturpant, & conſpurcant ac impurã reddunt & deformatam: Ideoq; perpurgatione & reformatione indiget. Talis profecto non fuit olim, antequam monſtrum illud horrendum ingens, Papatus, in ipſa vel naſceretur, vel adoleſceret; quando fides ipſius erat inconcuſſa; quando errantibus aliis Eccleſiis, ipſa fidam & tutam dexteram porrigebat. Ex Apoſtolica enim prædicatione, vt optime ait *b* Leo, *quæ erat magiſtra errorũ, facta eſt diſcipula veritatis*: ſed Papatus in ea effecit, vt ad priſtinam rediret naturam, & ex diſcipula, imo magiſtra veritatis, iterum magiſtra fieret erroris.

a Bellar. de Concil. l. 4. c. 4.

b Leo ſer. 1. in natal. P. & P.

XLII. Quæres ergo, quid tandem ſentiendum de ipſa Eccleſia particulari Romana; eſt ne Catholica; an non? Reſpondeo Eccleſiam illam ſi ſpectes defectum, quoad fundamentalia vt ſemper fuit Catholica, ita nunc etiam eſſe perfecte Catholicam; quatenus integram veram fidem Catholicam fundamentalem ſeruat & profitetur; ægram tamen & nõ ſanam illam eſſe non dubito; impuram & deformẽ, propter exceſſus illos, & additamenta; non puram, non formoſam, non ſinceram, & hęreſi fortaſſe aliqua circa non fundamentalia, ſaltem indirecte cõtaminatã. Talem ne totam, inquies, cum omnibus ſequacibus eſſe cenſes? Minime vero. Neque enim puto viros doctos non paucos coram Deo, & in ſua conſcientia, etiam Eccleſiarum Præſules ex corde credere omnia illa noua, reſpectu veteris Eccleſiæ, additamẽta eſſe articulos fidei, ac præſertim ipſum Papatum, in multis. Scio multos ad reformationẽ aſpirare, aut ſaltem ſuſpirare: ſed ſpes, ſed metus, ſed amor, ſed ambitio, ſed auaritia plus poſſunt quã veritas. Sed miſſa nunc Eccleſia Romana, ad eius Epiſcopum veniamus.

Errare illum poſſe, nec vllo priuilegio eſſe ab erroris periculo immunem, ſatis oſtendi, quo ad ius; quid de facto? Dico etiam facta probare nimium, Papam errare poſſe, non modo ratione perſonæ, & vt doctor priuatus eſt, ſed etiam vt Papa, & quando ex cathedra docet. Hæreticos fuiſſe aliquos Romanos Pontifices aſſerunt multi, negant Hieromonarchici paſſim; & illos ipſos ab hæreſi liberant: præſertim *c* Bellarminus. Ac in primis accipimus id quod nobis ſponte ipſe concedit. Primum Romanum Epiſcopum in ſua perſona poſſe labi in hæreſim, & eſſe hęreticum. Putat enim ipſe *d* probabile eſſe cõtrarium, ex ſpeciali diuina aſſiſtentia; ſed quia illam non poteſt probare, non renititur huic ſententiæ. Secundo concedit nobis Papam, vt priuatum doctorem poſſe errare & hæreſes docere. Tertio fatetur, Papam teneri in ſuis definitionibus ex cathedra mature procedere, conuocatis Conciliis maioribus, vel minoribus. Certe illi priſci Romani Pontifices in omni grauiori caſu Concilia conuocabãt, vt ex tota patet antiquitate; ſed poſt inductum Cõſiſtorium Romæ, Concilia iam exoleuerunt. Quarto, concedit Iudicium Papæ circa factum, poſſe eſſe fallibile, & eum poſſe decipi. Hæc omnia accipimus. Quinto tamen aſſerit Papam neq; cum conſilio, aut Concilio, neq; ſolum poſſe errare ex Cathedra, quando ille totam docet Eccleſiam. Sexto demum tuetur nullum Papam vnquam in ſua perſona etiam fuiſſe verum hæreticum, aut in fide defeciſſe. Nos quintum hoc eius dictum impugnauimus hactenus, & cõtrarium docuimus. Quoad ſextum vero licet id magni momenti non ſit, quia licet eſſet verum, non propterea ſequitur inerrabilitas Papę; quoniam tamen illa non parum inde confirmatur, & veritas ex oppoſito, nimirum ex lapſibus ipſis de facto clarior redditur, exempla aliquot inſigniora proferam, paucis, breuitatis cauſa, contentus. XLIII.

c Bellar. de Rom. Pon. l. 4. c. 8. & ſeqq.

d Ibid. c. 6.

Liberius mihi primus occurrit, quem Arianæ hęreſi, ſaltem pro tempore ſubſcripſiſſe negare nec ipſe *e* Bellarminus potuit, imo ex literis in Bibliotheca Vaticana à ſe viſis & lectis confirmauit: Athanaſio quoque, Hilario, & Hieronymo expreſſe id atteſtantibus, quis refragetur? Petrus Damiani Liberij lapſum in hæreſim obiicit grauiter, vt poſui lib. 4. c. 7. n. 36. Negat tamen Bellarminus hinc poſſe Liberium pro hæretico haberi, quippe quod non ex animo, ſed ex tædio exilij actu ſolo externo peccatit, hæreſim vero nequaquam docuerit. Subſcribere tamen hæreſi, ac formulæ fidei ab Arianis editæ, quod de ipſo aſſerunt Patres, tum apud *f* Baronium, tum apud Bellarminum; quę formula fortaſſe potuit habere bonum ſenſum; quia tamen reticebat conſubſtantialitatem, reſeruabat illa formula tacite negationem conſubſtantialitatis. His addebatur communio Liberij cum Arianis, quare ſaltem interpretatiue, & indirecte ipſi Arianorum ſenſui ille ſe accommodabat. Hac ratione Concilij Arimin- XLIV.

e Bellar. dę Rom. Pon. l. 4. c. 9.

f Baro. to. 3. an. 357.

minenſis Patres lapſi ſunt, & à Hieronymo vocati Ariani. a *Tunc*, inquit, *Nicæna fidei damnatio condemnata eſt; ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.*] Ac propterea ipſe Liberius iam ab errore reſipiſcēs & factus Catholicus ſubiicit fidem ſuam iudicio Athanaſij, vt ſuprà vidimus n.16. huius capitis; cuius non conſilium quærit, ſed cenſuram: piſcator nempe ictus ſapit. Scimus vero Eccleſiam internorum Iudicem non eſſe, ſed ab externis interna præſumit. Fuit ergo Liberius in Eccleſiæ foro vere & proprie hæreticus, & ſubſcribendo formulæ hæreticæ, ipſe illius formæ doctor, & profeſſor factus eſt.

a Hieron. adu. Lucif.

XLV. Vigilius Romanus Pontifex in b fidem ſuam ſcripſit, in qua duas in Chriſto damnauit naturas; & reſoluēs tomum Papæ Leonis, ſic dixit. *Non duas Chriſtum naturas confitemur, ſed ex duabus naturis compoſitum vnum filium, vnum Chriſtum, vnum Dominum.* Et iterū; *Qui dicit in Chriſto duas formas vnaquaq; agente cum ſua communione, & non confitetur vnam perſonam, vnam eſſentiam, anathema ſit &c.*] Quid magis ex Cathedra? Cito & facile Baronius ſe liberat: c *Literas illas Vigilij ad Theodorum commentitias eſſe, & imposturas alicuius hæretici, qui eas dolo malo in Liberati Breuiarium coniecerit*; & coniecturas ad hoc plures venatur per argumenta à negatione, quæ nihil concludunt. Hoc confugium non placuit d Bellarmino, *cum nullum* inquit, *veſtigium corruptionis appareat in libro Liberati, nec pugnet narratio Liberati cum narratione Pontificalis*. Aliam igitur cum eodem Baronio init reſponſionem, videlicet, Vigilium tunc quando illa ſcripſit, non fuiſſe verum, & legitimum Romanum Pontificem, ſed intruſum, Siluerio legitimo Pontifice adhuc viuente. Ego tamen iam probaui lib. 4. c. 11. n. 56. 57. & 63 ipſum fuiſſe legitimum Pontificem, quia legitime fuerat iam ordinatus: exilium enim Epiſcopi ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum, à laico Principe irrogatum ſecū ordinarie fert depoſitionem. Probaui id ibidem exemplo Macedonij, & Euphemij Conſtantinopolitanorum Pontificum; probaui id ibidem n. 46. exemplo Liberij, cui Fælix ſuffectus legitime fuit, & Ioannis Chryſoſtomi. Oſtendi etiam ibid. duos Pontifices Romanos ſimul poſſe eſſe, vt tunc fuerunt Fælix, & Liberius ab exilio reuocatus: *Ordinatio enim legitima facit legitimum Epiſcopum, non electio, quæ ſi mala fuerit ordinatio vero bona, ordinationi nihil obeſt.* Fuit igitur Vigilius vere Pontifex Romanus; & vere, ſaltem pro tempore, hæreticus. Fuit etiā ſchiſmaticus, vt toties monui, & probaui lib. 6. cap. 9. n. 44. & ſeqq. dum quintæ ſynodi generalis definitioni obſtitit, & ex parte ſchiſmaticorum, propter tria capitula ſtetit. Adhuc tamen Bellarminus Vigilium excuſat, quod licet eſſet antipapa, non Papa; adhuc tamen non ſit dicendus aliquid contra fidem, vt Pontifex, definiuiſſe, aut animo hæreticum fuiſſe. *Non enim*, inquit, *fidem Catholicam palam damnauit in ea Epiſtola, nec animo hæretico, ſed occulte, propter cupiditatem præſidendi.*] Hoc nihil eſt, de animo ſolus Deus iudicat; literæ in publicas manus venerunt, quamuis eas occultari ipſe cuperet, & rogaret; Pontifex iam erat; iam in Throno ſedebat, fidemque ſuam, quam profiteretur, in publicas Auguſtæ manus dedit, & ſic quid doceret profeſſus eſt. Facile crediderim ipſum tunc, & vere hæreticum fuiſſe, & illos errores fouiſſe, ſed tamen diſſimulare eos ad tempus (donec ſtabiliretur in ſede) apud Catholicos voluiſſe, cum intentione eos poſtea aperte profitendi; ſed puto poſtea ſententiam malam in bonam mutaſſe. Certe non cogebatur à quoquam anathematiſmos illos peſſimos edere, quia ſolā Anthimi reſtitutionem Auguſtæ promiſerat, ſi Romanum habuiſſet per illam Epiſcoparum, vt patet ex hiſtoriis, & fatetur e Bellarminus; veritatem autem Catholicam ſe impugnaturum non promiſerat, nec id ab eo Auguſta repoſcebat. quid de tribus capitulis ſenſit idem Vigilius? quid fecit? modo eos ſolenniter f damnauit; modo damnationem ſuam reuocauit, & contrariam ſententiam approbauit; & hoc totū profecto ex cathedra: quænam igitur in ipſo erat firma inerrabilitas?

b Liberat. Breu. c. 22.
c Baro. to. 7 ad an. 538.
d Bellar. de Rom. Pon. l. 4. c. 10.
e bella. vbi ſup. c. 10.
f Baron. to. 7. ad ann. 547. & ſeq.

XLVI. Honorius tanquam hæreticus monothelita, & in Concilio generali, ſexto nimirum, damnatus nominatim fuit, & innumeris grauiſſimis, etiam Romanorum Pontificum teſtimoniis hæreticus fuiſſe comprobatur. Illum tamen Monarchici, præſertim g Baronius & h Bellarminus mordicus defendendum ſumpſerunt. Coaceruant hinc argumenta orthodoxiæ ipſius Honorij, eius literas, confeſſiones, indicia omnia; inde vero derogant fidem actis publicis Conciliorum œcumenicorum, & epiſtolis Romanorum Pontificum, quæ ſemper apud omnes fuerunt indubitatæ; corruptiones ac imposturas hæreticorum cauſantur; omnia ſubuertunt, ne Honorium concedant hæretici nota maculari, nō tam in gratiam Honorij, quam ne dogma ipſorum de Papæ inerrabilitate vlla ex parte labefactetur. Sed nihil apud mediocriter etiam ſapientes obtinebunt. Eſt enim incredibile tantas poſſe fieri ſcriptorum publicorum corruptiones; tot feliciter peragere imposturas, tot tantoſq; magnæ notæ viros decipi in ſuis atteſtationibus potuiſſe. Neq; vero argumenta orthodoxiæ quicquam efficiunt; Nam ſicuti verum eſt Honorium duas operationes in Chriſto, diuinam & humanam profeſſum fuiſſe: ita etiā verum eſt ipſum expreſſe vnicam voluntatem in Chriſto cum Sergio admiſiſſe; & in hoc cōſiſtit hæreſis, quo ad Chriſti voluntates, non quo ad operationes. Quod ſi in bono ſenſu à Bellarmino explicato illius temporis Patres ſententiam Honorij accipiendam eſſe vidiſſent, proculdubio non illum damnaſſent. Neſtorij etiam ſententia poſſet ad bonū ſenſum trahi, videlicet Matrem Chriſti Deitatem non peperiſſe, ſed humanitatem, & in hoc ſenſu illam non eſſe Deiparam: ſed qui Neſtorium damnarunt, optime intellexerunt malam hæretici ſenſum hæreticum. Atque hoc eſt diſcrimen inter Sophronium, & Honorium, quod Sophronius expreſſe ſit ſæpius profeſſus in Chriſto duas eſſe operationes, & duas voluntates, licet pro communi pace cōſentiret, vt ſilentio obuolueretur vox hæc *voluntatum*: At Honorius, qui vnam admiſerat voluntatem, dū conſentit, vt vox *voluntatum* taceretur, merito pro mero habetur monothelita; ſicut illi, qui conſenſerunt in formulam Arrianorum, in qua vox *conſubſtantialis* ſub prætextu pacis omiſſa fuerat, pro Arianis habiti ſunt. Illud igitur moneo contra Baroniū ipſum, vt ſit conſtans in Paparu etiam iniuſte tuendo, eſſe in debito hiſtorici valde inconſtantem. Vbi enim antiqua ſcripta ipſi inſeruiunt, licet corrupta ſint aut apocrypha, & nullius fidei, illa vtcunq; corrigere, & pro libidine emendare ſtudet atq; approbare; non abrogat, non reiicit: ſecus vero facit vbi ipſius conſilio ſint contraria. Ea enim in dubiū vocat; corrupta eſſe clamat, imposturam obiicit; quod ſi liceret, iam tota antiquitas corrueret, ſic & ipſe, & Bellarminus pro Honorio faciunt.

g Bar. to. 8. ad ann 633
h Bellar. ib. c. 11.

Gregorium tertium conantur, velint nolint noſtri Romaniſtæ errantem ex Cathedra, vt Pontificem, in doctrina fidei, aut ſaltem morum ad ſalutē neceſſariorum, admittere, & vtcunq; tolerare. Re- XLVII.

ſcriptum enim ipſius eſt ad Bonifacium inſtrui cu-
a 32.q.7.c. 18. pientem, *a Viro licere aliam vxorẽ ducere, ſi propter morbũ aliquem propria vxor debitũ ei coniugale reddere nõ valeat.* b Ibid.§. ſed illud. *Hoc vero* (ait Gratianus) *b ſacris canonibus, imò Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ penitus inuenitur aduerſum.*] Et hoc ipſum ſimiliter docet, & tenet nunc Romana curia. c Bellar. ib. c.12. Vt autem Gregorium ab errore defendat c Bellarminus, ait, *Ipſum loqui de impotentia perpetua naturali; ex qua matrimonium illud ſit nullum.* d Bar. to 9. an. 726. n. 51. Sic etiã d Baronius. Hanc tamen Gloſſam textum ipſum nequaquá tolerare oſtendi ſatis lib.5.cap.11.n.53. Vbi ego reſcriptum Gregorij nõ putaui reiiciendum. Diuortia n. ex cauſis legitimis admiſi; etiam quoad vinculum: quæ quia Pontificij non admittunt, erraſſe Gregorium ex Cathedra admittant neceſſe eſt.

XLVIII. Zacharias ad eundem Bonifacium ex Cathedra dat reſcriptum Papale definitiuum, in quo, inter cętera, Virgilium quendã, vt hęreticum damnat, quia e Zach. ep. 11. aſſerebat eſſe Antipodes. *e De peruerſa*, inquit, *& iniqua doctrina, quæ contra dominum, & animã ſuam locutus eſt: ſi clarificatum fuerit ita eũ confiteri, quod alius mundus, & alii homines ſub terra ſint, ſeu Sol, & Luna, hunc habito Concilio ab Eccleſia pelle, ſacerdotii honore priuatum.*] Scribit quidem ſe euocatorias literas ad eum miſiſſe, vt præſens cauſam ſuam diceret; non tamen de Antipodibus, ſed de aliis erroribus ꝓ quibus tanquã erroneus à Bonifacio impetebatur: ꝓ ridiculo vero errore in aſſertione Antipodum, ſoliſq; ac lunæ ſub terra curſu, abſolutã damnationis ſententiam tulit. Sic ſolent Papæ ridiculi fieri in rebus fidei pro ſuo arbitrio definiendis.

XLIX. Nihil dico de turbellis illis & confuſionibus pro Formoſo Papa, cum publicis ex Cathedra decretis, vel irritãtibus, vel approbantibus ſacras miniſtrorũ ordinationes. Magnus mihi erit Apollo, qui liberos omnino ab errore in docẽdo fecerit illos ſtultos & inſanos Papas. Nihil de Gregorio VII. Vrbano, & Paſchali, de quib. ſatis multa ꝓtuli l.6.c.7. oſtendiq; illos plurimũ erraſſe in dãnandis Principum inueſtituris, q̃ damnãdæ ſub nomine hæreſis, nullo modo fuerũt. Nihil de tot aliis, qui in ſuis decretalib. multa falſa, multa erronea, & aliqua etiã hæretica definierunt, ac in ipſum canonici iuris corpus inſeri vo- f Bell. ib. c. 4. luerũt. *f Sunt*, inquit Bellar. *non decreta quæ faciant rẽ de fide, ſed ſolũ opiniones Pontificum, tanquã priuatorũ nimirum doctorũ.*] Sed aliud eſt diſputare & ſententiam ſuam diſputatiue pronunciare, aliud definire & pᷓcipere, ac docere, reſponſaq; , & reſcripta inſtructiua totius Eccleſiæ edere, & pro lege ſcribere. Nihil de Ioanne 22. qui animab. iuſtorum fidelium omnẽ prorſus ante reſurrectionẽ negauit beatitudinem. Nihil de concertatione inter Nicolaum 4. & Ioannem 22. vbi vnus contra aliũ publicas edunt extrauagantes, fidei doctrinales, de quib. ago li.9. Nihil de Bonifacio 8. & Leone X. qui Papatũ ad fidei articulum reduxerunt, cũ tamen Papatus ſit res noua, & cõmentitia, vndequaq; falſa, vt notaui li.4.c.10. n.98. Quam ſane Bonifacianam definitionẽ Clemens V. reſpectu Regis Francorũ, viribus carere voluit. Itaq; ꝙ vnus ex Cathedra fidei articulum eſſe declarat, alter ſimiliter ex Cathedra negat, ꝙ ſine graui errore fieri nõ poteſt. Nihil dico de Pio 4. qui innumerabiles pene articulos, aut probabiles duntaxat, aut vix probabiles, aut manifeſte falſos Concilij Tridentini, approbauit, cõfirmauit, ſanxit, pro feſſionemq; fidei talibus articulis, & ſane falſis, edidit, ad eamq; iurandam totam Eccleſiam aſtrinxit; g Aug. ep. 7 cui optime quadrat illud Auguſtini. *g Nimiũ peruerſe ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, vt error ſuus lateat.*] Nihil dico de Paulo V. hodierno Pontificẽ, qui ſuis Breuibus ex Cathedra profecto datis Iuramentum Britanicum totum iuſtum, totum honeſtum totum iuris diuini duntaxat obligationes continens, damnare eſt auſus, ac definire ipſum non poſſe à Catholicis tuta conſcientia præſtari: Vt in h oſtenſione errorum P. Franciſci Suarez, ſpero me abunde probaturum. h Tractatus hic iam editus eſt to- mo mei operis 2. poſt libri ſextum. Hi ſane omnes intolerabili errore additione articulorum ad fidem nihil pertinentium, & falſitates in ſe etiam continentium, fidem puram Catholicam turpiter fœdarunt.

L. Tertia quæſtio, *An fides implicita, qua quis in genere profitetur ſe credere quod S. Romana Eccleſia credit, ſit ſatis ad ſalutem.* Docet profecto noſtra Pontificia ſchola, vnũquemq; teneri credere explicite primos maxime fundamẽtales articulos, de vnitate Dei, & Trinitate perſonarum, Filijq; incarnatione, &c. quantum cuiuſq; capacitas fert, in reliquis articulis ſufficere aiunt fidem implicitam. Quod ſi cui acutiori, vel proprium ingeniũ, vel Diabolus, vel homo circa ſuam fidem aliquod dubium ingerat, tutam eſſe docent reſponſionem illam, ſeu proteſtationem, ſi maiorem inſtructionem quis non habeat, *Ego credo quicquid ſancta Mater Eccleſia Romana credit, & docet.* Hæc tamen regula eſt fallaciſſima, & periculoſiſſima. Non diſputo nunc de neceſſitate fidei, nec de eius quantitate, nec in ſpecie de articulis explicite credendis: hæc ad meum huius operis inſtitutum non pertinent: Illud tamen omittere non debui, occaſione diſputationis in hoc capite de Papæ iudicio in rebus fidei inſtitutæ, perperam lactari multos hac regula, quam modo recenſui; & hoc duplici nomine; Primum quia reſtringere ſe ad Romanam Eccleſiam, ſicut & ad quancunque particularem, eſt regulæ defectibili ſe ſubiicere, ſeque exponere periculo pernicioſæ cæcitatis; Deinde quia fides implicita eſt inſufficiens; & hæc iam explico.

LI. Contra fidem implicitam obiiciebat Aquinas tale argumentum. i D. Tho. 22. q.2. ar.6. *i Si minores non tenentur habere fidẽ explicitam ſed ſolum implicitam, oportet quod habeant fidem implicitam in fide maiorum: ſed hoc videtur periculoſum, quia poſſet contingere, quod illi maiores errarent.*] Et k Ibid. ad 3 reſpondet; *k Minores non habent fidem implicitam in fide maiorum, niſi quatenus maiores adhærent doctrinæ diuinæ. Apoſtolus dicit* l 1.Cor.4. 16. *l Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Vnde humana cognitio non fit regula fidei, ſed veritas diuina, à qua ſi aliqui maiorum deficiant, non præiudicat fidei ſimplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, niſi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant, contra vniuerſalis Eccleſiæ fidem, quæ non poteſt deficere, &c.*] Hæc doctrina, etſi vlterius perfici deberet, optima tamen ex ea parte eſt, qua monet implicitam fidem, ſi nitatur perſonis maiorum, eſſe periculoſam, quia illi errare poſſunt; & illos maiores in tantum eſſe à minoribus audiendos, in quantum illi diuinæ doctrinæ adhærent. Ex quo neceſſario ſequitur, vt ſi minores periculum illud à ſe velint auertere, teneantur cognoſcere, num illi maiores doceant doctrinam diuinam, an doctrinam à diuina alienam. Implicita itaque fides, niſi virtualiter innitatur diuinæ doctrinæ, ad ruinam erit implicite credenti. Fuit aliquando tutum implicite credere id, quod vniuerſalis Catholica Eccleſia credit, quando errores in fide non multum dilatabantur; ſed quia vſus & experientia hos docuit, & docet, Deo permittente, errores multos aut contra fidem, aut præter fidem, ſub nomine tamen fidei, plurimum extendi & dilatari, iam non puto ſemper tutum eſſe implicite ſe ad fidem vniuerſalis Catholicæ

Eccle-

Eccleſiæ poſteriorum temporum reducere; nam in Catholica Eccleſia ſub Romana poſita, plurimos errores ſub euidenti notitia obſeruamus, quos fide diuina credendos Romana curia omnibus ipſam audientibus obtrudit. Fides tamen veteris Eccleſiæ vniuerſalis ipſa quidem eſt regula tutiſſima, vt iam probaui, & in ſequentibus vlterius explicabo.

LII. Simplices penitus ac rudes fideles teneant articulos fundamentales ſupra memoratos, ad corticem literæ. Illi enim neq; promouebunt dubia aut diſputationes, neque ipſis promouebuntur; & talibus, poſtquam ad pedem literæ articulos illos ceperint, tutum eſt per implicitam fidem ad ſenſum veteris Catholicæ Eccleſiæ dubia ſibi ꝓpoſita reijcere. Acutiores etiã, & ingenio valẽtiores articulos quoſcunq; in ſuo, quod ita ſit; firmiter retineant; quomodo autem ſint, ſalubre eſt omnibus aut non inquirere, aut ſobriiſſime inquirere, & ad amuſſim ſacræ Scripturæ ac veteris Eccleſiæ vniuerſalis, ſenſum Catholicum indagare. Implicitam fidem, *circa quod ſi* fundamentalium, & omnibus notiſſimorũ articulorũ, in multis laudo. Sed vbi noui proponũtur articuli, aut modi veterũ articulorum explicantur, hic iam caueant omnes, qui oculos habent, ne dicatur illis, *oculos habent & non vident* Hic iam rationem quiſq; tenetur reddere ſuæ fidei; nec licet cuiquam dicere de aliquo Magiſtro, cuiuſcunq; gradus & conditionis ſit, *Ipſe dixit*. Auguſtinus ad Ma-

a Aug. in epi. funda. c. 5. nicheos ait, *a vſq; adeo me ſtultũ putas, vt nulla reddita ratione quod vis credam: quod non vis non credam?*] Hoc ſapiens quiſq; Chriſtianus ſe ea docentibus, quæ sũt extra prima fidei Chriſtianæ elementa, iam in corde fideliũ bene firmata, audacter debet proferre; ſe non adeo ſtultum eſſe, vt ad libitum Magiſtri cuiuſcunque, etiam Epiſcopi proprii, ſeu Parochi, etiã ſummi Prælati, etiam Romani Pontificis, nulla reddita ratione credat, & non credat ad eius nutum. Credere talibus implicite, eſt abſolute nihil credere. Credere n. eſt actus onomaſticus potentię intellectiuæ & rationalis; actus vero nullus eſt qui non verſetur circa obiectum. Vbi ergo nullum obiectũ, ibi nullus actus. Fides ergo actualis implicita, quia caret ſpeciali obiecto, fides actualis non eſt, ſed neque habitualis. At vero per ſolam habitualem fidẽ adultus nunquam ſaluabitur, & habitualis fides ſolam dat facilitatem aſſentiendi in actu obiectis fidei ſufficienter propoſitis; nam ſi non ſufficienter proponantur, poſſunt falſa pro veris fidei habituali obiici. Ne ergo erret, obiecta per ſuas regulas debet explicite diſquirere, & ſic implicita fides nunquam ſatis erit.

LIII. Qui decipere volunt, libenter fidem implicitam requirunt. Hoc profectò eſt ingens noſtri Papæ artificium, ad vſurpatum in Eccleſia dominatum ſic obtegendum, vt à ſimplici, & decepta plebe, Papa eſſe Deus in terris exiſtimetur. Imo vt omnes ad errores illos facile imbibendos, qui ipſius humanis conſiliis ſint proficui, reddantur aptiores, implicitam fidem plurimum commendat, & per ſuos ſatellites commendare facit, vt quicquid ille ex Cathedra docet, id tuta fide tenendum ſit, nec in eo inquirendum, aut indagandum qua ratione id aſſeratur; Satis enim eſſe debere cuique aſſerit, quod ipſe ſic ſtatuerit & definierit: *credat quiſque implicite, quicquid Romana Eccleſia credit*; tunc doceat Papa, ſi vult, ſe etiam Deum eſſe, procul dubio pro Deo erit explicite adorandus ei, qui illa implicita fide fuit imbutus. Paulus diuinus Apoſtolus noluit

b 1. Cor. 1. 24. Corinthios putare *ipſum velle b dominari ipſorum fidei*, quam ſenſim in corda eorum inſtillabat, non cum poteſtate, non cum dominio; non ita Papa; ſed velis, nolis cogeris credere, quod ipſe iubet, etſi id Scriptura non dicat, id Patres non doceant, id Eccleſia priſca non tenuerit. Ipſe dixit, ſatis eſt; Si rationem petas, & in hoc, *Ipſe dixit*, non acquieſcas, carceres tibi parantur & ignes. Cur ita quæſo? nimirum cæcos occupat, ne ex debita propoſitorum ad credendum diſquiſitione fidelium oculi aperiantur, & falſitates agnoſcant, decipulas intelligant, artes Romanas comprehendant, & Papatus vanitatem plane agnoſcant; & conſequenter, ne ipſe ab illo eminenti faſtigio decidat; & in ordinem ſuum proprium, hoc eſt, Epiſcoporum, redigatur.

Eſt quædam in Eccleſia Catholica laudabilis cæcitas, ſeu cæca obedientia, imo neceſſaria, cum fide tamen explicita in credendis fundamentalibus fidei articulis, quod ita ſint, in quibus ratio non eſt quærenda, quia Scriptura ſacra eos proponit clariſſime. Quomodo tamen ſint, inquirendum non eſt, *c captiuandus eſt intellectus in obſequium fidei, curioſitas tota compeſcenda. In aliis vero cauendum eſt, ne cæci à cæcis ducti, ſimul cum d cæcis ducibus in foueam æternæ damnationis cadant*. Cæcos omnino vult Roma fideles eſſe, ac propterea vſum ſacræ Scripturæ tollit penitus illis, qui latinas non norunt literas; Vulgari enim regionum idiomate illas edi non patitur. Deus ipſam ſacram ſcripturam Hebręis Hebraice, hoc eſt vulgari eorum lingua exhiberi voluit, quod ſi periculum vllum conſideraſſet inde poſſe plebi imminere, profecto illam aliqua plebi ignota lingua tradidiſſet, quam proceres ſolos docuiſſet. Sed Papa Deo ſapientior, ſub prætextu vani periculi, ignorantiam plebis in rebus diuinis, quantum poteſt procurat, vt ipſe interim pluſquam Scriptura audiatur; arteſque ipſius non facile cuiuis innoteſcant. *Panem filiorum triticeum ſubtrahit, quod eſt verbum Dei ſcriptum, & loco ipſius plebi ſubſtituit panem furfuraceum; Vtinam non pro pane e lapides tot articulorum duriſſimorum dentibus fidei obiiceret, pro quibus vult etiam duram mortem eſſe oppetendam. Vtinam non f ſcorpionem porrigat pro ouo, & pro piſce ſerpentem: errores & falſitates, quæ in fine acerrime pungant animam, & veneno inficiant* Scio in opuſculis illis ſpiritualibus, quæ à plebe loco ſacræ ſcripturæ teruntur, bona verę fidei collocari fundamenta, & multas Catholicas veritates proponi (alioquin lupinos rictus apertos notoriè oſtendiſſent) ſed ſub bono, & dulci cortice multæ exponuntur falſitates, ſuperſtitiones, & ambitionis, auaritięque commenta. Libros vero pios, Catholicos, orthodoxos, ſi qui ipſorum falſitates detegunt, artes aperiunt, in viam rectam veritatis, procul à ſuperſtitione, & indebita ſeruitute, ac oppreſſione fideles ducunt, eos tanquam hæreticos proſcribunt, ac ne in manus piorũ perueniãt, minis & aliis actibus efficiunt. Ecce quo tandem implicita fides illa collimat. Hac cæcitate innumerabiles miſerrime premuntur, piaculumq; putant, ſi articulos Papales, in officina nõ fidei, ſed auaritiæ & ambitionis, cuſos, incudi pię conſiderationis reddant. *g Propterea captiuus ductus eſt populus meus quia non habuit ſcientiam*]

c 2. Cor. 10. 5.
d Matt. 15. 14.
e Matt. 7. 9.
f Luc. 11. 12.
g Iſa. 5. 13.

LIV.

LV. Quarta quæſtio, *An Papa ſit ſanctorum canonizator, & in hoc inerrabilis*. Quid iam non audet Papatus immoderatus? Hominem purum arrogare ſibi notitiam rerum ſecretiſſimarum, quæ in ſolo ſpeciali diuino iudicio conſiſtunt, abſq; vlla diuina reuelatione, mihi videtur eſſe ſummæ inſaniæ. Tria docet Bellarminus, *h Primum vtile eſſe ſanctos canonizari. Secundo*

h Bellar. de ſanct. bea. l. 1 c. 7. 8 9.

nd ſo-

ad ſolum Papam ſpectare publicam pro tota Eccleſia canonizationem. Tertio. Credendum eſſe, Papam in canonizatione non errare. Ego vero puto canonizationem eſſe merã vanitatem, prorſus inutilem ſiue ſanctis ſiue Eccleſiæ. Papam id ſibi incredibili cum audacia arrogaſſe, & eſſe hanc ipſius actionem fallaciſſimam, ac proinde ſummopere temerariam: quæ omnia breuiter probo.

LVI. Sanctorum animæ in ſua perfecta & abſoluta beatitudine nullę ſunt, neque ante reſurrectionem & vltimum Iudicium eſſe poſſunt: vt probaui lib. 5. cap. 8. n. 75. & ſeqq. Sunt adhuc in ſtatu imperfecto, exiguæ beatitudinis, abſque coniunctione ſui corporis, capaces: eas vero vt iam perfecte beatas, & tota gloria fruentes extollere otioſum eſt, & fruſtratorium. Sed eſto: ſint in tota gloria & perfectiſſima beatitudine, an non fruuntur ſua perfecta gloria, etiam ſi non canonizentur? Ego non dubito eſſe in gloria innumerabiles ſanctos, qui non ſunt canonizati, & quorum nomina in terris penitus ignorantur, & plurimos in longe altiori gradu beatitudinis, quam ſint multi canonizati, nec tamen in vlla re à canonizatis coram Deo ſuperantur. Lætantur illi quidem, ſi in terris Deus ex ipſorum fide & virtutibus Chriſtianis cum gratiarum actione laudetur, ſimiliter ſi imitatores in ſanctitate multos habeant; iſta vero canonizatione non indigent; ſi pręclara alicuius ſancti vita paucis nota poſſet homines ad laudandum Deum excitare, & ad imitationem inuitare, hoc ſine illa apotheoſi facile Eccleſia poteſt promouere, ſi illorum vitæ authentico & fideli modo poſt eorum obitum, ſcribantur & publicentur. Quid ad ſanctos quod campanæ perſtrepant, templa ſuperbe ornentur, thura adoleantur, lampades & faces ſplẽdeant, (ſi tamen coram ſole in meridie ſplendere poſſunt.) Hæc ſunt, quę ex canonizatione ſancti acquirunt, mera ludibria. *Sed qui canonizantur, inquiunt, coluntur, honorantur, inuocantur.* Atqui verus eorum cultus & verus honor eſt in imitatione illorum: alius periculoſus eſt, & ſanctis nihil proficuus. Inuocatio vero aut otioſa aut etiam pernicioſa, vt alias dicetur. *Canonizatio ſaltem tutos reddit fideles*, inquiunt, *ne colant damnatum aliquẽ pro beato, vt aliquando contigit.* Vtinam canonizatio hoc ſæpe non efficiat! Tuti erunt in hoc fideles, ſi ad diuinum ſolum cultum reducantur, & à cultu religioſo hominum abſterreantur. Quod ſi abſque cultu in opinione ſanctitatis alicuius hominis errent, nihil inde incommodi aut ipſi opinantes, aut Eccleſia patitur. At vero illam canonizationem omnino eſſe abſurdam & ab Eccleſia remouendam, hinc ſatis probatur, quod Eccleſia per mille & ducentos à Chriſto annos canonizationes iſtas ignorauit. Sunt ſane ſancti, quos ipſa ſacra vtriuſq; teſtamenti Scriptura canonizauit: ſed & Martyres, qui pro fide Chriſti ſanguinem fudiſſent, diligenti cura à *a* Diaconis & Subdiaconis cognoſcebantur, & à notariis ipſis ſubiecti in commentarios proferebãtur, atq; ab Epiſcopis approbabantur & recondebantur, vt eorum memoria conſeruaretur, & conſtantia fidei aliis eſſet in exemplar. Ipſa plebs fidelis eos debito honore proſequens, vt vere ſanctos, qui pro Chriſto animas ponebant, in memoria conſeruabat, & ſanctos vocabat; non tamen inuocabat: neque erat vlla alia canonizatio: Et Epiſcopi quidẽ Eccleſięque miniſtri, vbi aliquem martyrio coronatum intelligebant, in memoria ſacrificij Chriſti; quam celebrabant, eorum nomina & martyrium recolebant, ac Deo gratias agebant, & in diptycha referebant. Idem fiebat de quibuſdam viris vita functa illeſtribus, vt plebs eos honore & memoria proſequeretur, & ſanctos vocaret, & Epiſcopi in ſacra liturgia eos vita functos etiam ſine martyrio, commemorarent, ac in diptycha, ſeu tabulas Eccleſiaſticas referrent: Hæc diptycha, & has tabulas *b Athanaſius vocat catalogum. vbi*, ait, *Dionyſii Alexandrini memoriam fuiſſe cum Patribus celebratam, & in catalogum relatam*: Illud tamen non erat canonizare; nam etiam viuos in diptychis commemorabant.

a Baron. in præ capitu. Martyrol. Rom. c. 1.

b Athan. Epiſt. cont. Arian.

LVII. Cæperunt poſtea Romani Pontifices, neſcio quando, non certe niſi poſtquam ſe Monarchas Eccleſiæ per ſummam vſurpationem ſtatuerunt, ſolennes iſtas canonizationes facere, ritu & ceremoniis plane gentiliciis, aut ſaltem magna ex parte à gentilibus deſumptis. De quibus Athanaſius. *c Nou ita pridem, inquit, & fortaſſe etiam nunc Romanus Senatus ſuos ab origine Imperatores aut omnes, aut ſaltem eos, quos ipſi libitum eſt, cælo ariſq; dedicant, legibuſq; & ſenatus conſultis Deos eſſe iubent, --- quos gratia & amore proſequuntur; hos ob virtutem coli præcipiunt, non aliter quam ſi numinis faciendi ius poteſtatemq; haberent. --- Non tamen iſta conſuetudo recens eſt, neq; à ſenatu Romanorum originem ſumpſit, ſed iam olim id factitatum & in vſu habitum eſt in decernenda diuinitate. Nam & priſci in Græcia celeberrimi que Dij vt Iuppiter, Neptunus, Apollo, Vulcanus, Mercurius; & inter fæminas, Iuno, Ceres, Pallas, Diana Theſei edicto, qui ibi regnauit (vt in hiſtoriis eſt) accepere numen ac diuinitatem. --- Ex quo item genere apud Ægyptios Iſis & Proſerpina minor; & apud alios Venus --- quæ ſunt omni ludibrio plena. Quandoquidem multi non modo priſcis, ſed & noſtris temporibus, vbi amiſere quos cariſſimos habent fratres, cognatos, vxores, multæ item viduæ maritu extinctu --- ob ingentem luctum deſideriumq; fictu depictuq; figuris expreſſos inter numina dedicauerunt. Poſteri deinde admirati elegantiam, artificiumq; operis, eoſdem pro Diis habuere, imaginibus eos effigurari voluerunt, vt eos non vlterius ſuperſtites, per effigiei ſimilitudinem obtuentes, hoc genere repræſentationis dolorem ſuum mitigarẽt. His tamen ſimulacris ſtulti vt Diis vota faciunt, & veri numinis ceremoniis proſequuntur.*]

c Athan. orat. cont. Idola.

LVIII. Ex his profecto multa in noſtras canonizationes quadrant. Eos enim Papæ canonizant: hoc eſt, ferme deificant, quos ambitio Romana, quos auaritia Deificandos ſuadet. Vt enim exempli gratia, Collegium Cardinalium ſit in magna veneratione plebi, & eorum multorum vita licentioſa, & flagitia immenſa, (vtinam non atheorum propria?) eiuſdem Collegij ſacri ſacræ famæ non obſit, noſtrorũ dierum Cardinalem Borrhomæum Paulus V. canonizauit. Cur Ignatium Loyolam, cur Franciſcum Xauerium, quibus Carolus non ſit in ſanctitate, (ſi Patribus noſtris Ieſuitis credendum ſit,) comparãdus? cur tot pauperum & paupercularum vita ſancta non inquiritur? Quantam vero vim pecuniæ canonizatio requirat, nouit curia Romana, ita vt iam niſi magni Principes, aut amplæ ciuitates (nouit hoc nuper Mediolanum) ſumptus promoueant, innumeri veri ſancti in obliuione mundi ſepulti iaceant neceſſe eſt, & canonizationis honore careãt; & quod peius eſt, nonnulli ſancti canonizati veteres ſanctos ipſa totius Eccleſiæ decretione ab antiquo canonizatos, quo ad nos, certe peſſundederunt. Carolus profecto Mediolani Ambroſij nomẽ ferme extinxit. Iam equidem non video, an pecunioſi iſti, qui canonizationes tot ſumptibus promouent & exornant; plus ſibi aſciſcant patronum illũ ſanctum, cui canonizationem impetrarunt: an ſanctus ipſe ſic canonizatus tanquam inſignem patronum ſuum illum habeat pecunioſum, cui ſuam totam debeat canonizationem. An non imagines potiſſi-

tiſſimum cum ſplendore circa caput, de licentia, & mandato Papæ ſic confectæ, ſanctos efficiunt? An non plebes rudes & deceptæ talibus imaginibus vota fundunt? Sed de imaginibus alias. Venio ad ſecundum, quod de canonizatione propoſui.

LIX. Inuentum quidem nouum eſt canonizatio Sanctorum, ſed multo magis nouum eſt, quod Romanus Pontifex hoc munus canonizandi ſibi ſoli arrogarit. Scriptura ſacra ante omnia eſt, quę canonizat multos Sanctos, quorum pietatem & ſanctitatem ipſa laudat, amicoſque Dei eos fuiſſe teſtatur. Deinde Eccleſia priſca alios etiam, ſiue Martyres ſiue ſanctitate inſignes homines, dum eos tanquam ſanctos debito honore eſt proſecuta, illos canonizaſſe dicenda eſt. Epiſcopi quoque ſinguli in ſuis Eccleſiis martyres, ſimiliter & alios inſigniter pios religioſoſque homines ſuę diœceſis, in tabulas Eccleſiaſticas retulerunt, & eorum memoriam conſeruarunt, quę & ipſa, vt ſupra monui, fuit quædam canonizatio, & in catalogum ſanctorũ relatio. Hinc martyrologia noſtra, & mnemologia Græcorũ confecta ſunt, & in Eccleſia publicata. Quæ ſane martyrologia, & mnemologia vetera, ne vnum quidem ſanctum habent, ex Romanorũ Põtificum canonizationibus eductũ. Et fatetur [a] Bell. cum Thoma Waldenſi, *Epiſcopos potuiſſe ſanctos canonizare pro vna prouincia vel diœceſi; Modo tamen hoc Epiſcopis non licere: quia Alexander 3. & Innocentius 2. id prohibuerunt.* Et quidem Alexander ait, [b] *Non licere quempiã, qui etiam miraculis claruerit, pro ſancto abſq; autoritate Romanæ Eccleſiæ, venerari*: quod intelligit, puto, de ſanctis nouis: & hoc reſcriptum fuit ſpeciale ad aliquos puto ſuæ diœceſis Romanæ, aut ad ſummum ſuæ prouinciæ, cuius ipſe Metropolitanus erat, qui ebrioſum quendã ebrietate occiſum ꝓ ſancto venerabantur. Cur ergo extendunt hoc ad totam Eccleſiam? Innocentius vero in Concilio generali ꝓhibet, ne quis reliquias de nouo inuẽtas publice venerari prę̃ſumat, niſi fuerint autoritate Romani Pontificis approbatæ. hoc nihil ad canonizationẽ. Vnicum me igitur Alexandri priuatum præceptũ auferre poteſt Epiſcopis ipſorũ propriam & antiquiſſimam autoritatem, ſanctos canonizandi; hoc eſt, eorũ vel martyria, vel actiones pias & virtutes Chriſtianas inſignes apto idoneoq; teſtimonio confirmandi, in tabulas Eccleſiaſticas referendi, & populo publicandi, atq; ad imitandũ proponendi, Deumq; in illis laudandi, & eorum memorias venerandi? ſi qua igitur ſanctorum canonizatio in Eccleſia vtilis eſt aut neceſſaria, eam profecto pro opportunitate & occaſione ex officio ꝓprio quilibet Epiſcopus poteſt celebrare. Inquirat Eccleſias particulares, & videbit vix vllã eſſe, quæ non propriũ aliquem ſanctum habeat & honoret, publicaq; memoria cõcelebret, q tamen à Romano Pontifice nunquã fuerit canonizatus. Mea Eccleſia Spalatenſis Domniũ primum Epiſcopum Salonitanum, à Petro ordinatũ ac Salonas miſſum, & ſanctũ Raynerium itẽ ſuum Archiepiſcopum, tempore Alexandri tertij à barbaris occiſum, ſolẽni memoria celebrat; qui ſancti Romanę Eccleſiæ ſunt penitus ignoti, nec illorum vlla extat vnquã facta aliã canonizatio, niſi quod in ipſis huius Eccleſiæ actis & archiuis ipſorũ legendæ ex traditione aſſeruantur; quinimo monaſteria etiã Monachorum habent ſuos priuatos nec omnino antiquos ſanctos, quos vt veros ſanctos publice venerantur; qui à nullo Papa fuerunt vnquam canonizati. Nouum tamen non eſt, vt Romani Pontifices omnem Epiſcoporum autoritatem ad ſe per ſummã iniuriam trahant. Vt ſe hoc pacto monarchas Eccleſiæ efficiant, ipſamque Eccleſiam & eius Epiſcopos dira Tyrannide opprimant. Nos tamen, qui iſta toleramus, miſere cæcutimus.

[a] Bellar. de ſanct. Beatit. l. 1. c. 8.

[b] De reliq. & vener. ſS. c. 4.

Dicant tamen, vnde probent noſtri Domini Papæ ad eos ſolos ſpectare munus ſanctos canonizandi. Reſpondet qui eos tuetur Bellarminus, primam probationem peti ex ipſorum decretalibus. Illi ergo & teſtes ſunt & Iudices in propria cauſa. Si ex Innocentio, ex Alexandro, ex Honorio quærat quiſpiam, cur ita decernitis? vnde habetis, hanc eſſe veſtram poteſtatem? certe tenentur rationem reddere, nec aliam puto dabunt, niſi: Sic volo, sic ivbeo. Minime vero, dicet Bellarminus, adſunt firmiſſimæ rationes? Quænam rogo? Prima: *Ad eum ſpectat proponere toti Eccleſiæ, quid ſit credendum & quid agendum in ijs, quæ ſunt religionis, qui toti præeſt Eccleſiæ.*] Iam igitur Pasce, erit etiam ſanctos canonizare. O mirificum Pasce: Sed iam abunde probauimus, neque Papam vniuerſæ Eccleſiæ præeſſe, neque fidei definitiones ad ipſum ſpectare, & ſi ſpectarent, canonizatio tamen ad fidem nihil pertinet, neque ad ſalutem animarum eſt neceſſaria. Abſtineat ergo ab his canonizationibus. Secunda ratio, *Papæ eſt declarare quinam ſint hæretici, & pro talibus haberi in Eccleſia debeant; Ergo à contrario ipſius etiam erit declarare, qui ſint ſancti, & pro talibus in Eccleſia debeant haberi.*] Mihi conſequentia hæc videtur ferme ridicula, etiam conceſſo antecedente, quod tamen falſum eſt: vt nõ multo poſt peculiari capite probabo. qui poteſt declarare, qui ſint hæretici; à contrario poteſt etiã declarare, qui ſint Catholici. Ac multi eſſe poſſunt in fide optimi Catholici, & in moribus ſceleſtiſſimi. Quam infirmis, & imbecillibus miſer Papatus nititur fundamentis!

LX.

Obiicientibus vero eſſe plurimos ſanctos in Eccleſia, quos nullus Papa canonizauit, Reſpondet Bellarminus, ſanctos veteres ex conſuetudine cæpiſſe coli; conſuetudines tamen ex tacito Principum conſenſu vim habere, ac propterea ſanctos illos ex tacita Romanorum Pontificum approbatione vt ſanctos coli. Tacente ergo Pontifice ſancti illi in Eccleſia cogniti ſunt eſſe vere ſancti, & merito venerandi. Quomodo ex illo tacito conſenſu adeſt certitudo ſanctos illos eſſe vere ſanctos? Agitur de ſingularibus indiuiduis, an ille, & ille ſit apud Deum in gloria ſanctorum. Alij præter Papam pro ſancto hunc, & illum tenent; Papa non nouit illos, ſed conſentit; quid hinc Papa addit certitudinis? At vero plurimi ſunt, de quibus nullus Papa quicquam vnquam audiuit. Igitur neque expreſſum, neque tacitum dedit conſenſum. At, eſt ne hoc prudentis patrisfamilias, vt alicubi tacite conſentiat aliquem pro ſancto publice coli, de cuius ſanctitate ipſe ſolus Iudex ſit? Erit igitur Iudex, ſed tacitus, & ſub taciturnitate pronunciabit eſſe ſanctum aliquem hominem facinoroſiſſimum. Sed cur ex tacita approbatione Papę illi ſancti ſunt ſancti, & non potius ex tacita approbatione Presbyteri Ioannis Regis Æthiopię. Ille enim circa hos ſanctos æque tacitus eſt ac Papa; & ęque mos tunc erat de vtroque, vt noſtros ſanctos non canonizaret. Expediamus tertium. LXI.

Papa, vt probaui, nullã habet infallibilitatẽ circa res fidei definiẽdas, vbi tamẽ ille habet Scripturas, habet Cõcilia, habet Patres, habet doctores, habet libros Theologicos, habet multa adiumẽta, & agitur ſæpe de fide, qua Chriſtianus verꝰ imbui debet, & quæ ad ſalutem ſit neceſſaria, quanto minus habebit priuilegium inerrabilitatis, vbi nihil prorſus dicit LXII.

dicit Scriptura, nihil Concilia, nihil Patres, nihil doctores, nihil Theologi; & agitur de re ad ſalutem nihil neceſſaria? Neceſſarium quidem eſt cauere, ne profanus pro ſancto habeatur; ſed omne periculum euitatur, vt ſupra monui, ſi fideles ab omni religioſo cultu cuiuſuis ſancti, excepto ſancto ſanctorum, abſtineant. Honorent, venerentur, quos velint, honore humano & ciuili; quid ad nos? Nullũ inde cuiquam periculum. Addo, tãto minus certitudinis canonizationem Papæ poſſe habere, quod illa tota ſolis nitatur humanis teſtimoniis; Miracula rato vera ſunt, ſæpe aut præſtigiæ aut impoſturæ; ſæpius hallucinationes & mendacia; teſtes aut decepti aut corrupti poſſunt deponere: ſed vera etiam miracula non ſupponunt hominis patrantis miracula, ſanctitatem; Gratia miraculorũ eſt gratia gratis data, non gratum faciens. Si Deus vellet Eccleſiam ſcire certo, quinam ſint apud ipſum veri ſancti in gloria, illos profecto reuelaret. Eſt ergo intolerabilis audacia velle diuina ſecreta rimari, & de illis pro certo aliquid affirmare; & res tanta tantiq; momenti, ob ſolam nouitatem, eſſet omnino ab Eccleſia remouenda, ne ſimus riſui infidelibus, quod homines Deificemus: & quæ ab humana notitia ſunt remotiſſima, pro certis & infallibilibus aſſeramus. Quam ſuſpecta ſint teſtimonia ſanctitatis, præſertim à Confeſſariis, qui ſancti canonizandi confeſſiones audierunt, accepta, facile videre eſt apud Gerſonium, qui prudenter agit de illuſionibus, quibus ſolet Dæmon multos decipere. Cautelam optimam ponit in humilitate, vt nemo quærat per miracula, vel reuelationes regi; & imprudentiam taxat illorum Confeſſariorum, qui in laudes alicuius ſui pænitentis erumpunt, & dant hypocriſi amplã

a Gerſ. de exam. doctrin. par. 2. conſid. 3. occaſionem. a *Eſſet hic*, inquit, *habendus ſermo latior, præſertim in materia canonizationis & teſtificationis ſumptæ per Confeſſores.*] Et hac occaſione narrat Gregorium IX. cum eſſet moribundus proteſtatum fuiſſe omnibus, vt cauerent ab hominibus ſiue viris, ſiue mulieribus, ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis; *quia*, inquit, *per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat, & Eccleſiam ad diſcrimen ſchiſmatis, &c.*] De Catharina Senẽſi procul dubio loquebatur Gregorius, & id notum erat Gerſonio, ſed eam noluit nominare. Eſt enim in hiſtoriis notorium fæmellam illam, contra regulam humili-

b 1. Cor. 14. 34. 35. tatis, quæ ſanctos decet; & contra præceptum b Apoſtoli ſe ſub illuſionibus viſionum & reuelationum, Magiſtram in Eccleſia conſtituiſſe, & Epiſtolis propemodum dogmaticis ſcribendis totam dediſſe, quibus, & Apoſtolatu ſuo prophetico miſerum Gregorium decepit, eumq; vt Romanam reſidentiam importune reſumeret, ſub prætextu ſanctitatis compulit. Ex quo ſecutum eſt ſchiſma horrendum in Eccleſia: fructus ingens fæminilis ſanctitatis, & nihilominus canonizata eſt. Quis talium canonizationes approbet?

LXIII. Doctores alij etiam Pontificij, quamuis libenter Papatum, quam maxime fieri poteſt, attollant, in hac tamen canonizatione ſanctorum non audent aſſerere ſummam adeſſe certitudinem; ac multo minus articulum eſſe fidei, ſanctum illum eſſe vere ſanctum, quem Papa canonizarit. c Caietanus, *Non pertinentia*, inquit, *ad fidem non intelliguntur affirmari, & prædicari, niſi cum grano ſalis, hoc eſt ſtantibus communiter præſumptis. Præſumit enim Eccleſia canonizationem rite factam: ---ſed ſicut poteſt interuenire error humanus in canonizatione alicuius ſancti, vt S. Thomas dicit, ita poteſt interuenire error humanus in collatione indulgentiæ. Si quis autem putet Romanum Pontificem non poſſe errare in iſtis*

c Caiet. de Indulg. ad Iulium c. 8.

particularibus actionibus--- putet quoq; ipſum non eſſe hominem] Syluester cum Thoma ait, d *pie credendum eſſe Papam in canonizatione non errare.*] Melchior Canus ait, e *In moribus non toti Eccleſiæ communibus, ſed qui ad priuatos homines, vel Eccleſias referuntur errare per ignorantiam Eccleſia poteſt, non in iudicio ſolum rerum geſtarũ dico, ſed in ipſis etiam priuatis præceptis & legibus. Liquet enim certa & firma Eccleſiæ decreta eſſe non poſſe, quæ non certis, & firmis principiis ac fundamentis innitantur. Quocirca ſi vel vnum ex iis à quibus Eccleſiæ iudicium pendet incertum eſt, certum Eccleſiæ decretum eſſe non poteſt; ſiue quæſtio ſpeculatiua ſit ſeu practica, ſic enim noſtri loqui ſolent. Concluſio quippe, vt in dialecticorum prouerbio eſt, debiliorem partem ſequitur; & ſi vnum quodlibet principiorum claudicat, eam quoq; ex illa parte debilitari neceſſe eſt. Quæ ex re facile intelligitur Eccleſiæ iudicia, quæ ab incertis hominum teſtimoniis proficiſcuntur, infirma eſſe ad certam & exploratam faciendam fidem. Quale illud eſt, quo ſanctum aliquem diuorum Catalogo aſcribendum cenſet.*] Multus inde eſt in repræhenſione eorum, qui huiuſmodi decreta Eccleſiæ, id eſt, ſummi Pontificis (hæc enim eidem autori ſunt ſynonyma) in dubium vocant. *Sic enim*, inquit, *poſſet quis Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, ac reliquorum ſanctitatem, ſine crimine in quæſtionem vocare.*] Sed aliud eſt dubitare de veteribus an ſint ſancti, ſiue etiam illos inter damnatos proiicere, qui abſq; Papæ canonizatione ſunt ex Eccleſiæ vniuerſalis conſenſu canonizati; aliud de nouis, quos Papa canonizat ſuſpicari; & ita ſuſpicari, vt quidem nõ eos quis propterea in numero damnatorum reponat, iniuriis, ſannis, & ludibriis excipiat; ſed Deo iudicium relinquat, ac interim ſibi perſuaderi non permittat, præſertim fidei diuinæ certitudine illos eſſe vere ſanctos. Ego de Ambroſio non dubito; de Carolo tamen non nego illum poſſe eſſe ſanctum, at vero eſſe omnino ſanctum pro re certa non affirmabo, neq; canonizatio Pauli V. cogit me, vt affirmem: non quod ſciam pro certo illum erraſſe, ſed quia ſcio pro certo ipſum potuiſſe errare. Sed præterea magnam imprudentiam eſſe puto canonizare hominem recentis memoriæ, & noſtræ ætatis, quando plurimi extant viui humanarum imperfectionum Caroli teſtes; multi etiam qui ei ante conuerſionem ad meliorem frugem, aut ſocij alicuius flagitij, aut miniſtri fuerunt; quæ non nego potuiſſe illum cum vera & perfecta pænitentia diuinæ gratiæ beneficio obliterare. Debuiſſent ſaltem expectare, vt corpus eius eſſet in cineres plene redactum; Narrauit enim mihi aliquis, qui præſens aderat, quando corpus eius ex loculis in pretioſum Mauſolæum eſt tranſlatum, tanto fætore circumſtantes repletos, vt tolerare illum vix poſſent. Scio neque fætorem auferre, neque fragrantiam (quæ ex vnguentis poſſet proficiſci) arguere ſanctitatem: Plebecula tamen ſupponit ſanctorum corpora à corruptione, aut ſaltem à fætore, diuino miraculo liberari, alioquin ſcandalum patitur, & in fide ſanctitatis fit imbecillior.

d Sylu. V. canonizatio in fine.

e Canus de loc. com. l. 5. c. 5. q. 4. Conc. 3.

Argumenta ſua pro certitudine ſanctitatis canonizati per Papam habet Bellarminus: f Primum: *Si liceret dubitare an ſanctus canonizatus, ſit ſanctus, liceret dubitare an ſit colendus: ſed hoc eſt falſum, quia Auguſtinus ait g inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe diſputare; an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit. Ita Bernardus, h quæ accepi ab Eccleſia ſecuro & trado. Et veteres indubitanter ſanctos colunt; & tenemur feſtum ſancti à Papa præceptum celebrare, &c.*] Dixi contra Canum de veteribus ſanctis, iã ab vniuerſali Eccleſia receptis non licere dubitare. Sed de nouis quis dicat eos ab Eccleſia pro ſanctis haberi, ſi ante canonizationem penitus ignoti erãt, LXIV.

f Bellar. de ſanct. Bea. l. 1. c. 9.

g Aug. ep. 118.

h Bern. ep. 174.

Eccle-

Eccleſię;tūc ergo licet dubitare. Auguſtinus loquitur in genere de ritibus piis,& religioſis in vniuerſa Eccleſia acceptis. Tunc ritus canonizationis Papalis nullus erat, & de ſanctis ab Eccleſia canonizatis non eſt pręſens diſputatio. Vbi vero in ſpecie de honore alicui tanquam ſancto in Eccleſia habendo locutus eſt Auguſtinus, longe diuerſa dixit. Expoſuit aliquando nemini licere ſe ipſum interficere, obiecit ſibi exemplum earum virginum, quæ cum Pelagia, in perſecutione, ad ſeruandam pudicitiā in flumen ſe piecerunt (quas tanto tēpore laudat *a* Ambroſius) *b quarum martyria Catholica*, inquit Auguſtinus, *Eccleſia veneratione celeberrima frequentarunt.*] Tū ſubdit, *De his nihil temere audeo iudicare: Vtrum enim Eccleſia aliquibus fide dignis teſtificantibus, vt earum memoriam ſic honoret. diuina perſuaſerit autoritas, & fieri poteſt vt ita ſit.*] Modeſte quidem ille,& prudenter: honorare aliquem vt ſanctum non niſi ex diuina autoritate,& iuſſione licet. Eccleſia tunc honorabat virgines illas vt martyres, Auguſtinus nondū acquieicit. Neſcit n. an Eccleſia fide dignis teſtificationib. iuſſionem diuinam cognouerit; vt id faceret. Solam ergo diuinam canonizationem putabat tutam reddere Eccleſiam in ſanctis honorandis. Quod ſi Eccleſia neq; nomen alicuius ſancti, puta Didaci, vel Caroli, vel Hyacinthi audiſſet, & per ſolam Papæ iuſſionem, hoc eſt, canonizationem, illa inciperet hos tanquam ſanctos venerari, quid interrogatus Auguſtinus reſponderet? Procul dubio ipſius reſpō ſio ex hoc loco talis poteſt colligi: *Eccleſia iſtos non venerabatur, niſi poſtquam datum eſt ei præceptum humanū à Romano Epiſcopo: Atqui niſi conſtet fide dignis teſtificationibus hanc eſſe diuinam iuſſionem, non pure humanam ponti ficiam, Eccleſia non debet eos pro ſanctis honorare.* Bernardus, tantum abeſt vt faueat Bellarmini intentioni & poſitioni, vt potius illam rotam euertat. Inſtituebant de nouo Canonici Lugdunenſes feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ virginis, reprǽhēdit eos vir ſanctus,& concedit quidem multa eſſe dona, multas gratias quibus B. virgo fuit à Deo ornata, ſed eas ſolas gratias ſe admittere aſſerit, quas Eccleſia ei paſſim tribuit, & illa feſta ſe ait in memoriā B. virginis celebrare, quæ Eccleſia iam celebraret, atq; ita ait ſe ſecurum tenere & tradere, quæ ab Eccleſia accepit: hoc eſt, quas ex veteri conſuetudine iam Eccleſia vniuerſa ſeruat: non ait, quæ à Papa accepit. Et quia Eccleſia neq; conceptionem B. virginis vnquā docuit fuiſſe immaculatam,& abſq; originalis peccati inquinamento, neq; feſtum conceptionis vnquam celebrauit, ideo periculoſe, *inquit*, præſumimus quicquid Patrum in talibus prudentia prætermiſit. Et ita miratur hos Canonicos colorem optimum Eccleſiæ mutare voluiſſe, nouam inducendo celebritatem, *quam*, inquit, *ritus Eccleſia neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.*] Quamuis iudicium huius rei, ſedi Apoſtolicæ potiſſimum tribuat, nihilominus tamen iiſdem regulis Papam iudicaturum procul dubio muniendum cenſeret, quibus ſe ipſum muniebat, ac diceret Papæ, nulla ratione B. virgini placere contra Eccleſiæ ritum pręſumptam nouitatem, *quæ eſt*, inquit, *mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis.*] Quod ſi Pontifex pręcipiat feſtum aliquod nouum noui ſancti, ab ipſo & non ab Eccleſia canonizati, nemo in conſcientia tenebitur pro ſancto illum habere, & feſto die colere; quia temerarias nouit eſſe huiuſmodi præceptiones. Poterit, & fortaſſe etiam debebit actu externo (ſi Princeps ſub pęnis temporalibus tale feſtum iuſſerit) feſtiuum diem agere, & Deum interno cultu colere, ac de ſācto illo nouo nihil cogitare, propter neceſſarium dubium, an ille ſanctus ſit nec ne, quia in omni Papali canonizatione neceſſario tale dubium relinquitur; ſiquidem nunquam fide dignis teſtimoniis ſufficienter conſtat diuinam eſſe iuſſionem, vt ille pro ſancto habeatur, & honoretur. De legibus Pontificiis quatenus obligent, agam lib. 8.

a Ambr. de virg lib. 3
b Aug. de ciuit. Dei lib. 1. c. 26.

Secundum argumentum eſt ab incommodis. *Si enim Eccleſia erraret (dicat aliquis) ſi Papa erraret in canonizando, defraudaret non ſanctos ſuffragiis Eccleſiæ; quia pro ſanctis canonizatis non oratur.*] Si ſuffragia iſta proſunt aliquid, proculdubio defraudarentur illi perperam canonizati, & huius incommodi Papa eſt cauſa culpabilis; Ne ergo quiſquā defraudetur, neminem canonizet, niſi habeat diuinæ iuſſionis fide digna teſtimonia. Alterius etiam incommodi Papa reus eſt, quod ſe exponit periculo ne damnati in inferno, aut ſaltem (ſecundum ipſum) ablegati in Purgatorium, pro ſanctis & in gloria cæleſti beatis inuocentur; & quia hæc incommoda ſequuntur, ideo canonizatio Papalis eſt omnino aut abiicienda; aut contemnenda. LXV.

Tertium argumentum *de fide miraculorum*. Atqui, vt iam dixi, omnia pendent à fallibili hominum teſtificatione, in re pauciſſimis nota, nec valet exemplum rerum notiſſimarum, vt quod Cæſar vel Pompeius fuerit. Illi enim fuerunt ſuo tempore notiſſimi,& traditione hiſtorica iam omnis ablata eſt hæſitatio. Hic vero examen fit de rebus, quę de ſe magis occulte fiunt, quam patenter, & non niſi pauciſſimis ſunt notæ, quare & ingens eſt periculum fallaciæ deceptionis, & mendacij. LXVI.

Quartum argumentum; *Indicuntur ieiunia, & preces publicæ, nec eſt credibile Deum non adeſſe Eccleſiæ ſic diſpoſitæ.*] Ceremoniæ illæ ſunt à pauciſſimis Romę tātū ſeruatæ. Quid hic Eccleſia vniuerſalis habet negotij? Tota difficultas eſt in pecunia, quando vero illa tota eſt numerata, & omnes factę expenſæ, & preparationes ad pompam peractæ, tunc ſequitur omnino canonizatio. Hæccine ſunt argumēta magno Theologo, & magna quæſtione de canonizatione ſanctorū digna? vbi vero argumentū fundamentale de fallibilitate teſtificationū? locabatur Bellarmin. voluit Papatui in hoc applaudere. Sed vt ſciremus ipſi fuiſſe notiſſimam vanitatem huius canonizationis, non eum fuiſſe adeo ſimplicē, vt illam alicuius momenti eſſe putarit, puerilibus eam Bellarmino indignis ſtabiliuit argumentis, & totam quæſtionē frigide ac ieiune pertractauit, remiſitq; lectorē ad alios autores, Thomam, Triumphum, Driedonē; Antoninum, Caietanum, Syluestrum, & Canum: quorū nullus abſolute aſſerit Papam non poſſe errare in ſanctis canonizādis. Illudq; obſeruet lector, *ante Thomam neminē è ſcriptoribus Eccleſiaſticis huius Papalis canonizationis mentionem feciſſe.* Adhibuerunt aliquando ſuam diligentiam Epiſcopi & ſacerdotes, vt viderēt, an vir aliquis ſanctitate, & miraculis clarus, poſt obitum ſit commemorandus, & vt exemplum ad imitandum proponendus, in tabulaſq; ſacras reponendus: & an ſuper eius reliquias debeat altare locari, ſacraq; mēſa parari: hoc eſt, an debeat illius cadauer honeſtiori ſanctioriq; ſepulchro includi. Atq; id interdum peractum non dubito, per Concilia tamē, ſiue cum Papa, ſiue ſine ipſo. Vt de ſancto Vdalrico Auguſtano Epiſcopo legimus in *c* actis cuiuſdam ſynodi Romanæ ſub Ioanne 15. in cius diplomate à Velſero edito contentis: vt etiam de aliquibus refert Petrus Damiani, *d* Conciliari autoritate eorum corpora fuiſſe ſub altaribus locata. Sed hæc non eſt noſtrorum temporum Papalis canonizatio. LXVII.

c Apud Bar. to. 10. an 993. ini.
d Pet. Damiani ep. 6. c. 29.

CAPVT VI.

Iudicium infallibile verum fidei penes Patres non eſſe: ſed ſolum teſtimonium.

SVMMA CAPITIS.

Omnis priuatus doctor errare poteſt. n. 1.

Patres non modo ſinguli per ſe in tradenda fidei doctrina erroribus ſunt obnoxii, ſed etiam vniuerſi, & omnes ſimul conſentientes, vbi ex proprio iudicio aliquid promunt. n. 2. Vbi vero teſtes duntaxat ſunt doctrinæ Apoſtolicæ primitiuæ Eccleſiæ traditæ in recta ſcripturarum intelligentia, certa & infallibilis eſt eorum doctrina n. 3.

Patres vero præſertim antiquos dum fidem docent, ea duntaxat proferre, quæ Apoſtoli prædicarunt, & Eccleſiæ primitiuæ tradiderunt; aut quæ clara ex ſcripturis eruerunt, non quæ proprium ſuggereret ingenium, probatur pluribus teſtimoniis antiquis, & recentioribus à num. 4. ad num. 19.

Modus diſcernendi Patrum dicta propria, ab iis quæ ex traditionibus proferunt. n. 20.

Concluditur tota diſputatio de Iudice controuerſiarum. n. 21. 22. 23.

I. NONDVM inuenire potuimus in Eccleſia Iudicem aliquem ſupremum controuerſiarum fidei; & veri ſenſus, veræque intelligentiæ ſcripturarum autoritatiuum definitorem, cui tale iudicium ſit à Chriſto commiſſum, quique inerrabilitatis priuilegio fuerit dotatus: ſed neque illum inueniemus inter mortales. Supererunt nobis vltimo loco Patres. Sed profecto ſi Concilia, quæ tamen à Patribus celebrantur, propriam infallibilitatem non habent, multo minus eam Patres à Concilio ſeparati habebũt; Homines ſunt, ac proinde omnes errori obnoxij quoties ex proprio iudicio velint aliquid promere. Si illi infallibilem in ſua tradẽda doctrina Spiritus ſancti aſſiſtentiam haberent, & de hac infallibili certa, & ordinaria aſſiſtentia certa eſſet Eccleſia, tunc Patrum ſcripta eſſent Canonica, neque in vllo gradu ſacræ canonicæ Scripturæ inferiora, quæ & ipſa inde ſuam habet autoritatem, quod Spiritu ſancto dictante illa prodierit: & tamen Auguſtinus ſæpe monet, & proteſtatur, *nullius doctoris Eccleſiaſtici ſcripta eſſe tanquam canonica ſuſcipienda, neq; rem facere de fide, ſed quemcunq; doctorem eſſe errori obnoxium.* a [a Aug. ep. 48.] *Non enim* inquit, *ſic leguntur ſcripta Patrum, tanquam ita eis teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat, ſicubi forte aliter ſapuerint quam veritas poſtulat. In eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apoſtolo accipere: Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelabit.*] Item, b [b Idem epi. 111.] *Neq; enim quorumlibet diſputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum velut ſcripturas canonicas habere debemus (neq; excipit hic Põtificias ex cathedra literas) vt nobis non liceat (ſalua honorificentia quæ illis debetur hominibus) aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere ſi forte inuenerimus quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.*] Sunt & aliæ ſimiles in Auguſtino admonitiones, quas collegit c [c Diſt. 9.] Gratianus.

II. Conſentiunt porro omnes ſcholaſtici, Patres, ſi ſinguli per ſe ſumantur, facilè poſſe in errores incidere, etiam antiquiſſimos: Nam & vere plures eorum interdum lapſi ſunt, & in ſacris ſcripturis elucidandis ſæpe illi ſunt inter ſe valde contrarij. Conſentiunt etiam d [d Canus de loc. com. l. 7. c. 3. concl. 3. & 4.] ſententiam fidei quamplures Patres tueantur, ſi vnum aliquem, aut alterum ex Patribus orthodoxis habeat illi ſententiæ aduerſantem, ex illorum plurium ſententia non niſi probabile duci argumentum; de fide tamen ſententiam illam non eſſe. Tota difficultas eſt, *An in expoſitione ſacrarum literarum communis omnium ſanctorum veterum intelligentia, certiſſimum argumentum Theologo præſtet, ad Theologicas aſſertiones corroborandas: & ita certum, vt ſi agatur de dogmate fidei rem faciat de fide, & cõtrouerſiam penitus dirimat.* Caietanus negat, affirmat Melchior Canus, & communiter ſcholaſtici; ac contra Caietanũ acriter diſputat ipſe e [e Ib. concl. 5. & 6.] Canus; contendit etiam ſanctorum omnium ſenſum eſſe ipſum Spiritus ſancti ſenſum. Errat tamẽ ipſe, errant & omnes qui cũ ipſo ſentiunt grauiſſime: neq; voluit, neq; ſciuit diſcernere ſenſum proprium Patrum, quem ipſi vt ſuũ proprium protulerunt, & ex ſcripturis ipſis proprio Marte eruerunt, ſuppoſita etiam generali, & ordinaria diuinæ gratiæ præſentia (nam de ſpeciali, & extraordinaria non habemus vnde pro certo quicquã præſumamus) à ſenſu, quem ipſi vel tanquam clarũ, & per ſe notum in Scriptura, referunt, vel à maioribus acceptum per veram traditionem ab ipſis Apoſtolorum temporibus aliis tradunt. De priori ſane ſenſu, etiam ſi ſit de neceſſariis dogmatibus fidei, optime ſentit Caietanus poſſe virum orthodoxum, & in ſcripturis eruditũ omnes Patres in eo deſerere, & alium ſenſum cõtra communem omnium Patrũ ſententiam, adhibitis ſolidis, aut ſaltem probabilibus ex Scriptura, & ratione Theologica documentis, proponere, & tueri. Nego enim ſenſum prioris generis eſſe ſemper ſẽſum ipſum Spiritus ſancti; ſed cum ſit ſenſus hominũ, & humano ingenio expromptus, incertitudini humanæ ſubſtet neceſſe eſt. Alioquin Patrum dicta in quibus omnes cõſentiunt (de ſenſu prioris generis loquendo) eſſent canonica, & canonicis ſcripturis in autoritate, & fide penitus æqualia, quod aſſerere mihi videtur ſumma temeritas. Canonicum enim nihil eſt, niſi quod ſit vere, proprie & immediate à Deo reuelatum; quam reuelationem Patres illos omnes habuiſſe quis pro certo affirmet?

III. Quod ſi loquamur de dictis, ſeu explicationibus dogma-

dogmatum,& rerum fidei,ac de intelligentia ſacrarum ſcripturarum,quę Patres tanquã accepta à maioribus proferunt, quæq; ex vero fonte verarũ traditionum manãt,illa profectò erunt,non modo argumẽtum certum,& infallibile Theologis omnib. ſed etiã tutę ac firma regula credendorũ. Sed in his Patres non ſunt niſi veritatis per traditionẽ habitæ conſeruatores, & teſtes: Certitudo vero horum & infallibilitas non Patribus iſta ſic ſentientibus, ſed veræ & legitimę traditioni,qualẽ cap.2.huius explicaui,tota debetur:Neq;ideo illa omnia vera sũt infallibiliter quia omnes Patres in ijs cõſentiunt, aut quia Patribus à Spiritu ſancto data eſt ſcripturarum ſpeciali aliquo modo intelligẽtia,ſed ideo,quia ab ipſis Apoſtolicis prædicationib.ad Patres illa peruenerunt,& quia talia ſunt,ideo omnes Patres cõſentiunt;qui conſenſus nõ eſt cauſa dans infallibilitatẽ veritati,ſed effectus veritatis iã infallibilis. *Sicut mu-* a Ioan.4. *lier a Samaritana infallibilẽ tradebat Sicharitis veritatẽ, quæ infallibilitas non pendebat ex autoritate illius mulieris, quæ non erat niſi ſimplex delatrix illius veritatis: ſic Patres.* Traditiones n. veræ à me iam explicatæ, hoc eſt antiquæ,quæ erant vbiq; apud omnes,& ſemper vſq; ad Apoſtolorũ tẽpora,continuata ſucceſſione, deductæ, iã non poſſunt niſi apud veteres Patres cognoſci,ſiue quia illas aperte exprimunt,ſiue quia ex ipſorũ ſcriptis id quod Eccleſiaſtica cõmuniſſima conſuetudine credebatur, colligitur. Fatetur hoc b Canus v-b ſup. Cõ-cl.6. Melchior. b *Non enim* inquit, *aliunde apertius quam ex ſanctorũ veterũ teſtimoniis pleraſq́, Apoſtolicas traditiones agnouimus.*] Ea igitur, quæ ad veritatẽ & neceſſariã explicationẽ noſtræ fidei ſpectant, Patres nõ ex ſe, ſed vti à maioribus,ſeu ab Eccleſia veteri,ante corruptiones accepta proferre & docere facile eſt oſtẽdere,& ex ipſorum Patrum vel dictis vel factis confirmare, ex quibus iam aliquid alia occaſione protuli cap.2.n.10.& 37.& cap.3.n.9.& ſeqq.& c.4.n. 8.& ſeqq. iam dabo reliquos.

IV. Sacrarum rerum ſcriptores, & diuinæ ſcripturæ interpretes plurimi fuerunt, qui Euſebium præceſſerunt: hoc eſt trium primorum ſæculorum, quorũ opera extabant plurima, quæ legit & vidit ipſe Euſebius,& Hieronymus in ſuo catalogo recenſuit,& quidem non omnia, quæ extabant opera, ſeu opuſcula autoris ſui nomen prælatum habebant. c Euſeb.li. 5.c0.26. c *Alij enim libri*,inquit Euſebius,*aliorum multorum Eccleſiaſticorum ſcriptorum,vere de religione,& fide ſentientium (ſicut cuiuſq́, expoſitiones in ſacram ſcripturam editæ commonſtrant) ad nos peruenerunt,tamen quia Autores eorum nobis ideo incogniti ſunt, quod illorum nomina in libris minime inſcripta reperiuntur, iſtorum nomina recenſere non poſſumus.*] In vno igitur ex his orthodoxo libro hæc ſcripta contra Artemonis hæreſim habebãtur, quæ inde exſcripta in ſuam hiſtoriam trãſtulit Euſebius. d ibid.c.27 d *Aiunt iſti omnes maiores noſtros, & ipſos Apoſtolos ea, quæ ipſi iam affirmant, non modo à Domino accepiſſe, verum etiam alios eadem docuiſſe,& veram prædicationis rationem, vſq́, ad Victoris tempora, qui decimustertius à Petro Romæ Epiſcopus fuit, integre ſeruatam illam quidem, ſed à Zepherino illius ſucceſſore penitus corruptam,& deprauatam fuiſſe. Atq́, profecto quod ab illis dicebatur multum fortaſſe videre potuiſſet habere probabilitatis, niſi primum ſacræ ſcripturæ teſtimonia illis contradicerent, deinde fratrum quorundam ſcripta ſupereſſent, Victoris tẽporibus multo antiquiora: quæ illi cum contra Gentiles pro veritatis defenſione,tum contra hæreſes quæ id temporis graſſabantur,ſcripſerunt: vt Iuſtini, Miltiadis,Tatiani,Clementis,& aliorum nonnullorum;in quorum omnium libris Chriſtus vere Deus eſſe confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis cæterorum libros ignorat, qui Chriſtum Deum, & hominem conſtanter aſſeuerant? Quot item Pſalmi, quot hymni à fratribus fidelibus antiquitus perſcripti, qui Chriſtum, Verbum Dei, verum Deum eſſe concentu quodam concelebrant? Cum igitur ex tot annorũ ſpatio, doctrina Eccleſiaſtica vere annunciata fuerit, quomodo fieri poteſt, vt illi Patres, qui ad Victorem vſq́, vitam produxerunt, ſic, vt iſti aſſerunt, prædicarint*] In Patribus igitur doctrina Eccleſiaſtica aññunciabatur; hoc eſt id quod Eccleſia ab Apoſtolis prædicatum, & declaratũ acceperat,id in Patrum ſcriptis cõſeruabatur.

Euſebius Vercillenſis Orientalis Eccleſiæ Ariana peſte laborantis ſtatum miſeratus,in opportunũ remedium celebre Alexandriæ cum Athanaſio collegit Concilium. *In eo Concilio Patres*, vt refert Socrates, e *de maximis neceſſariis rebus habuere tractatum: vbi etiam de ſancti Spiritus diuinitate tractãtes eum in conſubſtantiali Trinitate comprehenderunt. Et Verbum inhumanatum non ſolum carne, ſed etiam anima declararunt, ſicut olim viris Eccleſiaſticis complacuerat Non enim nouam religionem in Eccleſiam introduxerunt, ſed quomodo ab initio Eccleſiaſtica traditio docuit Chriſtianos. Sic enim omnes antiqui,ex hoc habita huius diſputatione ſermonis, ſcripturã nobis probatiſſimam reliquerunt.*] Ita ſane Patres non ſuas nouas inuentiones, vbi de rebus fidei neceſſariis agitur, excogitant, ſed Eccleſiaſticæ ei, quæ ab initio fuit innitũtur traditioni:& ex ea docent Chriſtianos. Atq; ibi hic autor citat Irenæum, Clementem, Apollinarium, Serapionẽ,& alios, quos synodus illa Alexandrina ſecuta eſt. Athanaſius ꝓfectò nullam aliam regulam magis ſecutus eſt in rebus fidei declarandis, quam traditionem apud Patres antiquiores cõſeruatam, vt vidimus cap.3.n.13.huius. Sed & plane profitetur ipſe, f *ſacram quidem ſcripturã à viris rerum cæleſtium peritis, & ab ipſo Deo conſcriptam eſſe. Se autem cognitionem, & ſenſum ſcripturarum à Magiſtris diuinitus afflatis, qui eos libros euoluerant, & ſeſe diuinitatis Chriſti martyres exhibuerant, hauſiſſe.*] V. e Tripart. l.6.c.10. f Athan. de Incar. verbi Dei ad finem, & ora.1. con. idola.ẽit.

VI. De Baſilio & Gregorio Nazianzeno hæc ſcribit Ruffinus, *In monaſterio illi* g *per annos, vt aiunt, tredecim, omnibus Græcorum ſæcularium libris remotis, ſolis diuinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, eorumq́, intelligentiam, non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & autoritate ſequebantur, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. Quorum præcipue in prophetas commentarios diſcutientes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ reconditos in vaſis fictilibus requirebant.*] Tractatores enim illi primitiuæ Eccleſię veteres, in ſe quidem ſimpliciores, intelligentiam tamen in rebus dogmaticis, & noſtræ fidei, ac ſpei neceſſariis, quam ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam acceperant, premebant, & hanc intelligentiam hi duo magni viri in veterum opuſculis perquirebant, & aliis tradebant, quæ eſt ſola & vnica via ad veritates neceſſarias inueniendas,& explicandas; vt non ſenſus noui proprio ingenio formẽtur, ſed priſci iã formati ab Apoſtolis inueniantur. Baſilius ſane ipſe ſatis re ipſa confirmat verum eſſe quod de ipſo ſcripſit Ruffinus, nam in rebus fidei ſemper ad veterũ Patrum doctrinam traditione ab ipſis acceprã, eſſe confugiẽdum docet vt vidimus cap.2.n.40. huius: qui etiã de Spiritu ſancto dogmatica ſcribens, quæ rectam fidem inſtruant, ait, h *iam vero etiam de Spiritu ſancto communes noſtras ſententias quales ſint expẽdamus; tum eas quæ ex ſcripturis de ipſo nobis collectæ ſunt, tum quas ex non ſcripta in ſana Scriptura Patrum traditione, quaſi per manus ſuſcepimus.*] Quæ videlicet Patres à Patrib. iam inde ab Apoſtolorum tẽporibus accepta, pro intelligentia veri ſenſus ſcripturarum, vbi illæ de Spiritu ſancto loquuntur Eccleſię, dum fideles docerent & inſtruerent, ſiue voce ſiue ſcripto explicabãt. Et quia doctrina fidei ſic in Eccleſia à Patribus, g Ruffin. c. 9.lib.2.hiſtoriæ. h Baſil. de Spir. ſanct. c. 9.

prout ab Apoſtolis tradita fuit, conſeruata, vnica erat regula ad hæreticos ingenioli dũtaxat acumini cõfiſos, comprimendos, *a Illi in nos*, inquit Baſilius, *machinas, ac inſidias conſtruunt, ſeq; mutuo adhortãtur ad ferendum auxilium, prout quiſq; aut experientia aut robore præſtat. Fides eſt autem quæ oppugnatur, & communis omnibus ſcopus vt firmamentum fidei in Chriſtum concutiant, ex eo q; vt Apoſtolica traditio ſolo adæquata diſſipetur. Quapropter, velut æris alieni debitores probationes ex Scriptura implorant, non ſcriptum (videlicet in ſcripturis ſacris) Patrum teſtimonium, velut nullius ponderis reiicientes.*] Quid vero nos? *Cum*, inquit, *ſalutem hãc per Patrem, & Filiũ, & Spiritum ſanctum conſirmatam ſciamus, formam doctrinæ quam accepimus abiiciemus? Profecto magnis ſuſpiriis res digna fuerit, ſiquidem reperiemur nunc longius abeſſe à ſalute noſtra, quam cum credidimus.*] Iam enim noua hæreſum doctrina longe diuerſa erat, ab ea quam cũ Baptiſmo Baſilius accepit. Et quia illa erat eadem quam maiores ab Apoſtolis acceptam docuerunt, ideo in ea perſeuerandum eſſe docet. Tunc enim optima erat regula, vt doctrinam Chriſtianam, in qua quis natus & baptizatus fuit, puram & intactã conſeruaret: Nunc verò non vbiq; regula hæc tuta eſſe poteſt, niſi conſtiterit doctrinam illam eãdem eſſe, quam primitiua Eccleſia, antequam hęreſes & errores inter Chriſtianos inſurgerent, didicit, & docuit.

a Ibid. c. 10.

VII. Theodoſius ſenior glorioſiſſimæ memoriæ Imperator, Principibus Chriſtianis, noſtris potiſſimũ temporibus, maxime imitandus, cum cerneret tumultus, qui in ſui Imperij ciuitatibus, ob expulſos ab Eccleſiis Arianos, ſubinde Remp. turbabant, omniũ Sectarũ diuiſæ Chriſtianitatis Conciliũ, poſt iam celebratũ primũ œcumenicũ Conſtantinopolitanum, ibidẽ coegit: *Ratus*, vt ait Socrates, *ex mutuo Epiſcoporũ inter ipſos colloquio, & congreſſu, vnã omnibus conſentientẽ de fide opinionẽ ſtabilitam fore.*] Piam Imperator mentem, ac ſalubre conſiliũ cum Nectario Patriarcha Conſtantinopolitano cõtulit. Is vero Agelium conſulere voluit Epiſcopum Nouatianũ, ſed de conſubſtantialitate cũ orthodoxis ſentiẽtem. Is vero Siſinium lectorem ſuum, virum valde doctũ huic conſultationi adhibuit, cuius præclarum ac omnino memorandum conſilium illud fuit, vt cum Arianis cõcertationes dialecticę vitarentur, ſed formulę fidei à veterib. editæ in medium proferẽtur, ac primarij hæreticorum ab Imperatore rogarẽtur, vtrum aliquam rationem ducerent illorum doctorum, qui ante diuiſionẽ probè Eccleſiam temperaſſent, an eos tãquam à religione Chriſtiana alienos reiicerent? Quod ſi eos reiiciunt, eiſdem etiam anathema denunciare audacter aggrediãtur, ac ſi illud aggredi audeant, certe à multitudine ipſi expellentur, quo confecto veritatem vicìſſe manifeſto conſtabit. Sin veteres doctores minime reiiciunt, *tũ noſtrum eſt*, inquit Siſinius, *eorum Patrum libros proferre, quorum teſtimoniis noſtra infirmetur opinio.*] Planum igitur erat veritatem in patrum libris prout ab Apoſtolis habita eſt, quo ad articulos fidei fundamentales; eorumque neceſſarias declarationes, expreſſam haberi. Et quidem Ariani profeſſi ſunt ſe Patres veteres vt Magiſtros in magno honore habere; & ſciſcitante Imperatore denuò, vtrum illorum, veluti fidelium doctrinę Chriſtianę teſtium (*teſtium*, inquit, *non propriè Magiſtrorum*) veſtigiis inſiſterent? illi inter ſe diſcordes, aliqui annuebant, alij in dialectica, nõ in Patrum ſcriptis exercitati, renitebantur. Itaq; alia via Imperator eos aggreſſus eſt, & errores conuicit, ac profligauit.

VIII. Innocentius primus etiam, quo ad diſciplinam Eccleſiaſticam, Romanæ Eccleſiæ *b* formã aliis tradit Eccleſiis, & ait ſe noua pręcepta nõ dare, ſed illa quę ab Apoſtolica, & Patrum traditione erant conſtituta. Atq; illa ipſa ſeruanda ſe ait vrgere, quæ à Petro Apoſtolo Romanæ Eccleſiæ tradita fuere. Et quoniã eadem Eccleſia Romana diu Apoſtolicas, & Patrũ in fide explicanda traditiones diligentiſſime ſeruauit, ideo plurimæ Eccleſiæ, etiã Orientales (vt ſæpius oſtendi in præcedentib.) illã in dubiis conſulebant. Non quod illa peculiarem vllam ad hoc haberet autoritatem, ſed quia illa commode, quod acceperat ab Apoſtolis & Patribus, quippe ſeruatum, & cuſtoditum diligentiſſime, poterat aliis communicare.

b Innoc. 1. ep. 1.

IX. Auguſtinus contra Iulianum Pelagianum Patrũ aciem inſtruxit, & valde multos attulit, qui Pelagianis placitis contraria, ante quam Pelagius deliraſſet, docuerunt. Ac de illis Patribus iſta ſubdit. *c Neque vobis, neque nobis nati ſunt, neque nos, neque vos mi ſerati ſunt. Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerũt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*] Et paulo poſt ſic alloquitur Iulianũ: *Quanto tibi eſſent iſti Patres Iudices optabiliores, ſi tenerent Catholicam fidem, tanto tibi ſunt terribiliores, quia oppugnas Catholicam fidem. Quam in lacte ſuxerunt, quam in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum paruis, magniſque miniſtrarunt.*] Non ergo ex ſe, neque ex priuato Spiritu, aut ex ipſorum propria autoritate, vel ſpeculatione neceſſaria fidei nos docuerunt, ideoque illa quæ docent, non habent ab ipſorum autoritate, etiam omnium ſimul conſentientium, certitudinem; ſed quia per manus ab Apoſtolis tradita, non modo dogmata, ſed dogmatum etiam veram intelligentiam, prius ab Eccleſia & Patribus prioribus hauſerunt, deinde quod ipſi in Eccleſia inuenerunt, id poſteros docuerunt.

c Aug. con. Iulian. lib. 2. ante finem.

X. Hoc quod præ manibus habemus argumentum, à Vincentio Lyrinenſi fuit excellentiſſime tractatum; Ipſius aurea dicta ſunt omninò hic apponenda. Nam ſicut ipſe omnino neceſſarium eſſe in Eccleſiaſticis de fide controuerſiis ad Patres veteres confugium, ita in Patribus non autoritatem definiendi, ſed commoditatem, & opportunitatem teſtificandi, & quæ à maioribus didicerant repetendi, plane agnoſcit. Ipſum audiamus: ex eo enim potiſſima quæque excerpam. *d In nomine Domini*, inquit, *quod inſtat aggrediar, vt ſcilicet à maioribus tradita, & apud nos depoſita ſcribam, relatoris fide potius, quam autoris præſumptione.--- e Sæpe igitur magno ſtudio, & ſumma attentione perquirens à quam plurimis ſanctitate, & doctrina præſtantibus viris, quonam modo poſſim certa quadam, & quaſi generali, ac regulari via, Catholicæ fidei veritatem, ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus fere retuli: Quod ſiue ego, ſiue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, Domino adiuuante, deberet. Primo ſcilicet diuinæ legis autoritate; tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione. f Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretantur; vt pene quot homines ſint, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter enim eam Nouatianus, aliter Photinus, &c.--- Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Prophetica; &*

d Lyrin. ad uer. hær. in præfat.
e Ibid. c. 1.
f Ibid. c. 2.

Apoſto-

Apoſtolicæ interpretationis, linea. ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam, dirigatur.]

XI. Eam deinde præclaram ponit regulam, quam nos cap. 2. huius libri ſecuti ſumus, [a Ibid. c. 3. & c. antep.] a *Vt id teneamus*, inquit, *quod ab omnibus creditum eſt, - - ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur Vniuerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem. Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem vero ita, ſi ab iis nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos maiores, ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium ſacerdotum pariter, & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.* [b Ibid. c. 4.] b *Quid igitur faciet Chriſtianus Catholicus ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei communione præciderit? Quid vtique? niſi, vt peſtifero corruptoque membro ſanitatem vniuerſi corporis anteponat? Quid ſi nouella aliqua contagio, non iam portiunculam tantum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum, vel certe ciuitatis vnius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati vel inſcitiæ, ſi quæ ſunt, vniuerſaliter antiquitus vniuerſalis Eccleſiæ decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, vbi nihil huiuſmodi reperiatur? Tunc operam dabit, vt collatas inter ſe maiorum conſulat atque interroget ſententias: eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus & locis, in vnius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt, & quicquid non vnus aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodemque conſenſu, aperte, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſeque cognouerit, id ſibi quoque intelligat abſque vlla dubitatione credendum.*] Et has regulas probat mox variis ex praxi Eccleſiaſtica exemplis, quibus conſtat Eccleſiam nouitatibus turbatam ſemper ad antiquitatem recurriſſe.

XII. Addit vero, c *Sacratæ vetuſtatis autoritate, profanæ nouitatis conteratur audacia.* [c Ibid. c. 8. in fine.] d *Neque hoc ſane nouum: ſiquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, vt quo* [d Ibid. c. 9.] *quiſque floreret religioſior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat, vnum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimum ſede ſumemus: vt omnes luce clarius videant, beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quantaque contentione defenderit ſuſceptæ ſemel religionis integritatem. — Intelligebat enim vir ſanctus, & prudens Stefanus Romanus nihil aliud ratione pietatis admittere, niſi vt omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret ſequi oportere, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare.*] Ecce habemus, cur ad Patres confugiendum ſit, etiam Papæ, quia nimirum illi docent non propria, ſed quæ traditione legitima acceperunt.

XIII. Vbi de Origene occurrit ſermo, Lyrinenſis [e Lyrin. ib. c. 23.] hæc habet. e *Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, cum paruipendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & veterum magiſteria contemnens, quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit, &c.*] Quanto peiora tractaſſet ſi ſibi etiam illud perſuaſiſſet ſe ex diuino aliquo priuilegio in errorem labi non poſſe? Atque hæc eſt maxima Eccleſiæ noſtræ tentatio, quod vnus Epiſcopus, homo mortalis, abſque vllo antiquitatis ductu, aut magiſterio, ex ſe, ſuoque ingenio, imo ſua libidine nouos, & veteri Eccleſiæ inauditos ſenſus ſacræ Scripturæ appingit. Quales ſunt innumerabiles ſententiæ, quas ille, & ipſius peſſimi adulatores, ſcriptores profaniſſimi, ex Chriſti verbo, Pasce oves, colligunt, & obtrudunt. Ad illum igitur multo magis, quam ad Origenem ſpectare deberent illa Scripturæ verba. f *Si ſurrexerit in medio tui propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, - - non audias verba prophetæ illius, aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum an non.*] [f Deu. 13. 1.] Falſus Propheta & ſomniator eſt, qui in articulis fidei noſtræ proprium ſenſum, propriamque excogitat definitionem, antiquæ à Deo per ſeruos ſuos traditæ doctrinæ nequaquam congruentem, primis Patribus penitus ignotam. Optime ergo Lyrinenſis; *Ille eſt verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiuſpiam authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philoſophiam, ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus, & ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum credendumque decernit, quicquid vero ab aliquo deinceps vno, præter omnes, vel contra omnes ſanctos nouum, & inauditum ſubindici ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potius intelligat pertinere.*] Hæc ne regula tolerabit, vt noui articuli in Eccleſia veteri inauditi poſſint, ſolius Romani Epiſcopi autoritate, fidelibus etiam vi adhibita, ad credendum & profitendum proponi? Pergit tamen Lyrinenſis & ait.

g *O doctor, ſi te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina eſto ſpiritualis tabernaculi* XIV. [g Ibid. c. 27] *Bezeleel, pretioſas diuini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adiice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod antea vetuſtas, id eſt fideles tui temporis, qui ſunt poſteris vetuſtas, non intellectum venerabatur: Eadem tamen, quæ didiciſti ita doce, vt cum dicas noue, non dicas noua.* h *Sed forſitan dicit aliquis:* [h Ibi. c. 28.] *Nullus ne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur plane, & maximus. Nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, qui iſtud prohibere conetur? ſed ita tamen, vt vere profectus ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa vnaquaque res amplificetur; ad permutationem vero, vt aliquid, ex alio in illud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet & multum vehementerque proficiat, tam ſingulorum quam omnium; tam vnius hominis, quam totius Eccleſiæ ætatum, ac ſæculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia. Sed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia - - -* i *Quod ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certe addatur* [i Ibid. c. 29.] *quippiam membrorum numero, vel detrahatur, neceſſe eſt vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certe debilitetur: ita etiam Chriſtianæ religionis dogma, &c.*] Mancam futuram eſſe merito cenſet religionem, ſi membrorum aliquod ex neceſſariis, hoc eſt, dogma aliquod fidei detruncetur: monſtroſam vero, ſi dogmata noua, nunquam in Eccleſia priſca cognita, & conſequenter neque tradita, aliis veris dogmatibus ſuperaddantur. Et

hic eſt exceſſus ille, de quo ego ſupra capit. 5. n. 40. & ſeqq. Habet & illud Lyrinenſis:

XV. *Antiqua ſanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum certe præcipue in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtiganda eſt, & ſequenda.--- Atque ideo quaſcunque illius antiquiores vel ſchiſmatum, vel hæreſeos profanitates, nullo modo nos oportet, niſi aut ſola, ſi opus eſt, ſcripturarum autoritate conuincere, aut certe iam antiquitus vniuerſalibus ſacerdotum Catholicorum Conciliis conuictas, damnataſque vitare. Itaque cumprimum mali cuiuſque erroris putredo erumpere ceperit, & ad defenſionem ſui quædam ſacræ legis verba furari, eaque fallaciter & fraudulenter exponere, ſtatim interpretando canoni maiorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcunque exurget nouitium, ideoque profanum & abſque vlla ambage prodatur, & ſine vlla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catholica, ſancte, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes vel plures, vno eodemque ſenſu, manifeſte, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum Concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quicquid vero, quamuis ille ſanctus, & doctus: quamuis Epiſcopus; quamuis Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniunculas à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ autoritate ſecretum ſit, nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorum, & ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium ſequamur errorem.*] Hic profecto neque Papa excluditur, ſed in Epiſcopi vocabulo includitur. Neque ſolum hæc regula tenenda eſt, vbi quis nouitium dogma contrarium antiquis in Eccleſia vniuerſa acceptis dogmatibus, ſed etiam vbi noua dogmata quæcuncunque proferuntur, quæ in antiqua Eccleſia neque actu, neque virtute tradita, audita, accepta fuerunt, licet antiquis dogmatibus contraria non ſint. Ait enim autor hic, & ſuperius c. 25. ex hoc loco repudiandum eſſe quicquid aliquis præter omnes, aut contra omnes ſenſerit. Mox & illud monet.

XVI. a *Et ne quis forſitan prætermiſſis cæteris, ſe ſolum audiri, ſibi ſoli credi arrogaret: An à vobis*, inquit, *verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos deuenit?* Et, ne hoc quaſi perfunctorie acciperetur, adiecit: *ſi quis*, inquit, *videtur Propheta eſſe, aut ſpiritalis, id eſt, ſpiritalium rerum magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis, & vnitatis cultor exiſtat, vt ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab vniuerſorum ſenſibus, non recedat.*] Spiritus ſancti profecto ductu vir ſanctus olfaciebat futuros non multo poſt Romanos Pontifices; imo fortaſſe id iam experiebatur: qui, prætermiſſis cæteris ſe ſolos audiri, ſibi ſolis credi vellent, & iuberent, ideo monet cum Paulo, vt quiſque illorum caueat, ne in docendo ſibi primatum Magiſterij arrogent, ſed veterum Patrum conſenſionem pro tuta ſibi regula ſumant in docendo, & ſequantur. Patres vero maxime ſequendos probat idem autor, ex praxi Eccleſiæ: ſumitque Concilium Epheſinum primum œcumenicum, nuper ipſius tempore, triennio videlicet antequam iſta ſcriberet, celebratum: b *Vbi*, inquit, *cum de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitan profana nouitas in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet, vniuerſis ſacerdotibus, qui illò ducenti fere numero conuenerant, hoc Catholiciſſimum, feliciſſimum, atque optimum factu viſum eſt, vt in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur.* --- Vt ſcilicet rite, atque ſolenniter ex eorum conſenſu atq; decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur. Et profanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur: Quod cum ita factum foret, iure meritoque ille Neſtorius, *Catholicæ vetuſtatis contrarius, Beatus vero Cyrillus ſacroſanctæ antiquitati conſentaneus iudicatus eſt.*] Nominatque decem inſignes Patres, qui Concilium præceſſerunt, quorum ſententiæ prolatæ ſunt in Concilio Neſtorio prorſus contrariæ. Itaque fides de Chriſto, de duabus naturis in vnica perſona inuenta eſt expreſſa in Patribus, quam ipſi à ſuis maioribus per traditionem acceperunt. Scriptura enim non habet dogma hoc ſub his terminis declaratiuis expreſſum: In Chriſto eſt vnio duarum naturarum, diuinæ, & humanæ, in vnica perſona Verbi. Sed hæc expoſitio data eſt ab Apoſtolis viua voce, & accepta, ac conſeruata in Eccleſia, & à Patribus ad Patres tranſmiſſa. Itaque dogma hoc erat antiquum: Neſtorius vero contrariam nouitatem inuehebat, & duas perſonas in Chriſto ponere nitebatur, cum ingenti falſitate, & hæreſi peſtilentiſſima. Refertque præcipuorum tunc viuentium Epiſcoporum literas, in Concilio lectas, puta Capreoli, & c Cæleſtini, ac Xyſti, qui nihil aliud contra Neſtorium vrgebant, niſi vt nouitas contraria vetuſtati aboleretur, & ſtaretur vetuſtati, nec ei quicquam adderetur. Et circa idem Concilium idem Lyrinenſis obſeruauit, quod ſupra capit. 4. num. 23. huius libri protulimus; *Neminem ex tot doctiſſimis & magni nominis, magnæque autoritatis Prælatis qui eo conuenerant, auſum eſſe, aut præſumpſiſſe, ſibique arrogaſſe, quicquam ex proprio ingenio promere; ſed omnes præcauiſſe ne aliquid poſteris traderent, quod ipſi à Patribus non accepiſſent.*] Audiant igitur & diſcant Romani Pontifices, diſcant Concilia omnia orthodoxa nihil audere, nihil ſibi arrogare, nec fidei nouos articulos facere, nec illos fidelibus & poſteris tradere, niſi eos ipſi à Patribus acceperint. De Lyrinenſi ſatis.

Eaſdem regulas ſecuti ſunt etiam poſteri, vel ipſi Romani Pontifices modeſtiores. Aliquos iam in præcedentibus protuli, nunc duos addo has ipſas regulas de conſulendis Patribus confirmantes & ſeruantes, non propter ipſorum autoritatem, ſed quia eos ſciebant eſſe teſtes antiquæ veritatis, ac traditionum legitimarum conſeruatores. Hormiſda explicaturus aliquid de myſterio Incarnationis, nihil aliud ſe dicturum profitetur initio, niſi quod à prioribus didiciſſet. d *Ad reſponſi*, inquit, *plenitudinem ſufficere potuiſſet, ſi illa tantum, quæ à veteribus ſunt definita reſcriberem.*] Collegit tamen aliqua ex Leonis Epiſtola ad Flauianum, & ex actis Concilij Epheſini, ideo in fine hæc habet: *Latius hæc quæ ad deitatem, humanitatemque Domini noſtri Ieſu Chriſti pertinent, & in eo vnitas duas ſine confuſione naturas poni, ſecundum veterum definita diſſerere, ſi eſſet aduerſum eos, qui his diſſentiunt diſputandum; ſed cum in manibus omnium ſint & ſynodica conſtituta, & Beati Papæ Leonis dogmata, perſtrinxiſſe potius pauca, quam euoluere credidi conuenientius vniuerſa. Nunc vero agnoſcere ſatis ſit, & cauere, ita proprietatem & eſſentiam cogitandam, vt ſciatur, quid perſonæ, quid nos oporteat deferre ſubſtantiæ; quæ qui indecenter ignorant, aut callida impietate diſſimulant, dum omittunt quod ſit proprium Filij, trina tendunt inſidias vnitati: ſed ſi quæ prædicta ſunt, validis teneantur fixa radicibus, nec à paterna traditione receditur, & conſtanter quæſtionibus obuiatur.*] Nam & Leo, vt alias

a Lyrin. c. 40.

b Ibid. c. penult.

c Ibid. c. 43.

d Ad Hormiſ. ep. 76.

XVII.

alias monui, ex dictis Patrum veterum ſuum tractatum illum profitetur ſe confeciſſe: & Concilium Epheſinum, vt ſatis ex Lyrinenſi probauimus, non niſi ex prioribus Patribus ſuam dedit definitionem.

XVIII. Agatho ſextam ſynodum, pro ſua virili, directurus, licet Romana tunc Eccleſia viris eruditis eſſet deſtituta, qui poſſent diſputationibus negotium, ſi oporteret, promouere, ſcutum tamen fidei ſolidiſſimum oppoſuit, ac inexpugnabile, Patrum antiquorum documenta & definitiones; atque in his multo melius, & merito, confidebat, quam in ſuo priuilegio Magiſterij ſupremi & infallibilis, quod ille ne ſomniabat quidem. Ait igitur; a *Apud homines in medio gentium poſitos, & de labore corporis quotidianum victum, cum ſumma heſitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inueniri ſcripturarum ſcientia, niſi quæ regulariter à ſanctis atque Apoſtolicis prædeceſſoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis, & ſine ambiguitate à Patribus tradita fidei conſeruamus, vnum ac præcipuum bonum habere ſemper optantes, atque ſtudentes, vt nihil de eis, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, ſed eadem & verbis & ſenſibus illibata à nobis cuſtodiantur? Quibus portitoribus, & teſtimonia aliquorum ſanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit, cum eorum libris tradidimus, vt facultatem ſuggerendi à benigniſſimo veſtræ Chriſtianitatis imperio conſecuti; ex his duntaxat ſatisfacere ſtudeant, dum imperialis manſuetudo præciperet, quid hæc ſpiritalis mater eorum, ac à Deo propagati imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat, & prædicet; non per eloquentiam ſæcularem, quæ nec ſuppetit idiotis hominibus, ſed per ſinceritatem Apoſtolicæ fidei, in qua & ab incunabulis edocti vſque in finem propagatori veſtri Chriſtiani imperij cœli Domino, omnes nobiſcum deprecamur ſeruire atque obedire.*] Et hæc nobis teſtimonia atque exempla ſufficiant: ex quibus ſummam illam Patrum veterum autoritatem, vbi de rebus fidei fundamentalibus & neceſſariis agitur, in ipſorum teſtificatione & traditionum conſeruatione, non in proprio ipſorum iudicio conſiſtere, iam ſatis compertum habemus.

a Agatho ep. ad 10 2. Ep. Rom. Pont. & in actis ſextæ ſynodi Gen.

XIX. Itaque Eccleſiæ, Patrum, Traditionum, & Conciliorum, vna penitus re ipſa, ac eadem eſt autoritas, quæ tandem in ipſam Apoſtolicam traditionem tota reſoluitur, in controuerſiis nimirum fidei decidendis. Sunt, fateor, dogmata multa maxime neceſſaria in ſacra Scriptura adeo clara, vt alium magiſtrum aut Iudicem non poſtulent, neque dubium vllum vel probabile ſecum ferant, *niſi quod hæreticus prauus, & peruerſus moueat*, vt loquitur b Tertullianus. Atque contra tales, & in talibus dubiis poſſunt Patres, ſiue ſeparati, ſiue in Concilio coniuncti, proprio ingenio, & peritia Scripturarum veritatem aperire & tueri; ita vt errare non poſſint, ſiquidem non proprium Iudicium, ſed Scripturæ in ſe clarum ſenſum ſequuntur, & ad ſummum ſuum laborem, in conferendis ipſis ſcripturis, quæ ſe ipſas interpretentur, magis ac magis declarent, collocant. At vero vbi dogma in Scriptura contentum non eſt adeo clarum, ſed ſenſum videatur poſſe ferre diuerſum, tunc Patres & Concilia, non propria autoritate, non vi proprij ingenij & Iudicij verum ſenſum dogmatis interpretantur, ſed Apoſtolicam quærunt illius interpretationem, & explicationem, quæ traditione vera, & legitima habeatur, & in vniuerſali primitiua vetérique Eccleſia accepta, ad alias fideliter peruenerit.

b Tertul. de præſcri.

Quod ſi quis quærat, quomodo cognoſcere poſſimus, quando aliquis veterum Patrum aliquid rerum ſacrarum ex proprio ingenio promit, & quando id tanquam traditionem ex Apoſtolica prædicatione acceptam profert? Reſpondebo diſcretionem eſſe facilem; vbi enim agitur de dogmate fidei neceſſario & fundamentali, ibi Patres non propria cogitata, ſed doctrinam traditam, & per manus ab ipſis Apoſtolis acceptam, in Eccleſiaque conſeruatam proferunt. Patres ſequendos eſſe pro regula infallibili docuit Lyrinenſis, c *in iis duntaxat*, inquit, *præcipue quæſtionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur.*] Sed præterea ibi intelligentur veteres Patres orthodoxi traditionibus niti, vbi cum omnibus aliis & ſui temporis, & prioribus orthodoxis conſentiunt, ita vt neminem eorum habeant ſibi aduerſantem. *Si qua noua*, ait idem Lyrinenſis ibidem, *exurgeret quæſtio, nondum definita, recurrendum ad ſanctorum Patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus, & locis, in vnitate communionis, & fidei permanentes, Magiſtri probabiles extitiſſent. Et quicquid vno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe inuenirentur, id Eccleſiæ verum, & Catholicum, abſque vllo ſcrupulo, iudicaretur.*] Propterea ſequendi non fuerunt Patres illi veteres, qui Papiam ſecuti millenariorum errorem inducebant, falſa ac indigna interpretatione verborum illorum Apocalypſis; d *Et regnabunt cum Chriſto mille annis*: quia nimirum locus non eſt dogmaticus: id eſt, nullum fundamentale dogma in ſe continet, quoad illud tempus mille annorum & conſequenter proprio iudicio nitebantur in quæſtiuncula parui momenti, quam traditio Apoſtolica non explicauit; Apoſtoli enim in fundamentalibus fidei maxime inſtiterunt, & prophetica allegorica multa noſtris ingeniis reliquerunt, modo fundamenta ſolida, & intacta permanerent. Deinde veroinde etiam colligimus illos Patres nõ ex traditione, ſed ex proprio ingenio illud de mille annis prompſiſſe, quia ille non fuit ſenſus omnium communis, neque in eum errorem omnes orthodoxi conſenſerunt. Statim enim habuerunt multos ſibi aduerſantes, qui ſane plane agnoſcebant eſſe fabulam illam Chiliaſtarum, non ſenſum diuini Spiritus, ac propterea maluerunt reiicere Apocalypſin à libris diuinis canonicis, quam illum errorem admittere, quem fortaſſe putabant in ipſa Apocalypſi aſſeri, ſi ad literam ſumeretur locus, vt ſonat, qua de re egi capite primo, numero quadrageſimoquinto, huius. Vbi ergo contradictionem habuerunt, ibi profecto propria docebant, non doctrinam Apoſtolicam proferebant. Ideo Lyrenenſis monet, e *Abſque vlla dubitatione credendum eſſe, quicquid non vnus, aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodemque conſenſu aperte, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerimus.*] Quamuis igitur neminem habeamus ex veteribus, qui Irenæo ſtatim, & reliquis illius temporis cum eo in illo errore conſentientibus, tunc contradixerit, contradixit tamen paulo poſt f Dionyſius Alexandrinus, & contra Nepotẽ Epiſcopum Ægyptium hunc errorem tuentem inſurrexit: g Scimus etiam Catholicos multos noluiſſe tunc cõſentire errori, ſed propterea, vt dixi, Apocalypſin

c Lyrin. c. antepen.

d Apoc. 20. 6.

e Lyrin c. 4.

f Apud Euſeb. lib. 7. c. 19.

g Euſ. l. 3. c. 19. & l. 7. c. 20.

lypſin reieciſſe. Igitur nō fuit tunc conſenſus communis.

XXI. Ex hactenus à me hoc libro diſputatis, illud in primis manifeſte conſtat, ſcripturam quidem ſacram omnia fidei dogmata in ſe ſufficienter continere, & extra ſcripturam nullum dogma fidei reperiri. Dogmata tamen fidei aliqua in Scriptura contenta, quoad veram, & genuinam ipſorum intelligentiam nonnullam obſcuritatem habere, vbi litera varios ſenſus probabiles poteſt pati. Atque in his declarandis & definiendis nullam aliam certam & infallibilem regulam dari cenſemus, niſi Apoſtolicas traditiones, quæ veræ ſint & legitimæ; veras vero, & legitimas traditiones ab Eccleſia vniuerſali veteri incorrupta, & ab antiquis Patribus eſſe petendas iam docui, ac per Concilia indagandas. Itaque Iudex ſupremus controuerſiarum fidei, quem quærebamus, aut eſt Scriptura ſacra ſola, vbi illa eſt per ſe clariſſima; aut ſi aliquid habet obſcuritatis in rebus fidei fundamentalibus, Iudex & definitor, ac veri ſenſus ſcripturalis infallibilis interpres eſt Traditio, per quam Apoſtolica prædicatio innoteſcit; quæ prædicatio veros ſenſus ſcripturarum obſcuriorum aperuit. Ac proinde Eccleſia erit in his Iudex, quatenus duntaxat ipſa verarum traditionum cuſtos eſt & conſeruatrix: Erunt etiam Patres, quatenus & ipſi eaſdem traditiones in Eccleſia didicerunt, & data occaſione in ſuis ſcriptis poſuerunt. Erunt denique Concilia, ſiue vetera, quatenus eruras traditiones prompſerunt, & ex ipſis dubia abſtulerunt, definitioneſque ſic firmatas pro infallibili regula poſteris, Eccleſia annuente, tradiderunt: ſiue noua, quæ aut clariſſimam veritatem ex Scriptura ſola deducant, vt fecerunt Patres, & Concilia varia prouincialia Orientalia, & Africana in Pelagij erroribus damnandis: ſiue ex doctrina veteris Eccleſiæ, hoc eſt, ex veris traditionibus, verum ſcripturarum ſenſum in articulo fundamentali, ſi quod nouum dubium (quod fieri poſſe non credo) non prius ſublatum, oriretur, ſolutionem afferant, quæ fidem ſtabiliat. Alium Iudicem controuerſiarum quærere eſt omnino ocioſum & pernicioſum. Si enim dubium generans controuerſiam ſit circa fidem fundamentalem, & omnino ſaluti animarum neceſſarium, hoc genus iudicij illud omnino tollere poteſt, & dubia fidei definire. Aut ſi dubium tali iudicio definiri nequeat, illud profecto ad fundamentalia fidei non pertinebit; & conſequenter erit in Eccleſia, de lege ordinaria, indefinibile; Theologicæ relictum peritiæ, quæ citra periculum fidei, aut ſalutis poſſit in vtramque partem diſputare, ita vt quiſq; Theologus abundet in ſenſu ſuo, ſaluis fundamentis & charitate Chriſtiana, & de hoc inferius plura.

XXII. Eſt ergo error grauiſſimus & communiſſimus, imo origo, & fons multorum errorum, ac ſchiſmatum in Eccleſia cauſa potiſſima, quod omnes Theologi Catholici, cuiuſcunq; partis ſint, velint omnino in Eccleſia debere eſſe Iudicem aliquem certū, & infallibilem, ad quem controuerſiæ fidei in Eccleſia ſint deferendæ: cuius iudicio & definitioni ſtandum ſit neceſſario: atq; hoc iudicium tanquam faciendum, & à Iudice, ſiue viſibili, ſiue inuiſibili promendum inquirit: Cum tamen iudicia iam facta ſola ſufficiant, & facienda nulla ſint quærenda, quia omnia iudicia facienda ſunt fallibilia, erroriq; obnoxia. Nam omne iudicium humanum eſt labile, de interna vero Spiritus præſentia in iudicando, præſertim pro fide vniuerſali, nemo, ſine ſpeciali diuina reuelatione, poteſt eſſe certus. Iudicia vero iā facta, & à Chriſto atq; eius Apoſtolis Eccleſiæ tradita ipſa ſunt, quæ controuerſias omnes fidei fundamentalis tollunt & definiunt. Sic Tertullianus a regulam fidei vnicam poſuit ſolam immobilem, & irreformabilem, ſymbolum nimirum Apoſtolicum in vniuerſa Eccleſia ſemper creditum, & traditum. In iudiciis igitur iam factis, & non in faciendis regulam fidei ponit Tertullianus infallibilem.

a Tertul. de virgin. velan.

XXIII. Quare ſicut dubia omnia fundamentalium fidei per ſcripturam & antiquitatem, hoc eſt, traditionem tolluntur, & veritas clara & aperta relinquitur: ita proponere tanquam rem de fide neceſſario credendam (ita vt illud credere ſit de neceſſitate ſalutis, & non credere ſit hæreſis, excommunicatione plectenda) neque Eccleſia poteſt, neque Patres, etiam omnes communi conſenſu, neque Concilia, neque Papa, neque quiuis alius, etiam ſi Angelus de cælo ſit, niſi id vel clare in Scriptura contineatur, ſaltem clara deductione; vel in vetuſtate ſub vera traditione inueniatur. Quicunq; ergo articulum format fidei alio modo, ei non eſt credendum, ſed anathema ab omnibus fidelibus audire debet, etiam vbi ſcripturam trahit ad ſuum ſenſum, qui antiquitati fuerit ignotus. Senſus enim Scripturę ille verus ac neceſſario fide credendus eſt quem Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt; & à Patribus ad Patres per manus traditus incorruptus peruenit. Alius quicunq; ſenſus, ſi vel actu vel virtute ſit antiquæ traditionis ſenſui contrarius, ille diabolicus eſt & omnino anathematizandus; ſi vero contrarius non ſit, tunc ſuam ille poſſet habere probabilitatem, vel improbabilitatem, certe de fide eſſe nullo modo poteſt. Et omnis propoſitio, quæ credenda de fide à quouis, abſq; diuina, certa, & indubitata ſpeciali reuelatione proponatur, eo ipſo quod neq; in Scriptura reperiatur, actu aut euidenter deductiue, neque antiquitati fuerit cognita, ſtatim ab omnibus, & ſingulis fidelibus reiici debet. Nā & Gregorius Theologus Deum corporeum, non alio meliori argumento, non eſſe in noſtra fide admittendum duxit, niſi quod vetus Eccleſia, aut Patres id nūquam aut dixerunt aut cenſuerunt. b *Nobis, inquit, ſatisfaceret, quod ex iis, qui diuino numine afflati fuere, nemo hanc ſententiam hactenus vel pronunciauit, vel pronunciatam approbauit, & abhorret hinc noſtræ Eccleſiæ doctrina.*]

b Naz. de Theolog. l. 2.

Hanc veritatem puto me iam clariſſime demonſtraſſe. Atque illa duce iam ad alia tranſitum facio, quæ ad noſtrum huius libri argumentum ſpectant.

(***)

CAPVT

CAPVT VII.

Hæreſes cognoſcere & damnare, ſolius Papæ non eſſe, ſed Epiſcoporum & Conciliorum.

Svmma Capitis.

Hæreſes & hæreticos cognoſcere, ac damnare, eſt Epiſcoporum, non ſolius Papæ à n. 1 ad n. 6.
Hæreſum & hæreticorum damnatio debet per regulas fidei, & grauiſſima diſcuſſione fieri, allatis dãmnationis datæ rationibus & argumentis, quod etiam Papæ aliquando ſeruarunt, vt fecit Ioan. 22. in damnando Marſilio & Ianduno. n. 7.
Imprudenter orthodoxi ſe olim inter ſe damnabant, & vocabant hæreticos, abſq; legitima cauſa n. 8. Idem nunc imprudenter & ſine cauſa fit inter Pontificios, & Proteſtantes n 9. 10. 11.
Circa librorum damnationem & prohibitionem nonnulla conſiderantur. à n. 12. ad n. 23. & pauca adduntur circa hæreticorum receptionem, & abſolutionem. n. 24.

I. SI Papa ſolus eſſet ſupremus Iudex fidei, & motum, & infallibilis, eſſet profecto etiam primus & vniuerſalis cognitor hæreſum, & damnator: contrariorum enim eadem diſciplina: ſed qui in dubiis, ac obſcuris non poteſt infallibiliter verum fidei articulum cognoſcere & ſtabilire, niſi cum periculo errãdi, is neq; poteſt tuto, & citra periculum errandi, pronunciare in controuerſis aliquid eſſe hæreſim & cõtra fidem; Poſſet n. errore deceptus veritatẽ aliquam aut naturalẽ aut moralem, vel ciuilem, aut Catholicam ad hæreſim perperam reducere. Cum ergo de aliqua propoſitione vel doctrina dubiũ hinc inde agitatur, ſit ne orthodoxa, an heterodoxa; Catholica an hæretica, Iudex qui rẽ infallibiliter definiat alius eſſe non poteſt, niſi ille qui de dogmatib. fidei dubiis & obſcuris, tutam dare vel inuenire poteſt definitionẽ; de quo ſatis egimus ſex capitulis immediate præcedentibus. Et quia cap. 5. ſatis probauimus Papã nullam habere Iudicij infallibilitatem, icirco neceſſario etiam ſequitur Papam non poſſe infallibiliter hæreſim, in dubiis & controuerſis, à veritate Catholica diſcernere & diiudicare.

II. Articuli fidei fundamentales, ſiue practici, ſiue ſpeculatiui, omnes ſunt iã per ſuas regulas à me hactenus explicatas in Eccleſia certi, ſtabiliti, & definiti. Cum primũ ergo aliquis doctrinam illis aperte & directe contrariam profert, non eſt inquirendũ in eam doctrinam, ſit ne Catholica, an hęretica; ſed quia illa eſt aperta & notoria hæreſis, quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi ſtatim inſurgere debet, & hęreſim illam eſſe iam damnatam omnibus manifeſtare, corripere errantem, & ſi ſit pertinax, eum debet hæreticum declarare, & à fidelium cõmunione eijcere: alioſq; hac de re Epiſcopos certiores reddere, vt à peſtilenti homine quiſq; caueat. Atq; hoc ſæpe contigit in Eccleſia: & profitetur Gelaſius his verbis. a *Euphemium vero miror, ſi ignorantiam ſuam ipſe non perſpicit, qui dicit, Acacium ab vno non potuiſſe damnari. Ita ne perſpicis, ſecundum formam ſynodi Chalcedonenſis, Acacium fuiſſe damnatum? nec nouit eam aut ſe noſſe diſſimulat, in qua vtiq; per numeroſam ſentẽtiam ſacerdotum erroris huius auctores conſtat fuiſſe damnatos, ſicut in vnaquaq; hæreſi à principio Chriſtianæ religionis & factum fuiſſe, & fieri manifeſta rerum ratione monſtratur, deceſſoremq; meũ executorem fuiſſe veteris conſtituti, non nouæ conſtitutionis auctorem? Quod nõ ſolum præſuli Apoſtolico facere licet, ſed cuicunq; Pontifici. vt quoslibet, & quemlibet locum, ſecundum regulam hæreſeos ipſius ante damnatæ, à Catholica communione diſcernant. Acacius quippe non fuit noui vel proprij inuentor erroris, vt in eum noua ſcita prodirent, ſed alieno facinori ſua communione ſe miſcuit. Itaq; neceſſe eſt, vt illam reciperet iuſta lance ſententiam quam cum ſuis ſucceſſoribus per conuenientiam ſynodalem ſuſceperat auctor erroris.* Itẽ: b *Quæ maiores noſtri diuina inſpiratione cernentes neceſſarie præcauerunt, vt contra vnamquamq; hæreſim coacta ſynodus pro fide, communione & veritate Catholica atq; Apoſtolica promulgaſſet, non ſinerent poſt hæc nouis retractationibus mutilari; ne prauis occaſio præberetur, quæ medicinaliter fuerant ſtatuta pulſandi, ſed auctore cuiuslibet inſaniæ, ac pariter errore damnato, ſufficere iudicarunt, vt quiſq; aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus: quoniam manifeſte quilibet vel profeſſione ſua, vel communione poſſet agnoſci.*] De Acacio nos poſtea.

a Gelaſ. in common. ad Fauſt.

b Idem ep. 11.

III. Contra tales manifeſtos hæreticos, qui iam damnatis hæreſibus ſint inquinati, & ſi nullum hominum à quoquam in Eccleſia iudicium requiratur, & quiſque Epiſcopus in eos vltor fidei debeat inſurgere, pro pleniori tamen executione in illis expellendis, & ab Eccleſia, ſi non reſipuerint; ſpirituali ante omnia vi, non corporali exterminandis (de vi corporali agam infra cap. 8.) recurſus fieri debet ad circumuicinos Epiſcopos, & gradatim ad ſuperiores, prout neceſſitas poſtulauerit, vt omnes, agnito Lupo, illum à ſuis ouilibus arceant; & iam ab vno quoque Epiſcopo anathematizatum omnes anathematizent. Hac ratione ſæpe Orientales quoque Eccleſiæ, expulſo Lupo, monuerunt Romanum Pontificem, vt ab eo & ipſe caueret, ſi communionis ſubdolæ gratiam fraude & dolis extorquere vellet, & alias Occidentales Eccleſias, vt caueant ſubmoneret. Sic enim Eccleſiæ Chriſti inuicem coniunctæ communicata opera & induſtria, ab hæreſibus ſe incontaminatas conſeruarunt, & debent conſeruare.

IV. Cum vero doctrina aliqua ad fidem ſpectans noua inducitur, de cuius veritate aut puritate dubitetur, tunc non ad Romanum Pontificem ſolum, tãquam Iudicem fidei ſupremum & infallibilẽ eſt recurrendum; quia ipſe nec talis eſt, vt probaui, nec vnquam in Eccleſia id ſeruatũ fuit: ſed vbi Epiſcopus ſolus illius diœceſis non ſtatim, & tam facilẽ

poteſt

poteſt nouã doctrinam ſui diœceſani cognoſcere, eam tamen periculoſam eſſe perſpexerit, Metropolitano rem ſignificet: qui ſuæ prouinciæ ſynodum congreget, atq; in ea per regulas explicatas fiat primum iudicium. Vel enim noua doctrina eſt contraria dogmati in Scriptura clare, & manifeſte contento, & tunc ex tali Scriptura hæreſis agnoſcetur & damnabitur, ſola ſcripturarum in ſe clariſſimarum inductione, atq; ex illis nouator ille conuincetur. Qui ſane nouator ſi contra claras ſcripturas ſentiat, non tam erit hæreticus, quam infidelis. Si enim admittat dogma tale in Scriptura clarum reperiri, puta *a Deum in principio creaſſe cælum & terram,* id tamen verum eſſe non credat, ſed putet in hac parte ſcripturam mentiri, iſte erit omnino infidelis, & apud ipſum ſacra Scriptura nullam fidem habebit. Fateri igitur aliqd eſſe in Scriptura, & tamen illud negare, non eſt hæreſis, ſed infidelitas. Omnis vero hæreſis eſt in falſa ſcripturarum interpretatione, & diſtorta intelligentia: eorum qui ſcripturas admittunt, tanquam vere à Deo reuelatas, & à Spiritu ſancto dictatas, ſed eas peruerſo ſenſu intelligunt ac explicant. Vbi igitur interpretatio illa ſtulta eſt, & nullam in ſe habeat probabilitatem, erit craſſa & palpabilis hæreſis, ſtatim damnanda in illo primo Concilio, & explodenda, nec egebit vlteriori examine, & maiori Concilio. Sola executio erit omni Eccleſiæ commendata. Vbi tamen interpretatio illa noua videatur aliquid probabilitatis ſecum ferre, ſi Scriptura ſit obſcurior, tunc poſt primum Cõcilium prouinciale, alia etiam maiora Concilia, ſeu nationalia, ſeu etiam generalia ſunt conuocanda. Atque in his vera loci orthodoxa interpretatio eſt indaganda, tum ex aliis ſcripturæ locis, tum vero maxime ex veteris Eccleſiæ ſenſu & intelligentia: Ita vt ſi contrario penitus ſenſu locum ſcripturę dogmaticum antiquitas Apoſtolicis prędicationibus, & traditionibus inſtructa intellexerit, & docuerit, nouitas iſta tanquam hæreſis ſit explodenda. Aut ſi ſenſus ſit nouus, non tamen veteri intelligentiæ contrarius, ſed neq; veteri Eccleſiæ penitus notus, tunc nouus hic ſenſus, cum nullius dogmatis eſſentialis ſit deſtructiuus, poſſit cum aliqua probabilitate ſubſiſtere, articulus tamen fidei nunquã eſſe poterit, & conſequenter, qui talem nouum ſenſum nõ admiſerit, ſed ei ſerio, conſtanter, ſiue, ſi velis, pertinaciter refragetur, nunquam erit hæreticus; imo neque vlla poterit erroris qualitate cenſeri. etiam ſi tota Eccleſia vniuerſalis ſenſum illum, vt nouum, & non vt veterem, tanquam probabilem, & plauſibilem admitteret.

a Gen. 1. 1.

V. Verùm ergo hæreſim ſicut Concilia potiſſimum ſemper inuenerunt & à veritate diſcreuerunt, ita etiam Concilia primum prouincialia, deinde alia pleniora, ſiue œcumenica pro tota Eccleſia damnarũt, & Hereſiarchas anathematizarunt. Atq; in talibus damnationibus Patriarchæ omnes, ſed præſertim primus Patriarcha iure Eccleſiaſtico, hoc eſt Romanus, ſuas partes interponere debuerunt. Docent id Patres; & praxis conuincit. Athanaſius Dionyſium Alexandrinum de hæreſi Ariana anticipata inſimulatum, inde tuetur, *b quod ille nunquam ab aliis Epiſcopis de impietate conuictus ſit.* Epiſcoporum ergo erat hæreſes cognoſcere, & damnare. Auguſtinus; *c Talis eſt,* inquit, *hæreſis Pelagiana, non antiqua, ſed non ante multum tempus exorta: contra quam hæreſim cum fuiſſet diutius diſputatum, etiam ad Concilia Epiſcopalia nouiſſima neceſſitate peruentum eſt.*] Ecce vltimum in cauſa hęreſis iudicium, penes Concilia: ſed eo modo quem cap. 3. explicaui. Cur non ... Auguſtinus recta tendendũ eſſe ad Papam? Theodoretus Cyri Epiſcopus in quadã ſua Epiſtola ſibi obiecerat nõ defuturos, qui dicerent ipſum contraria ſentire, & à vera fide aliena; ac reſpondet. *d Fiat igitur Concilium, adſint primum Epiſcopi, qui iudicare norũt; adſint & magiſtratus, & qui in dignitate ſunt conſtituti, qui res diuinas ſunt edocti; dicamus aperte qua ſentimus, dicant & Iudices, quænam Apoſtolorũ doctrinæ ſunt conſona.*] Agnoſcit ergo vir doctiſſimus in Conciliis debere per Apoſtolicam doctrinã nimirum traditionibus puris conſeruatam, de ſuſpecta hæreſi iudicium fieri; nec prouocat ad Papã. Licet aut conſilij, aut executionis, aut plenioris dãnationis gratia ad Papam non raro habitus ſit recurſus. Sed praxis ipſius Eccleſiaſticæ exemplum aliquod ex inſignibus proferamus.

b Atha. de ſent. Dion.

c Aug. de Grat. & li. arb. c. 4.

d Apud Baro. to. 6. an. 448. n. 12.

VI. Montaniſtæ Conciliaribus conuentibus ſunt damnati. *e Nam vbi fideles,* ait Euſebius, *qui Aſiam incolebant, ſæpenumero, & multis in locis eiuſdẽ in vnum conuenerant, & doctrinam recens inductam explorare & eam profanam, ac deteſtabilem oſtenderant, & errorem ipſum improbarant. ſic tandem iſti tum ab Eccleſia extruſi, tum à communione penitus depulſi fuerunt.*] Et hæc eſt prima mentio Cõciliorum poſt Apoſtolos, quã ego obſeruaui, ad hæreſes cognoſcendas & profligandas. Regula profecto generalis toti Eccleſiæ futuræ, vt non ad Papam, ſed ad Concilia cauſas fidei referat. Tertulliani tempore, hoc eſt poſt centum & ſeptuaginta circiter poſt fundatam Chriſti Eccleſiam annos, *f* agebantur per Græcias ex vniuerſis Eccleſiis Concilia, in quib. altiora quæq; (*profecto ad fidem pertinentia*) in cõmune tractabantur.] Turbulentam illam de Paſchate celebrando quæſtionẽ, tametſi ad ritus potius, quam ad fidem pertineret, *g* frequentia tamen omniũ prouinciarum Concilia, tẽpore Victoris Papæ, ſtabilire conabantur. *h* Philadelphiæ in Arabia ſynodus antiquiſſima de anima Chriſti doctrinã ad Berillum ſcribens tradebat. *i* Priuatus hæreticus in Concilio quodã Carthaginenſi dãnatus fuit. *k* De Baptiſmo paruulorũ Carthagine varia ſunt Cõcilia celebrata. Paulus Samoſatenus Antiochiæ Patriarcha variis *l* Conciliis Antiochenis damnatus eſt, & depoſitus: Ac Patres vltimi Cõcilij ſcelera Pauli ad Dionyſium Romanũ, & omnes Epiſcopos vniuerſę Eccleſiæ perſcribunt, ſed ſuæ dãnationis confirmationem nullam petunt. Origenis errores damnat *m* Theophilus Alexandrinus. Arianam hęreſim dãnat primũ Alexandrinus Antiſtes *n* Alexander cũ ſuo Concilio, deinde *o* œcumenicũ primum Nicęnum. *p* Macedonium primũ Concilium Conſtantinopolitanum. *q* Neſtorium Cyrillus cũ ſuo Concilio Epheſino; & Eutychetem primũ Flauianus, deinde *r* Concilium Chalcedonenſe. Anatolius Ælanum. Pelagium *ſ* Concilia Dioſpolitanum, Mileuitanũ, Carthaginenſe, Arauſicanum. Sed in hoc nõ aſſentitur *t* Baronius: *primum,* inquit, *damnatus fuit à ſede Apoſtolica: nam ita cecinit Proſper.*] At vero

--- Pictoribus atq; Poetis
Quilibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Damnata, inquit Baronius, *fuit hæreſis Pelagiana prius in Iouiniano, vt teſtis eſt Hier. cont. Pelag. lib. 3 initio.*] Hieronymus de vnico articulo Pelagianorũ aſſerit eum damnatũ in Iouiniano; nẽpe hominem, ſi velit, eſſe poſſe ſine peccato. At qs dicat tunc Pelagium fuiſſe damnatũ? Pelagij n. alij fuere proprii ipſius errores. Non reſiſto tamen etiam ſedem Apoſtolicam ſæpe multas hæreſes, & hęreticos multos vel primum damnaſſe, vel damnationi alibi factæ conſenſiſſe. Sed non poſſum admittere illius ſedis dũtaxat eſſe, hæreſes & hæreticos damnare. Praxis etiã docet contrarium, vt vidimus, & Berna. ait *u Epiſcoporum miniſteriu*

e Euſeb. l. 5. c. 15.

f Tertull. de ieiun. aduer. pſychicos.

g Euſeb. l. 5. c. 22.

h Trip. l. 6. c. 20.

i Cypr. l. 1. ep. 3.

k Cypr. l. 1. ep. 2. & 4. & l. 3. ep. 8. & Aug. ep. 28.

l Euſeb. l. 7. c. 22. 23. 24.

m Theop. ep. Paſch. 2.

n Epiph. hæc. 69.

o Athan. & alii.

p Acta Cõcilii Conſtantinop. primi.

q Acta Cõcilii Ephe.

r Acta Cõcilii Chal.

ſ Aug. ep. 90.

t Bar. to. 5. an. 412. n. 26.

u Bern. ep. 169.

ſterij eſſe de dogmatibus iudicare.] Et a Innocentius II, fatetur *hereſes omnes à Patribus . & Conciliis damnatas fuiſſe*. Poſſem innumera alia exempla proponere, & vetuſtiora, & recentiora, ſed hæc ſunt ſatis, & abun de veritatem confirmant.

a Apud Bernar. ep. 194.

VII. Intolerabilis igitur eſt noſtræ Romanę curię audacia, dum ita facile & præcipitanter doctrinas optime in ſcripturis & Patribus ſtabilitas, hęreſes eſſe definit, & hæreticos eos vocat, quos de hæreſi conuictos non habet. *Nemo eſt turpi nota inſigniendus.* b *niſi prius manifeſtiſſimis documentis probetur ad eum merito notam illam pertinere*; vt ait Auguſtinus. Mos etiam Romanorum Pontificum non ita pridem fuit, vt, ſi quando (quantum in ipſis eſſet) hæreſes & hæreticos damnare illos contingeret, hæreſum adderent confutationem, & cauſas condemnationis, quam edidiſſent, fuſe explicarent; Exemplum ſubdam. Venit caſu ad manus meas, dum hęc imprimerentur c tranſumptum authenticum ſub plumbo Romanæ ſedis, Bullę Ioannis XXII. in qua damnauit ille Marſilium, & Iandunum; quod tranſumptũ ipſemet Pontifex miſit in Angliam publicandum, & ſic ſe habet.

b Aug. de vnit. Eccl. c. 5.

c ...do celebri antiqua- no D. Ro- berti Cot- tooi equi- es aurati.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili fratri Epiſcopo VVigornien. ſalut. & Apoſtol. Bened. Certum proceſſum per quem nonnullos peſſimos errores, & hereſes quas damnati heretici Marſilius de Padua, & Ioannes de Ianduno dogmatizare, ac prædicare publice tam in Bauaria, quã aliis locis pluribus, & diuerſis præſumpſerant, nec non & ipſos hereticos reprobauimus, & ſententialiter duximus condemnandos pridem de fratrum noſtrorum conſilio, præſente multitudine copioſa fidelium, habuimus, cuius tenor ſequitur in hunc modum.

Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Licet iuxta doctrinam Apoſtoli ob id eſſe hereſes ſit neceſſe, vt fiant qui probati ſunt apertius manifeſti, quia tamen, iuxta doctrinam eiuſdem Apoſtoli, hereticorũ ſermo vt cancer ſerpere, id eſt à paruo ad maius paulatim tẽdere conſueuit, neceſſe eſt, vt talibus, eorumq; peruerſis dogmatibus ſic celeriter occurratur, quod tã perniciosus morbus neglectus inter initia vires ſumere nequeat, ſed potius ſuo præfocetur inortu. Sane dudum ad noſtram audientiam, relatione tam verbali, quam literali plurium ſublimium, ac fideliũ perſonarũ, nec non fama publica notariante perducto, quod duo viri nequam perditionis filij, & maledictionis alumni, quorum vnus Marſiliũ de Padua, & alter Ioannem de Ianduno ſe faciunt nominari, quendam librum compoſuerunt, multa falſa erronea & heretica continentem, quodq; ipſos errores & hereſes in Ducatu & terris Bauariæ Ludouico de Bauaria excommunicato, Dei & Eccleſiæ fideiq; Catholicæ perſecutore manifeſto & hoſte crudeli, ſuiſq; horrendis exceſſibus, & grauibus culpis exigentibus, iure ſi quod ei ex electione diſcordi quæ de ipſo celebrata dicebatur ad Regnum Romanum, vel Imperium competebat iuſto priuato iudicio, eiſdem Marſilio, & Ioanni fauente ſuper iis, ac etiam adhærente dogmatizare publice præſumebant: Quibus licet nonnulli viri Catholici ſe pro defenſione fidei opponentes oſtendiſſent aperte, quod illa doctrina erat erronea & heretica, velut contraria Euangelicæ & Apoſtolicæ veritati, & vt à tali doctrina deſiſterent ſuaſiſſent eiſdem, ipſiq; eorum nollent acquieſcere monitis, ſed in publicandis ſuis erroribus perdurarent; tandem tam præfati, quam plures Prælati, nec non & alii viri Catholici pernicioſas hereſes inter Catholicos dogmatizare publice indecens & periculoſum nimium reputantes, nobis certos articulos excerptos de libro prædicto curauerunt nonnulli mittere, ac per ſe ipſos aliqui præſentare, ſupplicantes attente, vt ſuper præmiſſis curaremus ſanctæ Dei Eccleſiæ de opportuno remedio prouidere; de quibus articulis ſubſcriptos duximus præſentibus annotandos. Et licet tam cum fratribus noſtris ſanctæ Rom. Eccleſ. Cardinalibus, quam cum multis Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſq; Eccleſiarum Prælatis, nec non & cum pluribus ſacræ Theologiæ magiſtris, ac vtriuſq; iuris profeſſoribus deliberationem ſuper ipſis articulis præhabuerimus diligentem. Ex quorum deliberatione aperte conuincitur, quod errores articulorum ipſorum ſunt adeo manifeſti, quod quicquid ad eorum manifeſtationem adiicitur fruſtra adiici videatur; & quaſi ſol facibus adiuuari: vt tamen minus periti promptius illos percipere valeant, & vitare, quædam ad ipſos declarandos errores perfunctorie ſatis de fratrum eorundem conſilio præſentibus duximus inſerenda.

Inprimis itaq; iſti viri reprobi dogmatizare præſumunt, quod illud quod de Chriſto legitur in Euangelio Beati Matthæi, quod ipſe ſoluit tributum Cæſari, quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis illis qui petebant didragma iuſſit dari, hoc fecit non condeſcenſiue, & liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus: quod vtiq; doctrinæ contradicit Euangelicæ, noſtriq; ſententiæ ſaluatoris. Cum enim, ſicut in eodem Euãgelio legitur, Chriſtus interrogaſſet Petrum à quibus Reges terræ accipiunt tributum vel cenſum, à filiis ſuis, an ab alienis, & Petrus reſpondiſſet, quod ab alienis, ex hoc concludens Chriſtus filios Regum eſſe liberos, dixit, ergo liberi ſunt filii. Conſtat autem Chriſtum ſecundum carnem fuiſſe Dauidis filium iuxta teſtimoniũ Angeli ſic dicentis, dabit ei Dominus ſedẽ Dauid patris eius, &c. & per cõſequens quod ipſe à ſolutione tributi vel cenſus erat prorſus immunis. Hoc etiam ex hoc patet quod ſtatim ſubiunxit, vt autem non ſcandalizemus eos, vade & da ſtaterem pro me, & pro te eis, vbi euidenter patet, quod non aſtrictus, ſed vt euitaret ſcandalũ ſtaterẽ tributi exactoribus iuſſit ſolui. Ex prædicto autẽ dicto ſuo nituntur concludere præfati viri reprobi, quod omnia temporalia Eccleſiæ ſubſunt Imperatori, & ea poteſt accipere velut ſua. Videntur etiam ſupponere, quod ex hoc, quod Chriſtus tributum ſoluit ex debito, res temporales eius Imperatori ſubeſſent. & per conſequens, quod res Eccleſiæ temporales ſint Imperatori ſubiectæ, & eas poſſit recipere velut ſuas. Quæ quidẽ concluſio nullatenus ex præmiſſis ſequitur, nec ſequi poteſt etiam apparenter. Cum enim liqueat ex prædictis Chriſtum fuiſſe à ſolutione tributi, vel cenſus liberum & immunem, & ſtaterem non ſoluiſſe ex debito, ſed vt aliorum ſcandalum euitaret, nullo modo poteſt concludi quod res Chriſti; quales ſunt res Eccleſiæ, ſubſint Imperatori. Præterea etiamſi Chriſtus ſtaterem ſoluiſſet ex debito, impertinenter concluditur ex eo, quod res Chriſti, quales ſunt res Eccleſiæ, ſubeſſent Imperatori; Cum Chriſtus non pro rebus, ſed pro perſona ſtaterem ſoluerit antedictum; quod patet ex eo, quod illum iuſſit ſoluere pro ſe, & Petro, modo prædicto, non pro rebus ſuis & bonis; vnde non ſequitur, quod ex eo quod perſona eſt tributaria, tributaria ſint & bona: imo qui pro perſona tributum tenetur ſoluere, habere poteſt bona libera. & è contra: Et quia hæc patent falſa etiam per iura Imperialia, manifeſte ſuperſedemus ſuper hoc plenius allegare.

Secundo iſti filii Belial dogmatizare præſumunt quod Beatus Petrus Apoſtolus non plus autoritatis habuit, quam alii Apoſtoli habuerint, nec aliorum Apoſtolorum fuit caput. Item quod Chriſtus nullum caput dimiſit Eccleſiæ, nec aliquem Vicarium ſuum fecit; quod eſt totum contrarium Euangelicæ & Apoſtolicæ veritati. Quod enim Chriſtus Vicarium ſuum Beatum Petrum conſtituerit, patet: Conſtat enim quod Chriſtus officium paſtoris geſſit in terris. Hinc eſt quod in Ioanne vocat ſe Paſtorem dicens. Ego ſum Paſtor bonus, &c. liquet etiam quod curam gregis ſui ante Aſcenſionem Beato Petro generalem commiſit, quando ſibi illud Ioannis dixit. Simon Ioannis paſce oues meas, paſce Agnos meos. Vnde cum Paſtor gregis Dominici, ſcilicet Chriſtus, curam eiuſdem gregis Beato Petro commiſit, quoniam eum quo ad curam gregis ſuum Vicarium fecerit, nullus debet in dubium reuocare. Hæc ille Imperator Chriſtianiſſimus, ſcilicet Conſtantinus, teſtatus eſt dicens, Beatus Petrus videtur in terris Vicarius Dei filii conſtitutus. Ex hoc etiam ſequitur

euiden-

euidenter, quod Beatus Petrus caput vniuerſalis Eccleſiæ poteſt dici, iuxta morem illum ſacræ Scripturæ, in qua rector alicuius multitudinis dicitur eſſe caput. Vnde legitur in Oſee, congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſibi caput vnum, id eſt rectorem. Conſtat autem, quod Beatus Petrus eo ipſo quod Chriſtus ſibi commiſit curam gregis Dominici, ipſum eiuſdem gregis videtur conſtituiſſe rectorem, & per conſequens caput. Fatemur tamen cum Apoſtolo, quod Chriſtus Eccleſiæ eſt verum caput & principale, ſub quo tamen Petrus caput dicitur ſecundum modum prædictum, ſecundum quem modum ſub Chriſto capite, & Petro multa capita particularia poſſunt dici; ſicut Patriarcha fidelium Patriarchatus ſui, & Archiepiſcopus Archiepiſcopatus, & Epiſcopus Epiſcopatus ſui. Sic videmus quod licet Chriſtus ſit Eccleſiæ principale & primarium fundamentum, iuxta illud Apoſtoli, fundamentum autem nemo poteſt ponere, præter illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus: & alibi loquens gentilibus conuerſis dixit, vos eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu; id eſt quod fundamentum eſt Chriſtus Ieſus, tamen etiam Apoſtoli dicuntur fundamentum iuxta illud Pſalmiſtæ, Fundamenta eius, id eſt Eccleſiæ, in montibus ſanctis; & ſecundum hunc modum Ch iſtus videtur Petrum prædixiſſe futurum Eccleſiæ fundamentum, cum dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vnde ſicut Chriſtus dicitur ſanctus ſanctorum, Rex Regum, & Dominus dominantium, ſic ſimilitudinarie Paſtor paſtorum, & caput capitum, & fundamentum fundamentorum Eccleſiæ poteſt dici. Sic igitur ex prædictis patet quod Petrus, ſecundū prædictum modum, caput eſt Eccleſiæ, & vocatur; & hoc videtur Chriſtus in impoſitione nominis deſignaſſe, dixit enim ſibi, ſicut legitur in Io. Tu vocaberis Cephas, Cephas autem græce interpretatur caput latine. Vnde Conſtantinus Imperator de Romana Eccleſia loquens dicit, quod Principatus ſacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cæleſti conſtitutum eſt Romæ. Iuſtinianus quoq; in quadam Epiſtola Ioanni Papæ miſſa, teſtatur hæc dicens. Non patimur quicquam quod ad Eccleſiam pertineat, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit, quod innouetur, vt non hæc S. V. quæ caput eſt Eccleſiarum omnium, innoteſcat. Etiam alibi ſic dicit: ſummi Pontificatus apicem apud Romanam Eccleſiam eſſe, ipſamq; fore ſacerdotii fontem nemo eſt qui dubitet, id eſt qui debeat dubitare. Lodouicus autem Imperator Beatum Petrum Apoſtolorum Principem vocat. Quod autē Beatus Petrus pluſquam alii Apoſtoli habuerit autoritatis, ex prædictis etiam concluditur euidenter. Certum eſt enim, quod maior eſt autoritas Paſtoris, quam gregis. Petrus autē totius gregis Dominici generalis conſtitutus eſt Paſtor, vt probatum eſt ſuperius; quod de nullo alio Apoſtolo poteſt dici. Prætereà conſtat quod maior eſt non limitata autoritas, limitatâ: omnes autem alii Apoſtoli receperunt limitatam poteſtatem ſiue ſupra verum corpus Chriſti conficiendum, ſumendum, & aliis miniſtrandum, quæ quidem autoritas, ſeu poteſtas fuit in cœna Domini omnibus Apoſtolis attributa, & etiam illa quam poſt reſurrectionem Dominus ſupra corpus myſticum dedit illis dicens: Quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt; ſiue etiam in Aſcenſione, quando dixit eis, Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes in nomine Patris, &c. Petro autem ſine limitatione aliqua commiſit curam Dominici gregis, cum ſibi dixit Paſce oues meas, Paſce Agnos meos: Item ſibi ſoli & quod nulli alii ſingulariter dixit, Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in cælis: Hoc etiam in ſancto Lucæ Euangelio Ieſus videtur ſatis congrue deſignaſſe, vbi loquens Petro, & aliis dixit. Duc in altum; & laxate retia in capturam: ſoli enim Petro dixit, & nulli alii, Duc in altum; ſignificans quod ad ipſum ſolum pertineret in altum, id eſt in profundum diſputationum, fidei dubia definire. Sibi autem, & aliis quod ſequitur dixit: Laxate retia in capturam, quia omnes Apoſtolos conſtituit huiuſmodi piſcatores, iuxta illud quod in ſancto Euangelio Matthæi dixiſſe legitur Chriſtus, venite poſt me: faciam vos hominum piſcatores. Hoc quoq; ſcilicet quod Petrus plus ceteris Apoſtolis receperit autoritatis, apparet ex multis, quæ Ieſus ſibi, & de ipſo aliis dixit; nec non & ex multis, quæ ipſum poſt Aſcenſionem Domini dixiſſe & feciſſe Scriptura ſacra teſtatur. Ex prædictis itaq; patet quod Petrus à Chriſto fuit Vicarius conſtitutus, quando ſibi totius gregis Dominici curam commiſit, & per conſequens Rector & caput ipſius gregis inſtitutus eſt & vocatus: ex quibus ſequitur, quod ſibi à Chriſto amplior quam aliis Apoſtolis attributa fuit autoritas & poteſtas. Hinc eſt, quod Clemens eiuſdem Petri ſucceſſor & diſcipulus dixit; nec inter ipſos Apoſtolos par fuit inſtitutio, ſed omnibus præfuit vnus, ſcilicet Petrus.

Tertio iſti filii Belial aſſerere non verentur, quod ad Imperatorem ſpectat Papam inſtituere & deſtituere ac punire; quæ vtiq; omni iuri obuiant, & repugnant. De primo quidem poſt Chriſtum noui teſtamenti ſummo Pontifice, ſcilicet Petro, patet quod non ab Imperatore temporali, ſeu terreno conſtitutus Papa fuerit, ſed à Chriſto, dicente ſibi ſoli illud Ioannis, Paſce oues meas, Paſce Agnos meos, per quæ verba ipſum ſuum Vicarium generalem conſtituit, vt patet ex prædictis; adhuc de illis ſummis Pontificibus, qui fuerunt ante Conſtātinum Magnum Imperatorem, quod ipſorum inſtitutio ad Imperatores non pertinuit, ſatis liquet volenti acquieſcere veritati. Cum enim fere omnes Imperatores illius temporis fuerint Idolatræ, ac fidei Catholicæ, & orthodoxorum Pontificum perſecutores atrociſſimi: adeo quod omnes fere à Beato Petro incluſiue, vſq; ad Beatum Sylueſtrum effecerūt martyres, quod ad eos Papæ inſtitutio potuerit peruenire nullo modo vtiq; credi debet, nec de ipſo Conſtantino vſq; ad ſuā conuerſionem ad fidem Catholicam, quod ad eum Papæ inſtitutio pertinuerit dici poteſt, nec per conuerſionem ad fidem hoc aſſequi potuit, cum per eam Papæ filius & diſcipulus effectus fuerit, & ſubiectus. Præterea cum Imperator ipſe, poſt ſuſceptum Baptiſmum, inconueniens reputauerit & iniuſtum, quod vbi Principatus ſacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab Imperatore cæleſti inſtitutum fuerat, videlicet Romæ, illic Imperator terrenus poteſtatem haberet. Ideoque ſedem Imperialem Sylueſtro Papæ ceſſerit, & ad partes Orientales Imperii, & regni tranſtulerit poteſtatem: multo fortius iniuſtum & inconueniens eſt cenſendum, quod ad ipſum Imperatorem Papæ potuerit inſtitutio pertinere: Et idem patet dicendum eſſe de Græcis Imperatoribus, qui ſibi in Imperio ſucceſſerunt. Quod autem ad Imperatores latinos nō pertinuerit nec pertineat inſtitutio ſupradicta, patet; Imperium enim per Papam à Græcis translatum eſt in latinos, nec plus iuris in ipſos, quam apud Græcos extiterat Papam ipſum transferentem legimus tranſtuliſſe; Græcis autem Imperatoribus, vt ex prædictis patet, talis non pertinebat inſtitutio; quare nec pertinere potuit ad latinos; & ſi dicatur, quod Papæ inſtitutio ad latinos Imperatores pertinet ex conceſſione poſtea ipſis facta per ſummum Pontificem, vel ſummos Pontifices, eſt dicendum, quod nulla conceſſio facta per Papam aliquem Imperatori, ſeu Imperatoribus debet intelligi, quod ipſi Imperatores Papā poſſent inſtituere, ſeu eligere, ſed quod poſſent electioni ſummi Pontificis intereſſe; & quod ſic conceſſiones illæ intelligi debeāt, ſatis conſtat ex eo, quod in quodam capitulo legitur, vbi ſic dicitur, Patet verum, quia Imperatores quandoq; modum ſuum ignorantes, non in numero conſentientium, ſed potius diſtribuentium, imò exterminantium eſſe voluerunt, &c. Item querimonia nunciorum Ludouici Imperatoris, quibus in vrbe præſentibus de Papa Adriano ſecundo ipſis non vocatis extitit celebrata, hoc ſimiliter probat, conquerebantur enim dicentes, quod cum præſentes eſſent non fuerunt inuitati, nec obtinere meruerunt electioni futuri Præſulis intereſſe. Adhuc quia nonnulli Imperatores illo priuilegio abuſi fuerant, ac frequenter in hæretico-

rum prolapſi perfidiam, Catholicæ matris Eccleſiæ vnitatem fuerant impugnare conati, ſtatuta ſanctorum Patrum contra eos ſancte, vt ſe electioni Papæ non ingererent prodierunt, ac vt anathematis innodarentur vinculo, quiſquis eorum ſuffragio Eccleſiam obtineret: nonnulli quoque Imperatores ducti religioſæ mentis affectu, ex abundanti ſupradicto renunciauerunt Priuilegio, vt patet ex tenore Canonum ſuper hoc conditorum, per quos, & non aliter, probatur conceſſio antedicta. Præterea legant homines iſti peſtiferi hiſtorias approbatas & oſtendant, quis vnquam Papa Catholicus ab Imperatore inſtitutus fuerit. Profecto credendum quod nullum poterunt reperire; nec dubium eſt ſi ad eos talis pertinuiſſet inſtitutio quin poteſtate fuiſſent vſi huiuſmodi, & quin in hiſtoriis de inſtitutione tali mentio haberetur. Dicere autem quod Papæ deſtitutio, ſeu punitio ad Imperatorem pertineat, eſt erroneum, & inſanum; Quomodo enim ad Imperatorem pertinebit Papæ deſtitutio, cum eius inſtitutio ad eum non pertineat, vt ex prædictis patet? Inde enim ſecundum iura Imperialia priuatio debet procedere, vnde datio noſcitur proceſſiſſe. Præterea quomodo Imperator Principem Clericorum deſtituere poteſt vel punire, cum etiam ſecundum Imperiales leges id in ſimplici Clerico nequeat exercere? Audiant inſuper iſti homines perfidi, quid circa hoc nonnulli Catholici Principes ſenſerunt, & quid duxerint ſanciendum. Theodoſius quidem, & Archadius Imperatores Catholici expreſſe ſanxerunt, quod nullus Epiſcoporum, ſiue eorum qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ad ordinariorum ſiue extraordinariorum iudicium pertrahantur. Habent enim illi ſuos Iudices, nec quicquam eis cum legibus eſt commune. Item Imperator Conſtantinus, cum querelam Clericorum quorundam coram ſe deferendam conſpiceret, dixit. Vos à nemine laicorũ iudicari poteſtis, qui Dei iudicio reſeruati, & ſi dicatur. Si ſolius Dei iudicio reſeruantur, ergo nec à iudicibus Eccleſiaſticis poterunt iudicari, dicendum eſt quod imo ipſi quidem Pontifices Vicarij licet differentes ſint Chriſti, quia Papa vniuerſalis velut vocatus in poteſtatis plenitudinem, alij vero particulares, velut illi qui in partem ſollicitudinis ſunt vocati. Vnde à Deo videntur iudicari quia ab eo iudicantur potius, quàm ab ipſis, cum ille cuius auctoritate fit facere videatur, & propter hoc Imperator prædictus ſignanter dixit, à nemine laicorum. Item Theodoſius Imperator cum Romæ Concilium conuocaſſet, vt ſanctum Concilium iudicaret de iis, quæ Papæ Symmacho ab aduerſariis dicebantur impingi, certi Epiſcopi qui conuenerant Imperatori dixerunt, quod ad illum qui impetebatur, ſcilicet Papam, pertinebat Concilium conuocare quia eius ſedi primum Petri Apoſtoli meritum, deinde ſecuta iuſſione Domini Conciliorum venerandorum auctoritas ſingularem in Eccleſiis tradidit poteſtatem, nec ante minoris ſubiacuiſſe iudicio Antiſtitem dictæ ſedis: quo audito Imperator prædictus Deo inſpirante reſpondit, Synodalis eſſe arbitrij in tanto negocio ſequenda præſcribere, ac ad ſe nihil præter reuerentiam de Eccleſiaſticis negotiis aſſeruit pertinere. Epiſcopis etenim Principes Chriſtianos ſolitum eſt capita ſubdere, non de eorum capitibus iudicare. Hinc eſt quod Innocentius Papa Archadium Imperatorem excommunicauit, quia conſenſit, vt à ſua ſede Sanctus Ioannes Chryſoſtomus pelleretur. Plures quoque ſummos Pontifices legimus Imperatores pro ſuis exceſſibus Imperiali dignitate priuaſſe. Beatus quoque Ambroſius, licet Eccleſiæ vniuerſalis non eſſet Pontifex, Theodoſium Magnum Imperatorem excommunicans, eidem ingreſſum Eccleſiæ interdixit. Ad huiuſmodi autem erroris ſui fulcimentum, ſcilicet quod ad Imperatorem pertineat Papam deſtituere & punire, illud quod in ſanctis Euangeliis legitur de Pilato, ſcilicet quod Chriſtum crucifixerit, præſumunt inducere, aſſerentes, ipſum Pilatum tanquam Chriſti ordinarium crucifixiſſe ipſum tanquam ſibi ſubiectum; Quod habet duplicem intellectum, aut enim intelligunt Pilatum Chriſtum crucifixiſſe de iure, aut de facto: ſi de iure, hoc obuiat veritati. Et de iure enim de crimine quis puniri non poteſt, niſi qui deliquerit, vere, vel interpretatiue; vel qui conuictus fuerit deliquiſſe. Chriſtus autem ſecundum veritatem non deliquit, quia innocens fuit manibus & mundo corde, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; & hoc ipſe Pilatus fuit expreſſe teſtatus: Cum enim ipſum Iudæis tradidit crucifigendum dixit, mundus ſum à ſanguine iuſti huius. Item nec fuit deliquiſſe conuictus, quod idem pluries eſt teſtatus. Cum enim Iudæi inſtarent vt crucifigeret eum, in vno loco dixit, Quid enim mali fecit? quaſi dicat: nihil inuenio eum feciſſe mali; & alibi pluries eiſdem Iudæis inſtantibus, quod crucifigeret illum, dixit, ego nullam in eo inuenio cauſam mortis, quare ipſum de iure non potuit punire. Si autem intelligunt quod de facto & iniuſte punierit eum innocentem, ſicut & veritas ſe habet, tunc ex hoc non poſſunt concludere aliud, niſi quod Imperator Papam de facto poteſt interficere, & iniuſte, quod vtique non ſolum de Imperatore concedimus, ſed etiam de priuato, ſicut & plures Imperatores à priuatis perſonis, & ſummos Pontifices à non ſuis iudicibus, ſicut omnes martyres legimus interemptos.

Quarto dicunt iſti vaniloqui imo falſiloqui, quod omnes ſacerdotes, ſiue ſit Papa, ſiue Archiepiſcopus, ſiue ſacerdos ſimplex, ſunt ex inſtitutione Chriſti auctoritatis, & iuriſdictionis æqualis; quod autem vnus plus alio habeat, hoc eſt ſecundum quod Imperator concedit vni, vel alii plus, & minus; & ſicut conceſſit alicui, ſic poteſt illud etiam reuocare. Quæ vtique doctrinæ ſacræ obuiant, & hæreticam ſapiunt prauitatem. Quod enim ſacerdotum ſimplicium, & non ſimplicium, ex ipſa inſtitutione Chriſti, non exiſtat æqualis poteſtas, patet tam in iis qui fuerunt in teſtamento veteri, quam in iis qui fuerunt in nouo. In veteri ſiquidem teſtamento, per Moyſen, ex præcepto Domini, Aaron in ſummum Pontificem, Filii vero eius vncti fuerunt in ſimplices ſacerdotes, quorum poteſtas, vt patet, inæqualis extitit, quia ex ſimplicibus ſacerdotibus, velut ad ſuperioris auctoritatis & poteſtatis honorem, ad Pontificium ſunt aſſumpti, tuncque licebant quædam Pontifici, vtpote in ſancta ſanctorum ingredi, quæ non licebant ſimplici ſacerdoti. In nouo vero teſtamento Pontificum, & ſimplicium ſacerdotum ab ipſo Chriſto ex eo aſſumpſiſſe videtur exordium, quod duodecim Apoſtolos, quorum typum gerunt Pontifices, ac 72. diſcipulos inſtituit, quorum typum gerunt ſimplices ſacerdotes. Conſtat autem ex multis, quæ de ipſis in ſanctis leguntur Euangeliis, quod Apoſtolorum & diſcipulorum auctoritas diſpar fuit. Adhuc quod poteſtas aliorum quorumcunque ſacerdotum poteſtati Papæ par non ſit, nec æqualis, patet euidenter ex prædictis. Quod aliorum Epiſcoporum ſcilicet Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum par poteſtas nec ſit nec fuerit, patet. Inferiorum ſiquidem poteſtas ſuperiori non eſt par poteſtati. Conſtat autem Patriarchas eſſe ſuperiores reſpectu Archiepiſcoporum; & Archiepiſcopos reſpectu Epiſcoporum, & Epiſcopos reſpectu ſimplicium ſacerdotum. Et ſi dicant iſti homines reprobi, quod iſtorum Epiſcoporum diſtinctio ab Imperatore proceſſit non à Chriſto: dicimus, quod imo proceſſit ab ipſo. Ille enim cuius auctoritate fit aliquid, illud feciſſe videtur. Beatus autem Petrus Chriſti Vicarius, & gregis Dominici caput, attendens quod aucto grege ſine ipſius augmentatione cuſtodia gregis non poterit ſalubriter prouideri, auctum gregem poſt Aſcenſionem Domini conſiderans, & aucturum amplius prævidens in futurum, gradus prædictarum poteſtatum inſtituit, & diſtinxit. Quare cum auctoritate Chriſti prædicta diſtinctio facta fuerit, Chriſto debet aſcribi. Hanc autem poteſtatem daturam Eccleſiæ Propheta diu

ante prædixerat dicens. Pro patribus nati ſunt tibi filii, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: vbi Patres Eccleſiæ vocat Apoſtolos, & filios Eccleſiæ fideles, per Apoſtolos ipſos conuerſos. Vbi ſatis aperte Eccleſiæ, id eſt eius Paſtori, attributa poteſtas intelligitur inſtituendi diuerſos gradus Principum, cum expedire perciperet Eccleſia S. Dei. Audiant inſuper iſti peruerſi homines quid Iuſtinianus Imperator Catholicus ſuper hac dixit. Cum enim circa gradus prædictos Epiſcoporum, eorumque ſuperioritatem, & ſubiectionem conſtituiſſet aliqua, ſubiunxit dicens. Nos hæc ſecundum ſacrarum regularum explanationem, Apoſtolicamque traditionem conſtituimus. Ex quibus colligitur euidenter non ab Imperatore diſtinctionem, & auctoritatem Pontificum originaliter, & principaliter, ſed ab auctoritate Apoſtolica proceſſiſſe. Imperatoremque, vt illa ſeruarentur melius, iuxta ſtatuta Apoſtolica, eadem ſtatuiſſe. Conſiderent etiam, quæ & quanta ex his ſi vera eſſent, inconuenientia ſequerentur. Sequeretur vtique, quod vſque ad tempus Conſtantini nulla poteſtas eſſe potuerit in Eccleſia ſancti Dei, cum illo tempore Imperatores fere omnes gentilis fuerint perſecutores Eccleſiæ, ac Prælatorum eiuſdem; de quibus dici non poteſt, quod Prælatis Eccleſiæ poteſtatem conceſſerint aliquam, vt ex prædictis patet. Ex prædictis inſuper ſequeretur, quod vniuerſalis Eccleſia, quæ Spiritu ſancto regitur, erret, & errauerit ipſos honorando pro ſanctis, quod eſt vtique contra illud quod Chriſtus diſcipulis in Aſcenſione ſua, vt in ſancto Euangelio Matthæi legitur, promiſit dicens. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Secundum etiam iſtos Diaboli filios, pro illo tempore vera Chriſti promiſſio non fuiſſet, nec aliquis illorum Pontificum, qui à Paganis fuerunt eo tempore interfecti, ſancti fuerint, nec pro ſanctis honorari deberent. Hoc quoque eſt expreſſe contra illum articulum, Vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam; quia ſecundum eos nec ſancta fuit pro illo tempore, nec potuit dici ſancta. Verum autem in omnibus Clericis, ac in ſimplicibus, & non ſimplicibus ſacerdotibus fuerit ordinis poteſtas æqualis, dicimus, quod quantum ad ordinis dignitatem pares ſunt & fuerunt; æque enim ſacerdos quilibet ſacerdotalem characterem recepit rite, & ſecundum formam Eccleſiæ ordinatus. Poteſtas autem ipſius ordinis par quoad ſacramentum altaris omnino non exiſtit, nec extitit ſimplicis, & non ſimplicis ſacerdotis; quod patet, quia poteſtas ligabilis & ſuſpenſibilis illi, quæ ligari, vel ſuſpendi nequit, nequaquam par poteſt dici. Conſtat autem quod Papa ligare poteſt aliorum ſacerdotum & ſuſpendere poteſtatem, ſic quod licite vti dicta poteſtate non poterunt, licet effectus ſubſequatur ſi vſi fuerint, & ipſi ſunt ex hoc merito puniendi; nullus autem aliorum ſacerdotum poteſtatem Papæ ligare; vel ſuſpendere poteſt; quod etiam de aliis ſuperioribus, & inferioribus patet; ex quo ſequitur euidenter, quod poteſtas etiam ordinis ſuperiorum, & inferiorum ſacerdotum omnino par iudicari non poteſt. Concedimus tamen quod, ſi ſine probatione aliqua minores vſi fuerint huiuſmodi ordinis poteſtate, puta hoſtiam conſecrando, par ſequitur effectus; æque enim prolatis verbis illis. Hoc eſt corpus meum, &c. à ſimplici ſacerdote fit tranſubſtantiatio panis in corpus CHRISTI, ſicut ſi ea ſuperior protuliſſet; quod ex eo contingere noſcitur, quia vnus, & idem eſt ſacerdos interior, videlicet CHRISTVS, qui prolatis verbis prædictis à ſacerdote quolibet animo conſecrandi tranſubſtantiationem huiuſmodi facit; & ideo non eſt mirum, ſi par effectus ſequi debeat verbis prædictis à quocunque ſacerdote prolatis, cum vnus, & idem actor huiuſmodi eſſe noſcatur effectus.

Adhuc iſti blaſphemi dicunt, quod tota Eccleſia ſimul iuncta nullum hominem punire poſſit punitione coactiua, niſi concedat hæc Imperator; quod vtique doctrinæ Euangelicæ noſcitur obuiare. Conſtat enim quod à Chriſto Petro, & in perſona Petri Eccleſiæ poteſtas coactiua conceſſa, vel ſaltem promiſſa extitit, quæ quidem promiſſio fuit poſtea adimpleta cum Simoni Chriſtus dixit, quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. Ligantur enim non ſolum voluntarii, ſed inuiti. Adhuc conſtat, ſicut ibi legitur in Matthæo, quod ſi aliquis damnum alii indebite dederit, illeque ad mandatum Eccleſiæ noluerit emendare, quod Eccleſia per poteſtatem à Chriſto ſibi conceſſam, ipſum ad hoc per excommunicationis ſententiam compellere poteſt; quæ quidem poteſtas eſt vtique coactiua; circa quod eſt aduertendum quod cum excommunicatio maior, nedum excommunicatum à perceptione Sacramentorum remoueat, ſed etiam à communione fidelium ipſum excommunicatum excludit, quod corporalis etiam à Chriſto coactio Eccleſiæ eſt permiſſa; cum etiam ſecundum Imperiales leges grauius reputetur inter homines conuerſari, ipſorumque priuari ſuffragio, quam ab hominibus ſeparari, ex quo ſequitur poteſtatem coactiuam non ab Imperatore terreno, ſed ab ipſo Chriſto fuiſſe originaliter Eccleſiam conſecutam. Præterea Beatus Petrus poſt Aſcenſionem Domini in perſonam Ananiæ, & Saphiræ vxoris ſuæ ſine Imperiali conceſſione aliqua hac vſus eſt poteſtate; in quos quia de precio agri Deo ablati fraudauerant, mortis ſententiam promulgauit: quæ quidem ſententia non proceſſit de ipſorum coniugum voluntate. Item Beatus Paulus Elymam Magum, Sergium Paulum à fide quærentem auertere, ad tempus luce corporali priuauit. Illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit Sathanæ, vt eius Spiritus ſaluus eſſet. Item Corinthiis ſcribens dixit idem Apoſtolus; Quid vultis in virga ad vos veniam, an in charitate, & in Spiritu manſuetudinis; in quo ſatis expreſſe coactiuam poteſtatem ſubpoſuit ſe habere. Item ſcribens eiſdem alibi dixit, Arma, inquit, militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo, id eſt, à Deo conceſſa, ad deſtructionem munitionum conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei; & ſequitur; In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam. Ex quibus patet Paulum non ab Imperatore, ſed à Deo habuiſſe poteſtatem etiam coactiuam, cur contrarium blaſphemi præſumunt dicere ſupradicti? Rurſus aduertant iſti nequam homines, quomodo audent dicere quod ab Imperatore terreno Eccleſiarum Prælati coactiuam, vel aliam receperint originaliter poteſtatem, cum vt ſupra dictum eſt Imperatores vſque ad Conſtantinum Magnum fere omnes Pagani fuerint, ac Idololatræ, & perſecutores, imo exterminatores, quantum fuit in eis, Eccleſiæ ſanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactiuam, vel aliam poteſtatem concederent? vtique nullus ſapiens hoc credere debet.

Et quia, ne tantorum actores & doctores errorum, plures in ipſorum errorum pertraherent deuium, ipſique propter impunitatis audaciam nequaquam fierent nequiores, licet nos cum eorum exceſſus adeo forent notorii, quod nulla poterant tergiuerſatione celari, tunc poſſimus procedere ad ſententiam contra eos, de benignitate tamen Apoſtolica, quæ conuerſionem deſiderat peruerſorum; Nos ipſos, Marſilium & Iohannem, & quemlibet ipſorum de fratrum eorundem conſilio quinto Idus Aprilis proxime præteriti, die videlicet Dominicæ cœnæ, per edictum citauimus publicum, præſente fidelium multitudine copioſa; vt infra quatuor menſium tum proxime ſubſequentium ſpatium, quos eis & eorum cuilibet de eorundem fratrum conſilio pro peremptorio termino præfiximus & aſſignauimus, Apoſtolico cõſpectui ſe perſonaliter præſentarent, ſuper prædictis exceſſibus & delictis, vt præfertur notoriis, iuſtam, dante Domino, ſententiam audituri, ac reſponſuri, & facturi quod iuſtitia ſuaderet. Eiſ-

dem

dem apertius prædicentes, quod ſiue infra prædictum terminum coram nobis comparerent, ſiue non comparerent, nos ad prædicta abſque monitione & citatione procederemus alias, prout videremus expediens, eorum abſentia non obſtante. Volentes tunc nihilominus, & etiam decernentes citationem prædictam, etiam ſi terminus prædicti præfixio in tempore forſitan caderet feriato, perinde valere, ſuumque effectum ſortiri debere, ac ſi tempus feriatum non exiſteret, quacunque conſtitutione ſuper hac in contrarium edita non obſtante, & vt ad ipſorum, & aliorum quos tangebat notitiam communem deducerentur prædicta, chartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem in maioris Eccleſiæ Auinionen. appendi vel affigi oſtiis fecimus, quæ proceſſum ipſum ſuo cum ſonoro præconio, & patulo iudicio publicarent, vt ipſi & alij, quos proceſſus ipſe tangebat, nullam poſſent excuſationem prætendere, quod ad eos non perueniſſet, vel quod ignoraſſent eundem, cum non eſſet veriſimile, quo ad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod publicabatur omnibus tam patenter. Volumus etiam autoritate Apoſtolica decernentes, quod idem proceſſus prædictos citatos apprehenderet, & arctaret, quia ad eos moram trahentes cum dicto Ludouico tutus non patebat acceſſus, ac ſi eis inſinuatus perſonaliter, & publicatus ſolenniter extitiſſet, conſtitutione quacunque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros in contrarium edita non obſtante. Cum autem præfati, Marſilius & Iohannes, citati, vt prædicitur, nec aliquis eorundem in præmiſſo præfixo ſibi termino comparere non curauerint, nec aliquis pro eiſdem, Nos ipſos, & eorum quemlibet de fratrum prædictorum conſilio reputauimus & decreuimus merito contumaces. Et licet tunc eorum contumacia exigente potuiſſemus, cum eorum eſſent exceſſus, vt præfertur, adeo notorii, quod non poterant aliqua tergiuerſatione celari, ad ſententiam & alias rationabiliter contra ipſos procedere, & quemlibet eorundem, de benignitate tamen Apoſtolica, quæ conuerſionem peccatorum deſiderat, ipſos decreuimus vſque ad noſtrum beneplacitum expectandos: quocirca contra ipſos procedere vſque ad diem præſentem de eorundem fratrum conſilio duximus differendum. Sane conſiderantes attente, quod præmiſſi, Marſilius & Iohannes, ad redeundum ad ſinum Eccleſiæ ſe non præparant, ſed potius, vt in ſui erroris deuios alios pertrahant, elaborant, nec non ad memoriam reducentes quod dudum cum hoſtis humani generis ad impugnandam ſinceritatem fidei, hæreticorum fallaciam ſubinduceret fraudulentam, ſancti Patres prædeceſſores noſtri, contra ipſos viriliter inſurgentes eorum praua dogmata cum ſuis auctoribus condemnarunt, ſicut patet de Ario, & Manichæo, Neſtorio, & Dioſcoro, eiuſque complicibus, & pluribus aliis, quos cum ſuis hæreſibus iuſtiſſima ſententia condemnarunt; ac volentes eorundem Patrum veſtigiis inhærere, & inſuper attendentes probabiliter formidari, quod in præmiſſis mora periculum & damnum diſſimulatio forent proculdubio allatura, non intendentes eos vlterius expectare, ſed reputantes, ac decernentes potius contumaces. Ad laudem, & gloriam ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, conſolationem fidelium, & fidei Catholicæ firmamentum, de fratrum noſtrorum conſilio, Dei nomine inuocato, articulos prædictos videlicet. Quod illud quod de Chriſto legitur in Euangelio Beati Matthæi, quod ipſe ſoluit tributum Cæſari quando ſtaterem ſumptum ex ore piſcis illis, qui petebant didragma, iuſſit dari, hoc fecit non condeſcenſiue & liberalitate ſuæ pietatis, ſed neceſſitate coactus. Item quod Beatus Petrus Apoſtolus non fuit plus caput Eccleſiæ quam quilibet aliorum Apoſtolorum, nec habuit plus autoritatis quam habuerint alii Apoſtoli; & quod Chriſtus nullum caput dimiſit Eccleſiæ, nec aliquem fecit Vicarium ſuum. Rurſus, quod ad Imperatorem ſpectat Papam corrigere, & punire ac inſtituere, & deſtituere.

Adhuc quod omnes ſacerdotes ſiue ſit Papa ſiue Archiepiſcopus, ſiue ſacerdos ſimplex quicunque, ſunt æqualis autoritatis, & iuriſditionis ex inſtitutione Chriſti: ſed quod vnus habeat plus alio, hoc eſt ſecundum quod Imperator conceſſit plus, vel minus, & ſicut conceſſit reuocare poteſt. Vltimo quod Papa, vel tota Eccleſia ſimul ſumpta nullum hominem, quantumcunque ſceleratum, poteſt punire punitione coactiua, niſi Imperator daret eis autoritatem. Velut ſacræ Scripturæ contrarios, & fidei Catholicæ inimicos hæreticos, ſeu hæreticales & erroneos, nec nõ, & prædictos, Marſilium, & Iohannem hæreticos, imo hæreſiarchas fore manifeſtos, & notorios, ſententialiter declaramus, articuloſque ac librum prædictos, nec non & quamcunque aliam ſcripturam continentem eoſdem. Prædictos quoque Marſilium, & Ioannem vt hæreticos manifeſtos, & notorios, imo, vt hæreſiarchas potius reprobamus, & ſententialiter condemnamus. Si quis autem doctrinam prædictam defendere, vel approbare præſumpſerit, cuiuſcunq; ſit dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, tanquam hæreticus ab omnibus computetur.

Præterea vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus diſtrictius inhibemus, ne prædictos, Marſilium & Iohannem hæreticos, & de hæreſi, vt præmittitur ſententialiter condemnatos, aut eorum alterum receptare, defendere, fouere, aut eis quomodolibet adhærere ſeu præſtare per ſe, vel per alium, ſeu alios publice, vel occulte directe, vel indirecte auxilium, conſiliũ, vel fauorẽ præſumãt potius, ſed eos tuitent, vt hæreticos manifeſtos, ipſosq; quos fidelibus capiẽdos exponimus, zelo perſequantur fidei, & capiant vbicunq; ipſos reperire poterunt, ac Eccleſiæ captos aſſignent, & reſtituant animaduerſione debita puniendos. Nos aduerſus quoſcunque dictorum hæreticorum receptatores, defenſores, fautores, credentes, adhærentes, aut eis præſtantes quomodolibet auxilium, conſilium, vel fauorem, proceſſuros prout rationis fuerit, & expedire vt debemus apertius prædicentes.

Vt autem ſententia, & proceſſus huiuſmodi ad eorundem Marſilii & Iohannis, & aliorum omnium quorum intereſt, communem notitiam deducantur, chartas, ſeu membranas ſententiam, & proceſſum continentes eoſdem, in Maioris Eccleſiæ Auinionen. appendi & affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus faciemus, Quæ ipſos proceſſum, & ſententiam ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, ita quod ipſi, & alii, quos contingere dinoſcuntur, nullam poſſint excuſationem prætendere quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorauerint eoſdem; Cum non ſit veriſimile quo ad ipſos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Datum Auinion x. Calend. Nouembris Pontificatus noſtri Anno XII. volentes itaque proceſſum ipſum in eis partibus, vt notitia fidelium innoteſcat clarius ſolenniter publicari, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te, vel alium ſeu alios religioſos & ſæculares, exemptos & non exemptos, de quibus tibi videbitur, dictum proceſſum, & contenta in eo, in tuis ciuitate, & diœceſi ſolenniter publicans, etiam vt intelligantur melius ab omnibus in vulgari ſingulis diebus dominicis, & feſtiuis in Eccleſiis tuarum ciuitatis, & diœceſis, & alibi, vbi videris expedire, prædictos Marſilium, & Iohannem excommunicatos, & hæreticos præſentibus fidelibus populis, dum conuenerunt ad diuina, facias publice nunciari, populoſque ipſos, vt eoſdem vitent hæreticos, nec eiſdem quomodolibet adhæreant, aut præſtent auxilium, conſilium, vel fauorem, ſolerter, & fideliter etiam in ſermonibus publicis deducendo. Super publicatione autem prædicta fieri volumus inſtrumenta, principium, & finem præſentium continentia nobis poſtmodum tranſmittenda. Datæ Auinion. VII. Cal. Nouembris, Pontificatus noſtri Anno XII.

Has ego, quæ hic damnantur propoſitiones, magna ex parte in præcedentibus meis libris tanquam Catholicas defendi; & argumenta plura ſane leuiſſima, quæ in hac bulla in contrarium adducuntur ſolui, Marſilium etiam a excuſaui, & Iandunum. a Nos l.1. c.10. n.32.

 Tanti

Tanti ergo ponderis erit hæc damnatio, quãti fuerint argumenta quæ illam extorſerunt: hoc eſt, nullius. Atque interim conſtat Papam non debere damnare doctrinam vllam Theologalem, niſi eam ſolide etiam confutet. Nunc enim pro libito; imo pro libidine damnant illa omnia, quæ ſunt ipſorum ambitioni, & auaritiæ aduerſantia, nulla damnationis cauſa in ſpecie aſſignata. Tales hæreſum, hæreticorumq; dãnationes Concilia olim vetera faciebant, non ſine plena doctrinæ dãnandæ diſcuſſione, hoc eſt veritatis contrariæ debitis allatis documentis, confirmatione, & contrariorum argumentorum ſolutione; quod non modo iam noſtri Domini Papę, eorumq; congregationes nõ faciunt, ſed neq; Academiæ, ſiue Vniuerſitates, ſiue Facultates doctorũ; quæ tamen vel maxime doctrinaliter, non autoritatiue doctrinas confutandas confutare deberent; ſiquidem hoc, & Conciliã omnia, & Pontifices Romani, & Patres ſemper fecerũt omnes; & huiuſmodi diſcuſſiones non debent latere, ſed ſimul cũ damnationis ſententia publicari, vt factũ eſt, & à Cõciliis; & à Ioanne xxiii hac Bulla. Veritas enim ſidei, ſi quod dubium paſſa eſt, tũc tandem obtinet, cum ab Eccleſia vniuerſa fuerit approbata. Neque Eccleſia tenetur aſſentiri vlli articulo fidei prius latenti, niſi diſcuſſionem viderit, & approbarit: vt eſt à me in ſuperioribus explicatum.

VIII. Iam vero inueteratum eſt in Eccleſiis Chriſti vitium, vt abſque completa, & perfecta ac legitima doctrinarum diſcuſſione, diſcuſſionumque priuatarum examine, doctrinæ priuatim aut approbentur, aut damnentur; & Chriſti Domini, qui deberent eſſe athletæ, in ſuis diſſenſionibus ſeſe fœdiſſima hæreticorum nomenclaturæ iniuria proſcindunt. Damnatis iam Ario, Neſtorio, & Eutychete ipſimet orthodoxi inter ſe miſere, & abſque legitima cauſa diuidebantur; *a* eandem fidem profitebantur in re, & corde retinebant, diſſidia ex verbis oriebantur. Alij enim vtriuſque naturæ in Chriſto veritatem exponebant, ſed duas naturas dicere non audebant, *b* ne ſecundum Neſtorium, *inquit Vigilius Tridentinus*, duas putarentur fateri perſonas.—Rurſus alij timentes, ne Appollinatis, & Eutychetis dogma incurrant, nolunt dicere Deum paſſum & mortuum, cum vnam eius credant eſſe perſonam, & hunc eundemque Deum fateantur, & hominem. Si ergo vnus eſt, ſicuti & eſt, cur eum formidas dicere paſſum, quem non formidas credere vnum? Nec audes dicere alterum ſecundum Neſtorij impium ſenſum: Ecce ſunt timores inaniſſimi, & ſolicitudines vanæ, quæ fecerunt orthodoxos hæreticorum ſibi nomina impingere, dum voce depromi palpatur, quod expreſſius corde clamatur; Qui enim nolunt duas ore fateri naturas, quas fidei expreſſione defendunt, Eutychianiſtæ reputantur: cum non ſint. Item qui duas vnius Chriſti naturas publice profitentur, Neſtoriani putantur eſſe, cum non ſint; & videas eos luctuoſis quibuſdam, & omni lamentatione dignis inſultationibus hæreticorum nomine ſe inuicem accuſare. Tu, inquit, Eutychianus es: & tu Neſtorianus es, Apoſtolicæ ſententiæ in totum obliti, dicentis: *Videte ne cum inuicem accuſatis ab inuicem conſumamini. Rogo vos cum ſenſu incolumes ſitis, cur vobiſcum inſanitis?*] Hoc ipſum hodie contingit, Reformatos Romani, & Romanos reformati hæreticos alta voce proclamant, cum tamen in fundamentalibus fidei, & corde conſentiant, & ore eandem fidem in Chriſtum profiteantur, diſſidia aut in verbis ſunt, vt vbi de meritis certant, & in aliis: aut in ritibus adiaphoris; aut in ſcholaſticis liberarum opinionum concertationibus: vt quando ad ſingulas controuerſias deuenero, clare demonſtrabo. Neque enim reformati vllum fidei verum articulum deſtruunt, qui per rectas regulas ſit in Eccleſia definitus; definitiones perperam à noſtris Pontificibus, vel irregularis conciliis factas merito à fide excludunt, quia ad fidem eas pertinere nunquam fuit legitime probatum; & facile etiam multæ aperti erroris conuincuntur. Cur ergo hæreſis condemnantur, & pro hæreticis habentur? vbi iſthæc condemnatio? quando auditi? quando conuicti? Concilia damnare hæreticos poſſunt, fateor, Papa ſolus non poteſt, niſi ſuos diœceſanos. Sed & Papa, & Concilia errare poſſunt; ſi regulas veras iam à me explicatas non ſequantur. Ea vero non erraſſe in ſuis damnationibus tunc conſtat, quando, nemine contradicente, Eccleſia vniuerſa ſuam veterem doctrinam agnoſcens, damnationes ipſas approbat, admittit & nemine rationabiliter contradicente, confirmat; quod de damnata proteſtantium doctrina nemo ſani iudicij poteſt aſſerere. Non ergo ſunt hęretici, neq; pro hæreticis habendi.

a Sozom. l.3.c.12.

b Vigil. Trid. cont. Eutych. 4.

IX. Sed neq; Romanæ Eccleſiæ, imo curiæ doctrina fidei hæretica eſt: defectum enim, vt ſupra monui cap.5.n.41. huius; nullum patitur. Exceſſus vero hęreſes non ſunt, ſed vel falſitates, vel probabiles opiniones; cum omnia illa, quæ per exceſſum aſſerunt, & de fide eſſe perperam volunt, ſint quidem pręter fidem, ſed contra fidem non ſint, vt in ſingulis patebit. Velle autem Theologales opiniones rerum diſputabilium, & quæ in Eccleſia ſunt prorſus indefinibiles (quia neq; Scriptura ea clare proponit, neq; traditio antiqua explicat, quippe nõ neceſſaria, ſed ad honeſtam exercitationẽ ſub obſcuritate relicta) fidei articulos facere, & pro hæreticis contrarium ſentientes & docentes habere, eſt ſimiliter error intolerabilis, ex quo ſchiſmata inualeſcunt, & pax Eccleſiæ turbatur, eiuſque vnitas laceratur. Hinc eſt, quod inuicem nos *c* mordemus, & comedimus, ac proinde inuicẽ conſumimur. Sed hæc plenius ſunt mihi in ſequentibus tractanda. *c* Gal.5.15.

X. Illud quidẽ ſilentio nunc pręterire non poſſum, longe peiorem eſſe noſtrum errorem, quam reformatorum: quia illi tametſi errarent circa illos nouos articulos primitiuæ Eccleſiæ ignotos (errare tamen eos non concedo) bona quodammodo fide errarent, & ex ſola pietate, ſi pietas non eſſet diſcreta, & ſecundum ſcientiam; liberum enim exempli gratia, arbitrium deprimunt, nullo alio fine, niſi vt diuinam attollant gratiam, & ſic Dei gloriam ſolam requirunt. Inuocationem ſanctorum reſpuunt, non in odium, aut irreuerentiam ſanctorum, ſed ne Chriſto vnico noſtro Mediatori fiat iniuria. Merita nolunt, vt Pelagianiſmum vitent; & ſic de aliis, quo pacto de Arianis Saluianus Maſſilienſis philoſophatur. *d* *Qui apud nos*, inquit, *ſunt heretici, apud ſe non ſunt. Nam in tantum ſe Catholicos eſſe iudicant, vt nos ipſos titulo heretica appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, hoc & nos illis. Nos eos iniuriam diuinæ generationi facere certi ſumus, quod minorẽ Patre Filium dicant. Illi nos iniurioſos Patri exiſtimant, quia æqualem eſſe præſumunt. Honor Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorẽ diuinitatis eſſe quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium: Impij ſunt, ſed hoc putãt veram eſſe pietatẽ. Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio; ſed affectu Dei, honorare ſe Deum atq; amare credẽtes. Quamuis non habeant rectam fidẽ; illi tamen hoc perfectam*

d Saluian. de prouid. 15.

Dei

Dei exiſtimant charitatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die iudicij puniendi ſint, nullus poteſt ſcire niſi Iudex.],

XI. At vero noſtri Romani proceres ſunt inexcuſabiles, ſua enim illa noua placita de Papatu, de Indulgentiis, de Purgatorio, &c. non bona fide, nec ad diuinā ſaltem putatā gloriam proponunt; & tuentur, ſed mala fide expreſſe; quia ſciūt aut falſa eſſe, aut nullis ſolidis niti fundamentis, ac ꝓinde ad fidem nullo modo pertinere; ſed propter humana conſilia, ꝓ lucro curiæ, pro ambitione, & faſtu mūdano, & ſimilibus, nouos illos fidei articulos obtrudunt. Sicut ex aduerſo inter Reformatos, peſſima fide, non ex zelo puritatis fidei, ſed ex ſolo odio in Romanā Eccleſiam, humano profecto, imo diabolico, Puritani vt audio, tāquam ſi aliam, & omnino diuerſam religionem profiterentur, ab ea quam maxime fieri poteſt conātur recedere, & omnia in Romana Eccleſia Antichriſtiana eſſe peſſime contendunt. Superflua aliqua in eam irrepſerunt, fateor, aliqua ſuperſtitioſa, alia etiam Antichriſtiana; ſed fides Catholica integra apud eos conſeruatur, ritus plurimi antiquiſſimi ſunt, & ab Apoſtolis inſtituti, adiaphora purgari poſſunt, tolli nō debent, ac interim vnio Chriſtianiſmi retinenda. Deformata reformentur, ſana relinquantur: ſed & de his infra plura.

XII. Dixi de damnandis hęreſibus in genere; nunc de cenſuris librorum, eorumq; damnatione in ſpecie aliquid ſubiungēdum; ſiquidem in hoc plurimum peccari ex noſtra parte animaduerto. Nō eſt dubiū eandem rationem eſſe librorum, quæ & vocum ac ſermonis: Qui igitur cenſere poteſt, & debet doctrinam voce prolatam, idem cenſere etiam poteſt, & debet doctrinam ſcripto traditam; & conſequēter libros tanquam hæreticos damnare iure poteſt, primum quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi; deinde pro tota prouincia Concilium prouinciale; ac demum pro vniuerſa Eccleſia, Concilium generale; niſi ſingulæ vel Eccleſiæ, vel ꝓuinciæ in libri mali proſcriptionem iam conſenſerint. In cenſendo tamē libro aliquo, alia regula ſequenda non eſt, niſi iam à me explicata; vt ſi contineat errorem contra ea dogmata, quæ in Scriptura clare proponuntur, licet non clara; aut quæ ſuum clarum ſenſum habent ex antiqua vera, & legitima traditione, ille liber dānetur, proſcribatur, prohibeatur, abeat in interitum: ſed ſi ex hac regula liber erroris non conuincatur, nulla eſt poteſtas in terra, quę ſola ſua autoritate poſſit illum, vt hæreticum iure declarare, & dānare. Neq; ſolum poteſt quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi, & ſynodus in ſua prouincia, aut œcumenicum Concilium pro vniuerſa Eccleſia libros, qui errores cōtra dogmata fidei clare & aperte propoſita contineāt; ſed etiam illi libri, qui nouos fidei articulos contineant, quos neq; Scriptura clare proponit, neq; vera traditio corroboret, etiam ſi dogmatibus clare propoſitis, & in Eccleſia ꝑpetuo acceptis, ac firma fide creditis non ſint contrarij; ſint tamen fidei ſpuria additamenta, poſſunt, & debent, non vt hæretici, ſed vt erronei falſi, deceptorij, ad fidem non pertinentes, merito reſpui, proſcribi, igni tradi. Librorum porro cenſuram, ſicut nunc à me explicatū eſt, ſe in Eccleſia ſana ſemper habuiſſe iam confirmo.

XIII. Aliud eſt damnare libros, aliud prohibere ne imprimātur, diuulgentur, habeantur, legantur. Dānationem porro iudicio Eccleſiæ fieri non eſt dubiū; hoc eſt Prælatorum, ſiue ſeparatim, ſiue cōiunctim in Conciliis. Auguſtinus profecto, *a Iudicium, & cenſuram librorum, etiam à quocunq; Epiſcopo conſcriptorum, dicit poſſe eſſe penes quemcunq; Epiſcopum, & virum doctū, ac præſertim penes Concilium.*] Concilium Nicænum diſcuſſit librum Arij, & *b* damnauit, igniq; addicēdum cēſuit. In Concilio Epheſino Neſtorij ſcripta *c* damnata fuere: In Concilio Chalcedonenſi Epiſtola Leonis Papę dogmatica diſcuſſa, & approbata fuit; ſcripta vero *d* Eutychetis Theodori Mopſueſtini, Ibæ, & Theodoreti damnata. In quinta ſynodo generali, cum Anthimo ipſius quoq; libri damnati ſunt. *e* Liber Sophronij Hieroſolymitani in ſexta Synodo generali fuit diſcuſſus. Omittamus multa alia Concilia minora, quæ libros vel approbarunt, vel reprobarunt. Sed Epiſcopi etiam ex ſe ſeorſim idem fecerunt, vbi p̄ſertim libri hæreſes iā damnatas cōtinerent. *g* Theophilus Alexandrinus, & *h* Epiphanius Origenis libros proſcripſerūt. Sophronius Hieroſolymitanus librū ſuum ſubiicit cenſuræ *i* Patriarchæ Conſtantinopolitani. Sed in his non immoremur. Satis n. conſtat Baronium ſæpiſſime pueriliter gloriari, ꝙ aliqui interdum ad Romanum Pontificē ſua ſcripta tranſmitterent, eaq; ipſius cēſuræ ſubijcerent. Id n. interdum fiebat ex ordinaria cōmunione, q̃ per ſynodicas, & per fidei confeſſionem vltro citroq; conciliabatur: ſic n. etiam Papa ſuā ad alios tranſmittebat confeſſionē, vt vnio in fide & charitate cōſeruaretur. Interdū vero amice alter alterius iudiciū expectabat, & Orientales libenter ſuā fidem Occidentalium iudicio probabāt, propter diutinā Occidentalium Eccleſiarum, p̄ſertim Romanę, puritatem in fide, & integritatem: qua de re iam toties egi. Itaq; miror quomodo Ioannes Diaconus ſcribere potuerit, *k Deū omnipotentē ſedis Romanæ Præſuli, probandorum, ſeu repellendorum ſcriptorum omnium ſpecialem dediſſe poteſtatem.*] Vnde nā id poteſt probare?

a Aug. de Bapt. l. 2. c. 3.
b Niceph. l. 8. c. 18.
c Liberat. Breu. c. 10.
d Acta Cōcilij Chal.
e Quinta ſyn. act. 1. & Iuſtiniani nouella 42.
f Acta 6 ſynodi Act. 11.
g Theoph. Epiſt. Paſc. 2.
h Soc. l. 6. c. 9.
i Act. 6. ſy. Act. 11.
k Ioan. Diac. in prologo vitæ Greg.

XIV. Iandiu vero cenſura & Iudicium librorum totū ad neſcio quod tribunal Inquiſitionis, ac præſertim Romanæ eſt redactum; in quo abſq; diſcuſſione, nulla petita, nulla reddita ratione, non auditis Autoribus, ipſorum libri damnantur: non quidem per regulas iam memoratas, ſed ex humanis duntaxat Conciliis; vbi libros vident cum debita Chriſtiana libertate Romanorum articulorum falſitates aperire, artes deregere, veritatem Catholicam ambitioni & auaritiæ Romanenſium contrariam tradere. Ac ne fideles populi Papæ ſubiecti, oculos aperiant, puram diſcant veritatem, & ſuorum decipulas cognoſcant magiſtrorum, libros maxime Catholicos, & ex omni parte orthodoxos, hæreticos eſſe clamant, & ab eis auertunt lectores, quos omnino cæcos eſſe volūt, ne poſſint dolos & artes perſpicere, quibus miſeri populi ludificātur. Ego ſane, quod ſpectat ad hoc meum *De Rep. Eccl.* opus, tam rigide, tamq; ſeuere Pariſiis à pauculis Theologaſtris, Coloniæ à Papæ neſcio quibus Paraſitis, Romæ ab illo ſupremo Inquiſitionis officio hæreſis damnatum, veris Eccleſiaſticis regulis examinandum iam, ſubieci, & denuo ex animo libentiſſime ſubiicio. Quicquid per haſce regulas in eo falſum, erroneū, diſtortum, ac in fide Catholica nutans inuentū fuerit; id ego quoq; damnabo, & me erraſſe ſpōte profitebor, erroremq; corrigam, & emendabo. Dicentibus vero duntaxat ad modum oraculi, vel in genere librum eſſe hæreticum, vel illud ac illud dictū in ſpecie eſſe hæreſim, aut ſapere hęreſim, aut alia graui cenſura notandum, non credam, niſi probent & oſtendant per iam aſſignatas regulas, me in fide erraſſe. Aut ſi non has, ſed alias velint ſequi regulas, has prius infirment, & ſuas firment, rationabiliter enim conuictus ſemper veras Eccleſiæ regulas ſequar. Noui tamen iam noſtræ Romanæ curiæ morem, vt. vbi neque ſcit, neque poteſt re-

XX. Concilium Carthaginenſe, vocatum quartum, canonem habet eiuſmodi. *a Vt Epiſcopus gentilium libros non legat: hæreticorum autem pro neceſsitate & tempore.*] Igitur ad Epiſcopos prohibitiones iſtæ extendi non intelliguntur. Hieronymus de lectione librorum hæreſibus infectorũ, hæc habet: *b Ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Eccleſiaſticos Scriptores Græcos pariter & Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemuſq; contraria, iuxta Apoſtolum dicentem. Omnia probate quod bonum eſt tenete. Cæterum qui vel in amorem eius nimium, vel in odium ſtomachi ſui prauitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico ſubiacere: Væ ijs qui dicunt bonum malum, & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum, nec enim propter doctrinam eius, praua ſuſcipienda ſunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, ſi quos commentarios in Scripturas ſanctas vtiles edidit, penitus reſpuendi ſunt. Quod ſi contentioſum inter ſe amatores eius, & obtrectatores funem duxerint, vt nihil medium appetant, nec ſeruent modum, ſed totum aut probent, aut improbent, libentius piam ruſticitatem, quam doctam blaſphemiam eligam.*] Sicut Origenes ſupra, ita & Hieronymus nunc, & inferius Hormiſda lecturæ librorum hæreticorum applicat regulam illam Pauli, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*, non ergo erat ratio. Bellarmino reſiſtendi, ne regula illa huc inſeruiret.

a Concil. Carthag. 4 c.16.
b Hier. ep. 76.
c Bellarm. vbi ſupra.

XXI. Hormiſda Romanus Pontifex de libris Fauſti requiſitus reſpondit, *d Neq; illum, neq; quemquam, quos in autoritate patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præiudicium comparare; Fixa ſunt à Patribus quæ fideles ſectari debeant inſtituta: ſiue interpretatio, ſeu prædicatio, ſeu verbum populi ædificatione compoſitum; ſi cum fide recta, & doctrina ſana concordat, admittitur; ſi diſcordat, abolетur. Vnum eſt fundamentum, extra quod qualibet fabrica ſi conſurgit infirma eſt: ſuper illud quiſquis ædificat ſeu vilia, ſeu precioſa conſideret. Errat autem à via, qui ab eo, quod Patrum electio monſtrauit, exorbitat; nec tamen improbatur diligentia per multa diſcurrens, ſed animus à veritate declinans. ſæpe de his neceſſaria prouidetur, de quibus ipſi æmuli conuincantur, inſtructio Nec vitio dari poteſt noſcè quod fugias, atq; ideo non legentes incongrua in culpam veniunt ſed ſequentes. Quod ſi ita non eſſet, nunquam Doctor ille gentium acquieuiſſet nunciare fidelibus, omnia autem probate, quod bonum eſt, tenete, non abs re eſt, etſi mundanum, non tamen à ratione diſcretum miſcere ſermonem. Fertur quidam nobilis arte pingendi, cum equum penicullo vellet explicare perfectum, Aſellum ſibi profuiſſe, pingenti, aſſerens, non vt iumentum imitaretur informe ſed ne in alicuius informis lineamẽti ſimilitudinẽ lapſus incideret. Non improuide veneranda Patrum ſapientia fidei poſteritati, quæ eſſent catholica dogmata definit, certa librorum, & iam veterum in authoritatem recipienda, ſancto ſpiritu inſtruente præfigens, ne opinioni ſuæ lector indulgens, non quod ædificationi eccleſiaſticæ conueniret, ſed quod voluntas ſua concepiſſet aſſereret.*] Prodeſſe itaque ſapienti & orthodoxo viro multum, ac nihil obeſſe lectionem librorum hæreticorum cenſuit Hormiſda; ſicut inſpectio aſelli prodeſt pictori equum pingenti, vt deformitates illas non imitari, ſed euitare poſſit, ideo lectionem malorum librorum laudat potius, quam reprehendat, cum ſint orthodoxo lectori regulæ certæ & tutæ, quibus malis libris omne virus facile poſſit adimere.

d Hormiſ. ep 67.

XXII. Fatetur igitur Bellarminus *e potuiſſe Dionyſium, & Theophilum vtrunq; Alexandrinum, nec non Hieronymum qui ſemper Doctiſsimus eſt habitus, ſuo iure omnes libros legere: & modo etiam*, ait, *concedi Epiſcopis, & aliis multis lectionem librorum hæreticorum.*] Sed ſi illi vel Epiſcopi, vel alij viri docti non Epiſcopi, qualis erat noſter Hieronymus, ſuo iure potuerunt legere libros hæreticos, cur nunc Epiſcopi itidem, & alii viri docti expectent licentiam & conceſſionem? Cur etiam modo his ſuo iure non datur vti? Non dicam in hæreticorum libris legendis, ſed eorum qui ſe orthodoxos eſſe totis viribus conantur oſtendere, quique rogant, & obſecrant, vt ipſorum libri à viris doctis catholicis, ſub omni rigoroſa cenſura, perlegantur, paratoſque ex ſincero corde ſe exhibent errores, ſi quos incurriſſe conuincantur, omnes corrigere & emendare? Ego, quoad meos libros, Deũ immortalẽ teſtor, me vehementer cupere, vt ſi à recta veritatis via in ipſis deflexero, monear amice, & ſimul docear: ſed qui me docere neq; ſcit neq; poteſt ab importunis monitionibus prorſus abſtinear, quales fuerunt hactenus aliquot ſtultorum, qui vel inſcitia pleni, vel canes famelici in amicos gregis Chriſti, ipſi lupi facti, dentes ad morſus exacuerunt. Ego ne Sorbonam inuitaueram, vt per quatuor quinqueve è fæce ſua, tanquam ex tripode propoſitiones meas damnaret; an potius, vt exacta cenſura meam doctrinam excuteret, & veritatem oſtenderet, meaque argumenta, ſi fallacia ſunt, ſolueret, & euerteret fundamenta? Idem dico de facultate Colonienſi, cuius cenſura, quàm in meos libros edidit, nonniſi in latrinis eſt operi adhibenda. Si ſunt pugiles, ſi athletæ, brachia & neruos intendant; ſi ſunt fœminæ, & deliræ anus, agant, vt cœperunt, inanibus verbis, & eo quo digni ſunt loco habebuntur. quid ſibi itaque vult tam ſeuera vtriuſque poteſtatis aduerſus meos libros ſub pœnis prohibitio? Cur ſuo iure Epiſcopi, & viri docti vti non permittuntur? quorſum exactiſſima illa cura Pontificis per ſuos ſatellites inquiſitores, Nuntios Apoſtolicos, Epiſcopos, Prælatos, Principes, Magiſtratus, ne libris meis, etiam ad Epiſcopos ipſos, & Theologos doctos nedum ad vulgus; imo ad hos vel maxime vllus pateat acceſſus? Hoc profecto nil aliud eſt, niſi Pontificem, & ipſius pugiles conſcios eſſe ſuæ imbecillitatis, ac optime noſſe, ſe malam cauſam fouere, me bonam; ideoque congreſſum eſſe vitandum, in quo ſuccumbendum ſibi eſſe non dubitent.

e Bellar. de Laicis. c. 20.

Huc ſpectat illa tam exacta, ac exquiſita tot indicum librorum prohibitorum, ac expurgatoriorum confectio, nimirum ne in miſera cæcitate tot næniarum Romanarum in doctrina fidei iacentibus, lux vlla veritatis poſſit, ne per rimulas quidem anguſtas, oboriri: ſpes, & metus Papatum egregie ſuſtentant, ſed cæcitas doctiorum illum vel maxime tutum reddit. Hæc ſola ſi tolleretur, nec à multis, ſed à paucis, doctioribus tamen & ingenio pollentibus, ac conſcientia ſaniori prędiris, breui profecto Eccleſia ſub iugo gemens caput erigeret, & ſe in priſtinam ac ſibi debitam libertatẽ ſua ſponte vindicaret. Vis hæc ingens, nolo dicere Tyrannica in nouis libris omnibus, ſi qui, vel minimum, quid de veritate diſſerunt ſupprimendis, veteribuſque, ſub prætextu expurgationis, corrumpendis, mirum profecto quod oculos multorum non aperiat; ſatiſque ſignificet arte, non veritate; vi, non doctrina; dolis non argumentis Papatum, & Papiſmum ſuſtentari. Gloriantur tantopere noſtri Romanæ Eccleſiæ propugnatores, ſeu potius Romanæ curiæ ſatellites, Illuſtriſſimos, & Reuerendiſſimos D.D. Cardinales hinc Bellarminum, hinc XXIII.

Baronium proteſtantibus os obturaſſe, ita vt ne mutire quidem amplius audeant, aut poſſint. Sed interim quicquid virium eſt in Papatu, id totũ expromitur, ne libri & Bellarminum & Baronium confutantes, in Catholico-Romanorum oculos incurrant. Si noſtri illi Coriphæi non ſatis hiſce libris impugnantur, cur eos legi à doctis non libenter patitur beatiſſimus, vt in veritate melius ipſi lectores cõfirmentur, vbi nullius momenti viderint impugnationes? Si autẽ pugiles ſuos illos eximios videt ſcriptis hiſce proſtratos, cur de moderatione, & expurgatione ſuæ doctrinæ non cogitat, quæ ſua falſitate totam turbat eccleſiam; & pacis ac vnionis rationes, ac vias non ſtudet inire, cum tanta Chriſti Domini gloria, & eccleſiæ Catholicæ tranquillitate, ac incremento? Deus nobis omnibus oculos, ipſi vero ſummo Pontifici cor aperiat. Vt quicunque in errore eſt, ab errore reſipiſcat, & veritatem puram toto corde amplectatur.

XXIV. De recipiendis hæreticis eadem ratio, quæ & de damnandis, vt qui abiectis erroribus & ſana doctrina recepta ad Catholicam redeunt, illi ab ijs recipiantur, à quibus damnati fuerunt, aut ab alia Synodo, prout ei oportunum fuerit, qui ſe in Catholicam recipiendum curat. Baronius tamen ſæpius ſatis inſulſe inculcat *a ſolius Apoſtolicæ ſedis iuris eſſe pœnitentes hæreticos recipere in eccleſiam.*] quia aliquando videt hæreticos aliquos fuiſſe ab ea ſede pœnitentes receptos quod non negamus. Vnaquæque enim eccleſia ſicut poteſt ſuam communionem alicui ex cauſa, præcipue hæreſis, negarẽ, ita eandem poteſt viſa reſipiſcentia, reſtituere. Quamuis mos eſſet, vt alias obſeruaui, vt ab vniuerſa Eccleſia in communionem reciperentur, qui Romanæ Eccleſiæ communionem obtinuiſſent. Nos lib. 4. cap. 9. num. 16. Plenæ porro ſunt eccleſiaſticæ hiſtoriæ hæreticorum ab aliis quoque ſedibus, vel ſynodis, receptorum; Et in Concilio ſecundo generali Theodoſius Imperator ſtatuit, *b* Vt illi in communionem Eccleſiæ vniuerſalis reciperentur, qui à primatibus prouinciarum approbarentur: ibique plures nominat; & quia de oriente loquebatur, Romanum ne nominauit quidem. An non *c* Concilium Palæſtinum Pelagium palinodiam ficte recinentem, in communionem recepit? Et hæc nouerat, ac ſcripſerat Baronius; & tamen poſtea negauit à quoquam recipi hæreticos pœnitentes, præterquam à ſola ſede Apoſtolica: Atque interdum ſi vel Patriarcham Conſtantinopolitanum, vel alium videt hæreticos reconciliare, id ſtatim virtute *d* legationis Romanæ factum comminiſcitur; quando ei de legatione nihil conſtat. Hoc eſt fœde, & indigne paraſitari. Ad alia properemus.

a Baron. to. 6 an. 458. n. 13. & 478. n. 16. &c.

b Sozom. l. 7 c. 9. & C. Theod. de fide cathol l. 3.

c Aug. Retract l. 2. c. 47. & cont. Iulia. l. 1. c. 5.

d Baro. vbi ſupra.

CAPVT VIII.

In ſuadenda aut conſeruanda fide Catholica, vim externam non eſſe adhibendam.

SVMMA CAPITIS.

Actus interni non ſunt ſub iuriſdictione coactiua. num. 1.
Liber eſt homo ad fidem ſuſcipiendam & retinendam n. 2.
Ad fidem neminem eſſe cogendum docent Patres, & doctores, à num. 3. ad n. 18. Ne deſertores quidem. n. 19. 20.
Pœnæ temporales in hæreticos, & ſchiſmaticos ex quatuor cauſis aliquando ſunt iuſtæ: non alias à n. 21. ad n. 24.
Eccleſia tamen propria autoritate nihil poteſt pœnis temporalibus. n. 25. Ideo officium Inquiſitionis eſt cum graui Principum præiudicio, & fidelium iniuria n. 26. 27.
Aduerſa argumenta proponuntur, & ſoluuntur. à n. 28 ad n. 36.
Bellum pro religione vtrinque iniuſtum. n. 37. 38.
Libertas conſcientiæ quatenus permittenda. n. 39 40.

HAC de re in præcedentibus meis tractatibus fuit ſæpe aliquid dicendum, ſiue vbi de propria Eccleſiæ poteſtate agebam, quæ tota ſit duntaxat ſpiritualis, & ad ſola ſpiritualia ſe extendat, vt lib. 5. c. 1. coactionemque nullam eam habere oſtendebam, Ibid. c. 2. Siue vbi gladium materialem, ne pro Chriſti quidem cauſa exerendum eſſe probabam, vt lib. 6. cap. 8. ſiue vbi poteſtatem temporalem in Reges & regna, Eccleſiæ auferebam, vt lib. 6. cap. 10. ſiue vbi aliæ ſimiles occaſiones ſeſe mihi de his aliquid innuendi obtulerunt. Sane Petrus dum ferreo vtitur gladio, auriculas detruncat: hoc eſt, ſi Eccleſia ad conuerſionem gentilium, vel hæreticorum vi vtatur, peius facturam: Nam illi inde auriculis priuantur fiuntque obſtinatiores; nec volunt audire veritatem. Hic tamen cum ſit proprius huius quæſtionis locus, tota mihi hic paucis illa eſt percurrenda & abſoluenda. Et quidem ſolidum, ex quo ſolutio huius quæſtionis pendet, fundamentum; eſt primum ipſa natura rei: Deinde Scripturarum autoritas: tum vero Patrum conſenſus, cum antiquo demum eccleſiæ puræ vſu, & praxi. Fides in actu interno tota conſiſtit; actus vero interni à nulla poteſtate externa præcipi aut imperari poſſunt, vt tota fatetur fidelium ſchola: Ergo ad tales actus nulla poteſtas poteſt cogere, ſiquidem eos nulla poteſt

præci-

præcipere. Similiter actus fidei, eſt actus non ſolum de ſe internus, ſed etiam maxime liber, & affectum liberæ voluntatis neceſſario requirens, ita vt nulli ſubſtet coactioni; quo fit, vt ne Deus quidem poſſit cogere hominem, vt etiam ſi nolit, vel inuus velit, Tunc enim ſimul contradictoria eſſent, velle & non velle. De neceſſitate nunc nihil dico, de ſola coactione ſermo eſt. Scriptura quoque huius libertatis plena eſt. *a Propoſui vobis vitam, & mortem, elige ergo vitam, &c.*] *b Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, &c.*] *c Voluntarie ſacrificabo tibi.* *d Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.* *e Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* *f Orate pro perſequentibus vos.* *g Non dominamur fidei veſtræ.* Innumerabilia ex Scriptura ſimilia ſuppetunt teſtimonia, quæ etiam quoad credendum & bene viuendum, plenam cuique homini relinquunt libertatẽ, & patienti tolerantia, non violenta reſiſtentia fidẽ conſeruandam eſſe præcipiunt.

a Deut. 30. 19.
b Ioſue 24. 15.
c Pſ. 53. 8.
d Pſ. 94. 8.
e Matt. 23. 37.
f Matt. 5. 44.
g 2 Cor. 1. 23.

II. Sed Bellarminus ab hoc nos fundamento conatur retrahere: *b* diſtinguit enim liberum dupliciter, vt vnum liberum ſit, quod non habeat obligationem; alterum quod ſit contrarium neceſſario; *Et ſane quoad ſecundum*, inquit, *quicunque peccat, libere & non neceſſario peccat, & quia libere peccauit, ideo punitur. At vero quoad primum, fatetur infideles eſſe liberos ad ſuſcipiendam fidem, neque puniendos, niſi à ſolo Deo, ſi non recipiant; at vero qui iam per Baptiſmum fidem ſunt profeſſi, non ſunt liberi ab obligatione, neque iuris Diuini, neque humani, Ideo cogi debent, vt eam ſeruent obligationem.*] Reſpondeo hanc obligationem, quoad ius humanum non poſſe oſtendi, nec probari. Baptizatus tamen nullam vnquam nec tacitam, nec expreſſam emittit ſponſionem, aut in ſe ſuſcipit obligationem humanam, & quæ iuris ſit humani. Totum enim hoc negotium eſt ſpirituale, & in ſpiritualibus, ergo inter ſolum Deum, & animam illud tranſigitur, & baptizatus ius acquirit ad omnia bona Eccleſiaſtica, quæ omnia ſunt duntaxat ſpiritualia, Eccleſia vero nullam in eum acquirit iuriſdictionem, humanam præſertim & temporalem: Quare neque in eum poteſt quicquam humanitus, & temporaliter. Multo minus Princeps temporalis, cui ex rebus ſpiritualibus nihil iuris temporalis acquiritur. quod ſi ſpiritualia ad opus externum exeant, tunc iam propter opera externa iuriſdictioni externæ ſubijcietur baptizatus. Igitur ſi fiat hæreticus, & declaret etiam ſe eſſe in ea ſententia, quæ ſit iudicata hæreſis, deeſt quidem ſuæ obligationi erga Devm, ſed erga homines non deeſt; quia humanam nullam ſubijt obligationem. Eijcietur quidem ex Eccleſia, ſed hæc non eſt humana nec temporalis ſed diuina & ſpiritualis pœna. Et hæc in ſequentibus melius explicabuntur. Iam ergo videamus quid in hoc genere Patres ſcripſerint; ab eis Chriſti Domini hac de re ſententiam, & Apoſtolicam veram prædicationem, ac proinde Eccleſiæ puræ, & incorruptæ ſenſum cognoſcamus.

b Bellar. de laicis. c. 22.

III. Ignatius, *i* Cũ *eiuſmodi* inquit, *qui iuxta aliena præſcripta gradiatur, non commiſceamini, ne cum illo pereatis; quamuis pater ſit, quamuis filius, quamuis frater, quamuis domeſticus. Non parcet*, inquit, *oculus veſter ſuper eum. Oſores Dei & vos odiſſe oportet, & ſuper inimicos illius tabeſcere; non autem verberare, aut perſequi illos, vt faciunt gentes quæ ignorant Deum & Dominum; ſed pro hoſtib. habere tales, & ab ijs ſegregari: eos tamen cõmonefacere & ad pœnitentiam cohortari, ſi forte manus dent, monitíq; cedant. Clemens enim eſt Deus noſter, & omnes homines vult ſaluari, & ad veritatis agnitionem venire. Quapropter Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: cuius benignitatis cum vellet Dominus nos eſſe imitatores, inquit, Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*] Ignatio ſubdo Dionyſium Areopagitam, quicunq; ille ſit; Is enim eccleſiam Chriſtianam Phinees, & Eliæ zelum non putat decere, nam ſic Demophilum indiſcretum zelotem obiurgat: *k Quapropter conatus tuos, quos nemo imitari debet, non approbabimus, ne ſimiles quidem Phinees. & Eliam repetas. Hæc enim audientes Ieſu, diſcipuli, qui tum clementis benignoq; ſpiritu carebant, minime placuerũt. Namque noſter etiam diuiniſ. præceptor, in manſuetudine docet eos qui Dei doctrinæ aduerſantur. Doceri enim ij qui ignorant, non ſupplicio affici debent; quemadmodum etiam cæcos non punimus, ſed manu ducimus.*]

i Ignatius epiſt. ad Philadel.
k Areop. ep. ad Demophil.

IV. Tertullianus. *l Humani iuris & naturalis poteſtatis eſt vnicuiq; quod putauerit colere, nec alij obeſt aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt cogere ad religionẽ, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi. cum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur. Ita & ſi nos compuleritis ad ſacrificandum, nihil præſtabitis Dijs veſtris: ab inuitis enim ſacrificia non deſiderabunt, niſi ſi contentioſi ſunt, contentioſus autem Deus non eſt.*] Idem etiam pulcherrime docet *m* potuiſſe Chriſtianos tunc ſe ſuamque religionem, etiam apertis viribus & armis ferreis tueri, ſed non licuiſſe, vt vidimus lib. 6. c. 9. n. 8.

l Tertull. ad Scapul.
m Idem Apologet. c. 37.

V. Conſtantinus magnus liberam à gẽtilibus fidẽ, non coactam quæſiuit, illius ſermo talis fertur: *n Inter diuina & humana ſeruitia hoc intereſt, quod humana ſeruitia coacta ſint, diuina autem voluntaria comprobentur. Deus enim qui mente colitur, & ſincero hominis veneratur affectu ſpõtanea eius debet eſſe cultura. In hoc enim apparet, quia Deus verus eſt, quod per tanta ſecula contemptoribus ſuis non iratus finem impoſuit, ſed propitium ſe etiam, qui coli debeat, demonſtrauit, indulgendo crimina, & ſalutem animabus & corporibus conferendo. Sit ergo omnibus notum non neceſſitate coactos, ſed ſuo iudicio liberos poſſe fieri Chriſtianos, nec humanum metuentes imperium ad Dei culturam accedere aliquos oportere, ſed rationabili conſideratione magis rogare, vt Chriſtianorum numero applicentur ab iis qui huic ſacratiſſimæ legi deſeruiunt. Iuſtum etenim vtrumque conſpicimus, vt ſicut petentibus culpa eſt, ſi negetur, ita non petentibus ſi tradatur, iniquum. Sed nec hoc aliqui metuant, quod à noſtra gratia diuellantur, ſi Chriſtiani eſſe noluerint, Noſtra enim clementia talis eſt, vt in bono opere nos imitentur. Vnde hoc conſiderandum eſt magis quod nobis adhærebũt in amicitiis, qui ſpontanei ad Chriſtianam legem venire voluerint.*] Libertatem eandem legibus etiam datis *o* explicauit. In quibus illud inter cætera habet; *p Aliud eſt enim certamen pro immortalitate ſponte ſuſcipere, aliud ſupplicii metu cogi.*]

n Acta Sylu.
o Apud Euſeb. vit. Conſt. l. 2. c. 47.
p Ibid.

VI. Athanaſius ait; *q Diabolus, quia nihil veri habet, in ſecuri & aſcia inuadens concutit fores eorum, à quibus recipitur. Saluator contra manſuetus eſt. Si quis*, inquit, *vele me ſequi, & eſſe diſcipulus meus; docet que ſe, cum ad quẽpiam venit, non vi inſtare, ſed potius pulſare ac dicere r Aperi mihi ſoror mea ſponſa; quod ſi aperiant, intrat: Sin grauentur aut nolint aperire, abſcedit. Non enim gladiis aut iaculis, aut militari manu veritas prædicatur, ſed ſuadendo & conſulendo.*] Item ibidem aliquanto poſt; in violentos Arianos ſic exclamat: *O nouam hæreſim ſceleribus, & impietatibus Diabolũ totum quantus quantus eſt induentẽ. Nunc primum hoc genus mali extare capit: antea. n ſi qui de hæreſi cogitarent, cogitatus ſuos ſenſuſq; abdebant; nunc autem Euſebius & Arius, veluti ſerpentes è cauernis ſuis progreſſi virus impietatis ſuæ ſectæ palam euomunt, quorum hic blaſphemandi aperte audaciam ſuſcipit, ille vero blaſphemum populum defendit. Sed non prius eum defendere potuit, quam vbi Cæſarem blaſphe-*

q Athan. ep ad Solitar.
r Cant. 5. 2.

blaſphemiæ propugnatorem reperiſſet. Patres contra orbis concilio coacto, congregatiſque plus minus trecentis Epiſcopis Arianam hæreſim condemnauerunt, oſtenderuntq; eam alienam peregrinamq; eſſe ab eccleſiaſtica fide. Propugnatores vero huius ſectæ videntes ſe improbo agere, & nihil pro ſe habere, quod rationi conſentaneum ſit, aliam viam excogitarunt, & per potentiam ſæcularem eam defendere inſtituerunt. Qua in re magnopere admireris inſolentiam malitiamq; iſtius inuenti, & quantopere ſuperet alias hæreſes. Siquidem aliarum hæreſum inſtituta in perſuaſibilitate verborum inſaniam ſuam conſtitutam habent, ad ſimpliciorum circumuentionem, & Ethnici, vt inquit Apoſtolus, ſublimitate, & ſuadela verborum, & ſophiſmatibus veriſimilibus diſceptationes ſuas inſtruunt; Iudæi vero, omiſſis ſcripturis, vt Apoſtolus ait, fabulis, & genealogiis decertant. Manichæi vero & Valentiniani, cæteriq; alii ſuis fictis rationibus ſacras literas cauponantes adulterantesq; nænias adferunt. Ariani autem cæteris proteruiores alias hæreſeos ſorores ſuas ſe multo minores declarant, cum longe maiori impietate vtantur, quod dictum eſt, omneſque & in primis a Act. *Iudæos ſcelere improbitateque æmulantur. Vt enim illi a Paulum, quem de obiectis criminibus vincere non poterant, ſtatim eum ad Tribunum & Præſidem adduxerunt. Ita quoq; & iſti in dies plura excogitantes, non niſi iudicum poteſtate vtuntur; & vbi quis vel ſemel illis contradixerit, ad præſidem & ducem rapitur. Cæteræ porro hæreſes demonſtrationibus conuictæ ab ipſa veritate tacite obmuteſcũt, nihilque agunt, niſi quod de conuictione ſua erubeſcunt. Noua autem iſta & execrabilis hæreſis, cum rationibus ſubruitur, cum ipſa veritate pudefacta concidit. Quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribuſq; ad ſe pertrahere annititur; atque vel ita ſe ipſamq; nam non ſit pia nec Dei cultrix, manifeſtat. Piæ enim religionis, vt dixi, proprium eſt, non cogere ſed ſuadere. Siquidem Dominus non cogens, ſed libertatem ſuam voluntati permittens, dicebat quidem vulgo omnibus. Si quis vult venire poſt me: Apoſtolis vero, Num & vos abire vultis.*] Hæc Athanaſius morem ab Arianis introductum auerſatus, vt vi & nece ſuam fidem perſuadeant. Quem morem Curia Romana ab Arianis arreptum iam diu ſeruat. *Sed piæ religionis*, ait Athanaſius, *proprium eſt, non cogere ſed ſuadere.*

VII. b Optat. cont. Parmen. l. 2. Parmenianus Donatiſta hæc obijciebat Catholicis. b *Neque enim Eccleſia dici poteſt, quæ cruentis morſibus paſcitur, & ſanctorum ſanguine, & carnibus opimatur.*] Optatus Epiſcopus Mileuitanus dictum hoc non reprobat; agnoſcit enim id eſſe veriſſimum, ſed negat Catholicos talibus carnificinis delectari, & oſtendit illos in Catholicorum ſanguinem plurimos & ſæpiſſime ſæuiiſſe.

VIII. Gregorius Nazianzenus conſiderabat aliquando mutationem religioſam mentium humanarum à ſimulacris ad legem, & à lege, ad Euangelium non ſtatim, atque vnico conatu, & impetu factam c Nazianz. de Theol. lib. 5. eſſe, ſed ſenſim & paulatim. c *Et id, cur?* inquit ac pergit. *Nam hoc ſcire refert, vt ne vi traheremur, ſed ſuaſu duceremur. Quicquid enim coactum eſt, diuturnum non eſt: id quod exemplo ſuo indicant vel fluctus ſi vi reprimantur, vel planta ſi præter ingenium ſuum flectatur. Voluntarium autem quod eſt, tum diuturnius eſt, tum etiam tutius. Et illud quidem eſt cogentis, hoc vero noſtrum: tum hoc æquitatis diuinæ, illud autem tyrannicæ poteſtatis. Non igitur conuenire putabat, vt inuitis benefaceret, ſed vt volentibus commodaret.*] Et in Carmine de vita ſua idem repetit, aitque.

Suadere quippe eſt æquius, quam cogere:
Magiſq; nobis conuenit, & illis item
Sociare ſummo nitimur quos numini.
Nam quod coactus, perque vim quiſquam facit,
Neruis vt arcus vinctus, & firma manu:
Aut curſus amnis vndique arctatus, ſtatim
Datur vt facultas, priſtinam vim deſpicit:
At ſponte quod fit, durat in cunctos dies,
Amoris vt quod vinculum ſtringat tenax.]

Atque hoc nomine laudat Theodoſij imperatoris prudentiam: de illo enim hæc ſubdit,

Hac ille, opinor, cogitans, nulli grauem
Metum inferebat, leniter cunctos trahens,
Cuiuſque mentem liberam lege & ſinens.

& ſane ſermo eſt ibi de hæreticis non cogendis.

IX. Chryſoſtomus nec ſemel vrget illud Pauli, d *Non dominamur fidei veſtræ: ac oſtendit vt nihil eſſe ab inuitis extorquendum*, vt vidimus in ſuperioribus lib. 5. d 2. Cor. 1. 23. cap. 2. num. 13. Affert idem Pater & illud Pauli, e e 2. Tim. 2. *Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati: Si quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.*] Atque his illud addit. f *Extende ſagenam charitatis, vt non ſubuertatur claudus, ſed potius ſanetur. Oſtende, quod magna affectione bonum proprium cupias facere commune.* f Chryſoſt. Serm. de anathem. *Affer dulcem eſcam compaſſionis in hamo, & ſic Scripturæ profunda, atque ex imo perditionis extrahe eum, qui ſenſu deſcenderat, quod ex anticipata opinione, vel ex inſcitia bonum exiſtimabatur: doce quam ſit alienum ab Apoſtolica traditione; & ſi quidem hoc boni conſulere voluerit homo, qui prius errore infectus erat, iuxta vocem Prophetæ, & ille viuet vita, & tu animam tuam liberabis, ſi autem reſpuit ſermonem, vtpote contentioſus, tu conteſtare, ne reus fias; tantum enim longanimitate, & ſuauitate vti tibi licet, vt ne animam eius de manu tua Iudex requirat. Ne odio habeas, ne auerſeris, ne perſequaris, ſed ſynceram & veram erga eum oſtende charitatem.*]

X. Hilarius. g *Deus*, inquit, *cognitionem ſui docuit potius quam exegit, & operationem cæleſtium admiratione præceptis ſuis concilians authoritatem, coactam confitendi ſe, aſpernatus eſt voluntatem.* g Hilar. orat. ad Conſtan. *Si ad fidem veram iſtiuſmodi vis adhiberetur, Epiſcopalis doctrina obuiam pergeret, diceretque. Deus vniuerſitatis eſt, obſequio non eget neceſſario, non requirit coactam confeſſionem. Non fallendus eſt, ſed promerendus. Noſtra potius, non ſua cauſa venerandus eſt. Non poſſum niſi volentem recipere, niſi orantem audire, niſi profitentem ſignare. Simplicitate quærendus eſt, confeſſione diſcẽdus eſt, charitate amandus eſt, timore venerãdus eſt, voluntatis probitate retinẽdus eſt. At vero quid iſtud, quod Sacerdotes timere Deũ vinculis coguntur, pœnis iubẽtur, ſacerdotes carcerib. continẽtur, plebs in cuſtodiã catenati ordinis cõſtricta diſponitur, virgines nudantur, ad pœnã ſacrata Deo corpora publico expoſita conſpectui, ad fructum ſpectaculi, & quæſtionis aptantur.*] Et alibi poſtquam exclamauit. h *Humana Deo non patrocinari, & ſuffragiis terrenis* h Ibi cont. Arian. & Auxen. *fidem non promoueri*, (quod vidimus lib. 6. c. 8. n. 13.) addit: *Terret exiliis, & carceribus Eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita: pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore: Fugat Sacerdotes, quæ fugatis eſt ſacerdotibus propagata: diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet.*] Hæc ille vt ſupra Athanaſius de perſecutione, quam Ariani prætextu defendendæ, ac amplificandæ Eccleſiæ, contra orthodoxos excitabant; quæ tamen perinde quadrant etiam in orthodoxos, ſi illi terrore, & carceribus Eccleſiam catholicam propagare conarentur.

XI. Ambroſius, i *Non virgas*, inquit, *in manu iubentur tollere Apoſtoli, ſic enim Matthæus ſcribendum putauit.* i Ambroſ. in Luc lib. 7. in c. 10. *Quid eſt virga, niſi proferendæ poteſtatis inſigne, & vlciſcendi inſtrumentum doloris: Ergo humilis Domini (in humilitate enim iudicium eius ſublatũ eſt) humilis, inquam, Domini præceptum, diſcipuli eius humilitatis officiis exequuntur.*

quuntur. Eos enim miſit ad ſeminandam fidem, qui non cogerent, ſed docerent, nec vim poteſtatis exercerent, ſed doctrinam humilitatis attollerent.] Et paulo poſt: At alibi habes, quia, cum Apoſtoli ignem de cælo petere vellent, vt conſumeret Samaritanos, qui Ieſum Dominum intra ciuitatem ſuam recipere noluerunt, conuerſus increpauit illos, & ait, Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius enim hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſaluare.]

XII. a Aug. con. epiſt. fundam. c. 1. & 2. Auguſtinus quoque idem Pauli dictum 2. ad Tim. 2. pro regula ſumit, & inculcat non eſſe contra Manichæos ſæuiendum: aitque. a Seruum autem Domini non oportet litigare, &c. Noſtrum ergo fuit velle has partes expetere: Dei eſt volentibus & petentibus donare quod bonum eſt. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt cum quo labore verum inueniatur & quam difficile caueantur errores. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt cum quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis vt poſſit intueri ſolem ſuum, non iſtum quem vos colitis cæleſti corpore, oculis carneis, & hominum, & pecorum fulgentem atque radiantem: Sed illum, de quo ſcriptum eſt per Prophetam, ortus eſt mihi ſol iuſtitiæ. Et de quo dictum eſt in Euangelio, Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illi in vos ſæuiant, qui neſciunt quibus ſuſpiriis & gemitibus fiat, vt ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæuiant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident.] Sæuitiam ergo ſiue in propaganda, ſiue in perpurganda fide, abominatur Auguſtinus.

XIII. b Sulp. ſac. Hiſt. l. 2. ad finem. Seuerus b Sulpicius vehementer in Ithacium Epiſcopum Hiſpanũ inuehitur, quod autor fuerit cædis Priſcilliani, & aliorum ſequacium hæreticorũ. quos licet propter hæreſes & alia flagitia luce indigniſsimos fuiſſe aſſerat, eos tamen peſsimo c Ibidem. exẽplo necatos fuiſſe plane affirmat. & tunc c Martinus Turonenſis à Principe ſponſionẽ elicuit, nihil cruentum in reos conſtituendum; non enim in hæreticorum cædem eccleſia conſentiebat. Sed reſpondet d Bellarm. de laicis c. 22. Bellar. d Ithacium à Sulpitio reprehendi, quia iudicium Eccleſiaſticum ad iudicem laicum detulerat; & quia accuſatorẽ in cauſa ſanguinis egerat.] Diſplicuerat quidem Sulpitio, quod Priſcillianum nondum in Concilio Epiſcopali hæreſis conuictũ & damnatum (quia interpoſita appellatione ille ſubterfugerat) ad Imperatoris tribunal Ithacius attraxiſſet, & non tam odio hæreſis, quam cupiditate victoriæ, vt ipſe Sulpicius aſſeuerat. Diſplicuerat etiam, quod accuſatorem egerit nõ ad comprimendã hæreſim, ſed ad ſupplicia extrema ex odio perſonarũ eliciẽda; nihilominus tamen etiã neces illas peſsimo exemplo factas conqueritur; non enim habebat exẽplum, quo actoribus viris eccleſiaſticis, ſanguis vel peſsimorũ hæreticorũ funderetur; & maluiſſet, vt Epiſcopale iudiciũ contra illos cauſam abſolueret, & damnatos ac depoſitos in ordinẽ redigeret, aut ad ſummũ, vt in exilium mitterentur, procuraret, non vt accuſatores, ſed vt pacis eccleſiaſticę apud Principem interceſſores. Bene enim ſciebat Sulpicius remedia ad corporaliter remouendos hæreticos, quando illis opus ſit eſſe à Principibus petenda, rogando, non accuſando, non iubendo.

XIV. e Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 52. Gregorius ad Ioannem Conſtantinopolitanum ſcribens hæc pauca, ſed ſenſata inſeruit, e Quod autem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene veſtra fraternitas nouit. Paſtores etenim facti f 2. Tim. 4. ſumus, non percuſſores, & egregius prædicator dicit: f argue, obſecra, increpa cum omni patientia, & doctrina. Noua vero, atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.]

Agatho Romanus Pontifex Imperatoris Conſtantini Pogonati pietatem in concordanda ſexta ſynodo generali laudans, imperialis linguæ gratiam exaltat; g Commouentis, non opprimentis: ſatisfacientis, non perterrentis: non affligentis, ſed exhortantis, & ad ea quæ Dei ſunt, ſecundum Deum inuitantis; quia & ipſe conditor omnium ac redemptor, cum poſſet in ſua diuinitatis maieſtate in ſæculum veniendo, mortales perterrere, humanitate magis ineſtimabilis clementia humiliter ad noſtra deſcendens, quos creauit dignatus eſt & redimere; qui & ſpontaneam de nobis veræ de ſe fidei confeſsionem expectat: quod & Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps commonet: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Chriſti, non coacte ſed ſpontanee, ſecundum Deum exhortantes.] XV. g In ſextâ Syn. gen. act. 4.

Petrus Damiani non immerito dictum illud Apoſtolicum tunc indiſcretum conſiderauit. h XVI. h Pet. Damiani epiſ. ad Firmianum.
quos cum Samaritæ, inquit, non receperunt; commoti Iacobus & Ioannes, humanitate dictante, dixerunt; i Domine, vis, dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat i Luc. illos ſicut Elias fecit? Mox conuerſus increpauit illos, dicens; neſcitis cuius ſpiritus eſtis: Filius hominis non venit perdere animas, ſed ſaluare. Vbi mox ſubditur; & abierunt in aliud Caſtellum, ac ſi non lingua, ſed opere loqueretur; Date (inquit,) locum iræ: vel potius quod ipſe dicit, ſi vos perſequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Vita plane quam Saluator noſter geſsit in carne, non minus quam prædicatio Euangelii nobis eſt propoſita, tenenda linea diſciplina. Sicut ergo ipſe cuncta mundi furentis obſtacula, non per diſtricti examinis vltionem, ſed per inuictam ſuperauit inconcuſsæ patientiæ maieſtatem; ita docet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quam vel arma corripere, vel lædentis læſionibus reſpondere.] Ac plura in hãc ferme ſententiam ex eiuſdem eadem epiſtola protulimus lib. 6. c. 8. n. 30.

Bernardus explicans illud ex Cantico. k Capite nobis vulpes paruulas; ad hæreticos quoque id ſpectare myſtice oſtendit, & ait: l Etſi iuxta allegoriam Eccleſias vineas, vulpes hæreſes, vel potius hæreticos ipſos intelligamus: Simplex eſt ſenſus, vt hæretici capiantur potius quam effugentur. Captantur dico non armis, ſed argumentis, quibus refellantur errores eorum: ipſi vero ſi fieri poteſt, reconcilientur Catholicæ, reuocentur ad veram fidem. Hæc eſt enim voluntas eius, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Hoc denique velle ſe prodidit, qui non ſimpliciter, Capite vulpes: Sed capite nobis, inquit, vulpes paruulas. Sibi ergo, & ſponſæ ſuæ; id eſt Catholicæ iubet acquiri has vulpes, cum ait: Capite eas nobis. Itaque homo de Eccleſia exercitatus & doctus, ſi cum hæretico homine diſputare aggreditur, illò intentionem ſuam dirigere debet, quatenus ita errantem conuincat, vt & conuertat, cogitans illud Apoſtoli Iacobi: quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Quod ſi reuerti noluerit, nec conuictus poſt primam iam & ſecundam admonitionem (vtpote qui omnino ſubuerſus eſt) erit ſecundum Apoſtolum deuitandus.] XVII. k Cant. 2. 15. l Bern. in Cant. ſer. 64.

Fatetur tamen ibidem Bernardus poſt tentatam humaniter & benigne rationibus, & argumentis hæretici conuerſionem, ſi pertinax permanſerit, non modo eſſe illum vitandum, ſed etiam effugandum. Ex hoc iam, inquit, melius (vt quidem ego arbitror) effugatur, aut etiam religatur, quam ſinitur vineas demoliri.] Et de hoc agam ipſe paulo inferius. Inſurgit porro multo poſt idem Bernardus in hæreticos ſui temporis, quorum pertinaciam deſcribit talem, vt mori potius vellent, quam à ſenten-

à ſententia demoueri, nam & populus in aliquos zelone, an furore percitus vſque ad eorum necem deſæuiit; Sed Bernardus id non potuit laudare, *a Approbamus*, inquit, *zelum, ſed factum non ſuademus; quia fides ſuadenda eſt, non imponenda.*]

a Ibi. ſerm. 66.

XVII. Merito ergo P. Ioſephus à Coſta in ſuis De procuranda Indorum ſalute libris, noſtris diebus, ſæpius inculcat, non vi, non armis eſſe agendum. *b Indi*, inquit, *à ſua ipſi ratione potiſſimũ, Deo intus agente, vincendi ſunt, & Euangelio ſubigendi; quos ſi per vim & poteſtatem Chriſto ſubiicere pergas, nihil aliud agas, quam vt à lege Chriſtiana alieniſſimos reddas.*] Præclare vero ſpeciali capite tractat, quantum officiat fidei violentia, quod totum, nam breue eſt, hic exſcribere non pigebit. Ait igitur: *c Sed præter hæc incommoda, ipſa fidei primordia ex multa nocendi licentia non mediocre damnum accepere. Atque vt ſtirps primis initiis nata peruerſe, & inflexe non facile mox vitium deponit, cum creuerit, ſed aut perfringi aut natiuo ſuo errori permitti debet, ita prorſus cum Indorum natio bellici apparatus potius authoritate, quam germana prædicatione magna ex parte initio Chriſtum acceperit, dubitare non poſſumus, quin animo conceptum metum, & ſeruilem conditionem non ingenue in filios Dei translata per regenerationem, adhuc retineat, ac rebus ipſis, vbi ſibi impune licere putat, oſtendat. Nihil enim ita fidei ſuſceptioni aduerſatur, atque vis omnis & violentia. Non enim eſt fidei niſi volentium, vt prouerbii loco ſit illud Auguſtini,* Cætera poſſe hominem etiam nolentem, credere non niſi volentem. *Quamobrem manſuetudo, & ſuauitas vel præcipue commendatur Euangelicis viris. Omnem* inquit, *oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.* Et alibi. *Cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſi quando Deus det illis pœnitentiam & reſipiſcant.* Et *Iacobus Apoſtolus monet in manſuetudine ſuſcipere inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. Quoniam ergo voluntarium eſt, ac liberum cuique obedire Euangelio, credendo, neque fides per vim extorta aliorum poteſt eſſe, quam Dæmonum, ſuauiter ac beneuole ducendus eſt, non protrudendus auditor. Hinc diuinus præceptor miſſurus ſuos ad Euangelizandum, exorditur. Ecce ego mitto vos, ſicut agnos in medio luporum. Ac vide Domini magnificentiam, ab agnis lupi ſuperati ſunt, ac depoſita feritate in eundem ſe gregem adiunxerunt. Quando obſecro ferocia potentium minus cederet? Quando orbis domaretur vi? Tacendo, tolerando, benemerendo de inimicis vicerunt Chriſti milites, non cædendo, non terrendo, non minitando. Quod ſi non receperint Euangelium, quid præcipis Domine? Iubentur ne ignem de cælo deſcendere? ruina tradent ciuitatem? Neſcitis*, inquit, *cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit perdere, ſed ſaluare. Quid ergo? ſi non receperint vos in iſta ciuitate? Ite in aliam. Quam benigne? quam dulciter? Itaque qui ſponte Euangelio cedunt, vere cedunt, fidem corde concipiunt, & ore confitentur, & fixi manent, & toti* Dei *ſunt, non partim in Deo, partim in Baal claudicantes, ſpecie & voce Chriſtiani, animo & re infideles. Id enim conſequatur neceſſe eſt, vbi contra naturam ſuam, contra Domini voluntatem, fides extorquetur inuitis.*]

b A Coſta in præfat.

c Idem l. 1. c. 13.

XIX. Concedent mihi noſtri omnes, vt puto, Inquiſitores, fidem iis infidelibus, qui nunquam crediderunt, abſque vlla adhibita vi, ſuadendam eſſe, non imperandam, non obtrudendam, non extorquendam, & de his doctrinã Patrum eſſe intelligendã, non vero de illis, qui ſemel fide ſpõte ſuſcepta, vel per hæreſim eam corruperunt, vel totam per Apoſtaſiam abiecerunt: Siquidem ſi iam facti ſubditi Eccleſiæ, Eccleſiaſticæ perpetuo ſubiaceant iuriſdictioni. Hanc tamen diſtinctionem nulli ex allatis Patribus agnouerunt, ſed vniuerſe erga quemcunque, ſiue prius crediderint, & poſtea deficientem; ſiue nunquã crediderint vim adhibendam eſſe negarunt; Nam & Scripturæ loca, quæ afferunt, & rationes quibus vtuntur, rem vniuerſe cõcludunt. Ac profecto Bernardus expreſſe contra hæreticos negat, vt vidimus, vi eſſe vtendum. Et Imperatores, vt mox videbimus, pii & prudentes, etiam aduerſus hæreticos, & ſchiſmaticos à violentia abſtinendum eſſe cenſuerunt. Sed neque diſtinctio hæc ratione ſubſiſtit. Quod enim de Principe diximus lib 6. c. 10. nu. 30. & ſeqq. ipſum per Baptiſmum, & fidei ſuſceptionem non fieri deterioris conditionis, quam eſſet adhuc infidelis; & temporalia ſua ipſum eccleſiæ nõ ſubdere, ſed ſolũ in ſpiritualibus iudicio eccleſiaſtico ſe ſubmittere, idẽ dicendum de quocunq; priuato, per Baptiſmũ & fidẽ ac per ingreſſum in eccleſiam, quo ad temporalia, quæ iuſte quis poſſideat, neminẽ fieri deterioris conditionis. Sicut igitur quiuis ante ſuſceptã fidem liber eſt naturaliter ad eam ſuſcipiendã, & ꝗ nõ ſuſcipiendã adeo, vt iuſte à nemine cogi poſſit, ita neceſſe eſt, vt poſt ſuſceptam etiam fidẽ eidẽ integra maneat ipſius libertas naturalis, ad fidẽ libere ſuſceptã, etiã libere deſerendã. Ita vt cogi non poſſit, nec iuſte debeat, ad eam reſumendam. Siquidem libertas illa eſt res temporalis & naturalis, qua ſe nemo ſpoliat, dum primum fidẽ ſponte amplectitur. Milites honorarii, & ſpontanei, qui abſq; ſtipendio alicui militiæ ſuum dant nomen, ſi deſerere velint militiam illam & ad propria redire, iuſte non poſſunt cogi, vt in ſuſcepta militia perpetuo perſeuerent. Deſertor fidei Deo quidem reddet rationem ſuæ deſertionis, & abuſus ſuæ libertatis, ſed nulli hominum eam reddere tenetur, quia nulli hominum, ſed ſoli Deo ſe deuouerat. Et hoc iudicium Deus ſibi ſoli reſeruauit; Itaque qui cogi non poteſt iuſte, vt amplectatur fidem, idem neque iuſte cogi poteſt, vt perſeueret in fide. Nonne docent omnes paſſim *d* Hæreticos non eſſe amplius in eccleſia? quid ergo eccleſiæ, vel Principi eccleſiaſtica curanti de iis *e* qui foris ſunt? videbat *f* Caſtro nihil negotii eſſe eccleſiæ cũ hæreticis iam ab eccleſia abiectis & conſequenter eos puniri non poſſe, ſi in eccleſia non ſint, propterea ex ſolo charactere illos fecit membra eccleſiæ quod eſt intolerabile.

d Bellar. de eccl. milit. c. 4.

e 1. Cor. 5. 12.

f Caſtro de iuſta hæret. pun. lib. 2. c. 24.

XX. Obiicient dictum Chriſti. *g Compelle eos intrare.* Reſpond. *h* Dominum per hæc verba ardens ſuum deſideriũ indicare, quod habebat ſuas delicias quã plurib. communicandi. Et hæc cõpulſio ad eos dirigitur, qui nondum fidem erant amplexi, quibus vim fatentur omnes non eſſe adhibendam. Compulſio tamẽ aliqua fuit per miracula, per aſſiduitatem, & conſtantiam prædicationis, per vitæ ſinceritatem & integritatem eorũ qui prædicarint, hæc enim magnam vim ſolent habere. Fateor Auguſtinum, vt conſiderat Ianſenius, hanc compulſionem etiã ad vim legum ſecularium, & vindictam Principum erga eos reducere, qui ſemel iam fidem ſuſceperunt. Sed in hoc Scripturæ ſenſu violenter ab Auguſtino agi, non negat Ianſenius, qui optime probat locum totum eſſe de primo infidelium in Eccleſiam ingreſſu.

g Luc. 14. 23.

h Ianſen. in ſuæ Cõcord. c. 91.

XXI. Moneo tamen, Principes Chriſtianos & Magiſtratus poſſe & debere legibus, & pœnis, etiam interdum capitalibus in hæreticos veros, & ſchiſmaticos inſurgere; atque hoc pluribus ex cauſis iuſtis, & honeſtis. Prima eſt cauſa politica, vt pacatam habeant Rempublicam, quæ hæreſibus & cõtrouerſiis religionis plurimum ſolet turbari.

Secunda

Secunda ex debito & officio proprio, quo Chri-
ſtiani Principes tenentur puram & intactam con-
ſeruare religionem; vt probaui ex Auguſtino, meo
lib.6.c.5.n.2.& n.141.143.162.167.& ſeqq.& ſæpe
in præcedentibus. Tertia, vt blaſphemias in Chri-
ſtum, & Deum auertant. Quarta, vt legum incom-
modis, & pœnarum flagellis terriri, ſi non cogan-
tur, inclinentur ſaltem ad veritatem amplecten-
dam, quod Auguſtinus plurimi fecit; Propter hoc
a Auguſ.i. n.etiã ſuam mutauit a opinionẽ, quæ erat, *vim hæ-*
ep.48 & *reticis non eſſe adhibendam*. Ex prima ſane cauſa, vbi
50. pax Reipub. iniuſte turbatur, iuſta redditur omnis
punitio, etiam capitalis; vt eſt manifeſtum; ſic con-
tra ſanguinarios Donatiſtas Circuncelliones Au-
b Aug.ep. guſtinus merito Imperiale brachium inuocauit: b
50. *Inſectamur*, inquit, *vi poteſtatis ſæcularis hæreticos, non*
quia fidem deſeruerunt. ſed quia illi Catholicos vſque ad ne-
cem perſequuntur.] Obſerua lector diligenter, Augu-
ſtinum optime nouiſſe hæreticos non eſſe pænis &
legibus inſectandos, ex eo duntaxat, quod fidem
deſeruerint. Hoc enim crimen gladio ciuili non
ſubſtat, ſed ſoli iudicio diuino reſeruatur. Sed ſi
hæreticus ſit pacificus, quietus, legibus ciuilibus
parens, hoc nomine nullis pœnis eſt afficiendus:
arctari quidem legibus à Principe & pœnis poſ-
ſunt ac debent, ne externa profeſſione, aut docen-
do, aut cultum diuinum ab eccleſiaſtico diuerſum,
per ſchiſma, & ſeparationem exerceant; ſed hoc
non eſt eos ad rectam fidem cogere, & ideo punire
c Concil. quia nolunt credere. Sic ex Concilio c Antioche-
Antioch. no d Pelagius, eos qui altare cõtra altare erigerent,
c.5. merito per ſeculares comprimendos curauit pote-
d Pelag.1. ſtates, vt poſuimus lib.6.c.4.num.77.& cap.5. nu-
ep.5. mero 173.

XXII. Ex ſecunda cauſa ſola, ſi prima non adſit contra
quietum & pacificum hæreticum, etiam conui-
ctum aut confeſſum, nihil poteſt Princeps; Nam
optime dicebat Auguſtinus, hæreticum non ideo
eſſe inſectandum, quia fidem deſeruit. Contra hũc
ſatis eccleſia fecerit, ſi illum à cœtu fidelium ex-
cludat, moneatque eſſe vitandum, quia tamen pe-
e 2.Tim.2. riculum eſt, *ne e ſermo illius ſicut cancer ſerpat*, non im-
17. probarim ſi ad cautelam in exilium à Principe a-
mandetur: quæ fuit pœna maxima aduerſus hære-
ſiarchas temporalis, vt cuique notum eſt: & verba
Auguſtini ſunt ad Gaudentium Donatiſtam: *Ille*
f Auguſti. *quippe*, f *Tribunus*, *ad quem loqueris non tale præceptum*
cont. Gau- *accepit, vt occidamini, ſed vt corrigamini; quod ſi nolueri-*
dent.ep.1 *tis, ne correptionem impediatis aliorum, in exilium mitte-*
l.c.3. *mini.*] Similia habet Auguſtinus in g ſuperioribus.
g Ibid.l.1. Quid ſi ſub eodem Principe Catholico plurimi
c.19. ſint, aut etiam maior pars hæreticorum? ob deſer-
tam quidem catholicam fidem puniri, cogi ſimili-
ter ad fidem non poſſunt neque debent, vt vidi-
mus: in exilium omnes pellere, & Principi damno-
ſum eſt, & in ſe iniquum: Damnum Principis eſt
carere ſubditis in ciuilib. ſibi plene ſubiectis, In ſe
iniquum, quia crimen hæreſis non eſt temporale,
temporali poteſtate puniendum; & priuare homi-
nes ſua patria, ſuo iure ciuium, ſuis bonis, vbi cri-
men non eſt temporali iuriſdictioni Principis ſub-
iectum, eſt ſumma iniuſtitia. Ideoque etiam leges à
Principe tales pœnas ob ſolum crimen hæreſis in-
fligentes latæ, ſunt penitus iniuſtæ, ac omnino re-
figendæ, niſi prima adſit cauſa; Cautela autem illa
iuſtæ præſumptionis de orthodoxis corrumpen-
dis, in hæreſiarchis, & doctoribus merito eſt reme-
dio exilij adhibenda: in plebe vero ſeducta illa lo-
cum non habet. Itaque ſat fuerit Principi impedire
externa hæreſis exercitia, in quæ ius habet; inter-
nam fidem attingere non poteſt. Sic enim merito
etiam gentilibus ſubditis Imperatores fana clauſe-
runt, & ſacrificia ſub h pænis etiam capitalibus in- h Aug con.
hibuerunt. ep. Parm.
l.1.c.7 &
Ex tertia cauſa poteſt & debet Princeps Catho- Martian.
licus omni pænarum genere, etiã capitalium ſæui- infra.
re, ne hæretici, ſchiſmatici, Ethnici quoq; aut Iu- XXIII.
dæi ſui ſubditi, Chriſti nomen blaſphement, & in
Deum externa voce aut opere ſint contumelioſi.
Merito igitur Iuſtinus Imperator i Seuero linguã i Niceph.
abſcindi iuſſit. l.17.c.2.

Ex quarta demum cauſa, ſi ſola adſit, magna XXIV.
opus eſt prudentia, magna cautela. Ante omnia
ſanguinariæ pœnæ nullum hic locum habere de-
bent; Maxime enim iniquum eſt, vt ſine grauiſſima
cauſa, ad gladium principis iure ipſo ſpectante,
ſanguis humanus fundatur; nec ſunt facienda ma-
la, vt eueniant bona. Incommodum aliquod pæ-
nale pecuniarium ac potius negatiuum, quam po-
ſitiuum, poſſet interdum eſſe vtile, vt ſic corrupti
ciues ad honores & dignitates non euehantur;
priuilegiis extraordinariis non muniantur, immu-
nitatibus ſibi ex iuſtitia non debitis, non perfruan-
tur, oneribus iuſtis grauentur, &c. Vt hinc ad veri-
tatem, voluntarie tamen amplectendam non co-
gantur, ſed moueantur. Legem imperialem laudat
Auguſt. quæ fuerat promulgata, k *Vt tantæ immani-* k Aug.ep.
tatis hæreſis Donatiſtarum. inquit, non tantum violenta eſ- 50.
ſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impune, non tamen ſuppli-
cio capitali. propter ſeruandam etiam circa indignos man-
ſuetudinem Chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis,
& in epiſcopos, vel miniſtros eorum exilio conſtituto.] l l Aug.con.
Theodoſius maior decem librarum auri pœnam Creſc.l.3.
in hæreticos ſtatuit. Talis eſt etiam ſacra Martiani, c.46.
innouans contra Eutychianos pænas prędeceſſorũ
Impp. m *Vt non habeãt, inquit. poteſtatem faciendi teſta-* m Poſt Cõ-
menti, & condendæ vltimæ voluntatis; neque id capiant, cil Chal-
quod ipſis ex teſtamento cuiuſquam fuerit derelictum; nihil ced.& C.
etiam ex donatione aliqua conſequantur: ſed ſi quid in ipſos de Apoſta.
vel liberalitate viuentis, vel morientis fuerit volũtate colla- l.vlt.
tum, id fiſco noſtro protinus addicatur. Ipſi vero in nullos
aliquid ex facultatibus ſuis donationis titulo, & iure trans-
fundant. Epiſcopos quoque vel presbyteros, aliosque clericos
illis creare, & habere non liceat, ſcientibus tam Eutychia-
niſtas, vel Apollinariſtas, qui auſi fuerint cuiquam Epiſco-
pi, vel presbyteri, vel clerici nomen imponere. quam hos qui
conati fuerint impoſitum ſibi nomen ſacerdotale retinere,
pænam exilij. & facultatum ſuarum amiſſionem ſubituros.
Eos vero, qui antehac catholicarum Eccleſiarum clerici, vel
orthodoxæ fidei monachi fuerũt, & relicto vero & orthodo-
xo omnipotentis Dei cultu, Apollinaris vel Eutychetis hære-
ſim & dogmata abominanda ſectati ſunt, vel poſtea ſecta-
buntur omnibus pænis, quæ vel hac, vel prioribus legibus ad-
uerſus hæreticos conſtituta ſunt, iubemus teneri, & extra
ipſum quoq; Romani Imperij ſolum pelli, ſicut de Manichæis
præcedentium legum ſtatuta ſanxerunt. Vniuerſi præterea
Apollinariſtæ, vel Eutychianiſtæ, non Eccleſias, non mona-
ſteria ſibi conſtruant, paraſynaxes, & conuenticula tam di-
urna quam nocturna non contrahant, neque ad domum,
neq; ad poſſeſſionem cuiuſquam, neq; ad monaſterium, neq;
ad quemcunq; alterius locum operatores ſectæ funeſtiſſimæ
congregentur. Quod ſi fecerint, & hoc factum fuiſſe, Domi-
no volente conſtiterit, poſt rem in examine iudicis approba-
tam, domus, vel poſſeſſio in quam conuenerint, fiſco ſine di-
latione ſocietur: monaſterium vero, eius ciuitatis orthodoxæ
Eccleſiæ in cuius territorio eſt, iubemus addici: Si vero igno-
rante Domino, ſciente vero qui penſiones domus exigit,
vel conductore vel procuratore, vel actore prædij para-

L ſynaxes

ſynaxes & conuenticula interdicta collegerint: conductor, vel procurator, ſiue actor vel quicunque eos in domum, vel in poſſeſsionem, vel monaſterium receperint, ac paſſi fuerint illicitas paraſynaxes, conuenſque celebrare, ſi viles & abiecta conditionis ſint, fuſtibus publice, & in pœnam ſuam, & in aliorum coerceantur exemplum. Si honeſtæ vero perſonæ ſunt, decem libras auri mulctæ nomine fiſco noſtro cogantur inferre. Nullum præterea Apollinariſtam, vel Eutychianiſtam ad aliquam iubemus adſpirare militiam, niſi ad cohortalinam, vel limitaneam. Si quis vero extra prædictam militiam inuenti fuerint militare, ſoluto cingulo honeſtorum hominum, & palatii communione priuentur, nec in aliqua quam in ea, in qua nati ſunt ciuitate vel vico ac regione, verſentur. Si qui vero in hac alma vrbe nati ſunt, tam ſacratiſsimo comitatu, quam omni per prouincias Metropolitana ciuitate pellantur. Nulli inſuper Eutychianiſtæ, vel Apollinariſtæ publice vel priuatim aduocandi cœtus, & circulos contrahendi, & hæretico more diſputandi, ac peruerſitatem facinoroſi dogmatis aſſerendi ſit facultas. Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonenſem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel ſcribere, vel edere atque emittere, aut aliorum ſuper eadem reſcripta proferre: nemo huiuſmodi habere libros, & ſacrilega ſcriptorum audeat monimenta ſeruare. Quod ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur. Eos vero qui diſcendi ſtudio audierint de infauſta hæreſi diſputantes, decem librarum auri, quæ fiſco noſtro inferendæ ſunt, iubemus ſubire diſpendium. Omnes vero huiuſmodi chartæ ac libri, qui funeſtum Eutychetis, hoc eſt, Apollinaris, fuerint dogma complexi a incendio concrementur, vt facinoroſæ peruerſitatis veſtigia ipſa flammis combuſta depereant.] Hæc omnia vel pœnas continent negatiuas contra infectos hæreſi, vel poſitiuas contra actus externos, qui omnes ſunt ſub Principum poteſtate. Imo in fine huius ſacræ Martianus pœnas haſce etiam in Paganos extendit, ne in Romano Imperio impios cultus & profanos ritus celebrent.] Et hoc laudat Auguſtinus, vt flagellis temporalibus hæretici & ſchiſmatici emendentur. Atque huc reſpexerunt leges Imperatoriæ aliquot: & quidem b Honorius contra Donatiſtas laicos pœnas indixerat pecuniarias, contra clericos exilium: Martianus tamen, qui ſimiles ſcripſit leges, vt vidimus, poſtea declarauit ſuæ intentionis non eſſe, vt propterea vis conſcientijs inferatur. Ait enim in alia ſua ſacra ad Hieroſolymitanos Archimandritas: c *Igitur noſtra clementia nulli penitus neceſſitatem præcepit imponi, quatenus aut ſubſcribat, aut conſentiat, ſi noluerit. Non enim terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis.*] Et tamen loquitur cum hæreticis, Concilium Chalcedonenſe reſpuentibus, & Eutychiana labe infectis: imo contra tales hæreticos, qui etiam ſanguinarii fuerant, & orthodoxos trucidarant; vt ex prima cauſa in eos potuerit ſeueriſſime animaduertere. Parcit tamen, ne videatur vim conſcientiis adhibere. Idem de magno Theodoſio fatetur Nazianzenus in carmine, ſuperius numero 8. Mauritius ſimiliter Imperator d noluit vllo modo conſentire vt ſchiſmatici ad reunionem cum Eccleſia catholica compellerentur. Pii ergo Imperatores aliquo incommodo peruerſos attingebant, vt inde moti ſponte reſipiſcerent: ſed niſi prima vel tertia cauſa affuiſſet, nunquam vim aut pœnas, vt cogerent inuitos, adhibuerunt.

a Aug. ep. 48. & ep. 50 & lib. 2. cont. 2. ep. Gaud. c. 17. & de Ver. Dom. ſer. 33.

b Cod. Theod. de hæret. l. 52 & Auguſt. cont. Gaudent. l. 1. c. 19.

c Poſt Concil. Chalced.

d Greg. l. 7. ind. 2 ep. 9. & 10.

XXV. Eccleſiam pœnam corporalem nunquam poſſe ſua propria authoritate infligere, ſatis docui lib. 5. cap. 2. n. 30. & ſeqq. Igitur neque vnquam poteſt ipſa ſua propria poteſtate contra hæreticos pœnis corporalibus, & temporalia attingentibus inſurgere; quoties itaq; hæreticum conuincit, nec illum ad ſanitatem poteſt reducere, pœnas alias in eū nō habet, niſi excommunicationis præciſiuæ, & depoſitionis, ſi ſit in eccleſiaſtico ordine cōſtitutus. Ceterū, ſi hæreticus ſubuertat alios, ſi turbet pacem eccleſiæ, ac reip. tunc principes temporales, non vt eccleſiæ miniſtri, & executores ac carnifices, quaſi brachio ſuo ad eccleſiæ iuſſum accommodato; ſed propria ipſorum poteſtate addunt carceres, exilia deportationes, bonorum confiſcationem, & ſi oportuerit, etiam ſententiam capitalem. Quaſcunque enim quis obſeruare potuerit vnquam pœnas reales, & corporales hæreticis inflictas, illas omnes ſemper à poteſtate laica ſola, & ex propriis procedente, inflictas inueniet, & nullas vnquam obſeruabit, in veteri Eccleſia per plura incorrupta ſæcula, ab eccleſiaſtica poteſtate eſſe vllo modo, ſiue immediate, ſiue mediate profectas. Poſuit tamen Gratianus e Canonem ex Liberii ad Athanaſium Epiſtola decretali, in quo ipſe Liberius Romanus Pontifex hæreticos & dignitatum ſæcularium priuatione, & bonorum confiſcatione, & pœnis punit corporalibus. Sed illa Liberii Epiſtola eſt apocrypha, & nullius fidei nec autoritatis; ideoque in Vaticano coniecta eſt in primam partem Epiſtolarum decretalium Romanorum Pontificum tomo 1. hoc eſt in quiſquilias & excrementa. Ad Principes vero eccleſiam pro corporali pœna hæreticis irroganda, non tanquam ad executores, ſed tanquam ad Iudices proprios & primarios confugiſſe conſtat ex multis antiquis exemplis, quæ hactenus & in hoc cap. & lib. 6. protuli: & clare quiſque colligere poteſt ex f Auguſtino, g Leone, h Bernardo &c.

e 24. q. 1. c. Quo cōtra.

f Auguſt. ep. 166.

g Leo ep. 2. & .

h Bernar. in cant. ſerm. 66.

Miror itaque, quo pacto Chriſtiani Principes, non exigua cum oſcitantia, & pernicioſa conniuentia permiſerint, vt Romani Pontifices ſanctum Inquiſitionis officium paſſim per Chriſtianas prouincias inſtituerint, & per id tremenda tribunalia erexerint. XXVI. Habent carceres: habent torturas: habent patibula: habent ignes: habent faſces: & ſecures. Iam fraternoſi Inquiſitores facti ſunt vel ipſis Principibus formidabiles. Hinc vires, hinc arma ſumpſerunt, quibus vim cuilibet inferrēt, ne pro veritate contra Romanæ Curiæ tot falſitates & abuſus intolerabiles, vel mutire quis audeat. Sic Papatus ſe iam ferro & igni non Scripturis, non argumentis tuetur. Iam Papæ noſtro hæretici ſunt, quos ipſe pronunciat pro ſua libidine eſſe hæreticos & conſequenter illi ab eo igne & ferro tollendi. Quia ignem & ferrum ipſi Papæ, eiuſque inquiſitoribus Principes in manus poſuerunt. Ille vero nullam ex quatuor ſuprapoſitis cauſis ſecutus in vitas miſerorum graſſatur, ſolum quia ipſius ambitioni, & auaritiæ, ac veræ Tyrannidi aduerſantur. Sed heu lacrymans dico, Principes ipſi Tyrannidem hanc fouent & approbant, non in fidei gratiam, ſed vt ipſis quoque liceat in bona eorum, qui hęreſis, etiam falſo, damnantur, ſi priuati ſint, ac in ſceptra, & diademata, ſi principes ſint, graſſari. Eaſdem nunc ſtrages & perſecutiones æque iniuſtas ab Inquiſitoribus patiuntur, qui à deformata Romana, ad Catholicam reformatorum Eccleſiam tranſitum ſanctiſſimum faciunt, vt fidei puritatem obtineant, quas à i Circumcellionibus Donatiſtis illi patiebantur, qui ab ipſis ad Catholicam ſe conferrent. Circumcelliones noſtrorum temporum ipſiſſimi ſunt Inquiſitores. Si quis

i Aug. ep. 166.

quis ex noſtro Pontificiorum cœtu conſcientiam reformaturus, ad Catholicos tranſeat reformatos, poteſt idem dicere, quod dicebant olim Donatiſtæ ad catholicam venientes, nimirum, *a Quod iam olim volebant eſſe Catholici, ſed inter eos habitabant. inter quos id quod volebant eſſe non poterant per infirmitatem timoris, vbi ſi vnum verbum pro catholica dicerent, & ipſi & domus eorum funditus euerteretur.*]

a Aug. ep. 50.

XXVII. Quam quæſo Inquiſitores iſti habent autoritatem? vnde? à quo? quorſum? *Delegatam*, inquiunt, *à Romano Pontifice* (alij etiam dicunt ordinariam) An non quilibet Epiſcopus eſt ſui gregis Paſtor iure diuino inſtitutus? an non cuiuſque Paſtoris eſt lupos cognoſcere, & eos à ſuo grege abigere? Si quis eſt negligentior, habet circumuicinos Epiſcopos commonitores; habet ſuum clerum, habet metropolitanum, habet Primatem, & etiam vltimo ipſum Patriarcham: Cur etiam, vbi diligentiſſimi & doctiſſimi ſunt Epiſcopi, ſuos vult habere Papa Inquiſitores? Cur in alienam meſſem falcem ponit? Si hæreſes inſurgunt, Epiſcopi ſunt primi, qui eas olfaciunt, ſynodi prouinciales diſcutiunt, ac ſi opus eſt, nationales & generales damnant: Principes vero exterminant. Hoc iam diximus; *Inquiſitores alios præter Epiſcopos nullos per mille & vltra à Chriſto annos extitiſſe*. Quid igitur hoc monſtri? ſed quid mirum, quod ex Papatu monſtro horrendo, monſtra alia permulta gignantur? Nam perpetuo iam non Africa, ſed Roma affert aliquid portenti noui.

XXVIII. Nunc videamus, quibus argumentis noſtri ſanguinariam faciant Eccleſiam, & violentam fidei ingeſtricem. De iuſta hæreticorum punitione ſcripſerunt aliqui, eos Bellarminus compilauit, ergo agamus cum Bellarmino. Primum argumentum *b* Bellarmini eſt ex Scripturis: quia Deut 13. & 18. *falſi prophetæ, iubentur occidi.* & Deut. 17. *qui noluerit obedire ſacerdotis imperio, morte erat afficiendus.* Et in nouo Teſtamento ex Matth. 18. *Poteſt Eccleſia inobedientes ſibi abijcere, vt Ethnicos*, ac proinde permittere eos poteſtati ſeculari, tanquam non amplius Eccleſiæ filios. & Rom. 13. *Poteſtas ſecularis poteſt ſceleſtos punire gladio.* Et Matth. 7. atque Act. 20. *hæretici lupis comparantur*, & Ioan. 10. *furibus.* At lupi, & fures occiduntur, & 2. Tim. 2. *comparantur cancro*; at cancer ferro & igni curatur, & Ioan. 2. *Chriſtus flagello vtitur in profanos.* & Act. 5. *Petrus Ananiã, & Saphyrã morte mulctat.* & Act. 13. *Paulus Elymam excæcat.*

b Bellar. de laicis, c. 21.

2. Argumentum ex legibus, mulctis, & factis Imperatorum Conſtantini, Theodoſii, Martiani, Iuſtiniani, &c.

3. Argumentum ex eccleſiæ canonibus, ac decretalibus, & Concilio Conſtantienſi contra Hus, & Hieronymum de Praga.

4. Argumentum ex teſtimoniis Patrum, Cypriani, Hieronymi, Auguſtini, Leonis, Optati, Gregorij, Bernardi.

Quintum & vltimum Argumenti genus continet varias naturales rationes. Prima: hæretici excommunicari poſſunt, ergo, & occidi. Secunda: Non eſt aliud remedium cum reliqua minora ſint inutilia. Tertia: falſarij digni morte, ergo & falſarij verbi Dei. Quarta: hæreſis eſt adulterium ſpirituale, grauius carnali, ergo morte puniendum. Quinta: ob tres cauſas iuſtas occidendi ſunt hæretici; quia nocent proximis, pluſquam latro: Quia abſterrentur ab hæreſi alii, aliorum pœna edocti; quia beneficium eſt ipſis tolli, ne in dies deteriores fiant.

Ad primum argumentum. Reſpondeo primo, multa in veteri lege licuiſſe, ex ſpeciali Dei mandato, quæ in noua non licent, vbi diuinum mandatum iudiciale non perſeuerat. Reſpondeo ſecundo falſos prophetas fuiſſe pernicioſos fidelibus, & turbaſſe illam Rempubl. ideo digni erant morte: & hoc nos Principibus concedimus, vbi hæretici turbant & Eccleſiam & Rempublicam; ſed neque extraordinaria miracula ſunt ad rem noſtram. Inobedientes morte luebant pœnam, ex ſententia ſacerdorum, & ex decreto Iudicis. Ita nunc inobedientes legibus ciuilibus iuſtis, morte merito ſæpe luunt. Quid hoc ad hæreſim in particulari? Quod vero deducit ex Matth. 18. non capio nec video quomodo ſequatur, hæreticos eſſe corporaliter puniendos, ex eo, quod Eccleſia eos relinquit brachio ſeculari, tanquam non ſuos filios, an omnes qui non ſunt Eccleſiæ filij, ſunt morte mulctandi? An non Princeps ſecularis habet poteſtatem gladij etiam in Eccleſiæ filios, ſi deliquerint? Quod ait de lupis & furibus, omnino puerile eſt. Beniamin quoque vocatus eſt prophetice à Patre Lupus rapax, eratne ergo occidendus? Similitudines in Scriptura ſunt non ſimpliciter quoad omnia, ſed ſecundum quid accipiendæ: Ac ſane lupos & fures ſæpe ſatis eſt abigere, quod ſi pergant perniciem inferre, etiam nece iuſta tollendi: ita hæretici ex prima, & tertia cauſa Principum ſeueritatẽ debent experiri, nõ quia in ſe hæretici, ſed quia pernicioſi. Idem dico de cancro, quod ſi hæretica labes non ſerpat in alios, neque ferro neque igni opus eſt. Flagellum Principum in hæreticos ex prima, tertia, & quarta etiam cauſa admittimus. Miracula Petri, & Pauli cum ſint extraordinaria ad rem noſtram non ſunt, qui ordinaria conſideramus remedia. XXXI.

Ad ſecundum iam quatuor aſſignauimus cauſas, ex quibus laica poteſtas in hæreticos poteſt & debet inſurgere: nunquam tamen præciſe eo ſolo nomine, quod fidem in ſe ipſis labefactarint, & nolint ad ſanitatem redire: A coactione enim vel ipſi Principes, vt vidimus, abſtinendum eſſe cenſuerunt. XXX.

Ad tertiũ Canones & Decretales eccleſiaſticæ pœnas externas in hæreticos ſtatuentes, nullæ ſunt in priſca eccleſia pura, & incorrupta: quæcunque vero afferuntur, modernæ ſunt. & Paparum iam nimium ſibi præter ius & fas arrogantium, & per ſummam vim ſuum Papatum vſurpatum ferro & igni defendentium. XXXI.

Ad quartum nos Patres in contrarium produximus ab adhibenda vi omnino alienos. Auguſtinus igitur Circumcelliones dignos morte cenſuit, non quia eſſent ſchiſmatici, ſed quia erant turbulentiſſimi ſanguinarii. Et quod ait idem Auguſtinus de Abſalon, conuincit eccleſiam non debere ad cædes ſuorum hoſtium anhelare, vel concurrere, quod nos nunc vrgemus: Quod ſi ex cauſis à me ſupra allatis Principes hæreſiarcham aliquem furioſum & turbulentum vel exilio, vel morte iuſte ſuſtulerint, poteſt eccleſia lætari quod fideles ab illa tentatione fuerint liberati: Inde igitur fortaſſe ſequitur Auguſtinum cenſuiſſe ad ſummum poſſe Principes in hæreticos ex cauſis externis animaduertere. Sed tamen ne hoc quidem ex illo Auguſtini loco poteſt colligi. Nam ſi priuatus quoque aliquis ex cauſa priuata ſane iniuſte & damnabiliter occideret hæreſiarcham, poſſet Eccleſia eodem modo lætari, quod fideles fue- XXXII.

rint ab illa peſte liberati, ſed hinc non ſequitur hæreſiarchas poſſe iuſte à priuatis priuata autoritate, & ex priuata cauſa occidi. Leo pro nobis eſt: qui negat eccleſiam poſſe aut debere cruentas perſequi vltiones; & ex quarta potiſſimum cauſa laudat Principum cenſuram, & nonnullum pœnalium legum rigorem, quo adiuuentur hæretici ad reſipiſcendum. Idem dico de Gregorio. Bernardus vero conſiderabat Principes ex prima cauſa gladio ſuo legitime vtentes. videamus rationes.

XXXIII. Ad primam. Eſt deductio indigna profecto tanto viro, quale enthymema eſt, poſſunt excommunicari, ergo poſſunt etiam occidi? Itane, quod quis in vno genere etiam nobiliori & præſtantiori poteſt, poterit etiam in alio genere ab eo toto diuerſo, inferiori? Poteſt Epiſcopus pro quocunque peccato mortali quemcunque excommunicare, quæ eſt grauior pœna, quam mors corporalis, ergo poterit etiam quemcunque ob quodcunque peccatum mortale occidere? Quis tali enthymemate ſtulteſcat? Poteſt quilibet pro quocunque peccato mortali excommunicari, vt eſt commune ſcholæ placitum; ergo poterit quiſque pro quocunque peccato mortali occidi. Quis hoc inferat, ſiue actiue, ſiue paſſiue? Poteſt Sacerdos regem ſuum claue eccleſiaſtica ligare, quod ligamen longe grauius eſt ligamine corporalium vinculorum; igitur poterit etiam Sacerdos Regem ſuum vinculis corporalibus aſtringere, & in carcerem conijcere. ſtulta deductio.

XXXIV. Ad ſecundam. Eccleſia non tenetur remedia omnia poſſibilia adhibere pro rebus ſpiritualibus, ſed ea ſola, quæ in ipſius poteſtate ſunt; & cum deuenerit ad excommunicationẽ, appoſuit vltimum illa ſibi poſſibile remedium, & vt plurimum ſufficientiſſimum. Cum enim aliquem damnauit vt hæreticum, & à cætu fidelium excluſit, tunc ſatis prouidit reliquis ouibus, dum eas, vt à lupo iam noto & manifeſto caueant, præmonet

a Matt. 18. & præmunit. Neque aliam pœnam *a* Chriſtus in hæreticos præſcripſit. Si tamen ille adhuc aggreditur fideles, eoſque conatur peruertere, recurrat Eccleſia ad Principem, ille vero iam nouit, quid ſibi faciendum ſit; de quo ſatis egi lib. 6. cap. 10, num. 79. 80.

XXXV. Ad tertiam & quartam. Reſpondeo eodem modo, vt ad primam non licere tranſcendere de genere in genus; & calculatorium argumentum, in quo ſit analogia, non valere niſi analogice, & cum proportione; hoc eſt, rationum ſimilitudine, non identitate. Vt enim ſe habet falſarius corporalis corporalium Scripturarum ad pœnam corporalem; ita falſarius ſpiritualis Scripturarum ſacrarum, quoad ſenſum ſpiritualem, non quo ad literam corporalem, ad pœnam ſpiritualem; & non ad corporalem: quæ ſoli falſario corporali eſt legibus deſtinata, non autem ſpirituali, nec licet eam eo extendere; quia *b* pœnæ ſunt reſtringendæ, non ampliandæ; ſic adulterij carnalis pœnæ non ſunt ad ſpirituale adulterium extendendæ, niſi analogice.

b c. odia de regul. iur. in 6.

XXXVI. Ad quintam. Hæreticos compeſcendos eſſe à Principibus ne noceant, ex prima cauſa, iam conceſſi. At vero punire iniuſte aliquem, vt inde alij diſcant, non eſt bonum, *quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.* Si ergo non adſit vlla ex quatuor cauſis hæretici puniendi, iniuſte hoc ſolo nomine quis puniretur, quia ſit hæreticus: cum crimen hoc ſpirituale ſit, humanæ iuriſdictioni externæ non ſubſtans; niſi in effectus malos externos erumpat. Cautelas tamen contra hæreſiarchas & doctores hæreſum, ac miniſtros, non reijcio; ſicut neque reiicio incommoda aliqua pœnalia, ex quarta cauſa, ad adiuuandam reſipiſcentiam, adhibenda. Vtilitas autem occiſi nunquam eſt cauſa ſufficiens, vt liceat illum occidere; Sic enim licite Herodes occidiſſet pueros innocentes; ſic iuſte tyranni occidiſſent Martyres. Sic iuſte quiuis occidere poſſet viros bonos, qui ſemper ſunt in periculo, ne fiant mali. Ecce quibus rationibus topicis duntaxat, imo ne dialecticis, imo Sophiſticis & friuolis maximi momenti doctrina de clade hominum, ac vi fidei adhibenda, ſtabilitur.

Ex his omnibus plane ſequitur, neque iudicio publico in priuatum hæreticum poſſe præciſe ob ſolam hæreſim pœnis externis inſurgi, neque multitudinem hæreticorum poſſe iuſtis armis ac bello iuſto peti. De priuato planum eſt, quia crimen hæreſis eſt crimen mere ſpirituale, in quod nulla humana poteſtas ius habet, ideoque neque vlla lex humana, & ſub pœnis externis iuſta eſt, quæ in hæreticos præciſe feratur. Poteſt quidem illa ferri in hæreticos inquietos, publicæ pacis perturbatores, ſimplicis plebis ſubuerſores, &c. præciſe tamen in hæreticos ferri non poteſt; & conſequenter neque hæreticus præciſe nomine ſolius hæreſis, etiam conuictus aut confeſſus externe iuſte puniri poteſt. Seruatis tamen cautelis, & cauſis de quibus ſupra. De multitudine vero ſimiliter res clara eſt. Vel enim proprius Princeps eam eſt debellaturus; vel alienus. Non proprius, quia ſi multitudo illa plenam ſuo Principi ciuilem præſtat obedientiam (quod ſuppono) quonam illa per bellum eſt redigenda? vt recte ſentiat? menti vis adhiberi non poteſt: interna præcipi à Principe temporali non poſſunt. Expellere eos ex ſuo regno ſtatuit, in quo hæreticos non vult tolerare: Atqui hæc eſt pœna grauiſſima temporalis, hominem ſua domo, ſua ciuitate, ſua patria priuare, & ſane pœna iniuſta, quia cauſa non eſt iuſta, crimen enim non eſt in ordine temporalium, quæ ſola Principis poteſtati ſunt ſubiecta. Non alienus, quia ius temporale nullum ei eſt in ſubditos alienos, & proprius Princeps tenetur eos à vi aliena tueri, ſunt enim ipſius veri, & legitimi ſubditi. XXXVII.

Sed quæret quiſpiam, num multitudo illa, ſi ſic iniuſto bello petatur, poſſit ſe armis ſimiliter tueri, & bello ex parte ſua iuſto vim vi repellere? Reſpondeo, vel illa multitudo à proprio legitimo Principe bello iniuſto petitur, vel ab alieno. Si à proprio, nullo modo licet ei pro ſuæ fidei defenſione, etiam ſi fides ipſius eſſet Catholica, & ab hæretico Principe bellum iniuſtum, & perſecutionem patiatur, armis, & vi reſiſtere. Sed pro Deo debet cum gaudio, & bonorum direptionem, & patriæ, aut libertatis amiſſionem, & mortem etiam ipſam tolerare. Sic enim Eccleſia perpetuo fecit quando à ſuis ſæuis Principibus perſecutiones patiebatur. *c* Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, hoc de proprio Principe legitimo eſt intelligendũ, non de alieno. Quod ſi alienus ſit Princeps, qui in eam multitudinem nullũ ius habeat temporale, illa quidẽ nõ vt fidem tueatur, etiam orthodoxam, ſed vt vitam, fortunas, libertatem ciuilem, & ſimilia temporalia ab iniuſto inuaſore XXXVIII.

c Rom. 13

uaſore defendat, poteſt omnem parare reſiſtentiam, ſi ipſius Princeps eam nolit defendere; imo etiam, ſi ille vel coniunctus alieno perſecutori, vel nomine alieni perſecutoris arma contra ipſam ſumat: Ille enim tunc alienus inuaſor merito eſſe præſumitur, qui ſub prætextu religionis, occupationem alienæ libertatis ac ditionis intendat. Cōtra eum ergo tunc tanquam contra hoſtem & iniuſtum inuaſorem iuſtiſſimum eſt bellum, ad propriam iniuriam propulſandam, vbi compertum ſit illum non propriam ſuam, ſed alieni Principis, puta Papæ cauſam iniuſtam agere, vt aliquos ſuos ſubditos ei aliqua in parte ſubiiciat; Tunc enim non fidem, ſed libertatem iniuſte inuaſam illi tuentur, & ſuo Principi non vt ſuo, ſed vt alieno alienique miniſtro reſiſtunt. Idem dicendum videtur ſi clarum ſit proprium Principem, ſub prætextu religionis, bellum ſuis ſubditis mouere, vt eos iuſta priuet libertate aliqua contra leges regni, ac plene in iis ſubiiciat, in quibus de iure ei non ſunt ſubiecti. Sicut & iuſtiſſimum ex parte Principis eſt bellum in ſuos ſubditos, quando illi religionis ſuæ duntaxat tuendæ cauſa, arma ſumunt, arces muniunt, prǽſidia militaria detinent, &c. Tunc enim Princeps non fidem eorum, nec religionem oppugnat, ſed ciuilem inobedientiam, ſed bellicos apparatus, ſed arces ſed præparationem animorum ad rebelliones, & ad bellum contra ipſum gerendum. Niſi illi habeant priuilegia legitima, ipſi regno connaturalia & ab ipſis regni exordiis ex iuſtis & liberis, ac voluntariis legum pactis & conuentionibus habita, ad arces ſibi muniendas, & cohortes præſidiarias detinendas, ne iniuſte opprimantur, & ab inquietis, rapacibus, & ſanguinolentis, ſub prætextu religionis, priuatis conatibus moleſtentur. Pro horum ergo priuilegiorum, ſibi in ſui iuſtam defenſionem conceſſorum, conſeruatione, poſſunt decertare, & vim vi repellere. Si tamen priuilegia ſua iſti vi, & bellis ab inuitis, & neceſſitate compulſis Regibus extorſerunt, quando primum ea habuerunt, non video huiuſmodi priuilegia quicquam, de iure, aut ſubditis prodeſſe, aut obeſſe Principibus. Quæ enim vi, metuſue cauſa fiunt, ſolida non ſunt, nec iuſtitiæ munimentis vallata. Pateant ſubditi plene in ciuilibus, ſintque Principibus ſuis legitimis ſubiecti, nunquam enim licet bello & armis, & rebellione in ſuum Principem religionem propriam, etiam veram, & vere ſanctam defendere. Hęc paucis pro opportunitate perſtringere libuit: alii fuſius iſta pertractent.

XXXIX. Ex his præterea ſequitur, neque Eccleſiam, neque Principes poſſe cuiquam conſcientiæ priuatam auferre libertatem, quia illam à Deo quiſque habet; nec vllus vnquam illam cuiquam hominum obligauit, vt eſt oſtenſum. An vero Principes teneantur etiam publicam cuique ſectæ permittere ſuæ religionis iuxta propriam conſcientiæ libertatem, profeſsionem, non eſt adeo facile ſtatuere. Ego ſane, vt ſtem iam poſitis & expoſitis fundamentis, diſtinguerem hoc pacto: ſubditi diuerſæ ſectæ ſunt vel aduentitij, vel naturales & inquilini. Si aduentitii, cum nullum ius habeant in ea ditione, niſi precarium, ſi eos Princeps non toleret, ſed expellat, ne orthodoxi fœdæ alicuius ſectæ ciuili conuerſatione polluantur. Sed ſi etiam pro ingentiali quo commodo temporali, iuſto & honeſto eos ſub debita cautela detineat, non video abſurdum vllum. Facile enim Chriſtiani à Iudæis, & Turcis, & Paganis cauent, quos agnoſcunt iam, & abominantur: & paſsim multi Principes Chriſtiani talibus ſectis loca tribuunt, ad negotia præſertim mercaturæ. Idem profecto dico etiam de hæreticis aduenis, modo illi, vt ſeparati, & ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſegregati, in diuinis debite caueantur, & ne dogmatizent impediantur. Si vero ſint inquilini & pauci, à quibus periculum reliquis orthodoxis immineat, ex cauſis iam explicatis, expelli debent: ſi vero multi, iam oſtendi eos præciſe propter hæreſim non poſſe aut expelli, aut puniri. Permittenda ergo eis eſt neceſſario conſcientiæ libertas: ſed ne confuſionem pariant in Eccleſia, tanquam ſecta diuerſa, ſunt ſeparandi, & à communione diuinorum remouendi, atque à publico exercitio fidei, quatenus malum aliquod in ſe contineat, impediendi.

Quid factum eſt olim, quando tam multi in omni fere Chriſtianorum ciuitate erant Ariani? De illis quidem docendis, & conuertendis; non de comburendis, nec de expellendis agebatur. Hilarius illud contendit à Cōſtantio, *a Vt permittat lenitas ipſius populos, vt quos voluerint, quos putauerint, quos elegerint audiant docentes.*] Interim tamen bonus Catholicus Princeps nihil omittat, quod iuſte, & rationabiliter poſſit Catholicam fidem promouere, & ita libertatem conſcientiæ ſuis ſubditis relinquat, vt tamen errantibus omnis occaſio reſipiſcendi præbeatur, & ab orthodoxa plebe, ne corrumpatur, omnia pericula amoueantur. Eſt tamen ſpeciale aliquid, vbi diſſenſiones non ſunt inter Catholicos, & manifeſtos hæreticos, ſed inter Catholicos ipſos, Quid vero in his, & de his ſit ſtatuendum, differam in ſequentibus. Hic tantum deploro truculenta inter Chriſtianos, quæ ex omni fere parte in Europa, ſub prætextu hæreſum & religionis, ardent bella. Contra veros hæreticos non licet pro ſolo hæreſis crimine armis inſurgere, quanto minus contra eos, qui parati ſunt ſuæ fidei rationem in iuſto iudicio Catholicorum reddere? Papa impie agit, & contra diuinum præceptum de non occidendo bella excitat, & claſsicum canit contra Proteſtantes; at magis impie ſummæ iniuſtitiæ executores fiunt Chriſtiani Principes, qui iniuſtiſsima hæc promouent bella, & innumerabilium innocentum fundunt ſanguinem. Ipſi viderint XL.

a Hilar. ad Conſtant.

 CAPVT IX.

CAPVT IX.

In Myſteriis ſacræ Scripturæ abditioribus agitandis, magnam adhibendam eſſe moderationem.

SVMMA CAPITIS.

Diuina myſteria, etiam quæ ad ſalutem neceſſario credi debent, non omnia clara ſunt in Scriptura, vt
que omnia adeo clare proponuntur, vt nulla adſit obſcuritas. n 1.2.
In diuinis myſteriis fidei exactius indagandis, vt illa perfecte intelligantur, non nimium eſſe immorandum, ſed ſobrie illa eſſe tractanda, & à multis etiã abſtinendum docent Patres. à n.3 ad n.16.
Sunt igitur multa indiffinibilia, & ſub ſola probabilitate tenenda, aut docenda, cum pace & charitate, ac plena Eccleſiaſtica vnione, mutuaque tolerantia inter Theologos in his diſsidentes, n. 17.18. & hoc etiam monent Patres. à n.19. ad n 22.
Itaque ſcholaſtica Theologia non ad fidem, ſed ad peritiã pertinet, & debet eſſe modeſta. à n.23. ad n.27.
Scholaſticorum indiſcretio, & defectus. n.28.

I. NON omnia quæ in ſacris Scripturis continentur æque clare, aut æque clara proponuntur. Aliqua enim & clare dicuntur, & ipſa clara ſunt. Aliqua clare quidem dicuntur, ſed clara non ſunt. Aliqua demum neque clare dicuntur, neque ipſa clara ſunt. Et quidem myſteria noſtræ fidei, ad ſalutem neceſſaria, vel in primo, vel etiam in ſecundo ſunt gradu claritatis. At quæ in tertio gradu ſunt, ea non puto eſſe ad ſalutem neceſſaria. Vbi igitur in neceſſariis dubium aliquod circa veram Scripturæ intelligentiam oboritur, id à Chriſto Domino, ſanctiſq; eius Apoſtolis iam ſublatum eſſe cenſemus; & Eccleſiæ tradita eſſe multa non dubitamus, ex quibus præcipua ac maxime neceſſaria fidei ſint explicanda. Sunt alia plurima rerum diuinarum myſteria, quæ ſiue neceſſaria ſint, ſiue non neceſſaria, innuuntur duntaxat ſæpe in Scriptura, aut ita proponuntur vt nonnulla etiam obſcuritate ad noſtrum exercitium obuelentur. Oſtendendum itaque nobis eſt in hoc cap. in genere myſteria in Scriptura multa innui, quæ à nobis ſint intacta, vt iacent relinquenda, ac ſub deuoto, deuotę, & humilis fidei ſilentio veneranda, neque vlterius quærendum, aut indagandum quomodo illud ſeſe habeat, & quomodo verum eſſe poſſit, vbi Deus voluit rem nos ſimpliciter credere, & modum ignorare. Oſtendendum item in genere multa eſſe myſteria in Scriptura, quorum exacta, & perfecta notitia in hac vita haberi non poſſit, ſed noſtri pii, & modeſti exercitii, & profectus in ſpiritualibus cauſa ſatis ſit ad ea ſub aliqua probabilitate peruenire. Vnde ſequatur Eccleſiam non habere certam & infallibilem directionem pro omnibus penitus dubiis quæ poſſent in rebus diuinis exurgere, & & controuerſias parere: Sed ſatis ei eſſe dum in rebus ad ſalutem neceſſariis illam habet. Et conſequenter ſtabiliendum erit illos omnes Theologos vehementer decipi, qui putant has omnes controuerſias finem certum poſſe habere, & vltimam deciſionem, quæ iam de fide ſit, & à tota Eccleſia credenda. Hinc enim diſſenſionum nullus finis & ſchiſmata fiunt irremediabilia, dum quiſque ſuam opinionem vult eſſe articulum fidei, & aduerſam renuit tolerare. Cõſideratio hæc ad pacem vniuerſalem Eccleſiæ plurimum prodeſſe poteſt. Spiritus Sanctus nos omnes illuminet.

II. Deus infinitus, immenſus, incomprehenſibilis eſt, infinita eſt eius ſapientia, infinita potentia, & c & conſequenter infinita ſunt diuina myſteria; noſtrum vero ingenium finitum eſt, imo iam tantillũ per peccatum obſcuratum, obtenebratum, redditum valde imbecille. Lumen neceſſarium ad diuina perſpicienda, ſi naturam ſpectes, eſt pene nullũ; vix veſtigium leue luminis naturæ noſtræ integræ conceſſi. Lumen gratiæ iam tantum eſt; quantum in Scripturis illuceſcit: In ſcripturis vero nõ omnia; vt diximus, ſunt aperta, non omnia perſpicua, non omnia à S. Prophetis, à Chriſto, & ab Apoſtolis plane explicata, vt neceſſaria quidem ſatis innoteſcerent, alia vero pii exercitii nobis darẽt occaſionẽ, & vt ea quæ noſtro conatu, noſtroq; labore, cũ diuinæ gratiæ auxilio, diſcimus ad noſtram vtilitatem ſpiritualem, & conſolationem, chariora nobis eſſent, ac deſiderabiliora, ac proinde illa tanquam precioſiora ſolliciti conſeruaremus. a *Quod facile percipitur,* inquit Gregorius Nazianzenus *et iam contemnitur: quæ vero ſupra nos ſunt quo minus co-* [a Naziãz. orat. de paup. fouend.] *gnoſci valent, tanto & maiori ſunt admirationi: omne enim quod ſenſum effugit, deſiderium quoque exercet.*] Et rurſus alibi. *Dei cognitionem nobis negari*, ait, b *ne, ſi in* [b Idem de Theol. l. 2] *procliui eſſet cunctis, per hoc in contemptum abiret. Vt enim quod labore partum eſt, ſolicitius conſeruari ſolet, ita facile parta facillime celerrimeque reſpuuntur; Vtpote, quæ nullo negotio queant recuperari.*] Adſtipulatur Auguſtinus, quando narrata obſcuritate ſacrarum literarum, ait, c *Quod totum promiſum eſſe diuinitus non du-* [c Aug. de doctr. Chriſt l. 2. c. 6.] *bito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata plerunque vileſcunt.*] Innuuntur ergo multa in Scriptura, vt deſiderium excitent; deſiderium vero excitatum labori in ſcrutandis Scripturis, & diuinis myſteriis contemplandis nos accingit. Laboris vero noſtri fructus nobis gratiſſimus eſt, & precioſiſſimus. Quod ſi haberemus certum quendam Magiſtrum, & Doctorem vniuerſalem qui nobis, ex diuino priuilegio, myſteria omnia ſtatim aperiret, & plane declararet, illa profecto contemneremus. Rem vero ita ſe habere, vt ego propono, & in multis myſteriis Scripturæ non eſſe curioſius inſiſtendum; in multis vero vltimam definitionem non eſſe expetendam, aut ſperandam, ſed ſola probabilitate nos debere eſſe contentos, ex doctrina Patrum, & conſequenter vniuerſalis veteris Eccleſiæ conſenſu iam demonſtro.

Quod

III. Quod aliqui Scriptores orthodoxi plus intelligentiæ rerum diuinarum, aliqui minus præſeferant, a Iren. l. 1. c. 4. ex Billii interprete. *hoc*, a ait Irenæus, *non fieri propterea quod in iſtis adſit mutatio argumenti; ſed quemque conari*, ait, *vt quæ in parabolis dicta ſunt, accuratius pertractet, fideique argumento accommodet; vt etiam Dei molitionem, ac diſpenſationem ob humani generis ſalutem factam exponat.*] Proculdubio quiſque iuxta proprium ſenſum. Nam & exempla myſteriorum occultorum adducit: verbi gratia, de defectione Angelorum, & inobedientia hominis: de tanta varietate cæleſtium & terrenorum ab vno Deo; de variis modis, quibus ſe Deus Prophetis manifeſtauit: cur plura Teſtaméta Deus hominibus dederit, & de charactere ſingulorum; de incredulitate omnium, vt omnium miſereretur: Cur Verbum caro factum: Cur in fine potius, quam in principio Chriſtus aduenerit: De fine mundi, & rebus futuris: De vocatione gentium, & Synagogæ deſertione; quomodo mortale hoc induet immortalitatem, & incorruptioné: De his enim & ſimilibus, ait Irenæus, exclamaſſe Apoſtolum, b Rom. 11. 33. b *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, &c.* Hoc eſt, iſta eſſe nobis ignota, nos vero tentare ſi quid in his poſſimus noſtra induſtria aſſequi.

IV. Tertullianus, Poſito fundamento articulorum fundamentalium fidei neceſſario credendorum, quos etiam paucis complectitur, tanquam ſimpliciter credendos vt iacent; i Tertull. de præſcri. *Eiſque* ait, c *nullas apud nos habere quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt.*] *Libidinem*, ait, *eſſe curioſitatis in his quæſtionem mouere: nouiſſime*, inquit, *ignorare melius eſt, ne, quod non debeas noris, quia quod debeas noſti.*] Et addit: *Fides*, inquit, *tua te ſaluum faciet: non exercitatio ſcripturarum. Fides in regula poſita eſt* (hoc eſt in ſymbolo articulorum fundamentalium, quod iam recenſuerat) *habet legem, & ſalutem de obſeruatione legis; exercitatio autem* (hoc eſt diſputatio ſcripturalis) *in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti.*] Hæc porro vehementius inculcat Tertullianus, quia per ſubtiliores, & cauilloſas ſcripturarum inductiones hæretici firmos quidem fatigabant, infirmos capiebant, & medios cum ſcrupulo dimittebant: Vt propterea poſita regula fidei, & ſtabilitis fundamentalibus fidei articulis, qui in Scripturis ſunt clariſſimi, obiectiones in contrarium per hæreticos factæ non alia via diſſoluendæ ſint; niſi ex ſenſu antiquæ puræ Eccleſiæ ab Apoſtolis tradito; & veræ Eccleſiæ conſignato. Vt propterea prius ſit videndum quæ ſit vera Eccleſia ab Apoſtolis fundata & inſtructa, & cuius conſequenter Scripturæ eſſe debent, vt ſic ſcripturarum vera intelligentia ſit à vera Eccleſia petenda, & non ab alienis, nec ab aduerſariis. Ideoque fugit omnino, ne primus congreſſus cum hæreticis fiat per ſcripturas, ac ſcripturarum ſubtiliores inductiones, quæ ingenioſis, & dialecticis poſſunt multæ occurrere, vanæ tamen, & inutiles. Scrutandæ ſunt Scripturæ, vt inueniatur dogma; quod cum inuentum fuerit, ſimpliciter eſt credendum. Aut ſi peruerſam intelligentiam obiiciat hæreticus, ſana intelligentia ab Eccleſia petatur, quam ipſa ab Apoſtolis traditam, puram, & illæſam d Ad Tit. 3. 10. 11. & 2. Tim. 2. 23. conſeruet. Atque hoc pacto Tertullianus ex d Apoſtoli præſcripto negat omnino eſſe cum hæretico diſputandum, quem ſatis ſit ſemel corripere, eique verum dogma, vt eſt in Scriptura, cum vero ſenſu, veraque intelligentia, qualis eſt in Eccleſia, ad credendum ſimpliciter proponere; nulla alia ſuper id inſtituta diſputatione. e *Quoniam*, inquit Tertullianus, *nihil proficiat congreſſio ſcripturarum, niſi plane vt aut ſtomachi quis ineat verſionem, aut cerebri. --- Ergo non ad ſcripturas prouocandum eſt*, (poſt crutum dogma) *nec in his conſtituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa.*] Et hæc quidem quo ad articulos fidei firmiter credendos. De peritia enim Theologica in probabilibus, aliud. e Tertul. ibid.

V. Origenes præceptum f Leuitici de comedendis, vel non comedendis, ſed comburendis carnibus ſacrificij allegorice ad noſtrum applicat inſtitutum, hoc pacto. f Leuit. 6. 30. g *Scio autem eſſe & aliquanda in Eccleſia dogmata ſecretiora, quæ adire nec ipſis ſacerdotibus liceat --- ſciendum enim eſt, quod ex hoſtiis quæ offeruntur, licet concedantur ſacerdotibus, ad edendum, non tamen omnia conceduntur: ſed pars ex ipſis aliqua Deo offertur, & altaris ignibus traditur, vt ſciamus etiam nos, quod, etſi conceditur nobis aliqua ex diuinis ſcripturis apprehendere, & agnoſcere, ſunt tamen aliqua, quæ Deo reſeruanda ſunt: quæ cum intelligentiam noſtram ſuperant, ſenſuſque eorum ſupra nos ſit; ne forte aliter à nobis, quam ſe habet veritas, proferantur, melius igni iſta ſeruemus: Et ideo etiam in hoc loco, quæ quidem conceſſa ſunt hominibus ad edendum, prout potuimus intra tabernaculum domini conſumpſimus; ſi qua vero ſuperſunt, & vel vos in audiendo, vel nos ſuperant in dicendo, ſeruemus igni altaris.*] g Orig. in Leuit. hó. 5. Non ergo omnia ſecreta Scripturæ ſunt intelligibilia nobis in hac mortali vita conſtitutis, & conſequenter neque explicabilia, ac multo minus definibilia.

VI. Gregorius Nazianzenus; tametſi de noſtrarum virium cognitione loquatur, ea tamen, quæ dicit, vera ſunt etiam poſt factas, & datas reuelationes. Ait vero, negari nobis Dei (*quidditatiuam nimirum*) cognitionem, tum ne vileſceret; vt ſupra vidimus numero ſecundo, huius capitis, *tum etiam*, inquit; h *ne quod Lucifero illi lapſo, idem & nobis eueniat: nimirum, vt ſi lucis totius eſſemus capaces, hac facultate ſuperbientes, aduerſus Dominum omnipotentem cornua attolleremus, ac per hoc ex iſta ſublimitate caderemus, caſum longe omnium miſerrimum infeliciſſimumque. Quid autem, ſi quemadmodum inter Ægyptios, & Hebræos olim nubes, ſic & nunc inter Deum, & nos corporalis hæc caligo interſtat; hac gratia, vt dum purgatiores maiorique cum ſudore, ad deſiderij noſtri ſcopum contendimus, induſtria noſtra, lucidaque viſa præmium quoque magnificentius contingat. Atque hoc illud eſt fortaſſe, quod poſuit tenebras latibulum ſuum, noſtram videlicet tarditatem, craſſitiemque, per quam pauci, iidemque vel ſumma conati, parum admodum perſpiciunt.*] h Nazi. de Theol. l. 2. Et ad rem noſtram propius accedens ait; i *Vel ipſo Paulo doctore tantum de Deo didicimus, quod* k *in parte cognoſcimus, inque parte prophetamus.*] i Ibid. k 1. Cor. 13. 9. Poſtea præclare, l *cum*, inquit, *omiſſa fide rationis vires intendere, iactareque cœperimus, & per hoc Spiritus authoritatem quæſtionibus eleuare, vt ita pondere, magnitudineque rerum laborans ratio deficiat* (*deficiet autem neceſſario, dum ab infirmo adeo organo, nempe noſtra mente exiſtit*) *Cum, inquam, hæc admittimus, quid aliud ſit, quam quod rationis infirmitas euangelici myſterii eſſe apparet? Quæ via deniq; diſputationis ſubtilitas enacuatio crucis eſſe oſtéditur, id quod & Paulo viſum eſt, ſiquidé fides diſputationis noſtræ perfectio eſt.*] l Nazia. de Theol. l. 3. in fine. Atq; vt retundat moroſas q̃ſtiones ſecretorũ myſteriorũ Dei, ſic aduerſariũ curioſum alloquitur: m *Quæ res igitur quæ hæc eſt proceſſio?* (qua n Spirit⁹ dicitur à Patre m Ibid. l. 5. n Ioan. 15. 26.

 proce-

procedere.] Quin tu rationem ingeniti Patris mihi explica, & ego vicißim tibi, & filii generationem, velut naturæ tuus interpres, expediam, & Spiritus proceßionem aperiam, vt ambo inſaniamus Dei ſecreta rimando. Cur enim verear de nobis ſic loqui, qui ne quæ ante pedes noſtros iacent, cognoſcere poſſumus, neque arenam maris, neque ſtillas pluuiæ, neque dies ſeculi dinumerare, nedum Dei profunditates ingredi, & ineffabilis adeo naturæ rationem, quæuis ratione ſuperiorem ſuſtinere.] Inſaniam vocat nimiam in his, & ſimilibus perquirẽdis curioſitatem: Si huiuſmodi ſecreta rimari eſt inſanire, quanto magis inſanire erit velle iſta etiam definire? Ideoque tandem ſoli Scripturæ hæret Pater hic ſapientiſſimus, neq; per ſubtiles diſputationes ab ea ſe diuelli patitur. a Certe quod ad me attinet, inquit, pia mẽte imbutus, & in paucis Scripturæ verbis perſiſtens, duce Spiritu ſancto vtar, & illuminationem quam inde accepi, hanc vero ceu germanum quendã ſodalem & fidem congerronem perpetuo conſeruans, per ſeculi huius medium peragrabo.] Et pulcherrima eiuſdem oratio de moderatione in diſputationibus ſeruanda tota in hoc argumenti genere conſumitur. Multa quoque ex his inculcat in carmine de vita ſua.

a Nazian. de Theol. l. 5. in fine.

VII. Gregorius Nyſſenus non abſimili modo ab Origene Agni Paſchalis ritum ad idem noſtrum accommodat inſtitutum: vt cibus noſtræ fidei ſit b aſſus igni, & c oſſa duriora non confringantur. Verba Nyſſeni ſunt, d Ex igne ſolum cibus nobis propoſitus eſt: quoniam fides, quæ per cibum illum ſignificatur, ardentiſſima eſſe debet, nihil humidum, aut labile, ac fluens poßidens, ſed firma, ac ſtabilis, ex aqua comedemus quantum nobis poßibile. Oſſeum autem ac durum nobis igni tradimus, quod quale ſit, inſpiciatur. Illud teneamus, duo eſſe diuinorum præceptorũ genera. Nam alia huiuſcemodi ſunt, vt poßibile nobis ſit ea plene intelligere, probabilemque de ipſis reddere rationem. Hæc non ignauiter, nec quaſi coacti pertractare debemus, ſed vt fameſcentes comedunt, cum deſiderio ſcilicet & libenter, vt ad bonam nobis hic cibus valetudinem animæ poßit prodeſſe. Alia ſic latent, vt duriora ſint, quam vt vel plene intelligere; vel reddere rationem queamus: vt ſi quis quæreret, quænam ſit ſubſtantia Dei, quæ ſit neceßitas eorum quæ fiunt, aliaque quam plurima, quæ curioſe multi quærunt: hæc omnia Spiritui ſancto relinquemus, qui Dei profunda inueſtigat, & ſcit, vt Apoſtolus ait. Nam ignem pro Spiritu capi plerunque in ſacris literis, nemo lacte ipſarum nutritus negabit. Hoc eſt etiam quod ſapientia monet, Altiora te non quæras, id eſt noli oſſa Chriſti conterere, non enim eges ſcientia ipſorum.] Scire igitur iſta neque poſſumus, neque debemus, neque eſt neceſſarium.

b Exo. 12. 8. 46.
c Exod. 12. 46.
d Nyſſe. in vita Moyſis.

VIII. Athanaſius à quibuſdam requiſitus vt de Verbi incarnatione ad eos ſcriberet, ipſis ſatisfaciens, ſic præfatus eſt. e Res magnas & apprehenſu difficiles, non niſi fide conſequi datur. Atque inde fieri ſolet, vt ij quibus tenues in cognoſcendo vires in ruinam trahantur, niſi ipſis perſuaſum ſit, vt in fide permaneant: & cui ipſas quæſtiones auerſentur. Quapropter à Paulo dictum eſt, magnum eſſe citra controuerſiam myſterium pietatis, Deum manifeſtatum eſſe in carne, iuſtificatum in Spiritu, viſum Angelis, prædicatum in gentibus, creditum in mundo, aſſumptum in gloria. Cæterum quoniam ad nos delatum eſt quoſdam veſtrum conturbari, noſtraſque literas requirere, inde ſuper communi, & ab Apoſtolis introducta fide, ita reſpondendum putauimus res iſtas ad exactum diſcutere paucorum: Fidem autem retinere omnium eſſe, qui Chriſto auſcultant, eoſque ſummam laudem reportare ſtudij ſui. Qui enim ea, quæ vltra ſuas vires ſunt indagat, in præcipiti conſiſtit, qui vero traditionibus inhæret, extra periculum verſatur. Suademus igitur vobis, quod & nobis ipſis ſuademus, vt traditam fidem retineatis, & auerſemini profana nouitatis verba, & idem reliquis præcipiatis, vt exhorreant tanti myſterij inquiſitionem, vt & Deum in carne manifeſtatum eſſe, ſecundum Apoſtolicam traditionem, ac iuſtitiam confiteantur.] Ac poſtea ibidem in Manichæos inuehens, ait, Quorſum igitur tanta contẽtio nouarum inuentionum, vt humano ingenio, ea quæ ſunt ſupra humanum intellectum definiatis?] Noſtram enim fidem de Incarnatione illam ſimplicem ex ſcripturis præmiſit, f Ante ſæcula Verbum quod eſt filius Dei, Deo Patri conſubſtantiale eſſe, & extremis temporibus factum hominem, &c.] Et nouam inuentionem audacem nimium Manichæorum repræhendit, qui pro interiori in nobis homine mentem ſupercæleſtem in Chriſto ponebant.] Item, g Apoſtolos, inquit, ſequi debemus potius quam humanas rationes; Chriſtum enim, Apoſtoli proficiſcentes, ſtatim prædicauerunt, idque vno ore, ſine vllo diſſidio: natum illum ſcilicet in Bethlehem eſſe ex ſemine Dauidis, ſimilemque ſpecie hominibus, & crucifixum pro hominibus ſub Pontio Pilato, eundemque, & filium Dei, & hominem dixerunt, eundem ex cælo, eundem de terra, eundem impatibilem, eundem paſſum, & non alium, non duas perſonas: non duas hypoſtaſes, non duas adorationes. Quorſum diſceptationes, & verborum pugnæ? Vtilitas ipſa conſiſtit in credendo, & tacitis adorationibus, agnoſco eum verum è cælo Deum impatibilem, agnoſco eundem ex ſemine Dauidis, quantum ad carnem attinet, hominem è terra patibilem. Non diſquiro, cur idem patibilis, & impatibilis, aut cur Deus & homo, ne curioſus in inquirendo, cur, & quomodo excidam à bonis, nobis propoſitis. Primum enim credere oportet, & glorificare, & ſecundo in ſublimi rationem iſtarum rerum petere, non humi ex ſanguine & carne conquirere, ſed ex reuelatione diuina & cæleſti.] Item: h Ariani ſiquidem in ſe conuerſi, & in vnum coacti, quod perinde eſt ac ſi foris verſarentur, more Saducæorum humanis ratiocinationibus diuinam ſcripturam excipiunt & cauillantur: Quomodo hoc poterit eſſe? Quaſi eſſe non poterit quod ipſi nequeunt intelligere. Reſtat igitur vt ſimili modo de vniuerſitate diſceptent, Ecquonammodo potuit rerum natura, cum aliquando non exiſteret extitiſſe? aut quomodo poteſt puluis terræ deformari in rationalem hominem? aut quomodo poteſt, quod corruptibile incorruptibile fieri? aut quomodo terra ſuper mare fundata eſt? aut quomodo eam ſuper flumina præparauit Deus?] Humanæ igitur rationis eſt in rebus diuinis quomodo quærere. Et, ſi quomodo in rebus viſibilibus tam multis latet, cur latere non permittitur in diuinis penitus inuiſibilibus? quarum quomodo qui quærit, is profecto ſolis humanis ratiocinationibus laxat habenas, & cauillis.

e Athan de Incarn. verbi Dei init.
f Ibid.
g Idem or. vnum eſſe Chriſt.
h Idem in illud: omnia tradita mihi, &c.

Hilarius, ex ſola occaſione hæreſum neceſſitatem aliquam agnoſcit tractandi quædam, quæ myſteriorum altitudo tractari non permitteret. Ait enim. i Sed compellimur hæreticorum & blaſphemantium vitiis, illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa præſumere. Et cum ſola fide expleri quæ perfecta ſunt oporteret, perſonis, ac rebus, adorare ſcilicet Patrem, & venerari cum eo filium, ſancto Spiritu abundare, cogimur ſermonis noſtri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia ſunt extendere, & ad vitium vitio coarctamur alieno, vt quæ contineri religione mentium oportuiſſet, nunc in periculum humani eloquij proferantur. Extiterunt enim plures, qui cæleſtium verborum ſimplicitate pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent aliter interpretanda, quam dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim hæreſis, non de Scriptura eſt, & ſenſus, non ſermo fit crimen.] Obſeruandum eſt quod ait, hæreſes circa ſcripturarum intelligentiam eſſe, non IX.

i Hilar. de Trin. l. 2. init.

circa

circa ipſas ſcripturas. Non enim hæreticus, ſed infidelis negat verum eſſe, id quod Scriptura profert. Hæreticus accipit dictum Scripturæ tanquam veriſſimum, ſed illud ſua mala intelligentia corrumpit, & trahit ad falſitatem.

X. Cyrillus Hieroſolymitanus a *quod Deus quidem,* inquit, *filium habeat, crede: quomodo autem, ne ſis curioſus. Quærens enim non inuenies. Non extollas te, ne cadas. Quæ tibi mandata ſunt, hæc ſola intellige. Dic mihi prius, quis ſit genitor, & tunc genitum agnoſces. Si autem naturam genitoris non potes cognoſcere, qui modus geniti ſit, ne ſis curioſus, ſufficit tibi ad pietatem, quemadmodum diximus, ſcire quod vnum ſolum filium Deus habet.*]

a Cyrill. catech. 11.

XI. Ambroſius, b *Etiam ne nos* inquit, *de generatione Dei quæſtiones ſerimus, cum Paulus iudicauerit nihil ſe ſcire niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum? Petrus nihil aliud quam Dei filium confitendum putauit; nos & quando, & quomodo natus ſit, & quantus ſit, humanæ infirmitatis contemplatione rimamur? ſciuit Paulus quod in iſtis magis offendiculum quæſtionis, quam ædificationis profectus eſſet, & ideo iudicauit nihil ſe ſcire niſi Chriſtum Ieſum. Sciuit Petrus quod in filio Dei omnia ſunt. Omnia enim dedit pater filio. Si omnia dedit, æternitatem, quam habet, maieſtatemque transfudit. Sed quo prolabor longius? Fidei mea finis Chriſtus eſt. finis fidei mea Dei filius eſt. Non licet mihi ſcire generationis ſeriem, non licet tamen neſcire generationis fidem. Crede igitur ſic quemadmodum Petrus credidit, vt & tu beatus ſis, vt & tu audire merearis: Quoniam non caro & ſanguis tibi reuelauit, ſed Pater meus qui in cælis eſt.*] Irenæus quoque ſimilia aſſerebat ſupra n. 3. huius capitis. Nazianzenus quoque hæc ipſa ferme conſiderauerat: Ait enim, c *At Paulus ſudat quidem ſatis, vt perueniat, non dico ad Dei naturam (hoc enim nouerat omnino ſpe ſua maius eſſe) ſed tantum ipſa Dei iudicia. Verum cum hic neque exitum, neque aſſenſus ſtatum inueniret vllum: quin potius hæc mentis curioſitas nullum finem proſpiceret, nimirum ſemper aliquo defectu ſeſe oſtendente, ô miraculum (libet enim cum illo exclamare) captam diſputationem admiratione claudit, & hanc rei difficultatem, Dei diuitias, & altitudinem vocat, Deiq; iudicia incomprehenſibilia profitetur, modo non idem cum ipſo Dauide clamans. Is enim nominat alias Dei iudicia, alias abyſſum multã, cuius vadum nec menſura, nec ſenſu deprehendere poſſis.*]

b Amb. lib. 4. in c. 9. Luc.
c Nazian. de Theol. l. 2.

XII. Cæleſtinus Romanus Epiſcopus de Neſtorij infælici lapſu loquens hæc habet in ſuis literis ad Cyrillum. d *Quæcunq; ſanctitas tua de hoc negotio præſcripſit, & diſputauit, ea omnia Poſſidonius diaconus ordine nobis expoſuit.---Magnus ſane hic noſtræ fidei triumphus eſt, quod nimirum, & noſtra tam valide probaueris, & his oppoſita per diuinarum ſcripturarum teſtimonia tam potenter expugnaueris. Ecquid tandem impiæ illius nouitatis amator faciet? Quam in partem ſe vertet? Qui dum propriis affectibus ſeruire ſtudet, ſuique ipſius verius, quam Chriſti ſectator eſſe mauult, populum fidei ſuæ concreditum occulto prædicationis ſuæ veneno perdere voluiſſe, clare deprehenditur. Qui ſane & legere, & animo quoq; recondere debebat inanes quæſtiones, cuiuſmodi ſunt, quæ ad fidei quidem integritatem nihil conducunt, ad animarum vero exitium plurimum faciunt, vitandas eſſe potius, quam ſtudioſe conſectandas.*] Sed non tam Theologicis diſputationibus Cyrilli, optimi Theologi, aut aliorum, quam teſtimoniis veterum Patrum hæreſim Neſtorij fuiſſe in Concilio Epheſino confutatam, ſatis ex Lyrinenſi probaui ſupra, cap. 6. n. 15. huius. Optime tamen ſentit Cæleſtinus, orthodoxis vitandas eſſe quæſtiones, vbi dogma in ſcripturis clarum habetur, aut ſaltem ex veteri traditione fuerit in ſuo vero ſenſu explicatum.

d Cæleſt. ep. 5. & in actis Concil. Epheſ.

XIII. Cyrillus quoq; ipſe Alexandrinus idem cenſuit; Ait enim: e *Subtiles huiuſmodi, neq; admodum tritæ quæſtiones, non tam demonſtratione dogmatica, quam dubitatione, & diſcuſſione coniecturali indigent; neq; committendum eſt, vt ſermo in ea quæ parum conſentanea ſunt prolabatur, aut à veritate aberret. Scriptum eſt enim. Quærens quære, & iuxta me habita. Quod vero ipſa ſacra Scriptura aperte non dixit, quo pacto quiſquam aperte declarauit? Cuius generis cenſeo eſſe id, quod ſcriptum eſt in libro de creatione mundi, quod in principio fecit Deus cælum, & terram. Et quidem quod fecerit, ſacra Scriptura dicit, & reuera hoc fide complectimur, Quomodo autem, aut vnde. aut quanam ratione cælum, & terra & reliqua creata, ad eſſe ſint traducta: curioſius indagare, noxa non vacat. Altioribus enim atq; abditioribus mentem immergere non oportet. Quæcunq; igitur ſacra Scriptura aperte non dicit, latere oportet, & ſilentio præterire.*] Multa ergo, quæ clara in Scriptura non ſunt, aut ſilentio ſunt prætereunda, nec indaganda, aut ſolis coniecturis, & probabilitatibus in iis inquirendis eſt laborandum, & conſequenter ſemper erunt indefinibilia.

e Cyrill. aduer. anthropomorph. c. 2.

XIV. Auguſtinus ſæpius idipſum inculcat; vt quando ait. f *Ea moderatio eſt ſeruanda, vt in profundo Scripturæ ſenſu magis preſtemus diligentiam requirendi* (in traditione antiquitatis) *quam affirmandi temeritatem.*] Et dat exemplum quæſiti inreſolubilis, quomodo Deus nouerit Hieremiam antequam formaretur, vt vidimus cap. 2. n. 56. huius. Iterum Auguſtinus quæſtionem de origine animæ humanæ facit ſibi inſolubilem, & ait. g *Aut de hac re nihil quærendum eſt, vt ſufficiat fidei noſtræ, ſcire nos quo pie viuendo venturi ſumus, etſi neſciamus vnde venerimus. Aut ſi non impudenter æſtuat anima rationalis etiam hoc noſſe de ſe ipſa, abſit peruicacia contendendi, aſſit diligentia requirendi, humilitas petendi, perſeuerantia pulſandi: vt ſi nobis hoc expedire nouit, qui melius quam nos quid nobis expediat vtiq; nouit, det etiam hoc, qui nouit dare bona data filiis ſuis.*] Vel ergo abſtinendum à tali inquiſitione; vel moderate procedendum, & ita, vt, ſine ſpeciali reuelatione, nihil certi ſibi quis poſſit in talibus inquiſitionibus promittere.

f Aug. de gen. ad lit. lib. 6. c. 9.
g Ibid. l. 10. c. 23.

XV. Proſper optime obſeruarat in ſacra Scriptura interdum inueniri oppoſitas aſſertiones, non ſine aliqua obſcuritate, ac optime monet. h *Si,* inquit, *quod cognoſci non poteſt non quæratur, inter primam, & ſecundam definitionem non remanebit cauſa certaminis, ſed ſecura, & tranquilla fide vtrunque prædicabitur, vtrunque tenebitur.*] In his enim, non verbi Dei defectum vllum, ſed noſtræ intelligentiæ imbecillitatem accuſare debemus, abſtinere vero à rixis, & contentionibus, vbi vltima, & clariſſima explicatio non poſſit haberi.

h Proſp. de vocat. gen. l. 2. c. 1.

XVI. Epiſcopi Armeniæ ad Leonem Imperatorẽ ſcribentes hæc habent; i *Nos Patrum fidem inuiolabilem conſeruamus, quæſtiones vero de Deo tanquam inutiles, & noſtra cogitatione ſuperiores effugimus. & aliud quicquam, aut dicentes valde declinamus. A ſuperfluis quæſtionibus abſtinemus, & lectiones impias reputantes, ab earum prauitate inimica Eccleſiæ ſumus extranei, & triticum fidei, à zizaniis ſeparatum, vobis fidelibus imperantibus conſeruamus, in traditione Patrum doctrinæ ſufficientiam poſſidentes, & nihil ſuperuacaneum quenquam loqui ſinentes, ſuperflui namq; perſcrutatores diuinarum rerum, & dogmatum quæſitores, & quaſi pietatem ſuis ſyllabis comprehendentes, cum loquuntur, aut aliud quicquam de ſcientia diuina delinquunt, eleuantur mox contra Deum. Et volens vnus quis aliquid conſtituere, propriam fidem ſcribit, à Catholica Eccleſia ſemetipſum abrumpit, rectis dogmatibus contradicit, fideles, & fortiter inſtantes, & manentes in fide vehementer impugnare nititur, & lingua propria debellatur.*] Atque hæc ipſa nos noſtris diebus vera eſſe nimium experimur.

i Poſt Concil. Chalc.

Hæc

XVII. Hæc teſtimonia ſunt proculdubio ſufficientiſſima, quibus ſatis conſtat, non modo omnia dubia, quę in ſacra Scriptura controuerſias parere poſſunt non eſſe ſolubilia, & definibilia, ſed etiam à multis tractandis & exagitandis eſſe omnino abſtinendum, & tutius illa ignorari, quam definiri; vnde optime monet Gerſonius dum ait, a *Debet cum maturitate maxima, & non ſine grandi neceßitate Reipublicæ, determinatio fieri in materiis fidei, maxime condendo articulum vniuerſaliter obligantem. Alioquin formidandum eſt de ſcandalo, vel de ſchiſmate non faciliter exterminabili, ſi qui diſſenſerint. Doceat nos ſchiſma Græcorum.*] Deplorabo hoc ipſum ego inferius ſuo loco.

a Gerſ. de exa. doct. priori par. conſid. 1.

XVIII. Quod ſi tamen aliqua ſint in Scriptura obſcura, quæ controuerſias etiam inter orthodoxos generent, neque periculum ſit illa ſubtilius humano Theologorum ingenio agitare, illa profecto de dogmate fidei neceſſario ad ſalutem non erunt. Quæ enim neceſſaria ſunt ea iam diximus, aut in Scriptura eſſe clariſſima, aut ſenſum verum illa habere in vetuſtate, Apoſtolica traditione explicatum. In his igitur non neceſſariis diſputatio libera relinquitur, cum tali moderatione, vt ſolis probabilibus diſputatores contenti, quiſque abundet in ſenſu ſuo, ac interim charitatem, ac vnionem Chriſtianam non lædant: ſed ſe inuicem tolerent, ſiquidem talia in Eccleſia ſint indefinibilia: quia & Scripturæ in his obſcuritate non carent; nam varios ſenſus recipiunt; & de vero ſenſu in veteri Eccleſia nihil conſtat, talia enim ad plenum explicare noluerunt; obſcuriora vero Scripturæ certo, & tuto definiendi nulla alia via eſt in Eccleſia, niſi ipſius Eccleſiæ ſenſus, ex Apoſtolica traditione acceptus. Omnis alius iudex viſibilis incertus eſt, & fallibilis, vt iam probaui. Sed hæc mihi ſunt plenius confirmanda.

XIX. Irenæus, vt vidimus ſuperius n.3. huius cap. diſſenſionem inter orthodoxos declarauit non eſſe ex rebus ipſis, ita vt mutatio ſit argumenti; hoc eſt, quod vnus tractat de vno Deo, alius de alio diuerſo ab illo; ſed quia quæſtiones multæ ſunt in ſcripturarum parabolis obſcuræ, quarum ſolutio neceſſaria ſemper non ſit, ac proinde certa & infallibilis haberi non poſſit: ideo in talibus, quas diuinæ ſapientiæ relinquebat Apoſtolus, ſolere aliquos conari ſua induſtria, an poſſit aliquid accuratius dicere. Ac certe ſupponit Irenæus non propterea diſſenſiones ceſſare, & vltimam definitionem, quæ ſit de fide inde colligi. Dixiſſet enim, tametſi aliquandiu diſſentiant, tandem vni definitioni datæ per ſupremum controuerſiarum Iudicem omnes acquieſcere. Tertullianus quoque num.4. diſputationem ſcripturalem dicebat eſſe curioſitatis, & peritiæ, non fidei; & certamen ſcripturale aut nullam, aut incertam, aut parum certam victoriam parere.

XX. Origenes, vt vidimus ſupra cap.4.nu.15. huius, ait, *Apoſtolos neceſſaria fidei manifeſtiſſime omnibus tradidiſſe, rationem tamen aſſertionum ſuarum iis reliquiſſe, qui donum ſapientiæ & ſcientiæ à Spiritu ſancto haberent.* De aliis vero ait, *dixerunt quidem quia ſint,* (imò etiam in quo ſenſu ſint intelligenda) *quomodo autem, aut vnde ſint ſiluerunt: profecto vt ſtudioſiores quoque ex poſteris ſuis amatores ſapientiæ exercitium habere poſſent, in quo ingenii ſui fructum oſtendere valerent.*] Ingenij, inquit, ſui; Hæc igitur ingenioſa non ad fidē ſpectant; res fidei quomodo, aut vnde ſint, ſæpe ſunt inindagabiles, ac proinde ſummum ingeniorum requirūt moderamen, & omnino ſunt indefinibiles.

XXI. Cyprianus multa habet de libertate cuiuſq; Epiſcopi in ſua Eccleſia, etiam quo ad doctrinalia, gubernanda; quę ego collegi lib.2.cap.5.n.5. Ita vt nemini, niſi ſoli Deo, ſit quiſq; eorum redditurus rationē ſui actus. Intelligit profecto, vt eum b Auguſt. interpretatur, in iis quæ eliquatiſſima perſpectione non ſunt in Eccleſia definita. Poteſt ergo ex Cypriani ſententia quiſq; ſentire & docere, vt ipſi videtur, nec vnus alterius opinionem ſequi tenetur. In articulis tamen fidei non ſic eſt; ſed vnum, & idem omnes ſentire, & docere debent. Igitur extra claros & indubitatos, ac definitos fidei articulos, libertas relinquitur opinionum, cum mutua tolerantia.

b Aug. de bapt. l.3.c.3

XXII. Gregorius Nazianzenus nimium ſubtiles diſputatores, c dialecticos vocat, & garrulos: ſtatuitq; veritate de via ſalutis, ait: *Igitur ſi hæc vera ſunt, cur alii poſthabitis omnibus ad vnam hanc ſeritmini omnes? & (vt putatis vos) per diſputationes, ac ſpeculationes; vt autem ego, nugas, & præſtigias, graſſamini.*] Vetus vitium humanum orthodoxorum quidem, ſed nimium curioſorum perſtringit idem Nazianzenus, quod tamen noſtri ſcholaſtici ſunt turpiter imitati: vt vanas, & futiles de Deo quæſtiones promouerent, vt, eſſetne Deus nuſquam, an alicubi. Vbi fuerit Deus antequam mundus crearetur. d *Quorſum vero,* inquit, *hæc perſtrinxi, id curioſius fortaſſe, quam vt multorum auribus ſit gratum, eam in diſputando differendi figuram ſecutus, quæ nunc regnat: nimirum quæ, ingenua illa, & ſimplici Scripturæ tractatione contempta, vafrum illud & intricatū quæſtionum genus introduxit, vt ex his velut fructibus quibuſdam arborem; hoc eſt, & tenebroſis illis argutiis, tenebrarum principem diabolum, eiuſmodi doctrinæ parentem poſſis agnoſcere? Neque enim huc reſpexi, vt & ipſe noua hæc, & dictu inopinata videar tractare, atque nodū iſtum nectendū, nexiſque reſoluendū, præter cæteros ſapere dicar (hoc enim ſibi vult magnum illud Danielis miraculum) ſed vt redderem apertius illud, quod iam inde à tractatus huius initio intenderam.*] Et hæc quidem contra eos militant, qui nimia immoderatione inſcrutabilia ſcrutari volunt. nobis tamen eo inſeruiūt, vt ſciamus diſputationes de rebus diuinis in Scriptura, aut antiqua traditione non explicatis, ad fidem non pertinere, eſto ad laudabilem peritiam pertineant; ſi ſint moderatæ: & ſcholaſticam totam Theologiam non ad fidem, ſed ad peritiam pertinere, & in multis eſſe ſuperfluā & reſecandam.

c Naziam. de Theol. l.1.

d Ibid. l.2.

XXIII. Ex dicto Cyrilli Hieroſolymitani ſuperius n.10. recenſito, quiſq; colligere poteſt, ſubtiles illas noſtræ ſacræ Theologię diſputationes de generatione æterna filij Dei, an fiat per intellectū, de verbo mētis, &c. eſſe quidem vtiles, & ingenio laudabiliter, ac pie curioſo arridere, eas tamen ad fidei articulū de ſancta Trinitate, non pertinere; fidei enim articulus eſt, Deum verum eſſe filium Dei, ante omnia ſęcula ineffabiliter genitum. Quomodo vero genitus ſit, curioſitatis bonæ, & piæ erit modeſte quęrere, fidei non erit. Quod de hac grauiſſima diſputatione Theologica aſſerit Cyrillus, idem profecto intelligendum eſt de omnibus aliis ſimilibus, quæ non *quod ſit* articuli, ſed, *quomodo ſit* indagant.

XXIV. Auguſtinus optimas in hoc genere pręſcribit regulas, hoc pacto: e *In rebus obſcuris, atque à noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam diuina legerimus, quæ poßint ſalua fide qua imbuimur, aliis, atque aliis parere ſententiis, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proiiciamus, vt ſi forte diligentius diſcuſſa veritas eam recte labefactauerit, corruamus: non pro ſententia diuinarū ſcripturarū ſed pro noſtra ita dimicantes, vt eā velimus ſcripturarū eſſe quæ noſtra eſt, cū potius eam quæ ſcripturarū eſt noſtram eſſe velle debeamus.* Et ſcripturæ interpretationem iuxta priuatū alicuius ſenſum tandiu f nō eſſe

e Aug. de Gen. ad lit. l.1.c.18.

f Ibid. c.19.

contra fidem ait, donec veritate certiſſima refellatur. *Quod ſi factum fuerit*, inquit, *non hoc habebat diuina Scriptura, ſed hoc ſenſerat humana ignorantia. Si autem hoc verum eſſe certa ratio demonſtrauerit, adhuc incertum erit, vtrum hoc in illis verbis ſanctorum librorum ſcriptor ſentire voluerit, an aliquid aliud non minus verum. Quod ſi cætera contextio ſermonis non hoc eum voluiſſe probauerit, non ideo falſum erit aliud quod ipſe intelligi voluit, ſed & verum, & quod vtilius cognoſcatur. Si autem contextio Scripturæ hoc voluiſſe intelligi ſcriptorem non repugnauerit, adhuc reſtabit quærere, vtrum, & aliud non potuerit. Quod ſi & aliud potuiſſe inuenerimus, incertum erit quidnam eorum ille voluerit, aut vtrunque ſentiri voluiſſe non inconuenienter creditur, ſi vtriuſque ſententiæ certa circumſtantia ſuffragatur. Plerumque enim accidit, vt aliquid de terra, de cælo, de cæteris huius mundi elementis, de motu, & conuerſione vel etiam magnitudine & interuallis ſyderum, de certis defectibus ſolis & lunæ, de circuitibus annorum & temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atq; huiuſmodi cæteris, etiam non Chriſtianus ita nouerit, vt certiſſima ratione, vel experientia teneat. Turpe autem eſt nimis, & pernicioſum, ac maxime cauendum, vt Chriſtianum de his rebus quaſi ſecundum Chriſtianas literas loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, vt quemadmodum dicitur, toto cælo errare conſpiciens, riſum tenere vix poſſit, & non tam moleſtum eſt quod errans homo derideretur, ſed quod authores noſtri ab eis qui foris ſunt talia ſenſiſſe creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum ſalute ſatagimus, tanquam indocti reprehenduntur, atque reſpuuntur. Cum enim quenquam de numero Chriſtianorum in ea re quam optime norunt, errare deprehenderint, & vanam ſententiam ſuam de noſtris libris aſſerere, quo pacto illis libris credituri ſunt de reſurrectione mortuorum, & de ſpe vitæ æternæ, regnoque cælorum, quando de his rebus, quas iam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putauerint eſſe conſcriptos? Quid enim moleſtiæ triſtitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarij præſumptores, ſatis dici non poteſt. cum ſi quando de praua, & falſa opinione ſua reprehendi & conuinci cœperint ab eis qui noſtrorum librorum authoritate non tenentur, ad defendendum id, quod leuiſſima temeritate, & apertiſſima falſitate dixerunt, eoſdem libros ſanctos vnde id probent, proferre conantur, vel etiam memoriter quæ ad teſtimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronunciant, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*] Summam incertitudinem in tractationibus obſcuriorum ſcripturarum oſtendit, ita vt ſolæ afferantur, & vel corroborentur, vel infirmentur probabilitates, in quibus tractandis admittit libertatem; modo ne in placitis philoſophiæ naturalis omnibus notis, quæ interdum Scriptura commemoret, aut ſecum neceſſario ferat, aliquid monſtroſum excogitetur, quod riſum moueat hoſtibus fidei, & in vilipendium ſacrorum librorum proferatur; quam admonitionem optimam ſequi noluerunt, qui, contra naturam, portentoſam aut corporum tranſubſtantiationem, aut vbiquitatem abſque vlla neceſſitate, & ſimilia induxerunt.

XXV. Habet præterea Auguſtinus iſta, *a Magna quæſtio eſt* (de paruulorum regeneratione) *aliamque diſputationem deſiderat, eo tamen, quantum arbitror, moderamine temperatam, vt magis inquiſitio cauta laudetur, quam præcipitata reprehendatur aſſertio. Vbi enim de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuuantibus diuinarum ſcripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens in partem aliquam declinando. Etſi enim quodlibet horum, quemadmodum demonſtrari, & explicari poſſit, ignorem, illud tamen credo, quod etiam hinc diuinorum eloquiorum clariſſima authoritas eſſet, ſi homo illud diſpendio promiſſæ ſalutis ignorare non poſſet.*] Igitur Theologicæ ſcientiæ diſputationes ad aliquam tendunt duntaxat probabilitatem, & ſi ignorentur, nihil damni ſalus patitur animarum; nam in neceſſariis, ſentit Auguſtinus, non deeſſe ſacrorum eloquiorum clariſſimam autoritatem. Et poſtea laudat cautelam Pelagij, qui *b* rectiſſime faceret, *dum de re obſcura, de qua nulla in ſcripturis ſanctis certa & aperta teſtimonia poſſumus inuenire, aut difficillime poſſumus, cunctanter loqueretur potius, quam fidenter.*] Item: *c Quis enim non ſentiat in his atque huiuſmodi variis, & innumerabilibus quæſtionibus, ſiue ad obſcuriſſima opera Dei, ſiue ad ſcripturarum abditiſſimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti, ac definire difficile eſt, & multa ignorari ſalua Chriſtiana fide, & alicubi errari ſine aliquo hæretici dogmatis crimine?*] Exponunt ſe ſane periculo errandi, qui abdita Dei vbi ducem infallibilem non habent, inquirunt; ſed tametſi errent, in hæreſim tamen non labuntur; quia bona fide probabilem ſequuntur opinionem, & res illa ex neceſſario credendis non eſt: Quare ſi etiam ignorentur, nihil inde damni ſequitur. *d Tanta eſt enim* ait idem, *Chriſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia vſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere; non quod ad ea quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate. ſed cum quiſque ibi fidem tenuerit, ſine qua pie recteque non viuitur, tam multa, tamque multiplicibus myſteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus reſtant, tantaque non ſolum in verbis quibus iſta dicta ſunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ, vt annoſiſſimis, acutiſſimis flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet. Cum conſummauerit homo, tunc incipit.*] Et de perito Theologo, qui diſputando poſſit articulos fidei certos, & indubitatos tueri, ait, *e Qui nouit quomodo iſta defendat, doctior eſt, non fidelior. Habet fidem, habet facultatem defendendi fidem, alius non habet facultatem, & copiam, & doctrinam defendendi fidem, ſed habet ipſam fidem. Ille autem qui nouit defendere fidem, titubantibus eſt neceſſarius, non credentibus. In defenſione enim fidei curantur vulnera dubitationis, vel infidelitatis. Qui ergo defendit fidem, bonus eſt medicus. Sed in te non eſt infidelitatis morbus. Quando ille nouit curare quod non habes, nouit ille ponere medicamentum, ſed in te non eſt vitium. Non eſt ſanis opus medicus, ſed male habentibus. Tamen quæ poſſunt expeditius dici pro tempore, & commodius audiri, ſubiicere nobis non eſt conſilij.*] Conandum aliquid ad ædificationem, & conſolationem, non ad fidem, quæ probanda non eſt, ſed tenenda; ex ſcripturis eruenda, non rationibus ſtabilienda; qui confirmationem fidei quærit, in fide vacillat, infirmus eſt, non ſanus. Diſputationes ſunt medicinæ ægrotorum, non firmitudo bene valentium. *f De veritate enim diſputare cum fidelibus bonum eſt, at pro veritate diſputandum non eſt, niſi cum incredulis*, vt ait Philoſophus Chriſtianus.

XXVI. Gerſonium libenter his Patribus ſubnecto, quia in Papatu iam firmato & ſtabilito non videbatur tantum luminis ſupereſſe potuiſſe. *g Ad Epiſcopos*, inquit, *non ſpectat propoſitionem aliquam hæreticare quæ ex ſe, & de iure penitus dubia eſt an ad fidem pertineat repugnanter, neq; eſt ſcandaloſa, & poteſt ſine periculo, eius veritas, vel falſitas ignorari. Exemplum de iſtis. Deus poteſt creare ſupremam ſpeciem: Virgo Maria fuit concepta in peccato originali: & de ſimilibus, quæ apud maximos doctores in Theologia, non corruptos in affectu vel intellectu iudicantur probabiles, neque ſcan-*

a Aug. de peccat. mer. & remiſſ. l. 2. in fine.

b Ibid. l. 3. c. 10.

c Aug. de pecc. orig. l. 2. c. 23.

d Idem ep. 3.

e Idem ſerm. de temp. 139.

f Athenagoras de reſurrect. mort.

g Gerſ. in concluſionibus poſt ſerm. de purif. Mariæ concl. 3.

ſcandaliZant, neque oportet eas ſcire ad bene viuendum, vel credendum. Sicut dicit Hieronymus in ſermone de iſta. Virgo Maria aſſumpta eſt in cælum cum corpore; Quòd melius eſt de ea piè credere, quam aliquid temere definire, quod ſine periculo neſciri poteſt.] Mihi tamen propoſitio illa Beatam virginem conceptam fuiſſe in peccato originali videtur de fide, & contrariam repugnare ſcripturæ, *a In quo omnes peccauerunt.* & dum ait Epiſcopos illud non poſſe, intelligit profecto & Papam, & Concilia.

a Rom. 5. 12.

XXVII. Satis igitur ex his conſtat fundamentalia fidei ex ſacra Scriptura, addita ſæpe veteris Ecclesiæ per traditionem Apoſtolicam habita vera dogmatis neceſſarij intelligentia, cui Conciliares definitiones legitime fuerunt ſemper innixæ, haberi omnia certa, & indubitata. Alia omnia, quæ neque in Scriptura clara ſunt, neq; in vetuſtate per traditionem legitimam verum ſenſum habent, veramque intelligentiam, diſputationibus duntaxat probabilibus poſſe ventilari, definiri nulla ratione poſſe; quippe nequaquam ad ſalutem neceſſaria, cum citra periculum ſalutis poſſent vel ignorari, vel etiam falſo apprehendi. Et ſane diſputationes ex ingenio humano maxime pendentes, etiam per ſcripturarum, & rerum reuelatarum inductiones, ſicut ad honeſtum exercitium, & Chriſtianam conſolationem aliquid valere poſſunt, ita ſi nimium vrgeantur, & indiſcreto zelo agitentur, facilius in errores, quam in veritatis elucidationem poſſunt deducere. Ac niſi charitas, & debita adſit moderatio, etiam magna ſchiſmata poſſunt parere. Sit nobis antiquum quidem, ſed ſingulare exemplum Cyprianus, cum ſuis ſequacibus. *b Qui dum Theologicas agglomerant rationes, in errorem anabaptiſmi ruunt. Cui errori tollendo non vlla contrariæ rationes (quas tamen Auguſtinus exacte tractauit in ſuis de Baptiſmo libris) ſed ſola Eccleſiaſtica conſuetudo Apoſtolicæ traditioni innixa ſupra omnes rationes valuit, ac præualuit.*

b Concil. Carthag. apud Cyp.

XXVIII. Itaque noſtri ſcholaſtici, illi quoque quos moderatiores eſſe cenſuit c Melchior Canus, fidei Catholicæ parum admodum ſunt aut neceſſarij, aut vtiles: Nam, tametſi & ſcripturis vtantur, & Patribus, neque ſcripturas exacte rimantur, aut trutinant neque Patres: ſed metaphyſicis potiſſimum, ſeu dialecticis nituntur rationibus, ex proprio ingenio excogitatis, & ingenij dexteritate & ſcripturas ad ſuam phantaſiam, vel inuitas trahunt, & Patres: quas, & quos non niſi perfunctorie (& hoc ordinarie) conſiderant; quibus ſane ingenioſis ratiuncularum ſubtilitatibus, vere ſophiſmatis, magnam vim faciunt interdum veritati, & pro falſitate ſæpe decertant. Ad noſtros ſcholaſticos maxime illud pertinet, quod pro ſuo tempore propter Arianos deplorabat Baſilius his verbis, *d Contempta ſunt patrum dogmata, Apoſtolicæ traditiones annihilata ſunt, nouorum hominum inuenta in Eccleſiis regnant: Artes decantere tractant homines, non Theologiam; mundi ſapientia primas fert.*] Conſideret ſtudioſus lector vndenam ſcholæ noſtræ, & Romana curia ſcholarum ſiue filia, ſiue mater, ſiue potius hera, definiant tanquam de fide ſeptem eſſe Sacramenta proprie dicta nouæ legis; panem tranſubſtantiari in corpus, & vinum in ſanguinem, Indulgentias, Purgatorium, Papatum, & innumera alia; ac profecto præter dialecticas, & futiles captiunculas nihil habent, non ſcripturas, non Patres, non traditiones, niſi per ſummam violentiam ad ſe detortas. Proteſtantes etiam, cur & à noſtris Catholico-Romanis in multis ſine neceſſitate tantopere diſſident, & abhorrent; & inter ſe turpiter diuiſi ſchiſmata multiplicãt, niſi quia plus in nonnullis quæſtionibus volunt ſapere, quam oportet ſapere; & quæ diſputabilia ſunt, ac in opinionibus liberis poſita, perinde tueri volũt, ac ſi ad neceſſariam fidem illa pertinerent? An non ſatis reformare, quæ reformanda merito ſunt, & Pontificios tam multos nouellos articulos fidei, veræ fidei eſſentiali ſuperadditos à ratione fidei deturbare, diſputabilia vero diſputationibus liberis relinquere, & cum mutua tolerantia, atque charitate permittere cuique ſuæ non damnatæ opinionis libertatẽ? ſed cum ad ſingulas controuerſias in ſpecie peruenero, id vehementius vrgebo.

c Canus de loc. com. l. 8. c. 1.

d Baſil. ep. 61.

CAPVT X.

Schiſmata in Eccleſiaſticis diſſenſionibus eſſe maxime vitanda.

Svmma Capitis.

De ſchiſmate ſeptem capita tractanda proponuntur. n. 1.

1. *De Eccleſiæ vnitate, quam ſchiſma tollit, tractatio initur; Ac vnitas in primis ex ſcripturis colligitur à n. 2. ad n. 7. à Patribus commendatur, & explicatur à n. 8. ad n. 12. Communio inter Eccleſias eam conſeruat fidei profeſſione à n. 13. ad n. 22. Vnitas hæc ex vnitate capitis viſibilis non eſt petenda. n. 23.*
2. *Schiſma facit à vera Eccleſia Chriſti ſeparationem. Vera ergo Eccleſia quæ ſit explicatur cum eorum excluſione qui ad veram Eccleſiam non pertinent. à n. 24. ad n. 34. Illaq́; viſibilis eſſe oſtenditur. à n. 35. ad n. 42. eius notæ proponuntur. à n. 43. ad n. 72.*
3. *Schiſma quid ſit, & in quo id conſiſtat. à n. 73. ad n. 79.*
4. *Ex quibus cauſis ſchiſmata oriantur, & orta ſint: hic plura de veteri ſchiſmate Luciferiano, & Antiocheno, & de Baronii erroribus circa ipſum à n. 80. ad n. 105.*
5. *Quam graue malum ſit ſchiſma. à n. 106. ad n. 117.*
6. *Græcorum ſchiſma, quem ortum, & progreſſum, & quas cauſas habuerit, habeatque: & primum de*

proceſ-

proceſſione Spiritus ſancti à num. 118. ad num. 130. deinde de primatu ſedium à num. 131. ad n. 187.

7. *Schiſma inter Proteſtantes & Pontificios; ac inter ipſos Proteſtantes; conſideratur; & rurſus ex notis veræ Eccleſiæ inquiritur qui ſint illi, qui ſchiſma faciunt, & à verâ ſe ſeparant Eccleſiâ à n. 188. ad finem capitis.*

I. QVi ſe veris fidei regulis interne dirigi non patiuntur fideles, illi & praua perſuaſione proprij iudicij, in hæreſes incidunt, & rabidis diſſenſionibus, iiſdem fidei regulis non ſubiacentibus, horrendis ſchiſmatibus Eccleſiam Chriſti lacerant. De hæreſi diximus, iam de ſchiſmate; quod inmoderatæ rerum Theologicarum tractationis vt plurimum ſolet eſſe infælix partus, aliquid dicamus. Declarabo de ſchiſmate; quid ipſum ſit: vnde nam oriatur: Quantum malum ſit hæc tria in genere. In ſpecie deinde agam de Græcorum ſchiſmate: Et de ſchiſmatis in noſtro Occidente. Sed quoniam ſchiſma diuidit vnitatem Eccleſiæ & à vera Eccleſia Catholica facit ſegregationem; ideo ante omnia explicanda eſt vnitas, & communio Eccleſiarum; deinde etiam vera Eccleſia Catholica indaganda, atq; ex his veros ſchiſmaticos facile cognoſcemus.

II. Chriſtum Dominum vnicam, & eandem per vniuerſum terrarum orbem ſparſam, voluiſſe ſuam eſſe Eccleſiam; ex ſcripturis colligitur, & Patres docent. *a Super petram* dixit, *ſe ædificaturum ſuam Eccleſiã:* non dixit Eccleſias, ſed Eccleſiam: & illam ædificiũ quoddam eſſe voluit, videlicet vnius cuiuſdam domus conſtructionem: cuius domus fundamentum ſit ipſe Chriſtus; & fides in eum, lapides viui, omnes totius mundi fideles, vt explicaui; l. 1. c. 6. n. 21. cæmentum, quo lapides inter ſe hærent; & ædificium ſtabile ac firmum conſtituitur, ipſa charitas, quæ ſimul iunctos ac vnitos lapides retineat ne diſſiliant, vt paulo poſt explicabo: Vnicam vero hanc magnã domum non plures inter ſe diuerſas, magnus hic architectus, per ſuos cæmentarios Apoſtolos ſe ædificaturum, ſicuti in mente habebat, ita & ſatis id innuebat celebri illo myſterio, dum cum ſolo Petro de negotio huius ædificationis ſuſciperet tractationem: *Tu es Petrus*, inquit, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claues, &c.*] Ac poſt reſurrectionem ſolum Petrum videtur inſtituere paſtorem: *b Paſce oues meas.*] Munera profecto hæc celeberrima ædificandi, claudendi, & aperiendi, ac paſcendi, fuerunt æque omnibus, & ſingulis Apoſtolis à Chriſto credita, nec quicquam in facto atque promiſſorum executione; munerumque conſignatione datum eſt Petro, quod non totum etiam aliis Apoſtolis fuerit commiſſum: voluit tamen Dominus cum ſolo Petro de hac Eccleſiæ ædificatione agere, aliis omnibus audientibus Apoſtolis, vt inde illi aduerterent; & colligerent, non quemquam ipſorum ſuam ſeorſim Eccleſiam eſſe fabricaturum; ſed vnicam omnes; quod ego cum Patribus fuſe explicaui lib. 1. cap. 8. n. 3. & ſeqq. Bono eiuſdem vnitatis Petrus poſt crimen negationis reponitur in ſuum locum Apoſtolici principatus, factus nimirum caput Apoſtolorum, vt inde ipſum Apoſtolicum collegium ſuam haberet vnitatem; atque ita diſcerent omnes Apoſtoli eos, quemadmodum in vnicum corpus coaleſcebant, ita vnico operi omnes ſimul à Chriſto applicari, vt vnica Eccleſia ab omnibus ſimul extruatur, & hoc fuſe etiã eſt à me lib. 1. c. 7. n. 20. & 21. & c. 10. n. 17. cum Hieronymo, & Optato, declaratum.

a Matt. 16. 18.

b Ioan. 21. 17.

III. *c Expedire vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat*, dixit Caiphas prophetando, ac neſciens quid diceret: hoc tamen verũ erat; *quia Chriſtus*, vt ait Euangeliſta, *moriturus erat pro gente & non tantum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.*] Mors ergo Chriſti nõ ſolam hominum redemptionem, ſed etiam vnitatem Eccleſiæ operabatur. Ante mortem Chriſti erant fideles Dei ſparſi, & diuiſi; aliqui ſub lege Moſaica, *d* alij ſub ſola lege naturæ, hinc inde ſparſi, nullam certam conſtituentes congregationem. Iam vero illud diuina voluit ſapientia, vt omnes penitus ipſius fideles, ac veri per fidem filij, vnicam in toto mundo conſtituerent ſocietatem, vnicam ſub Duce, & Imperatore Chriſto militiam, ſub vexillo crucis, & certorum Sacramentorum ſignis ac teſſeris, profiterentur. Atque hæc vnitas, ſocietas, & congregatio inſignis effectus eſt mortis Chriſti. Nam & ipſe dicebat de ſua cruce, *e ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, quod inferius cũ Athanaſio explicabo. Eratq; tantopere cordi Chriſto hæc vnitas, vt feruentiſſima oratione, ipſa vltima vitæ ſuæ nocte à Patre petierit, vt diſcipulos ipſius ab hac vnitate diſcedere nõ pateretur. *f Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos* — *g Non pro eis autẽ rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi dedi eis, vt ſint vnum ſicut & nos vnũ ſumus: Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, &c.*] Vbi ergo vnitas conſeruatur Eccleſiæ, in nomine Chriſti, ibi conſtat Chriſtũ probari ex hac vnione, eſſe filium Dei, & à Deo fuiſſe miſſum. Diuiſiones autem & ſchiſmata in Chriſti Eccleſia plurimũ derogant fidei, & infidelibus anſam præbent obloquendi, Chriſtũ non fuiſſe filiũ Dei, nec à Deo miſſum: ſiquidẽ ab ipſo inſtituta ſocietas non conſiſtat, ſed diſſoluatur. Orat a. Chriſtus pro vnitate nõ priuata ſuorum diſcipulorum, & eorũ qui credituri erant per verbum ipſorum, quaſi eſſet periculũ, ne illi inter ſe priuata odia exercerent, ſed orat vt ſint vnum vnitate publica Eccleſiaſtica; Præuidebat n. Chriſtus in ſua Eccleſia ſchiſmata futura. *h Nõ igitur vt nos eſſemus quales ipſe*, inquit Athanaſius, *dictum eſt ab eo vt vnum ſint quemadmodum & nos ſumus; ſed vt quẽadmodum ille, vtpote verbũ in Patre ſuo eſt ita quoq; & nos aliqua ſimilitudine, & rudi formula, dum in eũ reſpicimus efficeremur vnum, vna inter nos, & mutua concordia animi & Spiritus vnitate, nec diſſentiamus vt Corinthij, ſed ita concordes ſimus, vt quinq; illa millia in actibus Apoſtolorũ, qui quaſi vnus homo conſcripti erant.*] Diuinæ quoq; illuſtrationes ideo dantur fidelibus, vt ſint vnum. Nã nihil eſt quod magis vnitatem diſcindat Eccleſiæ, quam inopia diuinę claritatis, quando homines propriæ ſapientiæ nimium innituntur, nec diuinã ſolã ſequuntur illuſtrationẽ. *Nã i ſi in luce ambulamus ſicut & ipſe eſt in luce*; hoc eſt ſolas claras reuelationes fidei ſequamur, *ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato.*] Lux illa fidei, licet tenuis ſit, & *k* per ſpeculum in ęnigmate, ſola ſequenda eſt, vt conſeruetur ſocietas ad inuicẽ inter fideles. qui alias luces in reb. diuinis ſequitur, ſocietatem ſeruare nõ poterit, nec fructũ ſanguinis Chriſti percipere, nam extra hãc perfecte vnitã ſocietatem ſanguis Chriſti neminem emundat.

c Ioan. 11. 50.

d Infra n. 24. 25. huius cap.

e Ioan. 12. 32.

f Ioan. 17. 11.

g Ioan. 17. 20. 21.

h Athan. ſerm. 4 cont. Arianos.

i 1. Ioa. 1. 7.

k 1. Cor. 13. 12.

M Vnitas

IV. Vnitas hæc Eccleſiæ, ne diſcerpatur diſſidiis, ne contentionibus inquietis diuidatur, toties cōmendatur in ſacris libris, quoties pax inculcatur. Chriſtus diſceſſurus ex mundo ad Patrem pacem hanc tanquam præcipuam hæreditatem ſuis teſtamento a Ioan. 14. 27. reliquit diſcipulis. *a Pacem meam do vobis, pacem meā relinquo vobis.*] Quam pacem, & vnitatem Angeli nup b Luc. 2. 14. nato Domino, læti annunciarunt; *b Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.*] Diſcordes enim ſectæ, & innumerabiles viuēdi rationes, inter ſe valde diſſimiles, & ſæpe contrariæ in vnitatem Chriſtianam c Epheſ. 2. 14. erant coituræ, per illum *c qui eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, & mediū parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua legem mandatorum decretis euacuans; vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacē, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacem vobis qui longe fuiſtis, & pacem ijs qui prope: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno Spiritu ad Patrem.*] Maceries erat profecto ac paries lex Moſaica, quæ diuidebat Iudæos à gentilibus; hunc parietem demolitus eſt Chriſtus, vt fieret hæc vnio, & coniunctio duorum in vnum. Maceries eſt confuſa quædam lapidum congeries, aceruum faciens, abſque vllius cæmenti colligatione. Sic lex illa continebat aceruum duriſſimorum lapidum, tot cere- d Act. 15. 10 monialium decretorum; iugum *d* durum & intolerabile, quod neq; nos, inquit Petrus, neque Patres noſtri portare potuerunt. Hi lapides non fuerūt in murum calce firmati; qui ad tempus manere debebant, mox auferendi, & ablata illa confuſa macerię, quę ſeparabat gentes à Iudæis, iam nouum ędificiū factū eſt à Chriſto lōge amplius & perfectius, ex parietibus optimo ordine, & firmiſſimo cemento coagmētatis, in quibus ipſe Chriſtus poſuit ſe ipſum & fundamētum, & lapidem angularem, qui ex duob. populis plurimū diuiſis, fecit vnum. Quod & ſubdit e Epheſ. 2. 19. Paulus ſic colligens: *e Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei; ſuperadificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu; in quo omnis adificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.*] Eſt ergo Eccleſia vnicum templum ſanctum, ex cōcordi & pacifica coniunctione populorum olim diuiſorum adunatum, & factum.

V. Eandem Eccleſiæ vnitatem apte deſcribit Paulus ex ſimilitudine corporis humani. Nam ait, f 1. Cor. 12. 12. 13. 20. & Rom. 12. 4. 5. *f Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus; etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus —Nunc autem multa quidem membra vnum autem corpus.* Item, g Epheſ. 4. 1. *g Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtra: vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma; vnus Deus & pater omnium---& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c.---in adificationem corporis Chriſti---creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit in adificationem ſui in charitate.*] Eccleſiam autem expreſſe dixit eſſe h Epheſ. 1. 23. & Col. 1. 18. 24. corpus Chriſti, *h & ipſum, Chriſtum, dedit,* inquit, *caput ſuper omnem Eccleſiam, qua eſt corpus ipſius.*] Ac niſi Eccleſia eſſet corpus Chriſti, non dixiſſet Chriſtus Saulo Eccleſiam Chriſti perſequenti; *i Saule Saule quid me perſequeris.* i Act. 9. 4. Si quis pectus, ſiquis brachia, ſiquis pedes alicuius lædat, profecto eiuſdem caput queritur, & ait lædenti, Tu me lædis, licet capiti nullam intulerit læſionem; quia caput ſimul cum corpore faciunt vnum. Hæc ſane corporis ſimilitudo optime explicat Eccleſiæ ſanctæ vnitatem. Corpus enim varia habet membra, variis diſtincta muneribus, omnia tamen eodem humido radicali nutriuntur, eodem calore naturali fouentur, eodē Spiritu viuificantur, ac mouentur, eoſdē influxus à capite recipiunt. Ita Eccleſia Chriſti corpus myſticum plurimis conſtat membris, ipſis fidelibus, inter quos varia ſunt diſtributa officia ſpiritualia, ſunt oculi, ſunt manus, ſunt pedes, &c. Humidum radicale eſt vna, & eadē fides omnium: calor naturalis eſt diuina *charitas, qua per Spiritum ſanctum k diffuſa eſt in cordibus noſtris* Spiritus vi- k Rom. 5. 5 tales, & animales ſunt eadem diuinę gratię auxilia; influxus à capite, ſunt dona Spiritus Chriſti, quæ in Eccleſiam perpetuo ille influit. Huc ſpectat ꝙ ait Paulus, *l Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus,* l 1 Cor. 10. 17. *omnes qui de vno pane participamus.*] Sacroſācta Chriſti corporis ꝙ in Sacramento ſumimus alimonia, vnitatē huius corporis ſatis demonſtrat; q̄n. de vno, & eodem pane participant, vni, & eidē menſę aſſidēt; vnius, & eiuſdē familiæ ſunt, vt explicaui l. 5. c. 6. n. 278. Totam vero Eccleſiam eſſe vnicam Rempublicam docui lib. 6. cap. 10. n. 87.

VI. Explicatur in ſacris literis eadem vnitas Eccleſiæ etiā per nuptias: De ſponſo enim; & ſponſa dicitur; m Gen. 2. 24. *m Erunt duo in carne vna: n Sacramentum hoc magnū eſt,* inquit Apoſtolus, *Ego a. dico in Chriſto, & in Eccleſia.* n Epheſ. 5. 32. Inter Chriſtum igitur, & Eccleſiam vnitas ſumma eſt, & ſicut Adam vnicā habuit ſuam vxorem legitimā Euam; ita Chriſtus vnicam habet ſponſam Eccleſiā. Quemadmodū igitur inter virum, & vxorem, & liberos vnica eſt familia; ita Eccleſia tota vnica eſt familia cuius Pater Chriſtus, cuius mater Eccleſia, cuius filij fideles. Ac quemadmodū Adam inſpiciens primū Euam, dixit; *o Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro* o Gen. 2. 23. *de carne mea* Ita Chriſtus videns Eccleſiam ſuam regeneratorū, pro qua *p* Verbum caro factum eſt, de p Ioan. 1. 14 illa dixit, hoc nūc os de oſſibus meis, & caro de carne mea. Sola enim Eccleſia, hoc eſt ſoli veri fideles ex oſſibus, & carne Chriſti cōſtant ſpiritualiter, Eccleſia n. à Chriſto eſt. Et ſicut Adam dixit; *q Propter* q Gen. 2. 24. *quod relinquet homo patrem, & matrē, & adharebit vxori,* ita Chriſtus reliquit quodāmodo Patrem, quando ꝓpter nos homines & ꝓpter noſtram ſalutē, id eſt propter Eccleſiam ſuā ſponſam deſcendit de cælis, & homo factus eſt, duo in carne vna, Verbū & Caro in vna perſona; & Verbum incarnatū atq; Eccleſia in vno corpore myſtico. Sponſus ſponſam ſuam ornat, ditat, & eius ꝓmouet pulchritudinē: *Chriſtus r* r Epheſ. 5. 26. 27. *mundat Eccleſiam lauacro aqua, in verbo vita, vt ſit non habens maculā, neq; rugam*, eamq; ſuis ditat donis & Sacramentis. Sponſus theſauros ſuos ſponſæ ſuæ ſeruādos, & cuſtodiēdos tradit, Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Scripturam, dogmata, eorumq; veram intelligentiā commiſit, & illa eſt cuſtos diligens tam Scripturæ, quam neceſſariarū traditionum: ex ſponſo, & ſpōſa gignuntur filij, ad quos ſolos paterna perueniat hæreditas, Eccleſia ex ſolo Chriſto concipit, & parit filios per ſpiritualem regenerationem, eoſque fæcunda admodum mirifice multiplicat. Ac quemadmodum Maria virgo ex Spiritu ſancto concepit, & peperit filium Chriſtum Dominum, & non ex Ioſepho, cui ad ſpeciē tantum nupſerat. *ſ Vere deſpōſata* ſ Ambr. in Luc. lib. 2. in c. 1. *ſed virgo*; ait Ambr. *quia eſt Eccleſia typus, qua eſt immaculata, ſed nupta: Concepit nos Virgo de Spiritu, parit nos virgo*

ſine

ſine gemitu. Et ideo fortaſſe Sancta Maria alii nupta, ab alio repleta; quia & ſingula Eccleſia Spiritu quidem replentur, & gratia, iunguntur tamen temporali ad ſpeciem ſacerdoti.] Si tota Eccleſia vnicum haberet ſibi deſponſatum ſacerdotem, Romanum Pontificem, non dixiſſet Ambroſius. ſingulas Eccleſias particulares ſuo ad ſpeciem iungi ſacerdori, ſed ipſam Eccleſiam totam vniuerſalem ſuo vniuerſali Epiſcopo ad ſpeciem iungi dixiſſet. Nam & de vniuerſali loquebatur Eccleſia, & ſane ſingulæ Eccleſiæ particulares ſuo vni Epiſcopo iungendæ tunc erant, cur non etiam nunc? Qui tamen Epiſcopus ad ſpeciem, propter conſeruationem vnitatis ſit ſponſus ſuæ Eccleſiæ, ſed illa concipit & parit, non ex ipſo Epiſcopo, ſed ex Spiritu Chriſti, qui ſolus eam replet, & fæcundat. Atque hi ſoli filij ſic ab Eccleſia ſola vnica Chriſti ſponſa geniti hæreditatis Chriſti ſunt capaces, alij aliunde geniti *a ex ſanguinibus, & ex voluntate carnis, aut viri*, & non ex Deo per Eccleſiam, aut ex Eccleſia abiecti, aut qui Eccleſiam deſeruerunt, & ab ea ſe miſerabiliter ſepararunt, ad hæreditatem cæleſtem nullum ius, nullam ſpem habent; Qui in *b* arca Nohæ erant ſoli ſaluati ſunt: qui in *c* domo Rahab à cæde ſoli liberati. Eccleſia eſt vnica arca, vnica domus noſtræ ſalutis. *d In* vna domo agnus Paſchalis erat comedendus, per varias domos non poterat diſtrahi, neque de eius carnibus erat quicquam foras efferendum. In vnica, & ſola Eccleſia Chriſtus verus *e Agnus qui tollit peccata mundi*, ſuos paſcit & nutrit, neminem extra. Eccleſia demum eſt Chriſti *f* tunica inconſutilis, quam ipſe ſcindi à militibus non permiſit: quia vna, & integra ſemper eſſe debet.

a Ioan. 1. 13. *b* Gen. 7. *c* Ioſue 6. 25. & Cypr. l. 1. ep. 6. *d* Exod. 12. 46. *e* Ioa. 1. 29. *f* Ioan. 19. 24.

VII. Canticum Salomonis vnitatem hanc noſtræ Eccleſiæ cecinit pulcherrime dum ait. *g Vna eſt Columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ electa genitricis ſuæ.*] Per caſtiſſimam columbam Eccleſia aptiſſime ſignificatur. *h Idcirco & in i columba*, inquit Cyprianus, *venit Spiritus ſanctus; ſimplex animal, & latum, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium lacerαtione violentum: hoſpitia humana diligere, vnius domus conſortium noſſe, cum generant ſimul filias edere, cum commeant, volatibus inuicem coherere, communi conuerſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda, vt columbas dilectio fraternitatis imitetur, vt manſuetudo, & lenitas agnis, & ouibus æquetur.*] Plura in eodem genere habet etiam *k* Auguſtinus. Ex columbæ enim proprietatibus Eccleſiæ vnitas, pax, concordia & ſimplicitas optime explicatur, quod præſtitit etiam Epiphanius, ita ſcribens. *l In veritate ſanctam ſuam ſponſam docet, (Chriſtus) quæ ab ipſo columba, propter innocentiam, & manſuetudinem, ac puriſſimam vitam in Canticis Salomonis appellatur. Et ſane mirari licet alias quidem. quæ non ſunt ipſius, verum nomine ipſius ſe ipſas appellauerunt, pellices nominauit, & reginas, propter regium nomen, quod vnaquæq; ſibi ipſi CHRISTVM inſcribens iactat. Ceterum etiamſi octuaginta ſint pellices, quæ ſanæ ſunt ipſæ hæreſes; deinde vero puellæ quarum non eſt numerus; inquit: Vna eſt columba mea, perfecta mea, hoc eſt, ipſa ſancta ſponſa Catholica Eccleſia. Columba quidem, velut dixi propter manſuetudinem innocentiamq;, ac vitæ puritatem: perfecta vero, propterea quod perfectam ex Deo accepit gratiam ac ſcientiam ab ipſo Saluatore per Spiritum ſanctum. Sponſa ipſius placida columba neq; venenum habens, neque loquacitatem, neq; aculeos. &c.*] Sed iam Patres de hac vnitate Eccleſiæ diſſerentes audiamus.

g Cant. 6. 8. *h* Cypr. tract. de ſimpl. prel. *i* Ioa. 1. 32. *k* Aug. in Ioan. tract. 5. & 6. *l* Epiph. hær. 35.

VIII. Ignatius hæc habet: *m Moneo vt vna fide, vna prædicatione, vna Euchariſtia vtamini. Vna enim eſt caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnus illius ſanguis qui pro nobis effuſus eſt, vnus item panis omnibus confractus; & vnus calix, qui omnibus diſtributus eſt; vnum altare omni Eccleſiæ, & vnus Epiſcopus cum presbyterorum collegio, & diaconis conſeruis meis. Quandoquidem, & vnus eſt ingenitus Deus, & Pater, & vnus vnigenitus filius Deus, Verbum & homo, vnus paracletus Spiritus veritatis, & vna prædicatio, & fides vna, & vnum baptiſma. & vna Eccleſia, quam ſuis ſudoribus & laboribus fundarunt ſancti Apoſtoli à finibus terræ vſque ad fines, in ſanguine Chriſti. Et vos itaq; oportet, vt populum peculiarem & gentem ſanctam omnia perficere concordibus animis in Chriſto.*]

m Ignat. Ep. ad Philadelph.

IX. Tertullianus *n* primas per Apoſtolos inſtitutas per orbem Eccleſias, eſſe vnam Eccleſiam aſſerit, & illam vocat primam, quæ ab Apoſtolis, & ex qua omnes. *Sic*, inquit, *omnes primæ, & omnes Apoſtolicæ, dum vnam omnes probant vnitatẽ.*] Quæcunq; enim Eccleſiæ ſucceſſu temporum poſt Apoſtolos factæ ſunt, & Chriſto cõparatæ, illæ eatenus Chriſti ſunt, quatenus primæ illi quæ eſt ab Apoſtolis adhæſerũt, vt membra viua eiuſdẽ corporis; vt rami inſiti in eandem arborem; vt partes domus eidem fundamẽto innitentes; vt variæ arbores in idem eiuſdẽ pomarij ſolum tranſplantatæ. Eccleſia ergo Eccleſia nõ eſt, quæ illius primæ mẽbrum, & pars incorporata, eiq; penitus cõiuncta non ſit; neq; enim viuere, neq; de Spiritu, & influxu capitis Chriſti participare poteſt, niſi ſit verum membrum perfecte toti huic corpori coniunctum; neq; ramus eſſe viuidus poteſt, niſi ita ſit arbori huic primæ Eccleſiæ inſitus, vt per hunc truncum, à radice vitam accipiat, & nutrimentum. Neq; huius magnæ domus pars eſſe poteſt, niſi in eam debita vnitate per eiuſdem fundamenti vnitatem coaleſcat. Neq; arbor bona, & fructifera poteſt eſſe vlla Eccleſia, niſi intra ſepta huius magni pomarij in eodem ipſius ſolo fixa maneat.

n Tertull. de præſcri. Nos lib. 3. c. 1. n. 3.

X. Cyprianus aureum habet tractatũ de vnitate Eccleſiæ, qui & de ſimplicitate Prælatorũ inſcribitur: Huc ille tot' ſpectat; ſed cuiq; eſt obuius. Aliis quoque locis idem Cyprianus Eccleſiam hanc totam, & vniuerſalem, quam primam ex Apoſtolis vocat Magiſter ipſius Tertullianus, dicit eſſe fontem ex quo riui, ſolem ex quo radij, radicẽ ex qua rami, vt nulla Eccleſia coram Deo quicquã ſit; niſi riuus ſit huius fontis, radius huius ſolis, & ramus huius radicis; vt eam ego iam ſæpius explicaui, præſertim lib. 1. c. 7. n. 18. & l. 3. c. 1. n. 12. & 14. & l. 4. c. 2. n. 36. 37. & eodem l. 4. c. 10. n. 77. & alibi. Preterea idẽ Cyprianus vnicum altare dicit eſſe in tota Eccleſia, & vnicum ſacerdotium, vt vidimus li. 1. c. 12. n. 9. & l. 4. c. 10. n. 76. Dicit etiam Eccleſiam totam eſſe vnicum gregem ſub vnico Paſtore, quia plures Paſtores partiales, vult *o* in vnicũ paſtorem in ſolidũ coaleſcere, vt poſui l. 1. c. 12. n. 18. & alibi Damaſus quoq; in eãdem ſententiam optime noſtro lib. 3. cap. 1. n. 15.

o Cypr. l. 3. ep. 13.

XI. Athanaſius in ipſo genere mortis quo Chriſtus Dominus redemptionẽ noſtram percepit, myſteria duo inſignia latere inuenit; *p Quocirca*, inquit, *neque vt Ioannes mortem ſuſtinuit, capitis truncatus, neq; ſicuti Iſaias propheta, ſerra diſſectus eſt, vt in morte, ſine mutilatione integrũ corpus ſeruaret, & cauſa ſubduceretur iis qui Eccleſiam in partes cupiunt diſcindere.*] Et hoc eſt primum myſterium, vnitatem Eccleſiæ repræſentans. Alterum ſic ipſe deſcribit. *q Porro ſi mors Domini noſtri Ieſu Chriſti redemptio eſt omniũ; ac morte eius intermedius ille paries maceriæ ſoluitur, conficiturq; vocatio gẽtium; quomodo nos aduocaſſet, niſi crucifixus eſſet? In ſola n. cruce mors extenſis porrectiſq; manibus toleratur, ideo quoq; par erat, vt Dominus hoc modo mortẽ ſuſtineret, manuſq; eius extenderentur,*

p Athan. de Incar. verbi Dei. *q* Ibid.

derentur, vt hæc quidem, veterem populum, illa vero gentiles attraheret, & ambos in ſe coniungeret. Id enim ipſe dixit, indicans qua morte omnes redempturus eſſet. Quum exaltatus fuero (inquit) omnes ad me traham.] Exaltatus igitur in cruce Chriſtus, vtroq; extenſo brachio vtrunq; populum Iudaicum, & gentilem ad ſe vnum inuitauit, vt vtrunq; amplexando in ſinum ſuum colligeret, vnicus vero eſt ſinus intra brachia ſaluatoris. Addit Athanaſius tertium quoque myſterium in Chriſti morte in cruce obita obſeruandum. Nimirum in cruce eum mortuum eſſe, vt in aere, & ſublimi moreretur, & ſic aerem à dæmonibus huius a aeris poteſtatibus in eum à cælo dilapſis, purgaret, ne illi ſurſum tendentibus obſtacula molirentur, & iter nobis ad cælum liberum pararet.] Sed hoc tertium myſterium ad rem noſtram nunc non eſt.

a Epheſ. 2. 2.

XII. Optatus Mileuitanus quo pacto vnitatē Eccleſię ponat, & exponat, ſatis oſtendi l.1.c.10.n.18. à quo etiā non multum recedit Hieronymus à me productus, & explicatus lib.1.c.7.n.21. Auguſtinus, præter tractatum de vnitate Eccleſiæ, ſæpius eādem explicat, & inculcat, vt vidim' l.3.c.1.n.4. Theodoretus vnam eſſe per totum orbē Eccleſiam, & ipſe ſæpius affirmat, quem protuli ibidem n.5. Cyrillus Alexādrinus, non tria tabernacula, ſed vnicum tabernaculum eſſe obiicit Petro, & hoc poſui l.3.c.1.n.6. Anaſtaſius Synaita in ſuis anagogicis contēplationibus pie, ac religioſe verba illa Creatoris, b congregentur aquę in locū vnum, c applicat Chriſti Eccleſiæ ex diuerſis populis, & gentibus, & ſectis ſub vnitate fidei congregatæ. Gregoriū Euthymium & Bedam produxi l.3.c.1.n.7.8. & 9. & vnitatē hanc Eccleſiæ explicaui n.10. & 11. Vt merito in ſymbolo Conſtantinopolitano ponatur articulus, & vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiā. Cui articulo perperam noſtri illum ſenſum appingunt, vt fide credendum ſit quicquid Eccleſia vniuerſalis ſua autoritate definiat, & credendum eſſe proponat. Hunc enim ſenſum falſum eſſe, iam docui in præcedentibus; & articulus ille eſt; Eccleſiā Chriſti eſſe, & non niſi vnā, & illam eſſe cætū fidelium ſub capite Chriſto, Deo gratū, & acceptū. Vnam ergo eſſe ſanctam Eccleſiam Catholicam eſt probatiſſimum; illudq; contendimus, Eccleſiā eſſe neceſſario ſub vnitate quadam totali conſtitutā, & diuiſionē niſi in partes homogeneas illā non tolerare; ſed nō omnē Vnitatem putamus eſſe Eccleſiam. d Faciunt etiam veſpæ ſuos fauos, non tantum apes. Heretici quoq;, & Schiſmatici Pagani, & Infideles, ac Iudęi aliquam habent inter ſe vnitatem; ſed illos vel diabolicæ ſuperſtitiones, fraudes, & falſitates; vel humani, ac ciuiles ritus, & inſtituta inter ſe vniunt, & conglutinant, carnaliaq; colligant vincula: Eccleſiam vero ſana, & ſincera fides, diuina charitas, & vinculum totum ſpirituale.

b Gen. 1. 9.
c Anaſtaſ. Synai. in hexem. lib. 3.
d Tertull. cont. Marcion. l. 4.

XIII. Et quia vnitas hæc Eccleſiæ res eſt maxime fundamentalis, ſummopere Patres omnes perpetuo laborarunt, vt hanc vnitatē ipſi inter ſe religioſa cōmunione conſeruarent, vt hoc pacto Eccleſiæ particulares inter ſe omnes amice cōmunicantes, & in fide eſſentiali conſentientes, vere vnicam conſtituerent Eccleſiā Catholicam, hoc eſt vniuerſalē. Quoniam vero difficile admodū, imo & prorſus impoſſibile erat, vt ſingulæ Eccleſiæ particulares cū ſingulis particularibus, per ſpeciales inter ſe literas, communicarent, illud vetuſtiſſima obtinuit cōſuetudo, & lex Eccleſiaſtica confirmauit, vt Eccleſia Catholica per humanas ac terrenas prouincias, ditiones, & regna ſuam haberet diſtributionem; ac proinde in vna prouincia plures eſſent Epiſcopi inter ſe vicini, aut non multum remoti, ſub vno eorum quaſi Præſide, Metropolitano. Plures vero Metropolitani ad vnum referrentur in vno Regno Primatem; & plures Primates variorū regnorum, in tota vna regione vnum haberent ſupremū Patriarcham; vt plene eſt à me meo libro tertio declaratū. Atq; ex hac partitione Eccleſiaſtica totius Eccleſiæ, cōmunio hæc facili negocio potuit vnitatē conſeruare, vt oſtendi l.3.c.10.n.44. Nam Epiſcopi omnes inferiores cum ſuo metropolitano facile potuerunt per literas imo & per colloquia in ſynodis prouincialib. & inter ſe communicare. Per ſuos vero Metropolitanos cum Primatibus, & conſequenter cum aliis Metropolitanis ſub iiſdem Primatibus conſtitutis; & conſequenter etiam cum ſingulis illorum Metropolitanorum Epiſcopis communionē hanc retinebant. Sic quia Primates cum Patriarchis facile poterant cōmunicare, illi Primates inde cum aliis eiuſdem Patriarchatus Primatibus cōmunionem conſeruabant. Ac demum quia Patriarchæ illi primi, & ſupremi communicatoriis literis ſemper, in ipſorū præſertim prima ꝓmotione, ſe tenebantur inuiſere, & fidei ſuæ profeſſionem facere, hinc fit vt tandem communio inter Patriarchas, virtute eſſet communio omnium inter ſe tum Primatum, tum Metropolitanorum, tum ſimplicium Epiſcoporum. Exēpla aliquot, non omnia, ſed inſigniora proferam.

Cyprianus cum ſuis collegis indagare voluit nū Cornelij ordinatio in Epiſcopum Romanū fuerit legitima, e *Vt tum demum, ſcrupulo,* inquit, *omni de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omnino in prouincia iſta poſitos, literæ fierent* (puto ſynodales) *ſicut fiunt, vt te* (*ſcribit ad Cornelium*) *collega noſtri, & communicationē tuam, id eſt, Catholica Eccl. ſiæ vnitatem pariter, & charitatem probarent firmiter, ac tenerent.*] Hic charitas, & communio, propter Eccleſiæ vnitatem, non obedientia, non ſubiectio exhibetur. XIV.

e Cypr. l. 4. ep. 8.

Theophilus Alexandrinus ad ſuos Epiſcopos Ægyptios Paſchalem ſcribens Epiſtolam, in qua ſolemnitatum illius anni dies annunciat, & notificat, ad finem mortuos eo anno cōmemorat ſui Patriarchatus Epiſcopos; & eorum ſucceſſores, qui fuerāt illis ſubſtituti nominat, atq; ſic Epiſtolam concludit: f *Iis ergo ſcribite, & ab eis, iuxta morem, Eccleſiaſticas ſuſcipite literas.*] XV.

f Theoph. Alex. epiſt. 3 Paſchali.

Optatus vt partem Catholicā Africanarum Eccleſiarum verę Catholicæ Eccleſiæ partē eſſe cōfirmet, cōmunionem producit cum ſuo Romano Patriarcha Siricio, g *Qui noſter,* inquit, *eſt ſocius, cū quo nobis totus orbis cōmercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat.*] Formatas vocat Epiſtolas cōmunicatorias, quarum erat forma cōmunis, & ſemper eadē; quia n. reliqui Patriarchæ Orientis per tales literas cōmunicabant in eadē fidei profeſſione, & charitatis vnione cum Patriarcha Occidentali Epiſcopo Romano, ideo omnes Epiſcopi eiuſdem Patriarchatus, ſui Patriarchæ ſocij fidei, & amoris, fraternæq; concordiæ, cum ipſo communicantes, cū toto orbe Chriſtiano communicare dicuntur, totus enim ferme orbis Chriſtianus ſub illis primis Patriarchis erat conſtitutus, vt oſtendi lib. 3. XVI.

g Optat. l. 2.

Atticus Conſtantinopolitanus h reſtitutionem ſuſpenſæ communionis expetiit, vt illa per literas Romani Pontificis Innocentij primi fieret, quas ipſe non negauit, ſed voluit prius certior fieri, an conditiones ad hoc neceſſariæ expletæ fuerint: ſic etiam i Alexander Antiochenus. XVII.

h Innoc. 1. ep. 23.
i Ibid.

Ioannes Nicopolitanus nuper ad ſuā illam ſedē Metropoliticā promotus, ſcripſit literas cōmunicatorias, XVIII.

catorias, cum ſua ſuæ fidei profeſſione, ad Hormiſdam Romanum Pontificem. *a Vt iuxta conſuetudinem*, inquit, *Apoſtolicæ ſedis veſtræ, quæ cunctarum Eccleſiarum curam habet* (ſuperintendentiam illam de qua nos lib. 4. cap. 9.) *Et Nicopolitanorum habere dignemini, ſecundum antiquam ſpiritualem diſpoſitionem veſtram --- Meum petite harum datorem, & cum quærente pariter quærite, & pulſantem ſpirituali manu veſtra ſuſcipite* (tutam in fide inſtructionem poſtulat) --- *Votum autem mihi eſt veſtram ſequi doctrinam: --- Anathematizo Dioſcorum, &c. --- Sequens in omnibus ſynodicas, ac proprie Apoſtolicas Epiſtolas ſcriptas à viro Præſule Rom. Eccleſiæ Leone. Rogo autem plenius, atque perfectius, quæ ſeruari oportet, commonete, &c.*] Sed & Synodus Epyri ad eundem Hormiſdam de eodem Nicopolitano communicatorias pariter ſcripſit, in quibus inter alia legimus, *b Rogamus, vt iuxta antiquam conſuetudinem hunc quoque* (Ioannem Nicopolitanum) *complectamini paternis viſceribus veſtris, nobiſque atque ipſi Dei gratia efficiamini arma inexpugnabilia commonitionibus veſtris, atque doctrinis. Et precantibus nobis, inclinetis aurem, & pietatem concordiæ reperiatis, iuxta inſpiratam vobis diuinitus Apoſtolicam prouidentiam, vt in pace, quæ eſt ei amabilis cunctæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ cooptatæ immarceſcibilem vobis coronam nectentes, in omni pietate, atque humilitate comprahendamur in Chriſto.*]

a Ante epi. 7. Hormiſdæ.

b Ibid. ante ep. 8.

XIX. Ioannes ſimiliter Conſtantinopolitanus Patriarcha ad eundem Hormiſdam ſuam miſit communicatoriam, cum profeſſione fidei, cuius initium eſt, *c Saluto veſtram ſanctitatem, chariſſime in Chriſto frater, & ſalutans prædico, quoniam recta fides ſalua eſt, & charitas fraternitatis firmata eſt. --- Scribere igitur Apoſtolice, & reſcripta ſuſcipere fraterne Dei amore dignemini.*] Certe hic nulla ſubiectio, ſed fraternæ charitatis vnio. Mox quatuor Concilia ſua profeſſione admittit, inde ſubdit. *Pacem veſtram amplectimur, & de vnitate ſanctarum Dei Eccleſiarum curamus.*] Sed plus petiit Hormiſda, ampliorem voluit confeſſionem, cum Acacij damnatione iam mortui, ita vt nomen ipſius à tabulis Eccleſiaſticis expungeretur. De quo ego inferius. Idque obtinuit. Sed tamen ſubiectionem, & obedientiam nunquam popoſcit, nec ille eam eſt profeſſus. Imo ſummam æqualitatem retinuit, vt innui libro quarto, capite quarto, numero decimonono. Antequam enim formulam ab Hormiſda conceptam in ſua Epiſtola poneret, (pacis enim, & vnitatis amore ei obſequebatur) hoc quaſi antidotum adhibuit; *d Sanctiſſimas enim Dei Eccleſias, id eſt, ſuperioris veſtræ, & nouellæ iſtius Romæ, vnam eſſe accipio; illam ſedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ ciuitatis vnam eſſe definio.*] Neque loquitur de vnione communionis, quia nondum fuerat in communionem ab Hormiſda receptus; Ait enim; *propterea ſpero in vna communione vobiſcum, quam Apoſtolica ſedes prædicat, me futurum.*] Sed de vnitate, hoc eſt in priuilegiis Patriarchalibus æqualitate; & hoc repetit in ſua *e* Relatione ad eundem Hormiſdam; cui firmæ proteſtationi æqualitatis Hormiſda nihil repugnauit, ſed ei tacite conſenſit, Ioannis illa ſcripta in genere *f* laudans, & approbans, eumque in communionem recipiens.

c Inter epi. Hormiſdæ ante ep. 24.

d Ibid post ep. 14.

e Ibid.

f Hormiſ. ep. 39.

XX. Principes quoque Catholici, vt ſe in eadem Eccleſiæ vnitate conſeruarent, iiſdem communicatoriis literis vtebantur; quod exempla antiquitatis plura docent, & Symmachus Papa teſtatur, ita contra Anaſtaſium Imperatorem ſcribens, *g Omnes Catholici Principes, ſiue cum Imperij gubernacula ſuſceperunt, ſiue cum Apoſtolicæ ſedi nouos agnouerunt præſules inſtitutos, ad eam ſua protinus ſcripta miſerunt, vt ſe docerent eius eſſe conſortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem ſeipſos profitentur alienos, quod chartis quoque tuis apud te etiam poſſumus adſtruere.*] Romana enim Eccleſia erat primum vinculum Catholicæ communionis; vt docui lib. 4. c. 9. n. 16.

g Symmac. in Apolo.

XXI. Mauritius Imperator vnitatis Eccleſiaſticæ cuſtos præcipuus, & cõſequenter communionis, quæ per literas communicatorias conciliari debebat, amantiſſimus, vbi interdum defectum in hoc genere aliquem obſeruauit, vindex; etiam contra Romanum Pontificem, inſurrexit ſatis acer. Gregorius enim Cyriaco Conſtantinopolitano ſuccenſens, quod ſe œcumenicum inſcriberet, illius literas cõmunicatorias quodammodo reſpuebat, nec reſpõſales ſuæ communionis dabat. Hoc vbi Mauritio innotuit, indiſcretionis arguit hominem, & Eccleſiaſticæ vnitatis oſorem quodammodo illum poſſe videri cenſuit, qui pro re leui communicatorias negaret. Hęc ex ipſomet Gregorio habemus in literis ad Mauritium, quas *h* ego plene retuli meo lib. 4. c. 7. n. 20. omitto alia huius communionis exempla.

h Greg. li. 6. ind. 15. ep. 30.

XXII. Conſeruabatur itaq; olim vel maxima vnitas Eccleſiæ per renouatam ſæpius actualem per literas communionem, Oriensq; cum Occidente tali vinculo ſæpius repetito connectebatur, & profeſſione fidei eiuſdem ſtabiliebatur. Sed Romani Pontifices, qui ad Eccleſiæ monarchiam aſpirare cæperũt, remedium hoc ad conciliandam vnitatem per literas communicatorias, & fidei expoſitrices, quæ fidei expoſitio ſymbolum eſſet firmum ac tutum Catholicæ communionis, in amplam ſchiſmatis occaſionem ſua ambitione verterũt. Vbi enim mutua debuit eſſe, & fuit diu fidei profeſſio, vt alteri alterorum viciſſim fidem inſpicerent, & an vere orthodoxi eſſent ſe inuicem agnoſcerent, ſuam Romani Pontifices fidei profeſſionem cæperunt aliqui inſtructionem aliorum vocare, & fidei datam à ſe aliis præſcriptionem. Gelaſium ego obſeruo primum peſſimam hanc conatum eſſe verſionem. Is ſcribens ad vnum Macedoniæ Epiſcopum; *i Quia*, inquit, *mos eſt Romanæ Eccleſiæ, ſacerdoti nouiter conſtituto formam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias prærogare; hac eadem compendioſa nimis breuitate ſtudui renouare, vt ſub qua fide viuendum ſit, ſecundum ſtatuta Patrum, in hanc noſtram Epiſtolam, propter breuitatem, ſine faſtidio, lector agnoſcat. Confitemur ergo, &c.*] Atque hic eſt vnus ex præcipuis ramis prodigioſi Papatus, & Eccleſiaſticæ Monarchiæ, quæ ſola irreparabiliter diuiſit Eccleſiam; ac primum Orientem ab Occidente ſegregauit, mox etiam Occidentales Eccleſias inter ſe fœdo ſchiſmate ſeparauit; vt mox videbimus. Non ille fuit ſenſus Liberij, quando ſuam confeſſionem miſit ad Athanaſium, potius vt diſceret, quam vt doceret; & inſtrueretur, quam inſtrueret; *k Vt, & ego*, inquit, *ſecurior efficiar. ſuaque mandata indeſinenter obeam.*] Et poſtea Pelagius, non vt fidei regulas aliis præſcriberet, quod prætendit Gelaſius, ſed vt ſuſpiciones hæreſis, damnatique Concilij Chalcedonenſis, à ſe amoueret, plenam fecit ſuæ fidei confeſſionem, ita Childeberto Francorum Rege ipſum admonente. Cui confeſſioni hæc præmiſit; *l Pelagius Epiſcopus vniuerſo populo Dei. Vas electionis beatiſſimus Paulus Apoſtolus, cum de Iudæis in Chriſto necdum credentibus loqueretur, zelum eos Dei habere profeſſus eſt; ſed ne ex hoc ſine culpa eſſe crederentur, conſequenter adiecit, ſed non ſecundum ſcientiam: vt eos neceſſarie per doctrinam à Deo ſibi creditam oſtenderet emendandos. Quod teſtimonium noſtro etiam tempori conuenire, charitas veſtra non ambigit: quia etſi zelum Dei*

i Gelaſ. ep. 1.

k Nos ſup. c. 5. n. 16. huius.

l Apud Baro. to. 7. an. 556. n. 33.

in quorundam mentibus eſſe deprehendimus, in hoc tamen quod ſuſpicionibus quibuſdam ſine notitia veritatis ſe concuſſerunt, atque concutiunt, & quod ſe à viſceribus vnicæ matris Eccleſiæ nefaria animoſitate diſcerpunt. ſine ſcrupulo eos eſſe non dubium eſt. Et poſſemus quidem totius cauſæ rationem ad ſedandos rumores hominum, diuina nobis cooperante miſericordia, fiducialiter explicare, nihilq; contra fidem Patrum, contraq; quatuor ſynodorum firmitatem vllatenus eſſe tentandum, lucidiſſimis approbationibus demonſtrare, magiſq; id actum, vt memoratarum ſynodorum firmitas cõtra omnes inimicos immobili ſoliditate conſiſteret. Sed quia hoc his, qui lacte potius quam ſolido cibo nutriendi ſunt, neceſſarium eſſe non duximus, vt (ſicut memoratus Doctor gentiũ dicit) inter perfectos loquenda ſit ſapientia: hoc interim, quod etiam paruulis abunde ſufficiat, ad notitiam omnium deferendum eſſe perſpeximus. Id autẽ eſt, vt fidem meam annexa ſubter profeſſione definiam, in qua, Deo propitio, & recte me Apoſtolorum doctrinæ & Patrum inhærere veſtigiis euidenter appareat, vt per vos qui zelum Dei etiam cum ſcientia poſſidetis, cæteris innoteſcat, operante Domini noſtri gratia nõ ſine veſtra mercede, ab irrationabili diuiſionis ſuæ malo confidimus liberandos. De ſanctis vero quatuor Conciliis, &c.]

XXIII. Vna ergo eſt Eccleſia Chriſti perfecte vnita, ac indiuiſa; quia ſingulæ particulares Eccleſiæ, quæ plurimæ ſunt per vniuerſum orbem ſparſæ, in vnicum corpus perfecte integre coaleſcunt, communione pacis, & charitatis in vna & eadem fide, ſub iiſdem ſignis & ſacramẽtis, inter ſe, & cum Chriſto vnico, & ſingulari capite totius Eccleſiæ, colligatæ. Neq; vnitatem hanc Eccleſiæ hactenus vidimus à quoquam aliunde, niſi ab his quæ dixi, petitam. Noſtri tamen Hieromonarchici, heſterni homines, vnitatem Eccleſiæ conantur per vnicã cum vnico capite viſibili, Romano Pontifice potiſſimum explicare: atq; hoc per obediẽtiam, & ſubiectionem. De qua tamen obedientia & ſubiectione, quotcunq; priui de vnitate Eccleſiæ ſcripſerunt, nullam fecerint mentionem. Sed in conſenſu fidei, mutuæq; charitatis cõmunione vnitatem totam ſanctæ Eccleſiæ collocarunt, iuxta illud Cypriani: *a Eccleſia Catholica vna eſt, non ſciſſa, non diuiſa, ſed connexa, & cohærentiũ ſibi inuicem ſacerdotũ glutino copulata.*] Item *b Copioſum eſt corpus ſacerdotũ concordiæ mutuæ glutine, atq; vnitatis vinculo copulatum.*] Item *c Eccleſia vna, & plebs in ſolidã corporis vnitatem concordiæ glutino copulata.*] Idem ſentit Damaſus, qui non ex obedientia ſibi danda, ſed in concordia, & vniformitate regendæ per omnes Epiſcopos Eccleſiæ, poſuit Eccleſiæ vnitatem; vt vidimus l.3.c.1.n.15.& 16. Sic Aurelius Carthaginenſis, non in ſubiectione ad Romanum Pontificẽ, ſed in compage totius corporis, poſuit ſimiliter eandẽ Eccleſiæ vnitatem, vt conſideraui eodem l.3.c.1.n.17. Gregorius quoq; hanc vnitatẽ totam ad charitatem ſolam reduxit, ſuppoſita eadem fidei firmitate; *d Per hanc charitatem, inquit, vniuerſalis Eccleſiæ vnitas, quæ eſt compago corporis Chriſti, exæquatione mentis gaudet in ſingulis &c.*] Vt conſideraui lib.4.c.8.n.42. Oſtendam quoq; inferius, quoties antiquis tẽporibus, per plura ſecula ſchiſma inter Eccleſias Orientis, & Occidentis occurrit, nunquam id ex negatione obediẽtiæ, & ſubiectionis enatũ fuiſſe, neq; per profeſſionem obediẽtiæ, & ſubiectionis, ne in Concilio quidem Florentino, reſarcitum; & nunquã Græca Eccleſia ad Romanum Pontificem ſubiectionem eſt profeſſa, imo ſemper in hoc reſtitit, & tamẽ conſenſu fidei, & charitatis cõmunione vnitatem non raro ſeruauit. Sed de Græco ſchiſmate agam inferius. Atqui noſtris ferme tẽporibus, poſtquã Hieromonarchici cœperunt Eccleſiæ vnitatem ab vnitate capitis viſibilis, & miniſterialis petere, non defuerunt Catholici ſcriptores, etiam Papatui addicti, qui id pernegarint. Ioannes n. Maior, ex ſchola ſeniore, & ſaniore Pariſienſi, illud habet: *e Eccleſia non dicitur vna ab vnitate capitis miniſterialis, ſed à Chriſto, & vnitate fidei.* Clarius alio loco idem Autor ita ſcribit. *f Quando nullus eſt Papa, Eccleſia non eſt minus vna, quam viuẽte Papa, quia Eccleſia dicitur vna ab vnitate capitis eſſentialis, ſcilicet, Chriſti, qui non moritur, & ab vnitate fidei, & charitatis, & non ab vnitate capitis accidentalis; ſtat vtrumaliquem Papæ contradicere, & eſſe de vnitate Eccleſiæ; dummodo ſtet ſub capite Chriſto, eſt de vnitate Eccleſiæ.*] Atque ex hoc reiicit idem Maior argumentum cuiuſdam Gloſſæ, quæ ideo *g* negabat poſſe duos ſimul eſſe Romanos Pontifices, qa vna eſt Eccleſia ſancta Catholica: Et nos iam probauimus poſſe ſimul eſſe *h* duos, & plures Epiſcopos eiuſdem loci; & aliquãdo duos *i* Papas Romanam Eccleſiam legitime rexiſſe. Tunc ergo non fuiſſet vna ſancta Eccleſia Catholica, quæ vnicum miniſteriale caput non haberet. Et quãdo ſedes Romana vacat (ſolet autẽ, & poteſt per plures mẽſes, & annos vacare) tunc etiã non eſt vna ſancta Eccleſia Catholica, quia tunc ab vnitate huius capitis, quod nullum eſt, non habet vnitatem, vt obiicit idem Maior ibidem. Iam ſatis de vnitate; Quę ſit vera Eccleſia Catholica, videamus.

a Cypr. l.4. ep.9.
b Idem l.3. ep.13.
c Idem de ſimpl. Prę-lat.
d Greg. l.2. ind.10. ep.39.
e Maior in 4. diſt. 24. q.3.
f Idem de autorit. Concil ſupra Papam ad arg. Caietani ad 7.
g Gloſſ. in c. Non autem 7. q.1.
h Noſtro de Rep. Eccl. l.2. c.3. n.3 & c.9 n.1.15. & l.3 c.3 n.63.71.
i Noſtro l.2 c.3 n.57. & l.4 c.11. n.46.

XXIV. Hæc Eccleſia Catholica, quam non niſi vnam eſſe docuimus, vt cognoſcatur quæ vera ſit, (ſunt enim plures ſectæ inter ſe contrariæ, & diuiſæ, quæ ſe tamen Eccleſiæ Catholicæ nomine inſigniunt) debet prius nobis innoteſcere, quid ſit Eccleſia vera, & in quo ipſius forma conſiſtat, num in ſolo interno, quod eſt inuiſibile; ac etiam in externo, quod viſibile eſt. Cognita vero & ſtabilita illius forma, facile erit veram Eccleſiam inuenire, & eam à falſis ſectis ſeparare. Quoad materiale Eccleſiæ, planum eſt eam eſſe cœtum, ſeu ſocietatem hominum, vnione aliqua coniunctorum: tota difficultas eſt in aſſignanda hac vnione, in qua conſiſtit forma huius coniuncti, quod dicitur Eccleſia. Et quia præſentis temporis Eccleſiam, nempe Chriſtianam quærimus, ad illam nunc nos potiſſimum reſtringimus; Hæc enim ſola eſt reuera Catholica: hoc eſt, vniuerſalis; at quæ priores fuerunt, Catholicæ non fuerunt. Iudæorum enim Eccleſia quæ Synagoga vocatur, fuit vnius populi, vniuſque nationis duntaxat, partialis. Nam inter gentes fuerunt quoque Eccleſiæ Dei. Patet id in *k* Melchiſedeco Rege Salem, & ſacerdote Dei altiſſimi; *l* In Iob & aliis, vt conſideraui libro primo, capite duodecimo, numero vigeſimoſexto, vigeſimoſeptimo, vigeſimooctauo. Non erant quidem Eccleſiæ illæ toti mũdo notæ, exiguæ erant, ac fere latentes; viſibiles tamen in ſe, & non ſoli Deo ſecrete notæ, ſed etiam vicinis ſaltem hominibus. Nam & ſacerdotes habuerunt vere fideles, & ſacrificia grata & accepta Deo obtulerunt. Videntur autem nobis exiguæ & latentes, quia Scriptura parce de illis loquitur; Illa enim à Iudæis ſcripta eſt, qui in ſuis rebus conſcribendis Dei iuſſu laborauerunt. Externa incognita habuerunt, nec eã ſunt à Deo reuelata, quia Iudæorum ſolam nationem exaltandam ſuſceperat Deus, ex qua Chriſtus.

k Gen. 14. 18.
l Iob 1. 1. 5. & 12. 19. & 42. 8.

XXV. At non eſt credibile Iſmaelem filium Abraham, & Eſau filium Iſaac, & filios Loth fidem à piiſſimis parentibus acceptam, ſtatim deſeruiſſe, ac in ipſorum poſteris, ſaltem per longum tempus veri Dei cognitionem prorſus aboli-

tam fuiſſe, & extinctam. Nam & propterea Deus inducens filios Iſrael in terram Chanaan ipſis promiſſam ſubiecit ipſis multos populos, ac ferme deleuit, *a* Filios tamen Eſau in monte Seir, & Moabitarum terram filiis Loth, voluit intactam manere, inhibens ſeuere Iſraelitarum exercitui, ne quicquam moleſtiæ illis inferrent, quia nimirum (iuxta mihi probabilem coniecturam) aut omnes, aut multi ibi conſeruabantur fideles, veri Dei cognitores & cultores; Nam & *b* fratres eos Iſraelitarum vocat Deus, puto, non tantum ſanguine, ſed etiam fide. Ac ſane inter Moabitas à Lotho deſcendentes, erat Balaam propheta qui *c* conſulebat Dominum, & Dominus ei reſponſa dabat; non ſane pro populo Iſraelitico, ſed pro populo Moabitarum; Ergo Dominus habebat ibi ſuos, quos ſuis reſponſis ſuiſque prophetis adhuc dignabatur. Madianitæ, à Madian *d* filio Ceturæ ex Abraham, habuerunt tempore Moyſis ſacerdotem ſuum *e* Raguel, qui & *f* Iethro, & hic verum Deum colebat, & ei *g* hoſtias offerebat. An vero etiam alios Deos coleret, quod vult *h* Cyrillus Alexandrinus, mihi eſt ignotum. Ipſius fidei confeſſio mihi placet. *Nunc cognoui quia magnus Dominus ſuper omnes Deos.*] Et conſilia pia data Moyſi, pietatem eius, ac fidem redolent. Cyrillus vero idem de Melchiſedeco etiam ibidem aſſerit. Sed plane cum errore, cum ſit probabiliſsimum, Melchiſedecum illum eundem cum Semo piiſsimo Noe primogenito fuiſſe. In magna Ciuitate Niniue an non erat, aut ſaltem facta eſt Eccleſia magna Dei, ad quam Deus ipſe *i* Ionam prophetam miſit, quæque ad prædicationem prophetæ ita eſt ad Deum per pœnitentiam conuerſa, vt meruerit à Chriſto *k* in exemplū adduci? Hoc eſt ergo quod ſupra n.3. innuebam de Chriſto à Ioanne dictum, non modo ipſum *l* mortem ſubiturum fuiſſe pro gente, ſed etiam, vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum.

XXVI. Formale autem Eccleſiæ Catholicæ eſt profeſſio fidei Chriſti integra ſub ſuis legitimis Rectoribus, & à Chriſto inſtitutis miniſtris, cum Sacramentorum obſignatione, & participatione. Hæc mihi videtur eſſe veræ Eccleſiæ Catholicæ vera definitio, quænam autem ſit integra fides videbimus cap. poſtremo huius libri. Quoniam tamen Scripturæ interdum ſolos bonos illos, qui ſint vera & viua ac perpetua membra Chriſti, hoc eſt, ſolos electos intelligunt eſſe veram Eccleſiam; interdum etiam malos & iniquos in moribus, ſi tamen baptizati ſint & fidem retineant, ideo nodus hic omnino nunc diſſoluendus. De prioribus hæc habemus: *m Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, hoc eſt, ſuper fidem viuam in Chriſtum, Chriſtus non ædificat ſuam Eccleſiam ſuper fidem mortuam & putridam. *n Oues meæ vocem meam audiunt, & non peribunt, & nemo rapiet eas*, &c. *Qui non habet ſpiritum Chriſti, non eſt eius. o Chriſtus caput Eccleſiæ, Eccleſia corpus Chriſti: ſine macula, & ruga. p In vno ſpiritu omnes vos in vnum corpus baptizati eſtis. q Exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos. & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias. r Columna & firmamentum veritatis. ſ Non erant ex nobis. t Arca in qua ſoli ſaluandi. u Tota pulchra es, & macula non eſt in te. Hortus concluſus, fons ſignatus. x Vna eſt Columba. Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, y &c.*] De poſterioribus vero hæc. z *Permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleam*

a Deut. 2. 5. — b Deut. 2. 4. — c Nu. 22. 8. — d 1. Paral. 1. 32. — e Exod. 2. 18. — f Exod. 18. 1. — g Exod. 18. 11. 12. — h Cyril. de adorat. in ſpirit. lib. 3. — i Ionæ 1. — k Matt. 12. 41. — l Ioan. 11. 52. — m Matt. 16. 18. — n Ioan. 10. 27. — o Rom. 8. 9. — p Epheſ. 1. & 5. — q 1. Cor. 12. 13. — r 1. Tim. 3. 15. — ſ 1. Io. 2. 19. — t Gen. 7. — u Cant. 4. 7. — x Cant. 6. 8. — y Symb. Apoſt. — z Matt. 3. 12.

autem comburet igni inextinguibili. a Sagena miſſa in mare ex omni piſcium genere congregans, & bonos & malos b Conuiuium nuptiale in quo etiam non habentes veſtem nuptialem: Multi vocati, pauci electi c Sit tibi ſicut ethnicus, & publicanus: id eſt pellatur ex eccleſia, qui odium in fratrem non vult deponere. Eſt ergo in Eccleſia. *d* Inceſtuoſus in eccleſia erat, ex qua pellendus fuit *e Ouile ouium, & hædorum. f In magna domo vaſa aurea, & argentea, lignea, & fictilia.* Paulus ſcribit *g* Eccleſiis Galatiæ, quas tamen errore arguit *h* deprauatas, vt obſeruat *i* Hieronymus Eccleſiæ Galatiæ à Paulo, de deprauatione: & Eccleſiæ Aſiæ de grauibus vitijs à Ioanne reprehenduntur in Apocalypſi. Donatiſtæ à Cypriano, & Auguſtino non alio conuincuntur iniuſti ſchiſmatis, niſi quia Eccleſia militans habet bonos, & malos. Poſſunt etiam alia ex vtraque parte proferri teſtimonia Scripturarum. Et Patres ſunt hinc, & inde aſſertores acerrimi. Sed in ponderandis hiſce vel Scripturarum vel Patrum teſtimoniis nolo immorari. Longa enim admodum, & tædioſa eſſet diſputatio: Conciliatione vtriuſque partis conabor quæſtionem hanc definire.

Diſſerui hac de re aliquando cum aliquo viro docto, qui Eccleſiam Catholicam & vniuerſalem diſtinguebat à particularibus Eccleſiis; in his admittebat permiſtionem illam bonorum & malorum: at Catholicam Eccleſiam illam, quæ eſt vna, ſolis electis, ſed actu vocatis & iuſtificatis conſtare cenſebat; ſupponebat tamen ille prædeſtinationem non eſſe niſi gratuitam, ex mero beneplacito diuino, & veram fidem, ac vere regenerati iuſtificationem, eſſe inamiſsibilem; & cadere iuſtum poſſe, labique in peccata etiam atrocia, ſed certam eſſe ipſius reſipiſcentiam, ac propterea iuſtitiam ſuam nunquam amittere, & ita tales ſemper eſſe viua membra in Eccleſia, veramque Eccleſiam conſtituere: alios omnes eſſe reprobos, & ſecundum ſolam præſentem iuſtitiam vere iuſtum neminem admittebat; ac proinde in Catholica Eccleſia nullos tales eſſe aiebat, licet multi ſint in Eccleſiis particularibus, quas nolebat eſſe Eccleſiam illam vnam Catholicam, de qua nunc diſſerimus, ſed aliam ab illis diſtinctam. Quicquid tamen ſit nunc de gratuita prædeſtinatione, vel de iuſtitiæ inamiſſibilitate, diſtinctio illa de Eccleſiis particularibus & de Catholica, ſeu vniuerſali, mihi nunquam placuit; neque vllo modo mihi videtur admittenda, quia neque ſatis eſt ad ſaluandas illas Scripturas, quæ Eccleſiam bonis & malis permiſtam faciunt. Eccleſia enim illa Catholica & vniuerſalis, ab Eccleſiis particularibus nullo alio differt, niſi ſicut totum homogeneum, à ſuis partibus. Quæro enim, Eccleſia quæcunque particularis, vel eſt vere, & proprie ac vniuoce Eccleſia, vel non eſt, Si non eſt Eccleſia, niſi æquiuoce; ergo nulla eccleſia particularis eſt corpus Chriſti, ſeu membrum corporis Chriſti, cuius caput ſit Chriſtus. Ergo nulla particularis Eccleſia mundata eſt à Chriſto lauacro aquæ in verbo vitæ: Ergo nulla regitur, & viuificatur à Spiritu Chriſti. Si autem eſt Eccleſia vniuoce; ergo tota ratio, & natura Eccleſiæ Catholicæ eſt in quacunque Eccleſia particulari.

Dicet fortaſſe Eccleſiam particularē eſſe Chriſti

a Matt. 13. 47. — b Matt. 22. 12. 14. — c Matt. 18. 17. — d 1. Cor. 5. 4 — e Matt. 25. 32. — f 2. Tim. 2. 20. — g Gal. 1. 2. — h Gal. 3. 1. 2. 3. — i Hier. in ep. ad Gal. c. 1.

XXVII.

ſponſam, & membrum propter Catholicam, quæ in ipſa latet, propter bonos, propter electos, ſi qui in ipſa ſint. Sed hoc nihil eſt. Nam particulares Eccleſię non fiunt ex vniuerſali, ſed contra vniuerſalis Eccleſia conflatur ex omnibus particularibus; ſicut totum integrum non conſtituit ſuas partes, ſed partes integrantes conſtituunt ſuum totum. Et iam vidimus cum Cypriano, Eccleſiam Catholicam eſſe vnum gregem, cuius variæ, & multæ ſint portiones; & vnitatem Eccleſiæ Catholicæ conſiſtere in glutino fidei & charitatis, quo omnes Eccleſiæ particulares inter ſe copulantur. Quicquid ergo habet Eccleſia quæcunque particularis, vt Eccleſia, id totam Eccleſiam vniuerſalem neceſſe eſt habere, quæ aliud non eſt niſi ipſæmet particulares, quæ tamen eiuſdem naturæ ſint ſimul ſumptæ.

XXVIII. Ego itaque alia diſtinctione totam tollo difficultatem: ea vero eſt, eccleſiam poſſe conſiderari vel ex legitima præſumptione, vel ex veracitate. Ex legitima præſumptione, vere & proprie, quo ad nos, erit eccleſia omnis hominum cœtus, qui, vt paulo ante definiui, Chriſtum fide integra amplexi eam profitentur, ſub ſuis legitimis Rectoribus à Chriſto videlicet inſtitutis miniſtris, cum obſignatione & participatione ſacramentorum. Eccleſia enim in terris ſicut eſt ex hominib. ita eſt pro hominibus etiam inſtituta. Homines autem, vt in vnam ſpiritualem coeant ſocietatem, debent ipſam ſocietatem habere notam & manifeſtam. Quomodo enim fideles inter ſe communicabunt, niſi nouerint quibuſcum communicare debeant? Et infidelis qui velit in Eccleſiam Catholicam ingredi, vbinam illam quæret, ſi illam non cognoſcat? Non enim dicet ſe velle ingredi in particularem Eccleſiam, quam audiat non eſſe Catholicam, ſed dicet ſe quærere illam puram & ſanctam, quam ſolam audit ab his eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Sic Deus nobis prouidit, vt habeamus eccleſiam veram ex legitima præſumptione; Legitime autem præſumimus eſſe veram Chriſti eccleſiam, in quacunque videmus fieri profeſſionem fidei in Chriſtum integre, ſub legitimis miniſtris, & ſacramentis. Nam quamuis in Eccleſia præſumptiua poſſint eſſe multi, qui coram Deo non ſint in Eccleſia veraci; tamen quia Eccleſia verax, quam fateor non eſſe niſi electorum, in hoc mundo non poteſt eſſe, niſi in eccleſia præſumptiua, ideo qui eſt in Eccleſia præſumptiua, ſi dignus eſt veraci Eccleſia, erit neceſſario etiam in veraci Eccleſia, licet latius pateat præſumptiua quam verax. Verax tamen in terris Eccleſia non eſt, niſi illa ſit etiam Eccleſia vera præſumptiue, *a Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; & ex confeſſione ac moribus fit præſumptio veritatis Eccleſiæ: præſumptio, inquam, quia aliud poteſt eſſe in ore & actione, aliud item in corde & intentione, propterea Deus ſolus eſt veritatis inſpector; nobis reliquit præſumptionem: Cum certa tamen fide in eccleſia præſumptiue vera, eſſe etiam Eccleſiam veraciter veram. Et hoc eſt credere ſanctam Eccleſiam Catholicam; Veracem enim Catholicam Eccleſiam eſſe in præſumptiua non videmus, ſed credimus; neque enim illam indigitare aut demonſtrare poſſumus, niſi probabiliter & per coniecturas, fallibiles tamen: credimus etiam extra hanc Eccleſiam præſumptiuam veram eccleſiam nullam eſſe. Nam quantumcunque quis credat, ſi ſuam fidem non profiteatur, in Eccleſia non erit. Iccirco Cyprianus ſuos lapſos, qui Chriſtum externa ſola profeſſione, non corde abnegarant, negat eſſe in Eccleſia: Ait enim, *b Abſit, nec Domini miſericordia, & poteſtas eius inuicta patiatur, vt eccleſia eſſe dicatur lapſorum numerus; cum ſcriptum ſit, Deus non eſt mortuorum, ſed viuorum. Omnes quidem viuificari optamus, & vt in ſtatum priſtinum reſtituantur precibus noſtris & gemitibus oramus: ſi autem quidam lapſi Eccleſiam ſe volunt eſſe, & ſi apud illos, atque in illis eſt eccleſia: quid ſupereſt, quam vt ipſi rogentur à nobis vt nos ad Eccleſiam dignentur admittere.*]

a Rom. 10. 10.

b Cypr. l. 1. ep. 6.

XXIX. Iam igitur facile eſt diſcernere quinam ſint in vera Chriſti Eccleſia, & qui non ſint. Excludimus ante omnia Iudæos & Paganos, quia Chriſti fidem non profitentur, & *c foris ſunt*, vt ait Paulus. Ex iis vero qui Chriſtianos ſe eſſe profitentur, excludit *d* Bellarminus primum Catechumenos, cui ego non poſſum aſſentiri. Non enim ſaluari poteſt, niſi qui ſit viuum Chriſti membrum; & catechumenos poſſe ſaluari pluribus affirmat *e* Ambroſius, & concedit Bellarminus. Poſſunt ergo eſſe viua membra, & conſequenter in Eccleſia quæ eſt corpus Chriſti. Loquor de Catechumenis, qui iam plene in Chriſtum credunt, & totam Chriſtianam fidem actu, & non in voto tantum profitentur, audiunt Rectores Eccleſiæ; iiſque obediunt in ijs, quæ ſunt ad ſalutem: ſacramenta petunt, voluntque ijs ſignari, & frui. Quod vero actu illa non habeant, non ſtat per illos: dilatio enim aliqua ſolet eſſe aut decens, aut etiam neceſſaria. Sed tamen *f* Eunuchus non fuit catechumenus Philippi, niſi ad exiguam horulam, vſque dum ad aquam perueniret; quod vero ſeparentur à fidelibus, non arguit eos eſſe ab Eccleſia ſeparatos, niſi in myſteriis duntaxat; in reliquo pro fratribus habentur. Etiam pænitentes eandem habent ſeparationem, non tamen propterea non ſunt in Eccleſia, vt vidimus lib. 5. cap. 7. & 9.

c 1. Cor. 5. 12.

d Bellar. de Eccl. milit. l. 3. c. 3.

e Ambroſ. ſerm. de obitu Valentiniani.

f Act. 8.

XXX. Excludimus itaque primum Hæreticos & Apoſtatas: quia illi integram fidem non habent, neque eam volunt ab eccleſia accipere, ſed contempto Eccleſiæ Catholicæ præſumptiuæ ſenſu in errore obſtinate & pertinaciter perſiſtunt. Hi vero Chriſtum ipſum abiecerunt, & à fundamento eccleſiæ ſe ſubtraxerunt. Hæreticos porro intelligimus eos, qui vere & legitime de hæreſi ſint conuicti, iuxta ea, quæ docuimus cap. 7. huius libri. Et Apoſtatas qui ab ipſo Chriſto receſſerunt. Si tamen hæreticus in vnitate eccleſiæ perſeueret nolitque ab ea abrumpi, ſed cum Eccleſia Catholica pacem non ficte ad decipiendum, ſed vere habere velit, neminem cōdemnans, vt fecit olim Cyprianus, cum ſuis, talis hæreticus cum ſit materialiter duntaxat hæreticus, non eſt vllo modo excludendus; Nam licet ſua opinione deceptus, integram fidem non habeat, cum tamen Eccleſiam Catholicam credat, & eam nolit deſerere, ſi vere error ipſius eſt error in fide, tandem deponet illum, quia diſcet ab Eccleſia veritatem; & dum credit Eccleſiam, virtute quodammodo damnat ſuum errorem, ſi illum damnat Eccleſia; modis iam à me in præcedentibus huius libri capitibus, explicatis: Qui vero ſe Eccleſiæ non ſubmittit, ſed eam damnat, & impugnat, ſeque ab ea ſeparat, iſte iam *g* proprio iudicio eſt condematus, nec vlla indiget excommunicatione, quia ille ſpōte exit ex Eccleſia: monendi duntaxat fideles ſunt, vt ſibi ab ipſo caueant. Ille vero quandiu ſponte non redit, cogi nulla ratione poteſt vt redeat, nec puniri externe, ſi nolit redire, vt probaui cap. 8. huius. Oſtendique exempla, quæ hoc loco adhibet *h* Bellarminus, non eſſe ad rem; Quia ouis ſi libera eſſet non poteſt cogi

g Tit. 3. 11.

h Bellar. de Eccl. mil. c. 4.

redire

redire ad ouile, in quo libere manebat. Sed quia Dominus ouilis eſt dominus ouis errãtis, poteſt eã cogere. Eccleſia vero, multo minus Principes, ſunt Domini fideliũ, quoad ſpiritualia, ſed ſolus Deus. Ita miles qui ſtipendia accepit, cogi poteſt ab Imperatore, & ſuſpendi ſi ſit deſertor, hoc tamen non poteſt cum liberis militibus, qui libere cum eo propriis ſtipendiis militant. Chriſtus enim non vult milites coactos, vt voluut terreni Imperatores, qui ſtipendiatam ſibi obligant militiam, ſed maxime liberos. & voluntarios. *a Nunquid & vos vultis abire?* dixit Dominus ſuis Apoſtolis. Receſſerant enim multi ex diſcipulis eius, qui nolebant amplius cum eo ambulare. Id vero etiam Apoſtolis liberum perinde eſſe ſatis aperte ſignificauit. Deſertor ergo fidei non ob ipſam deſertionem præciſe, ſed ex aliis cauſis, ſi adſint, à Principibus puniri poteſt, vt docui cap. 8. huius libri. De ſchiſmaticis nunc eſſet dicendum: Siquidem ipſi deſerunt Eccleſiam. Sed inferius de ipſis agam, nam propterea nunc veram Eccleſiam quæro, vt inde veros ſchiſmaticos cognoſcamus.

a Ioan. 6. 68.

XXXI. Excommunicati quoque claue non errante, anathemate videlicet, percuſſi, per excommunicationem quæ ſit cenſura, & cenſura maior ac grauior, non pura pœna, cum præciſione membri putridi, qua qui errat fidelis, fit ſicut ethnicus & publicanus, extra eccleſiam ſunt omnino, nec ad cætum fidelium illi pertinent, niſi rite eccleſiæ reconcilientur. Quænam vero ſit excommunicatio cum præciſione membri à corpore Eccleſiæ, explicaui ſatis lib. 5. cap. 9. Si vero quis claue errante excommunicatione ab eccleſia pellatur, ille pulſus reuera non erit. Reclamabit enim, & iniuſtam excommunicationem contemnet, ac proinde communicabit cum aliis, ſuam proteſtatus innocentiam. Aut ſi vis ei adhibeatur, excommunicatio illa reſoluetur in eam, quæ ſola pœna eſt, ſed non cenſura, & conſequenter quæ ab eccleſia Catholica non præſcindit; non enim illum ligat Deus in cælo. Auguſtinus tales iniuſte excommunicatos, dicit *quidem eſſe b foris, ſed eſſe oues. ſicut multi ſunt intus, ſed lupi.* Ego tamen illum non dixerim eſſe foris qui integram ſidem profitetur, & in eccleſia vera præſumptiua manet, nec patitur ſe iniuſte expelli: & reſiſtit iniuſte expellenti; & ſi ab vna Eccleſia particulari per vim expellatur, recurret ad alias particulares, quæ illum vt membrum viuum & Chriſto hærens amanter recipiunt. Aliæ excommunicationes medicinales & pœnitentiales non ſunt præciſiuæ, ſed relinquunt hominem in eccleſia, vt explicaui lib. 5. cap. 9. Ideo fruſtra laborat Bellarminus vt ſoluat obiectiones ex parte excommunicationis pænitentialis, & medicinalis, quia neſciunt noſtri Scholaſtici diſtinguere excommunicationes varias, quas ego cum Patribus eodem cap. 9. clare diſtinxi. Magna enim excommunicatio non ſit in vtilitatem excommunicati, ſed in vtilitatem eccleſiæ ſe ipſam purgantis: aliæ autem ſunt in vtilitatem fidelium errantium: ſed illæ ab Eccleſia non præſcindunt.

b Aug. de vera relig. c. 6.

XXXII. Prædeſtinatos ad veram Catholicam Eccleſiam maxime pertinere, nemo dubitat, ſed dubium eſt aliquod de Reprobis, qui & præſciti vocantur; & quidem c Bellarminus Reprobos etiam in Eccleſia militante eſſe contendit. Ego rem facile abſoluo. Reprobus quandiu profitetur fidem integram Chriſti, & Chriſtianos mores, Rectoribus Eccleſiæ in ſpiritualibus paret, & Sacramenta percipiſt, ille profecto in Eccleſia Catholica præſumptiua eſt pleniſſime, videlicet præſumptiue. Legitime enim præſumitur eſſe verum Eccleſiæ Chriſti membrum. An vero ſit ſecundum præſentem iuſtitiam pro tempore in veraci quoque Catholica Eccleſia, pendet ab illa quæſtione; quæ eſt. An poſſit Reprobus vllo tempore eſſe vere iuſtus: ſi pro tempore poteſt eſſe vere iuſtus, vereque amicus & filius Dei, quis dubitat pro illo tempore ipſum eſſe verum & viuum membrum veræ Eccleſiæ veraciter, & non tantum præſumptiue? Ego tamen non poſſum percipere, quomodo Deus velit tanquam filium amare eum, quem aut noluit è maſſa damnata eripere, ſi prædeſtinatio eſt gratuita; aut præſciens hunc iuſtitiam deſerturum, gratia diuina male vſurum, & ab amicitia Dei penitus & finaliter diceſſurum, & abſque pænitentia in peccatis ſuis moriturum, aut fidem etiam deſerturum, eum ex libro viuentium deleuerit, ſi prædeſtinatio eſt ex præſcientia fidei, & perſeuerantiæ in bono. Itaque non puto reprobos habere locum in Eccleſia Catholica veraci, & veraciter, licet locum habere poſſint in Eccleſia Catholica præſumptiue. De qua ſola Eccleſia præſumptiua intelligendæ ſunt & Scripturę, & Patrum aſſertiones, ſi quæ in eccleſia mixtim ponunt bonos & malos.

c Bellar. de Eccl. mil. c. 7.

XXXIII. Graues peccatores etiam in vera Eccleſia Catholica ponit Bellarminus, non modo occultos, ſed etiam manifeſtos. De occultis non ſolum peccatoribus, ſed etiam infidelibus, qui in corde nihil credant, ſi profeſſione fidei & morum, vſuque ſacramentorum ſe Catholicos oſtendant, certum eſt eos eſſe in Eccleſia Catholica, ſed præſumptiue duntaxat, non item veraciter: *d Ex nobis prodierunt*, inquit Ioannes, *ſed ex nobis non erant.*] Erant enim ex nobis, præſumptiue duntaxat, ſed non erant veraciter; deeſt enim ipſis forma ex qua fideles ſunt vera membra Eccleſiæ veraciter. Profeſſio enim debet eſſe ex corde, non ficta. Manifeſti vero peccatores non ſunt omnes eiuſdem rationis. Si enim fidem quidem in Chriſtum integram profitentur, vita tamen & moribus e infideli ſunt deteriores, dum confitentur f ſe noſſe Deum, factis autem negant & ſceleribus Chriſtiano indignis ita delectantur, vt ea etiam approbent & defendant, & g lætentur cum male fecerint, exultentque in rebus peſſimis, hi profecto neque ad Eccleſiam præſumptiuam poſſunt pertinere. Ille enim præſumitur verus Chriſtianus, qui & fide & vita Chriſtianum ſe eſſe profitetur, ideoque meritò, vt incorrigibilis, eſt excommunicatione ab Eccleſia præcidendus, niſi prudentia aliud dictet. Sed etiam ſi non excommunicetur pro vero Chriſtiano non eſt habendus, nec eccleſiæ membrum eſſe præſumitur. Quod ſi magnus peccator, licet in moribus vitam Chriſtiano dignam non agat, agnoſcat tamen ſe male viuere, & confiteatur vitam illam non eſſe Chriſtianam, illum ego in eccleſia præſumptiue eſſe non negarim, quia ſi non vita, profeſſione tamen malos mores deteſtatur, confitetur ſe peccare, peccatum ſuum non defendit, cupit emendari, ſed fragilitate, ac vehementia paſſionum vincitur. Signa iſte talia præbet, vt inter præſcitos & datos in reprobum ſenſum non ſit rationabiliter numerandus. Magnam enim reſipiſcentiæ ſpem præbet, & ipſius profeſſio theorice optima ac integra, eſt illa eadem quæ eſt catholicæ Eccleſiæ propria, ideoque ille membrum verum Eccleſiæ præſumitur, licet practice deuiet,

d 1. Ioan. 2. 19.
e 1. Tim. 5. 8.
f 2. Tit. 1. 16.
g Prou. 2. 14.

Neque

Neque nouum, aut inſolitum eſt Prædeſtinatos, non modo ante vocationem & iuſtificationem, ſed etiam poſt, ſe grauibus interdum contaminare ſceleribus: quos ego, etiam dum in peccato perſeuerant, non modo in veraci Eccleſia coram Deo, ſed etiam in externa, ex præſumptione legitima non ægre collocarim. Talem fuiſſe puto *a* fornicarium illum, quem Paulus excommunicandum cenſuit, vt ſpiritus ſaluus fieret. Catholici Patres contra Donatiſtas agentes multos tolerandos in Eccleſia eſſe docebant. Nam etiam peſſimi ſæpe ſunt tolerandi, id eſt non excludendi corporaliter, non eijciendi, ſed permittendi, vt inter Catholicos pios viuant, hæc tamen tolerantia non facit vt illi ſint in Eccleſia vera, ne præſumptiue quidem, niſi corporaliter. Nam profeſſio fidei & morum, hominem conſtituit in eccleſia, & in quibus non adeſt hæc profeſſio, illi non præſumuntur eſſe in Eccleſia, licet corporaliter cum illis viuant, qui veram præſumptiue faciunt Eccleſiam; Eccleſia enim ſæpe ſumitur materialiter duntaxat, pro cætu ſaltem baptiſmo, & nomine, ac verbali tantum profeſſione Chriſtianorum. Sic dicimus *b* zizania eſſe in Eccleſia: *c* bonos & malos piſces in ſagena Eccleſiæ: *d* Grana, & paleas in area, &c. Sed veram eccleſiam Catholicam etiam præſumptiuam formaliter non conſtituunt ſolo nomine, & verbali duntaxat profeſsione Chriſtiani, ſed illi Chriſtiani, qui ſua reali profeſſione ſe Chriſtianos eſſe oſtendunt, quique eſſe vera & viua Chriſti membra præſumuntur. Dare enim Chriſti eccleſiæ, etiam præſumptiue, membra mortua, putrida, fœtentia, dare huic corpori pilos, humores, excrementa, parum abeſt à ſtultitia. Corpus enim myſticum ſolis viuis membris conſtat; verax quidem veracibus, præſumptiuum vero præſumptiuis; non habet pilos, non habet humores, non habet excrementa. Corpus vero mortuum putridum cadauer, habet mortua membra, ſed æquiuoce, & materialiter duntaxat, ſicut & ipſum cadauer eſt corpus humanum, æquiuoce tantum & materialiter. Dicimus enim nos hodie illum, & illum hominem, expreſſo nomine, expreſſaque illius dignitate, puta Papam, Epiſcopum, Regem, Ducem, &c. ſepelijſſe, & tamen non illum formaliter, ſed materialiter duntaxat; hoc eſt, ipſius cadauer, quod fuit eius corpus, ſepeliuimus. Sic in noſtro caſu eccleſia interdum vocatur pars eius aliqua materialis & cadauer, quæ vere realiter, & formaliter, ne præſumptiue quidem Eccleſia eſt.

a 1. Cor. 5. 5. & 2. Cor. 2. 7.
b Matt. 13. 25.
c Matt. 13. 47.
d Matt. 3. 12.

XXXIV. Si graues peccatores, profitentes tamen bonos mores, & vitam probam eſſe Chriſtiano neceſſariam, ſi verus velit eſſe Chriſtianus, non excluduntur ab eccleſia, ſed merito adhuc in vera Eccleſia eſſe præſumuntur, quanto magis in vera Eccleſia eſſe præſumentur fideles, qui non ſceleribus neque criminibus ſunt contaminati, ſed imperfectionibus, & quotidianis peccatis inficiuntur? Hi enim & fide, & vita, & moribus verum Chriſtianiſmum profitentur: humanis tamen lapſibus ſubiecti, vnde humilientur, habent; non vnde ab eccleſia fiant extorres. Ita Hieronymus Paulum conſiderauit ad Eccleſias Galatiæ ſcribere, quas tamen labe aliqua deprauatas reprehendebat. *e Ex quo noſcendum*, inquit *dupliciter Eccleſiam poſſe dici, & eam quæ non habeat maculam, aut rugam, & vere corpus Chriſti ſit; & eam quæ in Chriſti nomine abſq; plenis perfectiſque virtutibus congregatur; quomodo ſapientes biſariam nuncupantur, tam ij qui ſunt plena perfectaq; virtutis, quam illi qui incipiunt, & in profectu poſiti ſunt, &c.*] Obſtat nihilominus, quod Eccleſia vera Chriſti dicitur *f Tota pulchra, & g ſine macula ac ruga.* Id ego verum puto etiam in eccleſia externa præſumptiue vera; quia boni, ac veri fideles, fide, ac moribus ſuam Chriſtianitatem profitentes, licet ſæpe in peccata illa leuiora, & veniam facile obtinentia, remediaque facilia & prompta habentia, labantur: tamen ſtatim etiam conantur ſe ab iis liberare, & veniam à Deo obtinere; atque hoc pacto dum *h ſepties in die cadit iuſtus, & reſurgit*, per hanc iugem ſui purificationem facit, vt eccleſia quæ talibus, taliave ſaltem profitentibus conſtat, tota pulchra dicatur, & ſine macula, ac ruga, etiam in terris, propter finem & exercitium veræ eccleſiæ, in qua hæc eſt profeſſio, vt fideles exercitiis Chriſtianis, pœnitentia, ſacramentis, oratione, eleemoſynis, ieiuniis, &c. exactã ſui quærant purgationem. Sed ipſa quoque tota Eccleſia præſumptiua adhuc aliunde merito dicitur eſſe ſine macula & ruga, quia videlicet ſua profeſſione nullam admittit hæreſim, nullum in fide errorem, nullum approbat vitium, vitam irreprehenſibilem poſtulat, & canonibus ſanctis ſe ipſam regit & gubernat. Hoc optime conſiderauit Theodorus Studita monachus in oriente, octauo à Chriſti ſæculo magni nominis: *i Nullam enim*, inquit, *maculam habere Eccleſiam, aut rugam, ſic intelligendum, quod non recipiat impia dogmata, nec auſus illicitos, & canonibus contrarios, neque adeo conſentiat ijs, qui vetita ipſi committunt.*] Hinc etiam eccleſia merito vocatur ſancta, quia tota ad hanc ſanctitatem aſpirat, & ad aſſecutionem ſanctitatis à Deo exercetur, quam aſſecutionem ipſa profitetur, in eaque perpetuo occupatur. A peccatoribus enim, quos permiſtos habet, *k corde ſemper*, vt ait Auguſtinus, *& moribus ſeparatur, atque diſcedit, vt exhibeatur viro ſuo glorioſa, non habens maculam, neque rugam.*] Per exercitium itaque virtutum in hac vita Eccleſia ſe purificat, vt ad eam perueniat ſpeciem, & pulchritudinem, qua omnis macula abſtergitur, & omnis ruga complanatur.

e Hiero. in ep. ad Gal. c. 1.
f Cant. 4. 7.
g Eph. 5. 27
h Prou. 24. 16.
i Apud Bar. to. 10. an. 808. n. 35.
k Aug. ep. 48.

Incluſimus in eccleſia in genere eos, qui includendi ſunt & illos in genere excluſimus, qui ſunt excludendi, ad ſchiſmaticos iam eſſet nobis deueniendum. Ad eos enim in hoc capite properamus, ſed prius de viſibilitate & inuiſibilitate Eccleſiæ Catholicæ quæſtio eſt terminanda; alioquin verum ſchiſma nobis non poteſt innoteſcere; ſi enim Eccleſia Catholica ſit inuiſibilis, nemo ſchiſmatis facti conuincetur, quia nemo conuinci poteſt Eccleſiam inuiſibilem deſeruiſſe. Ego ex hactenus explicatis quæſtionem hanc pauciſſimis abſoluo; aioque Eccleſiam veram Catholicam quæ ſit mortalium mater & magiſtra, eſſe eccleſiam illam veram præſumptiue. Illa autem eſt viſibilis, & conſequenter Eccleſia militans in terris eſt viſibilis; hoc eſt ſenſibilis, externiſque ſenſibus perceptibilis. Profeſsio enim illa, quæ eſt forma Eccleſiæ, vt docui, tota eſt ſenſibilis, & quatenus eſt ſenſibilis, illa & mater eſt fidelium, & magiſtra, quæ profeſsio, quia iuſte & legitime præſumitur ex corde procedere, ideo præſumptiue veram eccleſiam conſtituet. Nam vnuſquiſque præſumitur bonus, donec conſtet de contrario, vt eſt regula moralis. Et quãuis in Eccleſia hac ſenſibili, & vera præſumptiue nimirum in terra militanti poſſent eſſe falſi Chriſtiani, qui in veraci eccleſia non ſint, nihilominus tamen Chriſtiani, qui veraciter, & non duntaxat præſumptiue veri veræ Eccleſiæ filii ſunt, in hac ſola Eccleſia, quæ vera dicitur præſumptiue, omnes repeiuntur, & nullus extra illam; vt ſuperius do- XXXV.

tui. Nihil vero nocet, etiamſi aliqui, imo & plurimi, qui externe præſumuntur veraciter eſſe Chriſti membra, re vera interne mēbra ſint diaboli, dummodo profeſſio externa veræ Eccleſiæ integra & illæſa maneat. Quid nocebat eccleſiæ veteri, ſi ſacerdotes, & alii iudices in Concilio maximo difficultates circa legem ſublaturi, ſceleſti fuiſſent, & interne etiam infideles, ac Idololatræ, dummodo
a Deut. 17. 12. ſecundum veritatem legis populum inſtruerent? *a Facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius.* Quid oberant Cathedræ Moyſis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, & pluribus ſceleribus contaminati, ac legis transgreſſores, dum ſuper illam Cathedram ſederent, & quæ eſſet diuina lex populo aperirent. An
b Matt. 23. 3. non dicit Chriſtus de huiuſmodi, *b Omnia quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere?* Cum ergo vera Chriſti eccleſia ab externa integra & ſana profeſſione nunquam defecerit, aut poſſit deficere, ipſa eccleſia præſumptiue vera nihil ſibi periculi metuit à malis, & fictis filiis, qui non ſunt in veritate Chriſti, ſed Diaboli membra; Nam illi quoque externe idem profitentur quod perfectiſſimi electi, quandiu in eccleſia vera ſunt, ſaltem præſumptiue.

XXXVI. Sed Eccleſia quoque illa, quæ coram Deo eſt veraciſſima Eccleſia electorum filiorum, ac verorum viuorumque Chriſti capitis membrorum, licet quoad hanc veracitatem ſit inuiſibilis, quia tamen externa profeſſione ſe manifeſtat, & tenetur ſe manifeſtare, ideo propter hanc externam profeſſionem eſt viſibilis, indiſtincte tamen cum illa, quæ ſola præſumptione non veracitate eſt vera Eccleſia; diſtinctio enim eſt inuiſibilis; ſed quia profeſſio externa eſt viſibilis, & indiſtincte communis, ideo tota vera eccleſia abſolute indiſtincte quoque eſt viſibilis, & hæc Eccleſiæ Catholicæ viſibilitas eſt omnino neceſſaria; Qui enim Eccleſias falſas vult deſerere, notam & paratam debet habere veram Catholicam Eccleſiam, cui adiungatur; alioquin ei remedium in terris à Chriſto nullum datum eſſet, neque enim ei ſufficit, vt particulari alicui iungatur Eccleſiæ, ſiquidem nulla particularis Eccleſia dicatur eſſe illa catholica, cui ille cupit coniungi; poteſt etiam ei ad quamcunque eccleſiam particularem aditus intercludi, vt ſi captiuus Chriſtianus inter Turcas alium concaptiuum paganum conuerteret, & bene inſtructum baptizaret, hic certe in nulla particulari Eccleſia eſſet, & tamen vult in Eccleſia catholica eſſe, neque ei ſatis erit, ſi ei perſuadeatur ipſum ſi vere credat in Chriſtum iam eſſe in eccleſia inuiſibili veracium fidelium; quos Deus ſolus bene nouit, quia per ingreſſum viſibilem in Chriſtianam Eccleſiam vellet egreſſum ſuum è paganiſmo manifeſtare, neque vult amplius pro Pagano haberi; & tenetur iam ſicut corde credit ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem. Profeſſione igitur Chriſtianiſmi iſte ingreditur in Eccleſiam Catholicam, non particularem, quæ ibi nulla eſt, ſed vniuerſalem, quia profeſſionem etiam facit Eccleſiæ vniuerſalis, eccleſiæ nimirum illius, quæ præſumptiue eſt vniuerſalis, & in qua ſola reperitur tota eccleſia Catholica verax: Ita nemo quoque ex illis, qui in particularibus Eccleſiis ſuum nomen dant Chriſto, particulari illi ſoli ſe adiungit Eccleſiæ, ſed omnino vniuerſali; quia in particulari Eccleſia accipit profeſſionem vniuerſalem Catholicæ Eccleſiæ, non illius Eccleſiæ particularis particularem. Cum præſertim, vt docui, vniuerſalis Eccleſia ſint ipſæmet particulares Eccleſiæ ſimul ſumptæ, & non aliqua ab iis diuerſa. Cum igitur illæ ſingulæ ex profeſſione externa ſint viſibiles, tota quoque ex eadem profeſſione fit viſibilis.

Quomodo vero, obſecro, nutanti in fide, ec- XXXVII
cleſia erit ex Paulo *c columna, & firmamentum veri- c 1. Tim. 3.
tatis?* quo confugiet ille? quam Eccleſiam con- 15.
ſulet? vllam ne particularem, vt particularis eſt? ſed particulares eccleſiæ falli poſſunt & fallere? nec de vlla particulari Eccleſia illud protulit Apoſtolus, ſed de vera Eccleſia Catholica, quæ cuſtos eſt, & theſaurarius Scripturæ, ac traditionum. quod ſi ſit inuiſibilis, cui erit columna? cui firmamentum? quomodo hanc columnam arripiet vacillans in fide? quomodo ſe hoc firmamento ſtabiliet? Eſt igitur viſibilis hæc columna, eſt omnibus patens firmamentum; quia eccleſia præſumptiue vniuerſalis, ex præſumptione omnibus eſt manifeſta. Eccleſiam ſane vniuerſalem Cyprianus merito dicebat eſſe *d* radicem, è qua rami par- d Cypr. de
ticularium eccleſiarum viuant: eſſe ſolem à quo ſimp. præ-
radii ſplendeſcant: eſſe fontem, à quo riuuli o- lat.
mnes fluunt. Quod ſi hæc radix ſit inuiſibilis, hic fons ſecretus, hic ſol abſconditus, quomodo eccleſiæ malignantium volentes fieri eccleſiæ Chriſti huic radici ſe inſerent, huic ſoli adiungent, huic fonti alueos ſuos ſiccos & aridos ſubiicient? Eccleſia præſumptiua eſt radix, eſt ſol, eſt fons, quia in hac ſunt omnes gratiæ à Chriſto capite deriuatæ, & per hanc præſumptiuam eccleſiam in omnes cætus ei adhærentes communicantur. Ac
profecto Auguſtinus *e* Donatiſtas arguit, quod ſe e Aug. de
immerito à Chriſti corpore ſeparaſſent. Corpus vn. bapt.
Chriſti vocat ipſas Eccleſias particulares totius cont Pe-
orbis: illæ ergo ſunt illa vera catholica Eccleſia, til. cap 15.
quæ eſt corpus Chriſti; & ab his ſe Donatiſtæ ſe- & ſæpe ali-
gregarant. bi.
Quod ſi eccleſia catholica eſſet ab his alia in concauo lunæ, ſiue in conuexo empyrei poſita, ab illa ſe non eſſe ſeparatos dixiſſent Donatiſtæ, ſed à ſolis particularibus, & tamen hæ Auguſtino ſunt corpus Chriſti.

Obiicies primo: *Particulares Eccleſiæ quandiu ſunt* XXXVIII.
inter ſe disiunctæ, non poſſunt efficere vnam totalem Eccleſiam, quæ ideo ſit viſibilis, quia illæ ſunt viſibiles: Nam licet illæ viſibiles ſint, ipſa tamen aggregatio non eſt viſibilis, quia quouſque variæ ſunt Eccleſiæ particulares, non eſt Eccleſia vna ex omnibus aggregata. Quandiu ergo particulares eccleſiæ ſeorſim exiſtunt, vna ex his omnibus aggregata cogitari quidem poteſt, videri non poteſt. Reſpondeo obiectionem eſſe ſatis craſſam; quaſi vero vnitas Eccleſiæ per aggregationem corporalem, & motum localem fiat; Sic enim neque vlla particularis Eccleſia eſſet vna; quandiu Parochiales Eccleſiæ in eadem ciuitate, & diæceſi ſunt inter ſe diſtinctæ, & diſtinctim in iis fideles congregantur. Imo neque vna parochia erit vna Eccleſia, niſi quando parochiani omnes ad vnum adſunt in Eccleſia ad concionem, & alia ſacra; atque adeo Eccleſia nulla eſſet vna; niſi quando fideles ſunt ſimul pro rebus ſacris congregati, & vniti. Diuiſæ ergo domus; & diuiſæ familiæ; imo diuiſæ perſonæ ab inuicem; nullam conſtituent Eccleſiam; Sicut ergo non phyſice; ſed moraliter plures perſonæ faciunt vnam familiam, plures familiæ vnam ciuitatem, plures ciuitates vnum regnum; ita ſpiritualiter plures perſonæ faciunt vnam domeſticam eccleſiam: plures domeſticæ eccleſiæ, vnam parochialem: plures parochiales vnam diæceſanam; plures diæceſanæ

vnam nationalem; plures nationales, vnam totalem & vniuerſalem, non per viſibilem corporalem aggregationem, ſed per viſibilem externam eiuſdem fidei profeſſionem. Et totum diuiſum in partes aliam viſibilitatem non habet, niſi eam quæ eſt in partibus: & per ſuas partes viſibiles totum eſt viſibile. Neque debent huc afferri ſimilitudines aggregationum, quæ fieri non poſſunt, niſi corporaliter & localiter, & numeri continui ac diſcreti. Corpus enim Eccleſiæ vnum & continuum eſt myſtice in profeſſione, non in corporali magnitudine, & diſcretum quidē eſt, ſicut grex, aut plures greges, materialiter, quia diuerſę ſunt perſonæ fideliū, diuerſi cœtus in vnum etiam corporaliter coeuntes, ſed hæc omnia diſcreta fiunt vnum continuum myſtice & moraliter, per vnam & eandem profeſſionem. Diſcreta autem quantitas in grege & diuerſis gregibus pecudum non habet vnam formalitatem moralem, aut ſpiritalem ſub qua pecudes inter ſe plurimum diſſitæ, abſque mutatione loci poſſint vniri.

XXXIX. Obijcies ſecundo: *a Omnis gloria filiæ Regis ab in-*
a Pſ.45 14. *tus. ergo inuiſibilis.* b *Oues meæ vocem meam audiunt. Er-*
b Ioan.10. *go ſoli qui audiunt vocem Chriſti, & illum ſequuntur, ſunt*
27. *Eccleſiæ, ſed hi non apparent viſui.* c *Nouit Dominus qui*
c 2. Tim.2. *ſunt eius, & illi ſoli ſunt Eccleſia, neque externe noti, ergo*
19. *inuiſibiles.* d *In ſpiritu Ioannes vidit ciuitatem ſanctam*
d Apoc.21. *Hieruſalem deſcendentem de cælo, non ergo eccleſia ſancta*
10. *per Hieruſalem ſignificata eſt viſibilis; niſi in ſpiritu per*
reuelationem. Reſpondeo, eccleſiæ gloria eſt ab intus, ſed per externam profeſſionem etiam extra manifeſtatur, & quidem ab aliquibus nonniſi præſumptiue, ab aliis & veraciter, & præſumptiue; profeſſio tamen in omnibus eſt talis, vt internarum rerum potiſſimum ſit de ſe manifeſtatiua, ſiue actu intus in profeſſione exiſtentium, ſiue exiſtere debentium, & quæ intus quoque exiſtere merito ab aliis præſumātur. Oues omnes, quæ profitentur fidem Chriſti, præſumuntur etiam vocem illius audire, & illum ſequi, quæ præſumptio etiam ſi in aliquibus falſa ſit, in aliis tamen vera eſt, neque illa falſa præſumptio præſumentibus nocet, & nulla eſt ouis, quæ vere audit vocem Chriſti, quæ non ſit per externam profeſſionem viſibilis. Omnes qui ſunt in Eccleſia viſibili præſumptiue vera, præſumptiue ſunt Domini, quia tamen præſumptio poteſt falli, quia ſolus Dominus diſcernit eos, qui veraciter fidem profitentur ab iis, qui ficte, ideo Dominus ſolus nouit, qui ſint vtrique, & qui vere ſunt eius, illi Eccleſiā veram conſtituunt veraciter, quæ eſt inuiſibilis; alii autem ſimul cum his conſtituunt eccleſiam veram præſumptiue, quæ tota eſt viſibilis, ſed indiſcrete. De ciuitate Hieruſalem, viſa à Ioanne idem dicen-
e Hier 1.13. dum, quod de e olla ſuccenſa, quam in ſpiritu vidit Propheta, & tamen ſignificabat rem nimis viſibilem, nimirum gentes ab Aquilone Hieruſalem, & ciuitates Iuda diſſipantes. In ſpiritu tantum, per
f Gen.41. ſomnium vidit Pharao f boues pingues, & alias
2.3. macilentas, ſed illæ ſignificabant rem viſibilem, annonæ abundantiam, & charitatem. Idem dico
g Gen.37.7 de g manipulis Ioſephi, & fratrum; h de volucribus
h Gen 40. piſtoris: de racemis pincernæ, & ſimilibus; Per ſi-
10.11.17. gna enim, typos, & figuras ſæpe inuiſibiles, Deus maxime viſibilia manifeſtat. Ita per ciuitatem Hieruſalem è cælo venientem in ſpiritu viſam, ſi quis velit ſignificatam fuiſſe Eccleſiam militantem, & non potius triumphantem, eccleſia viſibilis potuit ſignificari, ſed profecto allegorice, & anagogice, nihil dogmaticum poſſunt probare.

Obijcies tertio, *Eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum, non phyſicum & corpus phyſicum eſt viſibile, non corpus myſticum.* Reſpondeo etiam Collegium canonicorum cuiuſque eccleſiæ cathedralis aut collegiatæ, ſeu ſociorum in vniuerſitatibus, &c. eſſe corpora ſuo modo myſtica, hoc eſt, non Phyſica, ſed vt vocantur à Iuriſtis Corpora corporata, & tamen omnia ſunt viſibilia, & viſibiliter habent vnitatem ex ſua quodque profeſſione. Ita eccleſia eſt cætus hominum viſibilis quoad materiale, & ex profeſſione etiam quoad formale, licet autem non ſit viſibilis connexio inter Chriſtum caput, & eccleſiam corpus hoc myſticum, viſibilis tamen eſt profeſſio, cui profeſſioni, quia ex fide ſcimus Chriſtum coniungi, ideo prę ſumimus legitime quemcunque qui ſit in eccleſia catholica, per eiuſdem Eccleſiæ profeſſionē habere ſibi tanquam membro vero Chriſtum caput connexum. Non enim dicimus ſolam externam profeſſionem, excluſo interno, conſtituere veram eccleſiam; ſed dicimus externam profeſsionem ſufficere, vt præſumamus profeſsionem eſſe in vera Eccleſia, quia præſumimus, & iuſte, quemque ſicut externe profitetur, ita etiam veraciter interne profiteri. XL.

Obijcies quarto. *Eccleſia Catholica caput non videtur; ergo neq; corpus, quod eſt eccleſia. corpus autem videre ſine capite, eſt videre monſtrum.* Sed hoc argumentum mihi videtur monſtroſum; Quæ enim eſt iſta conſequentia: Caput eſt inuiſibile, ergo etiam corpus? licebit ſimiliter argutari; Homo conſtat anima & corpore; ſed anima eſt inuiſibilis; ergo etiam corpus. An non poſſunt inuiſibilia viſibilibus ſpirituali nexu coniungi? Angeli aſsiſtunt cœlis, eoſque mouent, regunt, & moderantur, eodem modo proportionaliter, ſicut caput, imo ſicut anima ſuum corpus: ſed Angeli ſunt inuiſibiles: non tamen ſequitur etiam cælos, id eſt aſtra eſſe inuiſibilia. Petrus poſt aſcenſionē Chriſti erat ipſius verū membrum non phyſice, ſed myſtice: alia mēbra veraciter vera nō videbantur, neq; caput; Petrus ergo erat inuiſibilis, aut ſi viſibilis erat, videbatur vnū membrū ſine capite, & ſine reliquo corpore: erat ergo membrum diſſectum. Argumentatio profecto parum apta. Nam ſupponit eccleſiam eſſe vnum corpus humanum materialiter, & phyſice, in quo cum etiam caput ſit pars materialis corporis, ipſum quoq; caput debet eſſe materiale, & viſibile. Non ita ſe res habet in corporibus myſticis, vt dicebam de ſingulis cælis, qu. ſunt vnum corpus, ſed ſimul cū ſua intelligentia motrice. Sic regnum eſt vnicum ſub ſuo capite Rege, quod ſi Rex abſit à ſuo regno, neq; vllum proregem relinquat, committat vero magiſtratibus, vt ſinguli ſua curent, & per literas ipſius regimen accipiant & exequantur, erit ne corpus monſtroſum, ſub capite inuiſibili? Ita profecto eccleſia habet Chriſtum caput de ſe viſibile, ſed abſens corpore, quod improprie dicitur inuiſibile, præſens tamen Spiritu, vt explicaui lib.1.c.1.n.21. ideoq; non eſt corpus monſtroſum, quod in ſe eſt viſibile, & caput habet viſibile, corpore abſens, influxu tamen, & directione præſens: quod ſuum caput Eccleſia profeſsione ſua ſenſibili veneratur, & agnoſcit, & ex ipſa profeſſione ſenſibili ac externa patet eccleſiam eſſe corpus myſticum ſub capite Chriſto. XLI.

Obijcies quinto. *Omnia membra Eccleſiæ ſunt inuiſibilia. ergo ipſum corpus totum eſt inuiſibile.* Reſpondeo mēbra eccleſiæ dupliciter ſumuntur, vel præſumptiue tantum, vel & præſumptiue ſimul & veraciter. Vtroque vero modo ſunt viſibilia, quia etiam XLII.

veracia

veracia membra ex profeſſione externa præſumũtur eſſe vera membra, & abſque errore ſane præſumuntur. Diſtinctio tamen veræ & falſæ præſumptionis eſt inuiſibilis. Sed hoc non obſtat, quamuis tota etiam verax Eccleſia ſit viſibilis, quia illa quoq; externam habet profeſſionem, indiſtincte tamen cum aliis, quæ veraciter non ſunt, ſed præſumptiue tantum membra verę eccleſię militantis. Dices: *ſicut militia militantis Eccleſiæ non eſt viſibilis, ſed inuiſibilis à aduerſus ſpiritales nequitiæ, ita ipſa eccleſia eſt inuiſibilis.* Reſpondeo, hoſtes eſſe aliquos inuiſibiles vt ſunt dæmones, caro tamen, & mundus ſunt viſibiles, ſaltem ſenſibiles; & pugna etiam cum dæmonibus eſt ſenſibilis, & arma multa ſunt ſenſibilia, verbum Dei, preces, ieiunia, eleemoſynæ, reſiſtentia contra tyrannos fidem perſequentes, martyria &c. Militia itaq; noſtra licet dum interne pugnamus contra internas concupiſcentias, & tentationes, interna ſit, & inuiſibilis, plurimæ tamen pugnæ ſunt etiam externæ: ſed profeſſio externa eſt, etiam cum interno hoſte eſſe pugnandum, & ad hanc pugnam viſibiliter hoc eſt externe, & ſenſibiliter fideles verbo Dei, & hortationibus miniſtrorum inſtruuntur. De Patribus non ſimus ſoliciti. Illi enim interdum de eccleſia ſola veraci, diſtincta à non veraci, ſed quæ ſit duntaxat præſumptiua, loquuntur. Interdum vero de ipſa pręſumptiua tota & indiſtincta ſermonem habent, & ideo eccleſiam interdum faciunt viſibilem, interdum inuiſibilem.

a Epheſ. 6. 12.

XLIII. Supereſt, vt ad diſcernendam veram Chriſti eccleſiam, ab iis quæ veræ nõ ſint, ſpecialem, ac certum modum per infallibiles regulas proponamus. Solent Theologi ſigna, ſeu notas multiplicare, ex quibus vera eccleſia patenter appareat, ſed notæ quas hactenus vidi ſufficientes non ſunt, & fruſtra multiplicantur. Mea nota ſane vnica eſt, & tota à priori; ad quam, ſi notæ aliæ quæ ſint à poſteriori, ducant, & perueniant, bonę erunt & approbandę; ſin minus, erunt contemnendæ & reijciendæ. Dubium non eſt & hęreticos & ſchiſmaticos ſuam eccleſiam tanquam veram iactare, non minus quam ſuam verã eſſe agnoſcunt Catholici. Itaque via eſt oſtendenda quæ ad ipſam veram Eccleſiã cognoſcendam, & à non veris diſtinguendã nos deducat. Rectum porro eſt iudex ſui, & obliqui, vt habent ſcholæ; Illud vero nobis in hoc genere rectum eſt, nimirũ veram Chriſti eccleſiã in terris fuiſſe illam quam Apoſtoli per vniuerſum orbem fundarunt, id eſt illud aggregatum fidelium totius orbis, quos Apoſtoli docuerũt, inſtruxerunt & ad profeſſionẽ religionis Chriſtianæ traduxerunt, veram & indubitatam Chriſti eccleſiam in terris fuiſſe, & conſequenter omnes eccleſiaſ poſt primã illam ab Apoſtolis fundatã, quotcunq; huic primæ quæ fuit ab Apoſtolis, ſint in vnum perfecte coniunctę, illæ omnes etiã veram Chriſti eccleſiam integrant. Illud ergo rectũ quod eſt nobis iudex ſui, & obliqui, eſt eccleſia primitiua. Ea poſita, reliquæ omnes per illam cognoſcentur. *b Inſpice & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratũ eſt* inquit Deus Moyſi, de tabernaculi, eiuſq; partium, forma. Exemplar vero tabernaculi veri, quod eſt Eccleſia, eſt ipſa prima eccleſia ab Apoſtolis: Sicut etiam vna vlna iuſta & recta in cõmuni propoſita, omnia menſurabilia illa ſola, abſq; vllo errore menſurat; & ſi alię vlnæ inducantur, niſi illæ cum illa prima optime conueniant, fallaces erunt & deceptoriæ. Qui ergo nouit proprietates eſſentiales illius primæ eccleſiæ, quæ eſt ab Apoſtolis, per has certo, & euidenter veritatem eccleſiæ noſtrorũ temporũ habebit. Atque ita in genere, vbicunq; erit profeſsio integra, non diminuta in eſſentialibus, ac neceſſariis ad ſalutem, quæ fuit in primitiua eccleſia, ibi erit vera Chriſti eccleſia. Vbi vero integra non eſt illa profeſſio, ſed diminuta & contraria illi ſeu in toto, ſeu in parte, ibi vera Chriſti Eccleſia eſſe nõ poteſt. Ita præclare docet Tertull. his verbis: *Apoſtoli, c primo per Iudæam conteſtata fide in Ieſum Chriſtum, & eccleſiis inſtitutis, de hinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiuſdẽ fidei nationibus promulgauerunt; & proinde eccleſias apud vnamquamq; ciuitatẽ condiderunt, à quib. traducem fidei & ſemina doctrinæ cæteræ exinde eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, vt eccleſiæ fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarũ eccleſiarũ. Omne genus ad originẽ ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaq; tot, ac tantæ eccleſiæ, vnam eſſe illam ab Apoſtolis primam, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apoſtolicæ, dum vnã omnes probant vnitatem.*] Ex illa prima Eccleſia, quæ in Actis Apoſtolicis c. 4. deſcribitur, d omnem Eccleſiã habuiſſe initium dixit etiam Irenæus.

b Exod. 25. 40.

c Tertull. de præſcrip.

d Iren. l. 3. c. 12.

XLIV. Iam vero proprietates eſſentiales primitiuæ eccleſiæ paucæ fuerũt. Prima, quod à Chriſti Apoſtolis, ſpiritu Chriſti rectis, inſtructis, & gubernatis, fuerit fundata, vera fide imbuta, Scripturis canonicis & declarationibus neceſſariis Scripturarum, & dogmatũ munita. Secũda, quod fuerit ſumma vnitate coniuncta. Tertia, quod per totũ orbem fuerit diffuſa. Quarta, quod ad mores ſanctos fuerit pro æterna ſalute informata. Et hæ ſunt quatuor illæ notę quas poſuit in ſuo ſymbolo Concilium Conſtantinopol. quod fuit ſecundum œcumenicum: Vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam eccleſiam. In his quatuor notis, quæ profecto ex ipſius primitiuæ Eccleſiæ eſſentialibus proprietatib. ſunt deſumptæ, conſiſtunt omnes notæ, quotquot poſſunt multiplicari ſiue à priori ſiue à poſteriori, ad veram Chriſti eccleſiam dignoſcendam. Singulas ſane quatuor notas paucis percurram.

XLV. Prima noſtra nota eſt, eccleſiam veram Chriſti debere eſſe APOSTOLICAM; Nõ quod illæ ſolæ eccleſiæ fuerint, aut ſint veræ Chriſti Eccleſiæ, quas ipſimet Apoſtoli fundarunt, ſed omnes quæ illis, quas Apoſtoli fundarunt; imo illi, quã Apoſtoli in ſolidum vnicã ædificarunt adhæſerunt, & in eam coaluerunt; Coaluerunt autẽ illæ ſolæ, quæ eandẽ penitus profeſſionẽ in fide, & moribus, ac ſub ijſdẽ ſacramẽtis ſunt amplexæ; & ſic hæ quoque omnes propterea factæ ſunt & fiũt Apoſtolicæ, vt ait Tertull. quẽ ſuperius ego produxi, & explicaui huius c. n. 9. Quæcunq; ergo eccleſia fidẽ integram illam, quam Apoſtoli prædicarunt, ſcripſerunt, & declararunt, profitetur, nihilq; ab illa diminuit, nihil in contrarium ſentit, aut profitetur; ſacramentiſque à Chriſto inſtitutis vtitur, & Scripturam totã ſanam cõſeruat; illa iã habet primam certã notam eccleſiæ veræ Chriſtianæ. Ac hæretici quidẽ, vtcunq; hanc notam iactent, ea tamen omnino carent, & facile huius carentiæ conuincuntur. Vere enim hęreticus nõ eſt, vt iam eſt à me in ſuperiorib. explicatum, niſi qui articulos fidei veros, & notos negat, illi vero noti ſunt, qui aut in Scripturis ſunt, per ſe clariſſimi, aut ab Apoſtolis fuerũt declarati, & declarationes iſtæ fuerunt eccleſiæ illi primitiuæ traditæ & conſignatæ. Qui igitur in his errat in Apoſtolica eccleſia non eſt, quia non credit id totum quod Apoſtolica eccleſia ab Apoſtolis didicit, & docet. Si autẽ aliquã doctrinam aliqua eccleſia tenet, & docet, quæ contraria eſſe non conuincatur vel clariſſimis Scripturis, vel Apoſtolicis declarationibus per doctrinam quæ, ex regulis Lyrinẽſis, ſit in eccleſia catholica

tholica vbiq; apud omnes,& ſemper ab ipſis Apoſtolorum temporibus, illa à vera Eccleſia catholica non poteſt excludi. Et ſi aliqua eccleſia Apoſtolicam illam integram fidem ſeruat, nihilq; ei contrarium docet, aut credit,& profitetur, aliquam tamen ſuperaddat doctrinam; quæ neq; in Scripturis habeatur clariſſime, neq; ad primitiuam illam Apoſtolicam Eccleſiam poteſt reduci, illa Eccleſia erit vera Eccleſia propter integram veram fidem, quam conſeruat; ſed erit impura,& errans, per exceſſum, vt docui c.5.n.41. huius ſi illam doctrinam ad articulos fidei velit pertinere; cum articulum fidei indubitatum nõ faciat, niſi vel clariſſima Scriptura, vel vbi obſcurior Scriptura eſt, Apoſtolica declaratio, quæ per veram,& legitimam traditionẽ in Eccleſia catholica conſeruetur. Aliæ doctrinæ Theologicæ probabiles, & diſputabiles ad notam Eccleſiæ Apoſtolicæ nil pertinebunt.

XLVI. Ad hanc primam notam Eccleſiæ Apoſtolicæ reducantur plures notæ ex illis quas Bellar. conſiderauit. Videlicet, Antiquitas, Duratio, Succeſſio, ſanctitas doctrinæ; Efficacia doctrinæ; Lumen propheticum; Miraculorum gloria,& diuina iudicia in pænis vel præmiis temporalib. Atq; hæ notæ pro ſua parte in tantũ poſſunt eſſe certæ,& demonſtratiuæ, in quantũ probare poſſint Eccleſiam aliquã eſſe vere Apoſtolicam, vt iam oſtendo de ſingulis.

a Bellar. de notis eccl. c.5.

a *Antiquitas* veræ Chriſti eccleſiæ eſt nota certiſſima ſecunda apud Bellarm. eſt enim ab Apoſtolis fundata,& illa eadem in illa profeſſione, quam inſtructi à Domino,& ſpiritu eius Apoſtoli inſtituerunt, adhuc perſeuerat, neceſſe ergo eſt, vt in vera noſtrorum temporum Eccleſia eadem tota & integra profeſſio adſit, quæ erat in ipſa prima eccleſia, quæ ab Apoſtolis. Igitur profeſſio hæc debet eſſe illa antiqua, quæ fuit tempore Apoſtolorum. Quod ſi aliqua profeſſio religioſa nõ habeat hanc antiquitatem, illa profecto veram Chriſti eccleſiam non demonſtrabit. Atq; ita argumentum negatiuum erit certum, & euidens; ſi dicas, profeſſio huius eccleſiæ non habet antiquitatem ab ipſis Apoſtolorum temporibus, ergo hæc profeſſio non indicat veram Chriſti Eccleſiam. Argumentum vero affirmatiuum hæc nota antiquitatis nullum poteſt exhibere. Non enim valet, hæc profeſſio eſt antiqua ab ipſis Apoſtolorũ temporibus; ergo ibi eſt vera Chriſti eccleſia, vbi eſt hæc profeſſio; poſſet enim aliqua hæreſis quæ temporibus Apoſtolorũ orta eſt, puta Cerdonis, vel Cerinthi vel ſimiles adhuc alicubi vigere, & illa habet hanc antiquitatem. Ideo dixi has notas, ne fallant, dirigendas eſſe per notã Apoſtolicæ eccleſiæ; vt nimirum antiquitas ſit profeſſionis à temporib. Apoſtolorum, quã profeſſionẽ ipſi Apoſtoli fecerint, docuerint, tradiderint; & ſic iam etiam affirmatiue nota hæc antiquitatis rem demonſtrabit. In hac nota *antiquitatis* cauendum eſt à duplici fallacia, quæ vtraque fefellit Bellar. dum ex hac nota ſua colligit argumenta. Prima fallacia eſt ſi perſonarum profitentium habeatur ratio; & nõ ipſius profeſſionis. Si enim profeſſio vera illa antiqua alicubi in deſſuetudinem, aut abuſus eſſentiales abierit, & illam denuo vir aliquis inſignis poſt multa etiam ſæcula excitarit, non in hunc virum modernum origo illius profeſſionis eſt referenda; ſed videndum eſt, an illa profeſſio eadem ſit, quæ Apoſtolicæ,& eccleſiæ primitiuæ; & hinc antiquitas vel nouitas ſuum examen habere debebunt. Altera fallacia eſt, vt non ex aliqua duntaxat parte profeſſionis antiquitas vel nouitas indagetur, ſed ex tota profeſſione in omnib. eſſentialibus,& neceſſariis. Nam, exempli gratia, Ariani circa diuinæ eſſentiæ attributa antiquam fidem habebant, eandem quam habuerunt Apoſtoli, vt quod Deus ſit omnipotens, æternus, incorporeus, ſumme ſapiens, ſumme bonus,&c. Sed de Trinitate nouam inuehebant doctrinam, quam Apoſtoli nec habuerunt, nec docuerunt, imo ipſorum doctrinæ penitus contrariam.

b *Duratio* quoque, quæ eſt tertia nota Bellarmini, niſi reducatur ad ipſos Apoſtolos, fallax eſt,& inſufficiens. Paganiſmus enim diutiſſime durauit, & adhuc durat, & durabit. Iudaiſmus ſimiliter,& aliæ ſectæ. Sed neque Paganiſmus, neque Iudaiſmus faciunt veram Eccleſiam, igitur ſi nota durationis ſit eadem, quæ antiquitatis: negatiue valet ſemper, Nam de ſua Eccleſia Chriſtus dixit c *Portas inferi non praualiturus aduerſus eam*, & ſe promiſit d *affuturum ſuis vſque ad conſummationem ſæculi*; & e *regni eius non erit finis*; Certum ergo eſt eccleſiam Chriſti in terris ab ipſo Chriſto vſque ad finem mundi duraturam, & nunquam defecturam. Quod ſi aliqua Eccleſia tota aliquando defecit, vel interrupta eſt, vel ſit defectura, vel interrumpenda, illa profecto non eſt eccleſia vera Chriſti. Eccleſias particulares etiam inſignes & integras poſſe deficere à vera fide ſiue corruptas ac infectas hæreſi, ſiue Paganorum, infideliumque irruptionibus occupatas, magis per ſe patet quam vt indigeat demonſtratione; & conſequenter eccleſiam catholicam poſſe & ſolere augeri ac minui, eſt per ſe clariſſimum. Neque eſt vlla particularis eccleſia, quæ ab hoc periculo ſit immunis, etiam Romana. Fuit in Oriente olim Eccleſia ſummopere conſpicua, vt cum Hieronymo aliàs f conſideraui, poſtea inde in Occidentem noſtrum ſplendor ille commeauit; in nulla ergo eccleſia particulari veritas & puritas fidei adeo fixam ſedem habet, quin poſſit alio commigrare, & tanta interdum, Deo permittente, vel hæreſum colluuione, vel Tyrannorum perſecutione fuit eccleſiæ catholicæ illius, quam viſibilem fecimus in terris, oppreſſio, vt vix illa in paucis ſincere, & libere Chriſtum confitentibus appareret. De quo tamen agam inferius in nota Amplitudinis, & Vniuerſitatis.

XLVII. b Bellar. de notis eccl. c.6.

c Matt. 16. 18.
d Matt. vlt.
e Luc. 1. 32. & Dan. 2. 44.
f Hoc op. lib. 4. c. 10. n. 88.

Succeſſio Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ ab Apoſtolis, quam notam quintam poſuit Bellarminus, ad probandam veritatem eccleſiæ quid faciat, ego non video. Eccleſiam non eſſe, quæ non habeat miniſtros, ſiue Epiſcopos, ſiue presbyteros, fateor: & legitimum miniſtrum non eſſe, qui ex legitima miſſione miniſterium non acceperit, ipſe quoque admitto; legitimam miſſionem non eſſe, niſi fiat ab habentibus miſſiuam poteſtatem, etiam ipſe aſſero: hoc eſt ab illis qui miſſi fuerunt cum Epiſcopali poteſtate, ab aliis ſimiliter talem habentibus legitimam poteſtatem. Legitima vero erit hæc poteſtas ſi gradatim aſcendendo illa in Apoſtolorum aliquo terminetur: Vt oſtendi lib. 2. cap. 2. num. 57. aut legitime præſumatur omnes ordinatores ſuperiores ex Apoſtolica propagatione per miſsionem & ordinatos fuiſſe, & ordinandi poteſtatem accepiſſe. Quotuſquiſque enim eſt, qui iam poſt mille & ſexcentos annos poſſit ordinatores omnes ſeriatim vſque ad Apoſtolos, ne in Apoſtolicis quidem ſedibus, numerare? Roma potiſsimum ſeriem totam à Petro ſibi notam eſſe profitetur, & tamen Onuphrius Panuinius diligens talis ſeriei inquiſitor fatetur pro certis temporibus eſſe incertã,& confuſam. Ait enim, g *Porro autem cum ſequentes Pontifices* poſt Nicolaum primum

XLVIII.

g Onuphr. annot. in Platinæ Nicolaũ I.

primum, *vſque ad Clementem ſecundum neque perpetuum quendam habeant Scriptorem, & maiorem ſuorum actorum partem amiſerint tempora adeo incerta & obſcura habent, vt neque quo loco, neque quo ordine aliquot Romanorum Pontificum nomina reponerentur ſatis liqueat.*] Et quis tot intruſos à legitimis diſcernat? intruſi autem non poſſunt ſeriem ſucceſsionis producere. De talibus & ſane non paucis vt vidimus lib. 4. c.7.num.35. ait Baronius, *a Qua tunc facies eccleſiæ Romanæ, quam fœdiſſima; cum Romæ dominarentur potentiſſimæ atque ſordidiſſimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur ſedes, darentur Epiſcopi, & quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum Amaſii, Pſeudopontifices, qui non ſunt, niſi ad conſignanda tantum tempora in catalogo Romanorum Pontificum ſcripti: Quis enim à ſcortis huiuſmodi intruſos, ſine lege, legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices.*] Hæc magnus Baronius Annaliſtarum in Eccleſia Princeps. Ac profecto continuata ab Apoſtolis ſucceſſionis ſeries eſſe non poteſt, vbi intruſi & Pſeudopontifices, vere non Pontifices, illegitime intermiſcentur.

a Baron. tom.10. an.912.n.8.

XLIX. Ad ſchiſmaticos Epiſcopos à veris Epiſcopis in illis eccleſiis diſcernendos, in quibus ſedes Epiſcopalis eſſet iam conſtituta, ſucceſſionis defectus poteſt ordinarie argumento negatiuo inſeruire. Qui enim Epiſcopus Epiſcopo mortuo legitime ſucceſſit, ille verus erit Epiſcopus, qui vero factus eſt in illa eccleſia epiſcopus, nulli epiſcopo priori ſuccedens, ille ordinarie eſt ſchiſmaticus, & Pſeudoepiſcopus; quo nomine *b* Cyprianus Nouatianum falſum, & illegitimum declarat eſſe Ro. Epiſcopum: quia nemini ſuccedẽs à ſe ipſo ordinatus eſt. *c* Cornelium vero agnoſcit verum Epiſcopum, quia Fabiano legitime electus, & ordinatus, ſucceſsit. Ad probandam vero Eccleſiæ veritatem in ſucceſsionibus iſtis nullam notam video: Neq; enim affirmatiuum, neq; negatiuum poteſt ex ſucceſsionũ ſerie peti argumentum. *Non affirmatiuum*, quia Neſtorius, Dioſcorus, & alii Epiſcopi, qui primi in aliqua ſede hæretici, vel etiã hæreſiarchæ facti ſunt, profecto ſucceſsionem ab Apoſtolis potuerunt numerare; ab ipſis quoque per alios hæreticos continuata ſeries, potuit ad Apoſtolos vſq; deduci, ſi nõ per ipſos eiuſdem ſedis Epiſcopos, ſi ſedes non ſit Apoſtolica, per ſuos tamẽ ordinatores, qui ab aliquo ex Apoſtolorum diſcipulis ab Apoſtolis ordinatis, orginem ſuæ deducant ordinationis; & tamen Eccleſia iam facta hæretica, non eſt Eccleſia Chriſti vera, ſed ſynagoga Diaboli. Vidit hoc *d* Bellarminus, ac faſſus eſt argumentum affirmatiuum ex ſucceſsione peti non poſſe; negatiuum tamen argumentum validum eſſe putauit. Ego vero *neque negatiuum* in ſucceſsione reperio argumentum neceſſarium & demonſtratiuum. Primo quia vbi eriguntur de nouo ſedes epiſcopales, ibi Epiſcopus primus nemini ſuccedit, *Sed tunc*, inquit Bellarminus, *ſatis eſt vt hic fiat Epiſcopus ab eo qui habeat Apoſtolicam autoritatem, qui eſt ſolus Romanus Pontifex, de cuius licentia, & conceſſione etiam Metropolitani poſſunt nouum & primum alicui Eccleſiæ dare Epiſcopum.* Hoc tamen nihil ad rem. Primo enim falſum eſt ſolum Romanum Epiſcopum habere illam poteſtatem, omnes enim Epiſcopi iure diuino æquales ſunt etiam cum Romano, & omnes poſſunt nouas fundare Eccleſias, eiſque dare Epiſcopum, quia omnes æque Apoſtolis omnibus in ſolidum ſuccedunt, & omnes ordinariam Apoſtolicam, hoc eſt Epiſcopalem habent poteſtatem, vt probaui plene lib.2. c.1. & c. 6. & c.8. quod etiam factis legitimis confirmaui. Deinde hic nihil eſt ad ſucceſsionem. Vt legitima ſit ordinatio, ea fieri debet ab habente poteſtatem miſsiuam, eam vero habere nemo poteſt, niſi continuatis ordinationibus ab ipſis Apoſtolis ad illum peruenerit, ſed ordinatus non poteſt dici ſuccedere ſuo ordinatori, niſi per accidens, ſi poſt eius deceſſum, aut ceſſum illius ſedem obtineret. Verum ergo eſt primum nouæ ſedis Epiſcopum nemini ſuccedere: Non ergo valet argumentum: Iſte nulli Epiſcopo ſucceſsit, ergo non eſt veræ Eccleſiæ Epiſcopus. Idem dico Epiſcopis illis omnibus catholicis, qui conſentientibus epiſcopis, dati ſunt illis ſocii & collegæ, quod legitime factum eſſe ſæpius, & poſſe fieri probaui lib.2. cap.9. num.14. & lib.3. cap.3. num.61. & ſequent. Sic Auguſtinus acceſsit ad Epiſcopatum Hipponenſem, non ſucceſsit; ſic alii. Et dicant mihi, ſi poſſunt cuinam Martinus Quintus ſucceſsit: qui neque ſucceſsit, neque acceſsit. Non igitur iſti ideo negandi ſunt fuiſſe veræ Chriſti eccleſiæ Epiſcopi, quia nemini ſucceſſerunt; In ſucceſsionis ergo ſerie nulla nota veræ eccleſiæ continetur.

b Cypr. l.1. ep.6.
c Idem l.4. ep.2.
d Bellar. de notis eccl. c.8.

e *Patres tamen*, inquit Bellarminus, *ſoliciti ſunt, vt Romanorum Pontificum ſeriem, & ſucceſsionem certam habeant, ex hac enim certitudinem habent Romanam eccleſiam eſſe veram, & cum ipſi cum illa communicent; ſequitur neceſſario inde etiam illos veras Chriſti Eccleſias gubernare.* Huc enim collimat ipſe quando tractat de Romanorum Pontificum ſucceſsione. Dupliciter tamen in hoc fallitur Bellarminus. Primo dum ex ſucceſsione veritatem Eccleſiæ Patres ſtabilire voluiſſe putat. Secundo dum ſolam Romanorum Pontificum aſſerit à Patribus ſucceſſionem ad hoc fuiſſe obſeruatam. Patres, fateor, frequentem habent ſucceſsionum obſeruationem, non quod in ipſa ſucceſsionum ſerie perſonali quicquam inuenerint, quo Eccleſiæ veritatem agnoſcerent, ſed quod per continuatam Epiſcoporum ſucceſsionem, doctrinæ ab Apoſtolis traditæ vniformitatem, ac identitatem confirmarent, Apoſtolos enim veram Eccleſiam, ſub vera fide & morum diſciplina fundaſſe facile fidelis quiſque Chriſtianus admittet. Et illa Eccleſia prima ab Apoſtolis indubitate fuit vna Chriſti Eccleſia, neque eſt alia certior, tutior, facilior via eccleſias poſteriores examinandi, an veræ ſint Chriſti eccleſiæ, nec ne, quam ſi ad illam, tanquam ad lydium lapidem probentur; hoc eſt, ſi appareat eas item in tota fide, & morum diſciplina cum illa perfecte conſentire. Id vero apparere Patres antiqui ex ſucceſsione non perſonarum, ſed doctrinæ, & diſciplinæ per perſonas facile conuincebant. Nam Eccleſiæ illæ, quas per ſe ipſos Apoſtoli fundarunt & inſtruxerunt, & dictæ ſunt habere ſedes Apoſtolicas fidem totam, & diſciplinam ab Apoſtolis habuerunt; propagatione vero ſpiritualis prolis fidelium, etiam illa ipſa fides, & diſciplina eſt propagata. Veritas itaque fidei ex eo claram accipere ſemper potuit probationem, quod ſit eadem quæ ab Apoſtolis tradita eſt & ſucceſsione fidelium propagata; quia tamen propagatio ſingulorũ fidelium eſt immenſa, & ininueſtigabilis, & quia docere fidem fuit ſemper officium miniſtrorum eccleſiæ, eiuſque Paſtorum & Prælatorum. Ideo Patres epiſcoporum duntaxat ſucceſsionem huic negotio accommodarunt, eaſque ad ipſos deducunt Apoſtolos; tametſi reuera in ſolis epiſcopis fides Apoſtolica non ſit propagata, ed in tota Eccleſia Catholica. In Epiſcopis tamen

e Bellar. ib.

pro illis non nimium remotis ab Apoſtolis temporibus propagatio maxime verificabatur, tanquam in capitibus illarum eccleſiarũ Apoſtolicarum, & inde conſtabat fides totius illius eccleſiæ, talis nimirum in profeſſione, qualis eſſet in Epiſcopo.

LI. Potuerunt igitur priſci illi Patres commode, & tuto veritatem fidei quam ipſi tenerent & docerent, inde probare, quod eandem fidem hauſerint ſinguli à ſuis Patribus, & illi ab auis, & ſic ſucceſſiue vſque ad Apoſtolos, quia tamen non ſingulæ eccleſiæ aut cœtus poſſent ad vnam numerare ſucceſsiones, aut immediate ad Apoſtolos peruenire, ideo accipiebant fidem ſedium Apoſtolicarum ſuorum temporum, quibus cum communicabant, & plene in fide conſentiebant, & illarum ſedium fidem præſentem deducebant per notas ſucceſsiones vſque ad Apoſtolos fundatores, ex quo neceſſario ſequebatur ipſorum fidem eſſe veram, & Apoſtolicam: Conſtabat enim ſingulos illos prædeceſſores idem penitus ſenſiſſe, docuiſſe, practicaſſe, & neminem eorum aliud docuiſſe. Poſtquam tamen in ipſis etiam ſedibus Apoſtolicis hæretici, ſchiſmatici, intruſi, pſeudoepiſcopi ſederunt, & à puritate doctrinæ aliqui receſſerunt, quis non videt argumentum hoc à ſucceſsione nullam vim habere; quia perſonarum ſucceſsio etiam legitima, ſi ſecum non ferat ſinceræ fidei ſucceſsionem, hiſtoriam humanam texit illa quidem, ſed veritatẽ catholicam non defert, & conſequenter neq; eccleſiam catholicam indigitat, neque illius nota eſſe poteſt.

LII. Quod vero ſolam Rom. Epiſc. ſucceſsionem in ſuum argumentum trahat Bellarminus, eſt affectus peculiaris noſtrorum hieromonarchicorum. Quia enim inſignis tunc erat illa Eccleſia, vt ſæpius aliàs monui, & maximæ autoritatis, maximeque notas diu ſuorum Epiſcoporum ſucceſsiones, ac fidem incorruptam omnium ſedium Apoſtolicarum maxime eatenus conſeruarat, ideo interdum illius ſolius eccleſiæ ſucceſsiones Patres afferunt in argumentum. Interim tamen etiam alias Apoſtolicas ſedes, præter Romanam, in ſuum argumentum aſſumpſerunt. a Iren. l. 3. c. 3. *a* Irenæus, *quoniam*, inquit, *valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſsiones, maximè. & antiquiſsimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ eccleſiæ; eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſsiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes, &c.*] Commoditatis gratia affert ſucceſsiones Epiſcoporum Romanorum à Petro & Paulo vſque ad Eleutherium, quia, *inquit*, longum eſſet alias recenſere: Igitur aliarum etiam Eccleſiarum orthodoxarum ſucceſsiones eidem argumento inſeruiebant; & qui de vna probat, probat de omnibus, quia cum illa vna omnes communicabant, & conſentiebant, quia ab eodẽ Apoſtolico fonte omnes riui eadem aqua fluebant. Habet & illud Irenæus: b Idem l. 4. c. 43. b *Quapropter eis qui in eccleſia ſunt presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſsionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſsione, clariſsima veritatis verbum, ſecundum placitum patris, acceperũt. Reliquos vero qui abſiſtunt à principali ſucceſsione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus vt hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ operantes. Omnes autem decidunt à veritate.*] Hic quoque propter doctrinam, non propter perſonas vrget ſucceſſionem, ſicut etiam tertio facit quando ait: c Ib. c. 45. *c Vbi igitur chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem apud quos eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſsio, & id quod eſt ſanum, & irreprobabile conuerſationis, & inadulteratum, & incorruptibile.*]

LIII. Tertullianus illud iecerat fundamentum, *d* Veram fidem illam eſſe quam eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit. Ac proinde omnem doctrinam fidei quæ cum eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus conſpiret, veritati eſſe deputandam.*] d Tertull. de præſcr. Quia nimirum illa doctrina ab Apoſtolis illis eccleſiis tradita eſt, & illæ eccleſiæ eam fidem conſeruabant, quam ab Apoſtolis initio maiores ipſarum acceperant. At vero quoniam poterant aliquæ hæreſes temporis illius, quo ſcribebat Tertullianus, audere ſe immiſcere, vt ipſe loquitur, ætati Apoſtolicæ, vt ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt; e Ibid. *e poſſumus* inquit, *dicere; Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit autorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens, Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum: proinde vtiq; & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliud hæretici.*] Hæc in parte ex Tertull. profert *f* Bellarminus; f Bellar. de notis eccl. c. 8. quaſi Tertullianus ſucceſsiones perſonarum ſimplices, notam velit eſſe diſcernentem eccleſias catholicas ab hæreticis, & tamen planum eſt fidem, & doctrinã per ſucceſsiones probari à Tertulliano; ex ſola vero ſerie ſucceſsionis nihil ipſum colligere. Vt enim examinetur, an aliqua doctrina veniat ab Apoſtolis, nec ne, ſucceſsio optime inſeruit; Qui enim oſtendunt ſuam doctrinam vltima analyſi doctrinam illam deferentium, ad Apoſtolos, vel Apoſtolicos diſcipulos, qui cum Apoſtolis perſeuerauerint tandem reduci, illi Apoſtolicam eſſe illam doctrinam ſufficienter confirmant; ſecus vero ſi analyſis eo non deducat. Cum igitur hæretici per ſucceſsiones non poſsint peruenire ad Apoſtolos, vel Apoſtolorum diſcipulos, hęreſes illas profitentes, ideo non poſſunt ſuam doctrinam facere Apoſtolicam: quod tamen tunc omnes inſignes eccleſiæ poterant facere. Neque ſolam Romanæ eccleſiæ ſucceſsionem conſiderauit Tertull. ſed etiam poſuit Smyrnenſem: Nec multo poſt addidit etiam alias: *g* Age iam inquit *qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre eccleſias Apoſtolicas* g Tertull. de præſcrip. apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitentur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es à Macedonia habes Philippos, habes Theſſalonicenſes; *Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adiaces habes Romanam*] Et concludit; *Videamus quid quæque iſtarum Eccleſiarum, didicerit, quid docuerit.*] Nam id quod tunc illæ docebant, per ſucceſsiones ab ipſis Apoſtolis acceperant. Sic alibi *h* facillime probari, ait Apoſtolicarum, & hæreticarum h Idem aduerſ. Marcion. l. 3. init. Eccleſiarum recenſu, quæ ſit vera, quæ ſit falſa doctrina; & regula ipſius eſt; ibi peruerſionem doctrinæ affuturam, vbi adſit poſteritas, hoc eſt, ſi ſucceſsiones perſonarum cum doctrina controuerſa ſurſum numerentur eccleſiarũ, quæ de veritate contendunt, illas quę inferius ſiſtunt, nec poſſunt ad Apoſtolos progredi, à veritate aberrare; illas vero quæ ſucceſsionem ad Apoſtolos cũ doctrina perducunt, eſſe vere, & proprie catholicas.

a Ibid. l.4. a *Id enim verum quod prius, ait idem, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis.*] Et concludit *id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum* b Ibid. l.1. *fuerit ſacroſanctum.*] Et addit b *Videamus quod lac à Paulo Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſii, quid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Habemus & Ioannis alumnas Eccleſias. Nam ſi Apocalypſim eius Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem recenſus in Ioannem ſtabit autorem. Sic & cæterarum generoſitas recognoſcitur.*] Cur vero Eccleſiarum illarum fidem veram eſſe agnoſcit? quia pro c Ibid. ſuo tempore c *Nullam*, inquit, *Apoſtolici cenſus Eccleſiam inuenias, quæ non in Creatore Chriſtianizet.*] Quia tamen poſtea, multæ deprauatæ ſunt, illarum cenſus, ſi videlicet ſucceſſio doctrinę cum perſonis numeretur, profecto ad Apoſtolos non perueniet. Plura hæc ex Tertulliano protuli, & conſideraui, non modo vt videamus, quo tenderet illo tempore argumentum à ſucceſſionibus ductum, ſed etiam vt ea confirmarem, quæ poſui cap.4. huius, de Eccleſiæ autoritate, illam eſſe atteſtatiuam duntaxat, non iudiciariam in rebus fidei definiendis, quamdiu cum primitiua Eccleſia cohæreat in omnibus; quæ ſola eſt regula certa, & infallibilis, vbi Scriptura non ſit clariſſima, credendorum.

LIV. Clemens Alexandrinus per ſeriem ſucceſſionum ab Apoſtolis doctrinæ fidei ſecuritatem deductam eſſe aſſerit ad aliquos, qui ſuo tempore erant veræ traditionis peritiſſimi; quorum opera ſe vſum aſſerit in ſuis libris conſcribendis, in quibus doctrinam iam ab Apoſtolis explicatam potius ſe tradere profitetur, quam ex ingenio; & petitia elaboratam. d *Atque iſti* inquit, *veram ſacroſanctæ doctrinæ* d Apud Euſeb. l.5. c.11. *traditionem, quam ſucceſſionis ſerie, ab ipſis vſque ſanctis Apoſtolis, Petro, Iacobo, Ioanne, & Paulo deducta, velut filius à Patre acceperat, licet pauci numero, (pauci enim ſunt patribus ſimiles) aſſidue conſeruantes, ad noſtram ætatem vſque (diuina fauente clementia) vitam propagarunt, quo antiqua illa, & Apoſtolica doctrinæ prædicta ſemina in animis noſtris insererent.*]

LV. Euſebii hiſtoriam, & chronicon, nec non continuationem illius chronici à Hieronymo, & Proſpero factam vrget Bellarm. quia in his diligentiſſime annotatur Rom. Epiſcoporum ſucceſſio. *Vt inde inquit, continuatio Eccleſiæ manifeſta ſit.*] Hiſtorici & Chronographi res geſtas ſuo ordine recenſent, ex munere hiſtorico, non vt inde aliquid argumento colligant. Nam etiam Arianorum Epiſcoporum in Eccleſiis hæreticis & ſchiſmaticis ſucceſſionē ſuo ordine ponunt, & non vt inde continuatio catholicæ Eccleſiæ habeatur. Epiphanium adibit Bellar. ſeriem Ro. Epiſcoporum numerantem illaque verba e Epiph. hær. 27. ſubnectentē: e *Et ne quis miretur, quod tā exacte ſingula recenſemus; per hæc enim ſemper claritas oſtenditur.*] Quęnam claritas, rogo? num claritas veritatis Eccleſiæ catholicę? Ita vellet Bellar. Epiphanius tamē de huiuſmodi claritate ne cogitabat quidem, ſed ex illis ſucceſſionibus claritatem addebat ſuæ hiſtoriæ, vt tempora geſtorum rite conſignarentur. De Marcellina enim quadam Romæ à Carpocratianis ſub Anicæto decepta aliquid narrabat; vt autem temporis Anicæti aliquam daret notitiam, ſeriē à Petro & Paulo, vſque ad ipſum Anicætum deducit.

LVI. Optatum Mileuitanum pro ſe adducit Bellarminus ſeriem ſucceſſionum Romanorum Pontificum enumerantem, vt hinc, *inquit*, Eccleſiam verā oſtenderet qualis non eſſet Donatiſtarum, qui talem non haberent ſeriem. Dixi ſucceſſionem niſi inſeruiat primæ notæ, quam ego poſui veræ Eccleſiæ, vt ſit Apoſtolica nihil poſſe, nihil valere; quod ſi inſeruiat dictæ notæ, ratione illius multum viriū habituram. Hic iam f Optatus vnam & primam ex f Optat. l.3 dotibus ſiue ornamētis Eccleſiæ Catholicæ cathedram eſſe Parmeniano Donatiſtæ conceſſit. Videl. veram eccleſiam poteſtate ſpirituali in ſuis miniſtris, & Prælatis pollere; hanc tamen poteſtatē, ſeu cathedram (quæ eſt vna & eadem in tota vniuerſali Eccleſia, vt explicaui lib.1.c.10.n.18.) neque eſſe dotem eccleſiæ veræ catholicæ, neque illam indicare, niſi ſit cathedra legitima, hoc eſt ab Apoſtolis primum collocata, & ſucceſſiue eadē conſeruata. Vbi igitur miniſtri Apoſtolici, quoad originē poſt Chriſtū ſint autoritate miſſi & ordinati, illi legitimi erunt, & quantū ad hoc, ſi adſint cætera, erunt Apoſtolicæ eccleſiæ miniſtri; & vbi miniſtri nō ſunt legitimi, neque Apoſtolica originaliter miſſione inſtituti, eccleſia illa catholica non erit. Probat itaque Optatus dotē hanc primam cathedræ eſſe in eccleſia cathol. quam Donatiſtæ deſeruerant, in ipſorū vero eccleſia illam non eſſe, vt propterea neque catholica ſit. Itaque recipit ſe ad Rom. Eccleſiam, in qua notæ erunt ſucceſſiones; in eaque conſiderat cathedram tum catholicæ partis, cui communione hærebat tota pars catholicorum Africæ, & totius orbis; tum cathedram Donatiſtarum, qui Romæ ſub ſuo Pſeudoepiſcopo congregabantur, & Catholicam quidem cathedram facile à Siricio illius temporis Ro. Epiſcopo, ad Petrum ipſum Apoſtolum per ſucceſſiones reducit: Donatiſtarum vero cathedram vix ad quartum ipſorum Prælatum peruenire. Vt Macrob. qui tunc vocabatur partis Donatiſtarum Romę Epiſcopus ſucceſſerit Encolpio, Encolpius Bonifacio Bellitano. Bonifacius Victori Garbienſi, qui primus miſſus eſt Romā à ſchiſmaticis Donatiſtis. Cum igitur illi ad Apoſtolos nō peruenirent veram cathedram habere non poterant dici, & conſequenter ipſorum eccleſiā prima dotē catholicæ eccleſiæ carebat, & ſic non erat ipſorum catholica eccleſia. Nam quod exemplificauit in vna parte, quæ eſſet Romæ, æque vrgere poterat in tota reliqua. Quia ergo in prima noſtra nota, Apoſtolicæ, includuntur legitimi miniſtri ab Apoſtolis ad miniſterium vocati, & miſſi cum eadem miſſiua poteſtate aliis quoque ſucceſſiue communicanda, iccirco ſucceſſio eſt neceſſaria ad hoc vt miniſtri ſint legitimi, quales Eccleſia catholica requirit. Succeſſio itaque ad probandam, vel reprobandam miniſtrorum legitimitatem valet & affirmatiue, & negatiue; ſed ad probandam inde veritatem Eccleſiæ catholicæ proxime ipſa ſucceſſio neque affirmatiue, neque negatiue quicquam valet, remote aliquid; Nam ſucceſſio proxime, & directe probat, vel reprobat cathedram. Cathedra vero legitima eſt vna ex dotibus Eccleſiæ catholicæ, ſed ſola non eſt, nec ſola affirmatiue concludit Eccleſiam eſſe veram; ſi ſedens in cathedra ſit hæreticus, vel ſchiſmaticus, ſola tamen negatiue, ſi abſit, falſitatem eccleſiæ conuincit.

Auguſtinus ſæpius ſolet ſucceſſiones Romanas LVII. numerare, ſed præciſe ex ſucceſſionibus perſonalibus nunquam eccleſiæ catholicæ collegit veritatem. Primus Auguſtini locus eſt in epiſtola ad Generoſum, in qua numerat Romanos Pontifices à Petro ad Anaſtaſium, qui tunc viuebat. Sed ex illa ſerie non probat ſuæ Eccleſiæ veritatem: probat duntaxat Antiquitatem, atque ita ſucceſſio ibi non eſt nota, ſed probatio notæ. Donatiſtæ enim,

vt huic Generoſo perſuaderent ipſorum eccleſiam eſſe veram, notam illam ei conſiderabant antiquitatis: ac proinde longam ſeriem, & ordinem ſuorum Epiſcoporum texebant; Auguſtinus vero contra illos ſic vrget: a Aug. ep. 165. *a Si*, inquit *ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus.*] Illi ſane in Donato tandem ſiſtere debebant gradum, at vero Catholici ad Petrū ipſum perueniebant, cum enim catholica Africana Eccleſia cum Romana ſua matre & patriarchali communicarent, quod probabant de antiquitate eccleſiæ Romanæ, probabant etiam de antiquitate cuiuſque eccleſiæ, quæ cum Romana eſſet vna, & eadem. Itaque ſucceſſio hæc interdum probat fidei, & doctrinæ ab Apoſtolis propagationem; interdum miniſtrorum legitimitatem; interdum eccleſiæ antiquitatem; interdum doctrinę catholicæ fontem, & originem; interdum traditionū veritatem; directe tamen, & proxime nunquā ipſa ſucceſſio præciſe probat eccleſiæ veritatem. Alter b Aug. pſal. cont. part. Donatiſt. locus Auguſtini eſt, vbi ait ad Donatiſtas; *b Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede: Et in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit videte; ipſa eſt petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*] In proxime præcedentibus illius pſalmi verſiculis dolet quod ſint præciſi à catholica, ſicut palmes à vite: itaque videtur illis ſucceſſionem Romanorum Pontificum à Petro in memoriam reducere, vt inde cognoſcant catholicam eſſe veram eccleſiam illam, quæ Apoſtolos habuit fundatores; nam ſeries illa videtur eſſe tanquam catena quædam, quæ præſentem eccleſiam liget cum primitiua. Et hoc quidem verum eſt, ſed ſi ſucceſſio perſonalis ſit ſimul etiam ſucceſſio doctrinalis, fides enim, & mores ligant poſteriores eccleſias cum prima, quæ fuit ab Apoſtolis, non ſolæ perſonæ; & fides, & illa Petra. Tertius locus ex c Idem cōtra ep. fundam. c. 4. Auguſtino eſt in quo hæc habet. *c Tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum.*] Cōmemorat ibi, fateor, Auguſtinus notas aliquot præcipuas, quæ illū in catholica eccleſia, Manichæa ſecta deſerta, tanquā in vera Chriſti eccleſia retinerent. *Primam* (ſed cum præteritione, quia illam negabant Manichæi) ait eſſe. 1. ſapientiam ſinceriſſimam, h. e. verorum in S. Theologia doctorum, & ſolide diuina tractantium, copiam. 2, conſenſionem populorum, atq; gentium. 3, Autoritatem miraculis inchoatam. 4, ſpe nutritam. 5, charitate auctam. 6, vetuſtate firmatam. 7, ſucceſſionem à Petro iam recenſitam. 8, Nomen catholicæ. Ex his notis aliquæ ſunt probabiles tantū & coniecturales, vt prima: Nam docti poſſunt ſaltē apparere etiam hæretici, & ingeniorū acumen non ſemper peruenit ad veritatem. Vt ſecunda, quia in hæreſi etiam poteſt eſſe magnus conſenſus; ſic in Iudaiſmo, in Macometiſmo, in Paganiſmo; de qua nota nos inferius. Tertia, vbi ſunt vera miracula in doctrinę, ſeu profeſſionis approbationem, eſt nota ſatis certa. Quarta, poteſt eſſe communis etiam ſectis aliis, quę magnam ſpē ſalutis pollicētur. Quinta, etiam mali externa charitate in vnum colligantur; interna vero charitas eſt inuiſibilis, ideo nota eſſe non poteſt. Sexta eſt nota demōſtratiua, vetuſtas enim non quæuis, ſed quæ à Chriſto, & Apoſtolis dūcatur eſt proprietas Eccleſię verę ab ea inſeparabilis. Septima non eſt nota per ſe ab aliis diſtincta, ſed eſt nota notam confirmans & manifeſtans vetuſtatis, per ſucceſſiones enim illas conſtat præſentem eccleſiam eandē eſſe in fide, moribus, & profeſſione, quæ fuit prima illa eccleſia ab Apoſtolis. Octaua demum aliquid valet, vt non multo poſt explicabo. Itaq; ſucceſſionem non ſui gratia, ſed in gratiam vetuſtatis commemorauit Auguſtinus: ſicut fecit etiam contra Fauſtum Manichæū, cuius, & aſſertiones, & libros quibus vteretur inde reprobat, quod non poſſit aut aſſertiones ſuas, aut libros ſuos vetuſtate per ſucceſſiones confirmare, ſicut catholica eccleſia ſuos poteſt. *Audies*, inquit, *contradicentem, & clamantem, Tuus liber falſus eſt, quid ages? quo te conuertes? Quam libri à te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil valebis: & vide in hac re quid eccleſiæ catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur.*] Sed neque glorietur Bellarminus Auguſtinum ex ſola Romana eccleſia, veritatem aliarum eccleſiarum colligere; quia ei ſunt ſubiectæ, inquit & deberet dicere, quia cum ipſa communicent; Communionem enim Patres, vt vidimus, vrgent. non ſubiectionem: quando ipſius vetuſtas ex ſucceſſionibus Epiſcoporū, cum fide tamen, doctrina, & profeſſione optime conſtabat. Nam idem Auguſtinus etiam communionem cum aliis ſedibus Apoſtolicis tunc ſinceris, indicare veram eccleſiam alias voluit; vt quando Petiliano Donatiſtæ vitia catholicorum, & malas actiones cauſanti; illud obiicit: *d Veruntamen, ſi* d Aug. cont. lit. Petil. l. 2. c. 51. *omnes per totum orbem tales eſſent, quales vaniſſime criminaris, cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet, quibus nos in catholica vnitate connectimur; & à quibus vos nefario furore ſeparaſtis? Quare appellas cathedram peſtilentiæ cathedram Apoſtolicam? Si propter homines quos putas legē loqui & non facere, nunquid Dominus Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus ait, Dicunt enim, & non faciunt, cathedræ in qua ſedebant vllam fecit iniuriam? Nonne ille cathedram Moyſi commendauit, & illos ſeruato cathedræ honore redarguit? Ait enim, cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite quæ autem faciunt facere nolite: dicunt enim & non faciunt.*] Non enim ex LVIII. factis, ſed ex doctrina, & ex profeſſione cenſendæ ſunt eccleſiæ, vt in ſuperioribus explicaui. Profeſſionem itaq; & doctrinam non ſolius Rom. eccleſiæ, ſed etiā Hieroſolymitanæ, per ſucceſſiones ab Apoſtolis ad ea tempora conſeruatam, vinculū & ligamē vnitatis eccleſiæ cathol. eſſe Auguſtin. profitetur: vt qui ab his eccleſiis, & ſimilibus, in quibus profeſſio catholica per ſucceſsiones ab Apoſtolis accepta viget, ſe ſeparat, ſchiſmaticus ſit, & extra catholicā eccleſiam, etiam ſeruata in reliquis integra profeſſione, conſtitutus. Neq; argumentum à minori, quod ex ſucceſsionibus Ro. format Bellar. vim habet vllā, niſi cum ſucceſsione etiā tota doctrina deſcendat. Ait n. *e Si veteres tanti fecerūt* e Bellar. de notis eccl. c. 8. *ad veram eccleſiam oſtendendam continuationē 12. vel 20. aut 40 Pontificū, quanti nos facere debemus continuationē non interruptam Pontificū 200. & amplius.*] Quatenus hæc perſonarū continuatio doctrinā fidei, & profeſsionē primitiuæ eccleſiæ ſecum in ea eccleſia tulit, (tulit autem totā integram fidē & profeſsionē primitiuæ eccleſiæ fateor) argumentū eſt optimū, ſed nō ſoli perſonarū ſucceſsioni nititur: quatenus vero ſucceſsio hæc perſonarū ſecū tulit vel ſuperſtitiones, vel falſitates, vel ſpurios articulos fidei, non inde ab Apoſtolis, aut primitiua eccleſia ſed à poſterioribus temporibus poſt Pontificum Romanorum corruptelas, argumentum nihil valet, error enim quanto plurium, & antiquior,

tanto

tanto peior. Et quia hi errores non ſunt contrarii veræ fidei, neque illius defectum ferunt, vt alias explicaui, ſed ſolum exceſſum, iccirco veritatem Eccleſiæ, Eccleſia Romana quæ nunc eſt, non amittit. Succeſſio enim à Petro cum perſonis fuit ſemper et iam integræ, & illibatæ illius doctrinæ & fidei, quã à Petro, & Paulo illa Eccleſia primum accepit, & illa hodie perſeuerat, licet ei addita fuerint multa ſuperſtitioſa, multa falſa, multa duntaxat probabilia, nihil ad fidem ſpectantia. Vetuſtatem itaque per ſucceſſiones in veris & fundamentalibus, ac neceſſariis fidei ſe habere glorietur Romana Eccleſia, & omnes cum illa in hac parte communicantes, merito enim poteſt gloriari; ſed ad hanc vetuſtatem non reducat additamenta illa, quę eam plurimum deturpant, & illam ex Eccleſia Romana faciunt curiam Romanam; in his enim vetuſtas, & ſucceſſiones à Petro vetuſtatem probantes, eam nihil iuuat, ſed confundit, & conuincit erroris. Ad particularia tamen poſtea deſcendam, ſtemus in generalibus.

LIX. Efficaciam doctrinæ Catholicam Eccleſiam inuenire ponit Bellarminus eamque nonam Eccleſiæ notam numerat. Sed hæc quoque ad Apoſtolicam ſpectat, & ſicut verum eſt verbum Dei à Chriſto Apoſtolis commiſſum, & per Apoſtolos orbi prædicatum miram habuiſſe efficaciam, & adhuc ipſam habere non eſt ambigendum; quoniam tamen etiam hæreſes & errores videmus facile diſſeminari, & aures paratas, cordaq; diſpoſita inuenire, hominiſq; naturam corruptam ad falſitates imbibẽdas, quam ad veritates eſſe proniorem, neſcio quantum huic notę fidere debeamus. Plures fuerunt, quibus a Ioan. 8. 47. dicebat Chriſtus, a *propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis*, quam erant illi quibus dixit, b *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. b Ioan. 15. 3. Illud tamen veriſſimum eſt, nullam etiam doctrinam, præter Dei verbum, efficaciam habere, vt animas conuertat, & interne miro quodã modo operetur: ſed hæc efficacitas non eſt ita patens, vt poſſit eſſe nota Eccleſiæ, neq; ita facile diſcerni poteſt, quando verbum diuina virtute operetur, quando vero humana tantum perſuaſione.

LX. *Miraculorum gloria* eſt vndecima nota c Bellarmino. c Bellar. de notis Eccl. c. 14. Hæc quoque nota annexa eſt Apoſtolicæ. Illi enim proprie miraculis, & ſane tunc neceſſariis claruerunt, quia initia fidei, & religionis nouæ ſine miraculis non potuerũt firmari, & tunc miracula, cum vera eſſent, & id conſtaret, ad fidẽ confirmandam fiebant. Poſtea vero cum neceſſaria non eſſent, neque notæ Eccleſiæ veræ eſſe debuerunt, quam iam veram eſſe aliunde clariſſime conſtaret. Miracula ergo vbi nulla eſt miraculi neceſſitas, nulla tanta vtilitas, vt miraculum poſcat, vix poſſunt pro veris miraculis haberi: Non enim Deus ludit pueriliter ſuis miraculis. Neque miracula etiam quæ vera ſunt, & ad confirmandam fidem à Deo facta ſemper totam fidem illius Eccleſiæ, in qua facta ſunt, confirmant, ſed ſi Catholica ſit Eccleſia, ad ſolum Catholiciſmum in ea confirmandum valebunt; non ad errores ſi quos per exceſſum habeat ſtabiliendos. Ita dixi lib. 5. cap. 6. n. 161. 194. miracula ſi qua vera contingant circa Eccleſiaſticam confirmare tranſubſtantiationem, aut corporalem craſſam illam, & materialem præſentiam. Sed illam ſolam veritatem confirmare, panem illum non eſſe panem communem, ſed ſacramentalem; & comeſtionem illam non eſſe puram, & nudam cibi materialis comeſtionem, ſed eſſe comeſtionem ita materialem, vt ſimul cum illa à digne communicantibus accipiatur verum, & reale corpus Chriſti, modo aliquo ſpirituali, hoc eſt ineffabili, & inexplicabili. Sed profecto iam vera miracula diſcernere à falſis, & præſtigiis diabolicis eſt admodum difficile. Ideoque iam miracula pro notis veræ Eccleſiæ non ſunt habenda: cum præſertim noſtri fraterculi, & presbyterculi, vtinam non etiam magnates certatim miracula ſtatuarum, & picturarum Chriſti Domini, ac Deiparæ matris, vel aliorum ſanctorũ confingant, vt pecunias per talia ficta miracula, & meras impoſturas colligant, & populorum concurſum, ac frequentiam attrahant. Vt aduertit ſuo tempore etiam d Lyranus. d Lyran. in cap. 14. Daniel. Sola vero miracula antiqua quæ in propagatione Eccleſiæ facta ſunt, notæ nobis eſſe poſſunt infallibiles illius fidei & Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis tradita & fundata fuit, quæq; ad nos vſque legitima ſucceſſione peruenit, & illa ſola antiqua miracula Auguſtino fuerunt notæ verę Eccleſiæ, loco ſuperius citato contra Epiſt. fundamenti cap. 4. quando dixit ſe teneri in Eccleſia Catholica propter autoritatem ipſius Eccleſiæ miraculis inchoatam. Ergo intelligit de miraculis in inchoatione Eccleſiæ factis; nam alia poſteriora miracula nihili facienda eſſe cẽſuit, & declarauit, dicens; e *Quæcunque talia in Catholica fiunt, ideo ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipſa manifeſtatur Eccleſia, quia hæc in ea fiunt.* e Aug. de vnit. Eccl. c. 16. Colligit ex Auguſtini his duobus locis f Bellarminus; & Eccleſiam probari per miracula, & miracula approbari ab Eccleſia, & tamen vtrũque hoc quod dicit Bellarminus, falſum eſt: f Bellar. vbi ſup. c. 14. Exceptis enim ſolis primis miraculis, quibus inchoata eſt Eccleſia, per alia miracula, Auguſtinus dicit expreſſe Eccleſiam probari non poſſe. At Eccleſiæ eſſe probare miracula, quæ vera ſint, ne ipſe ſomniauit quidẽ, ſomniauit vero Bellarminus. Dixit Auguſtinus, ſi qua miracula fiant in Catholica Eccleſia, illa fidẽ aliquã eo nomine habitura, quod in Catholica Eccleſia ſint facta; ſed ipſa propterea non fore notam veræ Eccleſiæ; nam etiam in vera Eccleſia, externa videlicet, & viſibili, ac præſumptiua poſſunt, & ſolent præſtigiæ, ac impoſturæ locum habere. Eccleſiam vero poſſe infallibiliter declarare, quæ ſint vera miracula, niſi habeat ſpecialem reuelationem, eſt impoſſibile: poteſt tamen impoſturas detegere, & quæ falſa ſint declarare, quia humana diligentia poteſt falſitatem aperire; at diuinæ veritatis certitudinem agnoſcere, ſine reuelatione, humano ingenio non eſt datum, vt iam in præcedentibus explicaui; vbi de iudice controuerſiarum egi.

LXI. *Lumen propheticum* facit duodecimam ſuam notam g Bellarminus. g Bellar. de notis Eccl. l. 4. c. 15. Hæc quoque nota ad Apoſtolicam maxime pertinet; Apoſtoli enim ſicut miraculis, ita etiam dono prophetiæ Eccleſiam inchoare debuerunt; eos ſequuti ſunt viri ſancti Apoſtolici per aliquod tempus, dum fidei, & religionis fieret propagatio. Poſtea vero, ſicut miracula non fuerũt apta ad veritatem Eccleſię demonſtrandam, ita neque prophetia. Sibyllę, Balaam & Caiphas prophetarunt, & oracula Dæmonum, ſed non propterea ſignificarũt, ſuas Eccleſias eſſe veras. Et ſi aliqui boni viri in Eccleſia Catholica poſteriorum temporũ, prophetiæ donum habuerunt, illud tamen, ſi quid autoritatis habuit, inde habuit, quod in Catholica illi eſſent Eccleſia, quæ tamen per tale donum non demonſtrabatur, & ſi quid talis prophetia confirmabat, Catholiciſmum confirmabat: id eſt partes ſanas Eccleſiæ Catholicæ, non partes corruptas & errores, vt dixi de miraculis. Propheta etiã in eo q prophetat veridicus eſſe poteſt, & in vera Eccleſia, ſed propheta ſane diabolicus, qui vera aliqua prædicat,

a Deut. 13. init. dicat, vt ſeducat; vt habetur in ſacra diuina a Scriptura, quis neget ex Dæmonum ope & inſtructione poſſe multa vera prędici, quę illi vel in cauſis naturalibus cognoſcunt, vel alio modo futura ex coniecturis præuident.

LXII. Ad miraculorum notam, & conſequenter ad Apoſtolicam reduci demum poſſunt b vltima, & penultima Bellarmini nota, id eſt 14. & 15. de infælici exitu eorum, qui Eccleſiam Catholicam ſunt perſecuti; & de fælicitate temporali à Deo defenſoribus eiuſdem Eccleſiæ collata; Nam ſi iſta ijs contigerũt ex ſola Eccleſiæ vel oppugnatæ vel ꝓpugnatæ cauſa, miraculoſa fuerũt. Si vero ex naturalib. cauſis illa ꝓceſſerunt, neq; miracula fuerũt, neq; ad notas Eccleſię pertinebunt. At quis cognoſcet, qs diſcernet iſta miraculoſa fuiſſe, & non naturalia? Deũ Tyrannos Chriſtum eius filium perſequentes, Chriſti Eccleſiam ſubuertere, & extinguere, vt Idolatria regnaret, conantes, inſigni flagello, & exitu plane infælici puniuiſſe multos negãdum non eſt; & aliqua temporali fælicitate ſuos athletas nonnunquam donaſſe, pariter non eſt ambigendum; ſed vt vel flagella & afflictiones temporales, vel fælicitas item temporalis, tanquam notæ veræ Eccleſiæ ſtatuantur (præterquam quod eandem oppoſitionem iſta patiantur, quam miracula & prophetia) ſua peculiari ratione ipſamet non permittunt. Multo enim frequentius contigit vt flagella, & afflictiones temporales à Deo prodeuntes, ſigna ſint, & notæ amoris diuini, fælicitas vero mundana, & multa in temporalibus proſperitas, notæ ſint irati Dei, & volentis in iudicio multis dicere, recepiſtis mercedem veſtrã. Iobi afflictiones, & Salomonis proſperitas; Lazari miſeria in hoc mundo, & Diuitis gloria, ſint nobis inſtar omnium exemplorum. Et, ſi Bellarminus ſuis credebat notis, debuit, & merito, concludere, Eccleſiam proteſtantium in Gallia eſſe veram Eccleſiam, ſiquidem Carolus V. illius perſecutor, qui laniena illa Pariſienſi tantum innocentis ſanguinis curauit fundendum, ipſe miſerrime in ſanguine proprio periit. Anglicanam Eccleſiam pariter, contra quã inuincibilis Hiſpanica claſſis, hæreſim extinctura venerat, & ipſa miſerrime tota, Deo etiam irato contra eam procellis, & fluctibus pugnante, obruta, & extincta eſt. Diocletianum maximum Chriſti perſecutorem, eam pænam miraculoſam paſſum eſſe dicit c Bellarminus, *Quod Imperium depoſuerit præ dolore, quod Chriſtianos delere non poſſet.*] Et hoc puto eſſe valde probabile. Ita ergo Proteſtantium cauſa in Germania fuit cauſa Eccleſiæ veræ Dei, quia Imperator Carolus V. præ dolore, quod illos extinguere non potuerit, imperium depoſuit. Quid plura? Vide lector ſi placet, quæ ego contra Baronium ſimile tractantem argumentum cũ Gregorio conſideraui lib. 6. c. 9. n. 34. 35. An non fuerũt illæ perpetuæ imperfectorum querelæ, d Bonos Chriſtianos mala pati; & malos vitæ commodis fæliciter frui? Quid ſibi illud Prophetæ, e *Quare impiorum via proſperatur? &c.* Sed iandiu nobis fælicitas temporalis Eccleſiæ eſt nota veræ Eccleſiæ; iandiu diuitiæ, ſplendor, & gloria veram nobis ſignificant Eccleſiam; improperia vero, & crucem Chriſti iandiu volumus eſſe notam reproborum, & à diuina protectione abiectorum. O miſeriam vberioribus lachrimis deplorandam. Hæc de noſtra prima nota.

b Bellar. de notis Eccl. c. 17. 18.

c Bellar. de notis Eccl. c. 17.

d Pſ. 73. toto.

e Hier. 12. 1

LXIII. *Altera noſtra nota veræ Eccleſiæ eſt VNITAS, illa videlicet, quæ & doctrinæ ac fidei eſſentialiſque profeſſionis diuerſitatem atq; contrarietatem; & Eccleſiarum totalium pluralitatem, & animarum, pulſa charitate, diſiunctionem excludat.* Hæc nota ſola, niſi addatur ei nota præcedens, quæ eſt, vt ſit Apoſtolica, affirmatiue veritatem Eccleſiæ non concludet. Nam etiam Diaboli ſectæ totam hanc vnitatem ſeruare ſolent exactiſſime. Vnitas ergo fidei, & profeſſionis Apoſtolicæ ſine diuerſitate eſſentiali, ſine pluralitate totali, ſine diſiunctione ſchiſmaticali, optime concludit affirmatiue veritatem Eccleſiæ Catholicæ. Negatiue vero etiam ſola hæc nota plenam vim habet. Si enim quocunq; modo abſit hæc vnitas, aberit etiam verę Eccleſiæ Catholicę ratio. Si in veris, & notis articulis fidei ſit diſſenſio ac contrarietas: nam Theologicæ multæ diſſenſiones non deſtruunt veritatem Eccleſię, vt probaui cap. 9. huius. Ad hanc notam ſpectat nota ſexta f Bellarmini, quam vocat *conſpirationem doctrinæ cum antiqua Eccleſia*: & hæc eſt vnitas fidei, & profeſſionis Catholicæ, ac identitas in fide, & profeſſione, in qua prima Eccleſia inſtructa fuit ab Apoſtolis. Nota veriſſima, nota certiſſima, nota infallibilis, dummodo habeatur certa fides, & doctrina atq; profeſſio eſſentialis primitiuæ Eccleſiæ, per veram & legitimam traditionem: Non enim quicquid docent antiqui Patres, eſt traditio Apoſtolica; & regulas ad has veras traditiones, & Patrum aſſertiones diiudicandas poſui hoc lib. cap. 2. & 4. & 6.

f Bellar. de notis Eccl. c. 9.

Ad noſtram vnitatis notam ſpectat etiam ſeptima Bellarmini nota, quæ eſt, *Vnio membrorum inter ſe, & cum capite.* De hac vnione ſatis diſſerui initio huius capitis, & hanc vnionem poſui tum membrorum inter ſe, tum eorundem cum capite Chriſti: Ex vnitate vero capitis vllius viſibilis miniſterialis oſtendi vnitatem Eccleſię non pendere. ibid. n. 23. & infra n. 76. Separatio tamen ouium à paſtore ſuo tẽporali poteſt interdum, ſed non ſemper ſchiſma facere; & conſequenter abſentia vnionis fidelium cũ ſuis miniſtris, & paſtoribus, poteſt eſſe nota, aliquã particularem Eccleſiam non eſſe veram Eccleſiam, quia nimirum ſit ſchiſmatica; & hoc inferius explicabo. Et quamuis vnio vera inter Eccleſiam ſponſam, & Chriſtum ſponſum, ſiue inter membra viua, & caput Chriſtum, non ſit niſi Eccleſiæ electorum, quæ, vt diſtincta à non veris in veritate membris, in uiſibilis eſt, ita vt nota hæc non inſeruiat nobis, qui viſibilis Eccleſiæ notas quærimus, eſt tamen nota optima ad diſtinguendam veram Chriſti Eccleſiã, quæ vera ſit prę ſumptiue, ab illis omnibus, quæ prę ſumptiue veræ non ſunt; nam quæ non eſt vera præſumptiue, neq; vera eſſe poteſt veraciter, vt iam explicaui n. 28. & ſeqq. Quæ ergo nota dat mihi verã Eccleſiam præſumptiue, eadem etiam dat mihi veram Eccleſiam veraciter, quę tota ſemper eſt in Eccleſia præſumptiua, & illa quoq; ob profeſſionem externam illam neceſſariam ſit viſibilis; & ſicut veraciter illa Eccleſia hæret coniuncta veraciter ſuo capiti Chriſto, ita etiam præſumptiue talis eſt, quia eius externa profeſſio efficit vt merito externe prę ſumatur eſſe vera Chriſti Eccleſia. Nos enim habere voluit Eccleſiam Chriſtus; quæ externa profeſſione ſit omnibus nota, & præſumatur ſaltem eſſe vera Eccleſia, licet non omnes ſint viua, & vera mẽbra Chriſti. Aliud enim eſt quærere electos, veros Dei filios, vera & viua Chriſti membra, aliud quærere in hoc mundo veram Chriſti Eccleſiam. Hæc enim ſatis eſt, vt ſit præſumptiue vera, quam vocatio ſufficienter conſtituat. Nam à vocatione dicitur Eccleſia. Ideo etiã omnes iuſtificati ſunt in hac Eccleſia, quia nullus eſt iuſtificatus, qui non ſit vocatus: Sed ſoli iuſtificati illam non conſtituunt. g g *Multi enim ſunt vocati, & pauci electi.* Omnes vero vocati,

LXIV.

g g Matt 20. 16. & 22. 14.

enti, & qui vocationi externa profeſſione reſpondent, præſumuntur etiam iuſtificati, & electi, quamuis internum cor non in omnibus reſpondeat externæ profeſſioni, quæ autem ſint in corde hominis ſolus Deus videt.

LXV. *Tertia noſtra nota eſt, VNIVERSITAS, quæ nomine Catholicæ ſignificatur.* Dictum enim eſt Apoſtolis à Chriſto *a* *Euntes docete omnes gentes, baptiZantes eos, &c.* Item, *b* *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ: docete omnes gentes, baptiZantes eos. Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. c Et illi profecti prædicauerunt vbique.*] Ex his, & innumeris aliis ſcripturis probat fuſe & ſæpius Auguſtinus, Eccleſiam eſſe per totum orbem diffuſam. Atq; hinc Lyrinenſis in ſua illa regula poſuit vniuerſitatem, vt id verum ſit QVOD VBIQVE id eſt in tota Chriſti Eccleſia, per vniuerſum orbem diffuſa: AB OMNIBVS, in hoc requirit conſenſionem: SEMPER,—& ſic ponit antiquitatem, vt ſic ſemper ab Apoſtolorum temporibus acceptum & creditum fuerit: quam regulam iam explicauimus, cap. 2. Atque hæc nota vniuerſitatis pendet, & ſequitur ex præcedenti nota vnitatis. cum enim omnes credentes in Chriſtum, & eius fidem profitentes vnicam conſtituant Eccleſiam, neceſſe eſt, vt per totum orbem terrarum ipſa ſit diffuſa, vbicunque Chriſtiani reperiantur ſub eadem vera & integra profeſſione. Vniuerſitas igitur hæc ita eſt intelligenda, vt nulla natio, nulla prouincia, nullus locus ſit excipiendus, quin ſi habeat Chriſtianos ſub integra Chriſtianæ religionis profeſſione, ad Eccleſiam Catholicam illi ſpectent, & illam integrent. Nota ergo hæc vniuerſitatis non inſeruit ad ipſam vniuerſalem Eccleſiam cognoſcendam, ſic enim vniuerſitas per vniuerſitatem probaretur, & idem per ſe ipſum cognoſceretur; ſed ad ſingulas Eccleſias partiales dignoſcendas illa optime inſeruit, vt omnis particularis Eccleſia ſit pars Catholicæ, & ita ipſa quoque inde Catholica vocetur, quæ probetur eandem totam habere profeſſionem, quàm habent omnes Eccleſiæ veræ Chriſtianæ, quæ ſint per totum orbem diffuſæ, & ſi qua Eccleſia particularis cum omnibus & ſingulis Eccleſiis Chriſtianis, quæ faciunt illam vnam totalem, & vniuerſalem, proprie Catholicam, non concordet vel profeſſione, vel vnione, & coniunctione charitatis, illa ad Catholicam non pertinebit. Sed neque hæc nota probat affirmatiue illam religioſam hominum profeſſionem facere Eccleſiam veram Catholicam, quæ per totum orbem ſparſa inuenitur. Nam Iudæi per vniuerſum orbem adhuc habent ſuas ſynagogas, aut per maximam orbis partem. Sic aliquando habuerunt Ariani. Negatiue tamen valet. Vt quæ Eccleſia Chriſtianorum non conſentit in eſſentialibus cum reliquis omnibus, totius mundi Catholicis Eccleſiis, illa Catholica non ſit.

a Matt. vlt. & b Matt. vlt. & Act. 1. 8. c Marc. vlt.

LXVI. Neque hæc nota requirit actualem per totum orbem exiſtentiam Eccleſiæ Catholicæ. Hæc enim perpetuis ſubſtat mutationibus & varietatibus; habuit initia debilia, habuit incrementa, habuit & decrementa, & rurſus, in dies poteſt augeri, & minui. Nec propterea deſinit eſſe Catholica, ſi plurimum diminuta, vel vnico loco, ac in paucis numero perſonis ſubſiſtat, vt fuit in magnis gentilium perſecutionibus, & Arianiſmo dominante; illa enim puſilla pro eo tempore eſt vniuerſa, & ſi non poſſit per hanc notam tunc examinari, quo ad Eccleſias in orbe actu exiſtentes, examinari tamen ſufficienter per eam poterit, ſi conferatur exigua hæc Eccleſia cum Eccleſia maxima totius orbis, quæ fuit florentibus ſæculis ſub Conſtantino, ſub Theodoſio, ſub Iuſtiniano, & aliis piis Principibus Chriſtianis.

Ad hanc noſtram tertiam notam reducuntur duæ Bellarmini notæ; videlicet apud eum prima, quæ eſt *Nomen Catholicæ*; & quarta, quæ eſt *Amplitudo*. Exigua profecto nota eſt nomen nudum, niſi res nomine ſignificata ſimul cum nomine adſit. Papa noſter nomine vocatur ſanctiſſimus: at quot Papæ fuerunt ſceleſtiſſimi? Patres veteres, quos profert *d* Bellarminus, etiam hoc nomine Catholico gloriabantur, quia tota Eccleſia eo tempore quæ vocabatur nomine Catholicæ, etiam re ipſa erat abſolute, & pure Catholica. & quæ cum illa non conſentiebant erant ſynagogæ Sathanæ, hæreticorum ſpelæa, à ſuis hæreſiarchis denominata; puta Marcioniſtarum, Montaniſtarum, Arianorũ, Neſtorianorum, &c. Quoniam tamen ipſi quoque hæretici ſe in re eſſe Catholicos dictitabant, ideo nomen iam Catholicæ non erat nota rem diſtinguens, neque ſemper aduerſarij Catholicorum ipſos ſuos aduerſarios vocarunt Catholicos: ſane Tertullianus Montanizans, cum iam Catholicos ipſos tanquam à ſua ſecta diuerſos, & à veritate alienos putaret, vt eos, à ſe diuerſos nomine aliquo diſtingueret *e* *Pſychicos* eos vocabat; & Iulianus Apoſtata *f* *Galilæos*. Sed non propterea quia orthodoxi aliis nominibus à quibuſdam vocabantur, & non nomine Catholicorum, ad Catholicam Eccleſiam non pertinere erant dicendi; Igitur neq; Lutherani, neque Caluiniſtæ, neq; Zuingliani ideo non ſunt Catholici, quia nos illis hæc nomina impoſuimus: ſicut illi nobis nomen impoſuerunt Papiſtarum. Imo profecto vbi vna & eadem hominum congregatio in partes diuiditur, ex aliquo accidente notabili, neceſſe eſt illas partes, non abiecto communi nomine, ſpecialib. ſe nominibus diſtinguere; ſed non propterea ceſſant eſſe id quod ſunt ſub nomine cõmuni. Vt exempli gratia, Catholicæ Eccleſiæ latinorum per varios ritus, & diuerſos canones diſtinguebantur olim ſine ſchiſmate, à Catholicis Eccleſiis Græcorũ, & vna dicebatur totalis Eccleſia Oriẽtalis, alia Occidentalis; vtraq; tamen Catholica. Sic in noſtro Occidente Theologorũ duæ inſignes ſcholæ in multis quæſtionib. diſputabilib. inter ſe contrariæ, diuerſis etiã ſunt nominib. vocatæ, à primis ipſarũ Magiſtris, altera Thomiſtarũ, altera Scotiſtarũ, & vtraq; ſane Catholica. Neq; quiſquã poteſt Thomiſtas, & Scotiſtas negare ideo eſſe Catholicos, quia aliis nominibus vocantur ex nomine perſonarum. Sic etiã immerito Lutheranos & Caluiniſtas Bellarminus ideo negat eſſe Catholicos, quia à Luthero, & Caluino ſic vocantur. Poſſunt n. illi eſſe perfecte Catholici, & diſſidere cum Papiſtis, aut inter ſe, in quæſtionib. diſputabilibus, conuenire vero & nomine, & re in fide, & profeſſione Catholica. Quẽ vero ſenſum faciat hoc nomen Catholicæ, quando Eccleſiis additur explicaui l. 4. c. 7. n. 26. & c. 10. n. 7. Quarta vero nota Bellarmini cum ſit prorſus hæc ipſa noſtra nota *Vniuerſitatis*, quam iam explicaui, & ſane nota vera & vtilis, non eſt cur amplius in ea immoremur, ſolum monemus *Amplitudinem* ſi præciſe ſumatur, eſſe fallacem; Non enim illa ſecta, vel religio eſt verior, quæ ſit amplior. Amplitudo ergo hæc complectitur omnes, ſed orthodoxos. De vſu, & argumentis ex his notis ad præſens tempus applicatis dicam non pauca in ſequentibus. LXVII.

d Bellar. de notis Eccl. c. 4.

e Tertul. de Monoga. init. & alibi.

f Sozom. l. 5. c. 4. & alii.

Quarta

LXVIII. *Quarta noſtra nota eſt, SANCTITAS quam ego totam colloco in doctrina. & profeſſione.* Cum enim Sanctus ſanctorum ſit Eccleſiæ caput, etiam corpus ſub capite ſancto erit ſanctum, aut ſaltem profitetur ſanctitatem: Doctrina ipſa cum ſit à Deo, non poteſt eſſe niſi ſancta; A ſancto enim venit, & per ſanctitatem ad ſanctum ducit. Diſciplina quoq; morum Catholicę Eccleſię cum ſit à Chriſto, & à ſanctis Apoſtolis, Spiritu ſancto rectis, & gubernatis, tota ducit ad ſanctitatem. Itaq; ſanctitas profeſſionis & doctrinę, eſt vera & propria nota, multo clarior, quam ſanctitas perſonarum actualis. Nota enim debet eſſe viſibilis, aut ſenſibilis: at ſanctitas actualis eſt inuiſibilis inſenſibilis ſoli Deo nota. An non ſæpe hypocriſis induitur nomine, & larua ſanctitatis? An non apud nos iam ſanctitas præcipua conſiſtit in actibus naturalibus, qui ſolis naturæ aut viribus, aut defectib. poſſunt non raro à pleriſq; frequentari, vt sūt cōtinentia à coitu, etia legitimo; ieiunia rigoroſa; corporales afflictiones invictu, veſtitu, laborib⁹, peregrinationibus, flagellis, longæ geniculationes, cum gemitibus & ſuſpirijs, &c. Ita vt qui cōplexionis ſit robuſtioris ad hæc toleranda, ſit etiam futurus ſanctior? vera ſanctitas conſiſtit in perfecta fide, ſpe viua, charitate non ficta Dei, & proximi, in conformitate voluntatis noſtræ cum diuina, in mortificatione ſenſuum, & paſſionum. Corporales vero exercitationes in tempore; & cum prudentia ſpirituali ſunt adhibendæ. Et quidem copiam piorum hominum pie, iuſte, & ſancte viuentium: virtutum frequens exercitium pro Deo, liberalitatis erga pauperes, pænitentiæ externæ ieiuniorum, virginitatis quoq; cuſtodiam, cum ſimilibus, negari non debet eſſe notam ſatis probabilem veræ Catholicæ Eccleſiæ: quam notam hanc vrget plurimum *a* Auguſtinus contra Manichæos.

a Aug. de morib. Eccl. c. 31. 32. 33.

LXIX. Obſeruauit aliquando idem Auguſtinus, *diuina prouidentia factum eſſe, vt non modo ſapientes huius mundi de Deo ſapienter diſſererent. dum* b *nihil terrenum, nihil igneum, nihil deniq; quod corporis ſenſus attingit pro Deo colendum eſſe docerent*, ſed etiam, vt imperitum vulgus marium, & fæminarum crederet: *& prædicaret, quod continentia vſq; ad tenuiſſimum victum panis & aquæ; & non quotidiana ſolum, ſed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia; quod caſtitas vſq; ad coniugij prolisque contemptum; quod patientia vſq; ad cruces flammasq; neglectas: quod liberalitas vſq; ad patrimonia diſtributa pauperibus; quod deniq; totius huius mundi aſpernatio vſq; ad deſiderium mortis intenditur.*] Et quamuis id pauci facerent, pauciores vero bene prudenterq; facerent, vt ibidem notat Auguſtinus: *magnum tamen quippiam*, inquit, *erat, quod populi id probarent, diligerent, hiſce actionibus fauerent*, imbecillitatemq; propriam, quod iſta non poſſent, non ſine prouectu mentis in Deum, nec ſine quibuſdam ſcintillis virtutis, accuſarent; *vlterius vero diuina*, ait, *prouidentia factum eſſe, vt iſta poſt Chriſtum in ſua Eccleſia in actum reducerentur, vt inde ipſa Eccleſia Catholica maiorem aſſequeretur autoritatem, miraculis etiam huic ſtupori adiunctis. Vt iam tutum eſſet illi ſe Eccleſiæ mancipare, quæ & miraculis, & mirabilibus hiſce actionibus coruſcaret.* c *Hoc factum eſt*. inquit, *diuina prouidentia per Prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Chriſti. per Apoſtolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes: per ſanctorum prædicabilem vitam, atq; in his vniuerſis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra hæreticis circunlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis culmen autoritatis obtinuit?*] Sumpſit ergo pro nota ſatis euidenti Auguſtinus, ſanctitatem actionum inſignium, cum adiectis miraculis, Eccleſiam Catholicam eſſe verā Chriſti Eccleſiam, quæ eſſet illa ipſa, per continuatam ſucceſſionem in qua Chriſtus, Apoſtoli, martyres, ſancti vitæ prædicabilis, etiam cū miraculis floruerunt.

b Aug. de vtilit. cred. c. 17.

c Ibid.

Vbi vero vitia dominantur, auaritia & libido regnat, & profeſſione etiam aperta defenduntur, & vera ſanctitas ludibrio habetur, nota hęc eſt ingens non eſſe ibi Eccleſiam Catholicam: Hæc enim etiā in ipſis peſſimis moribus, & criminibus perpetratis, profeſſione publica illa damnat, & accuſat, docetque Chriſtianum, correctis hiſce malis moribus, tendere debere ad ſanctitatem: & hæc profeſſio ſanctitatis debitæ erit nota veræ Eccleſiæ, etiamſi in actu nulla ſit ſanctitas. Huc ſpectat octaua nota Bellarmini, de ſanctitate doctrinæ, & decima de ſanctitate vitæ, & decimatertia de teſtimonio etiam hoſtium fidei, Chriſtianam religionem laudantium. Et certe doctrina ipſa tota ſiue dogmatum, ſiue morum, ſanctitatem ſpirat, & profeſſio Chriſtianorū, etiam iuxta lumen naturæ, eſt tota rationi maxime congruens, vt non poſſit niſi ab omnibus laudari. LXX.

Hęc de notis in genere: ad eas paulopoſt redibimus, cum ad inquirendam, & deſignandam Eccleſiam Catholicam noſtrorum temporum accedemus: tunc enim quid iſtæ notæ poſſint, vel non poſſint, exactius conſiderabimus. Nunc illud ex iam dictis concludo in genere, Eccleſiam verām Chriſti Catholicam in terris militantem, illam quæ præſumptiue vera ſit, ac proinde viſibilis, eſſe aggregatum omnium Eccleſiarum particularium, quæ cum prima illa Eccleſia, quæ fuit ab Apoſtolis, perfecte, in tota eſſentiali profeſſione conueniant. Hoc eſt, quæ fidem morumque diſciplinam Apoſtolicæ illius Eccleſiæ primæ integram profitentur, ſub legitimis miniſtris ex Apoſtolica ordinatione vſque ad noſtra tempora ſucceſſiue legitimis miſſionibus & vocationibus propagatis, ſub iiſdem Sacramentis, quibus prima illa Eccleſia, quæ eſt ab Apoſtolis, vſa eſt. Neq; poteſt vlla alia certior nota veræ Eccleſiæ dari, quam perfecta ſimilitudo ad inſtar illius; imo potius, quam illius continuatio ſana, & integra in eſſentialibus, & fundamentalibus, quæ autem fuerit fides, qui mores, quæ Sacramenta, quæ profeſſio eſſentialis illius primæ Eccleſiæ, facile eſt videre ex ſacris ſcripturis, & legitimis, ac ſinceris traditionibus. Omnes notæ quæ ex proprietatibus eſſentialibus primitiuæ Eccleſiæ firmis, ac perpetuis non petantur, fallaces eſſe poſſunt, & aliquæ vix probabiles, aliæ etiam ineptæ. Vt Autor operis imperfecti apud Chryſoſtomum non omnino male obſeruauit his verbis. *d Et quare iubet, (Dominus) in hoc tempore omnes Chriſtianos conferre ſe ad ſcripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas Eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque refugiū poteſt eſſe Chriſtianorum aliud volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi Scripturæ diuinæ. Antea enim multis modis oſtendebatur. quæ eſſet Eccleſia Chriſti, & quæ gentilitas, nunc autem nullo modo cognoſcitur, volentibus cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per ſcripturas. Quare? quia omnia hæc quæ ſunt proprie Chriſti in veritate, habent & hæreſes illæ in ſchiſmate: ſimiliter Eccleſias. ſimiliter & ipſas ſcripturas diuinas, ſimiliter Epiſcopos cæteroſque ordines clericorum, ſimiliter Baptiſmum, ſimiliter Euchariſtiam, & cætera omnia, denique ipſum Chriſtum.* LXXI.

d Opus imperf. hom. 49. in Mat.

Volent

Volens ergo quis cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat in tanta confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per ſcripturas? Item antea & per ſigna cognoſcebantur, qui erant veri Chriſtiani, & qui falſi. Quomodo? Falſi quidem aut non poterant facere, ſicut veri Chriſtiani; aut talia non poterant, qualia veri Chriſtiani, ſed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, vtilitatem autem nullam habentia ſicut frequenter expoſuimus. Chriſtiani autem faciebant plena non ſolum admirationem facientia, ſed etiam omnem vtilitatem habentia; Et per hoc cognoſcebantur qui erant veri Chriſtiani, qui falſi. Nunc autem ſignorum operatio omnino leuata eſt: magis autem & apud eos inuenitur qui falſi ſunt Chriſtiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichriſto etiam plenorum ſignorum faciendorum eſt danda poteſtas. Item ex moribus ipſis prius intelligebatur Eccleſia Chriſti, quando conuerſatio Chriſtianorum aut omnium, aut multorum erat ſancta, quæ apud impios non erat. Nunc autem aut tales, aut peiores facti ſunt Chriſtiani, quales ſunt hæretici aut gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur, quamuis in ſchiſmate ſint, quem apud Chriſtianos. Qui ergo vult cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat, niſi tantummodo per ſcripturas? Sciens ergo Dominus tantam confuſionem rerum in nouiſſimis diebus eſſe futuram, ideo mandat, vt Chriſtiani qui ſunt in Chriſtianitate, volentes firmitatem accipere fidei veræ, ad nullam rem fugiant, niſi ad ſcripturas. Alioqui ſi ad alia reſpexerint, ſcandalizabuntur, & peribunt non intelligentes quæ ſit vera Eccleſia.] Interpretabatur enim hic Autor *a* fugere ad montes, eſſe fugere ad ſcripturas.

a Matt.24.15.

LXXII. Scripturæ quidem facile ſeparant Chriſtianos ab infidelibus Iudæis, & Paganis; ſed quod ſcripturæ ſolæ ſufficienter ſeparent veram Chriſti Eccleſiam ab hæreticorum, & ſchiſmaticorum cætibus, non inuenio, neq; percipio. An non dixit idem Autor etiam ſcripturas eaſdem eſſe apud hæreticos? An non dixit ex quo hæreſes inualuerunt, factam eſſe confuſionem Eccleſiarum? vnde vero hæreſes, & confuſio, niſi ex iiſdẽ ſcripturis vel bene vel male intellectis? Hæretici dant ſuum ſenſum ſcripturis, Catholici ſuum, quodmodo ergo ſcripturæ auferent confuſionem? Non ſemper obſcuriora ſcripturæ loca per clariora euidenter explicantur. Vtinam hoc eſſet, non enim tanta eſſet in Eccleſia cõcertatio, tanta diſſenſio, tot ſchiſmata, & hæreſes. Fugiendũ profecto, & ipſe aſſero, eſſe ad ſcripturas, obſcuriora p̄ clariora elucidanda eſſe non dubito, ſcripturas eſſe lydium lapidem ad probandã verã auream Eccleſiam, non nego; ſi tamẽ addamus ſenſum, & intelligentiã ſcripturarũ ab Apoſtolis Eccleſiæ primæ illi traditã, & in ea, ac tota illius per verã ſucceſſionem propagine, vſq; ad neceſſaria ſaltẽ tẽpora conſeruatã, iuriſq; publici per prima Concilia factã, in articulis eſſentialib. fidei, ab hæreticis in dubium vocatis inde definiẽdis. Propterea primã ego Eccleſiã, q̃ eſt ab Apoſtolis, quandiu in ſua puritate perſtitit, exẽplar pono totius Chriſti veræ Eccleſiæ Catholicæ, ex quo omnis vera Eccleſia plene poſſit dignoſci. Symbola illius Eccleſiæ puræ à plurib. tũc firmata, & omnia cõſentientia habemus, illa in neceſſariis omnẽ auferũt controuerſiã: Aliæ diſſenſiones cũ non ſint de reb. neceſſariis, nõ poſſunt verã Eccleſiã confundere; & de his poſtea plura, cum ad particularia deſcẽderimus. Qui ergo à vera Chriſti Eccleſia hoc pacto cognoſcẽda, ſe culpabiliter ſeparat, ille erit vere ſchiſmaticus. De Eccleſia igitur iam ſatis: ſchiſmatis conſiderationem, hoc cap. potiſſimum intentam nunc aggrediamur.

LXXIII. Explicata vnitate, & veritate Eccleſiæ, inde iam facile innoteſcit q̃d ſit ſchiſma; Id n. eſt vnitati huic Eccleſiaſticæ contrarium, ſicut hæreſis contraria eſt veritati fidei, quæ eſt fundamentum Eccleſiæ. Schiſma porro eſt ſciſſio, quoties nimirum Eccleſiaſtica conſociatio diſrũpitur, vbi aliquis ita ſe ſeparat ab iſta veræ Eccleſiæ Catholicæ cõſociatione, vt nolit amplius eſſe illius membrũ, neq; pars. Et quamuis fateatur illã Eccleſiam Catholicam, & vniuerſalẽ, à qua ſe ſeparat eſſe verã Chriſti Eccleſiã, eiuſq; fidem integrã retineat, nolit tamẽ cũ ea cõmunicare, neq; vinculo charitatis ei cõiungi, erit iſte verus ſchiſmaticus, à corpore Eccleſiæ alienus. Illud igitur eſt vere, & p̄prie ſchiſma (de quo nunc agimus) vbi ab Eccleſia vera Catholica illa, de qua ſuperius egi, fit ſeparatio, cũ abruptione cõmunionis in diuinis. Puto equidẽ vix poſſe contingere, vt aliquis nulla hæreſi infectus, ſed integram ſeruans Catholicã fidẽ, ſe, ſecumue alios à cõmunione Eccleſiæ vniuerſalis im̃ediate ſeparet, & ſic verũ hoc faciat ſchiſma: Cõtingit tamen ſæpe vt in Eccleſiis ipſis particularibus aliquis ab Epiſcopo, & miniſtris ordinariis, ac legitimis illius Eccleſiæ diſcedat, congregationeſq;, & ſynaxes celebret Catholicas illas quidẽ, & ritu plene Catholico, ſed tamẽ ab ordinario illius Eccleſiæ regimine diuerſas, & cũ eo in vnione, & charitate, nõ cõmunicantes, ſed altare cõtra altare erigentes. De hoc Auguſt. ita ſcribit. *b Schiſma, ni fallor, eſt eadẽ opinantẽ, atq; eodẽ ritu colentẽ quo cæteri, ſolo congregationis delectari diſſidio.*] Hoc licet videatur ſchiſma in vna duntaxat Eccleſia particulari, eſt tamen reuera ſchiſma contra totã Eccleſiam Catholicam conflatum. Qui n. ſe ab vno vero & viuo mẽbro Eccleſiæ Catholicæ ſeparat, ille ſe cõſequenter à toto corpore ſeparat. Nam cũ reliquum totum corpus Eccleſiæ cõmunicet cum illa Eccleſia particulari, & vnionẽ conſeruet, ille qui non vult vniri vni mẽbro, nec poteſt vniri toti corpori in quo eſt illud membrũ; neq; poteſt vnum mẽbrum ab alio membro penitus diuelli, niſi à toto corpore diuellatur. Idem dico, ſi vna integra particularis, aut nationalis Eccleſia ab alia item particulari, vel nationali ſe ſeparet, verum ſchiſma omnino affuturum, propter eandem rationem membrorũ, & corporis: Sic Cyprianus, & Auguſtinus paſſim conueniunt, Donatiſtas Africanos eſſe vere ſchiſmaticos, quia qui nolebant cõmunicare cum Carthaginenſi Eccleſia, propter Cæcilianum, quem traditionis librorum ſacrorum, aut ſaltem cum traditoribus cõmunicationis reum faciebant, nolebant etiam cõmunicare conſequenter cũ tota reliqua totius orbis Eccleſia Catholica, quæ tota cum Cæciliano, & Eccleſiis Catholicis Africanis communionis Eccleſiaſticæ vinculo colligabãtur; & ſchiſmatici Donatiſtæ iactabãt totam Eccleſiam Catholicam, ob ſimilem communicationem, fuiſſe extinctam in orbe, & inter ipſos ſolos cõſeruatam: ita vt iam ſola Donatiſtarum ſecta eſſet tota Eccleſia Catholica.

b Aug cõtr. Fauſtum l. 20.c.9.

LXXIV. Si igitur contingeret interdum, vt in eadem Eccleſia particulari Epiſcopus alter, alteri Epiſcopo ſuperordinaretur, vel alter alterius Eccleſiam inuaderet, nec illi duo Epiſcopi inter ſe communicarent, ſed ſuam quiſque partem plebis ad ſe ſeorſim ab altero colligeret, vnitatis vinculo inter ſe nequã quam copulati, ſchiſma erat omnino, & illa pars erat ſchiſmatica, quæ exiſtente iam legitimo Epiſcopo in ea Eccleſia, contra illum exurgeret, & pſeudoEpiſcopum ſequeretur. Tale fuit ſchiſma Nouatiani Romæ, contra Cornelium, contra quẽ Nouatianũ acriter inſurgit *c* Cypr. Tale Antiochiæ inter Meletiũ, & Paulinũ, & nonnullos eorũ ſucceſſores; Quod ſi duo illi Epiſcopi amice cõuenirẽt, & vel in

c Cypr. l.4. ep.2.

ſolidum

ſolidum ex æquo illam gubernarent Eccleſiam, vel vnuſque ſuæ partis curam haberet, ſub communione tamen in diuinis; eo modo quo duæ eccleſiæ particulares ſub ſuo quæque Epiſcopo, inter ſe communicant, non ſolum fide integra, ſed etiam charitate, & vnione perfecta, tunc nullum eſſet ſchiſma, quia illi duo Epiſcopi, & illæ eorũ plebes, eſſent membra viua inter ſe, & conſequenter cum toto corpore eccleſiæ cohærentia: ſic in eccleſia Romana aliquando fuit, ſic in Hieroſolymitana, Nazianzena, Hipponenſi, & cæt. vt oſtendi lib. 2. cap. 9. num. 14. 15. & lib. 3. cap. 3. num. 62. 63. & lib. 4. cap. 11. num. 46. Illa ergo mihi videtur regula generalis, vt ſegregatio alicuius, vel aliquorum, à ſuo Epiſcopo, vel à ſua eccleſia particulari, vel ab alia item particulari, ſi diſrumpat vnitatem, & charitatem, fore verum ſchiſma penitus fugiendum, & abominandum: Si autem, ſeruata vnitate & charitate, negetur alicui epiſcopo, vel Metropolitano, vel Primati, vel Patriarchæ obedientia ſola, ſolaque iuriſdictionalis ſubiectio, non eſſe vere, ac proprie ſchiſma, quando cum ſola perſona prælati diſſenſiones, & ſimultates exerceantur. Tale quidpiam contigit aliquando *a* Chryſoſtomo, à quo videndo, & audiendo nonnulli fugiebant, quos in terrorem ipſe tanquam ſchiſmata facientes redarguit; ſed ſi illi conuenticula ſeorſim non facerent, vere ſchiſmatici non erant. Propterea etiam non fuit ſchiſma inter Paulum, & Barnabam, *b quando facta eſt diſſenſio, ita vt diſcederent ab inuicem.*] Occaſione Marci quem Barnabas in ſocietatem aſſumi volebat, Paulus vero renuebat, fuit enim diſsidium inter perſonas, & non contra vnionem Eccleſiaſticam, & charitatem. Neque Cyprianus in ſchiſma eſt prolapſus, quando adeo etiam acerbe reſtitit Stephano Romano Pontifici; imo & ab vniuerſali eccleſia diſſentire voluit circa baptiſmum hæreticorum; vnionem enim in charitate totius eccleſiæ integram ſeruauit, neque ſe à communione eorum, qui contrarium ſentiebant, & operabantur, ſubtraxit. *c Neminem* inquit, *iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit amouentes.*] Obedientiam in cauſa illa baptiſmi, ſubtraxit Stephano, ſubtraxit & vſui catholicæ eccleſiæ. charitatem & vnionem non ſubtraxit; ideo ſchiſma euitauit.

a Chryſ. in ep. ad Eph. hom. 11. ad finem.

b Act. 15. 39.

c Cypr. in Concilio Carthag.

LXXV. Merito vero in Concilio primo Conſtantinopolitano generali illi ſchiſmatici eſſe declarati ſunt, *d Qui ſe ſanam quidem fidem confiteri præ ſe ferunt, auulſi autem ſunt, & abſciſſi & aduerſus canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt.*] In eo ergo quod congregationes ſeparatas faciunt, cum reliqua illa Eccleſia non communicantes, ſchiſmatis morbo laborant. Ideo Auguſtinus ſubmonet illos, qui interdum perperam, claue errante, ab Eccleſia eijciantur, & corpore tantum foris eſſe coguntur, vt caueant ne contra ſuum Epiſcopum, alioſve ſuæ Eccleſiæ miniſtros, faciant congregationes, cum reliqua illa eccleſia non communicantes: *e Sæpe etiam*, inquit, *ſinit diuina prouidentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros, quam contumeliam, vel iniuriam ſuam, cum patientiſſime pro Eccleſiæ pace tulerint, neque vllas nouitates, vel ſchiſmatis, vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, cum vero affectu, & quanta ſinceritate charitatis Deo ſeruiendum ſit— motibus, perturbationibus ceſſerunt, ſine vlla conuenticulorum ſegregatione, vſque ad mortem defendentes. &c.*] Conuenticula ergo ſeparata in exercitio religionis, & ſoluto vinculo charitatis, & vnionis, ſchiſma faciunt; ſic enim altare contra altare erigitur, menſa contra menſam inſtruitur. Quod commoditatis, & neceſſitatis gratia plures fiant congregationes fidelium particulares, & ſingulæ ſuum altare, ſingulæ ſuam menſam ſacramentalem habeant, non eſt diuiſio; non eſt ſchiſma, quia in vnitate fidei vnico ac eodem charitatis, & religioſæ communionis vinculo ſunt conſtrictæ. Vnicum eſt omnibus altare, vnica menſa, vnicũ ſacrificium, vnicus, & idem panis, idem corpus Chriſti. Altare vero contra altare, & menſa contra menſam eſt, quando congregationes & conuenticula ſunt animo, corde, & voluntate, atque affectu diuiſa, licet in reliquis vnum ſint. Ita *f f* Chore, Datan, & Abiron, non quia inuiderunt Aaroni & Moyſi poteſtatem quam exercebant (inuiderant vero, vel maxime) neq; quia vſurparunt ſibi ſacerdotale munus thuris adolendi, (quod in eis fuit ſumma arrogantia) ſed quia diuidebant populum, & cultum diuinum contra cultum diuinum inſtituebant: ideoque fuerunt à Deo horribili morte cum ipſorum ſequacibus tanquam ſchiſmatici puniti.

d Concil. Conſtantinop. 1. can. 6.

e Aug. de vera relig. c. 6.

f Num. 16. 31.

Noſtri vero Hieromonarchici in eo maximum LXXVI. & propriiſſimum ponunt ſchiſma, ſi quis ab obedientia Papæ deficiat, & ab illius ſe ſubtrahat iuriſdictionali ſubiectione, non modo in ipſius dogmatibus fidei, quæ ipſe ex ſe proponat, reſpuendis, ſed etiam in præceptis eius, ac legibus, etiam circa temporalia non admittendis. Sed nos iam probauimus ſuperius in hoc cap. n. 23. Vnitatem Eccleſiæ non pendere à coniunctione fidelium cum vllo capite viſibili, quia in Eccleſia nullum aliud caput eſt niſi Chriſtus. Vidimus etiam ſupra n. 19. & 23. ſchiſma eſſe contra vnionem, & charitatem, non contra obedientiam. Probauimus quoq; cap. 5. huius Papã non poſſe ex ſe vllum articulum fidei proponere. Oſtendimus item lib. 6. cap. 10. Papam in temporalibus, neque in temporalia vllam habere poteſtatẽ. De poteſtate ipſius legiſlatiua in Eccleſia diſſeram lib. 8. proxime ſequenti. Probauimus toto ferme libro 4. Papatum nullum eſſe, neque ei Eccleſiam vniuerſalem ſubeſſe. Quod ergo diximus de ſchiſmate, ſi quis à ſuo Epiſcopo ſe ſegreget, diſrupta communione, & nouis conuenticulis inſtitutis, id intelligendum eſt de Romanæ diœceſis hominibus, ſi quis hoc pacto à Romano Epiſcopo deficeret. Sed præterea non grauate affirmo ſeparare ſe à ſedibus Apoſtolicis eſſe quoddam patentius ſchiſma: cum enim tales ſedes, ac præſertim Romana, ſint primũ, ac præcipuum vinculum vnitatis Eccleſię Catholicæ, vt ſuperius explicaui, qui à ſede Apoſtolica quãdiu Catholica eſt, ſe ſeparat (à ſede inquam, nõ perſonaliter à ſolo Epiſcopo talis ſedis, reſeruato cum ipſa Eccleſia Apoſtolica communionis integro vinculo) neceſſe eſt ſeparet ſe etiam à tota Eccleſia Catholica, cuius vnitas per illas ſedes, quæ integram fidem retineant, maxime ordinarie cõſeruatur. Neque ego in tota antiquitate vllum ſchiſma cum Romana Eccleſia obſeruaui, quod inobedientiæ nomine, & defectu iuriſdictionalis ſubiectionis conflatum cenſeretur; omnia ſolum defectum vnionis, & charitatis perpetuo habuerunt; loquor de ſchiſmate quod hæreſim coniunctam non habuerit. Afferam ad hoc aliqua vel dicta, vel exempla.

Quinta ſynodus generalis tria capitula damna- LXXVII. uit, quæ in Concilio Chalcedonenſi ex inaduertentia quadam indemnata fuerant relicta: Romani Pontifices damnationi trium capitulorum ſubſcripſerunt, & quintam Synodum admiſerunt. *g* Zelotes aliqui, ſed non ſecundum ſcientiam, inepte putabant

g Suggeſtio Germani, inter ep. Horm. post ep. 6...

tabant ipſum Chalcedonenſe Concilium inde damnari, & conſequenter hæreſim Neſtorianam in his reuiuiſcere, plurimi ſe ab Eccleſia ipſa Romana, & aliis omnibus, quæ quintam ſynodum admiſerant turpi ſchiſmate ſepararunt. Nam omnes qui Romanæ ſedi communicarent, Neſtorianos eſſe dicebant, quid tunc Pelagius Romanus Pontifex contra tales? *a Quiſquis ab Apoſtolicis diuiſus eſt ſedibus, in ſchiſmate eum eſſe non dubium eſt, & contra vniuerſalem Eccleſiam altare conatur erigere.*] Apoſtolicæ ſedes ſunt Eccleſiæ particulares; quomodo ergo hæc ſchiſmata erunt contra Eccleſiam vniuerſalem? Explicet ſe ipſemet Pelagius. Ita enim ad Epiſcopos Prouinciæ Tuſciæ ſcribit, qui ſe ab eius communione ob eandem cauſam, ſchiſmate ſepararant. *b Directam à vobis rationem, Defenſore Eccleſiæ noſtræ Iordane deferente, ſuſcipientes, ſatis mirati ſumus, ita vos Apoſtolicæ autoritatis oblitos, vt diuiſionem veſtram ab vniuerſali Eccleſia meo etiam volueritis (quod abſit) conſenſu firmari; & quos decuit popularem ignorantiam ſacerdotali doctrina comprimere, in contumeliam ſedis Apoſtolicæ, plebis velle ſequi iudicium. Nec iſta dicentes, iniuriam noſtram dolemus, quibus, donante Domino, propoſitum eſt, in manſuetudine ſupportantes omnia fraternæ pacis vinculo cuſtodire; ſed (ſicut diximus) diuiſionem veſtram à generali Eccleſia, quam tolerabiliter ferre non potero, vehementer ſtupeo. Cum enim beatiſſimus Auguſtinus Dominicæ ſententiæ memor, quæ fundamentum Eccleſiæ in Apoſtolicis ſedibus collocauit, in ſchiſmate eſſe dicat, quicunque ſe à Præſulis earundem ſedium auctoritate vel communione ſuſpenderit, nec aliam manifeſtet eſſe Eccleſiam, niſi quæ in Pontificibus Apoſtolicarum ſedium eſt ſolidata radicibus: quomodo vos ab vniuerſi orbis communione ſeparatos eſſe non creditis, ſi mei inter ſacra myſteria ſecundum conſuetudinem nominis memoriam reiicetis, in quo licet indigno Apoſtolicæ ſedis per ſucceſſionem Epiſcopatus præſenti tempore videtis conſiſtere firmitatem?*] Non conqueritur Pelagius de inobedientia illorum Epiſcoporum, & negata ſubiectione, ſed quod ab vniuerſali Eccleſia ſe illi ſepararint, dum nolunt cum Apoſtolica ſede habere communionem. Siquidem ſedes Apoſtolicæ ſunt radices, ac vinculum Catholicæ communionis, vt eſt ſuperius à me explicatum.

a Pelag. 1. ep. 3.

b Apud Baro. 7. an. 556. n. 31.

LXXVIII. Ita ſane Optatus quoque Mileuitanus Donatiſtas conuincit eſſe ſchiſmaticos, & à Catholica Eccleſia ſeparatos; quia cum parte Catholica Africanorum non communicabant: ipſam vero partem Catholicam Africanorum ad Eccleſiam Catholicam pertinere probat, quia cum cathedra Romana communicabat, & per illam ſedem cum reliqua tota Eccleſia, totius orbis vniuerſali; nam reliquæ omnes ſedes primariæ cum Romana cohærebant. *c Probatum eſt*, inquit, *nos eſſe in Eccleſia ſancta Catholica apud quos & ſymbolum Trinitatis eſt, & per cathedram Petri, quæ noſtra eſt---ſancta Catholica Eccleſia illa eſt, quæ toto eſt terrarum orbe diffuſa; cuius membra & nos, inter alios ſumus.*] Idem etiam probabat Cæcilianum in Eccleſia Catholica fuiſſe, *d quia non receſſit*, inquit, *à cathedra Petri, vel Cypriani.*] Prima ſedes in Africa erat Carthaginenſis: hæc perpetuam ſeruabat communionem cum Romana: quia igitur Cæcilianus, qui erat Epiſcopus Carthaginenſis, Cypriani ſedem, & fidem ac Eccleſiæ vnitatem tenebat, & hæc ſedes cum Romana in vnione perſeuerabat; Romana vero cum reliquis omnibus vnitatem retinebat; ideo Cæcilianus erat in Catholica Eccleſia; à qua deſciuerat Maiorinus Donatiſta, quia cum neutra harum pacem habebat & communionem. Semper Patres ſimiliter, vt Optatus, communionem charitatis, non ſubiectionis obedientiam, ſi quando de ſchiſmate agebatur, reſpiciebant. Verba Auguſtini ſunt: *e Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant, quia vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia.*] Charitatis ergo, non obedientiæ defectus facit ſchiſma, quod patet etiam ex facto Cypriani cum Stephano Romano; quod conſideraui libro quarto, capite octauo, numero octauo.

c Optat. lib. 2.

d Idem lib.

e Aug. de ſerm. in monte lib. 1. c. 19.

LXXIX. Gregorius quoque agens cum Hybernicis, ad quos trium capitulorum ſchiſma penetrarat, non reuocat eos ad obedientiam & ſubiectionem Romanæ ſedis, ſed ad ſolam vnitatem, & coniunctionem. Hortatur enim vt legant librum Pelagij eius prædeceſſoris. *f Quem*, inquit, *ſi depoſito voluntariæ defenſionis ſtudio, puro vigilantique corde ſæpius volueritis relegere; eum vos per omnia ſecuturos, & ad vnitatem noſtram reuerſuros nihilominus eſſe confido.*] Hic nulla obedientiæ, nulla ſubiectionis mentio, vnionis duntaxat, & communionis Eccleſiaſticæ reparandæ ſtudium præſefert Gregorius, qui quoties de reducendis ſchiſmaticis eſt ſolicitus, ſolam vrget vnitatem, ſolam Eccleſiaſticam communionem cum Romana Eccleſia, & per illam cum reliqua tota Catholica Eccleſia. Gratulatus Firmino Iſtriæ Epiſcopo; *g quod diuina te gratia*, inquit, *ad vnitatem Eccleſiæ, à qua pertinacium, & imperitorum hominum inſtinctu disiunctus fueras, reuocauit.-- Vt mater Eccleſia per totum, Deo propitio, orbem diffuſa, ad ſuum te rediiſſe gremium non inertem agnoſcat.*] Formulam profeſſionis idem Gregorius dedit, quam illi emitterent, qui ex ſchiſmate ad Catholicam reuerterentur. Ea vero eſt huiuſmodi. *h Quoties cordis oculus nube erroris obductus, ſupernæ illuſtrationis lumine fit ſerenus, magna cautela nitendum eſt, ne latenter author ſchiſmatis irruat, & ab vnitatis radice eos qui ad eam reuerſi fuerant, telo iterum erroris abſcindat. Et ideo ego ciuitatis illius Epiſcopus, comperto diuiſionis laqueo, quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad vnitatem ſedis Apoſtolicæ, diuina gratia duce, reuerſus ſum. Et ne praua mente, ſeu ſimulate reuerſus exiſtimer, ſub mei ordinis caſu ſpondeo, & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te ſancto Petro Apoſtolorum principi, atque eius Vicario Beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius; me nunquam, quorumlibet ſuaſionibus, vel quocunque alio modo, ad ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri miſericordia liberante ereptus ſum, reuerſurum; ſed ſemper me in vnitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum. Vnde iurans dico, per Deum Omnipotentem, & per hæc ſancta quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per ſalutem gentium, atque illuſtrium dominorum noſtrorum rempublicam gubernantium, me in vnitate, ſicut dixi, Eccleſiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis ſemper, & ſine dubio permanere. Quod ſi, quod abſit, aliqua excuſatione vel argumento ab hac me vnitate diuiſero, periurij reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inueniar; & cum authore ſchiſmatis habeam in futuro ſæculo portionem. Hanc autem confeſſionem promiſſioniſque meæ cartulam notario meo, cum conſenſu presbyterorum, & diaconorum, atque clericorum, qui me in hac vnitate obligantes, in ſuprascriptis omnibus prona ſimul voluntate ſecuti, atque propriis manibus ſubſcripturi ſunt, ſcribendum dictaui, & propria manu ſubſcribens tibi tradidi. Acta in loco illo, die, & conſule ſuprascriptis. Subſcriptio Epiſcoporum illorum. Ego ille Epiſcopus ciuitatis illius huic confeſſioni promiſſionique*

f Greg. l. 2. ind. 10. ep. 36.

g Idem lib. 10. ind. 5. ep. 37.

h Ibid. ep. 31.

meæ præſtito de conſeruandis ſupraſcriptis omnibus Sacramento ſubſcripſi.] Hic quoque vbi maxime apparere deberet, nulla tamen apparet obedientiæ, nulla ſubiectionis ſponſio, ſed vnitatis duntaxat & communionis. Quid ſit ſchiſma verum Eccleſiaſticum, & in quo id conſiſtat, ſatis dixi, videamus nunc vndenam ſchiſmata in Eccleſia oriantur.

LXXX. PRIMA, maxima, & potiſſima ſchiſmatis CAVSA eſt vere & proprie dicta HÆRESIS, *vbi error in fide, cum pertinacia, tenetur, & defenditur.* Nam & qui talis hæreticus eſt, cum nolit Catholico Eccleſiæ ſenſui acquieſcere, ipſam Catholicam Eccleſiam contrarium docentem reſpuit, imo & damnat, & tanquam ab errante declinat, & fugit, atque ab ea ſe penitus ſeparat. Quinimo ipſa quoq; Eccleſia, cum penitus peruerſum viderit, eum tanquam iam putrefactum membrum ab ſe reiicit, & ex albo fidelium expungit. Ille vero conuenticula Eccleſiæ cōtraria colligere non deſiſtit, & in apertum ſchiſma erumpit. Huc ſpectant illa Pauli, a *Hæreticum hominem poſt vnam, & alteram correptionem deuita, ſciens quod ſubuerſus eſt eiuſmodi, & delinquit, quia eſt à ſemetipſo damnatus.* In quæ verba ſic Hieronymus, b *νουθεσία autem commonitionem magis & doctrinam abſq; increpatione ſignificat. Legitur in latinis codicibus (quod verum Papa quoque Athanaſius approbabat.) Poſt vnam & alteram correptionem, quod ſcilicet non ſufficiat tantum ſemel eum corripi, vel commoneri, qui aliquo ſit deprauatus errore, ſed & ſecunda ſit ei adhibenda doctrina: vt in ore duorum, aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quare autem poſt primam & ſecundam correptionem deuitandus ſit, reddit cauſas dicens: quod ſubuerſus eſt eiuſmodi, & peccat, cum ſit à ſemetipſo damnatus. Qui enim ſemel biſque correptus, audito errore ſuo non vult corrigi, errare exiſtimat corrigentem, & è contrario ſe adpugnas, & iurgia verborum parans, eum vult lucrifacere, à quo docetur. Propterea vero à ſemetipſo dicitur eſſe damnatus: quia fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per ſacerdotes de Eccleſia propelluntur. Hæretici autem in ſemetipſos ſententiam ferunt ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes: quæ receſſio propria conſcientiæ videtur eſſe damnatio. Inter hæreſim & ſchiſma hoc intereſſe arbitramur, quod hæreſis peruerſum dogma habeat: ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet, quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi poteſt diuerſum. Cæterum nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, vt recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur.*] Hæreſis igitur poteſt eſſe interdum parens ſchiſmatis, interdum vero filia: & tunc ſchiſma eſt peſſimum, quando vel oritur ex hæreſi, vel parit hæreſim.

a Ad Titum 3.10. 11.

b Hiero in ep. ad Tit. c.3.

LXXXI. Quod ſi Prælatus alicuius Eccleſiæ incidat in hæreſim, poteſt quidem clerus & populus ipſius ſe ab illius communione ſubtrahere; & hæc ſubtractio, ſi prudenter, & cum debito moderamine fiat, ſchiſma non eſt, ſed ſæpe debita, & neceſſaria seceſſio. Hi enim à ſola perſonæ illius communione, & ex legitima cauſa abſtinent, ab Eccleſia vero, ſiue parte ipſius, ſiue à membro ipſius viuo non ſe ſeparant, ſed à membro mortuo. Eſt tamen in tali caſu ſæpe ingens veri ſchiſmatis periculum, quoties nimirum Prælatus ille nondum hæreſis eſt iuridice conuictus, & damnatus, aut declaratus; quoties etiam ille adhuc cum Epiſcopali ſua poteſtate in ſua ſede ſedet: quoties demum habet ſequaces ſuos, qui ab ipſius ſtent partibus: tunc enim vere diuiditur Eccleſia, & in fruſta diſcerpitur. Exempla ſane priorum temporum, quæ ego obſeruare potui, vbi ſe inferiores propria autoritate à ſuis ſuperioribus præpropere ſepararunt, omnia in verum ſchiſma eruperunt. c Gregorius Nazianzenus Epiſcopus ſenior, Gregorij iunioris pater, vir optimus ac religioſiſſimus fraude & impoſturis quorundam Arianorum, quos benigne ſuſceperat, deceptus; incaute cuidam ipſorum ſententiæ ſubſcripſit. Ecce tibi ſtatim Monachorum indiſcreta caterua ab eo ſe in diuinis ſeparat, & Eccleſiaſticam abrupit communionem; Monachos pars magna ciuium ſequitur. Sed Gregorius filius ſua prudentia ſchiſma ſedauit, & pacem illi Eccleſiæ reſtituit. Attamen ſchiſma illud perperam factum fuiſſe & ſenſit, & opportuna admonitione data ſatis declarauit, his verbis. d *Atque, vt hæc breui diſtinctione explicentur, ſic ſtatuo, nec ſegniorem quenquam eſſe debere, quam par ſit, nec feruentiorem: ita vt, vel ob leuitatem ad omnes ſe aggreget, vel ob temeritatem, & inſolentiam ab omnibus ſe remoueat (æque enim, & iners ſegnitus eſt, & mobilitas atque inconſtantia à ſocietate, & communione aliena) verum vbi aperte ſe prodit impietas, tum vero nobis faciendum eſſe, vt aduerſus ignem & ferrum, & tempora, & Principes, ac denique prius aduerſus omnia cominus feramus, quam, vt mali fermenti participes efficiamur, ac male affectis aſſentiamur; nec quicquam perinde metuendum eſt, quam ne quid magis quam Deum metuamus, ac propterea fidei, & veritatis, cum veritati ſeruiamus, doctrinam perfide deſeramus. Ac cum ſuſpicio ſola animum noſtrum male habet, timorque nullis certis argumentis innixus, tum vero lenitatem potius quam celeritatem, & indulgentem demiſſionem potius, quam arrogantiam & contumaciam adhibere conuenit: multoque melius, & conducibilius eſt, vt in communi corpore manentes mutuo noſipſos, tanquam alij aliorum membra, corrigamus, atque corrigamur, quam vt præiudicio per seceſſionem facto, & authoritate per ſeparationem amiſſa, ex edicto poſtea, velut tyranni, ac non fratres, correctionem imperemus.*] Arrogantia profecto & contumacia fuit in illis Monachis, tunc re vera ſchiſmaticis, ex imprudenti & ſtulto zelo. Eadem fuit imprudentia e Platonis Abbatis, & Theodori Studitæ, & aliorum. Sunt enim iſtæ quædam excommunicationes; de quibus egi ſatis in libris præcedentibus: iccirco ſeparationes à Romano Pontifice, antequam hæreſis conuincatur, ſunt valde periculoſæ.

c Gregor. presb. ind. ta Greg Naz.

d Nazianz. orat de pace poſt reconciliationem.

e Nos lib. 5. c. 2 n 69 70. & l 6. c. 9. n. 16.

Hæreticos vitandos eſſe, & ſeparandos, non eſt dubium, ſed antequam ſeparentur, ne fiant ſchiſmata, omnia tentanda ſunt, vt illi reducantur. Et quidem ſi hæreſes ipſorum ſint iam manifeſto patentes, & per Eccleſiam iam ſufficienter & legitime damnatæ, illi vero pertinaces in errore perſiſtant, omnino illi ab Eccleſia ſunt eiiciendi; ſi tamen doctrina aliquorum ſit noua atque inſolita, & illi, qui eam defendunt, bona fide agant, ſuaſque habeant Scripturas, ſuas rationes; ſua argumenta, neque Eccleſiam contrarium docentem aut operantem damnent, neque ab ea recedant, ſed vinculum charitatis & vnionis illæſum conſeruent, illi profecto tolerandi ſunt; & imprudenter, ac impie abiicientur; quique eos abiiciunt, ſchiſma faciunt, & Eccleſiam diuidunt; Et hæc iam eſt SECVNDA CAVSA ſchiſmatum, in doctrina ſcilicet diſputabili DISSENSIONES. Sic enim perperam abiecti ſeruata, quantum in ipſis eſt cum ea Eccleſia quæ illos abiecit cōmunione, & odio habentes ſeparationem, ſchiſmatici nequaquam ſunt, ſed veri Catholici, parati nimirum veritati parere, cum primum eliquate illam Eccleſia ipſa Catholica aperuerit; Solo enim corpore ab Eccleſia Catholica diuiſi ſunt, LXXXII.

non

non mente, non fide, non charitate, & quicunque his adhæret, ſchiſma quidem auget, ſed omni ſchiſmatis culpa vacat, quæ tota in eam partem eſt refundenda; quæ iſtos ſtulte ac imprudenter à ſua communione abiecit, & ſeparauit; & cum ipſis pacem amantibus, petentibus, & cupientibus, pacem habere recuſat: impoſita nimirum illis conditione, vt doctrinam corrigant, quam illi bona fide veram putant, nec ab ea volunt recedere, niſi erroris legitime, & ſufficienter, per veras Eccleſiæ regulas, conuincantur. Sic profecto Aſiatici in celebrando Paſchate ipſa die lunæ quartæ decimæ cum Iudæis, bona fide conſtantes diu perſtiterunt, ſeruata cum reliqua Eccleſia, quæ alio die id celebrandum eſſe ſtatuerat, pace & charitate; licet Victor Romanus Pontifex eos à communione totius Eccleſiæ præſcindere vellet: Negata enim ſua eis communione, reliquæ quoque Eccleſiæ, cum Romana communicantes niſi voluiſſent illius communione priuari, tenebantur Aſiaticis illis ſuam quoque ſubtrahere communionem. Sed hanc ſubtractionem communionis tanquam iniuſtam, & ſacrilegam nihili faciendam eſſe ſciebant Aſiatici, & omnes Eccleſiæ, quæ ab illis ſe noluerant ſeparare. Totamque ſchiſmatis culpam in ipſum Victorem, & Aſiatici ipſi, & Irenæus Lugdunenſis reiiciebant, vt vidimus lib. 4. c. 8. n. 2. 3. & alibi. Sic Cyprianus cũ ſuis ſequacibus in ſuo de baptiſmo hæreticorum errore bona fide, etiam ipſe conſtans perſtitit, retẽta cum reliqua Eccleſia, quam errare tamen putabat, pace, & vnitate charitatis; & Stephanus Romanus, qui ſeparationem totus ſpirabat, tanquam imprudens in ſchiſma ruere fuit à ſapientibus exiſtimatus, vt
a Sulpic. Dial. c. 1. vidimus lib. 4. cap. 8. n. 8. 9. Sic a Sulpitius ſchiſma ingens Alexandrinum, ex nimio Epiſcoporum rigore ortum, repræhendit.

LXXXIII. Fuit hic mos ſane Eccleſiæ perpetuus, vt maxime caueret à ſeparationibus iſtis, quæ ſchiſmata pariunt, niſi ſeparationis cauſa daretur manifeſta, & quæ nullam habere poſſet excuſationem hæreſis cum pertinacia. Obſeruauit hoc Cyprianus
b Aug. ep. 48. (quod etiam laudauit b Auguſtinus) Ait enim il-
c Cypr. l. 4. ep. 2. le: c *Et quidem apud anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtic in prouincia noſtra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt, non tamen à Coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ vnitatem vel duritia, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt, vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur, manente concordiæ vinculo, & perſeuerante Catholicæ Eccleſiæ indiuiduo Sacramento, actum ſuum diſponit, & dirigit vnuſquiſque Epiſcopus, rationem, propoſiti ſui Domino redditurus.*] Controuerſia ſane erat de praxi Eccleſiaſtica, potius quam de dogmate fidei, An mœchi eſſent ad Eccleſiaſticam pœnitentiam admittendi;
d Tertull. lib. de Pudic. negabant id multi: Tertullianus expreſſe, d qui talium irriſit pœnitentiam, nimirum externam, & Eccleſiaſticam. Huiuſmodi igitur praxes, ſeu ritus in libertate Epiſcoporum poſitos tunc eſſe ſciebat Cyprianus, nondum enim Eccleſiaſtici canones vniuerſales vlli dati erant, ac ideo iſtos Epiſcopos merito tolerandos fuiſſe cenſuit; quæ etiam cauſa fuit, cur ipſe cum ſuis hæreticos rebaptizaret, & contra communem vſum Eccleſię omnino rebaptizandos eſſe cenſeret. Solum enim ritum, & praxim conſiderabat, in qua Epiſcopum quemq; plenam habere libertatem toties aſſeruit: De dogmate non ita locutus fuiſſet.

LXXXIV. Auguſtini quoque obſeruatio illa optima eſt, quam ex facto Cypriani pluribus colligit, longiuſcula eſt, ſed digna quæ hic à me tranſcribatur. Ait
e Aug. de bapt. l. 2. c. 4. & 5. igitur: e *Hoc autem facit ſanitas pacis, vt cum diutius aliquæ obſcuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem, diuerſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris. Et ideo plerunque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens, & humilis charitas, in qua fructus maior eſt, comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem, cum in rebus obſcurioribus diuerſa ſentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod ſentiebant declaratum eſſe cognoſcunt. Quorum duorum manifeſtatum tenemus vnum in beato Cypriano, id eſt, quomodo tenuerit vnitatem cum iis, à quibus diuerſum ſentiebat. Ait enim, Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem ſi diuerſum ſenſerit amouentes. Alterum autem, id eſt, quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod ſentiebat inuentam: & ſi literæ tacent, merita clamant: ſi Epiſtola non inuenitur, corona teſtatur, ſi Concilium non indicat Epiſcoporum, conſortium indicat angelorum. Non enim paruum documentum eſt pacatiſſimæ animæ in ea vnitate martyrium meruiſſe, vnde ſe diuerſum ſentiens noluit ſeparare. Homines enim ſumus: vnde aliquid aliter ſapere quam ſe res habet humana tentatio eſt. Nimis autem amando ſententiam ſuam, vel inuidendo melioribus, vſque ad præcidendæ communionis, & condendi ſchiſmatis, vel hæreſis ſacrilegium peruenire, diabolica præſumptio eſt: In nullo autem aliter ſapere quam res ſe habet, angelica perfectio eſt. Quia itaque homines ſumus, ſed ſpe angeli ſumus, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus, quandiu perfectionem angeli non habemus, præſumptionem diaboli non habeamus. Ideo dicit Apoſtolus, Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Humanum eſt ergo aliquid aliter quam ſe res habet ſapere. Propterea dicit alio loco: Quotquot ergo perfecti hoc ſapimus, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoq; vobis Deus reuelabit. Quibus autem reuelat cum voluerit, ſiue in hac vita, ſiue poſt hanc vitam, niſi ambulantibus in via pacis, & in nullam præciſionem deuiantibus? Non quales iſti ſunt qui viam pacis non cognouerunt, nec propter aliud vnitatis vinculum diruperunt. Ideo Apoſtolus cum dixiſſet, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoq; vobis Deus reuelabit: ne putarent præter viam pacis, quod aliter ſapiebant ſibi poſſe reuelari, continuo addidit, verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. In quo ambulans Cyprianus perſeuerantiſſima tolerantia, fuſo ſanguine, ſed in vnitate fuſo, quia ſi traderet corpus ſuum vt arderet, & non haberet charitatem, nihil ei prodeſſet. per martyrij confeſſionem peruenit ad angelicam lucem; vt ſi non antea, ibi certe reuelatum agnoſceret, quod cum aliter ſaperet, ſententiam diuerſæ opinionis vinculo non prepoſuit vnitatis.*]

Eiuſdem cum Auguſtino ſæculi Pater, Baſilius LXXXV.
Seleuciæ breuius, ſed ſenſate eandem habuit con-
f Baſil. Seleuc. de verbi incarn. orat. 1. ſiderationem. f *Ante omnia autem,* inquit, *Eccleſiæ corpus indiuiſum conſeruemus, concordiaq; ſenſum inuiolatum cuſtodiamus. Summa autem opus eſt cautione, ne dum rectam fidem ab iniuria vindicare contendimus, in mutuas iniurias, & inimicitias armemur; adeoq; ſub pietatis obtentu malum aliquod feramus; Ac ne, dum fœda & noxia dogmata acrius perſequimur, ipſi à rectis excidamus; Hoc enim agere aliud nihil eſſet, quam incertum lucrum cum graui damno conſectari, ipſamque veritatem in fraudem adducere.*]

Diſſenſiones porro iſtæ, quandiu ſe continent LXXXVI.
intra ſolum veritatis indagandæ deſiderium & conatum, ſchiſmata parere non poſſunt; Amicę enim, & pacatæ opinionum varietates, in ſchiſmata non erumpunt, ſed pulchram vtilemq; habent Theologicam exercitationem. Vbi vero adſit ſuperbia, adſit ty-

ſit typhus, & arrogantia, vt vni velint omnino ſuperare alios, & ſuam opinionem facere de fide, hinc facile exoriuntur ſæua ſchiſmata, hinc odia fraterna, dum ſuperbia humana nimium de ſe, & de ſuo ingenio præſumentium contradictores hoſtes reputat.

a Hier. in ep. ad Tit. c. 3.

a *Frequenter accidit*, inquit Hieronymus, *vt habeamus pugnas legis, non ob deſiderium veritatis, ſed ob iactantiam gloriæ, dum apud eos qui audiunt, docti volumus exiſtimari; aut certe ex hoc rumuſculo turpia ſectamur lucra. Quid enim prodeſt ſpumantibus labiis, & latratu garrire canum, cum ſimplex, & moderata reſponſio, aut poſſit te placare ſi vera eſt, aut ſi falſa, leniter à te, & placabiliter emendari?*] Ex contentionibus odia pullulant, ex odio ſchiſmata.

b Aug. de Bap. lib. 1. c. 11.

b *Nulli enim*, vt ait Auguſtinus, *ſchiſmata facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur.*] Si tales diſſenſiones & contentiones ſuperbiæ igne accenſæ, & inflammatæ ſchiſmata faciant, illa pars ſchiſmatica erit quæ prior alteri Eccleſiaſticam negauerit communionem, licet prætextum hæreſis obiiciat, quæ dicit ſimul cum illa meretrice, c *Nec mihi nec tibi ſit, ſed diuidatur.*

c 3. Reg. 3. 26.

Nazianzenus enim contentiones, ac diſſidia quæ ſuo tempore inter Epiſcopos etiam orthodoxos ardebant, tanto miſerabiliora deplorabat, quod fidei defenſio ab ambitioſis, & inquietis prætexeretur, & odium ac ſchiſmata pietatis nomine obuelarentur.

d Nazian. orat. 3. de pace.

d *Bellorum finis*, inquit, *non eſt, non iis duntaxat, qui diuerſa ſentiunt, atque in fidei doctrina diſſident (minus enim acerbum id eſſet, ac zelus, res laudabilis, modo intra fines ſuos conſiſtat, id excuſaret) verum in quoque, qui eandem fidem profitentur, atque aduerſus eoſdem, & pro iiſdem conflictantur. Hoc enim illud eſt omnium improbiſſimum, aut maxime miſerandum. Et quæ huic rei cauſa eſt? Dominandi amor fortaſſe, vel opum cupiditas, vel liuor, vel odium, vel ſuperbia, vel aliquid eorum, quibus ne eos quidem, qui Deum nullum putant, laborare conſpicimus. Quodque ſcitum & lepidum eſt, ipſa calculorum inuerſio eſt. Nam cum deprehendimur pii atque orthodoxi ſumus, falſoque ad veritatem confugimus, tanquam pro fide contendentes: idque vnum, vt in malis, laude dignum, imo turpe in primis facimus, quod vitium erubeſcentes, ad ſpecioſum honeſtiuſque nomen, hoc eſt ad pietatem tranſimus.*]

LXXXVII. Ecce habemus apud Nazianzenum TERTIAM quoque inter Catholicos ſchiſmatum CAVSAM, HVMANA nempe CONSILIA, quæ vel ambitio, vel auaritia ſuggerat, vel odium, aliaue animi inordinata perturbatio, quæ tamen ſub larua fidei, & pietatis occultetur. Idem innuit e Irenæus ſupra cap. 4. n. 9. huius.

e Iren. l. 4. c. 63.

Quomodo vero ambitio, vel auaritia ſchiſma tunc faceret, facile eſt intelligere. Inuadebant olim animoſiores Epiſcopi, & humanis fauoribus potentiores aliorum Epiſcoporum ſedes, nobiliores, vel ditiores, quocunque excogitato prætextu, præſertim fidei, alios deprimere, & ſe intrudere conabantur; & ſi non poſſent illos penitus abdicare, diuidebant plebem, ſeditiones excitabant, alterque contra alterum conuenticula congregabant, & Eccleſias ſchiſmate diuiſas detinebant. Hoc ſæpe in Romana Eccleſia ex ambitione, & dominandi libidine factum nemo eſt qui ignoret, & nos ſatis explicauimus lib. 4. cap. 11. n. 58. & ſeqq. Atque hoc ipſum & Iulius Romanus obiecit aliquando Euſebianis.

f Iulius apud Atha. Apol. 2.

f *Oportet*, inquit, *eum cui concredita eſt parua ciuitas in ea, quæ credita eſt, permanere, & nequaquam reiecta concredita, ad eam quæ concredita non eſt tranſuolare.*] Has tamen Eccleſiarum inuaſiones propter ambitionem, & auaritiam factas, ex quibus ſchiſmata orirentur, fuſius deplorauit Chryſoſtomus in hæc verba.

g Chryſ. hom. 11. in ep. ad Eph.

g *Nihil Eccleſiam æque poteſt diuidere, vt ambitio, & amor imperii* Eccleſiaſtici, *& gerendi magiſtratus. --- Morbus eſt ambitionis, & amoris imperii, & gerendi magiſtratus. Neſcitis quid paſſi ſunt Core, Dathan, & Abiron? Num ipſi ſoli? an non etiam ii qui erant cum ipſis? Quid dico? eadem eſt fides, illi quoque ſunt orthodoxi? Cur ergo non ſunt nobiſcum? Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma. Si res illorum recte habent, noſtra male. Si res noſtra bene, res illorum male. Paruuli, inquit, fluctuantes, & qui circumferuntur omni vento. Exiſtimatiſne quæſo ſufficere ſi dicatur quod ſint orthodoxi, pereat autem & intereat Rectorum electio? Et quid iuuat ſi ea non ſit exacta & accurata? Sicut enim pro fide, ita etiam pro hac pugnandum eſt. Nam ſi cuilibet licet ſuas implere manus vt dicebant veteres, & fieri ſacerdotes, accedant omnes, fruſtra fuit hæc ara ædificata, fruſtra eſt plenus Eccleſiæ conuentus, fruſtra eſt ſacerdotum numerus. Ea de medio tollamus, & perdamus.*] Irruebant igitur aliqui in ſacerdotia, & ſeparatim ab ipſo Chryſoſtomo ſuo Epiſcopo colligebant; non electi ad ſacerdotium, non vocati, non ordinati legitime, vt ipſemet paulo poſt explicat. Illi enim conuentus Epiſcopi fugientes, & alios ineuntes, ſe eandem fidem profiteri, eadem magiſteria celebrare aſſeuerabant, & ita ſuam ſeceſſionem excuſabant; Obiicit ille: *ſi eadem ſunt dogmata, ſi eadem myſteria, quanam de cauſa alius Rector aliam inuadit Eccleſiam? --- Vellem vnumquemque eorum, qui vobiſcum in nos vlcerato ſunt animo, & nobis male volunt, & propter hunc ſuum animi dolorem ſeipſos lædunt, & alio vadunt, nobis in ipſa facie plagas infligere, & nudatos flagris cædere, ſiue iure ſiue iniuria accuſet, & iram in nos immittere potius quam ea quæ nunc audent facere.*] *-- Ex iis enim qui hæc faciunt alii quidem aut nunquam accedunt ad ipſam Eccleſiam Matricem, aut ſemel in anno, & tunc temere, & quomodocunque --- qui viſitant, & deſciſcunt. --- Si de nobis vos ſuſpicamini, illegitime nos eſſe electos, parati ſumus cedere regendi munus cui voletis, modo vna ſit Eccleſia. Si nos autem legitime creati ſumus, perſuadete vt deponantur qui ſedes præter leges aſcenderunt. - Dicite quæ vultis, & iuſtam cauſam propter quam receditis, & deſciſcitis, & ego reſpondebo. Sed non dicetis. Vos quoque iam rogo vt ſtrenue inſtetis vt reducatis eos qui receſſerunt, vt vnanimes gratiarum actionem Deo emittamus.*]

LXXXVIII. Hanc eandem ſchiſmatum radicem inſectatus eſt ſæpius Cyprianus. Antequam enim canonibus Eccleſiaſticis, & legibus Principum canones autorizantium, & vindicantium pax & quies Eccleſiarum ſtabiliretur, frequentia hæc erant ſchiſmata per intruſos, & ſedium inuaſores, ac diuiſores: Paſſus eſt à Nouatiano Cornelius Romæ magnam ſchiſmatis moleſtiam, paſſus & Cyprianus à ſuis presbyteris, contra quos illæ ſunt ipſius voces querulæ.

h Cypr. l. 1. ep. 3.

h *Cum hæc tanta ac talia, & multa alia exempla prædicant, quibus ſacerdotalis autoritas & poteſtas, diuina dignatione, firmatur qualeſ putatis eos, qui ſacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis domini comminatione, nec futuri iudicii vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos & ad tempus iudex* vice Chriſti *cogitatur; cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quicquam moueret; nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris nouam hæreſim conderet.*] Vbi non de Romano Pontifice, ſed de ſe ipſo loquitur, quem Feliciſſimus, & Fortunatus eius presbyteri, excitato in eius Eccleſia ſchiſmate, ex ſuperbia, & ambitione contemnebant, vt declaraui lib. 4. cap. 10. num. 74. In eandem ſententiam alio loco hæc habet idem Cyprianus:

a Idem l. 3. ep. 9.

nus: a *Hæc ſunt initia hæreticorum, & ortus, atque conatus ſchiſmaticorum male cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti, & ordinationem atque vnitatem Dei rebellatur.*] Et ad Florentium Papianum, qui ſe ab ipſius communione ſuperbe, & arroganter ſeparauerat, ita ſcribit.

b Ibid. l. 4. ep. 9.

b *Quis autem noſtrum longe eſt ab humanitate, vtrumne ego qui quotidie fratribus ſeruio, & venientes ad Eccleſiam ſingulos benigne, & cum voto, & gaudio ſuſcipio, an tu qui te Epiſcopum Epiſcopi, & iudicem iudicis ad tempus à Deo dati conſtituis, cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat;*

c Deut. 17. 12.

c Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, vt non exaudiat ſacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, &c. — *Vnde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignus hominibus iudicatur? Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad cognitionem ſuam præpoſitos & ſacerdotes vocare; ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, etiam ſex annis, nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec Chriſtus antiſtitem, nec Deus ſacerdotem.*] Et paulo poſt. *Chriſtiani ſunt Eccleſia, & plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Vnde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe, & fruſtra ſibi blandiri eos qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſecredunt, cum Eccleſia quæ Catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neque diuiſa, ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata. Quamobrem frater, ſi maieſtatem Dei, qui ſacerdotes ordinat, & Chriſti cogitaueris: ſi Chriſtum qui arbitrio, & nutu ac præſentia ſua & præpoſitos ipſos, & Eccleſiam cum præpoſitis gubernat, aliquando reſpexeris, ſi de innocentia ſacerdotum non humano odio, ſed diuino iudicio credideris, ſi temeritatis & ſuperbiæ atque inſolentiæ tuæ agere vel ſero pœnitentiam cœperis, ſi Deo & Chriſto eius quibus ſeruio, & quibus puro, & immaculato ore ſacrificia & in perſecutione pariter & in pace indeſinenter offero, pleniſſime ſatisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem.*

d Cypri de ſimpl. Prælat.

[Et alibi: d *hinc hæreſes*, hoc eſt ſectæ ac diuiſiones, *& facta ſunt frequenter & fiunt, dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans, non tenet vnitatem.*]

e Ibid.

Item, e *Et cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conuenticula ſibi diuerſa conſtituunt, veritatis caput* (Eccleſiam Catholicam) *atque originem reliquerunt.*] Item, *Vnus Deus eſt & Chriſtus vnus, Eccleſia eius vna fides vna, & plebs in ſolidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum diſsidio compaginis ſeparari, diuulſis lacerationibus viſceribus in fruſta diſcerpi. Quicquid à matrice diſceſſerit, ſeorſum viuere & ſpirare non poteſt, ſubſtantiam ſalutis amittit.*]

LXXXIX. Hanc ipſam vero puto fuiſſe radicem ſchiſmatis in primitiua Eccleſia Corinthiorum; dum miniſtri aliqui ex vanitate, & ambitione, ſeorſim alij ab aliis ſuas facerent congregationes; vnde alij fideles dicebant.

f 1. Cor. 1. 12.
g 1. Cor. 3. 2. 3.
h 1. Cor. 1. 10.

f *Ego ſum huius*: & alij: *ego illius*. Hinc arguit Paulus illos eſſe g *carnales*: factiones enim illæ & contentiones carnales erant, ex mera vanitate prodeuntes. Ideoque rogat eos Paulus, h *vt idem dicant omnes, & non ſint in ipſis ſchiſmata; ſint autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia*; hoc eſt, non modo in dogmatibus & fide conueniant, ſed etiam in ſententia agibilium in Eccleſia, abſque contentionibus, quæ ſeparant, & diuellunt charitatem,

i Chryſ. in 1. Cor. ho. 3.

i *Non enim erant ſchiſmata*, inquit Chryſoſtomus, *ex eo quod in fide diſsiderent, ſed ex eo quod humana contentione diuiſa eſſet ſententia. — fieri enim poteſt vt intelligentia & cogitatis* quis *conſonet, nequaquam autem ſententia; vt quando eandem habentes fidem non ſumus vniti charitate.*] Loquitur de vnione publica Eccleſiaſtica, in eundem cœtum, per ſummam coniunctionem, in qua vnitas conſiſtit Eccleſiæ. Nam ſola fides non facit Eccleſiam Catholicam; *ſed* k *ſimplex, & verus intellectus*, ait Optatus, *intelligere ſingulare, ac veriſsimum Sacramentum, & vnitas animorum.*] Itaque non eſt nobis hic ſermo de vnione priuata inter ipſos fideles; qui in ciuilibus, & humanis ſolent inter ſe diſſidere, & contendere: hinc enim præciſe Eccleſiaſtica ſchiſmata non oriuntur; charitas etiam illa quæ vnitatem conglutinat Eccleſiæ, charitas eſt publica, per quam omnes cœtus Chriſtianorum inuicem in vna Catholica Eccleſia, abſque diuiſionibus, colliguntur, priuata vero ſingulorum eſt charitas, quando vnuſquiſque proximum ſuum diligit ſicut ſeipſum, propter Deum.

k Optat. lib. 1.

QVARTA CAVSA, ſeu radix ſchiſmatum ſolet eſſe Prælatorum, Eccleſiaſticarumque regularum, hoc eſt, CANONVM CONTEMPTVS. XC.

Tolle ſubordinationem, abſtuliſti etiam ordinem; ſublato vero ordine Reſpublica omnis concidit, confuſio omnia permiſcet, cœtus hominum nulli ſubſiſtunt, hominum ſocietates non erunt ſocietates hominum, ſed luſtra ferarum. Quod ſicut verum eſt in humana politia, ita etiam veriſſimum eſt in Eccleſia: Ecce adhuc viuentibus Apoſtolis inter miniſtros Eccleſiæ, ſine quibus Eccleſia eſſe non poteſt, diſſenſiones, & contentiones in ſchiſmata Corinthi proruunt.

l Epiſtola Ioan. 3. 9.

l Diotrephes etiam de Ioanne Euangeliſta obloquens, primatum ſibi aſſumere nititur. Apoſtoli enim miniſtros omnes quos inſtituebant, vt in Eccleſiis ſacra miniſtrarent, pari ordinaria poteſtate Apoſtolicæ ipſi ordinariæ poteſtati, quæ eſt Epiſcopalis, æquali præditos in Eccleſiis, abſque vlla inter ipſos diſtinctione, collocabant, vt ſumma charitate coniuncti in idem opus miniſteriale ex æquo incumberent. Et quia homines in natura corrupta facile ab illa charitate, & ſumma coniunctione deflectunt, ne reliquæ Eccleſiæ ex miniſtrorum æqualitate Corinthiacum ſchiſma paterentur, ipſimet Apoſtoli à Spiritu ſancto inſtructi ita miniſtros in ſingulis Eccleſiis ordinabant, vt vnus ſolus Apoſtolicæ ordinariæ poteſtati, hoc eſt, Epiſcopali ſuccederet, reliqui ſeptuaginta duorum diſcipulorum duntaxat munus presbyterale haberent; id fuſe probaui libro ſecundo, capite tertio, ſatis ergo ab ipſis Apoſtolis, diuina ſane inſtitutione, vt probat

m Cypr. l. 1. ep. 3.

m Cyprianus, ſingulis particularibus Eccleſiis proſpectum eſt, ne ſchiſmata paterentur, dum omnes miniſtri eiuſdem particularis Eccleſiæ vni Epiſcopo ſubiicerentur, & ſic vnitas Epiſcopi in vna Eccleſia eſſet maximum, humanum tamen, & neceſſarium vinculum Eccleſiaſticæ vnitatis. At proinde ſi quando inuaſores in ſedem irrüperent, vel refractarij plebem diuiderent, & altare contra altare in eadem Eccleſia erigerent, remedium erat paratum, vt legitimo Epiſcopo, qui vnus ſemper fuit, tota Eccleſia illi ſubderetur; aut ſaltem duo vel plures ſimul, & in ſolidum cum pace, & charitate vnitim Eccleſiam gubernarent;

quæ omnia vidimus, & probauimus in præcedentibus. Hoc remedium vnius Epiſcopi in ſingulis Eccleſiis potuit; & poteſt ſingulas ipſas Eccleſias à ſchiſmatibus præſeruare, non tamen potuit, neque poteſt Eccleſias omnes particulares in vnum colligare: Nam ſinguli Epiſcopi cum iure diuino ſint inter ſe æquales, nec ſibi inuicem vlla ſubiectione, prælationeue iuriſdictionali ſubordinati, & quiſque, vt toties dicebat *a* Cyprianus, ſoli Deo eſſet ſui regiminis rationem redditurus, diſſenſiones ſaltem circa agibilia in Eccleſiis potuerunt ſchiſmata parere, & ſæpe ea pepererunt, quibus Eccleſia integra particularis, ab alia integra particulari diuidetur, & conſequenter vnitas Catholicæ Eccleſiæ diſcerperetur.

a Noſtro lib. 2. c. 5. n. 5.

XCI. Huic ingenti malo remedium ipſamet Eccleſia Catholica adhibuit ſingulare, nimirum Hierarchiæ cuiuſdam inſtitutionem, cum reductione aliquot circumuicinorum Epiſcoporum ad vnum Archiepiſcopum Metropolitanum: plurium Metropolitanorum ad vnum Primatem; Plurium Primatum ad vnum Patriarcham; Patriarchas vero voluit Eccleſia eſſe ſupremos, quemque in ſua ditione. Et hoc ex conſuetudine primum paulatim intro ductum eſt, poſtea etiam Conciliis, & canonibus ſtabilitum, vt oſtendi lib. 3. cap. 2. Hæc profecto hierarchica Epiſcoporum inter ſe diſpoſitio, & ſubordinatio, canonica tamen, ad pacem, & vnitatem Eccleſiæ Catholicæ eſt ſumme neceſſaria, & qui ab hac ſubordinatione recedunt, illi facile in ſchiſmatum barathrum incidunt, ſi Epiſcopi canonicam ſuis Metropolitanis, Metropolitani Primatibus, Primates Patriarchis ſubtrahant obedientiam, & canonicas tranſgrediantur ordinationes. Sicut enim verum eſt Eccleſiæ vnitatem ab vnitate vnius Papæ non pendere, vt iam ſuperius probaui, ita veriſſimum quoque eſt vnitatem Eccleſiæ propter modo commemorata pericula à hierarchica illa Eccleſiaſtica ſubordinatione plurimum adiumenti ſemper accepturam: ac proinde Romani Pontifices ſupremum Patriarchatum, ſi ad canonicam reducatur formam, fore Eccleſiaſticæ vnitati valde proficuum. Et hoc eſſe primum toti Eccleſiæ maxime conandum arbitror. Quod ſi hoc pacto per canones veteres regulari Papatus non poſſit, tunc inſtitutionem ſummorum aliorum Patriarcharum illam laudo, quam propoſui lib. 3. cap. 10. n. 42. & ſeqq.

XCII. QVINTA ſchiſmatum CAVSA ſolet eſſe INDISCRETIO AC IMPRVDENTIA, aut etiam TYRANNICA DOMINATIO PRÆLATORVM, ſi iniuſte aut imprudenter reiiciant, damnent, deponant, excommunicent, regant, ac potiſſimum ſi ſuperordinent, id eſt ſi poſthabito ex leui cauſa, inanique ſuſpicione, ac propriæ tantum opinionis amore, vno Epiſcopo, alioquin legitime ordinato, aut ſaltem cuius ordinatio aperte nulla non ſit, ſed ſuis ſit innixa fundamentis, alium, inuite præſertim, aut diuiſe, & ſecundum notabilem partem diſſentienti, ſuperordinent Epiſcopum. Vbi enim ex tali Prælatorum imprudentia & vitio inardeſcunt ſchiſmata, tota eorum cauſa eſt in ipſos Prælatos refundenda, ſed interim diuiſæ plebes, diuiſique Epiſcopi & miniſtri tenentur ad vnionem, quantum in ipſis eſt, ſe reducere. Quam periculoſæ ſint indiſcretæ excommunicationes, & quam facile ſchiſmata illæ pariant, ſatis oſtendi libro quinto, capite nono, numero vndecimo. Damnatio Tyrannica facta per aliquot Epiſcopos, inſtigante Theophilo Alexandrino, Ioannis Chryſoſtomi, & è ſuo throno Conſtatinopolitano facta depoſitio atque eiectio, ingenti ſchiſmati dedit occaſionem. De quo ſic Theodoretus *b* *Iſtud inquam facinus contra Ioannem admiſſum Epiſcopi Europæ, præter cæteros, deteſtati ſunt. Nam ſe à communione illorum, qui illud conſciuerant ſeparauere: quibus totius Illyriæ cuncti ſe adiunxere Epiſcopi. Porro autem quam plurimi Epiſcopi ciuitatum verſus Orientem ſolem ſitarum à facinoris communione ſe ſeiunxerunt quidem, ſed corpus Eccleſiæ minime diſtraxerunt. Quinetiam iſto excellenti totius orbis terræ doctore mortuo, Epiſcopi Occidentis non prius cum Epiſcopis Ægypti, & Orientis, & Boſphori, & Thraciæ communicare voluerunt, quam nomen illius ſanctiſſimi viri in tabulas, quibus nomina Epiſcoporum mortuorum continebantur, retuliſſent. Atque Arſacium eius ſucceſſorem ne ſalutare quidem dignati ſunt. Atticum autem qui ſuccedebat Arſacio, quique ſæpe legatos ad eos miſerat, ſæpeque pacem poſtulauerat, poſtea tandem, cum Ioannis nomen in tabulis inſcripſiſſet, receperunt.*] Et ſimili indiſcretione ab Eccleſiaſticorum procerum typho prodeunte, Audius non multo ante, vir alioquin pius, orthodoxus, & vitia Eccleſiaſticorum acrius reprehendens; coactus eſt diſceſſionem facere. Vi enim expulſus fuit, etiam verberibus male habitus: *c* *Ipſe vero*, vt ſcribit Epiphanius; *non ſuſtinebat ſe expelli, ſed magis enitebatur vt veritatem diceret, & à vinculo minus ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ vnionis non diſcederet.*] Schiſma tamen fecit, valde ingemiſcens; ait Epiphanius, *dum conſiliarium ſibi ſumit iniuriarum neceſſitatem.*] Damnum profecto ingens factum eſt illorum Epiſcoporum culpa, qui illum; quippe vitiorum quibus ipſi ſcatebant reprehenſorem, expulerunt: Nam Gothos ad fidem conuertit, & multa monaſteria erexit, à Catholica tamen Eccleſia diuiſa; errores quoque quoſdam ſchiſmati adidit; quos ſi in Catholica Eccleſia, vt totis viribus nitebatur, manſiſſet, facile correxiſſet. De Tertulliano quoque ſcribit Hieronymus, ipſum inuidia, & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ad Montani dogma delapſum. Et Hieronymus ipſe eiuſdem Cleri Romani inſolentiis, non quidem Eccleſiam deſerere, quia Chriſto ſerio adhærebat, ſed Roma fugam capeſcere coactus fuit, ac Hieroſolymam denuo redire. *d* *Ecce olla*, inquit, *illa, quæ in Hieremia poſt baculum cernitur à facie Aquilonis, cæpit ardere: & Phariſæorum conclamauit ſenatus. & nullus ſcriba, vel fictus, ſed omnis, quaſi indicto ſibi prælio doctrinarum, aduerſum me imperitiæ factio coniurauit. Illico ego velut poſtliminio Hieroſolymam ſum reuerſus.*] Eſt ergo antiquum factionis imperitiæ Romanæ vitium, viros bonos, & doctos perſequi; cogereque vt Eccleſiæ multæ in dies ab ipſa Romana curia deſciſcant. Iuo etiam Carnotenſis; propter indiſcretionem Apoſtolici legati Epiſcopi Lugdunenſis minabatur ſchiſma his verbis. *e* *Si autem petitionibus noſtris non acquieueritis, & aliquod ſchiſma inde fuerit exortum contra votum noſtrum, ſecure dicam, f Neque iniquitas mea, neque peccatum meum; neque vos poteritis dicere, vobis non fuiſſe prædictum.*]

b Theodor. hiſt. li. 5. ca. 34.

c Epiph. hær. 70.

d Hier. præfat. in librum Didymi, de Spir. ſanct.

e Iuo ep. 63.

f Pſ. 58. 5.

Quod ſpectat ad iudicia indiſcreta, ſchiſmata ſecum ferentia, horribile habemus in Eccleſia veteri exemplum ſchiſmatis Luciferiani & Antiocheni. XCIII.
Lucifer enim Calaritanus in Sardinia Epiſcopus, vir ſummæ virtutis, & pietatis, qui pro tuenda fide Catholica contra Arianos plurima paſſus eſt, dum

dum exularet in Oriente ſimul cum magno Euſebio Vercellenſi, cupiens Antiochenæ eccleſię ſchiſmate etiam Catholicorum diuiſæ opem ferre, ex conſilio etiam Euſebii: *a* Antiochiam ſe contulit. Vbi pars Arianorum erat ſub Euzoſo Ariano Epiſcopo, pars vero catholicorum erat diuiſa. Alii enim dicebantur Euſtathiani, qui fidé ab Euſtathio catholico & optimo Epiſcopo perſecutionibus Arianorum inde poſtea eiecto, hauſtam ſeruabāt, & *b* Paulinum presbyterum Ducem in ſpiritualibus ſequebātur. Alii vero à Meletio inſtructi, partim ab Arianis adducti, partim ex Euſtathianis ei adiuncti, Meletiani vocabantur. *c* Euſtathiani enim Meletio viro maxime catholico noluerunt adhærere, quia *d* Ariani illum in eum thronum collocarant; ſed etiam ſane *e* Epiſcopis catholicis concurrentibus & decreto aſſentientibus, & quia fideles ipſius ab ipſo & ab Arianis fuerāt maxima ex parte baptizati; *f* Miſſus vero fuerat Meletius in exilium, quia conſubſtantialitatis erat prædicator, & defenſor: nihilominus tamen grex ipſius ab Arianis ſeiunctus in fide catholica ſe conſeruabat, & ſeorſim congregabatur, ſui Patris Meletii reditum præſtolans; à quibus tamen Euſtathiani eiuſdem penitus fidei abſtinebant. Vt huic ſchiſmati medelam Lucifer afferret venerat Antiochiam & nullam Meletii habens rationem, ex iiſdem fortaſſe cauſis quas modo commemoraui. *g* Ordinauit Paulinum Epiſcopum, parte Meletii in eum nequaquam conſentiente, quæ ſe legitimū Epiſcopum habere Meletium ſciebat, eumque propediem expectabat reuertentem; quia *h* Iulianus Imperator à Conſtantio proſcriptos Epiſcopos, ad ſuas eccleſias redire iuſſerat. Ordinatio itaque Luciferi indiſcreta, ac imprudens ſchiſma Antiochenum non extinxit, ſed ſtabiliuit, ille vero ordinato Paulino diſceſſit.

a Socrat. l. 3. cap 4. Theod. l. 3. c. 4. Sozo. l. 4. cap. 27. Tripart. l. 5. c. 43. *b* Theod. l. 3. c. 5. *c* Socrat. l. 2. c. 34. *d* Sozom. l. 5. c. 12. Socrat. l. 2. c. 34. Tripart. l. 5. c. 47. 48. 49. *e* Theodo. l. 2. c. 11. 12. *f* Theod. l. 2. c. 31. Socrat. l. 2. c. 34. Ruffin. l. 1. c. 24. *g* Theod. l. 3. c. 4. Sozom. l. 4. c. 27. Tripar. l. 5. c. 48. *h* Ruffin. l. 1. c. 27. Theod. l. 3. c. 4. Niceph. l. 11. c. 3.

XCIV. Euſebius Vercellenſis, qui interim cum Athanaſio, & aliis *i* Concilium Alexandrinum celebrarat, ſubſecutus Luciferū *k* venit Antiochiam, Luciferum non inuenit, ſed ſchiſma per ipſum ſatis improuide firmatum, & iam remedium omne humanum reſpuens, animaduertit. Paulini ordinationem approbare non potuit, quippe præpropere, & imprudenter factam, neutri catholicorum parti communicauit, ſed inde totus triſtis receſſit, ac interim Meletius ab exilio reuerſus ſuam plebem regendam ſuſcepit; Lucifer vbi cognouit Euſebium illam ipſius ordinationem non approbare, vehementer ſuccenſuit, *l* ſeque ab eius communione ſeparauit. Imo etiam actis in Concilio Alexandrino (quę tamen orthodoxam contra Arianos firmarant fidem) tantiſper ex iracundia refragatus eſt; quæ tamen quia ipſius legatus approbauit, iiſque eius nomine, & autoritate ſubſcripſerat, denuo admiſit paulo poſt, & approbauit; ſed interim ipſius in hoc ſequaces aliqui in Oriente, contrarii doctrinæ Alexandrinæ ſubſtiterunt, & in ipſis diu manſit hereſis *n*. Luciferiana. At vero Lucifer, licet ab hæreſi ſibi caueret, ſchiſma tamen quod fecerat contra Euſebium iratus, & retinuit, & auxit, dum alio zelo puritatis fidei, ſed indiſcreto ductus, *n* nullos Epiſcopos, qui aliquo modo in Arianiſmū incidiſſent, ad catholicam redeuntes, & orthodoxam amplexos veritatem, recipiendos eſſe ad ſuas dignitates cenſuit, ac proinde cum receptis, ac præſertim cum omnibus illis, qui in Ariminenſi Concilio deluſi, Arianæ hæreſi inſcienter ſubſcripſerant, nullam habere voluit communionem; dicebat enim parum piè, propter iſtos eccleſiam Chriſti *o* factam eſſe lupanar; & hoc fuit ingens ſchiſma Luciferianum, in quo ille etiam infeliciter *p* mortuus eſt, & ſic gloriam omnem quam ex ſua orthodoxia, & tot certaminibus contra Arianos conſecutus fuerat, vt pugil eo tempore inſignis, magnis viris Hoſio, Athanaſio, Hilario duobus Euſebiis Vercellenſi, & Samoſateno; coniunctus obliterauit; Quantum poteſt indiſcretio, ac imprudentia, & nimia de ſe ipſo præſumptio, ac alios facile damnandi libido. Luciferianum ſchiſma iamdiu extinctum, noſtris diebus inter reformatos vt audio, Puritani excitarunt.

i Socrat. l. 3. c. 5. Ruffin. l. 1. c. 28. *k* Theod. l. 3. cap 5. Sozom. l. 5. c. 12. Tripar. l. 6. c. 3. Ruffin l. 1. c. 30. Socrat. l. 3. c. 7. *l* Socra. l. 3. c. 7. Sozom l. 5. c. 12. Tripar l. 6. c. 43. Ruffin. l. 1. c. 30. *m* Tripart. l. 6. c. 43. Theod. l. 3. c. 5. *n* Sulpic. ſac. hiſt. l. 2. Hiero. adverſ. Lucifer. *o* Hieron. ibid. *p* Ruffi. l. 1. c. 30. Ambroſ. orat. in fun. fratris

Hæc vt à me ſunt compendio narrata, ab hiſtoricis eccleſiaſticis antiquis & Patribus ſunt omnibus decantata, imo deplorata; ſolus Baronius noſtris diebus cenſor, & contradictor, ſane ſciolus, inſurrexit: *q* *Caterum*, inquit, *aſſerta cauſa ſchiſmatis & diſſenſionis illius prima inter Euſebium, & Luciferum, quæ à Socrate & Sozomeno, & aliis eos ſecutis aſſeritur, nullatenus probari poteſt; ſiquidem nullo pacto potuit accidiſſe, vt Paulini electionem Euſebius improbaret, quam tum ipſe, tum etiam Athanaſius, ac denique vniuerſa Synodus Alexandrina antea recepiſſent, dum legatos ab eo ad Synodum miſſos ſuſcipere, & eiuſdem Paulini chirographo ipſam ſubſcribi Synodum voluerunt.*] In hoc etiam Ruffinum hallucinatum eſſe noſter ſcribit Annaliſta: profecto vltra modum arrogans, & per ſummam inſcitiam factus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ corruptor intolerabilis; atque hoc ſane paſſim. Hiſtorici veteres omnes vno ore aſſerunt Luciferum ſe ab Euſebii communione ſubtraxiſſe, ex ira; quia ille ordinationem Paulini non approbarat, quod fuit initium malum peioris adhuc ſchiſmatis, vt recenſui; Cur hoc non probat Baronius? *Quia Paulini ordinationem*, inquit, *ipſe Euſebius & Athanaſius in Synodo Alexandrina, admiſſis illius legatis, iam approbarant.* Sed bene ſciebat Baronius Paulinum ordinatum à Lucifero ſtatim ſuos legatos ad Concilium Alexandrinum expediſſe: Ibi illos Alexandrini Patres penitus rerum Antiochenarum ignari, admiſerunt, putantes Luciferum diſſidia illius eccleſiæ tali ordinatione omnia compoſuiſſe. Ideoque Euſebius Vercellenſis, non niſi poſtquam præſens ſuis oculis contrarium inſpexit, factum Luciferi improbauit: Addo neminem eſſe qui contendat ab Euſebio ita improbatam illam ordinationem, vt nullam & irritam eſſe vel declararet, vel etiam cogitaret. Improbauit, hoc eſt, imprudenter factum, præpropere factum, pernicioſe factum, ægre tulit, laudare non potuit, nec approbare. Et hoc pupugit Luciferum. Quia Euſebius noluit communicare cum Paulino; ſed neque communicauit cum Meletio, ne nimium ipſum Luciferum exaſperaret, quamuis videret iniuriam fuiſſe factam Meletio Epiſcopo Catholico, dum in ipſius Eccleſia alius Epiſcopus ei eſt ſuperordinatus. Sed huius rei iudex eſſe noluit Euſebius, ſiquidem nullam ſpem videbat vlli compoſitioni pro eo tempore; per imprudens Luciferi factum, relictam eſſe. XCV.

q Baro. to. 4. an 362. n. 236.

Inſtat Baronius, Romanum Pontificem ratam habuiſſe Paulini electionem. Reſpondeo, hoc nihil ad rem, non enim vlla erat controuerſia, num ordinatio Paulini eſſet legitima, an illegitima, & inualida: Poſtea id in controuerſiam vocatum eſt fauente toto Oriente Meletio contra Paulinum, & è conuerſo Paulinum defendente toto Occidente contra Meletium. Et hinc inde XCVI.

non deerant contra illos procos falſæ etiam criminationes, vt in talibus ſolet fieri. Sed huius loci quæſtio ſola erat, An Lucifer prudenter, & laudabiliter illud fecerit, an vero ſtulte & imprudenter. Addidit ſuo argumento futili etiam illa Baronius: *Quis enim exiſtimare poteſt geſtas res à Lucifero ſchiſmatico firmas potuiſſe conſiſtere, niſi eas Synodus, & Romanus Pontifex recepiſſet?*] Lucifer non erat ſchiſmaticus, quando ordinauit Paulinum; ſed Paulini hæc ſtulte facta ordinario ſchiſma in Antiochena Eccleſia firmauit; ſchiſma inter Luciferum & Euſebium peperit; ſchiſmaticum à tota Eccleſia ſeparatum fecit tandem ipſum Luciferum, ac ferme hæreticum. Quod ſi compoſitis inter ſe catholicis vtriuſque partis Antiochiæ Lucifer vnicum illis ordinaſſet, vel firmaſſet Epiſcopum, ille neque Synodi Alexandrinæ, neque Romani Pontificis, quoad legitime ſuum thronum obtinendum, confirmatione vlla eguiſſet, communionem ſolam cum his omnibus de more eccleſiaſtico, obtinuiſſet. Perturbatis enim Arianorum ingenti procella rebus eccleſiaſticis, pius quilibet, & prudens Epiſcopus catholicus potuit, vbicunque locorum ipſius opera vtilis eſſet, bonum eccleſiæ catholicæ regimen promouere, vt oſtendi lib. 2.

XCVII. Non contentus audaculus ſenex Socratem & Sozomenum fruſtra in hiſtoria, quam præ manibus habemus, reieciſſe, & Ruffinum tanquam hallucinatum cenſorio ſuo, ſed nimium obtuſo ſtylo pupugiſſe, adhuc in hac eadem hiſtoria pergit ineptire. Meletium ex primo exilio ad ſuam Eccleſiam tunc rediiſſe, quando nuper Paulinus fuerat à Lucifero ordinatus, & Euſebius Vercellenſis errorem Luciferi Antiochiæ obſeruarat, & mœſtus inde diſceſſerat, cum omnibus claſſicis hiſtoricis ſupra poſuimus. Sed Baronius ſua ſomnia ſecutus, vt idiotis, qui per tranſennam eius ſcripta legunt, tunc ſapere videatur, quando maxime deſipit, quod omnes antiqui aſſerunt, ille perfricta fronte
a Baro. to. 4. an. 361. n. 239. negat. *a Atque Meletium non rediiſſe Antiochiam, niſi circa exordia Imperii Valentis, id eſt circiter biennio poſt ordinatum Paulinum.* Id iam parum vel nihil ad noſtrum ſpectat inſtitutum; ſed liceat mihi, obſecro pie lector, ad hæc quoque digredi, vt hinc monearis tibi parum admodum fidendum eſſe vaſtis illis Baronii Annalibus, ſicubi aut veram cupias rerum geſtarum Chronographiam, aut tuta documenta quæras, quæ ex rebus geſtis poſſint haberi. Baronius enim ſæpe ſuis per ſomnium diuinationibus, vt toties ego iam in hoc opere obſeruaui, vtitur; ſæpe chronographiam veram per ſummam inſcitiam corrumpit; ſæpiſſime ex factis colligit ea, quæ nullo modo colligi poſſunt. Vniuerſe dicam, Annales illi ſtudioſo homini laborem duntaxar imminuere poſſunt, dum in illis collecta facile eſt cernere, quæ per plurimos libros ſparſa ſunt, quos omnes neque facile eſt cuique obuios habere. Reliqua omnia quæ autor ex ſe interſerit (ea vero plurima ſunt) ſiue illa ſint theologica, ſiue moralia, ſiue eruditoria, ſiue in quocunque dicendi, ſcribendique genere, flocci facienda omnia; ſiquidem iudicia Baronii, aut leuia ſunt, aut imperita, aut deprauata. Firmabo nunc hanc meã cenſuram exemplo huius hiſtoriæ ad ſchiſma Antiochenum pertinentis, in qua miram videbis hominis audaciam cum ſumma inſcitia coniunctam. Vtinam detur mihi aliquando otium, & opportunitas, vt illius colligam lapſus omnes, & turpia errata corrigam. Id enim mihi in votis eſt maxime, ne viri ſapientes illis Annalibus confiſi, claudicanti innexi ipſi quoque in rebus grauioribus claudicent.

Vndenam igitur probat Baronius Meletium nõ XCVIII. veniſſe Antiochiam eo tempore quo hiſtorici illum ab exilio primo rediiſſe communiter omnes aſſerunt? *b quia*, inquit *potius Chryſoſtomo aſſentiendum* b Baro vbi ſupra. *putamus, quippe qui Meletij temporibus vixit.*] Quid vero ait Chryſoſtomus? *Teſtatur*, inquit, *c poſt reditum* c Chryſ. orat. panegyr. in Meletium. *ab exilio non licuiſſe ipſi amplius triginta diebus agere Antiochiæ, ſed impellentibus Valentem Imperatorem hæreticis, iterum ſolum vertere coactum eſſe.*] Atqui bonus Annaliſta hic vel egregie fallitur, vel, quod peius eſt, turpiter fallit. Chryſoſt. (ſi tamẽ illa oratio fide nõ nutat) neque reditum ab exilio ponit, neque Valẽtem nominat. ſide tu huic Annaliſtæ. Chryſoſtomus idem dicit, quod hiſtorici à me ſuperius notati de Meletio retulerunt. Ipſum nimirum d Armenum natione, Epiſcopumque prius in Armenia d Socrat. l. 2. c. 34. Sebaſtenſem, & poſtea in Syria Beræenſem, ad An- Theodor. l. 2. c. 31. tiochenam ſedem ab Arianis, & catholicis Epiſcopis ſimul fuiſſe tranſlatum; ſperabant vero Ariani, quia cum ipſis interdum conſenſerat, illum factionem illam promoturum. Cum tamen ipſe conſubſtantialitatem acriter defenderet, & plurimos ad orthodoxam fidem colligeret. Eudoxius quidem Conſtantinopolitanus Arianus illum ferme ſtatim loco mouit; & paulopoſt iterum reſtituit, ſperans illum in ipſius partes venturum. Sed poſt paucos dies egerunt cum Imperatore Conſtantio vt illum in exilium expelleret, quod & fecit. Atque ab hoc ipſius primo, aut altero iam dicto ingreſſu, vſque ad Conſtantii exilium triginta illos dies numerauit Chryſoſtomus. Iuliano vero Epiſcopos ad ſuas ſedes reſtituente Meletius rediit, Iuliano adhuc regnante, Antiochiam, eo nimirum tempore quo eius reditum ponunt hiſtorici. Et fatetur Chryſoſtomus in eadem oratione poſt hunc primum ab exilio reditum, plures & dies, & annos Meletium Antiochiæ commoratum. Sed de altero ipſius exilio nihil in ea oratione habet Chryſoſtomus. Hoc igitur tempore inter reditum à primo exilio, & alterum per Valentem irrogatum exiliũ, quod tempus fuit aliquot annorum, contigit caſus de filio ſacerdotis Idolorum per mulierem quandam ad fidem conuerſi, & Meletio traditi. Ac propterea fallitur ipſe Baronius plurimum dum falli ait e Theodoretum illam hiſtoriam ſcribentem. e Theod. l. 3. c. 13.

Videamus, rogo, chronologiam hanc rudem & XCIX. craſſam Baronii, num ſibi conſtet. Dicet primum Baronius Meletii reditum ex primo exilio contigiſſe in exordio imperii Valentis, & tunc poſt triginta dies, impellentibus hæreticis Valentem, iterum ſolum vertere fuiſſe coactum. f Poſtea nititur f Baro. to. 4. an. 470. n. 61. & ſeqq. probare Valentem non veniſſe Antiochiam niſi ſeptimo ſui imperii anno, & tunc fatetur, non vero prius, fuiſſe Meletium à Valente pulſum in exilium. poſt primum igitur reditum ab exilio moratus eſt Meletius Antiochiæ non 30. diebus, ſed ſeptem circiter annis, & hoc ipſo Baronio probante; Præterea agnoſcit g Baronius Meletium Antio- g Ibid. an. 363. n. 145. chiæ celebraſſe Concilium, tempore Iouiani Imperatoris, quomodo ergo poſt reditum à primo exilio nõ dantur ei niſi 30. dies Antiochenæ manſionis? & quomodo reditus à primo exilio eſſe poteſt ad exordium Imperii Valentis, ſi ſub Iouiano celebrat concilium Antiochenum? Reditus ergo fuit ſub Iuliano, & Concilium ſub Iouiano, & expulſio ſecunda per Valentem, fuit anno circiter ſexto Valentis: Eo enim anno primum veniſſe Antiochiam

tiochiam Valentem, colligitur ſatis ex Marcellino. Ad hæc tria exilia *a* Baronius Meletium paſſum, more ſuo ſomnians, affirmat. Vnum à Conſtantio, alterum à Iuliano: tertium à Valente: quæ ſi vera ſint: profectò reditus à primo exilio non potuit eſſe ad initia Valentis, ſiquidem poſt 30. dies in tertium exilium eſt à Valente actus, ex ſententia Baronij. Fallitur tamen, quia Iulianus nullum Epiſcopum exilio mulctauit, imò omnes exulantes reſtituit. Nam Sozomenus de Valente ſcribens hæc habet *b Quia etiam ſingulis cuiuſque gentis Magiſtratibus dedit mandatum vt Epiſcopi temporibus Conſtantii abdicati, & iterum regnante Iuliano ad ſacerdotia ſua reſtituti, Eccleſiis expellerentur.*] Igitur Iulianus reſtituerat Epiſcopos, & neminem expulerat. Sed hoc mandatum non inuenio executionem tunc habuiſſe. Nititur vero Baronius cuidam Nyſſeni dicto. Sed Nyſſenus dum ait *c* Meletium in tribus incurſionum tentationibus decertaſſe, non ſignificat ter exilium paſſum, trina vero tentatio fuit, quia primum ab Eudoxio, vt ego in mea nunc poſui narratione à ſede fuit proſcriptus. Deinde paulo poſt à Conſtantio eiectus. Tertio demum à Valente iuſſus eſt exulare. Sed Baronio mos eſt propriis commentis ſuos annales conſarcinare, & ex puerilibus coniecturis ingentes aſſertionum moles erigere, quibus cum hiſtoriæ non reſpondeant imo refragentur, tunc Hiſtorici ei vel hallucinantur vel doloſi ſunt, & fraudulenti, O arrogantiam intolerabilem.

a Baro. to. 4. an. 381. n. 40.
b Soz. lib. 6 c. 12.
c Nyſ. orat. in fun. Meletii.

C. A ſchiſmate Antiocheno non diuertam, in quo tractando hæc omnia peccat Baronius. *d* Meletium ſede Antiochena priuatum, indignatoſque fuiſſe Orientales Paulino, quia indigne ferebant Meletium ignominioſe ſede priuari, eccleſiaſtico nempe iudicio, plane ſomniat, cuius priuationis nullum profert documentum, nullum teſtimonium, eſt enim falſiſſima, & merum Baronii figmentum. Sed ideo hallucinatur miſer, quantum ego conijcio, quia ſupponit duos Epiſcopos in eadem eccleſia abſolute, & nulla ex cauſa poſſe legitime ſimul eſſe. Cum vero Paulini communionem tenerent occidentales, putauit conſequenter illos Meletium exploſiſſe. Et hoc falſum eſt. Non enim Occidentales, imo ne pii quidem Orientales pluralitatem Epiſcoporum Antiochenorum impugnabant: ſed æque ferebant quod illi ſchiſmate inter ſe diuiſi, ſchiſmate etiam, atque eccleſiaſtica communione, eccleſiam illam diuiſam tenerent; & remedium quod quærebant non conſiſtebat in firmando vno Epiſcopo, & altero abdicando; ſed in iis ad concordiam & pacem eccleſiaſticamque vnionem reuocandis; vt ſimul, & in ſolidum pacifice, coniunctis animis, plebem ſimiliter coniunctam tegerent, quouſque per obitum naturalem ad vnitatem Paſtoris deueniretur. Atque hoc eſt quod proponebat *e* Meletius Paulino, ſed ille ſurda hæc aure audiebat, vt mox videbimus.

d Baro. to. 4. an. 372. n. 1. 2.
e Theodo. l. 5. c. 3.

CI. Dato per Gratianum Imperatorem edicto, per quod Epiſcopi orthodoxi à Valente proſcripti, qui cum Damaſo communicarunt, in ſuas ſedes reſtituebantur, *f* Meletius ad ſuas oues quæ ipſum expectabant Antiochiam rediit, in fide enim catholica cum Damaſo Romano conſentiebat, nam conſubſtantialitatem propugnabat, & ideo exiliorum incommoda paſſus erat, ei etiam Euzoij Ariani mortui pars adhæſit; charitatis tamen amicus & vnionis cupidus, hoſtiſque diſſidiorum Paulino compoſitionem illam fruſtra proponebat. Et ſane Dux Sapores ab Imperatore Gratiano Antiochiam ad eam Eccleſiam ſedandam miſſus, Meletium in ſede confirmauit, relicto etiam Paulino, vt ſuæ partis prælaturam haberet. *g* Apollinaris vero Laodicenus hæreticus, qui etiam ſe Antiochenum tertium Epiſcopum fecerat, & Valenti ſuo ſequaci manus impoſuerat, ab eccleſiæ Antiochenæ adminiſtratione eſt repulſus. Hic iam Baronius ne Meletium efferat, ac ne Paulini duram proteruiam cogatur agnoſcere, in Theodoretum Patrem præſtantiſſimum ſtulte ac imperite *h* inuehitur, mendacem, falſatorem, & ſtropharum autorem facit imprudentiſſime. Ac primum de more ſuo neſcio quod Concilium Antiochenum confingit, in quo ſedatum fuerit ſchiſma Antiochenum per compoſitionem inter Meletium & Paulinum, ab ipſo Concilio inuentam, & datam. Cuius Concilii mentionem Theodoretum queritur non feciſſe, ſiue ex ignoratione, ſiue ex diſſimulatione. Atq; hoc quidem Baronius parum ſapide: Nam de compoſitione à me inferius explicanda, egerunt non ſolus Theodoretus, ſed præterea etiam Socrates, & Sozomenus, atque ex his Caſſiodorus in ſua Tripartita, locis iam à me citatis, & nullus horum Concilium illud agnoſcit, aut commemorat. Eſto vero fuerit aliquod Concilium circa hæc tempora Antiochiæ celebratum; quod ex Surii multis quiſquiliis colligit Baronius, ex quadam Gregorii Nyſſeni epiſtola ad Olympium Monachum: probet tamen in hoc Concilio de ſchiſmate inueterato Antiocheno, & de compoſitione illius actum eſſe aliquid, aut confectum. Nihil affert, paucula quæ ei Concilio tribuenda putat, ſunt de fide Trinitatis tunc ab Arianis impugnatæ, nihil de ſchiſmate. Potuit ergo Concilium aliquod his temporibus Antiochiæ pro fide celebrari, ſed in eo de ſchiſmate nihil actum conſtat, ſiquidem hiſtorici Concilium in hoc negotio nullum agnoſcunt; ſed Baronius habet poteſtatem ex vaticano ferrum cum teſta in vnum permiſcere.

f Socr. l. 5. c. 5. Soz. l. 7. c. 3. Tripar. l. 9. c. 2. Theod. l. 5. c. 3.
g Theod. lib. 5. c. 4.
h Baro. to. 4. an. 378. n. 39. & ſeqq.

CII. Quod vero contendit compoſitionem Antiochenam per Concilium factam vniuiſſe Meletium cum Paulino, ita vt dum viuerent eſſent vnitim collegæ in ea Eccleſia adminiſtranda; quippe cum Sapores inuenerit Paulinum Damaſo communicantem, & ex edicto Gratiani non potuerit illum abdicare, quod etiam Socratem ac Sozomenum licet Nouatianos, potius in hoc ſequendos, quam Theodoretum putat, errat grauiſſime, & ſumma hiſtoriarum ignoratione laborat. Nam Theodoretus à Socrate & Sozomeno nihil in re diſcrepat, ſed aliquanto clarius, & plenius idem factum narrat, quod ſic ſe habet. Beneficio edicti Gratiani Meletius, quippe conſcius ſuæ orthodoxiæ, & paratus propterea cum Damaſo communicare, Antiochiam rediit, & dum Sapores quærit cui eccleſiam illam confirmet, inuenit modum trium Epiſcoporum Damaſi fidem ſe profiteri atteſtantium; Paulinum, Meletium, & Apollinarem. Flauianus tunc presbyter catholicus appoſuit Paulino hæreſim, quod tres perſonas non aſſereret. Apollinari quoque ſuas exprobauit hæreſes; erat tūc inter catholicos ipſos res maxime controuerſa vtrum in Trinitate tres *i* hypoſtaſes dici deberent. Nam nomen Hypoſtaſis erat ambiguum & periculoſū, neq; erant hęretici illi, qui tres hypoſtaſes dicere non audebant. Non puto itaq; Flauiani obiectionē factā Paulino eccleſiam totalē ei abſtuliſſe: Si enim Sapores obiectionē illā admiſiſſet, profecto ſicut penitus Apollinarē vere hæreticū abiecit,

i Hiero. ad Damaſum ep. 58.

ita

ita Paulinum quoque abieciſſet, ſi illum hæreticum eſſe, & cum Damaſo orthodoxo non ſentire plane cognouiſſet; & tamen abiectus non fuit. Sapores igitur cum videret & Meletium & Paulinum cum Damaſo ſentire, & conſubſtantialitatem filii tueri, ac vtrunque ſuos fideles, & ſane orthodoxos non paucos habere, perplexus erat. Decretum enim Principis erat, vt orthodoxi omnes cum Damaſo communicantes in ſuas ſedes reſtituerentur; ipſe vero Sapores Iudex non erat, vtri illa ſedes magis deberetur, cum vterque eſſet orthodoxus. Hoc Meletius perſpiciens, non vrſit Flauianam obiectionem aduerſus Paulinum, vt ſic eum excluderet, & ſe ſtabiliret; Sciebat enim Paulinum à Damaſo non diſſentire, aut ſaltem cum mitiſſimus eſſet, noluit contendere. Et quidem Meletiana pars proponebat vnionem, vt Meletius in regimine illius Eccleſiæ eſſet Paulino conſors, & Meletius ipſe Paulinum humaniſſime allocutus, concordiam, & vnitatem in regenda illa eccleſia poſtulauit. Sed Pauliniani, & Paulinus ipſe omnino reſtiterunt, & Meletium reſpuebant eo nomine duntaxat, quod ab Arianis fuiſſet in ea ſede primum collocatus, & hoc nihil erat, nam etiam orthodoxi Patres conſenſerant, qui omnes in Oriente cum ipſo amiciſſime communicabant. Nam & Felix Romanus fuerat non multo ante ab Arianis ordinatus, vt alias *a* vidimus, neque id ei obfuit, quin eſſet legitimus Romanæ Eccleſiæ Pontifex.

a Hoc opere lib 4. c.11.n 46.

CIII. Itaque Meletius in eam concordiam conſentiens eam Paulino proponebat, ſed cum Paulinus collegam habere nullo modo voluit; atque inde tumultus ingentes ſunt in plebe excitati, dum quæque pars ſuum mordicus retinet Pontificem, & Meletiani quidem vi ſibi agendum eſſe iam ſtatuebant, vt tamen tumultus ſedarentur, illud Conſilii Meletio autore, initũ eſt, vt præcipui presbyteri catholici illius Eccleſiæ, ad quorum vnum Epiſcopatus ille peruenire debebat (erant autem ſex, numerato etiam Flauiano) iuramento obſtringerentur, neminem ipſorum ſedem illam accepturum, niſi poſt obitum vtriuſque, Meletii nimirum & Paulini, quorum alter, mortuo altero, ſolus totam eccleſiam gubernaret. Atque hac facta & iurata compoſitione, populi quidem tumultus ceſſauit, ſed tamen Paulinus nunquam in Meletii ſocietatem conſenſit, neque cum collegam habere vnquam paſſus eſt: & compoſitio illa populum concordauit, non Epiſcopos, renitente Paulino, & Luciferianis, qui Meletium nullo modo admittendum ad eam ſedem putabant. Hinc motus Sapores, cum Paulini videret pertinaciam, eccleſias Meletio confirmauit; hoc eſt Meletium eſſe Epiſcopum Antiochenum principalem declarauit, & conſequenter omnium orientalium Eccleſiarum Patriarcham. Paulinum vero permiſit eſſe illius ſolius particulæ Antiochenæ plebis Epiſcopum, quæ illum ſequebatur. Hæc ſane eſt omnium communis narratio, ſic à me explicata, vt facile lectori patebit, dum citatos leget attente hiſtoricos. Et hæc compoſitio, ad ſedandam plebem, non ab vllo Concilio, non vlla Romani Pontificis autoritate, (quæ ſunt commenta Baronii) facta eſt, ſed per ipſoſmet Eccleſiæ Antiochenæ miniſtros, & Meletio præſertim autore; Paulino tamen nunquam in eam conſentiente; ea nihilominus tamen plurimum profuit ad tumultus illos illius populi pacandos: ſed mortuo Meletio executionem res non habuit, culpa Paulini, qui illi ſtare noluerat compoſitioni, ne Meletium interim collegam haberet, Qui ſane Meletius, plene declaratus à Sapore Imperiali authoritate Antiochenus Epiſcopus, totam illam prouinciam, imo Patriarchatum plene ſolus rexit, & adminiſtrauit; abſque vllo Paulini conſortio, vt patet ex hiſtoriis: Fruſtra itaque queritur *b* Baronius Theodoretum ex liuore aliquo ſoli Meletio multa tribuere, quæ cum collega Paulino facta fuiſſe ipſe ſomnians comminiſcitur, gratis, & abſque vlla probatione.

b Baro. to. 4. an. 378. n. 55.

Summa quoque eſt illa Baronii leuitas, dum in Theodoretum virum grauiſſimum, ac ſummæ in eccleſia autoritatis, abſque vlla prorſus cauſa excandeſcens, audacter nimium, imo procaciter *c* inſurgit, vtcunque ſe ignominiam patris non reuelare excuſet, tanquam in hominem ex affectione in Flauianum, cuius partes ſit ſecutus, non ſincere facta Antiochena narrantem; imo & titulos literarum Damaſi falſificantem, vt quæ fuerunt ad Paulinum Antiochenum perſcriptæ, ipſe illas fecerit ad Paulinum Theſſalonicenſem datas. *Quod enim ſciret* inquit, *ex literis Synodiis Damaſi ad Paulinum de fide Catholica ſcriptis, manifeſte probari mutuam inter eos communionem, ac proinde aduerſariæ partis cauſam infirmari; quid indignum quouis Chriſtiano homine, nedum catholico Epiſcopo auſus eſt perpetrare? Dicere cogor inuitus, dicam tamen ſtudio veritatis, cui tantum, abſque aliqua priuata affectione ex inſtituto deuinctor.* Hæc ille præfatur, & in margine poſuit, *Theodoreti ſtropha detegitur.* Sic vaniloquus ſenex, procul dubio per ſummam inſcitiam, & intolerabilem audaciam delirans. Theodoretus nunquam Paulinum eſt inſectatus, nunquam cauſatus eſt, ipſum cum Damaſo non communicaſſe: Nunquam aut Meletius, aut Flauianus iam factus Epiſcopus Meletio poſt eius obitum ſubſtitutus ſuam cauſam eo nomine defenderunt, quod Paulinus Damaſo non communicarit, Quid ergo opus erat ſtrophis? Paulinum duntaxat imprudentiæ accuſarunt, quod noluerit cum Meletio pacifice componere, & vnitim eccleſiam regere, hoc enim ſolo nomine Meletio ſoli fuit ſumma illius Epiſcopatus commiſſi, relicta ſua Paulino dum viueret portiuncula. Cauſa Meletii, cauſa Flauiani ſtrophis non indiguit; nam quantumuis eſſet catholicus Paulinus, quantumuis cum Damaſo communicaret, Meletius ei, vt pacificus magis, magiſque diſcretus, catholicus pariter & ipſe & Damaſo communicans, fuit in totali illa ſede prælatus, quia ſocium Paulinus ex æquo Meletium noluit habere. An vero illæ Damaſi literæ ad Paulinum Antiochenum, an ad Paulinum Theſſalonicenſem fuerint ſcriptæ, nihil ad rem: Hiſtorici diſcordant. Theodoretus eas ad Theſſalonicenſem datas reperit; ſed hinc ille non negauit Paulinum Antiochenum cum Damaſo communicaſſe. De his hactenus. Des veniam, lector, quod tantillum diuerterim, iuſta hæc in Baronium cenſura mihi non fuit omittenda, vt quiſque caute annales illos legat, innumeris profecto locis, hiſce, ac ſimilibus modis indignis, ab autore corruptos. Sed neque tota extra meum eſt inſtitutum, nam ex quinta ſchiſmatum cauſa (conſideramus enim hoc loco, vndenam ſchiſmata eccleſiaſtica oriantur) non modo Lucifer magno ſchiſmati amplam dedit occaſionem Antiochiæ, in Paulino ordinando, ſed etiam Paulinus ipſe ſua indiſcretione & præpoſtero zelo, ne ſchiſma illud finem acciperet, ac penitus comprimeretur, impediuit; in quo non fuit ille quidem hæreticus Arianus, aut Sabellianus, ſed fuit profecto ſchiſmaticus Luciferianus, ſui ordinatoris morbo infectus, dum Meletium

c Baron. ib. n. 40. & an. 389. n. 67.

CIV.

fortaſſe ex Ariano olim factum catholicum; ad gradum dignitatis Eccleſiaſticæ non cenſuit admittendum; *quorum admiſſio a diſplicuit Lucifero*, vt ait

a Aug. ep. 50. Auguſtinus *quia factum eſt in eis ſuſcipiendis atq; ſanandis qui veneno perierant Ariano; & cui diſplicuit in tenebras cecidit ſchiſmatis. amiſſo lumine charitatis.*] Talis vero fuit Paulinus, vt probaui, qualis Lucifer ipſius ordinator.

CV. Sexta & vltima cavsa, quæ mihi occurrat ſchiſmatum, ſunt externi ritvs divini cvltvs, in quibus etſi vniformitas pulchra eſt in eccleſia, illa tamen neceſſaria non eſt. Ritus enim cum ſit humanæ traditiones, non diuina lex, eccleſiæ variæ variis externis ritibus deuotionem internam promouere voluerunt; eſt igitur ſumma ſtultitia velle ad eoſdem ritus omnes cogere, cum aliqui quantum aliis proſunt, tantum aliis etiam obſunt: maior vero adhuc ſtultitia erit à cõmunione eorum diuelli, qui in ritibus non conſenſerint. Propter Paſchalem ſolennitatem in ipſa Chriſtianæ eccleſiæ iuuentute acerrima diſſidia grauiſſimo ſchiſmati aditum ferme aperuerunt.

b Soz. l. 7. c. 19. De quo præclare hæc ſcripſit Sozom. b *Atq; hæ quidem exiterunt circa hoc feſtum diuerſitates, ſapientiſſime autem arbitror ſoluiſſe ſubortam de eo controuerſiam Victorem tunc temporis Romæ Epiſcopum, & Polycarpum Smyrnenſem. Etenim cum Occidentis ſacerdotes traditionem Petri & Pauli non eſſe contemnendam arbitrarentur & Aſiani ſe Ioannem Euangeliſtam ſequi affirmarent, decreto in communione ſancito ſinguli vt conſueuerant feſtum celebrantes, à mutua inter ſe communione non receſſerunt: Friuolum enim, & quidem merito, iudicarunt, conſuetudinis gratia à ſe mutuo ſegregari eos, qui præcipuis Religionis capitibus conſentirent. Neq; enim eaſdem traditiones per omnia ſimiles, in omnibus eccleſiis quamuis inter ſe conſentiant, reperire poſſis.*] Narratque aliquot rituum diuerſitates citra vllum vnitatis diſcrimen. Peius eſt ab omni ritu abhorrere, & ab aliis eccleſiis ſe ſeparare, in quibus legitimi ritus retinentur. De ritibus ego nonnulla dicam capite huius libri poſtremo, & plura lib. 8. proxime ſequenti.

CVI. Quam graue malum in ſe, quamque eccleſiæ pernicioſum ſit ſchiſma iam paucis percurrendum eſt.

c Cypr. de ſimpl. prael. 1. Aufert homni Dei filiationem: c *Non enim Deum poteſt habere Patrem, qui eccleſiam non habet matrem*, vt optime dixit Cyprianus; & ideo mortuus

d Ioan. 11. 52. eſt Chriſtus d vt filios Dei qui diſperſi erant congregaret in vnum. Iam igitur qui in hac congregatione non ſunt, filii Dei non ſunt.

CVII. 2. Separat à corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, & qui non ſunt in corpore Chriſti, membra Chriſti non ſunt ac proinde caput ipſorũ non eſt Chriſtus, neque in eos influit ſpiritum ſuum, & dona ſua, vt cum Auguſtino & Gregorio contendimus lib. 1. c. 1. n. 5. 6. Sunt igitur membra putrida, & iam

e Ezec. 15. 3. f Aug. ep. 50. reſecta: ſunt e palmites à vite abſciſſi, nulli vſui, niſi igni apti, f *Non enim poteſt eſſe particeps diuinæ charitatis, qui eſt hoſtis vnitatis* vt ait Auguſtinus.

CVIII. 3. Omnium bonorum ſpiritualium iacturam

g 1. Cor. 13. 1. fert ſecum. Ait enim ipſe Apoſtolus: g *Si linguis hominum loquar & Angelorum. &c.— charitatem autem*

h Aug. de bapt. l. 1. c. 9. *non habeam. nihil ſum, nihil mihi prodeſt, &c.* Monet ſapienter ſchiſmaticos Auguſtinus, vbi ait, h *Videant quam multa, & quam magna nihil proſint, ſi vnum quidem defuerit & videant quid ſit ipſum vnum. Nec me in hoc audiant, ſed Apoſtolum. Si linguis, inquit, hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æramentum ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & ſecreta omnia ſciuero, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Quid ergo eis prodeſt ſi linguam in ſacris myſteriis habeant angelicam, & prophetiam quemadmodum Caiphas & Saul, vt aliquando prophetent, quos fuiſſe damnabiles ſancta Scriptura teſtatur. Si ſacramenta non tantum ſciant ſed & habeant, ſicut habuit Simon Magus: ſi fidem ſicut dæmonia confeſſa ſunt Chriſtum: neque enim non credebant cum dicerent, Quid nobis eſt & tibi Fili Dei? Scimus qui ſis: ſi diſpertiant ipſi etiam ſubſtantiam ſuam pauperibus, ſicut multi non ſolum in catholica, ſed in diuerſis hæreſibus faciunt: ſi aliqua ingruente perſecutione tradant ad flammas nobiſcum corpus ſuum pro fide quam pariter confitentur: tamen quia ſeparatim hæc agunt, non ſufferentes inuicem in dilectione, neque ſtudentes ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus quæ nihil eis proſunt, ad æternam ſalutem peruenire non poſſunt.*]

Item: i *ſine vnitate ſpiritus in vinculo pacis, nemo poterit videre* Devm, *& charitatem, quæ ſicut ſcriptum eſt, cooperit multitudinem peccatorum. Quod tam magnum bonum, ſine quo nec linguas hominum, & angelorum, nec ſcientiam omnium ſacramentorum, nec prophetiam, nec tantam fidem qua montes transferantur, nec omnia quæ poſſidet homo diſtributa pauperibus, nec corporis in ignibus paſſionem prodeſſe aliquid, Apoſtolus teſtis eſt.*] i Idem ep. 50.

CIX. In eandem ſententiam hæc habet Chryſoſtomus totus admirabundus, k *Dixit autem vir quidam ſanctus quiddam quod magnum præ ſe fert audaciam, ſed tamen eſt elocutus. Quid hoc eſt autem? Dixit ne ſanguinem quidem martyrii poſſe delere hoc peccatum. Nam dic mihi quamnam ob cauſam es martyr? an non propter Chriſti gloriam: Qui pro Chriſto animam prodegiſti, quid populares Eccleſiam, pro qua Chriſtus ſuam profudit animam? Audi Paulum dicentem, Non ſum dignus vocari Apoſtolus, qui perſecutus ſum eccleſiam Dei, & eam ſum depopulatus. Non eſt hoc minus damnum quam quod affertur ab inimicis, ſed multo maius. Nam illud quidem eam efficit clariorem: hoc autem etiam apud inimicos eam probro ac dedecore afficit, quando ſui filii eam bello appetunt. Videtur enim magnum eſſe fraudis indicium apud eos, quod qui in ea ſunt nati & educati, & eius arcana exacte didicerunt, ii repente mutati, tanquam inimici in eam ſunt affecti.*] Hic vir ſanctus eſt Cyprianus. Ille enim ſæpius hoc clariſſime expreſſit, ne martyrium quidem ſchiſmatico quicquam prodeſſe. Audiamus illum. k Chryſ. in ep. ad Eph. hom. 11.

CX. l *Inimicus & hoſtis eccleſiæ quos alienauit ab eccleſia, & foras duxit, vt captiuos & victor contemnit, & præterit: eos pergit laceſſere, in quibus Chriſtum cernit habitare. Quanquam & ſi aliquis ex talibus fuerit apprehenſus, non eſt quod ſibi quaſi in confeſſione nominis blandiatur, cum conſtet ſi occiſi eiuſmodi extra Eccleſiam fuerint fidei coronam non eſſe, ſed pœnam potius eſſe perfidiæ, nec in domo* Dei *inter vnanimes habitaturos eſſe, quos videmus de pacifica & diuina domo furore diſcordiæ receſſiſſe.*] Idem, m *Et ſi occiſus propter nomen Chriſti poſtmodum fuerit extra Eccleſiam conſtitutus, & ab vnitate atque charitate diuiſus; coronari in morte non poterit.*] Item, n *Apoſtatæ vero, & deſertores, vel aduerſarii, & hoſtes & Chriſti Eccleſiam diſſipantes; nec ſi occiſi pro nomine foris fuerint admitti, ſecundum Apoſtolum poſſunt ad Eccleſiæ pacem. quando nec ſpiritus, nec eccleſiæ receſſerint.* Idem, hęc quoq; habet. o *Et tamen neque hoc baptiſma hæreticis prodeſt, quamuis Chriſtum confeſſi, & extra eccleſiam fuerint occiſi, niſi hæreticorum patroni, & aduocati hæreticos in falſa confeſſione Chriſti interfectos, martyres prædicant, & contra Apoſtolicam teſtationem, qui nihil eos, quamuis exuſtos & occiſos, dicit poſſe proficere, gloriam eis & coronam paſſionis aſſignant.*]

l Cypr. l. 1. ep. 1. m Ibid. l. 4. ep. 2. n Ibid. o Idem ad Iubaianũ.

a Idem de ſimpl. Prælat. Item de ſchiſmaticis in ſpecie. a *Tales, inquit, etiam ſi occiſi in confeſſione nominis fuerint; macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur. Eſſe martyr non poteſt, qui in eccleſia non eſt, ad regnum peruenire non poterit; qui eam quæ regnatura eſt dereliquerit. Pacē nobis Chriſtus dedit, concordes atq; vnanimes eſſe præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atq; inuiolata ſeruari mandauit, exhibere ſe nō poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & conteſtatur Paulus Apoſtolus dicens, & ſi habuero fidem ita vt montes transferam.*] Et paulo poſt ibidē: *Ille ſchiſmaticus tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſuis delictis placens, à matre filios ſegregat, oues à Paſtore ſollicitat. Dei ſacramenta diſturbat. Et cum lapſus ſemel peccauerit, ille quotidie peccat.*] Item: *Si extra eccleſiam fuerit*

b Idem de orat. Dominica. *occiſus, ad eccleſiæ non poteſt præmia peruenire.*] Item, b *Cæterum diſcordans, & diſſidens & pacem cum fratribus non habens, ſecundum quod beatus Apoſtolus, & Scriptura ſancta teſtatur, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimen diſſenſionis poterit euadere, quia ſicut ſcriptum eſt: Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt, nec ad regnum cælorum peruenit, vt cum Deo viuat homicida. Non poteſt eſſe cum Chriſto, qui imitator Iudæ maluit eſſe quam Chriſti. Quale dictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? Quale crimen eſt quod martyrio non poteſt expiari.*]

CXI. 4. Schiſma eſt eccleſiæ deſtructiuum: nam vox

c Luc. 11. 17 Chriſti eſt. c *Omne regnum contra ſe diuiſum, deſolabitur*, Et Pauli, d *Videte ne dum inuicem mordetis inuicem*

d Gal. 5. 15. *conſumamini.* Atque hoc ſcelus deſtruendi eccleſiam poſſe eſſe illud peccatum in ſpiritum ſanctum quod Chriſtus Matt. 12. 31. dixit, *non remitti neque in hoc ſeculo, nec in futuro* probat Ambroſius hoc pacto.

e S. Ambro. de pænit. l. 1. c. 4. e *Eos quoq; aſſerit, diabolico vti ſpiritu, qui ſepararent eccleſiam Dei, & omnium temporum hæreticos, & ſchiſmaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat: quod omne peccatum circa ſingulos eſt, hoc in vniuerſos. Soli enim ſunt qui volunt ſoluere Chriſti gratiam, qui eccleſiæ membra diſcerpunt, propter quam paſſus eſt Dominus Ieſus, Spiritusq; ſanctus datus eſt nobis. Deniq; vt ſciatis quia de diſperſoribus dicit, ſic habemus ſcriptum: Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Et vt ſciremus de his dictum, ſtatim ſubiunxit. Ideo dico vobis, omnis peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur hominibus. Cum dicit, Ideo dico vobis nonne euidenter hoc præ cæteris à nobis intelligi voluit? Meritoq; adiunxit: Arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Congregatio enim mala bonum facere fructum non poteſt. Arbor itaque congregatio eſt, fructus boni arboris, filii eccleſiæ ſunt. Et ideo reuertimini ad eccleſiam, ſi qui vos ſeparaſtis impie.*] Sic meretrix illa peſſima malebat infantem non eſſe, quam illum ſinu propriæ matris excipi, quem tamen vt non ſuum ipſa viuum nolebat, vera matre illum ei permittente; & clamabat, f *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed diuidatur.*] Sic Eccleſia, quæ ſe ipſam non cognouit g *exit poſt veſtigia gregum, & paſcit hædos non agnos*, vt bene explicat h Auguſtinus. *Et certe* i *qui diſſipat ſepem mordebit eum Coluber.*]

f 3. Reg. 3. 26.
g Cant. 1. 7.
h Aug. ep. 48.
i Eccl. 10. 8

CXII. 5. Schiſma ab eccleſiaſtico miniſtro totam eccleſiaſticā tollit poteſtatē, ita vt qui in eccleſia erat Epiſcopus vel presbyter, neque Epiſcopus amplius foris ſit, nec presbyter: De Nouatiano enim ſchiſmatico ita ſcribit Cyprianus: k *Epiſcopatum autem tenere nō poſſet, etiam ſi Epiſcopus prius factus à coepiſcoporum ſuorum corpore, & ab eccleſiæ vnitate deſciſceret, cum Apoſtolus admoneat vt inuicem noſmetipſos ſuſtineamus; nec ab vnitate quam Deus conſtituit, recedamus, & dicat: Suſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione pacis. Qui ergo nec vnitatem ſpiritus, nec coniunctionem pacis obſeruat; & ſe ab eccleſiæ vinculo atq; à ſacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem.*] Vide quæ annotauimus lib. 2. cap. 2. n. 57.

k Cypr. l. 4. ep. 2.

6. Schiſma facillime trahit in hæreſim; Dicebat Hieronymus, l *Vix eſſe ſchiſma vllum quod non aliquā confingat hæreſim, vt ab eccleſia merito receſſiſſe videatur.*] Irenæus pulcherrime docet, diſceſſos ab eccleſia ex fonte ſpiritus Dei non potare, ſed eos fodere ſibi lacus detritos, & in errores fœdiſsimos contra fidei veritatem delabi. Loca Irenæi integra poſuimus c. 4. n. 8. & 9. huius. Sic & Cyprianus m eccleſiam catholicam fecit radicem, fontem, ſolem, vt ſicut ramus vitam habet à radice, riuus aquam à fonte, radius à ſole, ita fidei ſinceritatem haberi ex coniunctione cum eccleſia: qui igitur ab eccleſia ſunt ſeparati, fidei veritatem non poſſunt haurire, ſed neceſſe eſt decidant in errores; *Sic*, inquit, *Et eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbiq; diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur. ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter, riuos latius expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fecunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti: incorrupta eſt & pudica. Vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno quos generauit, aſſignat. Quiſquis ab eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis eccleſiæ ſeparatur. Nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum patrem qui eccleſiam non habet matrem.*] Et paulo poſt. *Quomodo autem poteſt ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipſius eccleſiæ, & cum vniuerſa fraternitate non conuenit? Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab eius Euangelio ſeparari? non enim nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt. Et cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conuenticula ſibi diuerſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.*]

CXIII. l Hiero. in ep. ad Tit. c. 3. m Cypr. de ſimpl. prælat.

Poteſt contingere, vt quis ad exiguum tempus ex mala aliqua paſsione ſeceſsionem faciat ab eccleſia, ſolo vinculo vnitatis diſrupto, non tamen fide in vlla parte læſa. Sed hæ rationes quas hi Patres conſiderauerunt, conuincunt tandem ſchiſma in hæreſim erumpere; qui enim cum eccleſia catholica coniunctionem habere detrectat, is ab ea diſcere etiam veritates fidei detrectabit. alioquin ſi eam magiſtram vnicam fidei eſſe credit, cur ab ea diſcedit? Bene igitur Auguſtinus definiuit, n *Inueteratum ſchiſma eſſe iam ipſum hæreſim*] Et Cyprianus in omni ſchiſmate illam ad minimum hæreſim inuenit, quod per ſchiſma tollitur articulus, Credo ſanctam eccleſiam catholicam, & remiſsionē peccatorum. De Nouatianis enim profitentibus ſe in fide non diſcrepare, ait: o *Nam cum dicunt* baptizaturi; *Credis remiſſionem peccatorum; & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione cum non habeant eccleſiam. Tunc deinde voce ſua ipſi confitentur remiſſionem peccatorum non dari, niſi per ſanctam eccleſiam, quam non habentes oſtendunt remitti iſthic peccata non poſſe.*] Sane qui credunt eccleſiam ſanctam catholicam eſſe veram Chriſti eccleſiam, ab ea, ſi ita credunt, diſcedere non poſſunt, quod ſi diſcedunt, non ergo credunt catholicam eccleſiam eſſe veram Chriſti eccleſiam. Sic Donatiſtas, ait Auguſtinus, ſchiſma in hæreſim vertiſſe, p *Tanquam*, inquit, *Eccleſia Chriſti propter crimina Cæciliani, ſeu vera,*

CXIV. n Auguſt. contra Creſc. l. 2. c. 7. o Cypr. l. 1. ep. 6. p Aug. de hæreſ. ad quod vult D. hær. 69.

ſeu, quod

ſeu, quod magis iudicibus apparuit, falſa de toto terrarum orbe perierit, vbi futura promiſſa eſt, atque in Africa, Donati parte remanſerit: in aliis terrarum partibus quaſi contagione communionis extincta]Ambroſius quoque in eadem fuit ſententia: Nam fratris ſui Satyri factum approbans, & laudans qui Luciferianas fugerat Eccleſias: *a Non putauit*, inquit *fidem eſſe in ſchiſmate. Nam & ſi fidem erga* Devm *tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenerent, cuius patiebantur, velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus eccleſia ſit, non videtur ab iis exhiberi Chriſti fides à quibus euacuatur eius paſſio corpuſque diſtrahitur.*]

a Ambroſ. ora. in fun. frat.

CXV. 7. Schiſma peius, ac pernicioſius malum eſt in Eccleſia, quam ſit Hæreſis. Hæc duo inter ſe ſeparata comparo. Nam dubium non eſt hæreſim adiunctam ſchiſmati longe peiorem eſſe ſolo ſchiſmate. Profecto hæreſis ſi abſit ſchiſma, nunquam erit in vllo homine fideli vera & completa ac formata hæreſis; & conſequenter neque ei in quo eſt, neque Eccleſiæ obeſt multum. Quicunque enim labitur in errorem aliquem, & ab vnitate eccleſiæ ſe diuelli nunquam patitur, ille error in eo eſſe poterit hæreſis materialiter, non formaliter; non enim in eo eſt pertinacia, qui Eccleſiæ illi adhæret, à qua paratus eſt doceri: Talibus enim dicit Paulus; *b Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc Deus vobis reuelabit*, vt conſiderauit Auguſtinus, quando ſic ſcripſit, *c Nec catholicis epiſcopis conſentiendum eſt, ſicubi forte falluntur, ſed ſi cuſtodito vnitatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis quod Apoſtolus ait, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit.*] At vero ſchiſma ipſum per ſe, etiam cum tota, & integra fide, eſt ſcelus conſummatum, & ſine grauiſſimum, *d quod omnia ſcelera ſupergreditur*, vt ait Auguſtinus. Caueant Theologi, ne ſibi rem aliquam temere, & abſque à me aſſignatis regulis, de fide eſſe perſuadeant, & contrariam ſententiam damnent hæreſis: ſi tamen hoc ſibi quis perſuaſerit. ſaltem caueat ne faciat ſeparationem, & catholicæ eccleſiæ hæreat inſeparabiliter. Sic enim immunis erit à culpa, etiam errans: Inſigne exemplum ſumamus à Cypriano, qui vehementiſſime anabaptiſmum vrgebat, & damnabat oppoſitum ſentientes, eoſque errare grauiter conſtantiſſime contendebat, Stephanoque Romano in faciem reſiſtebat. Vinculum tamen vnitatis & charitatis cum illis ipſis quos errare putabat, illum perpetuo conſeruauit. Et hoc errorem ei, ſi error fuit, effecit venialem, vt in libris contra Donatiſtas paſſim explicat Auguſtinus. Cuius cuicunque erranti in fide documentum illud optimum exhibetur. *e Ab area non recedendum, etiam ſi palea ſis, in Eccleſia manendum.*] Et Pelagius de Schiſmaticis ait, *f Si etiam ipſi, licet in ſuo ſenſu abundantes, intra materna tamen poſiti viſcera quærerent veritatem, à nobis repellendi non erant, &c.*] Error profecto vel eſt contra Scripturã S. vbi illa eſt clariſſima, vel contra articulos iam ſufficienter per regulas legitimas definitos, vbi verus & legitimus Scripturæ ſenſus ex theſauro eccleſiæ catholicæ eſt erutus. Vel non eſt huiuſmodi error. Si eſt huiuſmodi: cum errans ab eccleſia non receſſerit; facile conuincetur de errore, & ab eo reuocabitur, quia veritatem in eccleſia inueniet, quã deſerere noluit. Si non eſt talis error, profecto neq; erit de dogmate neceſſario; ac proinde neq; de fide erit id quod ipſe ſentit, neque contra fidem, ſic neque oppoſitum: Hæc à priori.

b Philip. 3. 15.
c Auguſt. de vnit. Eccl. c. 10.
d Aug. con. lit. Petil. l. 1 c. 4.
e Aug. in Pſ. 36.
f c. 24 q. 1. c. Schiſma.

CXVI. A poſteriori quoque Patres idem probant, nimirum ſchiſma peius eſſe hæreſi, quia à Deo ſeuerius punitum eſt, quam alia crimina hæreſi longe peiora. *g Optatus, Diſtantiam eſſe delictorum, aut remiſſio*, inquit, *teſtatur aut pœna.*] Profertque tria diuina præcepta. Non occides. Non ibis poſt Deos alienos. Non facies ſchiſma. Oſtenditque primi criminis Cainum fuiſſe reum; & tamen relaxationem habuit, & non modo non fuit pari pœna punitus, ſed etiam à Deo protectus ne occideretur. Secundo crimine ponit Niniuitas, irretitos, quibus etiam pepercit Deus. Core vero Datan, & Abyron, ſæuiſſima pœna mulctatos propter ſchiſma quod fecerant. *Et quod* inquit, *in ſacrilegos & parricidam non fecerat, in ſchiſmaticos fecit.*] Parricidium vero & idolatriam eſſe grauiora crimina quam ſit hæreſis, non videtur dubium. Eandem comparationem fecit non ſemel Auguſtinus: *h Intueantur exempla quibus demonſtratum eſt, quanti hæc penderit Deus. Qui fecerunt idolum vſitata gladii morte perempti ſunt, qui vero ſchiſma facere voluerunt, hiatu terræ Principes deuorati, & turba conſentiens igne conſumpta eſt; Diuerſitate pœnarum diuerſitas agnoſcitur meritorum.*] Idolatriam populi Dei, quis negabit fuiſſe grauius crimen quam in hæreſim incidere? Rurſus tria *i* connectit crimina: *k* Idolatriam Iudæorum. Exuſtionem libri prophetici Hieremiæ & *m* ſchiſma Coræ, *Idolatria* inquit, *gladio punita eſt, exuſtio libri bellica cæde, & peregrina captiuitate: ſchiſma hiatu terræ, ſepultis autoribus viuis, & cæteris cœleſti igne conſumptis: quis iam dubitauerit hoc eſſe ſceleratius commiſſum quod eſt grauius vindicatum?*] Et Chryſoſtomus, *n Propterea dico*, inquit, *& proteſtor, Eccleſiam ſcindere non minus eſſe malum, quam in hæreſim incidere.*] Comparat profecto nudum ſchiſma cum hæreſi formata, quæ non eſt ſine ſchiſmate, & vult tam graue crimen eſſe ſolum ſchiſma, etiam ſine hæreſi, quam graue eſt crimen hæreſis cum ſchiſmate coniunctæ. Nam & dat exemplum duorum in ſuum Regem peccantium, alterum infidelitate per defectionem ad alium: Alterum ſæuitia in ipſum Regem, illius membrorum laceratione. Hæreſis enim deficit à fide in Chriſtum, at ſchiſma lacerat ipſius corpus quod eſt eccleſia.

g Optat. l. 1
h Aug. ep. 142. 162.
i Aug. de bapt. l. 2. c 6.
k Exod. 32. 28.
l Hierem. 36. 30.
m Num. 16 32.
n Chryſ. in ep. ad Eph. hom. 11.

8. Ille demum eſt peſſimus, & pernicioſiſſimus ſchiſmatis effectus, quod fidem ac religionem noſtram ludibrio exponat infidelibus, noſtras diſſenſiones irridentibus, quando tantæ ſunt, vt vni contra alios, tanquam hoſtes veræ Chriſtianæ religionis, & fidei inſurgimus, & alteri ab alteris, tanquã ab infidelibus communione fidei, & religionis ſeparamur: ipſoſq; infideles noſtra ſchiſmata, ne ad Chriſtũ veniant, deterrent, & repellunt: quibus enim in tãta diſcordia adhærere debeant neſciunt; quinimo ipſi fideles noſtri, eò tandem, viſis hiſce ſchiſmatibus deueniũt, vt neutris credant, & fiant abſolute athei: dum enim audiunt iſtos illis tollere veritatẽ religionis, & fidei, & vice verſa illos iſtis, ipſi ſtulte & impie cõcludũt apud neutros eſſe fidei & religionis veritatẽ, & conſequenter apud nullos. Itaq; ſchiſmatis vltimus tandẽ fetus in pluribus ſolet eſſe atheiſmus. Et hæc de ſchiſmate in genere, iam ad duo maxima ſchiſmata deſcendamus. CXVII.

Iamdiu horrenda ſciſſio durat, qua diuiſæ ſunt eccleſiæ orthodoxæ Orientales fere omnes, ab omnibus Occidentalibus, & hoc vocatur paſſim à nobis, *Græcorum ſchiſma*. An vero iuſta cauſa ſubfuerit, ſiue Romanæ eccleſiæ à ſe, id eſt à ſua communione ſeparandi eccleſias Græcorum & abijciendi, ſiue Græcis ſe à Romana eccleſia ſeiungendi, & ab illius communione amouendi, breuiter & ſuccincte indagandum eſt. Latina noſtra Eccleſia aliquã CXVIII.

cauſam prætexit, non ex ſchiſmate ſolo, ſed etiam ex hæreſi, cur Græcas Eccleſias à ſua repulerit communione: Ait enim Bellarminus, a *Quod autem apud Græcos non ſit eccleſia, probamus—quia nimirum conuicti ſunt legitime in tribus plenariis Conciliis, Lateranenſi, Lugdunenſi, & Florentino de ſchiſmate & hæreſi, ac præcipue de hæreſi circa proceſſionem Spiritus S. à filio, quam eſſe manifeſtam hæreſim Lutherani, & Caluiniſtæ etiam confitentur.*] De ſchiſmate videbimus poſtea, nunc videamus de hæreſi: Noluit Bellarminus afferre hæreſim quæ Græcis à multis Latinis obijcitur circa Purgatorium. Sciebat enim fidem Purgatorii nutare plurimum. Et quidem Græci cum antiqua eccleſia orant & offerunt pro defunctis: ſed Purgatoriũ non admittunt. Hoc enim neque ex claris Scripturis neque ex antiquo ſenſu Apoſtolicę eccleſię poteſt indicari, nedum probari. Ergo nullũ legitimũ habet fundamentũ, neque vlla ratione, ſine ſpeciali reuelatione, poteſt fieri fidei articulus, vt ſatis diſputaui lib. 5. c. 8. Hoc ergo nomine Græci nullo modo poſſunt pro hæreticis iure haberi.

a Bellar. de notis eccl. c. 8.

CXIX. De proceſſione Spiritus S. à filio non eſt nunc diſputandum. Spiritum ſanctum à Patre, & à Filio, non tanquam à duobus principiis, ſed ab vno, procedere ego puto eſſe verum, & Scripturis ſanctis non parum cõſentaneum, & negare hanc proceſſionem puto eſſe periculoſum. Hæreſim non facile dixerim: neque enim video vndenam habeatur hunc eſſe articulum fidei: nam neque Scripturæ illum clare habent, neque ex Scripturis neceſſaria conſequentia deducitur; neque antiqua eccleſia articulum hunc habuit; & conſequenter ex vera & legitima traditione nõ potuit innoteſcere. Proceſſiones porro in diuinis, Relationes, Generatio, & ſimilia altiſſima Trinitatis myſteria ſobrie quidem, quantum fidei neceſſitas poſtulat in Scripturis ponuntur, cæterum exercitationis cauſa licuit Theologis in his aliquod conari, ſed ita tamen vt ſuis myſteriis hiſce in inſcrutabili Deitate maxime abditis, veneratio & ſimplicitas fidei reſeruetur. Si proceſſiones in diuinis explicatæ, & enucleatæ fidei articulũ conficerent, ab illis inquirendis, & diſcutiendis nos S. Patres non fuiſſet dehortati. Deũ eſſe vnum in ſubſtantia, & trinum in perſonis inter ſe diſtinctis; & filium genitum eſſe à Patre, & Spiritum S. procedere à Patre, & eſſe etiam Filii Spiritũ, in Scripturis expreſſum habemus; idque firma, ſed ſimplici fide credendum eſt; quomodo autem generetur Filius à Patre, quomodo procedat Spiritus à Patre, quomodo Spiritus dicatur eſſe filij etiam Spiritus, num per proceſſionẽ, an alio modo; num miſſio ſit idem quod proceſſio, an diuerſa à proceſſione, & ſimilia nimis anxie indagare, eſt profecto damnabilis curioſitatis: *Sicut enim in confeſſione fidei tarditas, ita in Theologicis celeritas eſt periculoſa*, vt optime ait Gregor. b Nazianz. merito per antonomaſiã vocatus Theol. Regiam viam inter extrema laudat, à qua aberrare contingit, *vel quia ſtimulo*, inquit *propter ſegnitiẽ indigeamus, vel quia feruore præcipitamus, vt & pigritia caueatur, & temeritas.*] Et addit: *Ne Patris naturam nimis curioſe rimato, vnigeniti eſſentiã, Spiritus gloriam, & potentiam:—vtere verbis conſuetis. ratio pertineat ad ſapientiores.*] Fides profecto neceſſaria ad omnes pertinet, non ſunt diſtincti articuli fidei, vt aliquos credere ſoli ſapientiores teneantur, alios reliqui etiam rudiores: fides humana non indiget ſapientia, ſimplicitas enim in credendo requiritur: ſicubi autem ſapientia humana locum habet, ibi fides non erit, ſed peritia, ſed Theologica ſcientia, quæ à ſapientioribus relinquitur.

b Nazianz. orat. de moderat. in diſp. ſeru.

CXX. Ac ſane idem S. Theologus cõtra Sophiſtas curioſos agens, qui rationibus humanis alta Trinitat. myſteria diſcutere vellent, vbi explicauit ex Scripturis & eſſe genitum in diuinis, & eſſe proceſſile, quia Chriſtus dixit c *Spiritus qui à Patre procedit* tunc de proceſſione hac mouet dubium, & ait, d *Quæris igitur quæ hæc eſt proceſſio?*] Ac ſtatim ſolutionẽ quæſiti illam ſubdit. *Quin tu rationẽ ingeniti Patris mihi explicas? Et ego viciſſim tibi & Filii generationem, & Spiritus proceſſionẽ aperiam; vt ambo inſaniamus Dei ſecreta rimando.*] Si ergo rimari qualis ſit proceſſio Spiritus S. num à Patre ſolo, num etiã à Filio: & ſi ab vtroq; vnum ne ſint, an duo Principia, cum ſimilib. quæſitis ſubtiliſsimis hiſce annexis, eſt inſanire, profecto fidei articulus nõ erit iſta definite ponere: fidei enim articulos quærere, non eſt inſanire. Monetq; idem Pater, e *Audis generationẽ? modum ne curioſus inquiras. Audis Spiritum ex Patre procedere? id quomodo fiat ne anxio ſtudio perſcruteris. Quod ſi in filii generatione, & Spiritus proceſſione peruestiganda curioſum te præbes, ego quoq; pari curioſitate tuam animæ corporiſq; conſtitutionem & temperamentum inquiram—Quocirca ſi quid mihi obtemperas, hoc eſt, Theologo minime audaci, vt nonnulla iam percepiſti, ita ea quæ ſuperſunt vt percipias rogo, vocibuſq; contentus eſto ea parte quæ in te manet contentus eſto, reliqua in ſupernis theſauris recondita maneat.*] Igitur qualis ſit Spiritus S. proceſſio, adhuc in Theſauris ſupernis manet reconditum.

c Ioan. 15. 26
d Nazian. de Theologia lib. 5.
e Idem orat. de Dogm. & conſtit. Epiſc.

CXXI. Et Athanaſius f *ſatis eſt* inquit, *Si cognoſcas Spiritum non eſſe creaturam neque cum rebus creatis numerandum.—Hæc ſufficiunt fidelibus, & hactenus eius recognitio ad homines peruenit. Huc uſque cum peruentum eſt Cherubin obuelant faciem eius. &c.*] Spiritus S. diuinitatem oppugnabant hæretici, quem creaturam eſſe volebant, & Trinitatis myſterium totum conuellebant, Patres vero ex Scripturis vnitatem eſſentiæ Spiritus S. cum eſſentia Patris, & Filii, quæ vna & eadem eſt, ipſam Spiritus diuinitatem confirmabant: ſed loca illa quæ indentitatem eſſentiæ Spiritus S. cum Filio probant, non propterea probant clare, aut directe, aut deductiue Spiritum procedere etiã à Filio, ſicut clarũ eſt in Scriptura ipſum procedere à Patre. Et quoniã quid ſit iſtud procedere, & quomodo fiat, eſt nobis ignotiſſimum, vt Patres fatentur, & probaui ex Nazianz. & Athanaſio, quis audebit aſſerere quod probare nõ poteſt, nec in Scriptura habetur? Et ſane qui vult ratione conuincere Spiritum S. à Filio etiã procedere, debet ſcire quid ſit hoc procedere, & tamen hoc ipſum eſt ignotiſſimum, neq; explicatur à Theologis niſi per Metaphyſicam quandam ex relationibus, & etiam per ſcientiã animaſticã ex actibus intellectus, & voluntatis, qui in Deo ſunt diuerſiſſimi, diuerſiſſimæq; naturæ, à noſtris. Ac quemadmodũ nemo audebit tanquã articulos fidei obtrudere alicui ſubtilitates illas ſeu phyſicas, ſeu metaphyſicas, ſeu etiã Theologicas ſcholaſticorum, ita neq; de fide poterit eſſe proceſſionẽ à diuinis eſſe tale quidpiam. Si ergo de fide non conſtat quid ſit proceſſio, de fide nunquã erit Spiritum à Filio procedere, quando Scriptura hoc non affirmat, & nos probare nõ poſſumus eſſe id quod neſcimus quid ſit. Det mihi qui poteſt; diſcrimen in Scripturis clarũ, quod ſit inter proceſſionem in diuinis, & generationẽ, ſeu, inter procedere, & naſci: Alioquin vtrunq; nos ignorare omnino fateri debemus. Sicut expreſſe fatetur Orig. vbi ait; g *Tum deinde honore ac dignitate (h. e. diuinitate) Patri ac Filio ſociatum tradiderunt (Apoſtoli) Spiritum S. In hoc nõ iam manifeſte diſcernitur vtrum natus, an innatus: ſed inquirenda iam iſta pro viribus ſunt de S. Scriptura, & ſagaci perquiſitione inueſtiganda.*]

f Athanas. Serapion. Epiſt. de Spir. ſanct.
g Origin. proœm. librorum periarchon

Græci

CXXII. Græci igitur proceſſionem ſpiritus à Patre cum Euangelio admittentes, & proceſſionem hanc à filio non agnoſcentes, fatentes tamen ſpiritum eſſe Tertiam in Deitate hypoſtaſin, verum Deum, eiuſdem ſubſtantię cum Patre & Filio, & ipſum Spiritũ eſſe Filii quoq; Spiritum, non ſunt hæreſis condemnandi; ac proinde hoc nomine non poſſunt iuſte à cõmunione abijci à Latinis non ſolum ſi ſe illi habeant negatiue ad hunc articulum proceſſionis à Filio non admittentes illũ, ſed etiã ſi poſitiue illũ negent, expreſſeque aſſerant Spiritum S. à Filio nõ procedere, ſed à ſolo Patre. Negare enim articulũ qui de fide non ſit, non poteſt eſſe hæreſis. Ideo Theod. Cyri Epiſcopus, Pater doctiſſ. qui expreſſe id primus, quod ſciam, negauit, pro hac negatione nihil paſſus eſt, licet damnatus fuerit ipſius libellus, tanquã Neſtorio fauens, quo Cyrilli anathematiſmis ille ſe oppoſuit, in quo libel. proceſſionẽ hanc ex filio, negauit. In Concilio enim Chalced. & poſtea in quinta Synodo generali, eo tantũ nomine reprehenſus eſt Theodoretus, quod Neſtorii protectionem in ſe, contra Cyrill. ſuſceperit. Cum tamen ipſe Theodoret. reuera orthodoxus eſſet, & Neſtoriana hæreſi nequaquam infectus. Quod ſi proceſſio Spiritus à Filio fuiſſet ab eccleſia tanquã articulus fidei credita, nunquam illam tantus Pater negaſſet. Theophylactus etiã multò poſt, a negauit hanc Spiritus proceſsionẽ ex filio, & Latinis errorem obiecit, quod Spiritũ ex Filio quoq; procedere dicerent, quod etiam eſt argumentũ in eccleſia pro articulo fidei id non fuiſſe habitum; Nã Theophyl. viro orthodoxo id neganti, & negationẽ ſuã in vniuerſa eccleſia publicãti, nulla eſt facta reſiſtentia, nulla reprehenſio. Gręcos ergo hoc nomine abiicere, ſumma eſt iniquitas. An vero poſtea legitime in hoc conuicti fuerint hęreſis, videbimus inferius. Sane Gerſon. vt vidimus ſup. c. 9. n. 17. huius, innuit ex opinione Latinorũ, non ſatis definita de proceſſione Spiritus etiam à Filio, imprudenter datam fuiſſe Græcis ſchiſmatis occaſionem. Ex eo enim quod ſacræ N. Teſtam. ſcripturæ S. Spiritum æque agnoſcunt & fatentur eſſe Patris, atque Filii Spiritum, inde Latini Patres, pręſertim b Auguſtin. & c Leo ex Patre, & Filio Spiritũ procedere enunciant. An vero quia Spiritus eſt Filij quoq; Spiritus, ideo Spiritus à Filio quoque procedat, ſtatuant illi qui plane percipiunt quid ſit in diuinis procedere, Ego cũ antiquis d Patribus fateor me, quid ſint iſtę proceſsiones, in diuinis ignorare. Auguſtin. ſecuta Concil. Toletana, primũ, tertiũ, quartũ, octauum, vndecimũ, duodecimũ, tertiumdecimum, & Arelatenſe quartũ, dum ſuę fidei faciunt profeſſionẽ, Spiritum S. non cõciliariter poſt tractationes debitas definiunt, ſed ſimplici cõfeſsione pronunciant ſe credere in Spiritũ S. ex Patre & Filio procedentẽ. Et quidẽ recitant ſymbolũ, vt ipſorum proprium, non vt vetus Conſtantinopol. licet Toletanum 8. 12. & 3. totidẽ ferme verbis ex Concilii Conſtantinopo. Symbolo deſumptis, ſuum formet ſymbolũ. vt propterea non ſit dicendum, ea, ſymbolo Conſtantin. adiectionẽ illam, Filioq; feciſſe. Habemus itaq; in eccleſia noſtra Latina priuatas hac de re opiniones, definitionẽ publicã non habemus. Toletana illa Concilia, & Arelatenſe, non definiunt, ſed recitant, & ab vniuerſali eccleſia non ſunt expreſſe admiſſa, aut approbata. Nam & in vno articulo habet Toletanũ quartum, & quartũ Arelatenſe Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, vt Patres qui ibi tenebantur erueret. Quod nullam habet fidei certitudinem, ſed ſolam ſcripturalem exercitationem.

a Theophylac. in c. 3. Ioan.

b Aug. de fide ad Pet. c. 11. & in Ian. tr. 89.

c Leo ep. 4. c. 1.

d Magiſt. ſent. in 1. diſt. 13. C.

Græci tamen neque legitime, neque prudenter CXXIII. potuerunt ſchiſma facere, & ſe à Latina Eccleſia ſeparare, propter hanc de proceſſione Spiritus S. cõtrouerſiam. Duplicem enim cauſam poſſent oſtendere; primum quod ſit hæreſis aſſerere Spiritum à Filio quoque procedere; Deinde quod publicum, & ſolenne Conſtantinopolitanum ſymbolum vitiarint, additione illius particulæ. FILIOQVE: qua additione etiã Athanaſii ſymbolo iniuriam fecerint. Sed neutra eſt ipſis iuſta cauſa ſchiſmate ſe à nobis ſegregandi. Nõ prima, quia aſſerere aliquid eſſe de fide cum non ſit, modo id non ſit contrarium vero articulo fidei, non eſt hæreſis, vt probaui in præcedentibus cap. 5. num. 41. Error quidem eſt, ſed non error in fide, etiam ſi verum eſſet; id quod aſſeritur. Verum enim eſt nos habere Antipodes, ſed qui aſſereret hoc eſſe de fide, turpiter erraret, hæreticus tamen non eſſet; quia nõ eſt vlli vero fidei articulo contrarius; & quidem quod ſpectat ad hunc proceſſionis ex filio articulum, ille profecto habet magnas probabilitates, & ego negare id nunquam auderẽ: ſed articulus fidei nullo modo, vt probaui, eſſe poteſt. Errabunt ergo Latini volentes id diuina fide eſſe credendum, ſed hæretici non erunt: ideoque ab illis tanquam ab hæreticis hoc nomine ſegregari erit ſumma impietas, & ſchiſma pernicioſiſſimum; quod ſchiſmaticos extra catholicã eccleſiã ponit. Abundent ergo Latini in ſenſu ſuo, teneãt ſi volunt eſſe articulũ fidei (in quo tamen decipi poſſunt) dummodo talẽ articulũ nõ admittentes, imo ipſum etiã vel abſolute, vel de fide eſſe, negantes, nõ habeant pro hęreticis, neq; eos à communione repellant. Pars enim repellens hoc nomine aliã, eſt ſchiſmatica, & extra catholicam eccleſiam; non autem pars repulſa.

Neq; ſecunda cauſa poteſt eos à ſchiſmatis reatu liberare, CXXIV. quanquam neque videam quo pacto poſſimus nos Latini nos ipſos ab ingenti errore, & nota corruptionis ac falſi crimine liberare. Primũ neſcimus quis, quando & vbi, & qua autoritate particulam illam FILIOQVE, Symbolis illis addiderit: (Athanaſij enim ſymboli quotquot vidi græca exemplaria nõ habent *à Patre & Filio*, ſed *à Patre* duntaxat) Potuit quidem eccleſia Occidentalis, ſi per regulas legitimas ſufficienter inueniſſet, Spiritum à Filio quoq; procedere, ſymbolum ſibi conficere proprium, in quo poneret Spiritum à Patre Filioq; procedere, etiã ſi voluiſſet repetito ad verbum Concilio Conſtantinopol. in reliquis, cum illa eſſentiali vnius articuli alteratione, per illam additionem. Sic enim iam ſymbolum hoc non eſſet proprie Conſtantinopolitanũ, ſed Romanum, vel alterius nominis, à loco, vel perſonis vbi vel quæ ſymbolum hoc nouum conficerent vt factum fuiſſe in aliquot Toletanis, & vno Arelatenſi, iam monui. Quanquam ne illa quidem faciendam eſſe additionem definiunt: Sed cum additione ſua ſymbola recitant, e Noſtri tamen ſcriptores, & cũ ipſis Græcus Caleca totus factus Latinus, neſcio quod Conciliũ comminiſcuntur, cuius neq; acta habeantur, neq; locus, neq; tempus, neq; perſonæ. Sed hoc licuit, inquiunt noſtri, ſummo Pontifici, etiam ſine Cõcilio, cum ſit caput totius eccleſiæ. Ego vero ſatis probaui ſummum Pontif. non eſſe vnicum caput eccleſię, ſed eſſe vnum ex eccleſię Epiſcopis, famulis & miniſtris. In ſpecie circa articulos fidei illum nullam habere ſpecialẽ poteſtatem probaui c. 5. huius. Sed ſit caput vnicũ habeat hanc poteſtatem. Si Papa fecit hanc additionẽ, nominare tenemur Papam, proferre decretũ, ſignare tempus, &c.

e Bellar. de Chriſto lib. 2. c. 28.

Res tanti momenti non eſt per inſomnia tractanda. Ro. Pontificem adiectionem illam feciſſe quis probat? In Hiſpanicis catholicis Conciliis aliquot, ſymbola fidei cum adiectione illa recitantur, & in vno Gallico, vt paulo ante vidimus, & tamen Ro. Eccleſia adhuc tẽpore Leonis III. & Caroli Magni Conſtantinopol. Symbolum ſine vlla additione, vt ſtatim oſtendã, retinebat. In ſolennibus vero miſſarũ nunquã illa voluit ſymbolũ vllũ canere, quod tamen ferme paſſim per Occidentẽ iam canebatur; & rationem reddebat; videlicet *a Quod Rom. Eccleſia non fuiſſet aliquando vlla hæreſeos faece infecta: iis vero neceſſarium eſſe ſymbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando hæreſi potuerunt maculari.*] Hæc Abbas Augienſis, temporibus Benedicti VII alias VIII. circa an. Domini 1014. Et tunc rogatu Henrici I. Imp. vt idem Augienſis ſcribit, Benedictus ſymbolum in Miſſa cani mandauit. Tunc vero cæptum cani Romæ ſymbolũ cum additamento *Filioq.* ait *b* Baron. quod ex ſe ipſo ille, vt ſolet comminiſcitur: nã de additamento facto Concilio Conſtantinop. & de eius in Miſſis decantatione cum dicto additamento nullũ prorſus vetus indiciũ habemus. In Concilio duntaxat octauo, & duodecimo, & decimotertio Toletanis, recitatur ſymbolũ ipſorum propriũ, licet ex Conſtantinopolitano totidẽ ferme verbis deſumptũ, & additamento illo auctũ; ſed quodnã ſymbolũ in Miſſis vbiq; caneretur nihil habemus. Galli profecto à Leone III. impetrare nõ potuerũt, vt de eius conſenſu ſymbolo Conſtantin. quod iam in Miſſis occinebant, adderent illã particulã, *Filioq,* vt ex *c* Epiſt. Zmaragdi ad Carol. Magn. conſtat, & prohibitionẽ in eo Concilio factã, ne quicquam in eo ſymbolo adderetur, vel minueretur, plurimum vrgebat Leo: Imo vt particula illa iam alicubi addita, omnino tolleretur, ſuadebat, & ferme præcipiebat. Et vt tam celebris, tantæq; autoritatis ſymboli integritas, ac ſinceritas in Eccleſ. Rom. conſeruaretur, ipſum *d* argenteis binis in tabulis ſine illa additione exaratũ, Græce in vna, Latine in alia, idẽ Leo in Baſilica S. Petri collocauit. Non quod proceſſionẽ etiam ex Filio nõ crederet; ſed quia nefas eſſe putauit illi ſymbolo quicquã addere. Merito ergo ſuccenſent Græci, merito de iniuria facta antiquis ſummæ authoritatis ſymbolis conqueruntur, ſed non propterea merito ſchiſma poſſunt facere, quia factum illud Latinorũ, reprehenſibile quidem eſt, & corrigendũ, non tamen eos facit vel hæreticos, vel ſchiſmaticos, vt inde ſeparationẽ mereantur.

a Berno Abbas Augienſ. de reb. ad Miſſam ſpect.

b Baro. to. 6. an. 447. n. 23. 24. & to. 11. an. 1014. n. 5.

c Apud Baro. to. 9. an. 809. n. 68. & ſeqq.

d Anaſtaſ. In Leone 3. & Magiſt. ſent. in 1. diſt. 11.

CXXV. Poſtea tamen ſufficienter definitũ fuiſſe, contendunt noſtri, Spiritum S. à Patre & Filio procedere. Hoc ſtatim videbimus. Sed interim non poſſumus oſtendere legitime fuiſſe in Eccleſia definitum, vt ſymbolo Conſtantinopol. fiat illa additio, ſeu, vt nouum ſymbolũ, proprium cum illius articuli ampliatione conficiatur, & publice in ſacris recitetur. At vero, quod ſpectat ad ſymbolum Athanaſii, neq; definitum fuit, neq; definiri à tota eccleſia poteſt, vt illa fiat ei additio, ita vt cum illa additione legatur tanquam ſymb. Athanaſii; Hæc enim eſt manifeſta falſitas, & hoc eſt aliorum ſcripta corrumpere & vitiare, quod nunquam licuit, neq; licebit. Omnino ergo ſi iuſta volumus, vtrunq; ſymbolum eſſet in ſuum priſtinũ ſtatum reponendum, quouſq; de additione facta, vel facienda eccleſiaſtica legitima fiat cõſultatio, vt Græcis ad vnionem inuitandis, hæc anſa diſſenſionis præcidatur, & auferatur prætextus. Hanc enim ſymboli reſtitutionem maxime vrſerunt ſæpius Græci in Concil. Florentino. *e Quamuis,* inquiunt. *dogma illud* (Spiritum etiam à Filio procedere) *fuerit cognitum verum eſſe, alibi tamen, quam in ſymbolo ſcribendum eſſe nos aſſerimus, quemadmodũ Cõcilia generalia feciſſe conſtat. Ab ipſo igitur ſymbolo dimouendum eſſe cenſemus, vt cunctorũ Chriſtianorum coniunctio fiat, quæ ex ea cauſa tam diu diſſidet.*] Neq; video effugium vllum firmum, quo ſe ab inſtantia Græcorũ noſtri potuerint liberare. Duobus enim vſi ſunt, alterum erat illã non fuiſſe additionem, ſed declarationẽ, quæ non videtur prohibita; alterum potuiſſe eccleſiã latinã ea quæ vera eſſent addere. Primum hoc effugiũ (nam de altero ſatis modo dixi) excluſerunt tunc vtcunque Græci, quia declaratio ex internis rei petenda eſt; at vero proceſſionẽ eſſe etiã à filio, non ſpectat quicquam ad declarationẽ proceſſionis à Patre, ſed ei aliquid externum additur, cum noua doctrina. Ego vero illud addo. In Conciliis Nicæno & Conſtantinop. controuerſiam totã definitam fuiſſe ſuper articulos diuinitatis, & Filii & Spiritus S. hoc eſt, neque Filium neq; Spiritum S. eſſe creaturam ſed Deum. De proceſſione Spiritus S. nihil fuit agendum, tanquam de re definibili, quia de proceſſione Spiritus S. neq; tunc fuerat hæreſis vlla, neq; dubium motum vel minimum. Poſuerunt tamen Patres Concilii Conſtantinopolitani in ſymbolo ſe credere in Spiritum S. & addiderunt, *qui ex Patre procedit,* nõ vt de proceſſione quicquam definirent, ſed vt ex his Euangelii verbis diuinitatem Spiritus S. affirmarẽt. Si enim Spiritus à Patre procedit, quod expreſſe dixit Chriſtus, eſt ergo Deus, ſicut filius. quia genitus eſt à Patre, ideo Deus & ipſe eſt cum Patre. Fruſtrà ergo prætenditur declaratio, vbi declaratione nulla opus eſt, vbi declaratio tota otioſa eſt, & extra rem, nam declaratio hæc proceſſionem ipſam declarat, de cuius intelligentia ſymbolum non laborat, & quam ſymbolum in proprium articulum nequaquam redigit. Satis enim erat illi Concilio proceſſionẽ Spiritus à Patre, quæ eſt clariſſima in Euangelio, attingere, vt hinc diuinitas Spiritus articulo fidei in ſymbolo expreſſa, credenda proponatur. Nimium profecto rigidi fuerunt noſtri, qui nunquã in amotionẽ illius particulæ ex ſymbolo, ſine præiudicio controuerſiæ & veritatis circa proceſſionẽ Spiritus S. diſcutiendæ cõſenſerunt: quod ſi eam vt profecto tenebantur, amouiſſent, ſicut Leo III. ſupra n. 124. amouendã eſſe cenſuit, ac ferme definiuit, magnum etiã obſtaculum paci, & vnioni vniuerſalis Eccleſiæ ſuſtuliſſent, & ex hac nimia, & iniuſta obſtinatione nihil boni ex illo Concilio eſt conſecutũ. Voluerunt ad diſputationẽ de proceſſione in diuinis ſubtiliſsimam, quã neq; ipſi diſputantes intelligerent, negotium pertrahere; à quo Græci abſtinuiſſent, & libertatẽ opinandi reliquiſſent, dummodo ſymbolũ fuiſſet reſtitutum, & ſic vnionẽ ex corde feciſſent; quã tamen firmã & durabilẽ non fecerunt, ſed aliud impedimentum ex parte Romanorũ latebat, de quo paulo poſt, interim in grauiſsimũ eccleſiæ detrimẽtum ſemper ceſſit; quod noſtra pars in errores incidens, nunquã voluerit errorẽ corrigere, ſed mordicus defẽdere, ne videretur propriũ errorẽ fateri, ſic factũ eſt in Concil. etiã Trid. in cauſis Proteſtantiũ.

e Concil. Flor. Seſſ. 3. & 8. & 12.

An vero hæc Spiritus S. proceſsio fuerit examinata in ſe, vt proceſsio eſt, & in controuerſiam vocata, ac demum definita, videndum eſt. Si enim ſufficienter definitum eſt Spiritum S. procedere à Patre, & à Filio, ita vt hic ſit articulus fidei, totam eccleſiam obligans ad ei aſſentiendum; profecto Græci hunc articulum prorſus negantes tanquam hæretici eſſent à catholicæ Eccleſiæ communione CXXVI.

ſeparandi,

ſeparandi, niſi velint eccleſiam definjentem audire. Sed hanc ego definitionem non inuenio: Affert a Bellarminus in primis Concilium quoddam Alexandrinum ſub Cyrillo, *in quo Concilio formula quædam fidei ſatis longa Neſtorio præſcribitur, in qua ſpiritus dicitur à Chriſto procedere, ſimiliter ſicut ex Patre.*] Quid Cyrillus de proceſſione ſenſerit non eſt hic diſputandum; certe hic locus videtur ſignificare ſpiritum ita à Chriſto mitti, ſicut etiam mittitur à Patre. Sed ſint ea verba de proceſſione, definitionem tamen illam eſſe eccleſiæ vniuerſalis, aut quam eccleſia vniuerſalis teneatur, tanquam articulum fidei amplecti, ne Bellarminum quidem puto aſſerturum. Cur ergo, ſi ea fuit definitio, eccleſia orientalis illam non eſt ſecuta? imo cur ipſa eccleſia Alexandrina, in qua factum eſt hoc Concilium, proceſſionem ex filio non eſt profeſſa? Certe in Concilio Florentino Alexandrini Patriarchæ locum tenens affuit, qui ſimul cum reliquis Græcis erat in ſchiſmate, & contra Latinos de proceſſione ſentiebat. Et quia hæc Cyrilli epiſtola lecta fuit in Cōcilio Epheſino, & in Chalcedonenſi, & in quinta, ſexta, ac ſeptima ſynodis generalibus, *Ideo nos habere*, ait Bellarminus, *quinque generalia Concilia apud Græcos celebrata, quæ ſententiam illam recipiunt apertiſſimam, & clariſſimam, Spiritus ſanctus à Filio, ſicut à Patre procedit.*] Miror grauiſſimi hominis leue iudicium. In his Conciliis neque eſt propoſitum vllum dubium de proceſſione Spiritus ſancti, neque minimum verbulum per modum tractationis cōciliaris auditum, lecta ſunt, vt fieri ſolet, acta aliorum Conciliorum maiorum, & minorū, prout negotium principale tractatum poſtularet, lectæ literæ, lecti libelli, num propterea quicquid in talibus actis, literis, libellis &c. ponitur etiam obiter, etiam per tranſennam, dici debet definiri in Conciliis, in quibus illa leguntur ad Concilii duntaxat inſtructionem? Si vero ita eſt, ſi hæc Concilia celeberrima, & ſummæ autoritatis, ac maioris adhuc in Oriente, quam in Occidente, ideo dicenda ſunt proceſſionem ſpiritus à filio recepiſſe, quia in iſtis lectæ ſunt literæ Cyrilli, neſcio quid tale in ſui quodam angulo continentes; Cur & tunc, & perpetuo poſtea Oriens totus contra hanc proceſſionem reclamauit? Hoc profecto eſt in maxime ſeriis ludere, non ſolido pede progredi: Eſt igitur mera vanitas ex Græcorum Synodis velle proceſſionem Spiritus à Filio confirmare. Satis eſſet, ſi illam poſſemus definitionibus ſufficientibus noſtrę eccleſiæ latinæ ſtabilire.

a Bellar. de Chriſto. l.2.c.23.

CXXVII *Habemus*, inquit Bellarminus, *Concilium* b *Barenſe à Græcis & Latinis celebratum ante annos vltra* 500.] Sed quid ex eo habemus? Diſputatum fuiſſe cum Græcis ab Anſelmo. Quid obtinuit? quid communi decreto eſt firmatum? Nihil. Abeat igitur. c *Lateranenſe tamen ſub Innocentio III. rem definiuit*, inquit Bellar. *præſentibus & conſentientibus Græcis.*] Quibus quæſo Græcis? Aderant, ſcio, Patriarchæ Hieroſolymitan. & Conſtantinopolitanus, & legati Imperatoris Conſtatinopol. Sed hoſne putat Bellarminus Græcos fuiſſe? Hallucinatur. Latinus erat Patriarcha Hieroſolymitanus, qui recuperata altera vice per Saladinum Hieroſolyma, auxilia petebat ad terram ſanctam denuo, ſeu tertio recuperandam. Conſtantinopolitanus etiam Patriarcha erat Latinus, certe Venetus: Quia d Franci cum Venetis Conſtantinopolim cēperunt an. Domini 1200. Concilium vero Lateranenſe coijt circa an. 1215. quibus temporibus, ex conuentione inter ſe, ex Francis Imperator eligebatur, ex Venetis Patriarcha, e & id per 60. circiter annos factum eſt. Nulli ergo Græci aderant. Sed præterea illa capitula quæ dicuntur Concilii Lateranenſis, ab Innocentio ipſo ſunt formata, & in Concilio propoſita, ſed nihil diſcuſſum in eo Concilio, nihil ſtabilitum, vt oſtendi lib. 6. c. 10. n. 96. & ſeqq. Lugdunenſe ſub Gregorio X. addit Bellarminus. Hęc tamen definitio nullius eſt momenti, quia Gregorius ipſe cum Concilio fatetur ſe ideo ſic definire, *quia* f *hoc profeſſa eſt hactenus, prædicauit & docuit, hæc firmiter tenet, & prædicat, profitetur & docet ſacroſancta Romana Eccleſia mater omnium fidelium & Magiſtra; hoc habet orthodoxorum Patrum, atq; Doctorum Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera ſententia.*] Atqui hæc non ſufficiunt ad ſtabiliendum fidei articulum. Non enim adſunt illa tria, VBIQVE, AB OMNIBVS ET SEMPER. Scripturam nullam afferunt, neque eam habent claram: Primitiuam eccleſiam id non conſtat tenuiſſe, ac docuiſſe: Ad Apoſtolorum tempora doctrina hæc non poteſt reduci; Vbique in tota eccleſia catholica nunquam ita eſt prædicatum, quia Oriens ſemper diſſenſit, & Occidens hanc controuerſiam non niſi poſt 600. à Chriſto annos excitauit, vt fateri cogitur g Bellarminus: ex Græcis Patribus pauciſſimi aſſentiuntur. Definitio itaque hæc ſufficiens non eſt, ac proinde neminem obligat. Valeant ergo hæc Concilia.

b Apud Anſel. lib. de proceſſ. Sp. ſanct. c. 4.
c Concil. later. ſub Innoc. 3. c. 1.
d Blond. lib. 6. deca. 2.
Æmil. li. 2.
Nicetas lib. vlt.
e Blond. l. 8 deca. 2.
f De ſum. Trin. ac fide cath. c. fideli in 6.
g Bellar. de Chriſto l. 2. c. 21.

Florentinum fortaſſe, quod totum in hoc ſolo articulo diſcutiendo laborauit, præſentibus Græcis, & Latinis, firmam, & indubitatam dediſſe putabitur definitionem. Sed neque hoc facile aſſeruerim. Video in eo Concilio Græcos acerrime contra proceſſionem à filio diſputaſſe, & ad eam diſputationem ferme inuitos pertractos fuiſſe à noſtris: quia pro pace, & vnione profeſſi ſunt ſatis eis futurum, ſi ſymbolum in ſuum ſtatum reſtitueretur; cæterum extra ſymbolum Conſtantinopolitanum ſcriberent Latini legerent, recitarent, crederent vt liberet circa hanc à Filio proceſſionem; ſed noſtri effugerunt nodum de ſymbolo reſtituēdo, tractatione ad ipſam proceſſionem pertrahentes; In qua etiam tota ſcholaſtica tractatione vbi demum feſſi Græci, & cupidi auxiliorum temporalium ad Orientale Imperium contra Turcas defendendum, ideo duntaxat Latinis ceſſerunt (Epheſino tamen Antiſtite ſemper renitente) vt ſpiritum ſanctum à filio quoque procedere credi, & dici permitterent, quia Patres Latini id aſſererent, quos eodem ſpiritu actos & rectos ſuppoſuerunt, quo Græci Patres, à Patre proceſſionem ſpiritus ponentes, acti, & recti fuerunt; ſed quod vel ſcripturis, vel antiquitatis autoritate, vel legitima traditione conuicti ceſſerint, & id definiri voluerint, affirmare non poſſumus. Solam porro Patrum autoritatem, niſi adſint regulæ generales, articulos fidei ſtabilire non poſſe ſatis probaui cap. 6. huius. Præcipua vero Scriptura, ex qua proceſſionem à filio Florentinum Concilium colligere conabatur, vt patet potiſſimum ex ipſis literis vnionis, & quam primā vrget etiam h Bellarminus, fuit Chriſti dictum, i *Omnia quæcunque habet Pater mea ſunt.*] Vbi videlicet non adſit oppoſitio relationum, vt explicant noſtræ ſcholæ: & cum ſpiratio actiua, & filiatio paſſiua non opponantur relatiue, neceſſe eſt, inquiunt, Patrem filio etiam ſpirationem actiuam cōmunicare, & ſic Spiritus à Patre & filio vnica, & eadē ſpiratione actiua ſpiratur.] Sed hęc collectio ſi valet, profecto valebit etiā alia ſimilis, ſed hactenus inaudita, hoc pacto: Omnia quæ habet Pater ſunt etiam Spiritus S. non enim eſt maior ratio,

CXXVIII (margin, beside the first line of the paragraph "Florentinum fortaſſe")

h Bellar. de Chriſto l. 2. c. 21.
i Ioan. 16. 15.

tio, cur Filius omnia, quę ſunt Patris habeat, & Spiritus S. omnia, quæ ſunt ſui ſpiratoris non habeat, vbi non obuiet oppoſitio relationum: Et ratio Bellar. id conuincit, hoc pacto à me accommodata; ſi Pater & Spiritus S. non haberent omnia communia, excepta relatione oppoſita, diſtinguerentur pluſquā relatione, & proinde diſtinguerentur ſubſtantia: Nam Pater, vt Pater non eſt relatiuum ad Spiritum S. ſed vt ſpirator, Ergo ſi Pater, vt Pater diſtinguitur à Spiritu S. diſtinguitur per Paternitatem, non vt relatio eſt, ſed vt eſt forma quædam in Patre ſubſiſtens: proinde Pater & Spiritus S. in ſubſtantia differunt: quæ eſt hæreſis Ariana. Iam igitur generare, & ſpirari non ſunt relatiue oppoſita, Ergo Pater ſuam actiuam generationem id eſt Paternitatem communicat Spiritui ſancto, Ergo Pater & Spiritus Sanctus ſimul generant filium. Ac quemadmodum Pater ſpirans, & Filius ſpirans non ſunt duo ſpiratores, ſed vnicus; ita Pater generans, & Spiritus ſanctus generans non erunt duo Patres ſeu genitores, ſed vnicus; quia vna, & eadem Paternitate generant filium. Quæ collectio eſſet audaciſſima, procaciſſima, & in eccleſia omni conatu comprimenda. An ſi modus hic argumentandi bonus eſt & legitimus, non licebit aſſerere Spiritum ſanctum quoque eſſe ingenitum, eo modo quo Pater dicitur ingenitus, quia cum Pater communicet omnia ſua Spiritui ſancto, quæ oppoſitionem relationis non habeant, cum in Spiritu ſancto nihil ſit, quod relatiue opponatur notioni illi Ingeniti; quæ eſt propria perfectio Patris poſitiua illam quoque Spiritui ſancto communicabit. At neſcio quis audeat Spiritum ſanctum dicere ſic Ingenitum; Licet verum ſit negatiue Spiritum S. non eſſe genitum, ſed procedentem. Ita quoque Filius ſi ſua ſpiratione actiua dat eſſe ſpiritui ſancto ſimul cum Patre, communicabit eidem Spiritui omnes ſuas proprietates, ſi oppoſitio relationum non impediat: Igitur communicabit filiationem ſuam Spiritui S. Nam filiatio, & ſpiratio paſſiua non ſe aſpiciunt relatiue, & ſic Spiritus S. eſt ſimul cum Filio vnicus filius, quæ ſunt abſurdiſſima. Iam enim eſſet cum Patre ingenitus, & cum filio genitus. Fortaſſe itaque notionalia ita ſunt cuiuſque perſonæ propria, & perſonalitati cōiuncta, vt ſicut perſonalitas in diuinis eſt incommunicabilis, ita proprietates omnes perſonales ſint incommunicabiles ſiue relatiue opponantur, ſiue non. Et hęc ſunt ſubtiliſsima, ac ſobrijſsime tractanda. Noſtra ergo huiuſmodi metaphyſica non poteſt, niſi ad innumeros nos deducere errores, & intolerabiles abſurditates in diuinis: Sacra ſcriptura non eſt per ſimiles collectiones & deductiones profananda, ſed cum ſimplicitate intelligenda, atque cum magna ſobrietate agitanda.

CXXIX. Sed neque in ipſo Concilio Florentino apparet vlla vera & legitima definitio; Nam habito à Græcis ſolo conſenſu permiſsiuo, licere Latinis proceſſionē à Filio aſſerere, Eugenius formauit literas vnionis, in quibus ſex ad minimum articuli definiuntur. 1. *Spiritum ſanctum à Patre, Filioque procedere.* 2. *Additionem ad ſymbolum declaratiuam, licite & ex neceſsitate factam fuiſſe.* 3. *Et in azymo, & in fermentato poſſe Euchariſtiam conſecrari.* 4. *Purgatorium eſſe, animaſque iuuari precibus, & miſſis, &c.* 5. *Romanum Pontificem habere primatum capitis in Eccleſiam vniuerſalem.* 6. *Patriarcham Conſtantinopolitanum ſecundum eſſe, & ſua habere priuilegia.*] Et tamen circa ſolum primum articulum habitus eſt conſenſus Græcorum, neque abſolutus, ſed permiſsiuus: Secundo vero articulo expreſſe perpetuo reſtiterunt; ſchiſmatis enim totam cauſam additioni illi, & non aſſertioni tribuebant: Ita Epheſinus Seſſ. 3. Ita Beſſarion Seſſ. 8. Ita rurſus Epheſinus Seſſ. 12. Et cum Papa vrgeret vt ipſi quoque Græci particulam *Filioque* Symbolo adderent, Græci reſponderunt: *a Nos Pater* a Concil.
ſanctiſsime, illud FILIOQVE *verum eſſe concedimus, & ipſum in Occidentali Eccleſia celebrandum permittimus— ipſam tamen particulam ſymbolo noſtro apponere noluimus, ſed hac conditione vobiſcum coniungimur.*] Non ergo conſenſerunt definiri debere recte factum, id quod ipſi facere omnino recuſarunt: licet pacis, & concordiæ cauſa additionem illam in Occidente permiſerint, & tolerandam duxerint. Sed hoc ipſum fuit ſtatim ab Orientali Eccleſia reprobatum, quæ miſerat iſtos, vt ſymboli potiſſimum reſtitutionem vrgerent & additionem ex ſymbolo auferendam curarent. & in hoc à ſua commiſſione feſſi, & indigi, receſſerunt, nullaque habita in ea quæſtione ſatisfactione, vt proteſtationes ipſorum oſtendunt, ad conſenſum attracti ſunt, ſcandali, & ſciſſionis materia intacta relicta, cum plena Latinorum victoria in eo in quo maxime, & inexcuſabiliter, vt iam oſtendi, errarunt, ac Græcos iuſta petentes, eluſerunt. Quis vero non rideat obiter inſulſas & ordinarias Baronii prophetias, ſeu diuinationes, *b Incrementum Chriſtianitatis in Hiſpa-* b Bar. to. 6.
niæ, & Gallus additioni ad ſymbolum huius particulæ FI- an 447. n.
LIOQVE *eſſe tribuendum: Contra vero Orientales ſchiſmaticos, ex quo hoc additamentum reſpuerunt, Turcico iugo premi.*] Manet tamen ſub illo iugo copioſiſſima, & religioſiſſima Chriſtianitas. At vero iugum hoc Africam non modo oppreſſit, ſed in ea eccleſias olim florentiſsimas deleuit; & Chriſtianū penitus extinxit nomen: & tamen Africa fortaſſe prima, cum Auguſtino (vt ſuperius vidimus) firma fide credendū eſſe profeſſa eſt, Spiritum S. ex Patre & filio procedere; quid his diuinationib. ſtultius? Damaſum quoq; ibid. Baronius facit proceſsionis ex Patre, & Filio, aſſertorē. Sed imperite: quia Damaſ. ne verbū quidē de proceſsione. Spiritum non eſſe tantū Patris Spiritum, ait, ſed etiam Filii. Hoc habent Scripturæ. Spiritum à Filio quoq; procedere neq; Scripturæ habent, neq; Damaſus affirmat. An non etiam illa licentia eſt Baronii pluſquā poetica; Quod libere, abſolute, audacter, in Papatus exaltationē pronunciat, ex Leonis præſcripto primū in ſymbolo cuiuſdam Hiſpanici Concilii poſitam eſſe additionem illā FILIOQ; cuius aſſertionis nullam habet probationem, nullum adducit hiſtoricū documentum, ſed in vnico Leonis in quadam: *c* E- c Leo ep 4
piſtola ad Hiſpanos data per tranſcurſum poſito verbo, quo ille Spiritum à Patre & filio procedere curſim cōmmemorauit, factum hiſtoricū collocat deductione remotiſsima. Iam enim Auguſtin. ante Leonē proceſsionē ex Patre & Filio aſſeruerat. Leo eandē affirmarat, & ideo Cōcilia etiā illa Hiſpanica in ſua fidei confeſsione eandē exprimebāt. Omnia autē vel tempore Auguſtini, vel poſt tempora Auguſtini celebrata ſunt. Facile tamen & *d* Baronio, & d Barō. to.
e Bellar. aſſentior, Regulam illam, ſeu profeſsionē 5. an. 405.
fidei, quæ tanquam appendix additur Cōcilio pri n. 58 & to.
mo Toletano, in qua expreſse ponitur Spiritus 6. an 447.
ſanctus ex Patre & filio procedere, improprio lo- n. 19.
co recenſeri. Siquidem edita fuerit poſtea in Con- e Bellar. de Conc. l. 5. 8
ciliis Hiſpanicis contra Priſcillianiſtas tempore ad 1.
Leonis Papæ. Sed non magis autoritate Leonis, quam Auguſtini Concilia illa proceſsionem Spiritus S. ex Patre & ſimul ex Filio, aſſeruerunt. Ad Concilium Florentinum redeamus.

Quatuor

CXXX. Quatuor reliqui articuli literarum vnionis Eugenij quarti in Concilio Florentino, nullo modo erant definibiles, quia neque diſcuſſi, neque examinati: imò etiamſi diſcuſſi & examinati fuiſſent, legitima diſcuſſio non fuiſſet, Græci enim coram Papa articulos hoſce, & ſimiles proponēte reſpondent: *a Nos, Pater ſanctiſſime, nullam ad hæc reſpondendi facultatem habemus, tamen ex nobis ipſis proferimus, &c.*] Et dixerunt, *b Se ſine totius Orientalis Eccleſiæ autoritate quæſtionem aliam tractare non poſſe, cum pro illa tantum de Spiritus ſancti proceſſione ſynodus conuocata fuerit, &c.*] Si quid ergo de his articulis dixerunt, id totum priuatum fuit, ac nequaquam conciliare; atque hoc etiam extortum, imò & diſtortum; quia opis indigi Græci auxilia impetrare conabantur, & ſe quamprimum inde expedire; & hæc fuit cauſa cur illis literis vnionis & conſenſum dederint, & ſubſcriptiones appoſuerint; quamuis ipſorum confeſſio præceſſerit ſe commiſſionem non habere, niſi ad ſolam de proceſſione tractationem. Et in ſpecie quanti momenti ſit definitio illa de Primatu Papæ, colligere poſſumus ex dicto Beſſarionis, quod tale eſt. *c Sciatis tamen, velimus, addendi ſymbolo facultatem non ſolum Romanæ, verum etiam vniuerſali Eccleſiæ, generalique ſynodo interdictam fuiſſe. Si quidem igitur Romana Eccleſia quauis facultate prædita ſit, vniuerſali tamen Eccleſia, quam generalis ſynodus præ ſe fert, inferior eſt: ſi eiuſcemodi facultatem ab vniuerſali Eccleſia tollimus, multo magis ipſam à Romana Eccleſia tollendam putamus: tollimus, inquam, non noſtra authoritate, verum maiorum noſtrorum decretis.*] Et ex Marci Epheſini reſponſione ad Iulium Cardinalem: *d Quod autem, inquit, ad Romanam Eccleſiam, ſummumque Pontificem adſpiciens protuliſti, Catholicam Eccleſiam ac eius principem commune ſymbolum reformare poſſe, idcirco tones hæc à te repetita præterire non poſſumus indiſcuſſa. De hac igitur quæſtione ſequenti ſeſſione, ſi vobis videbitur, diſputabimus, argumentaque plurima, & fortiſſima pro noſtra cauſa aſſeremus. Sed quoniam vehementer ambigimus ne ſermones huiuſmodi aures veſtras offendant; ideo, ſi vobis videbitur protuli.*] In priuato quoque exponendo ſenſu Græci de Papatu hæc pauca attexuerunt. *e Summum vero Pontificem priuilegia ſua mereo habere debere, quæ ante noſtrum diſsidium habuiſſet.*] Et ex hoc innumeras limitationes admittente dicto abſolutum ſuum Papatum Eugenius poſuit in definitione. Mirumne propterea ſi Oriens ſtomachatus literas illas vnionis, & quicquid actum fuerat in hoc Concilio abiecerit; in quo Græcus Imperator magis de ſubſidiis Occidentalium, quam de fide ſolicitus, cum ſuis Prælatis cæcis oculis, muta lingua, inuitoque calamo, ac renitente illegitimis definitionibus ſubſcripſerint. *f Græci enim* (vt ſcribit Chalchocondylas) *reuerſi Byzantium acta edocent, eos qui domi manſerant, qui quidem noluerunt ſtare ijs, quæ acta erant in Italiæ ſynodis, putantes, ſibi neutiquam fas eſſe conſenſum præſtare Romanis nefaria aſſerentibus. Hinc perpetuo diſcordiam fouiſſe Græcos in negotio Religionis aduerſus Romanos, conſtat.*] Mitto nunc Concilium illud Ferrarienſe, & Florentinum in ſchiſmate vniuerſalis Eccleſiæ totum factum; Eccleſia tunc ipſa noſtra Occidentali diuiſa exiſtente, cuius vna pars, & valde inſignis Concilium Baſilienſe celebraret eodem tempore, altera vero Ferrarienſe, & Florentinum. Sed neque potuit vlla ratione eo tempore in vllo quantumuis ex omni parte legitimo Concilio res hæc definiri, quia ſcripturam claram nullam habet, neque deductio ex ſcripturis poteſt vlla certa fieri, cum ſit penitus ignotum quid ſit in diuinis procedere: Traditionis quoque veræ, & legitimę adiumentum nullum adeſt, vt obiiciebam contra Concilium Lugdunenſe. Definitiones vero abſque illis regulis factæ inſufficientes ſemper erunt, incertæ, & fallibiles. Ideoq; etiam Toletana, quæ *g* Bellarminus quoque citat Concilia, certas non poſſunt habere, vt ſuperius monui, definitiones; cum præſertim in nullo proceſſio ipſa in diuinis fuerit diſcuſſa, ſed in illis Conciliis, ſicut & in ſeptima ſynodo generali (niſi adſit impoſtura,) per tranſcurſum aliquid de illa, per ſolam ſymboli recitationem dictum eſt. Cum igitur noſtra latina Eccleſia nullam habeat in hoc genere ſufficientem definitionem, iuſtam cauſam non habet Gręcos hæreſis in hoc condemnandi, ac proinde à communione abiiciendi. Si verò illi ſymboli reſtitutionem peterent, ſane iuſta eſſet ipſorum petitio, & honeſta, neq; eſſet nobis vlla iuſta cauſa ipſis renitendi.

a Ibid.
b Ibid.
c In eodem Concil. ſeſſ. 9.
d Ibid. ſeſſ. 12.
e Ibid. ſeſſ. vlt.
f Chalcho. initio ſuæ hiſt. de reb. Turc.
g Bellar. de Chriſto l. 2. c. 21. & 23.

Aliud fuit ſemper vlcus in pectoribus Romanorum Pontificum latens, ac ſubinde in saniem erumpens, quod Eccleſiam Græcam à Latina ſæpius diſiunxit, & adhuc diſiunctam eſſe cogit, nimia AMBITIO, vſurpatioq; ſupremi Papatus Eccleſiaſtica, imo & temporalis, MONARCHIA. Obedientiam, & ſubiectionem omnium Eccleſiarum Papa poſtulat, in eaſq; deſpoticum dominium vellet exercere. Patriarchæ Orientales ſe Romano ſubditos nūquam agnouerunt, nunquam agnoſcere voluerunt, non enim ſunt, vt probaui iam ſæpe in præcedentibus, libro præſertim 3. c. 10. & l. 4. c. 4. Hinc audiunt ſchiſmatici, & ſchiſma prætenditur cauſa ſeparationis. Schiſmatis auferendi viam ſolam proponūt noſtri, ſi Græci ad obedientiam veniant, & ſe Romano Pontifici ſubdant. Ego vero hoc nomine Græcos nunquam ſchiſmaticos dixerim, quia iam probaui Papatum nullum eſſe, & vnionem Eccleſiæ non ex ſubiectione, & obedientia, ſed ex fide, charitate, amore, & coniunctione totam pendere. Quod Gręci Papæ ſe ſubmittere in obedientia, & iuriſdictione nolint non errant; in fide orthodoxos illos eſſe iam probaui: ſi tolerent nos proceſſionem Spiritus ſancti etiā à filio affirmare; & fortaſſe etiam nō grauate ferant nos in ſymbolis additionem illam retinere, modo neutra pars alterā pro illo proceſſionis articulo vt hæreticam damnet, Cur non fiat vnio? Cur ſchiſma non tollatur? ſed Hieromonarchia illa peſtifera, iniuſta petens, ad iniuſta cogens, & fuit ſemper, & eſt, & erit grauiſſimorum ſchiſmatum cauſa. CXXXI.

Antiquus morbus eſt hic Pontificum Romanorum, leuis initio, poſtea grauior, in dies auctior, ac demum factus inſanabilis; ex quo ſchiſmata Orientis toties pullularunt, ac demum facta ſunt irremediabilia. *h Victor Romanus prima ferme iecit ſchiſmatis fundamenta*; dum partim bono zelo ductus, partim ſibi nimium tribuens, Aſiaticos volebat excommunicare, hoc eſt à ſua ſuæque Eccleſiæ, & conſequenter aliarum cum ſua communicantium communione ſeparare, propter diuerſitatem in Paſchatis ſolennitate celebranda: Iam Polycrates, reliquique Aſiatici reſiſtentiam parabant, neque ſe Victori ſubdere volebant, imprudenter ad excommunicationes, & conſequenter ad faciendum ſchiſma properanti. Irenæus & alij meliora conſilia Victori ſuaſerunt, & ſchiſma impedierunt. Quod iam ſępius hactenus in exemplum in meo hoc opere fuit afferendum. CXXXII.

h Hoc op. l. 5. c. 9. n. 12.

CXXXIII. Stephanus Papa in Cyprianum, propter controuerſiam Anabaptiſmi commotus, quantum in ipſo erat, non modo Africam pene totam à ſe, ſuiſq; ſequacibus Eccleſiis, dum in excommunicationem præceps ruebat; ſed etiam Aſiaticas Eccleſias non paucas Cypriani opinionem amplexas diuiſiſſet. De quo ſchiſmatis periculo, imo initio egi ſæpius, præſertim lib. 4. cap. 8. n. 9. Multo prudentior illo fuit Cyprianus, qui ſua eximia pietate, & charitate, etiam in diuerſa ſententia malum ſchiſmatis euitauit.

CXXXIV. Iulius Papa nimia vſus autoritate in actis ſynodorum Orientalium iudiciariis, non ſeruato Canonum moderamine, reſcindendis, turbas ingentes excitauit, & non modo Euſebianos, ſed etiam orthodoxos contriſtauit; ac niſi Imperator diſſidia compoſuiſſet, in peſſimum ſchiſma rixę illæ erupiſſent. Qua de re egi ſatis lib. 4. capit. 8. numer. 10. & ſeqq.

CXXXV. Concilium Conſtantinopolitanum primum, quod fuit ſecundum generale, Conſtantinopolitanam ſedem inſigni priuilegio decorauit, vt ſedes eſſet Patriarchalis ſecunda poſt Romanam, ſed paribus in omnibus ornata eſſet priuilegiis cum Romana. Hoc iam Romanos Pontifices pupugit acriter. Noluerunt canones huius Concilij admittere, niſi dogmaticos: ſiluerunt tamen. Sed vbi poſtea Concilium Chalcedonenſe canonem eundem Conſtantinopolitani Concilij priuilegia Patriarchæ Conſtantinopolitano firmantem repetiit, & denuo ſtabiliuit, tunc Leo Romanus Pontifex in Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum vehementer exarſit; & quidem partim ipſiuſmet prudentia, partim Martiani Imperatoris diſcretione, ne ſequeretur ſchiſma, effectum eſt; plurimum tamen exulcerati ſunt animi Orientalium ex nimio Leonis, in cauſa ex ipſius parte iniuſtiſſima, rugitu. qui ouis cum eſſet, & agnus, non vere Leo, in omnia animalia ſceptrum, & dominatum ambiuit, ac proinde ijs nimium ſuccenſuit, qui huic iam vſurpari cœpto dominatui contrairent. De priuilegio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & de Leonis hac in Anatolium indiſcreta ira pluribus egi lib. 4. cap. 4. De Africanis cum Romana Eccleſia ſimultatibus, & diſcordiis, ac de Africano pene ſchiſmate, ex Zozimi nimia ambitione, & imprudentia, nihil dico, quia de ſolo Græcorum ſchiſmate agendum mihi propoſui. Sed hæc quoque diſcordiæ ex Papatus peſſima radice enatæ, Orientalibus ipſorum vlcera ab eodem Papatu, licet adhuc in puerili ætate conſtituto, inflicta, refricuerant, & inde quoq; in hunc Papatum acrius exarſerunt: ad eos enim tunc Africani confugium habuerunt, vt per eos Nicæni canones ipſis authentice innoteſcerēt. De his vero Africanis ſimultatibus, & rixis egi ſimiliter lib. 4. cap. 8. n. 28. & ſeqq.

CXXXVI. Primum tamen formatum, & ſane ingens ſchiſma, quo Oriens ab Occidente diuiſus eſt, Eccleſiaſtica abrupta communione, ſub Simplicio Romano, & Acacio Conſtantinopolitano Patriarchis contigit. Culpam totam in Acacium coniicit Baronius, [a] *Acacius*, inquit, *ad nouas res adiiciens animum, reuocare tentauit; quod Anatolius fruſtra conatus fuerat, ſub Leone Romano Pontifice, tanquam ex duobus œcumenicis Conciliis Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi indebite vſurpare, vt ſedes Conſtantinopolitana poſt Romanam locū principem obtineret, cuius rei gratia aſtuto conſilio rem pedetentim acturus, tantæ erigendæ molis iecit eiuſmodi fundamentum: Leonem Imperatorem adiens, fit illi auctor ſanctionis edendæ, qua cuncta conceſſa Eccleſiis priuilegia iam perdita reſtitueret, atq; firmaret: id nimirum acturus, vt hac via quod Anatolius Gennadii prædeceſſor, reſiſtente Leone Romano Pontifice, de Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ primatu viſus fuerat feciſſe diſpendium, ipſum illi in integrum reſtitueret. Sed attende Imperatoriam ſanctionem, & conſidera Acacium per ſecretum tramitem in iura Patriarchalium Eccleſiarum irrumpere: ſic enim ſe habet, &c.*]

[a] Bar. to. 6. an. 472. n. 2.

CXXXVII. Siccine Annales Eccleſiaſtici ſcribuntur? materia annalium ſunt ne res geſtæ, an ex ſola Annaliſtę imaginatione depromptæ? Vnde habet Baronius ſecretum illud conſilium Acacij? num ex hiſtoriis? num ex fama? num ex literis? ſed quid opus habebat Acacius conari, vt per ſecretum tramitem irrūperet in iura Patriarchalium Eccleſiarum? ſecreti tramites ab iniuſta volentibus quæruntur. Iura vero Patriarchalia Eccleſia Conſtantinopolitana poſſidebat; & iuſte. In duobus œcumenicis ſummę autoritatis Conciliis illi legitime conceſſa ſunt; Præceſſores Acaci; poſt illas conceſſiones Patriarchæ fuerunt, & iure Patriarchali plene vſi ſunt, nullis Imperialibus edictis ad hoc opus erat. Nam & illud Leonis Imperatoris edictum nihil ſedi illi de nouo tribuit: [b] *Omnia*, inquit, *quæ ante noſtrum Imperium, vel nobis imperantibus habuiſſe dignoſcitur, habere in perpetuum firmiter, Regia vrbis intuitu, iudicamus, & ſancimus.*] Firmat priuilegia, quæ erant in vſu, & non concedit noua, nec reſtituit antiquata. Fallitur vero plurimum Baronius dum, more ſuo, ex ſe & propriis ſomniis audacter affirmat, Anatolium fruſtra conatum fuiſſe ſub Leone Patriarchalem arripere dignitatem. Ego enim plene probaui, [c] Anatolium perpetuo dūvixit Patriarchalem exercuiſſe poteſtatem, fruſtra & in vanum Leone renitente. Gennadius vir ſanctus ſucceſſit Anatolio, Gennadio proxime Acacius. Non ergo Acacius nouas turbas quærebar, dum Patriarchalem ſuam legitimam exerceret, & tueretur dignitatem, nec aliquid noui molitus eſt, dum prædeceſſorum ſuorum inſiſtit veſtigiis, & ſuæ ſedis illas cuſtodit prærogatiuas, quas antiqua conſuetudo, quas œcumenica Catholica Concilia, quas vniuerſalis Eccleſiæ (vnica Romana excepta) firmauit aſſenſus, & vſus ipſe corroborauit. Vocare itaq; Acacium irruptorem in iura non ſua, & per ſecretum tramitem, hoc eſt, fraudulentum, faſtu tumentem, ſtylo ſuperbiæ vtentem, vſurpatorem, ex eo ſolum quod Leo Imperator legem dederit Eccleſiis immunitates, & priuilegia confirmantem, neq; eſt animi pij, neq; religioſi, neque Chriſtiani, neq; hominis ſimpliciter.

[b] Ibid. n. 4.

[c] Hoc q. l. 4. c. 4. n. 33. & ſeqq.

CXXXVIII. Inchoandæ vero tragœdiæ argumentum, quod [d] Baronius contra Acacium format, non eſt argumentum, ſed hominis veterno obruti confuſum inſomnium. Acacius, vt dixi, erat iam Patriarcha, iura Patriarchalia illi ſedi à duobus œcumenicis Conciliis data ſunt, Imperiali edicto Leonis nuperrime confirmata; edictum ad verbum recitat Baronius: quæ ergo neceſſitas fuit vt Leo Imperator à Simplicio peteret ſedis Conſtantinopolitanæ euectionē? à quo repulſam paſſum neſcio quam etiam Gelaſius, quem profert [e] Baronius, ſomniauit. Hallucinatum in eo quod de Martiano protulit Gelaſium clare oſtendi lib. 4. cap. 4. n. 25. 26. Similiter hallucinatum fuiſſe in Leone neceſſe eſt. Et Baronius ſuper ſtramineum fundamentum erigit molem ingentis ponderis, & magnitudinis. Leo enim, qui iam [f] edicto ſuo ſolenni ſedem Conſtantinopolitanam in Patriarchali priuilegio confirmarat, certe poſt datam legem ſtulte à Simplicio id, quod iam ipſe fecerat, imo quod iandiu in vſu eſſet, & Leone ipſo Pontifice, poſt aliqualem inutilem ſtrepitum, & ſucceſſo-

[d] Baro. to. 6. an. 472. n. 45.

[e] Ibid. n. 6. 7.

[f] Not. lib. 4. c. 4. n. 13.

ſucceſſore ipſius Hilario patienter tandem conquieſcentibus, ſed poſtea Gelaſio vaniſſimè in priuilegia Conſtantinopolitana inſurgente, petiiſſet. Non ne Baſiliſcus, dum Imperatorem agebat, in officio Principis Catholici induſtria, & ſollicitudine *a* Acacij detentus, in ſuo ſolenni reſcripto tantoperè à *b* Baronio laudato Acacium ipſum vocat *c* Reuerendiſſimum, & ſanctiſſimum Patriarcham, eique Patriarchalia iura confirmat? Quid ergo obfuit Simplicij reſiſtentia à Gelaſio, & Baronio ſomniata? aut illa quam contra Anatolium vere fecerat Leo Pontifex Romanus? Nonne *d* Epiſcopi Aſiæ, qui Tyrannide Baſiliſci coacti Chalcedonenſe Concilium abiurarant, mortuo Baſiliſco Acacio tanquam primo Orientis Patriarchæ culpam deprecaturi ſe ſubiiciunt, eique ſupplices libellos offerunt? Hæc Romanos Pontifices pungebant, eos acriter mordebant, hæc eos in Acacium ipſorum ſupremàtum moderantem, & proprium ac legitimum exercentem, concitabant, efficiebantque, vt actiones Acacij etiam iuſtiſſimæ, & prudentiſſimæ, eſſent ipſis mera ſacrilegia, & hæreſum fomenta. Atque hinc, & ex his ipſi Romani Pontifices, & eorum ſatellites, perpetuuſque Paraſitus Baronius, in Acacium debacchantur, crimina confingunt, à ſua arcent communione, ac pene hæreticum declarant.

a Euagr. l. 3. c. 7. *b* Baro. to. 6 an 476. n 63. *c* Euagr ib. & Nos. lib. 4. c. 4. n. 10. *d* Euag. lib. 3. c. 9.

CXXXIX. Acacium tamen ſemper orthodoxum fuiſſe, Neſtorianorum Eutychianorumq; ſui temporis hoſtē acerrimum, & Concilij Chalcedonenſis ſtrenuum propugnatorem, hiſtoriæ fatentur omnes, & ipſius res geſtæ, ſcriptæq; epiſtolæ, quas Baronius recenſet abunde docent. Ac niſi ille Patriarchatum ſuum in regimine Eccleſiarum Orientis exercuiſſet, ſed Romano ſe Papatui ſubmiſiſſet, non fuiſſet in tota Eccleſia, ex noſtrorum ſane encomiis, vir prudentior, ſanctior, & fidei athleta celebrior. Sed quia non patitur Regnum duos, Papæ Romani alium ſibi ſimilem Papam, qui illis Orientem iam animo deuoratum ſubduceret, pati non poterant, in illis præſertim exordiis, cum per recentes Conciliorum magnorum canones Conſtantinopolitani Patriarchæ Romanæ Eccleſiæ habita priuilegia in actum reducerent. Ideo contra Anatolium, qui primus cœpit Primatus habiti iura exercere, Leo tentauit quod potuit, ſed fruſtra. Anatolium ſubſecutus eſt Gennadius, vir pacificus, cuius tempore nulla fuiſſe, extat occaſio, nulla opportunitas Primatus exercendi. Poſt eum ſecutus eſt Acacius, qui iuribus ſuis cum nollet cedere, expertus eſt Simplicium aliquanto aſperiorem, ſed tamen quoniam ille Acacium iniuſte agere non agnoſcebat, etiam moderatiorem.

CXL. Occaſio tamen inſignis Acacio ſeſe obtulit ſui priuilegij exercendi, ex turbis quibuſdam Eccleſiæ Alexandrinæ; mortuo enim Timotheo Catholico eiuſdem Eccleſiæ Patriarcha, œconomus eiuſdem Eccleſiæ Ioannes dictus Talaia, *qui e pecuniis Eccleſiæ ſtudiuſ ſibi ad eum thronum aditum parauerat, & tamen Zenoni Imperatori ſe iuramento obſtrinxerat ſe illam ſedem non petiturum*, electus fuit, & in ſede collocatus. Is contempſit Acacium, neque ad eum ſynodicas communicatorias, de more dare voluit; ſed ad Ellum Magiſtrum, hominem Aulicum de ſua promotione ſcripſit. Cur ergo in eum Acacius non excandeſceret? Cur Zeno etiam Imperator eum toleraret; qui ambitioſum, Simoniacum, & periurū eſſe ſciret. Pars vero hæretica latenter Petrum Moggum olim Eutychianum, & Concilij Chalcedonenſis hoſtē, Epiſcopum Alexandrinum inſtituit; quem vt hæreticum & Zeno, & Acacius prius damnarant, quemque vt etiam in exiliū procul ab Alexandria amandaretur per literas ſuas repetitas ſolicitauerat Simplicius, etiam viuente Timotheo Catholico; ſed, nulla profecto aut Zenonis, aut Acacij culpa, non fuit eiectus, tota culpa fuit Timothei manſuetudo, *f* & *f* mitiſſima natura, q nemini nocere volebat. Audita ꝓmiſſione vtriuſq;, cōtriſtatuſq; Acacius q Ioannes Synodicā ad eū dare neglexerit, humanitate aliqd irarū addente, Auctor fuit apud Zenonem vt Ioannes deponeretur, variis in eū datis accuſationibus. Cumq; miſſi à Petro Moggo, in vrbem aduenisſent, offerentes eius nomine vnitatē, & orthodoxę fidei profeſſionem, vnitiuū decretum ab Imperatore edendum curauit, vocatū, Henoticon, cui ſi ſubſcriberet Petrus, ipſe & eius ſequaces in communionem reſumerentur: ita tamen vt ſynodicas, cum ꝓfeſſione ſincera fidei, iuxta formam Henotici, daret & Acacio, & Simplicio, & cæteris Archiepiſcopis. Habita harum conditionum promiſſione à Petro, Acacius eum in communionem recepit; & Ioannes Talaia ab Imperatore pelli iubetur. Aufugit ille Alexandria, *g* Antiochiam ad ſuum Ellum ſe confert, obtinet ab Antiocheno Patriarcha tunc Calediōne communionem, & literàs cōmendatitias ad Romanum Pontificem Simplicium; quem appellans Romam ſe confert; accuſat Petrum & Acaciū, Simplicius conqueritur per literas cū Zenone, & Acacio: vterq; reſpondet, *h Zeno quidē crimen periurij obiectat Ioanni*, ideoq; ait abdicatū; Petrum vero ſub cōfeſſione rectę fidei admiſſum: *i* Acacius vero reſpōdit ſe ignorare Ioannem eſſe Epiſcopū Alexandrinum. Petrum vero tanquā Catholicum ſub Honoſtico ſe ſuſcepiſſe. Ægerrime tulit Simplicius Petrū ab ipſo, & ſimul ab Acacio damnatū vt hęreticum, & à ſede depoſitum, per ſolum Acacium in ſedem reſtitui, & Eccleſiæ reconciliari.

e Euag. l. 3. c. 11. & Libera. Breu. c. 17. *f* Liber. ibi. *g* Libera. c. 18. Euag. l. 3. c. 15. *h* Euagr. c. 15. & c. 20. *i* Liber. c. 18.

k Petrus ſane hic Moggus, ſeu Mongus Epiſcopus Alexandrinus homo erat verſutus, & fraudulentus, & temporibus ſeruiens, vt ait Euagrius, & inſtabilis, ad omnem auram mobilis. Poſtquam denuo in throno firmatus eſt, cum multos haberet adhuc Dioſcori amicos, qui Concilium Chalcedonenſe, ob damnatum ipſum Dioſcorum, diris omnibus inſectabantur, hoſque videret ipſius communionem auerſantes; quia Chalcedonenſis Concilij virtute Henotici profeſſor factus fuerat, vt eos alliceret, aperte Concilium Chalcedonenſe cœpit anathematizare. Ad aures Acacij id peruenit, ſed & alia ſcelera Petri diuulgari cœperunt, hinc vehementer *l* conturbatus eſt Acacius; & propterea quoſdam miſit, qui factum cognoſcerent. Petrus tamen ſua vafricie totum obſcurare, & negare curauit. Ac vt Acacius conquieſceret ad eum confeſſionem fidei penitus contrariam rumoribus, & factis, exarauit. In qua Concilij Chalcedonenſis ſe acerrimum profitetur defenſorem; & totam Catholicam fidem confitetur. Confeſſio integra eſt apud *m* Euagrium. Acacius credulus (& quis tam ſolenni confeſſioni nō crederet) optimam de Petro conſeruauit opinionem, illumq; *n* laudibus vt orthodoxum, extollebat. Romæ etiam Petri, & mala fides, & facinora p *o* monachos Ægyptios, Ioannis fautores, flabra ordinaria dæmonum, cum incrementis & exaggerationibus aperiebantur. Simplicius iam diem vltimū clauſerat. Fælix tertius huius nominis illius ſucceſſor proximus, in Acacium cœpit detonare, *p* vocabat eum ad ſe, vt obiectis à Ioanne reſponderet, & ſe iudicio Romanæ ſedis ſiſteret; ille, qui ſe ſubditū

CXLI. *k* Euag. l. 3. c. 17. *l* Ibid c. 16. & Niceph. l. 16. c. 14. *m* Euagr. c. 17. *n* Lib. c. 18. *o* Euag. l. 3. c. 19. 20. *p* Bar. to. 6. an. 483. n. 45.

Romano

Romano Pontifici non eſſe ſciebat, & bona fide cum Petro; ſtantibus iam replicatis ipſius ſinceræ fidei proteſſionibus, communicabat, & ita pacem inter Eccleſias Orientis conſeruabat, quarum ſchiſma cernebat manifeſtum, ſi denuo Petrum, ſine cauſa, vt deceptus putabat, deponeret. Zenonique eadē ſchiſmata vitanti obſequebatur, ac etiam nō nihil iuſtæ vindictę in proteruum Ioannē ſumebat, maluit ſilere, & à reſponſionibus ceſſare, quam aculeatis Fælicis dictis aculeatiora reponere, & ita diſſenſionibus, ac ſchiſmati præbere occaſionem:

a Fælicis 3. ep. 4.

Ira igitur percitus *a* Fælix Acacium excommunicat. Contempſit illam excommunicationem Acacius.

b Liberat. c.18.

b Nam vſq; ad mortem, inquit Liberatus, *remanſit ſacrificans.*] Imo inde exaſperatus exceſſit, nec parum, non dubito, non quidem in fide, ſed in actibus quibus magis adhuc Romanam contemneret ſedem. Vbi enim Petrus cæpit orthodoxos Epiſcopos perſequi, & ſuppliciis affligere, id Acacio fuit

c Euagr l.3. c. 20.
d Liberat. c.18.

ſignificatum, *c Acacium vero Petro in omnibus quæ moliebatur ſubſidio fuiſſe memorant.*] inquit Euagrius. *d His ergo prouenientibus*, ait Liberatus, *& Acacio in Petri cōmunione permanente, ſeparauit ſe ſedes Apoſtolica à Conſtantinopolitana.* Ecce primum formatum inter totū ferme Orientem, & Occidentem ſchiſma, ex odio Romanorum Pontificum in Acacium, inde maxime concepto, quod ille in reponendo Petro primatum exercuiſſet: & repoſuit quidem indignum, & puto vere ſemper hæreticum Eurychianum, ſed illius hypocriſi bona fide deceptus. Cæterum ſemper optime ſana fide ac religione, pietatiſque zelo diſpoſitus. Nam & poſt Fælicis ſententiam ſcripſit

e Euag. lib. 3.c.21.& Niceph.l.16. c.17.

epiſtolā *e* ad Ægyptios, *quæ eos ſchiſmate diſſidentes conatus eſt ad concordiam reducere.* De quibus rebus ſcripſit etiam ad Petrum Epiſcopum Alexandrinum. Poterat igitur aliquid in eo tolerari; accipienda fuit ab eo excuſatio, anſa ei conſeruandę vnionis porrigenda erat, non auferenda, non minis, non monitoriis, & citationibus, non iuriſdictione in eum agendum erat, ſed placida humanitate; Qui etiam Eutychianam hæreſim vehementer oderat, à communione talium facile abſtractus fuiſſet. In Petri doctrinam & mores erat communi opera inquirēdum; & communicato conſilio, coniunctiſq; viribus, cum debita prudentia, & circumſpectione peſtis illa extinguenda: ſed Simplicius, & Fælix in ſolum Acacium, virum orthodoxum, & pium, totum ſuum virus effuderunt, plus enim ambitione ſui Primatus, quam odio hæreſis mouebantur, ideoq; ſchiſma illud valde turpe ſequutum eſt, & aliquandiu inter vtriuſque partes ſucceſſores durauit, ſane ſemper multo magis culpa Romanorum, quam Græcorum vt iam oſtendo.

CXLIII. Mortuo Acacio ſucceſſit ei Flauitas: alias Phrauitas: is pacis amore, deſiderioq; reconciliationis, & communionis cum Romana Eccleſia, quæ ſub Acacio abrupta fuerat, reparandæ, antequam inthronizaretur conari voluit, vt communionem Romanam inſtauraret, vt explicaui lib.3.cap.12.n.44.

f Niceph.l. 16.c.19.

vafre tamen, & doloſe, ſi *f* Nicephoro credimus; quia eodem tempore contrarias literas, & ad Romanum, & ad Alexandrinum Moggum ſcripſit. Sed verſipellis homo quarto ſuæ promotionis doloſæ menſe mortuus eſt. Huic ſucceſſit Euphemius, vir Catholicus, pius, & prudens. Is nihil eorum omiſit, quæ iuſte ſatis eſſe poterant Romano Pontifici, ad communionem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & conſequenter plurimis in Oriente reſtituendam.

g Euagr.l. 3.c.23.&

Euphemius ſane ſtatim *g* Petrum Moggum nebulonem à ſua excluſit communione, & cōtra ipſum cēſuris, & ſynodis acriter pugnauit, quoniam ille Concilium Chalcedonenſe abiiciebat; ciuſq; nomen è diptychis amouit, & nomen Fælicis ab Acacio expunctum, in ſacras haſce tabulas repoſuit.

Niceph.l. 16.c.19.

Communicatoriaſque cum plena fidei profeſſione ad Fęlicem miſit. *h* Anaſtaſium nouum Imperatorem, ei de hæreſi ſuſpectum coronare recuſauit, donec ab eo confeſſionem Catholicæ fidei plenam habuerit; *i* Minatus quoq; ei eſt tonſurationem hoc eſt depoſitionem ab Imperio, & in monaſterium detruſionem (popularibus id interdum factum eſt ſeditionibus) & in omnibus ſe orthodoxæ fidei ſtrenuum exhibuit pugilem.

h Theodo. lect. colle. l.2.
i Suidas apud Baro. to.6. an. 491. n.7.

Quoniam tamen Acacij nomen in diptychis retinebat, quem ſciebat orthodoxum fuiſſe, & de communione cū Moggo, ob huius dolos, & fraudes excuſabilem, populo interim, & toti Orienti acceptiſſimum, Fęlix ipſum Euphemium tanquam ſolicitum Primatus ſui aduerſus Romanos propugnatorem, noluit in communionem admittere Epiſcopalem.

Mortuo Fælice, factus eſt Epiſcopus Romanus CXLIV.
Gelaſius; Huic Euphemius, ſchiſmatis hoſtis acerrimus, vnionis amantiſſimus dat literas de more communicatorias, Catholicam confeſſionem exactam continentes. Gelaſius, vt errorem ſui prædeceſſoris Fælicis in excommunicando imprudenter Acacio, defenderet, odio etiam ipſe implacabili in Acacium mortuum totus ardens, Primatumq; ſuū aduerſus priuilegia noua Conſtantinopolitanæ ſedis vendicare cupiens, negat Euphemio communionem, niſi Acacij nomen ex albo Catholicorum deleuerit. Iniuſta petenti noluit Euphemius obſequi. Sicut enim Gelaſius hac Acacij expunctione excommunicationem Fælicis, vt iuſte datam, approbari volebat, cum Acacij plena damnatione, tamquam vere criminum rei; Ita Euphemius meliori iure, Acacij ſui prædeceſſoris integram famam cōſeruare debuit: quippe qui iniuſta perculſus fuerit à Fælice excommunicatione, ex ea ſola cauſa, quod Petrum reſipiſcentiam pollicentem, ad vitāda ſchiſmata, in ſedem, Patriarchali autoritate, & priuilegio ſui Primatus in Oriente, repoſuerit, & ſe iuriſdictioni Papali ſubmittere noluerit. Non ergo potuit, neq; debuit Euphemius, abolitione nominis Acacij excommunicationem tanquam iuſtam, quæ iniuſtiſſima fuerit, approbare. Suis tamen valde diſcretis, & prudentia ſacra plenis literis conatus eſt Gelaſium ad communionem mouere, etiam manente in ſacris diptychis Acacij nomine. Cuius argumentis Gelaſius in ſchiſmate obfirmatus, & rationi non cedens, conatur vtcunque reſpondere; ſed profecto in verbis callide, at in re frigide ac inſulſe.

Poſcebat à Gelaſio Euphemius literas commu- CXLV.
nicatorias ex lege & conſuetudine Eccleſiaſtica. Quid ad hoc Gelaſius? *k Fuit*, inquit, *quondam Eccleſiaſtica hæc regula apud Patres noſtros, quibus vna Catholica Apoſtolicaq; communio ab omni præuaricatorum libera pollutione conſtabat.*] Clypeum hunc ſæpe obiectat Gelaſius, quo ſuum tegat ſchiſma. *l* Nullum enim ſchiſma eſt quod non ſibi aliquam confingat hæreſim, vt recte ab Eccleſia diſceſſiſſe videatur, inquit Hieronymus.

k Gelaſ. ep. 9.
l Hier in ep. ad Tit. c.3.

At fatebatur ei Euphemius Eurychetem, eiuſq; ſequaces Dioſcorum Timotheum Ælurum, Petrum Moggum fuiſſe hæreticos, & vitandos, & horum communionem, quæ ſit malæ fidei, & in ipſa hæreſi, omnino fugiendam. Acacium tamen fuiſſe perfecte orthodoxum, & communionē ipſius cum Petro, ante ſententiam Fęlicis, fuiſſe bona fide, & non in hæreſi; quia profeſſionem ab eo

integram

integræ fidei habuerat, aut ſaltem promiſſionem: Ideoque non potuiſſe, neque poſſe Acacium in eorum numero reponi, quorum communio inficiat & polluat; quia iniuria ei grauis fit, ſi ex communione illa bonæ fidei, & ad vitandum ſchiſma, hæreticus talis cenſeatur, vt ipſius communio etiam alios expulſione dignos efficiat. Idq; obiectum fuit Gelaſio ab Euphemio. Ad hæc Gelaſius iſta reponit: *a Quaſi non ſit deterius, & non ignoraſſe veritatem, & tamen communicaſſe veritatis inimicis.*] Communicare ſcienter veritatis inimicis, eſt reatus grauis, ſed communicare lupo ouis pelle induto, communicare hæretico Catholicam fidem ficte profitenti, omnino excuſabile eſt, & â culpa immune.

a Gelaſ. ib.

CXLVI. Opponebat Euphemius Acacium nunquam fuiſſe hæreſis damnatum, ac propterea immerito excommunicatum. Reſpondit primo Gelaſius: *b Quaſi re vera, etiam ſi eum nullus ante damnaſſet, non habuerit orthodoxæ, & Apoſtolicæ communionis, cuius præuaricator extitit, & deſertor, participatione ſecludi: ſicut etiam quilibet qui fuerit ante Catholicus, cuicunq; hæreſi cõmunicans, merito iudicatur à noſtra ſocietate remouendus: aut in tali ſorte defunctus, inter Catholicorum nomina nullatenus computari.*] Si Acacius communicaſſet Petri hęreſi & fuiſſet legitime conuictus, merito excommunicatione plectendus fuit: Sed neq; hæreſi cõmunicauit, qui ab illa hæreſi erat alieniſſimus, neq; auditus, neque conuictus fuit, qui ſuam bonam fidem facile oſtendiſſet, & Petri Catholicam confeſſionem exhibuiſſet, qua deceptus ei communicauit, & ita ſe nequaquam excommunicandũ eſſe oſtendiſſet. Reſpondet ſecundo. *c* In Synodo Chalcedonenſi damnatam fuiſſe Eutychianam hæreſim, & omnes ſectantium cõmunicatores, & cõplices.---*Proinde, ſi ea*, inquit, *quæ in ſynodo Chalcedonenſi pro fide, & cõmunione Catholica, lege Apoſtolica definita ſunt, vere certeque ſectamini, ſicut veſtra profeſſione multiplici continetur, aut ſucceſſores ab illa ſynodo damnatorũ, ijsq; communicantes abiicite, aut ſi iſtos admittitis, peracta in ſynodo labefactare conamini, & in Eutychianam hæreſim ſine retractatione recidistis, meritoq; à Catholicis probamini eſſe vitandi.*] Eodem ſemper reuoluitur. Iam reſpõſum eſt, Acaciũ, ante Fælicis excõmunicationem, abſq; culpa cum Petro cõmunicaſſe, quando Petrus ſe Catholicum profitebatur: ideo illa cõmunio ipſius abiectionis cauſa ſufficiens non erat. Imo & poſt excõmunicationem ſi cõmunicauit cum eodem, homini ficto, & verſipelli nimium credidit, omnia neganti, q̃ in eum iactabãtur; nam & ſanam doctrinã in Eccleſia Alexandrina, vt vidimus, Acacius ſemper conatus eſt conſeruare. Inſtat Gelaſius: *An Petrum dicitis fuiſſe purgatum, cui communicauit Acacius? veris aſſertionibus edocete, hoc oſtendite, hoc probate, &c.*] Huic inſtantię reſponſio fuit in promptu; Affuit primum firma Petri promiſſio facta Imperatori, & Acacio; deinde etiã adiecta ipſius in ſcriptis ſolennis, & authentica orthodoxæ fidei confeſſio. Poſtea tamen patuit, & ſi non Acacio, qui deceptus non credebat Petrũ vere hæreticum eſſe, & Concilium Chalcedonenſe Leoniſq; tomum anathematizare, ac orthodoxos perſequi, ideo Petro anathema dicebat Euphemius, eiuſque nomen ex diptychis delebat. Sed quia Acacius vere Catholicus in hæreſi cum Petro non communicauit, neq; præſumi iure potuit cum Petro eodẽ morbo hæreſis laborare, ideo ipſe vitandus nequaquam erat: Sola n. illa cõmunio cum hæreticis damnat communicantes, quæ efficit vt ipſi eadem hęreſi infecti eſſe merito præſumantur, quæ præſumptio contra Acacium non militabat, quia perpetuo orthodoxam fidem, & expreſſe profitebatur, & contra Eutychianos ſtrenue defendebat, communicatio vero cum Petro erat bonę fidei, quia ille ſe Acacio pro vero orthodoxo venditabat, & ipſe ei rationabiliter credebat. Fruſtra ergo Gelaſius conſcientiæ neceſſitatem exaggerat, & diuini Iudicij timorem, quia communicare Acacio nullum malum erat, vnde diuino iudicio eſſet rationem redditurus. Communionem vero ſine legitima cauſa negando ſchiſma faciebat, & Acacij communionem illam cum Petro prætextum duntaxat eſſe volebat, quo & errorem tegeret Fælicis, & ſuum ipſe Primatum, ac dominium in Orientales retineret, quos ad ſibi parendum, in delendo nomine Acacij conſtringebat; & hoc ei obiecerat Euphemius vt ex ipſius Gelaſij reſponſione patet, nam literas Euphemij non habemus, quas oportet fuiſſe prudentiſſimas, & ad Gelaſium nimiæ rigiditatis, imo & vanitatis conuincendum aptiſſimas. *Non optamus*, inquit Gelaſius, *præponi alios, ſicut prædicas.*] Pacis, & vnitatis vinculum petebat ſerio Euphemius, & charitatem *d* de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Neque aliud habet quo ſe recipiat, ne pacem & concordiam oblatam amplectatur, & ſchiſma foueat, niſi ſolam illam fugiendæ communionis cum hæreticis, neceſſitatem; quæ aduerſus Acacium nihil faciebat, & ſatis erat quod Euphemius veros hæreticos, eorumque in hæreſi communicatores anathematizaret.

b Ibid.

c Ibid. & in commoni. ad Fauſtum.

d 1. Tim. 1. 5.

Euphemius cum durum, crudum, aſperum inueniſſet Gelaſium, non deſtitit omni conatu concordiam quærere, ita tamen vt Acacium mortuum ab iniuſta infamia, & ſe à populi, & totius Orientis moleſtiis liberaret, quas paſſurus omnino erat, ſi Acacium à ſacris tabulis abieciſſet, quia ſine magna iniuſtitia; proprioque ingenti dedecore abiicere non poterat. Venerunt à Theodorico Italiæ Rege legati ad Anaſtaſium Imperatorem Conſtantinopolim, pro variis Reip. negotiis. Ea occaſione egit cum vno eorum Fauſto Magiſtro officiorum Euphemius, acreſque apud eum depoſuit contra Gelaſium querimonias, culpam in eum coniiciens ſi ſequatur ſchiſma. Scripſit Fauſtus ad Gelaſium; & querimonias Conſtantinopolitanorum expoſuit, literas Fauſti non habemus, earum aliquot argumenta explicata ſunt in commonitorio Gelaſij ad Fauſtum, quæ profecto non ſunt à nobis ieiune dimittenda; quia ex illis pendet diſſenſionis huius, & ſchiſmatis plena ferme cognitio; ſatiſque apparet quam iuſtam fouerint cauſam Græci, quam iniuſtam Fælix, & Gelaſius cum latinis. Ac vt breuius agam & clarius; formabo Dialogum inter Gelaſium, & Euphemium, cuius argumentum ex Gelaſij commonitorio, alijſque ab eo ſcriptis epiſtolis, nec non ex Eccleſiaſticis hiſtoriis petam, & continuabo. CXLVII.

Gelas. *e* Bene ſciebam vos Græcos in obſtinatione manſuros; Non propter religionis cauſas ſtudetis diſpoſitionibus publicis obuiare, ſed potius per occaſionem legationis Regiæ Catholicam fidem molimini euertere, & tali commento nitimini ſperata præſtare. Imperatorem nouum nobiſcum committere tentatis, quaſi cum nos in religione damnemus, vt conqueſtus eſt cum legatis. Deceſſores mei, ſacerdotes, qui præuaricatoribus ſe cõmunicaſſe propria voce confeſſi ſunt, à communione Apoſtolica ſubmouerunt. Si Imperatori placet ſe miſcere damnatis, nobis non poteſt imputari: ſi ab eis velit abſcedere, tanto magis à nobis non CXLVIII.

e Gelaſ. commonit. ad Fauſt.

poteſt

poteſt eſſe damnatus, ſed potius ad gratiam ſinceræ communionis admiſſus. EVPHEM. Obſtinatio veſtra eſt, qui communicare nobiſcum renuitis, vbi nos precibus à vobis hoc impetrare contendimus, ſed vt veſtram obſtinationem confirmetis, conditiones nobis iniquas, & nullo modo exequendas proponitis. Imperator vero cum nõdum à vobis communicatorias literas habuerit, quid ni queratur ſe à vobis in religione damnatum? Scio equidem Acacium confeſſum eſſe ſe Petro Alexandrino, non tamen prænaricatori, communicaſſe, ſuæq; communionis iuſtam cauſam tuis deceſſoribus *a* expoſuit, quod Petrus ſe orthodoxum profiteretur, & pax Eccleſiæ illius confirmatione egere videretur. Perperam ergo Acacius ab Apoſtolica communione eſt ſubmotus, & adhuc magis perperam Imperatori eandem minamini ſubmotionem, niſi ab Acacij memoria, & à nobis, abſcedat. Cur vero etiam Senatum eo adduxiſtis, vt Imperatorem tanquam hæreticum non recipiat? GELAS. *b* Ad Senatum vero pertinet Romanum, vt memor fidei quam à parentibus ſe ſuſcepiſſe meminit, contagia vitet communionis externæ, ne à communione huius ſedis Apoſtolicæ, quod abſit, reddatur externus. EVPHEM. Vitet Senatus Chriſtianus contagia hæreſis, ne ipſa hæreſi inficiatur, ſed non vitet communionem ciuilem ſui Principis, qui vice Dei terrena in ſuo Imperio gubernat. Vos vero Romani Pontifices iam incipitis ſeditiones ſerere, ſub prætextu fidei, & religionis, vt Senatus & populus, fractis iam per barbaros neruis Imperij, & longe agente Imperatore, iugum eius excutiat, & veſtrum ſubeat; voſque qui ſub Imperatoria ferula in officio continebamini, ferulam aliquando veſtram in Imperatores vibrare poſſitis, ſed mittamus iſta, nos ad noſtra: Fortaſſe Acacius iniuſta Fælicis excommunicatione commotus, vt humana fert fragilitas, Romanam in aliqua læſit ſedem, fide tamen ſemper retenta, & nulla ex malorum communione labe accepta. Iam veniam poſtulamus. GELAS. Correcti ne veniam poſtulatis, an ita dari vobis veniam petitis, vt tamen in errore perſeueretis? Venia in errore perſiſtenti non eſt danda. EVPHEM. Vt mortuo Acacio ſiquid errauit, venia detur poſtulamus; ille non ita in errore perſeuerauit, vt eſſet excommunicandus; communicauit cum Petro bona fide, & ſine errore. Non communicare cum hæreticis, ita vt quis fiat hæreticus, eſt iuris diuini; non communicare cum hæreticis, vbi non ſit periculum infectionis, aut nullo iure, aut ſolo Eccleſiaſtico poſitiuo prohibemur. Hæc igitur communio venialis eſt, nec meretur excommunicationem. Nos veniam pro nobis, ex eo quod Acacij memoriam ſeruamus, non petimus, quia in hoc non erramus. Hoc quidem vos requiritis, & iubetis, ſed nos neque parere vobis tenemur, neque poſſumus, cum tanta magni viri iniuria, & populorum atque Eccleſiarum ſcandalo, & maximarum turbarum periculo. Corrigere quæ corrigenda ſunt parati ſumus, quod corrigendum non eſt, fruſtra petitur vt corrigatur. Cauete ergo ne veſtra nimia aſperitas cogat nos ad diuiſionem à veſtra Eccleſia deuenire. GELAS. Id iamdudum vos feciſſe monſtramini. EVPHEM. Abſit, vos quidem nos à vobis ſeparaſtis, & abieciſtis, nos tamen vos nondum abiecimus, ac propterea communionem petimus, & rogamus, vt pro pace nobiſcum condeſcendatis. GELAS. *c* Condeſcendere nos vobiſcum inuitatis ad ima de ſummis; nos coaſcendere vos nobiſcum rogamus ad ſumma de imis. EVPHEM. Nos ad altitudinem veritatis, iam, gratię Deo, aſcẽdimus; & ab ea vos deſcendere non hortamur. De veritate fidei nulla eſt inter nos controuerſia: Vos tamen, vtinam non cum Lucifero, aſcendiſtis in cælum cuiuſdam immenſi Primatus, nos vt in hoc nobiſcũ deſcendatis rogamus; vt omiſſo tantiſper veſtro altiſſimo, & indebito vobis faſtigio, ꝓpter charitatem condeſcẽdatis nobiſcum, & permittatis vt Acacij nomẽ retineamus, quem vos etiam mortuũ perſequimini, quia nolebatis illum vobiſcum ad patria priuilegia coaſcendere. Cuius nos cauſam, rogo, paulum diſcutiamus. Cur illius nomen iubetis nos anathematizare. GELAS. Quia damnatus à ſede Apoſtolica, in excommunicatione mortuus eſt. EVPHEM. Ab vno ne Acacius damnari potuit? GELAS. Tuam miror ignorantiã. An non in Concilio Chalced. damnatus eſt Eutyches, & cum eo omnes in eandem hæreſim quouis tempore incidentes? EVPHEM. Quis Acacium in hæreſim Eutychianam incidiſſe audet dicere? Imo ne communicaſſe quidẽ cum quoquam Eutychiano, mala fide, ac in hæreſi, poteſt quiſquam, niſi calumniator aſſerere. Et tamẽ Canones iubent vt in ſynodis crimen hęreſis diſcutiatur, & nemo inauditus condemnetur. GELAS. Neſcitis quid loquamini: Primæ ſedi ſana rectaque ſuadenti parere fugitis. Ipſi ſunt canones qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius ſedis examen voluere deferri: Ab ipſa vero nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt; ac per hoc illam de tota Eccleſia iudicare, ipſam ad nullius commeare iudiciũ. Timotheus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri ſolius ſedis Apoſtolicæ autoritate ſunt deiecti. EVPHEM. Hæc omnia negamus, quæ nunquam probare poteritis; nos vero vbi oportuerit contrarium vobis demonſtrabimus. Solum quendam habetis canonem Concilij Sardicenſis, è cuius limitibus vos longe exceſſiſtis: Ille vero vobis parum fauet: Sed ſi etiam multum faueret, nihil tamen prodeſſet, quia illius Concilij canones noſtra *d* Orientalis Eccleſia non admittit, ſiquidem illud Concilium ſchiſmate diuiſum fuit. Vos interim contra veros canones Acacium dãnaſtis. GELAS. Nobis audetis facere canonum mentionem? contra quos ſemper ambitionibus illicitis feciſſe monſtramini. Qua ipſi ſynodo, vel ſecundũ cuius ſynodi formam Alexandrinum Ioannem de Eccleſia, cui ordinatus fuerat, expuliſtis. *EVPHEM.* Imperator hoc fecit. GELAS. *Hoc ipſum quibus canonibus, quibus regulis eſt præceptum? Cur huic tam prauo facto conſenſit Acacius? Nonne rei qui etiam* *e* *conſentiunt facientibus? EVPHEM.* Imperatori à Deo commiſſa etiam eſt Eccleſia, ipſe pace & Reip. & Eccleſiæ poteſt Epiſcopos deponere, neq; ille ſubeſt canonibus externum regimen Eccleſiæ ſpectantibus, à quo ipſi canones, vt vim legis habeant, accipiant vigorem; & ſane Ioannem vt periurum, & Simoniacum merito expulit. Acacius vero cur non conſentiret; ſi intruſum illum eſſe inde merito colligeret, quod ad eum, vt primum Orientis Patriarcham ſynodicas dare noluerit, ſed illum hominem laicum ipſi prætulerit? GELAS. Qui homini mentiens dicitur Imperatori, & qui Imperatorem latiſſe perhibentur depelli debuerunt, & in Deum qui ſummus & verus eſt Imperator, Acacium delinquentem, ſinceramq; communionem diuini Sacramenti ſtudentem miſcere cum perfidis, ſecundum ſynodum qua hæc eſt damnata perfidia, non oportebat excludi? EVPHEM. Hoc eſt ad tædium vſq; toties dilutam culpam clamando inculcare. Negamus

a Euagr. l. 3. c. 15 & 20.

b Gelaſ. commoni. ad Fauſt.

c Gelaſ. ep. 9.

d Hoc op. l. 4. c. 8. n. 34.

e Rom. 1. 32.

mus Acacium contra Deum quicquam peccaſſe, aut perfidorum communioni ſe miſcuiſſe. Petrus enim publica profeſſione perfidiam ſuam abiurarat; vos vero vbi re ipſa nihil contra Acacium poteſtis, verbis duntaxat agitis. Illum enim damnatis, non quia peccauit, ſed quia Primatum ſuum veſtro Primatui æqualem voluit defendere, ſed velamentum quæritis. Gelas. a Quibus canonibus, quibuſue regulis Calendion Patriarcha Antiochenus excluſus eſt, vel primi vrbium diuerſarum Catholici ſacerdotes? Evphem. Calendion læſæ Maieſtatis reus, b ad incolendam Oaſin ab Imperatore condemnatus fuit, quod rebellium ille & Leontij, & Pamprepis contra ipſum Zenonem Imperatorem fouebat. Quid hæc ad Acacium? quid ad nos? Gelas. c Machinante Acacio ſub hoc velamento ab hæreticis pulſus eſt. Evphem. Hoc veſtrum eſt iudicium temerarium, nullum præter veſtras ſuſpiciones ab odio in Acacium ſuggeſtas, habens fundamentum. d Gelas. Qua traditione maiorum Apoſtolicam ſedem in iudicium vocatis, quæ ad iudicium vocari non poteſt? Evphem. Nullus eſt Epiſcopus in Eccleſia Catholica, qui ſi erret iudicari per ſynodos non debeat; aut à cuius iudicio perperam facto non detur prouocatio: quod vbi neceſſe fuerit ſatis probabimus. Nos ſedis Apoſtolicæ Epiſcopum iniuſte, & indebite excommunicantem, ac ſchiſma facientem iudicio Eccleſiaſtico obnoxium cenſemus. Ait enim veſter Cyprianus ad Stephanum Romanum. e Si quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare, & vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri. Gelas. Sedes Conſtantinopolitana per canones inter ſedes nullum nomen accepit, potuit ergo à Romana quæ eſt ſuprema iudicari. Evphem. Nos non exinimus nos ipſos à iudicio Eccleſiaſtico canonico, in ſynodis, ſed Romanum Epiſcopum noſtrum iudicem non agnoſcimus; poteſt ille ſuam communionem dare, & auferre, cui libuerit; ſed ſi inde ſequantur ſchiſmata, ipſe in ſynodis ſui iniuſti facti reddere debet rationem. Noſtra vero ſedes nuper legitime ad æqualia veſtræ ſedis priuilegia euecta tantum nomen inter ſedes habet, quantum veſtra: ſola vobis dignitatis cuiuſdam relicta præcedentia; neq; aliunde nomen hoc conſecuta eſt noſtra ſedes, niſi vnde & veſtra. Dum vero vos noſtram ſedem deprimitis, quæ, velitis nolitis, iam legitime veſtræ æqualis eſt, oſtenditis inuidum oculum, & ambitionis veſtræ vlcus detegitis, cuius dolor in Acacium ſua priuilegia tuentem, vos concitauit. Gelas. Nobis nullum fas eſt inire certamen cum hominibus communionis alienæ. Non ab alio tantum, ſed etiam à ſe ipſo f damnatur hereticus. Evphem. Dixi vobis, vos verbis tantum agere, & in ſolis verbis veſtram totam conſiſtere defenſionem. Falſum eſt Acacium fuiſſe hæreticũ, & hoc probe ſcitis: Falſum eſt Acacium vnquam fuiſſe alienę communionis: cum nullo enim vnquam heretico in hæreſi communicauit, ac propterea neq; nos qui Acacio mortuo communicamus ſumus alienæ communionis. Quod vero Petrus illum fefellerit, & fictam ei dederit confeſſionem, vnde & ab eo communionem extorſerit, non propterea illum polluit, ſicut neq; g Martyrium Hieroſolymitanũ, qui pariter deceptus bona fide eidem Petro communicauit. Cur ergo tot turbas cietis contra Acacium, & eius communicatores; nullas vero contra Martyrium, & Hieroſolymitanos? niſi quia Primatus vos pungit Conſtantinopolitanus, & tamen ſi quid culpæ in illa communione, certe veniali, obrepſit Acacio, eam deprecatus eſt, & veniam à Simplicio petiit, ſed ille ſe difficilem exhibuit, & veniã negauit. Gelas. Hoc impudenter confingitis, teſtes habemus viros illuſtres, Acacium à Simplicio inuitatum, vt depoſita obſtinatione reſipiſceret, & ad ſedis Apoſtolicę remearet conſortium: Acacium tamen ab eis quæ recta ſunt non potuiſſe deflecti, ſicut rerum probatur effectu. Evphem. Effectus probat duritiem Simplicij, & iniuſta petentis impedimentum. Quam nam reſipiſcentiam ab Acacio potuit prætendere, niſi vt de Petri Alexandrini fide fieret inquiſitio, & ſi hæreticus inueniretur, denuo ab omnium Catholicorum communione amoueretur. Sed Simplicius eo Acaciũ redigere conabatur vt primam Petri damnationem ratam haberet, & nouam promotionem aboleret. In hac enim promotione, facta fuit ab Acacio, poteſtate ſuprema Patriarchali in Oriente, prioris damnationis abſolutio; quam quia legitime fecerat Acacius, noluit, neque debuit, niſi noua oborta cauſa, abolere. Gelas. Correctionem voluimus, & volumus. Evphem. Correctio iuſta ab Acacio alia poſtulari nõ potuit, niſi vt in Petrum inquireretur, & ſi hæreticus inuentus fuiſſet, denuo damnaretur. Hæc correctio in Acacio prompta erat: ſed aliam correctionem indebitam volebatis. Noſtra etiam correctio parata eſt, vt ſi in aliquo ſumus errore, ab eo nos retrahamur, cõmunicare autem mortuo Acacio nullum ſcimus eſſe reatum, neq; nos errare vos poteſtis oſtendere, vt iam probatum eſt. Nihilominus tamen nos quoq; parati ſumus veniam poſtulare, ſi neceſſe fuerit. Gelas. Hoc ipſum me ridere libet: exiſtimatis nimirum tunc vos peccati veniam neceſſario poſtulare, ſi vobis concedamus, vt iam vobis liceat à peccato non deſiſtere, imo vt nos etiam vobis in hoc conſentientes vobiſcum peccemus. Evphem. Veniam nos poſtulaturos dicimus, ſi neceſſe ſit; hoc eſt ſi nos in aliquo reatu eſſe conuincatis. Reatum vero in nobis eſſe quod Acacio communicemus, non putamus. Oſtendite nos in hoc peccare, & tunc veniam correcti petemus; & Acacij nomen abolebimus. Nos tamen iam vobis contrarium probauimus, & vos ad eadem ſemper reuoluimini. Fiat ſemel iudicium in quo nos peccare iuſtam accipiamus ſententiam. Gelas. Vbinam agitari poterit hoc iudicium? An apud vos, vt ijdem ſitis inimici, & teſtes, & Iudices? Certe quantum ad religionem pertinet, non niſi Apoſtolicæ ſedi, iuxta canones, debetur ſumma iudicij totius. Principes vero temporales in rebus religionis Iudices nõ ſunt, ſed in his ipſi à Pontificibus, ac præſertim à B. Petri Vicario iudicium debent expectare. Evphe. Sed neque apud vos hoc iudicium debet agitari, quia inimici, teſtes, & Iudices eſſe nõ debetis. Summam vero Iudicij de religione veſtræ ſedi deberi per canones pernegamus; neque vllum canonem legitimum poteſtis ad hoc proferre. Ne nos quidem Principi religionis iudicium deferimus, videant ſynodi, in quibus omnia religionis iudicia peraguntur, num vos iuſte nobis communionem negetis, num nos teneamur Acacij nomen abolere; num Acacius fuerit neceſſario vitandus; num communio Acacij cum Petro fuerit damnabilis, an venialis. Gelas. Ex chartis veſtris vincimini. Evphe. Habetis literas Acacij in quibus fatetur, ſe coniũctim cum ſede veſtra Apoſtolica anathema Petro Moggo, tanquã hæretico Eurychiano dixiſſe; Quid tum? Poſtea Petrus ſe correctum eſſe profeſſus eſt, & inde ab Acacio bona fide fuit abſolutus, & in Epiſcopatu confirmatus. Gelas. Hæc abſolutio ſe-

a Gelaſ in common. & ep. 11.
b Euagr. l. 3. c. 16.
c Baro. to. 6. an 482. n. 6.
d Gelaſ. commoni.
e Cypr. lib. 1 ep. 13.
f Tit. 3. 11.
g Euagr. l. 3. c. 16.

cundum canones Eccleſiaſticos non fuit legitima: a Gelaſ. to. mo de anath. vinc. & ep. 11. *a* præcipue cum de ſecundę poſt Romanã noſtram, quæ prima eſt, ſedis nempe Alexandrinæ ageretur Antiſtite, qui non ab inferiore qualibet, ſed à prima ſede iure potuit abſolui. EVPHEM. Primæ veſtræ ſedis priuilegia omnia iam noſtra ſedes habebat, & quicquid veſtra poteſt in Occidente, noſtra poteſt in Oriente, & Alexandrina ſedes non eſt amplius b Hoc op. lib. 4. c. 4. n. 2. & 4. ſecunda, ſed tertia, *b* ipſamet in hoc priuilegiũ ſponte, & libenter conſentiente, Conſtantinopolitana vero facta eſt ex priuilegio ei ſuperior, & ſuperior poteſt legitime abſoluere inferiorem. Sed hoc vos mordet, & nimium obtortis oculis hoc noſtrum inſpicitis priuilegium, quod abrogare nunquam poc Pſ. 4. 4. teritis. *c* Iraſcimini quantũ vultis. Sed nolite peccare, neq; ex veſtro liuore ſchiſmata faciatis. GELAS. d Gelaſ. ep. 11. *d* Ridemus quod prærogatiuam velitis Acacio cõparari, quia Epiſcopus fuerit Regiæ ciuitatis. Nunquid apud Rauennam, apud Mediolanum, Sirmiũ, apud Treuiros, multis temporibus non perſtitit Imperator? Quid aliud Eccleſia Conſtantinopolitana quam parœcia Eccleſię Heracleenſis, ne Metropolitana quidem? EVPHEM. Sola Regia ciuitas nõ dat e Hoc op. lib. 3. c. 10. n. 20. hoc priuilegium, eſt tamen *e* vna ex cauſis, cur detur ei hoc priuilegium: *f* ſed conſuetudo Eccleſiaſtica, f Hoc op. l. 4. c. 4. n. 26. deinde Conciliorum addita autoritas noſtræ ſedi poſtea, ſicut prius veſtræ prærogatiuam conceſſerunt. Et miramur ſummopere cur tu, Gelaſi, Patriarchatum Conſtantinopolitanum nolis agnoſcere, quem tuus deceſſor Fælix, ille qui ſatis infæliciter noſtrum excommunicauit Acacium, in ipſomet A- g Fælix 3. ep. 1. cacio iam agnouerat, & admiſerat; quem *g* Paſtorẽ Eccleſię Conſtantinopolitanæ vocauit, & cõfeſſus eſt illũ habere venerabiles Epiſcopos eius iuri ſubiectos. Quid hoc monſtri? Itane inter vos vnus ędificat, & alter deſtruit? Quieſcite igitur, neq; tot tantaſq; turbas in re quæ fidei nullum ſecum fert detri h Gel. ep. 8. mentum, excitare pergatis; nullũ eſt inter nos de religione, ſed de moribus duntaxat certamen, ꝓ quo cõmunio Eccleſiaſtica non eſt abrũpenda: Vos profecto ſub prætextu cauſæ cõmunionis, fideiq; Catholicæ tractandæ, iniuriã doletis, cum vobis videa i Gelaſ. ibi. mini ab Acacio fuiſſe contempti. GELAS. *i* Nos omnes monemus, vt caueant à noxia eorũ ſocietate, qui in errore ſunt poſiti, quia dãnata ſemel hæreſi, omnes in eã ſucceſſores, & complices ac ſectatores polluta ijs cõmunione permiſti, vitandi ſunt, & fugiendi ab illis, qui Catholicam ſeruare cupiũt integritatem. Ideo cõmunicator Petri Acacius, quia in ea communione mortuus eſt, ideo etiam mortuus eſt vitandus, ne inter Catholicos aut numeretur, aut nominetur. EVPHEM. Toties vobis negauimus Acacium fuiſſe vnquam vlla noxia cõmunione in cuiuſpiam hæreſi pollutum. Nimium veſtrę falſæ opinioni hæretis, non poſſumus vos ab ea diuellere; & ex hoc veſtro voluntario errore ſchiſma augetis, & à k Gelaſ. ib. & ep. 11. noſtra communione valde inique *k* Epiſcopos Dardaniæ, ſeu Illyriæ ſeparare per veſtras literas ſategiſtis. Noſtrũ vero certamen nõn eſſe de fide, ſed moribus iam ſatis conſtat, quia abſolutio vos Acaciana data Petro, & cõmunio cum Petro, turbat, & tranſuerſos agit: vſurpatio vero poteſtatis abſoluendi, & cõmunio quatenus ſola lege Eccleſiaſtica politiua eſt prohibita, ad mores ſpectãt, non ad fidem. Hoc iam cęcus poteſt videre. GELAS. Pro his etiã in moribus exceſſibus merito pœnas trãnſgreſſores canonum, ſuſtinere debẽt. EVPHEM. Pro his exceſſibus, ſi ſalua ſit fides, cõmunio Eccleſiaſtica nemini ſubtrahitur. Et pœnæ in iſtos ferendæ quidem ſunt, ſed canonica iudicij forma ſeruata, quæ forma ante omnia requirit, vt iudex ſit cõpetens, nemo vero eſt ſupremorũ Patriarcharum Iudex cõpetens, niſi ſatis plena ſynodus: & vt nemo inauditus iudicetur. GELAS. *l* Si in ſua innocentia confidebat Acacius, cita- l Gelaſ. ep. 11. tus, & monitus vel venire, vel mittere huc debuiſſet, vt & præſentem de mendaciis quæ dicebat poſſet confutare Ioannem, & præconia quibus Petrum extulit defendere; quod cum minime fecerit, ſatis euidenter oſtendit nec Ioannem ſe poſſe conuincere, nec communionem cum Petro, encomiaque quibus hæreticum laudarat, defendere, tulitque de ſe ipſe iudicium cum damnati hominis communione pollutus, damnationis eius factus eſt particeps.] EVPHEM. Tædio ingenti afficior, dum toties ſoluta à vobis inculcari audio. Negamus pollutum fuiſſe: Affirmamus innocentem quia bona fide, & deceptus communicauit, & laudauit, poſt receptam ab eo fidei præclaram confeſſionem; cui magis credebat, quam aliorum relationibus, quos ſuos Petrus vocabat calumniatores. Nec venit citatus, nec miſit, quia per literas ſatis ſe Simplicio excuſarat. Citationi parere non debuit, quia non erat legitima, nam par in parem non habet poteſtatem. Coram legitima ſynodo reſpondere paratus erat, & oſtendere neque ſe ex communione Petri, neque vllum quempiam ex communione ipſius pollui potuiſſe contagiis perfidorum. GELAS. *m* Si Acacio licuit ſine ſynodo ſen- m Gelaſ. ep. 11 tentiam ſedis Apoſtolicæ abrumpere in abſoluẽdo Petro; cur nõ licuit primæ ſedi Concilij Chalcedonẽſis ſtatuta exequenti preuaricatorem ſua autoritate detrudere? Iulius ſine ſynodo Athanaſium in ſynodo damnatum, quia ille non conſenſerat, abſoluit. Sic alij: EVPHEM. Reconciliare hæreticos damnatos minoris eſt negotij, quam eoſdem damnare: ſed tamen Petrus quia à Concilio damnatus nõ fuerat, ſed à ſolis duobus tribuſue Patriarchis ſine ſynodo, ideo potuit illum ſupremus ipſius Patriarcha, qui eſt Conſtantinopolitanus, in Oriente, abſoluere; & ſi poterat eum ſedes Romana abſoluere, poterat etiam Conſtantinopolitana, quæ Romanæ ſedis iam omnem habet ex priuilegio poteſtatem. Fatebor tamen non nihil Acacium deliquiſſe, dum inconſulto Romano Pontifice, cum quo ſimul ipſe Acacius Petrum iam damnauerat, ipſum Petrum abſoluit, & Patriarcham confirmauit. Excuſatur tamen pacis, & vitandi ſchiſmatis zelo; & proteruia Ioannis, qui ipſum immerito contẽpſerat. Et hoc delictum, etiam ſi excuſationem nullã haberet, tantum odium veſtrum, & tantam cõmotionẽ non poſtulat, neq; tanta pœna dignũ fuit: abiectionis nimirum ab Eccleſiaſtica cõmunione. Iulius vero quia ſine ſynodo abſoluit Athanaſium, ideo Cõcilium Antiochenum expertus eſt aduerſarium, &. factum ſuum conatus eſt tunc Iulius, quantum potuit, excuſare, nec potes tu Gelaſi ex eo facto exemplum ſumere, quod ipſemet Iulius *n* non eſt auſus n Apud Athan. Apol. 2. & Hoc op. l. 4. c. 8. n. 13. & 14. approbare. De aliis exemplis non eſt cur ſimus hic ſoliciti; aliæ enim ibi cauſæ fuerunt, & non huic noſtræ ſimiles. GELAS. Non ſolius Petri quem excuſatis, communione pollutus eſt Acacius, ſed etiam *o* omniũ Epiſcoporũ hæreticorũm, qui in locum Ca- o Gelaſ. ep. 1. tholicorũ violenter fuerunt ſuffecti. EVPH. Hoc negamus, neq; id probare poteſtis; ſed ex relatione Ioãnis calũniatoris iſta aſſeritis. Eſtq; inſignẽ mẽdaciũ, ſub Acacio, orthodoxis vbiq; deiectis hæreticos tãtummodo fuiſſe in Oriẽte relictos Epiſcopos. Hæreticos n Acacius ſemp eſt inſectatus, eoſq; quantũ potuit, ꝓfligauit. Sed qa rabies inuidię in noſtrũ Primatũ, quẽ vobis ſolis deuorauer atis, vos icẽdit, ideo in

optimum

optimum virum contra conſcientiam perpetuo debacchamini. Iam ſatis de Geláſio.

CXLIX. Anaſtaſius Imperator Eutychetis labe infectus, Chalcedonenſis Concilij hoſtis, cum Euphemium Patriarcham experiretur ſibi maxime in religione aduerſum, qui etiam depoſitionem ei minatus fuerat niſi hæreſes abijceret, vt ſuperius vidimus hum. 146. *a* in exilium expulit, & Macedonium ei ſubrogauit. Ridendum eſt hic *b* Baronij inanis vatis iudicium, ſic Euphemium ſui reatus, & ſchiſmatis pœnas dediſſe, quod Acacij nomen non abdicarit. Et has pro fide Catholica afflictiones eum etiam ingloriũ feciſſe: quia *extra Romanam Eccleſiam, nulla,* inquit, *poteſt eſſe, ex ſententia Patrum, vera confeſſio, neq; martyrium.*] At quis Patrum vnquam hoc de Romana Eccleſia protulit? nugæ ſunt iſtæ, & Baroniana commenta. Euphemius glorioſus confeſſor fuit, neque ei quicquam nocuit, quod abſq; vlla ipſius culpa Romani ei Pontifices ſuam iniuſte denegarent communionem. Illi erant ex hoc in ſchiſmate, non Græci, qui perpetuo communionem ſibi reſtitui poſtularunt, nec per eos ſtetit quominus ſchiſma tolleretur.

a Theodo. lector. collect. l. 2.
b Baro. to. 6. an. 495. n. 23.

CL. Macedonius vero orthodoxus, ſtatim *c* Ioanni Alexandrino hæretico Eutychiano, & Concilij Chalcedonenſis anathematizatori communionẽ ſuam negauit, *niſi confiteretur matrem, & magiſtram ſynodum Chalcedonenſem.*] Ac propterea paulo poſt Anaſtaſius Imperator eum in exiliũ deportari iuſſit, ideoq; de ſchiſmatis compoſitione agere non potuit, & Acacij nomen in diptychis manſit, vnde illũ quoq; inter ſchiſmaticos inſulſus ponit *d* Baronius, confeſſioniſq; gloriam, etiam miraculis in Armenia, vbi exulabat decoratam ei inuidit, negauitque per eum facta fuiſſe miracula, quę tamen facta affirmant quatuor inſignes hiſtorici, Cedrenus, Theodorus Lector, Paulus Diaconus, & Anaſtaſius Bibliothecarius. Sic Acacij cõmunicator, & à Romanæ Eccleſiæ communione iniuſte ſeiunctus miraculis claruit. In locum Macedonij ab Anaſtaſio poſitus eſt *e* Timotheus hæreticus. Interim moritur Gelaſius, eiq; Anaſtaſius ſubrogatur, & ei ante bieñiũ mortuo ſucceſſit Symmachus; primo tamen bieñio cum Antipapa Laurentio in ſchiſmate Eccleſiæ Romanæ luctatus, poſtea in ſede ſua plene ſtabilitus, eodem ferme tempore & ipſe *f* literas ſcripſit in Orientem pacem ſuadentes cum abraſione nominis Acacij, & Orientalis ipſa orthodoxorum Eccleſia ad ipſum *g* literas dedit cum maximo affectu communionem petentes; quæ eis ad reſiſtendum tot hęreticis, magno ſubſidio forẽt. Vrgentq; propter Acacium iam mortuum non eſſe filios eius plectendos: & ſemper ſupponunt nõ fuiſſe tantum Acacij reatum, vt nomen ipſius ſit abolendum: nunquam enim abolitionem hanc toties à Romanis petitam ſpondent; nihil itaq; ſub Symmacho factum eſt.

c Anaſtaſ. Biblioth. in chronico an. 10.
d Baro. to. 6. an. 515. n. 30.
e Theod. lector. collect. l. 2.
f Symmac. ep. 4. to. 1. epi decret. Rom. Pon.
g Ibid ante ep. 4. Symmachi.

CLI. Subſecutus eſt Hormiſda; & vt de ſchiſmate hoc inter Occidentem & Orientem ageretur, variæ datæ ſunt occaſiones. Prima fuit quod circa ipſa Hormiſdæ Pontificatus initia, *h* Vitalianus Scytha Anaſtaſij Imperatoris Magiſter militum, arrepta occaſione perſecutionum quibus Tyrannice Anaſtaſius vexabat orthodoxos, rebellionem ſuam, & ambitionem occupandi Imperij pulchro religionis orthodoxæ nomine obtegens, Thraciam, Scythiam, Myſiam, & alias prouincias occupauit, ac valido exercitu Cõſtantinopolim ferme obſedit. Huius timore Anaſtaſius, ne orthodoxi Vitaliano vires augerent, inductus, cæpit de perſecutione remittere, orthodoxamque profiteri fidem, & tractatus cum Hormiſda inire, vt pax Eccleſiarum, & vnio ſequeretur. *i* Scribit ad Hormiſdam, longioris ſui ſilentij cauſam in duritiem prædeceſſorum Hormiſdæ conijcit; qui vere duri nimium, & rigidi fuerunt vt vidimus. Anaſtaſius tamen ex propria magis obſtinatione in hæreſi, quam ex Romanorũ Pontificum duritia ab orthodoxorum vnione abhorrebat. Plures literæ, ac legationes vltro citroq; miſſæ; & de Concilio ad hoc celebrando initæ tractationes; nodus tamen idem ſemper hęſit, de Acacij nomine abolendo. In eo tamen retinendo Anaſtaſius, & populi Conſtantinopolitani, & totius Eccleſiæ Orientalis voluntate perſpecta, æquitate etiam cognita, toto conatu laborauit. Omnia enim concedit Hormiſdæ quæ petebat, & confeſſionem fecit orthodoxam, ſolam Acacij iniuriam propulſandam eſſe neceſſario cenſuit. Scribens enim ad Hormiſdam, poſt omnia conceſſa, & factam confeſſionem, iſta ſubdit. *k De capitulo vero, quod ſolum videtur eſſe reſiduum, noſtra voluntas petitioni veſtræ fortaſſe propter vnitatem Eccleſiarum conuenerat, niſi alia venerabilibus eccleſiis ex hac remoueri ſcandala crederemus. Nunc vniuerſa quæ ſint facienda perpendite: quia graue eſſe Clementia noſtra iudicat, de Eccleſia venerabili propter mortuos viuos expelli, nec ſine multa effuſione humani ſanguinis ſcimus poſſe ea, quæ ſuper hoc ſcribitis, ordinari.*]

h Marcel. in chro. an. 514. & Ced in Anaſtaſio & Eua. l. 3. c. 43.
i Ante epiſtolas Hormiſdę to. 1.
k Inter ep. Hormiſdæ ep. 5.

CLII. Iſta Baronius arti & calliditati tribuit Anaſtaſij, quod hac Acacij nominis retentione orthodoxos ſibi beneuolos reddere vellet, ne cum Vitaliano illorum fidem defendere armis prætendente conſpirarent. *l Ea plane eſt ars,* inquit, *hæreticorum Principum, penes quos eſt pietas nundinaria, vt cum aduerſariis armorum preſſuris vrgentur, ad fallendos populos nihil magis quam fidem Catholicam oretenus præſeferant, ſubque Catholico nomine deliteſcant, donec quod cupiunt aſſequantur: facti vero voti compotes, maiori impetu in damna pietatis erumpant.*] Si Baronius Deus eſſet, aut prophetam illum eſſe, qui diuino afflatu loqueretur, conſtaret, credere facile poſſemus ipſi, ea, quæ in corde Anaſtaſij laterent, nota fuiſſe, interim ei non credimus; videmus enim maximam probabilitatem affuiſſe ſcandalorum, & ſanguinis effuſionis, ſi amantiſſimo Acacio, vtpote inſigni orthodoxo, & de Eccleſia Catholica optime merito, tanta iniuria irrogaretur, vt ex albo Catholicorum per ſummum ſcelus, & non niſi propter Romanam ambitionem, extruderetur. Artem illam Principum, quam pro noſtris ſane temporibus ponit Baronius, ego non video. Principes enim omnes in ea, in qua ſunt religione conſtantiſſimi perſeuerant, nec regnandi cauſa hypocriticas laruas inducunt; niſi forte aliquis, relicta fidei ſuæ puritate ad noſtras, non niſi regnandi cauſa, tranſeat impuritates. Potius ea, noſtris temporibus, eſt ars Principum Chriſtianorum, penes quos veritas eſt nundinaria, vt armis Catholicam religionem ſe defendere profiteantur (quæ armis ferreis neque defenditur, neque propagatur) & ſic inſtar Vitaliani, primi fortaſſe in hoc genere Principum noſtrorum aliquot, exemplaris, populorum in ipſorum proprios Principes, ſub larua religionis rebelliones excitent, ſeq; illis adiutores adhibeant, vt hoc pacto aliorum regna venentur, & occupent. Regnis vero occupatis, & voti compotes facti ad ſpeciem tantum quæ ſunt religionis curant. Quantum vero hi motus armorum pro religione captorum Deo diſpliceant, ſi vecordes non ſumus, facile intelligere poſſumus ex hoc primo, in hoc genere, Vitaliani conatu. Pro fide vere Catholica, pro vere orthodo-

l Baron. to. 6. an. 516. n. 3.

xorum in religione pura defenſione, aduerſus peſſimum hæreticum Principem fidei rebellem, arma, vt videntur, pia capiuntur, & tamen Vitalianus ſtatim à Deo in hoc deſtitutus vires amittit, populus, eo poſthabito, ſuo Imperatori adhæret, ipſe vero a officio quoq; magiſtri ab Anaſtaſio ſpoliatus vitã mero dono clemẽtiæ habitam, b priuatim tranſigere, ea quoque paulo poſt priuandus, cogitur. Non meliorem exitum habuerũt poſteriores multi, qui ſtricto gladio Catholicam fidem aut defendere, aut propagare voluerunt.

a Marcelli. in chronico an. 516. b Nicep. li. 16. c. 38.

CLIII. Hic vero ridendus eſt Baronius c qui Vitaliani pios conatus infælici exitu miſerabiles, & Anaſtaſij impij contra eum proſperitatem, ad abyſſum inſcrutabilem diuinorum iudiciorum reducit, quia ex parte ſuorum Romanenſium res male ſucceſſit. Vbi vero aduerſitas aliqua ijs contigit, qui contrarij eſſent Romanenſibus, ſtatim iuſtas pœnas à Deo illis inflictas clamat, neque ad abyſſum diuini inſcrutabilis conſilij vult ſe recipere. Imo pietate inſigni, ſcilicet Cardinalitia, peruerſam hominis rimatur mentem, qui ſub prætextu defendendæ Catholicæ religionis ambitionem ſuam tegeret, qua faſces Imperij affectaret, vt ideo ei Deus non fauerit. Hoc ego verum puto; ſed cur res infæliciter geſtas per eos, qui ſe aduerſos Romano Papæ exhibuerunt, ad ſolam cauſæ iniquitatem, & iuſtam diuinam vltionem ſemper reducit? Aſpergit etiam eidem Vitaliano notam hæreſis, quod poſtea Monachis quibuſdam, quos ipſe Baronius audacter nimium, ſed imperite, hæreticos fuiſſe pronunciauit, aduerſus Romanos legatos fauerit. Ego vero in hoc Baronium fœde lapſum facile oſtendam, ſicubi hac de re diſſerendi locus dabitur opportunus. Nam neq; Monachi illi fuerunt hæretici, qui merito, & pro fide Catholica ſe legatis Romanis oppoſuerũt, neque Vitalianus ipſis fauens hac turpi nota eſt inurendus. Non ille quidem propter hæreſim in aduerſitates incidit, ſed d *pœnas pro ſceleribus*, inquit Euagrius, *quæ tam inconſiderate contra Imperium Romanum conſciuerat, perſoluit.*] e Iuſtinus enim Imperator eum dolis allectum, & conſulem creatum, trucidari fecit, ne contra ipſum idem moliretur, quod contra Anaſtaſium molitus fuerat.

c Bar. to. 6. an. 516. n. 34. & to. 7. an. 519. n. 92.
d Euagr. l. 4. c. 3.
e Ibid.

CLIV. Excuſationi Anaſtaſij Hormiſda non acquieuit; ſed eo omnes direxit conatus, vt contra Acacium victoriam obtineret. Aliam expedit Conſtantinopolim legationem, ſcribit ad Imperatorem in reconcilianda concordia, Acacij perſonam non eſſe prætereundam. Ac denuo ille in Acacium crimina illa f congerit, quæ ſunt iam toties diluta. Dogmate Petri, Eutychetis, & Dioſcori fuiſſe pollutum; Ab illo per Orientales Eccleſias fermentum nefandi erroris inoleuiſſe: & ſimilia, quæ falſa eſſe iam docuimus. Et ſi quid damni paſſa eſt Eccleſia, ex illa cum Petro Acacij communione, id aut nulla, aut veniali culpa ipſius Acacij contigiſſe, qui deceptus ita communicauit, vt tamen in hæreſi ipſum nequaquam communicare eſſet omnibus notiſſimum, & aperriſſimum: quia contra hæreſim ſemper Acacius pugnauit acriter. Scripſit etiam ad Timotheum intruſum in eam ſedem, & hominem hæreticum, viuente Macedonio, propter fidem Catholicam Tyrannice ab Anaſtaſio eiectum. Cur vero non monet ſerio Imperatorem vt reſtituat Macedonium? Cur Timotheum non redarguit, quod alienam ſedem occupet? quia nimirum Macedonium ſciebat in Acacij damnationem nunquam conſenſurum: Ideoque illum fermè deſerit, ſperabat vero Timotheum, vt ſe ſtabiliaret in aliena ſede, prompte in delendo Acacij nomine pariturum: Ita noſtri Papæ iam illo tempore circa initia ſexti ſæculi, vt ſuum Papatum contra Conſtantinopolitana priuilegia tuerentur, & iuſtitiam, & æquitatem, & charitatem, & religionem, ſuæ ambitioni poſthabebant. g Formulam confeſſionis dedit Hormiſda legatis ſuis, cui ſubſcriberent omnes Epiſcopi, qui in Romanam communionem eſſent recipiendi, in qua expreſſe ponitur etiam damnatio Acacij & conſequenter eius nominis ex ſacris tabulis abraſio.

f Hormiſ. ep. 11.
g Inter epi. Hormiſ. ante ep. 1x.

Venerunt Legati Conſtantinopolim, tractatum eſt denuo & diutius negotium pacis, in omnibus conſentiebat Anaſtaſius Imperator, in ſolo nodo Acacij hæſit perpetuo compoſitio, Acacium damnari iniuſte Oriens non conſentiebat, Imperator renuebat; Legati ex aduerſo, iuſſu Hormiſdæ ſine Acacij damnatione ab omni compoſitione abhorrebant. Iratus tamen, & ſane merito Anaſtaſius, duritiem, & proteruiam tantam in re nullius momenti ſtomachatus, per poſticum h legatos à ſe reiecit, & in nauim impoſitos per ſuos ſatellites abduci iuſſit; prohibens ne in vllam ciuitatem ingredi permitterentur. Illi tamen per Monachos, & alios amicos denas literas confortatorias ad varios Epiſcopos miſerunt, qui ex timore Imperatoris illas ad ipſum Conſtantinopolim omnes tranſmiſerunt. Reſcripſit vero ad Hormiſdam Imperator literas irarum plenas, quarum vltima clauſula hæc eſt. i *Irrationabile iudicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari ſe nolunt contumaciter reſpuentes. Iniuriari, & annullari ſuſtinere poſſumus, iuberi non poſſumus.*] Tractatio huius pacis ſuſpectum tenebat totum Orientem, Hæretici ipſi in magno erant timore, ſciebant enim ex pace Occidentis cum Oriente, hæreſum futuram extirpationem. Quãdo autem infæliciſſimum hunc tractationis exitum viderunt alij, alij audierunt, cornua in orthodoxos erexerunt; etiam pauci illi qui prius erant Romanę communionis, & Acacij nomen aboleuerant, à Romana communione k receſſerunt, & reliquis orthodoxis Orientis adhæſerunt. CLV.

h Anaſtaſ. Bibliot. in Hormiſda.
i Inter epi. Hormiſ. poſt ep. 10.
k Baro. to. 7. an. 517. n. 48.

CLVI. In ea narratione Bibliothecarius Romanæ ſedis duo ſcelera tribuit Anaſtaſio Imperatori, vt abiectio illa legatorum Hormiſdæ irrationabiliter, & ex malo Imperatoris animo facta cenſeatur. Alterum eſt Imperatorem noluiſſe ſubſcribere formæ fidei ab Hormiſda miſſæ, quia erat hæreticus Eutychianus. Alterum, conatum fuiſſe pecunia corrumpere legatos Hormiſdæ, & cum illi pecuniam recuſaſſent, niſi prius Imperator ſedi Apoſtolicæ ſatisfeciſſet, tunc iratum Anaſtaſium illos eieciſſe. Hæc ſtare non poſſunt; quia ex literis inter Anaſtaſium, & Romanos Pontifices decurſis, patet Anaſtaſium ſoli capitulo de Acacio reſtitiſſe, & quidem non eſt improbabile, ipſum in ſuo animo fuiſſe perpetuo hæreticum, pacem tamen Eccleſiaſticam Orientis cum Occidente plurimum cupiit, quia ex illis diſſidiis periculum vitæ ſuæ imminere iam in Vitaliano expertus erat. Itaque toti formulæ libenter ſubſcripſiſſet, ſi nulla Acacij in ea mentio facta fuiſſet. Ideo etiam nullam habent probabilitatem, quæ de pecunia dicuntur; nam legatis in omnibus conſentiebat, vna excepta Acacij damnatione. Non ergo erat cur eos ad ſe per pecuniam traheret, niſi forte vt Acacium in pace relinquerent, quod ſi feciſſet, non eſſet reprehendendus, qui iuſtum, & æquum, etiam ſoluta pecunia, redimere voluiſſet.

Mala

CLVII. Mala ingentia quæ ex tam male ſoluta pacis tractatione ſecuta ſunt, Anaſtaſij culpa contigiſſe amplificat de more Baronius, quaſi ſimulate ſe geſſerit, quouſque à Vitaliani timore ſe liberum cerneret: Sed hæc ſunt vana commenta. Periculum enim ex Vitaliano, & orthodoxis erat ei perpetuum, qui è medio tollere Vitalianum nunquam potuerit, & quem Iuſtinus adhuc ſibi timendum eſſe optime intelligebat, nam & propterea dolis vtendum fuit ad eum perdendum; vt vidimus, & ex interrupta tractatione pacis bene ſciebat Anaſtaſius, & expertus eſt turbas excitandas, & quietem ac tranquillitatem ſui Imperij multum detrimenti paſſuram. Igitur tot malorum, præſertim incrementi hæreſis,
a Relatio Syrorum inter Epiſt. Hormiſdan te ep. 21. a perſecutionis orthodoxorū, & ſchiſmatis dilatationis, ſola cauſa fuit nimia durities Hormiſdæ, qui Acacium, propter primatus duntaxat ambitionem, etiam mortuum perſequeretur, ne iuſtum contemptum ſententiæ iniuſtæ, & nullius Fælicis, qua Acacium perperam, & valde imprudenter excommunicauit, poſſent iactare Orientales, & ſic Paparum primatum flocci facerent. Acacij nomen in diptychis nihil oberat fidei, vt eſt oſtenſum, nulla neceſſitas ſuadebat vt expungeretur, ac interim ſi de Acacio lis inutilis mota non fuiſſet, ſumma pax Eccleſiarum & concordia hæreſes quoque extinxiſſet. Sed i apæ iam ſua, & non quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærebant.

CLVIII. Malus b Anaſtaſius Imperator, male tandem periit, percuſſus ne fulmine, an alia morte infælici, nihil refert, ſucceſſit ei Iuſtinus vir Catholicus, & valde pius. Primus eius conatus fuit vt Eccleſias Orientis, & Occidentis fœdo ſchiſmate ſciſſas, ad pacem, & vnitatem reduceret. c Scripſit ad Hormiſdam legationemque ad eum expediit, & ad reconciliationem eum ſummopere hortatus eſt. Ioannes ſimiliter Epiſcopus Conſtantinopolitanus, quem inuenio initio Imperij Iuſtini in ſede illa ſedentem, (vt propterea Timotheus ille ſceleſtus vel mortuus, vel eiectus fuerit: mortuum inopina morte paulo ante Anaſtaſium, ponit d Baronius, ſed vnde id habeat, non video) ſcripſit & ipſe ad Hormiſdam, omnemque ei offert ſatisfactionem, ac ſignificat ſe, & Leonis, & ipſius Hormiſdæ nomen in diptycha repoſuiſſe. Hormiſda tamen ita his annuit, vt ſemper tamen nodum Acacij interponeret, à quo calumniando nunquam ceſſauit; nam & auſus eſt e ſcribere ad Cæſarium Arelatenſem Acacium in Catholicos arma conuertiſſe, quod eſt falſiſſimum, & mera calumnia. Miſit Hormiſda legatos ſuos Conſtantinopolim; dedit eis formulam fidei; quam profiteri deberent ad communionem Romanæ Eccleſiæ admittendi, dedit inſtructionem; dedit literas ad Imperatorem, & quia Iuſtinianus Comes, qui ſucceſſit Iuſtino in Imperio, eandem vnionem per ſuas quoque literas vrgebat, ad illum quoque ſuas Hormiſda dedit reſponſiuas; ſcripſit etiam ad alios. In his omnibus Acacij exploſionem firmiter, & conſtanter, imo dure nimium, & pertinaciter petebat; quæ omnia extant in regiſtro literarum Hormiſdæ, tomo primo Epiſtolarum decretalium Romanorum Pontificum. Ne tamen Hormiſda nimiæ argui poſſit durit ei, f Baronius hic neſcio quam Romanam comminiſcitur ſynodum, in qua deliberatum ſit; an Orientalibus permitti debeat memoria Acacij; & aliorum in diptychis recitanda, necne; ſtatutumque omnino non eſſe permittendam, ſed communionem eis negandam, niſi illorum nomina aboleuerint. De hac ſynodo nihil prorſus inuenio, neque Baronius dicit vnde eam ipſe habeat. eſt profecto vnum ex innumerabilibus ipſius commentis, quibus ſuos referſit Annales.

b Zonaras annal. par. 3.

c Inter epi. Hormiſ an te ep. 13.

d Baro. to. 6. an. 517. n. 62.

e Apud Baro. 7. an. 518. n. 87.

f Baro. to. 7. an. 518. n. 83.

CLIX. Cum igitur viderent Imperator, Patriarcha, & aliquot Epiſcopi Romani Pontificis obfirmatam in explodendo Acacio voluntatem, bonum commune pacis, & inde ſperatæ hæreſum compreſſionis, priuatæ Acaciæ iniuriæ præferendum eſſe cenſentes, admittunt tandem libellum Hormiſdæ; qui ſic habet. g *Prima ſalus eſt recta fidei regulam cuſtodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare, quia non poteſt Domini noſtri IESV Chriſti prætermitti ſententia, dicentis. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hæc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus; quia in ſede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & Patrum ſequentes in omnibus conſtituta, anathematizamus omnes hæreſes, præcipue Neſtorium hæreticum, qui quondam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopus damnatus in Concilio Epheſino à Beato Celeſtino Papa vrbis Romæ, & à venerabili viro Cyrillo Epiſcopo Alexandrinæ ciuitatis; & vna cum illo anathematizamus Eutychetem, & Dioſcorum Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopum, damnatos in ſancta ſynodo Chalcedonenſi, quam venerantes ſequimur & amplectimur, quæ ſequens ſanctam ſynodum Nicænam Apoſtolicam fidem prædicauit: his coniungentes Timotheum parricidam, Ellurum cognominatum; anathematizamus, & huius diſcipulum & ſequacem in omnibus Petrum Alexandrinum ſimiliter condemnantes. Anathematizamus ſimiliter Acacium quondam Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopum, complicem eorum, & ſequacem factum, nec non & perſeuerantes eorum communioni & participationi: quorum enim quis communionem amplectitur, eorum & ſimilem adiudicationem in cōdemnatione conſequitur. Simili modo & Petrum Antiochenum condemnantes, anathematizamus cum ſequacibus ſuis, & in omnibus ſuis. Vnde probamus, & amplectimur epiſtolas omnes Beati Leonis Papæ vrbis Romæ, quas conſcripſit de recta fide. Quapropter, ſicut prædiximus, ſequentes in omnibus ſedem Apoſtolicam, & prædicamus omnia quæ ab ipſa decreta ſunt, & propterea ſpero in vna communione vobiſcum, quam Apoſtolica ſedes prædicat, me futurum, in qua eſt integra Chriſtianæ religionis & perfecta ſoliditas. Promittens in ſequenti tempore ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt in omnibus non conſentiens ſedi Apoſtolicæ eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria. Quod ſi in aliquo à profeſſione mea dubitare tētauero; his, quos condemnaui, & per condemnationem propriam conſortem me eſſe profiteor. Huic profeſſioni vero ſubſcripſi mea manu, & direxi per ſcripta.]*

g Inter Epi Hormiſ libellus Ioannis, & c. poſt Epiſt. 34.

CLX. Quoniam vero Patriarcha Ioannes; vtcunque in priuatam Acacij iniuriam, propter commune bonum, conſentiret, in publicum tamen ſuæ ſedis detrimentum nullo modo conſentiendum eſſe putauit, ne ex damnato Acacio Romana ſedes prætēderet ceſſionem iuriū Primatus, quo ex priuilegio legitimo æqualis facta fuerat Romanæ ſedi ipſa ſedes Conſtantinopolitana, pro quo ſolo defendendo Acacius à Romanis tam male tractabatur, antidotum omnino, præfatiuncula profeſſionis addita, adhibendum eſſe cenſuit: Præfatio vero eſt huiuſmodi: *Redditis mihi literis veſtræ ſanctitatis, in Chriſto frater cariſſime, per Gratum clariſſimum comitem, & nunc per Germanum, & Ioannem Reuerendiſſimos Epiſcopos, Felicē & Dioſcorum ſanctiſſimos diaconos, & Blandum presbyterū, lætatus ſum de ſpirituali caritate veſtræ ſanctitatis, quod vnitatem ſanctiſſimarum Dei Eccleſiarum, ſecundum veterem Patrū requiris traditionem, & laceratores rationabilis gregis Chriſti animo repulſare feſtinas. Certus igitur ſcito per omnia Sanctiſſime, quia ſecūdum quod vobis ſcripſi, vna*

tecum cum veritate ſentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo, & ego pacem diligens. Sanctiſſimas enim Dei Eccleſias; id eſt ſuperioris veſtræ, & nouellæ iſtius Romæ vnam eſſe accipio, illam ſedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ ciuitatis vnam eſſe definio. Omnibus actis à ſanctis iſtis quatuor ſynodis, id eſt, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi, de confirmatione fidei, & ſtatu Eccleſiæ aſſentio, & nihil titubare de bene iudicatis patior, ſed & conantes aut enixos vſq; ad vnum apicem placiturum perturbare, lapſos eſſe à ſancta Dei generali & Apoſtolica Eccleſia ſcio, & tuis verbis recte dictis euidenter vtens, per præſentia ſcripta hæc dico. quia prima ſalus, &c.] Vim profectò habent proteſtationis illa Ioannis verba: Eccleſiam videlicet veteris, & nouæ Romæ, eſſe vnam; & ſedem Petri Romanam, atq; Conſtātinopolitanam, eſſe vnam & eandem, in priuilegijs videlicet, & cuiuſcunq; primatus prærogatiuis. Nam alioquin duę ſunt illæ Eccleſiæ particulares, non vna: & in Catholica Eccleſia vniuerſali, non illæ duæ ſolæ, ſed omnes orthodoxæ, quæ ſunt innumerabiles, ſunt vna. Et hanc proteſtationem peculiaribus *a* literis iterum repetit. Cautè etiam in admittēdis quatuor primis generalibus Concilijs, dixit, ſe illis de confirmatione fidei, & ſtatu Eccleſiæ aſſentiri, vt hæc etiam locum haberent proteſtationis, ac ferme exprimerent ipſum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſua priuilegia in Concilio Conſtantinopolitano data, & in Chalcedonenſi confirmata, ſe velle conſeruare: nam Romani Pontifices, ne his priuilegiis aſſentirentur, Concilia illa non niſi in ſtatutis de fide admiſerunt; at vero Ioannes ait ſe illis etiam quoad ſtatum Eccleſiæ aſſentiri.

a Ibid.

CLXI. Subſcripto per Patriarcham libello, *b* nomen Acacij de diptychis eſt deletum, ſimiliter & Phrauitæ, Euphemij, Macedonij, & Timothei; Zenonis ſimiliter & Anaſtaſij, per omnes Eccleſias ciuitatis Conſtantinopolitanæ. Epiſcopi etiam qui præſentes aderant quiſq; ſecundum formulam ab Hormiſda miſſam, ſuam confeſſionem ſubſcripſerunt. Omnia citra tumultū facta gloriatur Dioſcorus vnus ex Hormiſdæ legatis: *c* abſq; ſeditione, abſq; ſanguinis effuſione, *quod* inquit, *veluti terrentes inimici antea prædicabant.*] Gratiæ Iuſtino debentur, & Iuſtiniano, qui autoritate ſua potuerunt plebem in officio detinere; quod non potuiſſet Anaſtaſius, qui merito ſanguinis effuſionem timebat, qui apud plebem Catholicam male audiebat. Sed propterea illi ipſi qui libello Hormiſdæ ſe ſubmittebant, tempori & Imperatori ſeruientes, ſciebant reliquas Eccleſias Orientis libellum illum, vt totius Orientis dedecus ingens continentem, reiecturos. Et quidem *d* Theſſalonicenſis Dorotheus primus, non ſine nimio ardore, vehementius quam par erat reſtitit; & quod timebat Anaſtaſius, contigit Theſſalonicæ, vt aliquot libelli fautores occiderentur: Ac ipſe Dorotheus Theſſalonicenſis iudicium Imperatoris ſubire compulſus eſt. Nec multo poſt non modo liberatus eſt ne Romę ad Papę iudicium ſe conferret, quod enixe petebat *e* Hormiſda, ſed etiam pacifice in ſuam ſedem eſt per Imperatorem reſtitutus. *f* Auri pecuniæque vim interceſſiſſe autumant duo legati Hormiſdæ; & declamat *g* Baronius; ſed alij legati qui erant Conſtantinopoli, nihil tale ſuſpicantur, aiunt enim, *h* Quam ob cauſam dimiſſus ſit Dorotheus; vel qua ratione, aut conditione, vel quibus agentibus, ignoramus.] An non potius exiſtimare debemus Dorotheum Imperatori iniuriam factam Acacio, & præiudicium ſedi Conſtantinopolitanæ generatum inſinuaſſe?

b Suggeſtio Dioſcori poſt epiſt. 32. Hormiſ.

c Ibid.

d Suggeſtio Germani. Ibid. poſt ep. 56.

e Suggeſtio Germani ibi. poſt ep 64.

f Indiculus ibid poſt ep. 64.

g Baro to. 7. an. 519. n. 141.

h Suggeſtio Germani vt ſup.

CLXII. Paulo poſt *i* moritur Ioannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, & in eius locum Epiphanius ſubſtituitur. Hic quidem ſuis primis ad Hormiſdam *k* literis confeſſionem integram fidei ſuæ ponit, & vnionem factam à Ioanne confirmat, Acacij & aliorum nomina ſe omittere aſſerit. Sed paulo poſt *l* difficultatem proponit in contrarium, quam etiam *m* Iuſtinianus comes propoſuerat, videlicet, difficile, ac impoſſibile eſſe vt Eccleſiæ Ponti, Aſiæ, & Orientis, nomina taceant ſacerdotum, qui præceſſerunt. Acacium omittere erant contenti, ſed non alios poſt Acacium Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopos orthodoxos, præſertim Euphemium, & Macedonium. Iuſtinus quoq; Imperator vehementius hoc ipſum vrſit apud Hormiſdam, data ad hoc etiam legatione. *n* *Nobis quidem*, inquit, *videtur opus eſſe mollius agendi, & clementius;---Nam neque ſanguinis, & ſuppliciorum cupidi (quod dictu etiam graue eſt) libellum ſuſcepimus; neque vt paruo diſcrimine remaneant imperfecta concordiæ deſideria, ſed ad propagandam quo poſſumus ordine coniunctionem membrorum Eccleſiæ.*] Adiunxit ſuis literis preces Orientalium Eccleſiarum, quas ipſi Imperatori illæ porrexerant cum fidei profeſſione: *o* Preces vero illæ vnitatem Eccleſiæ poſtulant, per integram fidei Catholicæ confeſſionem; rogantque vt nullo alio deinceps rationabili, vel irrationabili occiſionis fomite pax inquietetur.] Cuiuſmodi fomes erant Romanorum futiles remoræ pro nominibus mortuorum, quos conſtaret fuiſſe plene orthodoxos. Et Iuſtinus ſapienter dicebat, ſe libellum Hormiſdæ admiſiſſe, nō quod neceſſitas fidei id requireret, ſed ad pacem & concordiam duntaxat ineundam: duritiemq; Romanā optabat emolliri. Hormiſda durus, & pertinax nihil conceſſit, ſed expreſſè *p* negauit, ſe illo Euangelij verbo formans imperite, *q* Nemo mittens manū ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.] Conſtantiam inflexibilem hanc in Hormiſda deprędicat *r* Baronius, vere Paparum Paraſitus. *ſ* Vę illi, qui dicit malum bonum, & bonum malum; & Luciferianam obſtinationem vocat conſtantiam: pręclaram conſtantiam, quæ pro rebus nullius momēti horrendum facit ſchiſma in Eccleſia.

i Suggeſtio Dioſcori & relatio ſynodi Conſtantinopoli. ibid poſt ep. 64.

k Relatio prior Epiphanij poſt ep. 69. ibid.

l Relatio poſterior Epiphanij ibid.

m Iuſtiniani epi. poſt Hormiſdæ ep 69.

n Iuſtini epiſt. poſt Hormiſdæ ep. 71.

o Exempll precum, ibid.

p Hormiſ. ep. 75. & 77.

q Luc. 9. 62.

r Baro. to. 7. an. 521. n. 5. & n. 55.

ſ Iſa 5. 20.

CLXIII. Sublatum ergo ſchiſma fuit inter Eccleſiam Romanam & Conſtantinopolitanam, & Dardaniæ aliquas, atque Illyrici; Reliquus Oriens ex Hormiſdæ inflexibili obſtinatione manſit in ſchiſmate, vbicunque aut Acacius nominaretur, aut alij quicunque Epiſcopi eſſent in diptychis qui cum Acacio communionem habuerint. Romano enim Pontifici tanquam iniuſta petenti, & ex pura ſua ambitione conanti, nullo modo obſequendum eſſe merito putauerunt. Quis igitur non rideat militis illius glorioſi vere ſtultam, & ſcena Ethnicorum; non Eccleſia Chriſtianorum dignam exclamationem? quę eſt huiuſmodi: *t* *Hic amabo te, ſiſte, lector, gradum, atq; mente repete quomodo Deo rebellium eſt obliterata memoria, ſucciſiq; ſunt atq; auulſi radicitus cedri Libani, & quercus Baſan altis firmatæ radicibus impietatis. Sed à quo iſta tam grandia? & cuius in terra tanta vis atq; facultas? non alterius quidem, quam ingenuis in Petri ſede poteſtatis, & inde autoritate Apoſtolica fulminantis Romani Pontificis ſagittas accipientis è manu potentis, ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum, & diſſipet funditus aduerſarias poteſtates, quæ adeo ſunt ab irruente deſuper Petra protritæ, vt nec nominum memoria recolenda cum benedictione remanſerit, Vbi modo Zenonis ſubdolæ artes, & Anaſtaſij ad decipiendum*

t Baro. to. 7 an. 519. n. 54

conquiſita commenta? Vbi nunc Sathanica Acacij arrogantia, & ſucceſſorum obſtinata durities? Quot belluæ iſta fatigarunt Romanos Pontifices, qui eas ex feris reddere manſuetas, ex lupis oues, & in ouile è ferarum latibulis reducere fruſtra conati ſunt? Stat immobilis Petra, fremant licet, & urgeant, vrgeantq; vndique ſæui fluctus: neceſſe tandem eſt vt iidem rumpantur ad Petram illiſi, & in ſpumam gracilem penitus diſſoluantur.] Infelix ac infauſta eſt eccleſiæ illa victoria, quæ eā ſchiſmate horrendo diuidit, & hæreſibus vt inualeſcant, fomenta præbet, dum impedit illius expugnationem. Sed hi ſunt, *a Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

a Prov. 2. 14.

CLXIV. Poſt mortem tamen Hormiſdæ, quæ poſt triennium circiter ſecuta eſt, cui ſucceſſit Ioannes huius nominis primus, nullum amplius in toto Oriente cerno ſchiſmatis perſeuerantis indicium. Ioannes ſane ipſe Romanus Pontifex paulo poſt ipſius promotionem miſſus eſt *b* Legatus Conſtantinopolim à Theodorico Rege ad Iuſtinum Imperatorem. Egit ſuæ legationis negotia, de ſchiſmate aut ſchiſmaticis orientalibus nihil cum eo Conſtantinopoli tractatum inuenio. Admodum probabile mihi videtur ipſum ſua prudentia, ac diſcretione omnem anſam ſchiſmati abſtuliſſe, & cauillationes ſuorum prædeceſſorum circa nomina mortuorum recitanda, penitus extinxiſſe, communionemque ſuam toti orienti modo in fide catholica eſſet conſenſus, abſque vlla addita conditione de illis vitandis, qui cum hæreticis, ſed non in hæreſi communicaſſent. Formula tamen Hormiſdæ aliquandiu retenta eſt Cōſtantinopoli, & iuxta eam factæ ſunt fidei profeſſiones. Iuſtinianus enim iam Imperator Pōtifici Agapito in Conſtantinopolitana ciuitate exiſtenti, obtulit ſuam *c* confeſſionē iuxta Hormiſdæ libellum in omnibus, non nihil tamen ampliatam. Nec mirum formulam illam aliquandiu Conſtantinopoli viguiſſe, quia Epiphan. qui ei ſubſcripſerat in ea ſede quindecim circiter annos ſedit. *d* Agapetus enim Rom. Pontifex decennio circiter poſt legationem Ioannis I. & ipſe legationem obire coactus fuit ad Iuſtinianum Conſtantinopolim, miſſus à Theodato Gothorum Rege: quando, mortuo nuper Epiphanio, Anthimus hæreticus illam ſedem ſuſceperat. Nulla eſt tunc ab Agapeto promota difficultas, ne cum omnibus Orientalibus communicaret, ſed cum *e* relatione Epiſcoporum cognouiſſet Anthimum eſſe hæreticum Eutichianum, ex eo *f* quæſiuit an duas naturas in Chriſto confiteretur, cumque ille duas naturas fateri nollet, hæreticum illum eſſe declarauit. Neque eſt cur exaggeret *g* Baronius id cum ſumma autoritate Apoſtolica abſque Synodo feciſſe, quippe canonibus omnibus ſuperiorem. Anthimi enim hæreſis noua non erat, & nouam hæreſim damnare eſt proprium Conciliorum, neque Papalis autoritas ſola ſufficit. Vbi vero in Conciliis legitimis iam hæreſis aliqua legitime damnata eſt, poteſt quilibet Epiſcopus illam hæreſim quencunque profitentem damnare, ſiue hæreticum declarare, eique ſuam negare communionem: quod oſtendi cap. 7. huius. Mortuo Conſtantinopoli Agapeto celebrata eſt ſatis ampla *h* Synodus Conſtantinopolitana ſub Menna, ad eam ad hæreticos duntaxat damnandos ex omnibus fere Orientis prouinciis Epiſcopis pluribus conuenientibus, cui legati etiam ſedis Apoſtolicæ interfuerunt. Iam ergo ſchiſma illud ob Acacii communionem penitus erat extinctum, & tamen plurimæ Orientales Eccleſiæ tempore Hormiſdæ, à cōmemoratione ſuorum defunctorum Acacii, Macedonii, Euphemii, & qui cum ipſis communicarant, noluerunt abſtinere. Neque Agapetus Conſtantinopoli exiſtens camarinam hanc voluit amplius commouere.

b Marcellinus in Chron.

c Inter ep. Agapeti poſt ep. 5. tom. 1.

d Anaſtaſ. in Agapet. & Liberat. c. 21.

e Agapet. ep. 4.

f Anaſtaſ. in Agap.

g Bar. to. 7. an. 536. n. 13. & n. 32.

h Acta ſynodi Conſtantinop. ſub Menna.

CLXV. Celebratum non multo poſt etiam eſt *i* Quintum Concilium generale, præſente Conſtantinopoli Vigilio Romano Pontifice; neque de præterito ſchiſmate vlla facta eſt mentio, nouo tamen ſchiſmati ex hoc Concilio nouæ ſubortæ ſunt occaſiones. Quia damnatio in eo facta trium Capitulorum viſa eſt multis Concilio Chalcedonenſi derogare; & conſequenter Euthichianam hæreſim confirmare: Et hoc ſchiſma non modo diuiſit multos Orientales ab Occidentalibus, ſed pariter & Orientales inter ſe & Occidentales, & nomen *k* Vigilii à diptychis in eccleſia Cōſtantinopolitanā eſt abraſum, quia Concilio intereſſe noluit, nec in trium capitulorum condemnationem conſentire. Vbi tamen receptum fuit ab omnibus ipſum quintum Concilium generale, ſchiſma extinctum eſt, & pax conciliata, nomenque Vigilii in diptychis repoſitum, diu tamen inde rixæ multæ eccleſias turbarunt. Fuit vero neceſſarium, tria illa capitula damnare, vt labecula aliqua Concilio Chalced. hærens abſtergeretur: hoc enim inaduertēter aliquos admiſerat, qui Neſtorium aut ſequuti fuerant, aut defenderant: ſic enim Concilium ab omni abiectione purgatum ab Acephalis facilius potuit admitti; ab illis præſertim qui duas naturas in Chriſto agnoſcerent. De his aliquid dixi lib. 6. cap. 9. n. 40. Pelagius poſthæc, & Gregorius contra Ioannem Conſtantinopolitanum & alios eius ſucceſſores non parum ſuccenſuerunt, quod ſe œcumenicum Patriarcham inſcriberet, de quo nos plura libro 4. cap. 7. num. 23. & ſeqq. Schiſma tamen non eſt ſecutum, *l* Mauritio præſertim Imperatore ne ſequeretur adnitente, & Gregorium ad recipiendas, & dandas literas communicatorias, impellente. Vt vidimus li. 4. c. 7. n. 20. Monothelitæ hoc eodem ſeptimo ſæculo vnionem inter Romanam, & Conſtantinopolitanam Eccleſias, pro aliquo tempore interruperunt, vt patet ex *m* literis Conſtantini Pogonati Græci Imperatoris ad Donū Papam: ſed ſecuta eſt ſexta Synodus generalis, cū pace vniuerſali. *n* Imaginū poſtea cultus, & contra ipſas bellū octauo ſæculo non nihil turbarū peperit cum ſchiſmate, & ſeptima Synodus generalis Nicęæ celebrata ignē huius ſchiſmatis accēdit potius quam extinxit, ac pene etiam occidentales eccleſias inter ſe diuiſit. De qua re agam plurib. poſtremo cap. huius lib. Sed generale ſchiſma inter Oriētem, & Occidentē ex his cauſis conflatū non eſt: & Græci ſiue Monothelitæ, ſiue Iconoclaſtæ turbas, & ſciſſiones inuexerunt, quibus facile remedium à Catholicis eſt appoſitum, & pax conciliata.

i Acta quintæ ſynodi gen.

k Pet. Antiochen. in quadam epiſt. apud Baro. to. 11 an. 1054. n. 36.

l Greg l. 6. Ind. 15. ep. 30.

m In actis 6. Syn. gen. ad init.

n Acta ſep. Syn. gen.

CLXVI. Noua poſtea noui ſchiſmatis occaſio nono ſæculo erupit ſimillimi Acaciano, poſt trecentos & quadraginta circiter annos ab illo. & hæc occaſio non ex vlla hæreſi, ſicut nec prius, ſed ex ſola primatus ambitione pullulauit, poſt octingenteſimum, & quinquageſimum à Chriſto nato annum. Ignatio enim Patriarcha Cōſtantinopolitano è ſua ſede, Bardæ patrui opera nefarie deiecto, atque in exilium pulſo, *o* Photius factus eſt Patriarcha Conſtantinopol. Vir magni ſpiritus, ſapientia clarus, & in rebus gerēdis gnauus apprime atq; induſtrius. Is ſuę dignitatis, ſiue inuaſæ, ſiue legitimæ obtentæ, conſcius, Patriarchalia priuilegia Rom. ſedis priuilegiis æqualia, quoties vſu venir voluit exercere. Huius ſchiſmatis initium mihi mirabile videtur.

o Nicetas in vita Ignat. Nicol. epiſtolæ. & Acta 8. ſyn. gen. & c.

Romana enim ſedes dum conatur competitorem ſatis in ſe mitem ac modeſtum iniuſte ne primatum Conſtantinopolitanum exerceret, quantum poſſet impedire, hoc ipſo conatu cauſa fuit vt competitor alius longe acrior, & vehementior in eam inſurgeret. Etenim Ignatius ius Patriarchale habens in Siciliam, quæ iuris tunc erat Imperialis, nimirum ſub Græco Imperatore, *a* Gregorium Syracuſanum Epiſcopum depoſuit, monuitque Romanum Pontificem Leonem quartum, vt ipſe quoque illum pro depoſito haberet; id enim moris erat in eccleſia ne a ius alium impediret; quod vane *b* Nicolaus interpretatur, neceſſitatem habendi conſenſus à Romano; Noluit Nicolaus Gregorii depoſitionem, tametſi iuſtam; approbare, ne primatum Ignatii videretur confirmare, ſed Gregorii depoſitionem infirmam eſſe ſatis ſignificauit. Hinc Gregorius factus fortior Ignatii depoſitionem machinatus eſt, & obtinuit, & Photium cum quibuſdam aliis Epiſcopis etiam conſecrauit. Neſcio ergo qua fronte idem Nicolaus toties *c* ordinationem Photii nullam eo quoque nomine fuiſſe contendat, quod à depoſito Gregorio fuerit ordinatus.

a Nicol. ep. 9.
b Ibid.
c Ibid.

CLXVII Imperatoris voluntate, & iuſſu, iniuſte, ac tyrannice, puto, depoſitus eſt Ignatius, & Photius ſubſtitutus, catholicus tamen. Quid facto opus erat? Idem olim contigerat Liberio, ac Sylverio Romanis Pōtificibus. Idem Ioanni Chryſoſtomo, Macedonio, & Euphemio Conſtantinopolitanis; idem multis aliis aliarum ſedium, etiam Apoſtolicarum Epiſcopis; & malum hoc tolerandum fuit, ne peiora ſequerentur. Cur Fælicem Liberius non excommunicauit? Cur Virgilium Siluerius? Cur Hormiſda Timotheum Conſtantinopolitanum, etiam hæreticum, nedum intruſum, anathemate non perculit? ne inde ſchiſma ſequeretur. ſapienter. Nicolaus tamen in Photium, quem Imperator defendebat, cui multi adhærebant Epiſcopi, multi populi; etſi alioquin omni pœna dignum, imprudenter ſatis ſua fulmina cōtorſit. Fecit quod à ſuis Patribus non didicerat. *d* Excommunicauit Photium, hoc eſt, oleum camino addidit. Et qua, rogo, ex cauſa? An quia hæreticum inuenit? minime vero. Sed quia ex laico ordinatus eſt Epiſcopus, & in alienam ſedem eſt intruſus. Sed propter talia, & ſimilia, & longe peiora Antiqui ſancti Patres tantas turbas non ciebant, ne ſequerentur ſchiſmata. Vbi præſertim Imperatorum in contrarium manus adeſſet. Atque hæc ipſa velamentum fuerunt Nicolao, & prætextus; ſed in eum propterea incenſus eſt, quia ille Primatum ſuum in Oriente non minus pompatice, quàm Nicolaus in Occidente exercebat. Cauſas ex literis Nicolai, ex Anaſtaſio, & aliis hiſtoricis colligit Baronius. Cur Photius fuerit à Nicolao male habitus, & ſchiſmate ſe ſeparauerit; ipſum Baronium audiamus. *e Primus,* inquit, *infelix Photius (iſta ſit illi loco gloriæ columna ignominiæ ſculpta) primus inquā extitit auctor, vt eius prætextu ſe ab eccleſia Romana ſeiungi, ac penitus ſegregari profeſſus ſit, à qua ſe non recipi ſciret ob ſedis alienæ inuaſionem, & alia innumera ſcelera perpetrata; vt erubeſcant eius in ſchiſmate ſectatores tali auctore, quem (vt audiſti) crimina immaniſſima decorarunt. Qui vbi ſemel id profiteri ſcriptis literis capit: quæ reliqua fuerunt, erigendo ſibi cathedram contra cathedram, angelum apoſtatam imitatus, par ſolium, imo altius contra ſanctam Apoſtolicam ſedem ſibi conſtituendum putauit: vt non ſolum illud vſurparit, quod Romanæ eccleſiæ eſt ſolius, vt Oecumenicus diceretur, ſed & à Legatis ſedis Apoſtolicæ fidei profeſſionem exigeret, & epiſtolas ipſe canonicas ſcriberet; quod ſpectat tantum ad Romanum Pontificem. Apoſtatantis primum Angeli ſuperbia eſt, & blaſphemia in Deum pariter, dum inſtitutum diuinitus in eccleſia, & ſeruatum ſemper in hoc tempus Hierarchicum ordinem Eunuchus inuaſor alienæ ſedis, atq. falſarius (vt eſt demonſtratum) auertere auſus ſit, atq. ſubuertere, homo ſententia Nicolai, innumerabilium repertus præuaricationum obnoxius, Imperatorum tantum auxilio fretus. Ita quidem Principes terræ, potentes iniquitate aduerſus Romanam eccleſiam cum Photio inſanierunt.*] Iudicet lector an præter liuorem, & ſuperbiam adſit hic vlla cauſa cur in Photium Nicolaus tantopere & detonarit & fulminarit.

d Nico. ep. 7. c. 1.
e Baro. to. 10. an. 867. n. 75.

CLXVIII Quid vero Photius? ſane ipſe quoque, cum ſedes illa, in qua ſedebat, paris eſſet cum Romana poteſtatis, *f à Romani Pontificis amicitia, & communione ante omnia ſe ſequeſtrat: deinde Epiſcopos, & clericos ſibi communicare renuentes diris affligit modis: Tum vero etiam Synodum contra Nicolaum congregat, in eaq. præſidente Michaele Imperatore, damnatione, & anathemate Nicolaum ferit.*] Et ita ingens ſchiſma à Primatus eccleſiaſtici duobus procis, eſt inflammatum. Nicolaus contra Photium priuata eius ſcelera indagat, obiicit, publicat. Photius totius Eccleſiæ latinæ ſeu labes, ſeu labeculas, ſeu etiam falſo excogitatas notas exaggerat, & contra Nicolaum ipſum monitoria relaxat, epiſcopoſque inſignes Treuerenſem & Colonienſem à Nicolao damnatos, *g* recipit, audit, paratq; iudicium aduerſus Nicolaum pro ipſis inſtituendum; de quo aliquid dixi lib. 3. cap. 10. num. 36. Atque hoc ingens incendium per Nicolaum improuide accenſum, non eſt vnquam amplius plene extinctum. Ex quo enim Occidentale Imperium Græcis eſt ablatum, & ab Orientali penitus diuiſum, vtrunque cecidit. Indeque Romani Pontifices nimium ſuas criſtas erexerunt, & monarchiam primum eccleſiaſticam, poſtea etiam temporalem vſurparunt; quam vt iam conſeruarent, duriores & crudiores effecti, Orienti primum, deinde etiam Occidenti vt in ſchiſmata erumperent amplam dederunt occaſionem.

f Anaſtaſ. in Nicol.
g Apud Baro. to. 10. an. 863. n. 38.

CLXIX Occiſo Michaele Imperatore, *h* Baſilius Cæſar plenas ſolus Imperii infulas ſuſcepit. Is Photium à ſede remouit, & Ignatium repoſuit; atque interim *i* Nicolai iudicium voluit plenius expectare. Sed paulo poſt etiam Nicolaus è viuis exceſſit. Egitque Baſilius per ſuum legatum cum Adriano II. Nicolai ſucceſſore, *k* vt turbatæ res Conſtantinopolitanæ componantur, ita tamen vt cum manſuetudine; & abſque rigore cum Photianis agatur: timebat enim ex nimio rigore ſchiſma auctum, non extinctum iri. Et ad hoc congregatum eſt Concilium quod octauum vocatur à noſtris generale. *l* In quo quidem Concilio damnatus eſt Photius, & Ignatius in ſede confirmatus: Et quidem Ignatiana ſola pars, & conſequenter ii ſoli qui cum Romana eccleſia communicabant damnationi illi ſubſcripſerunt; & libellum contra Photium, & ſequaces, a Nicolao paratum, & ab Adriano miſſum, ſimilem libello Hormiſdæ contra Acacium olim datum admiſerunt, ſingulique ſuum proprio chirographo ſubſcriptum legatis Romanis tradiderunt. *m* Numerus vero horum fuit admodum exilis, vix centum Epiſcopi partes Romanas pro Ignatio, & contra Photium tenuerunt; At longe maior numerus erat Photianorum, qui & damnationi Photii, & libello reſtiterunt. Cuius ergo autoritatis poſſit eſſe illud Concilium in tanto ſchiſmate factum, ſapiens quiſque conſideret. Sed illud quoque contigit maxima dignum conſideratione, *n* quod oculatiores aliqui ex ipſis Ignatianis, & Romaniſtis,

h Nicetas in Ignat.
i Baſil. Imp. epiſt. in oct. Syn. act. 1.
k Epiſtola Adrian oct. Syn. act. 1.
l Acta oct. Syn gen.
m Anaſtaſ. in Scholiis ad octauā Synod.
n Anaſtaſ. in Adr. 2.

niſtis, licet paulo ſerius aduerterunt per acta illius Concilii, & per libellum à Romana ſede miſſum, & ab ipſis admiſſum, ac ſubſcriptum maximum præiudicium ſedi Conſtantinopolitanæ, & toti eccleſiæ Orientali eſſe generatum, ſiquidem nimiū ſe Romanæ ſedi in iudiciis eccleſiaſticis ſuppoſuerint. Quare maxima eorū pars clam arte ſurripiendos curauit à ſe iam ſubſcriptos libellos, ne ex illis Rom. Pontifex fortior redderetur. Adiuuit eos in hoc ipſe Baſilius Imperator, & ipſe factus certior inde plurimum Conſtantinopolitanæ ſedis, & eccleſiæ Orientalis dignitatē labefactari, & Ro. Pontificem nimium contra ius, canones & priuilegia erigi, ipſos vero in indignam ſub Romano redigi ſeruitutem. Cum tamē fraus illa in ſurripiendis libellis non eſſet laudanda, vehementiſſime legatis hac de re conquerentibus, libellos omnes iterum legatis conſignandos Imperator curauit.

CLXX. Concilium hoc octauum Græci nunquam admiſerunt. Nam & quando ad Concilium conuenerant Florentinum, & Iulianus Cardinalis neſcio quid argumēti ex hac octaua Synodo confirmaret: *a* Græci ſtatim negarunt ſe octauam hanc ſynodum habere: *Nam ſub Ioanne,* inquiunt, *octauo alia Synodus Oecumenica habita eſt, quæ priorē illam ſub Adriano celebratam improbauit, Photiumque reſtituit. Neq; habuit Iulianus quod reſponderet, niſi hæc pauca: Hoc metu vos libero, præſtantiß. Patres, nam nihil de ipſo Concilio,* octauo ſcilicet, *recitabitur: ſed quoniā in eo volumine nonnulla ſexti, ſeptimiq; Concilii acta ſunt ſcripta, idcirco ea videre vellemus: nam de octauo Concilio nobis cura nō eſt.*] Et merito ſane, quia, vt dixi, in maximo ſchiſmate etiam Orientalium inter ſe diuiſorum, peractum eſt, & minimam partem habuit cōſentientem, atq; hanc ipſam poſtea ſe deceptam fatentem, & ſuum conſenſum reuocare conantē. Addo & nullitatē actorum in illo Concilio, & abſolutum Papæ Dominium in totā eccleſiam, præſertim orientalem, quod Græcos vrere potuit vehemēter ex ſubſcriptionib. legatorū Adriani, non abſolutis, ſed cōditionatis, ſatis colligi: Sic enim ſubſcribunt, *ego N. vicem agens. &c.*—*Omnia quæ ſuperius leguntur, huic ſanctæ, & vniuerſali Synodo præſidens. vſq; ad voluntatē eiuſdem eximii præſulis promulgaui, & manu propria ſubſcripſi.*] Quorſum ergo Concilia fiunt, quorſum tot labores, quorſum plura ſuffragia, ſi omnia ſoli Papæ voluntati relinquuntur? Intellexerunt profecto Græci illi pauci catholici, & Romaniſtæ, ſe ſtolidas pecudes fuiſſe in ſua manu tam confuſis Actis apponenda: ſed non intellexerunt ſuam ſtoliditatē noſtri Tridentini Patres in ſimili dicam ne ſimplicitate, an ſtultitia imitanda? vbi acta omnia ſolius Domini Papæ voluntati ſubiiciunt. Vt quid ergo perditio illa tot expenſarum, & laborum, tot diſputationū, &c?

a Concil. Flor. Seſſ. 6

CLXXI. Non ceſſarunt hinc inde literæ, & legationes inter Imperatorem Baſilium, Patriarchamq; Ignatium, ac Rom. Pontificem Adrianum, ſi quo modo pax reſarciri poſſet; & quidem illud petebant enixe, *b* vt ordinati à Photio, & Photianis, in ſuis dignitatibus reciperentur: ſed Adrianus more ſuorū deceſſorum durus, ſua duritie ſchiſma adhuc magis firmauit. Illud duntaxat obtinuit, vt *c* Photius in exilium pelleretur. Interim vero nouæ rixæ inter Romanam & Conſtantinopolitanam ſedes, pro *d* Bulgaria, ortæ ſunt, vel ipſo Ignatio acriter Adriano, & Ioanni VIII. reſiſtente, & vicariis Patriarchalium ſedium orientis, qui ad octauam Synodū conuenerant, ſummopere contranitentibus. Hæ

b Variæ literæ poſt octauam Syn. gen. in Actis.

c Literæ Photii apud Baro. to. 10. an. 870. n. 80. & an. 871. n. 8

d Anaſtaſ. in Adria. 2 & Ioan. 8. ep. 78.

quoq; nouæ rixæ, ac recens memoria erepti per Papam, & Latinos occidentales Imperii de manibus Imperatorum Græcorū, ſchiſmati magna fomenta addiderunt; & animos multorum etiam Romanæ ſedis amicorum vehementer abalienarunt. Moritur Adrianus, Ioannes octauus ſuccedit. Ignatius verò ne quicquàm de ſuo iure Patriarchali in Bulgariam derogari à Romano Pontifice pateretur, *e* excommunicari quoque ſe à Ioanne paſſus eſt; in qua excommunicatione etiam mortuus eſt, ſanctus tamen, & miraculis clarus, vt alias obſeruaui lib. 3. c. 12. n. 13.

e Ioan. 8. ep. 78.

CLXXII Mortuo Ignatio Photius, qui iam ab exilio reuocatus fuerat, thronum illum recepit: ſcripſit literas ad Ioan. Baſilius quoq; *f* legatos ſuos addidit: *g* vir diſcretus, & prudens Ioan. octauus vt ſchiſmā extingueret, Photium, & omnes eius aſſeclas in ſuam recepit cōmunionem, mandauitq; vt fiat Synodus Conſtantinopoli, in qua Photius reſtituatur; deditq; cōmonitorium ſuis legatis qui erant Conſtantinopoli, in quo peragenda in ſynodo præſcribuntur; Inter alia vnum capitulū eſt tale: *h Volumus præterea, vt coram vniuerſa Synodo promulgetur, quod Synodus habita aduerſus prædictum Patriarcham Photium tempore Adriani ſanctiſſimi Papæ, tum Romæ, tum Conſtantinopoli, ex nunc habeatur nulla, & irrita, & non numeretur cum alia ſancta Synodo.*] Deprauatum tamen fuiſſe hoc commonitorium clamat *i* Baronius: ſicut deprauatas fuiſſe literas Ioannis conatur probare ex collatione literarum ex regiſtro Ioannis, & earundem Græce traductarum in actis huius Synodi quam vocat Photianam; cuius particulas aliquas ſeu compendium nobis primus ipſe *k* euulgat; & ſane variatio literarum nonnulla apparet, (niſi aliqua lateat impoſtura) non tamen in eſſentialibus, ſed in quibuſdam acceſſoriis, quæ de licentia, vt puto, legatorum mutanda curauerit Photius vt ſuæ cōſuleret exiſtimationi: Quomodo enim ſine conſenſu legatorum *ibi* præſentium id fieri potuit? De cōmonitione tamen fatetur Baronius ſe non habere ipſum autographum Latinum; ex quo poſſit arguere Synodalia acta Græca, corruptionis. Hoc tamen capitulum nōn fuiſſe deprauatum ſunt graues, meo iudicio, coniecturæ. Prima; quod ſtulte & imperite addidiſſet Romæ quoque debere declarari Synodi illius nullitatem; ſecunda; quod in Concilio Florentino hanc ipſam annullationem proferentes Græci non ſint in contrarium redarguti: Tertia quod impoſtura hæc, per quam vna oecumenica Synodus expungatur, non fuiſſet tolerata à legatis Romanis ibi præſentibus, multo minus in Romana eccleſia & tamen eam, contra illam nunquam inſurrexiſſe apparet. Quarta quod Florentina Synodus à Græcis vocetur octaua, & in Conciliorum voluminibus quę nobis data ſunt, octaua ſimiliter inſcribatur. Quinto demum quod Leo nonus in ſua profeſſione fidei *l* ſeptem tantummodo oecumenicas Synodos admittit, & vltimam fuiſſe ſecundam Nicęnam affirmat. *m* Humbertus quoque Cardinalis eiuſdem temporis non niſi ſeptem citat Synodos oecumenicas. quid mirum igitur ſi *n* Bellarminus quoque circa hanc octauam generalem Synodum totus titubet?

f Ioan. 8. ep. 109.

g Ibi & ep. 200. & 201

h Apud Baro. to. 10. an. 879. n. 55.

i Ibid.

k Baro. to. 10. an. 879. n. 69. & ſeqq.

l Leo 9. ep. 5. to. 3.

m apud Baro. to. 11. an. 1054.

n Bellar. de Concil. l. 1. c. 5.

CLXXIII. Contra Photianam Synodum multa *o* Baronius, vt octauā in illa iuſſu ſedis Apoſtolicæ abditam viuificet, & confirmet Ioannem ipſum octauum Synodum illam Photianam abieciſſe, inde conatur colligere, quod ipſe *p* Ioannes bis fateatur ſe in ea nō admittere, nec approbare ſi quid legati ipſius in ea contra Apoſtolicam præceptionē egerint.

o Baro. to. 10 ad an. 880.

p Ioan. 8. ep. 250. & 251.

Pacis

Pacis enim oſores, & ſchiſmatum amatores Ignatiani, indiſcreti zelotes, quorum multi Photio nunquam voluerunt communicare, contra Ioannem Photium admittentem obmurmurabant; legatoſque in multis cõtra præceptionem excesſiſſe querebantur: ideoque Ioannes approbans Synodum Photianam, exceptionem illam ſub terminis tantum generalibus addidit. Cum tamen nulla extet Synodi illius legitima abrogatio, & eam perpetuo Eccleſiæ Orientales vt legitimam ſeruant, neque Ioannes VIII. exceptionem ſuam hypotheticam vlterius cathegorice declarauerit, fruſtra aſſeritur fuiſſe abrogata; imo illam in eccleſia quoque noſtra latina ſuam retinere autoritatem inde conuincitur, quod Gratianus ex ipſa vnum canonem acceptum in ſuum *a* Decretum intulerit. *a* 6.q.1.c. Hoc nequaquam. Acne quis obijciat Gratianum etiam ex Apocryphis multa in ſuam rhapſodiam conieciſſe, oppono Gregorij 13. reuiſionem Decreti, & correctionem, quæ contra hanc Synodum nihil monet, quam his verbis citat *b* Ibid. c. temporis §. Item. Gratianus. *b vnde in quinta actione Conſtantinopolitanæ Synodi trecentorum octo ginta trium Patrum, ſub Ioanne Papa octauo, cui præſens Petrus presbyter Cardinalis, & Paulus Ancontanus Epiſcopus, & Eugenius Oſtienſis Epiſcopus Apocriſarii Papæ, dixerunt, Hoc nequaquam, &c.*] Idem prorſus aſſeruit etiam Iuo par. 7. cap. 149. & correctores Gregoriani, in Bibliotheca Vaticana dicunt extare Græcam hanc Synodum, ex eaque plenius græce & latine canonem illum cum magna parte actionis afferunt, ac certe Synodum vt legitimam ſupponunt. Quæ ergo *c* Baronius de excommunicato rurſus per Ioannem Photio profert, *c* Baro. to. 10. an. 880. n. 11. 12. ea ex latentibus, ac mundo ignotis monumentis eruit, & per longas ac fallaces deductiones colligit.

CLXXIV. Cuius etiam Baronii merum commentum eſt, *d* Ib. n. 10. quod ait, *à Ioanne miſſum ad Marinum Conſtantinopolim, vt cuncta quæ perperam per tres legatos geſta eſſent irrita redderet.*] Id perperam ille colligit ex literis *e* Stephani adhuc & ipſis in priuatis Bibliothecis latentibus; *e* Ibid. an. 885. n. 16. Illæ enim litteræ nihil de legationibus Marini habent, ſed ſignificant duntaxat Marinum fuiſſe vnum ex vehementioribus zelotis, qui ægre ferrent Ioannem in ſuam Photium recipere communionem, & in Patriarchatu ſtabilire, ac propterea ex ſe etiam, & non cum legatione, aut Conſtantinopolim veniſſe, vt ſi quo modo poſſet annullationem octauæ Synodi, cui ipſe interfuerat *f* Legatus Romanæ ſedis, impediret. *f* Acta oct. Syn. Nemo enim inter legatos Ioannis in Photiana Synodo Marinum recenſuit. Tunc tamen vehementer Marinum obſtitiſſe, ait Stephanus, ne annullarentur, & irrita fierent quæ ipſe Synodice geſſerat. Verba Stephani ad Baſilium ſunt iſta, *g* Apud Baro. to. 10. an. 885. n. 16. *g Neque enim hoc dicimus ad tui contumeliam: Te enim in vniuerſo orbe Deo dilectum prædicamus, ſed tantum ad noſtram defenſionem, & Marini maiorem gloriam, qui eadem ſenſit, & ſapuit cum prædeceſſore, & doctore noſtro ſanctiſſimo Papa Nicolao. & quidum voluit adimplere quæ illi antea viſa fuerant* (non ait quæ ei à ſede Apoſtolica commiſſa fuerant) *in maximum deuenit apud nos contemptum & ludibrium diuinus ille Marinus: & cum noluerit ſimul duci cum iis qui aliena ſentiebant, & quæ ipſe coram tua Maieſtate Synodice geſſerat diſſoluere, & annullare, ac irrita reddere, propterea 30 diebus carcere fuit detentus.*] Hinc nihil habemus de illa altera Marini legatione. Neque enim Ioannes, quæ ſemel recte & prudenter pro vniuerſali pace & vnitate ſanctæ eccleſiæ ſtatuerat & firmarat, pueriliter iterum ad ruinam eccleſiæ debuit refigere, & Marino illi inhærere, quem rigida nimium ſuorum deceſſorum opinione imbutum erat expertus; qui per vanas, & duras contentiones cum Patriarchis Conſtantinopolitanis peſſimum ſchiſma iam conflarant. Et illi quidem duritiem ſuam tum contra Acacium, tum contra Photium Zeli neceſſarii tegumentis induebant, & ſcripturis confirmabant, *h* Ioannes vero ſuum magnæ diſcretionis Spiritum Spiritui illorum omnino contrarium, optimis quoque teſtimoniis ex Conciliis & Patribus confirmabat, quæ teſtimonia egregie Ioannis prudentiam & diſcretionem reddunt laudabilẽ; imprudentiam vero & nimium Simplicii, Felicis, Symmachi, Gelaſii, Nicolai, & Adriani typhum oſtendunt fuiſſe valde reprehenſibilem. *h* Ioan. 8. ep. 109. apud Baro. to. 10. an. 879. n. 9.

Quæ porro Ioannes VIII. pacis vniuerſalis fundamenta iecerat, ea ne firma ſubſiſterent impediuerunt Marinus prædictus, & alii in Oriente Ignatiani, à Photio perpetuo diſſidentes: CLXXV ideoque nondum bene ſtabilita, mortuo Ioanne, & ei Marino prædicto ſubſtituto, omnino ſunt euerſa. Ab eo enim Photium fuiſſe ſtatim excommunicatum, & à ſolio quantum in ipſo fuerit deiectum, facile eſt colligere ex literis *i* Stephani Papæ ad Baſilium Imperatorem, quæ ſupponunt Baſilium ad Marinum literas acerbiſsimas ſcripſiſſe, ex eo quod pacem Orientis ei ſuis illis contra Photium actis, turbaret. *i* Apud Baro. to. 10. an. 885. n. 1. & ſeqq. Nam Marinus vix annum in Pontificatu expleuit, eique Adrianus tertius ſucceſsit, qui & ipſe poſt annum, paulo plus, ſedem vacuam reliquit, quam *k* Stephanus ſextus, aliàs quintus, obtinuit, acerrimus Photii perſecutor, quippe qui à Marino fuerat creatus Cardinalis, presbyter videlicet tituli beatorum quatuor coronatorum. *k* Anaſtaſ. in Steph. ſexto. Et ſicut literæ Baſilii Imperatoris ad Marinum Papam ab eo ſcriptæ, ipſum Marinum acriter percellentes ad manus Stephani primum peruenerunt, quia Marinum iam mortuum inuenerunt, ita Stephani literæ pro Marino contra Photium ad Baſilium reſcriptæ, mortuo iam Baſilio ad Leonem Imperatoris Baſilii filium primum ſunt perlatæ; vt ex manuſcripto quodam priuato Codice narrat *l* Baronius. *l* Bar. to. 10 an. 886. n. 16. Leo igitur qui iam fratrem minorem Stephanum in eum thronum euehere cupiebat, occaſione ex literis Papæ Photium plurimum deprimentis captata Photium depoſuit, & in monaſterium ablegauit, ac Stephanum fratrem in ſede Patriarchali Conſtantinopolitana collocauit. Ac ne turbæ amplius & ſchiſmata inter Ignatianos, & Photianos excitarentur, *prudenter ſane eccleſia ipſa Orientalis communi Patrum conſenſu ſtabiliuit, m vt ſilentium vtriſque imponatur,* & omnes ſcripturæ vtriuſque factionis penitus igne aboleretur, ne memoria tam turpis diuiſionis conſeruaretur, & diuiſionem foueret. *m* Marcus Epheſ. in Concil. Flor. Seſſ. 6 Sic enim prudenter pax componitur, & diuiſioni anſa præciditur, neque in huiuſmodi compoſitionibus exacte inquirendum, aut definiendum eſt, vtra pars meliorem cauſam fouerit. Quicquid in hoc parum ſapienter argutetur *n* Baronius. *n* Baro. to. 10. an. 886 n. 30. Atque hoc pacto aſperum ſchiſma ſua pene ſponte ſedatum eſt in Oriente inter ipſos Orientales. Secuta ſunt etiam alia inter ipſos ſchiſmata ex ambitione Conſtantinopolitanæ ſedis; dum alii ex ipſa detruderentur, alii in eam intruderentur. Generale tamen apertum ſchiſma inter totum Orientem & Occidentem, poſt ſedatum Photianum ad multos annos non inuenio. Sed neque plenam video concordiam, & vnionem. Certe Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis ab Ottone primo Imperatore miſſus eſt legatus ad Nicephorum

phorum Græcorum Imperatorem, poſt centum, & vltra ab vltimis Photii temporibus annos, nuptiarumque tractauit negotium, & ſtatum rerum Orientalium ſatis accurate deſcripſit, de nullo tamen eccleſiaſtico ſchiſmate in ea Luitprandi Relatione vlla fit mentio. Vlcus tamen nunquam in animis Græcorum ſanatum ex tribus grauiſſimis à Romana eccleſia receptis ictibus ſemper hians, ſubinde in ſaniem diuiſionis, & ſchiſmatis erupit. Quod Spiritum S. à Filio quoque procedere definierit. Quod priuilegio Primatus Conſtantinopolitanæ eccleſię dato perpetuo reſtiterit, & ſibi Orientalem eccleſiam totã ſubiugare voluerit, velitque. Quod Imperium Occidentale, opera Romanorum Pontificum Græcis fuerit ereptum. Sed breuiora quædam ſchiſmata, ſunt etiam ſubinde cõpreſſa. Certe Antiochenus Patriarcha *a* Petrus ſcribens ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanũ Leonis noni Papæ Rom. anno circiter 6. dicit ante 45. annos ſe Conſtantinopoli vidiſſe nomen Ioannis Papæ *nimirum decimi noni*, in diptychis poſitum. Igitur pax erat inter Orientem & Occidentem ſub Ioanne 19. hoc eſt circa nonum poſt milleſimum à Chriſto nato annum. Et tamen eundem Ioannem ſchiſma cum Græcis compoſuiſſe, ac ſedaſſe probat ipſius Epitaphium, quod ex Vegii collectione ponit *b* Baronius. Atque idem Petrus circa annum 1053. ſcripſit literas communicatorias ad Leonem nonum cui etiam reſpondit ipſe *c* Leo: ſed tamen requirit cauſas diuiſionis vniuerſalis eccleſiæ, vt ex eadem Leonis reſponſione patet, erat ergo diuiſa vniuerſalis eccleſia: Scripſit etiam ad *d* Gradenſem, ſiue Acquilegienſem Patriarcham, vt patet ex literis ad ipſum Petrum à Cærulario Patriarcha Conſtantinopolitano datis. Communicabant ergo inter ſe aliquæ Orientales cum Occidentalibus, non tamen omnes.

a Baro. to. 11. an. 1054. n. 38.

b Ibid an. 1009. n. 2.

c Leo 9. ep. 5.

d Apud Baro. vbi ſup. an. 1054. n. 19.

CLXXVI. Ipſe enim Michael dictus Cærularius iam tunc iniurias paulo ante memoratas inconcoctas in ſtomacho gerens, & ſui primatus defenſor eſſe cupiens, ex quo factus eſt Conſtantinopolitanus Patriarcha perpetuo aliquid obmurmurauit, & nunquam perfecte ſedatas diſcordias ſuſcitauit, nec multo poſt Leonis noni nomen è diptychis ſubſtulit, & reliquos Patriarcha Orientis illud auferre cõpulit quod erat diuiſionis, ac ſchiſmatis apertũ ſignum. Fecit etiam tractatum contra Latinos, illumq; Tranenſi miſit epiſcopo, in quo multa obiicit Latinis, aliqua quidem vera & ſolida, & maximam omnium eccleſiarum iniuriam aut ſaltem Orientalium, ac præſertim Conſtantinopolitanæ, continentia, aliqua falſa, aliqua leuia, ac friuola, & nullius momenti, vt patet ex ipſo libello ad Tranenſem miſſo, cuius argumentum eſt in Tractatu Humberti Cardinalis ſyluę candidę, in Appendice tomi 11. Annalium Baro. ex literis *e* Leonis Papę ad ipſum Cærularium, atq; ad Imperatorem; & ex literis Cærularii ad dictum Petr. Antiochenum, ſupra citatis. Cum ergo iam ſchiſma gliſceret, & ad aliquã compoſitionem & pacem fuiſſet Leo literis tum Imperatoris Græci Conſtantini Monomachi, tum ipſius Cærularii inuitatus, ipſe Leo expediuit legationem Conſtantinopolim; præcipuus legatus fuit Humbertus ſupradictus, qui ſua nimia ſeueritate & arrogantia, non modo pacẽ compoſuit, ſed multo magis diſſidiũ & rixas auxit. Solus enim ex ſe, ſine ſynodo, ſine diſcuſſione cauſæ, poſt ſuas ſcholaſticas diſputationes, Patriarcham *f* excommunicauit, qui tamen in ſuo Patriarchatu perſeuerauit, & poſtea *g* Iſaaciũ Commenum coronauit, à quo & depoſitus poſtea fuit, atque actus in exilium.

e Leo 9. ep. 6 & 7.

f Leo oſtiẽ. lib. 2. c. 89.

g Curopalata in Iſaa.

CLXXVII. Diſſenſiones porro, quæ & hoc Cærularii, & quodcunque aliud ſiue prius, ſiue poſterius ſchiſma fecerint, & fouerint, ſemper eadem illa maxima & potiſſima cauſa Primatus & ortæ ſunt, & arſerunt. Audio Leonem nonum monentem Antiochenum Petrum his verbis. *h Tertiam à Romana eccleſia dignitatem retinet Antiochena, quam te defendere ſummopere monemus non tuæ gloriæ cauſa, ſed pro ſedis, cui ad tempus præſides, antiqua honorificentia. Nec reuoceris ab hac intentione cuiuslibet pompa, vel arrogantia, quin conſtanter defendas honorem, quem Antiochenæ eccleſiæ reliquerunt omnia ſanctorum Patrum Concilia. Ad quod vtique, ſi oportuit, maxima mater, Romana ſcilicet atque prima ſedes tam dilectæ ſibi filiæ, imo conſociæ, nuſquam & nunquam deerit. Quod totum ideo dicimus quia quoſdam conari minuere antiquam dignitatem Antiochenæ eccleſiæ audiuimus.*] Hæc profecto in Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, cuius tamen ſedes à 700. ferme annis erat in ſui Primatus in Oriente pacifica poſſeſſione, vt Patriarchales omnes Orientis inferiores haberet, vt iam toties probaui. Et ad ipſum Patriarcham dum *i* ſcribit ipſe Leo video ipſum vel maxime vrgere, quod ſe vniuerſalem Patriarcham iactet; & Romano ipſi Pontifici æquare velit: & in ſua ſententia contra Michaelem Hombertus illud ponderauit, quod ſe contra Apoſtolicam ſedem Patriarcham ſcriberet œcumenicum.

h Leo 9. ep. 5.

i Idem ep. 6

CLXXIIX. Has ergo denuo ſuſcitatas rixas vt Stephanus X. Papa componeret, *k* Legatos deſignauit: ſed mors eiuſdem Stephani negotium interrupit, & ſchiſma incompoſitum manſit. Nam & ſub Paſchali 2. inuenio *l* Chryſolanum Epiſcopum Mediolanenſem legatum fuiſſe Conſtantinopolim ad Alexium Commenum, ibique cum Græcis de proceſſione Spiritus ſancti diſputaſſe: Græcos vero adhuc perſeuerantes in ſchiſmate hoc tempore ſupponit Baronius, & poſt 40. ferme annos Hadrianum quartum inuenimus miſiſſe ad Imperatorem Græcum tabellarios, ac ſolicitaſſe, vt vnio Eccleſiarum inter ſe diuiſarum ſarciretur. Extant hac de re literæ Adriani ad Epiſcopum Theſſalonicenſem in corpore iuris Orientalis, & eas refert etiam *m* Baronius. Neque aliam ſchiſmatis cauſam affert Adrianus, niſi Romanæ Eccleſiæ Primatum. Ait enim, *n Traditum eſt, quoniam modo ſancti Patres diuino ſpiritu illuminati, omnium eccleſiarum Primatum ſacroſanctam Romanam eccleſiam abſolute obtinere iuſſerint, & ad eius ſententiam omnium iudicium referri præſcripſerunt, &c.*] Hortaturque vt ad gregem B. Petri reuertantur, hoc eſt, vt Romano Pontifici ſe ſubdant, ipſumque proprium iudicem agnoſcant. Sed Theſſalonicenſis ipſe appoſite reſpondet Adriano in hæc verba: *o Quid igitur ad nos errantis ouis ſimilitudo, ſanctiſſime Papa? Quid imago amiſſæ drachmæ? Non enim è ſinu tuo excidiſſe negamus, & filiorum appellationem, aut paſtoralem curam non refugimus, vt tale conuicium nobis exprobretur. Tuto autem ac firmiter Dei gratia ſtetimus in beati Petri confeſſione, & quem ille confeſſus & prædicauit confitemur & prædicamus, nihil ex Synodalibus ſanctorum Patrum decretis innouantes, nec adiicientes Euangelicis & Apoſtolicis verbis ad vnum apicẽ, vſq; vel iota vnum. — Neq; enim aliud nouimus fundamentum, quam quod ſubſtructum eſt: eademque tecum prædicamus & docemus ego, iiq; omnes, qui ad magnam Apoſtolicamq; ſedem Conſtantinop. pertinemus. Et vnus qui in vtriuſq; eccleſiis perſonat ſermo fidei, idemq; ſacrificatur Agnus, qui tollit peccata mundi Chriſtus, inter Occidentales Antiſtites, qui ſub tuum principale culmen aguntur, & nos*

k Leo oſt. l. 3. c. 1.

l Trithem. de ſcripto. eccleſ. & apud Baro. to. 12. ad an. 1116.

m Baro. to. 12. ad an. 1155.

n In Corp. Iur. Orien.

o Ibid.

& nos qui ab oriente Sole ſublimi Conſtantinop. litana fide Sacerdotij accepimus ſplendorem; quamuis parua quadam offendicula in medio interiecta nos ſepararint, & ex vno eodemq; ſpiritu multos fecerint. Quæ omnino tollere è medio, & velut lapides, iuxta propheticum ſermonem, è via proiicere, vnitatemq; eccleſiarum ſine offendiculo conſtituere, tuæ ſanctitatis erit: quæ Chriſti exemplo, velut è cælo proſpiciens, diſtantia in vnum congregare vult & poteſt.] Culpam ſchiſmatis à ſuis Græcis remouet, & totam in Roman. Pontificem reijcit. Nullam enim legitimam cauſam Græcos ſchiſmati dare contendit, ſiquidem ſanam & integram ſeruent fidem, & canonicas vniuerſalis eccleſiæ ſeruent ipſi regulas; quibus Patriarcha quiſque ex illis primis, ſummus ſit, nec alteri ſubiectus; quod ſi in hoc iure Romanus Patriarcha Græcos non turbet, ſed integros relinquat Nicænos Canones, ſtatim pacem, & vnionem conſecuturam.

CLXXIX. Quod ergo Conſtantinopolitana eccleſia nollet ſe Romanæ ſubdere, nõ erat cauſa legitima Latinis eccleſiis Græcas à ſe ſeparandi, ſed neq; Græcæ eccleſiæ propter aliquam rituum diuerſitatem, liturgiæ celebrandæ varietatem, azymi, vel fermentati in ſacra Euchariſtia vſum, & ſimilia neque debuerunt, neq; debent ſchiſma facere. Hinc ſane culpam ſchiſmatis Baro. in Græcos totam conijcit.

a Baro.to. 12.ad an. 1155. *a At cum regimen*, inquit, *Eccleſia Conſtantinopolitanæ imperiti, refractarii, nugaces gloriæ Latinorum æmuli ſuſcepere, ex diuerſitate ſacrorum rituum, dogmatum quoq; ſacrorum diuerſitatem extimantes, hoſtes implacabiles effecti, perſecutionem aduerſus Latinos orientem petentes, odio immenſo, hactenus excitare non deſiſtunt.*] Non tamen propter ritus, aut dogmatum putatam diſſonantiã ſchiſma vel factum eſt, vel adhuc perdurat; Ait enim Petrus Cluniacenſis ad Bernardum ſcribens. *b*

b Petrus Cluniac. lib.5.ep.16. *Teſtes ſumus & nos temporis noſtri, qui Romanam Eccleſiam, & totam Latinam linguam offerre Deo ſalutare ſacrificium azymi panis videmus, cum Græca eccleſia, & maxima Orientis pars, ac barbaræ ſed Chriſtianæ gentes ſacrificare de fermentato dicantur: Cum hoc ita ſit, neq; antiqui, nec moderni propter tam celebres, & famoſas vſuum diſſonantias à charitate mutua deſciuerũt; quia nihil quod fidem, vel charitatem læderet in his omnibus inuenerunt.*] Imperitiores ſane, & interdum, indiſcretique, vt iam vidimus, Zelotæ, ex ritibus, & adiaphoris diuiſionum occaſiones ſumpſerunt, at vero qui recte ex vtraque parte ſaperent, hinc ſchiſmata non eſſe facienda optime ſciuerunt, & inter Græcos & Latinos fidei integrã vnitatem agnouerunt (quod enim de Spiritus S. proceſſione diſſideant, id ad fidem non pertinere iam docui) ſola ergo cauſa ſchiſmatis fuit & eſt quod Romani Pontifices prætendunt ſummam eccleſiæ monarchiam, etiam ſupra Orientem, at vero Oriens nolit ſe huic ſubijcere monarchiæ, quippe falſæ, & arrogatæ. Reſiſtentia igitur Græcorum aduerſus Latinos, orientem (vt loquitur Baro.) petentes hoc eſt ſubdere in eccleſiaſticis volentes non eſt odiũ, ſed ſui iuſta defenſio pro qua non debent à cõmunione ſeparari.

CLXXX. Sic igitur ſchiſmatis huius cauſa, quod ſub Adriano quarto adhuc vigebat, tota fuit ſolus Rom. Primatus Monarchicus, cui ſe Conſtantinopolitana eccleſia ſubmittere nunquam voluit; & cõſequenter neq; aliæ plurimæ quæ Conſtantinopolitanæ eſſent ſubiectæ, exceptis paucis Epyri, & Macedoniæ; & Patriarchatibus Antiocheno, & Hieroſolymitano pro non longo illo ſpacio circiter 190. annorum, quo Latini ſuis armis partes illas ſæpius debellatas tenuerunt: quamquam etiam ipſi Latini Patriarchæ ius Patriarchale aliqui aduerſus Romanum tueri voluerint, ac ei ſubiici reſpuerint, quippe æqualis iure priſco eccleſiaſtico poteſtatis exiſtentes. De qua æqualitate ſatis egi lib.3.c.10. & de Latinorũ Patriarcharum in oriente conatu, qui ſe liberos à iugo Roman. pfitebantur, retuli aliquid lib.3.c.11.n.28.29. Imo ibid.n.30. deploraui propterea Latinos breui ex omnibus illis regnis à Barbaris eiectos fuiſſe, & Chriſtianitatem ferme extinctam, quia Græci præ dolore erepti iam ſibi occidentalis Imperij à Latinis, & nuper ſubiectarum orientis eccleſiarum à Pontif. Romano, in rabiem acti, maluerunt Barbaros, quam Latinos in Oriente regnare, peiores enim hoſtes Græci nominis putarunt eſſe Latinos, quam Saracenos, qui licet regna temporalia occuparent, iura tamen eccleſiaſtica non attingebant; & *c* Saladinus pulſis Latinis, eccleſias omnes Græcis conſignauit: At vero Latini in vtroq; Græcos ſuppeditare conabantur. c Variæ lit. apud Baro. to.12.an. 1187.

Schiſmatis huius continuationem inuenio vſq; ad Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. In eo etiam Concilio affuit Legatus Nectarius Abbas, qui acriter pugnauit pro ſuis Græcis cum Latinis, vt patet ex epiſtola Corcyrani Epiſcopi Georgij ad eundem Nectarium data, & ex Metiano Codice nobis à *d* Baronio euulgata. Diſputatio porro in qua glorioſam victoriam Nectarium habuiſſe ſcribit Georgius, alia non potuit eſſe, niſi de Spiritus S. proceſſione. vt ex aliis *e* literis eiuſdem Georgii, huius Nectarii funus proſequentibus, ſatis patet. quo nomine, quia Spiritus proceſſionem à Patre, omiſſo Filio, ille tutatus eſt, vſque ad mortem, illum Baronius vt ſchiſmaticum, & eccleſiæ catholicæ aduerſarium, male habet, eadem ſchiſmatis continuatio colligitur etiã ex *f* Robetto hiſtorico, dum ſub anno Domini 1183. ponit Ioan. Cardinalem Conſtantinop. occiſum, quo ab Alexandro III. legatus, ad vnionem procurandã, Manuele Imperatore ſic inſtante, miſſus fuerat, odium exarſit implacabile inter Græcos & Latinos, & fuſus eſt plurimus ſanguis, *g* bellis & nece inter ſe vtraq; parte flebilem in modũ ſæuiente. Ex Theodori Balſamonis variis ſcriptis, in Nomocanonem Photij, in variis reſponſionibus eius in Codice iuris Orientalis poſitis eadem continuatio ſchiſmatis apparet. Eſt enim perpetuò amarulentus in Romanos Pontif. Scribebat porro Balſamon circa an. Domini 1190. Damnabat ille Latinos tanquam hæreticos, eorumq; communionem vitandam eſſe inculcabat: ſed mitiores etiam *h* Græci in hoc ei nõ aſſentiebantur: qui probe ſciebant ſe non habere aliam legitimam ſeparationis à Latinis cauſam, niſi ſolam, propter monarchiam eccleſiaſticam, diſſenſionem. CLXXXI. d Baro.to. 12 a.1179. e Ibid.an. 1180. f Apud Baro.ibid.an. 1183. g Nicetas Choniat. in Andronico. h Apud Baro.to.12. an.1191.

CLXXXII Sub Innocentio III. qui paulo poſt, anno videlicet Domini 1200. in Throno Romano ſedebat, expreſſe habetur ſchiſma Græcorum adhuc perſeueraſſe. Et quidẽ eccleſia Latina eo ſolo nomine Græcã à ſua communione reiiciebat, quia Græci nollent ſupremum Papatum in Rom. Pontifice recognoſcere. Græci vero ſolo eo nomine à Latinis abhorrebant, quod Spiritum S. ex Filio quoq; facerent procedentem. Et hæc literis vtriuſq; partis ſub Innocentio ſunt valde manifeſta. Innocentius ad Imperatorem Græcum, quem ad ſubſidium Latinis in Oriente periclitantibus ferendum hortabatur, hæc quoque, vbi ſedis Romanæ primatum aſſeruit, ſubdit: *i Vt autem firmius, & fortius Imperium tuum in huius fundamenti firmitate perſiſtat, oportet vt Deum vniuerſis tuis affectibus anteponas, & ſponſam eius Romanam Eccleſiam, cuius ipſe fundamentum, & fundator exiſtit,* i Innoc.3. li.1.ep.353.

exiſtit, præcipue venereris, vt dum in dilectione ſponſi, & ſponſæ perſtiteris vnitate, ex nulla parte celſitudinis tuæ ſtabilitas quatiatur.] Et ad Ioannem tunc Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſimiliter Primatum ante omnia ſuum in decantatis illis, Tu es Petrus: Paſce oues: Confirma fratres, fundatum exponit, ſeque ſucceſſorem Petri facit, tum ſubiecit

a Ibid. ep. 154. iſta: a *Hic autem Græcorum populus non attendens, aliam ſibi confinxit eccleſiam, ſi tamen quæ præter vnam eſt, eccleſia ſit dicenda, & ab Apoſtolicæ ſedis vnitate receſſit, nec conſtitutionem Domini, nec Petri magiſterium imitatus, & inconſutilem veſtem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum veſtium diuiſione pepercit, ſcindere vſque hodie (licet fruſtra) conatur. --- Monemus fraternitatem tuam, & exhortamur in Domino, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus omnimodam ſolicitudinem, & efficacem operam interponas: Vt Græcorum vniuerſitas redeat ad Eccleſiæ vnitatem & ad matrem filia reuertatur; & fiat iuxta verbum Domini, vnum ouile, & vnus Paſtor.*] Se vero proculdubio illum vnum paſtorem, & ſuam Eccleſiam Romanam matrem illam vniuerſalem intelligit, à qua tota eccleſia habeat vnitatem.

CLXXXIII Ioannes vero Conſtantinopolitanus facile à ſe, & à ſuis Græcis amouet crimen ſchiſmatis, ſiquidem eccleſiæ catholicæ Græcam eccleſiam vnitam ſupponit; licet Romanæ, quæ eſt vna eccleſia par-

b Inter epiſtolas Innocentii III. lib. 2. ep. 199. ticularis, non vniuerſalis, nolit ſubdi, & ait; b *Quod autem mihi in tuæ ſanctitatis ſcripto non modicam ſuperinduxit ambiguitatem, non abſcondam.* Nam & pro miro habeo, quomodo vnam, *& vniuerſalem Romanorum vocaſti eccleſiam, vt quaſi iam diuiſam in ſpecies quaſdam ſpecialiſſimas, & hac vno exiſtente grege, ouilium Chriſti nobis quodammodo paſtoribus ſub eo conſtitutis, paſtorum principe, communique doctore. Et quomodo erit, quod apud vos Romanorum eccleſia mater (vt dixiſti) communis aliarum Eccleſiarum, & ſecundum quas aliquas rationes, & per quas vnquam cauſas quæro addiſcere dubitans. Quod autem mihi, & plus extendit ambiguitatem, dicam, & indulge mihi ſacerrime Papa, ſi nunc primo hunc Patriarchalem ſacrum thronum me aſcendentem, nondum de tali hac dubitatione diligentem ſolutionem addiſcere accidit. Audiens enim quis in Pſalmis Dauid dicentem: Mater Syon, dicet homo, & homo natus eſt in ea, ſecundum verum vtique verbi, & iuſtitia æquitatem. Hieroſolymitanam eccleſiam matrem aliarum eccleſiarum nominabit prærogantem ſecundum fidem eam tempore, quam & dignitate. In ea enim vtiq; vt nouiſſimus omnium Chriſtus, & natus eſt ſecundum carnem, & conuerſatus, & docens atq; prædicans noſtram fuit ſalutem nos ſumeper crucem, pro nobis mortem ſuſtinens, lapidem in quo corpus huius fuit ſepultum depoſitum, ibi reliquit. Clare vtiq; ſignum ſuæ in terris conuerſationis ibi Chriſto diſcipuli occurrentes crediderunt hunc filium Deo, & Patri conſubſtantialem eſſe: quamuis perfectam humanam naturam induens ſibi ſecundum ſubſtantiam homo tantum in ſuperficie videbitur: inde Chriſti mirabilium fons emanauit. & inde, vt ex quodam principio alii quidam exorti ſunt diuina fluentes fluuij, & vniuerſum orbem irrigantes, riuos etiam eccleſiæ, quæ apud vos eſt, replentes. Igitur nunquid ob hæc, & alia talia, quis Hieroſolymitanam eccleſiam, matrem omnium dicet Eccleſiarum? aut non præornatam prædicationem audiſti Pauli à Hieruſalem? Clare debes incipi, dicit enim, & vſque ad* Illiricum *prædicare euangelium. Hæc quidem dicet quis audit. Eccleſiam, quæ apud vos eſt, generalem, & vniuerſalem nominatam. Ego vero lætanter addiſcam cauſam, & acceptabo eam ſine contradictione rationem habentem.*]

CLXXXIV Vt autem oſtenderet Græcos legitimam habere cauſam à Latinis diſſentiendi, viget tandem de proceſſione Spiritus ſancti controuerſiam. Ait enim. *Reprehenſionem tuam à tua ſanctitate nobis ſuperinductam ſilere nequeo, vt ſcindentibus quaſi vnam, & deſuper contextam Chriſti veſtem, & ſic à vobis vſque nunc diſciſſum: Dicente enim in Euangeliis ſaluatore Chriſto de modo eſſentiæ ſancti Spiritus ei conſubſtantialis; qui ex Patre procedit, & duas has ſubſtantiales proprietates dicente, de ſui ipſius, & ſpiritus generatione dico, & proceſſione, & ſibi quidem de paterna ſubſtantia teſtanti ineffabilem omnibus, & ignotam generationem: ſancto vero Spiritui ex eadem paterna ſubſtantia proceſſionem inſenſibilem, & hanc omnibus, & Patribus in Nicæam concurrentibus immutabiliter ſic ex Patre ſpiritus proceſſionem amplianti-bus, ex tunc vniuerſi orbis Synodis ſacro ſymbolo, & doctrinæ nil apponentibus, in quibus, & quidam tunc pontificalem thronum veteris Romæ gubernantes, per ſe ipſos interfuere: In quibuſdam vero, & quidam alii veſtrũ locum tenentes veſtris tunc Pontificibus acceptantibus, & quæ confirmata fuerunt, & ea rata per proprias confeſſiones habentibus, & datum credendi conſtitutionem. Hac quoque fide vſque, & ad nos ſine aliqua interruptione perueniente, quid nos oporteat facere non parum eſt hæſitandum in ambiguitatem, atque diſceſſionem non paruam incidere, donec de hoc quæſtio ſoluatur. Quæro nunc hinc addiſcere cauſam, qua diuiſa eſt, & indiuiſibilis veſtis Chriſti.*] Et prudenter quidem quæſtionem hanc diſcutiendam eſſe aſſerit, & non propter eam ſchiſma faciendum, dummodo ſymbolum fidei Nicænum, aliis Conciliis approbatum, & retentum, ſine appoſitionibus maneat. Hiſce literis Innocentius quidem c reſpondere plenius, & ſatisfacere niſus eſt, ſed incaſſum, vt oſtendi libro 4. capite 7. numero 32. c Ib. ep. 200

Sub eodem Innocentio III. Alexius puer Imperatoris Græci Iſaaci Angeli filius à Latinis ſuppetias petiit; ad Paternum Imperium recuperandum, quod patruus eius Alexius, excæcato eius Patre, Tyrannice occuparat, pollicituſque eſt Alexius Romano Pontifici eccleſiæ Græcæ ſubiectionem. Epeditæ ſunt copiæ Francorum, & Venerorum. In paternum Imperium reſtitutus eſt Alexius: ſed Græci cum ferre non poſſent ſubiectionem illam, tumultus excitabant; & tunc Alexius Imperator veneno, Pater vero cæcus morbo extinctus eſt, tunc Murciphlus quidem Imperii habenas ſuſcepit. Copiæ adhuc aderant Latinorum, atque in anguſtias Murciphlum redegerunt; eique conditiones pacis perenni Latini inter alias iniunxerunt, vt Eccleſiam Orientalem Romanæ ſubmitteret: d Ille furore percitus obedientiam ſe Romanæ eccleſiæ nullo modo velle facere aſſerebat, quin potius ſe velle mori, & Græciam totam ſuberti, quam vt Orientalis eccleſia Romanæ ſubijceretur. Tunc Latini Conſtantinopolim occuparunt, vt ſuperius etiã, n. 127. huius c. cõmemoraui. CLXXXV d Naucler. Gener. 41.

In Concilio Lugdunenſi Gregor. X. Græcos Ro. eccleſiæ vnire curauit, affuit e Imperator Græcorum Michael Paleologus, qui Conſtantinopolim è manu Latinorum recuperauerat. Is vt confirmaretur in Imperio per Latinorũ amicitiã, (id enim occiſis legitimis illius Imperij hæredibus ipſi in tutelam commiſſis, occuparat) Romanæ ſe ſubdidit eccleſiæ: f Sed Græci renuerunt, quos ille propterea variis pœnis, & afflictionibus vexauit, ſed nihil tandem obtinuit. CLXXXVI e Naucl. gen. 43. an. 1270. f Niceph. Gregoras. lib. 5.

Poſt hæc tempora vſq; ad Concilium Florentin. ſchiſma Græcorum perſeueraſſe eſt notiſſimum. In Concilio vero Florent. ad ſpeciem duntaxat viſum fuit extingui, ſed vt ſuperius notaui, n. 128. & ſeq. huius cap. reconciliatio illa in fumum abiit, atq; id CLXXXVII

culpa quidem noſtrorum latinorum non Græcorum. Illi enim, vt modo monebat Ioannes, facile permiſiſſent, vt Latini proceſſionē ex filio quoque tenerent, ſub explicationibus in Concilio Florent. concordatis, modo ſymbolum in ſuum priſtinum ſtatū fuiſſet reſtitutum; & de Primatu nullum fuiſſet intereſſe impedimentum. Sed noſtri admodum rigidi ſemper in ſemel concepto errore, ſymbolum ſane corrigere noluerunt, quod eccleſia tota Græca per ſuos miſſos vehementiſſime, & merito vrgebat, Primatum vero eccleſiæ Rom. in literis vnionis omnino inſerere voluerunt, de quo tractando eccleſia Græca nullam ſuis dederat cōmiſſionem, quod & in Concilio ipſi ſunt proteſtati, quid mirum igitur ſi Græca eccleſia acta per ſuos in Concilio, cum tanto ipſius præiudicio, contra cōmiſſiones, admittere noluit, nec approbare? Atque ita ſchiſma Græcorum toties extinctum, ac ſuſcitatum, à Photiana cōtrouerſia ad hodiernū vſq; diem per annos ferme 800. cū tanta eccleſię Chriſti & ignominia, & iactura, ex ſola Romani vſurpati Papatus cauſa, perdurat. Et ſane illud mirum eſt toties ſchiſma inter Occidentem & Orientē ſedatum fuiſſe, nunquā tamen Græcos compulſos fuiſſe, vt vel Papatum illum magnum Romanū agnoſcerent, faterentur, eiq; ſe ſubiicerent; vel Cōſtantinopolitanæ Eccleſiæ Primatus priuilegium illi abiicerent. Cur ergo poſtea hoc inane ac iniuſtum impedimentū vnioni, noſtri Pontifices oppoſuerunt? Hæc de Græcorum ſchiſmate ſatis. Iam aliquid de ſchiſmate inter eccleſias deformatas, & reformatas.

CLXXXVIII Schiſma alterum generale, ſi non latius, certe, meo iudicio grauius iam à centum circiter annis in ipſo noſtro Occidente, vbi florentiſſimæ ſunt eccleſię, gliſcit turpiter, & in dies augetur. Cauſa porro cur Ro. Pontifices à ſe, & ſuis eccleſiis ſeparatū eccleſias reformatas, in prætextu quidem, ſunt *hæreſes*, quibus deprauatos eſſe Proteſtantes affirmāt, re tamen vera ſola cauſa eſt magnus ille vſurpatus Papatus, quia illum Proteſtantes non admittunt, neq; Monarchiā in eccleſia volunt, & ſane merito, agnoſcere. Sed & Proteſtantes plurimi à Romana, & aliis Pontificiis eccleſiis ſe ſepararunt, ac penitus diuulſerunt, quia Ro. Pontificem putant eſſe Antichriſtum, & eccleſias ſub ipſo eſſe totas Antichriſtianas, ac proinde deteſtabiles, & abominabiles, veriſque catholicis fidelibus omnino vitādas. Ego ſane tam proteſtantes, quam Pontificios ab omni hęreſis nota, vt ſpero, facile ſequenti c. 11. liberabo: oſtendamq; neutram partē poſſe iure ſe ab altera, propter hæreſim, ſeparare: Si quidē neutra vera & formali hæreſi eſt infecta. De Antichriſto ego non ſum ſolicitus, ſcripturæ de ipſo ſunt propheticæ & obſcuræ: Nondum video Rom. Pontificē ſe Chriſto aut opponere, aut ſimpliciter æquare. Quod ſe vicarium Chriſti faciat in terris, hoc non eſt Antichriſtianū, quia omnes Apoſtoli fuerunt, & nunc omnes Epiſcopi ſunt Chriſti vicarii, hoc eſt famuli, & in fundanda, ac regenda eccleſia cooperatores, & miniſtri. Quod ſe ſolum vicariū generalem faciat, eſt ambitioſum, eſt vſurpatum, eſt intolerabile, ſed hoc nondum eum facit Antichriſtū, neq; Antichriſtus eſſe poteſt, qui Chriſtum prędicat, exaltat, verum Deum verumq; hominē agnoſcit ſeq; eius famulū confitetur qui totam ſuā dignitatē ex ſola Chriſti ſuprema excellentia & diuinitate agnoſcit, confitetur, & profitetur; vt ſi Chriſto auferatur in mentibus hominum deceptorū (quod conaturum Antichriſtum nemo neſcit) ipſius diuinitas & maieſtas, Papa ſit penitus collapſurus, quippe qui ideo duntaxat ſit ſublimis, quia locū Chriſti in terris pro ipſo tenet, qui fidē demum in Chriſtum verā, totam, integrā, & tenet, & docet: Quod autē fidei inmiſceat falſa, ſpuria, incerta, non tamen fidei cōtraria, hinc profecto Antichriſtus ille eſſe non poteſt. Sed eſto ſit Antichriſtus ille verus, abūdet qui vult in ſenſu ſuo, ab ipſo ſolo cauendū eſt ne quis ei, quatenus Antichriſtus eſt, ſe ſubiiciat. Ab illis tamē eccleſiis velle abhorrere, diſcedere, & ſe ſeparare, quæ ſub illo oppreſſæ gemunt, quandiu integrā fidē Chriſti ſeruant & retinent, eſt profecto ſchiſma indignū, & reprehenſibile. Eccleſiæ veræ, quæ vere ſit catholica, communicandum eſt, & ſingulis eius membris viuis, neq; ab ea, ſine ſchiſmatis ſcelere, poteſt ſe quiſquam ſeiungere & ſeparare, atq; altare contra altare erigeret in erroribus tamen, ſuperſtitionib. falſitatibus, non eſt communicandū.

Hoc vero cōmode fieri poteſt: Adſit conſenſus cōmuniſſimus inter vtranq; partē, in fide integra fundamentali (in ea enim nulla eſt inter Proteſtantes & Pontificios diſſenſio) adſit conſequenter amoris & charitatis vinculū inſolubile, & vnitas infracta; Ro. Pontifici, quatenus eſt cathol. eccleſiæ catholicus Epiſcopus, quatenus eſt magnus eccleſiaſtico iure Metropolitanus, & totius Occidentis Patriarcha, debitus honor, & canonica obedientia exhibeatur. Si hęreticus eſſet, nullam penitus cū eo fidelis orthodoxus deberet habere cōmunionem, neq; cum illis, qui ei in hæreſi cōmunicarent. Qua tamen reuera nōdum hæreticus eſt, iuſta ei denegari neq; poſſunt, neque debent. Quatenus vero ſe Dominum facit eccleſiæ, ſolumq; ac ſupremū eius Monarchā, pro tali non agnoſcatur, & generaliter quatenus aliquid antichriſtiani in ſe habet, aut docet, in eo repudietur & abiiciatur, neq; erroribus illius præſtetur aſſenſus: quod, ſine ſchiſmate, cōmode fieri poteſt. Exemplū habemus in Cypriano: Ille enim Steph. Romanū grauiter errare putabat, dum ipſe Steph. hæreticorū Baptiſma approbaret, & approbandū omnibus præciperet, neq; in hoc ei conſentiendū Cyprianus putabat, ſed omnino cōtrariū, ſicut ſentiebat, ita etiā operabatur, ab eccleſiaſtica tamen communione neq; ſe à Steph. neq; à reliqua cathol. eccleſia, quæ cum Steph. ſentiebat, vnquam ſeparauit, ſed perpetuo manſit in vnitate. CLXXXIX.

Itaque ſi Proteſtantes volunt a ſe culpam ſchiſmatis amouere, debent & tenētur in conſcientia, quantū in ipſis eſt, eſſe parati communionē & vnitatem cum Ro. eccleſia, & Pontificiis omnibus, quatenus catholicæ ſunt, integram cōſeruare, cum ſola errorum & ſuperfluitatū abiectione. Quod ſi Papa, & Papalini ipſas Proteſtantiū eccleſias reformatas reiiciant, excommunicent, & tanquā hæreticas ab ipſis perperam putatas, abominentur, nec in ſuā admittere velint cōmunionem, tunc ſchiſmatici erunt ipſi Pontificii, qui ab eccleſiæ catholicæ viuis membris, & conſequenter ab ipſo toto corpore eccleſiæ cathol. ſe ſeiungunt. Proteſtantes vero ſic male abiecti in vera catholica manent eccleſia, dum per ipſos non ſtat, quominus cum omnibus veris catholicis eccleſiis cōmunicent, vera nimirum, & propria eccleſiaſtica cōmunione, quæ eſt in fide integra, & charitate, & vnione Et hoc ſolū iuſte poſtulare poſſent Pōtificii à Proteſtantib. vt in fide eſſentiali ſecum conueniant, & vnitatē ſeruent. Si vero poſtulent, vt ritus quoq; externos Ro. eccleſ. modū regiminis, ſuperflua fidei, articulos nouitios, & nunquā ſufficiētet definitos, ac ipſū ſummū Papatū nō canonicū, admittant & profiteātur, CXC.

inulta

iniuſta petunt, & ea negare non eſt occaſionem ſchiſmatis præbere; ſed hoc ex parte Pontificiorum eſt vanas ſchiſmatis cauſas prætexere, quod eos à culpa ſchiſmatis non reddit immunes.

CXCI. Videamus tamen, quo pacto ſe ſolos in vera catholica eccleſia collocent noſtri Pontificii, & ab ea Proteſtantes excludant, velintque ſchiſmaticos eſſe illos omnes, qui in ipſorum eccleſia ipſorum erroribus communicantes non ſint. Ex notis veræ eccleſiæ quas poſuit a Bellarminus Proteſtantes à vera eccleſia conatur ille eijcere. Nos notas illas in genere hoc ipſo capite num. 43. & ſeqq. conati ſumus diſcutere, & plures reiecimus: nunc applicationem illarum notarum, quas fecit Bellarminus, paucis diſcutiamus. Prima nota erat nomen *catholicæ*, quod retineat adhuc noſtra Eccleſia Pontificia, & per id diſtinguatur ab eccleſiis proteſtantium, quæ à ſuis autoribus nominantur. Ego vero iam docui n. 67. Catholicę nomen eſſe commune, & deformatis, & reformatis.

a Bellar. de eccl. lib. 4.

CXCII. Secunda erat, *Antiquitas*. Illud ſane certum eſt vtriuſque partis fidem eſſentialem eſſe vnam & eandem illam ipſam antiquiſſimam, quam Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. Nota ergo hæc in fundamentalibus, æque fauet vtriſque. Additamenta tamen in noſtra eccleſia Pontificia ex antiquitatis nota optime refelluntur, licet ea fidem non deſtruant, neq; eccleſiæ veræ catholicæ tollant Pontificiis eccleſiis dignitatem; ſicut neque reformatio, quia noua, ideo aufert Eccleſiis reformatis eccleſiæ catholicæ dignitatem: Noua enim reformatio, tollit veterem deformationem, vt puritas vetuſtatis, quæ præceſſit deformationem, reſtitueretur: & ſic nouitas reformationis non dat eccleſiæ nouitatem, ſed reſtituit eccleſiæ puram vetuſtatem. Quæ vetuſtas manet quidem in noſtris Eccleſiis Pontificiis, ſed impura: purior in reformatis.

CXCIII. Tertia nota eſt *duratio*, ex qua veram eſſe Eccleſiam noſtram Pontificiam contendit Bellarminus: falſam vero Proteſtantium, *quia Lutheri doctrina & Caluini, & aliorum, non durant, ſed perpetuam accipiunt varietatem.*] Fundamentalis fides æque in vtriſque eccleſiis durauit & durat: Eſt enim eadem ab Apoſtolorum temporibus, vſque ad hodiernum diem. Doctrina vero, quæ fundamentalis non ſit, ſuæ ſubſtat variationi tam apud nos, quam apud Proteſtantes. Quid dicemus nos de doctrina circa efficaciam gratiæ, circa Prædeſtinationem, &c. Prædeſtinatio gratuita, & efficacia gratiæ, cui ſoli debeatur determinatio humanæ voluntatis ad bonum ſpirituale, & non libertati arbitrii, primus Auguſtinus cæpit docere; Antiquiores vero Prædeſtinationem dixerunt eſſe ex præuiſa fide, & operibus cuiuſque, & noſtrum velle ex nobis eſſe, ex gratia vero noſtrum operari. Auguſtinum ſequuntur Thomiſtæ: Antiquos noſtri aliqui Patres Ieſuitæ: Notæ ſunt controuerſiæ noſtrorum dierum de auxiliis. Num igitur quia in hac doctrina duratio nō eſt eadē, neq; perpetua in noſtris Eccleſiis, propterea noſtræ eccleſiæ non erunt catholicæ, manente & durante eadē fide fundamentali? ſic proteſtantium eccleſiæ durationē eandem habent, non modo in fide fundamentali, ſed etiam in ipſa reformatione eſſentiali, quam profitentur. Quæ reformatio eſſentialis in illis eadē eſt, & durat perpetuo, videlicet, dum Papatum illū exorbirantem reijciunt; dum fidei regulā nolunt eſſe Papam; dum Purgatorium negant, dum indulgentias illas nouas irrident; dum ſuperſtitionem aquæ benedictę; peccata dimittētis reſpuunt, & ſimilia.

Quod vero in doctrinis diſputabilibus, quæ ad ſalutem non ſunt neceſſariæ, & diſſentiant inter ſe, & variationi ſubſtent, non tollit eis eſſentialem durationem, & conſequenter eccleſiæ veritatem.

Quarta nota eſt *Amplitudo*, ſeu *vniuerſitas*. Quicquid tamen ex hac nota probat & colligit Bellar. pro noſtra eccleſia Pontificia, idem profecto probat & colligit pro eccleſia Proteſtantium reformata: Eſt enim vna & eadē in eſſentialibus ſeu fundamentalibus, cum eccleſia noſtra Pontificia. Quod autem reformatio per Lutherum & Caluinū facta nondum ad totū Chriſtianum orbem penetrauerit, non tollit eccleſiis reformatis ſuā amplitudinē, & vniuerſitatē. Cum enim tota & integra fides, quā reformati profitentur, ſit eadē penitus, quæ in fundamentalibus eſt omnium Chriſti eccleſiarum, hęreſi non corruptarum, etiā eccleſia erit eadē. Omnes enim eccleſiæ Chriſtianæ in eſſentialibus ſunt vnica illa catholica, per totum mundū ſparſa. Et ſolum erit diſcrimen accidentale, quod Lutheri & Caluini eccleſiæ ſunt reformatæ, aliæ vero adhuc Pontificiæ, deformatæ. An propterea excalceati Franciſcani, non ſunt ſub regula Franciſcana, quia alii Franciſcani conuentuales non incedunt excalceati? An quia in ſola Hiſpania ſunt excalceati, ideo non pertinent ad regulam S. Franciſci, quia extra Hiſpaniā nulli ſunt? Correpta aliqua ciuitate morbo epidemico, num propterea paucæ in ea ciuitate domus ſanæ, quæ ſe ad ſanitatem reduxerunt, non ſpectabunt ad eam ciuitatem, quia ab eo ſe morbo liberarunt, quo reliquæ laborant? Morbus multorum errorū & ſuperſtitionū, fidem tamen integrā relinquentiū, cum peruaſit vniuerſum eccleſiæ catholicæ corpus, ſi ab aliqua particulari Eccleſia expellatur, & illa ſe ad ſanitatem reduxerit, non propterea non erit vera eccleſia, veræ eccleſiæ catholicæ verum membrū, quia eodem morbo non laborat cum cæteris. Amplitudo ergo veræ eccleſiæ cōſiſtit in bona eius & ſana conſtitutione, non in vitiis, quæ eccleſiam non faciunt, ſed deturpant. b *Nō debent ſperare hæretici*, inquit Bellarm. *ſectam ſuam aliquando occupaturam eſſe totum orbē, nam non debet nunc incipere eccleſia creſcere, cum iam ſenuerit.*] Hæretici, fateor, hoc non debent ſperare; quia Chriſtus promiſit c *portas inferi aduerſus Eccleſiam ipſius non præualituras*. Reformati tamen catholici poſſunt ſperare vt à tota Eccleſia Catholica morbi illi auferantur, à quibus ipſi ſe, opitulante diuina gratia, liberarunt; & ſic Eccleſia cum iam ſenuerit creſcat, non quidem in ſe ſed in optima valetudine. CXCIV

b Bellar. de eccl. l. 4. c. 7.

c Matt. 16. 18.

Quinta nota eſt *ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis*. CXCV.
Succeſſionem eſſe neceſſariam vt miniſtri ſint legitimi, admitto ego lubens, & iam toties in præcedētibus admiſi ac explicaui, præſertim ſupra in hoc cap. n. 48. & ſeqq. Reformatas tamen eccleſias hoc nomine à catholica eccleſia excludere non poſſumus. Et ſane de Anglicana nullum dubiū eſt, in qua audio Epiſcopos retineri, & quidem legitime ordinatos. Fuerunt enim Epiſcopi, qui rite ſub Henrico VIII. per Epiſcopos tunc Pontificios ordinati, amplexi ſunt ſub Eduardo VI. reformationem, & alios Epiſcopos, ac ipſum Cantuarienſem ordinarunt: à quo alii quoq; ordinati ſunt. Hi ſub Maria nonnulli martyres facti ſunt, nonnulli exilio vltra mare relegati. Atq; hi ſub Elizabetha ad ſuas ſedes redeuntes, alios conſecrarunt quę probatiſſima eſſe, & certiſſimis documentis conſtare ſicut audiueram, ita etiam his ipſis diebus, dum hęc typis excudenda eſſent, penitus inſpicere volui, inſpexi, ac plane ita eſſe cognoui; & librum vidi Anglice ſcriptum,

ptum & impreſſum publiceq; iuris factũ, in quo iſta clariſſime confirmantur. Succeſſionẽ ergo legitimam ſuorum miniſtrorum à primis illis, qui fidem Apoſtolicam in Britanniam attulerunt, Anglicana eccleſia non minus poteſt oſtendere, quã Gallicana, quàm Germanica, quàm Hiſpanica, & quæcunque alia eccleſia, quæ nõ ab Apoſtolo aliquo immediate, ſed mediantibus viris Apoſtolicis ſit fundata; & ſicut epiſcopos habet veros & legitimos: ita etiã conſequenter legitimos habet presbyteros, & alios eccleſiaſticos miniſtros. Aliæ vero eccleſ. reformatæ, quæ epiſcopos proprios reformationem amplexos non habent, habent presbyteros multos rite ab Epiſcop. noſtris ordinatos, & reformationẽ amplexos, qui nõ ſolũ poſſunt ipſi miniſteria eccleſiaſtica legitime exercere, ſed fortaſſe etiã alios legitime ordinare. Quod ego licet meo li.2.c.3.n.52. 53.54. non approbarim, tamen neq; audeo damnare; & tutius quidem puto presbyteros reformatarũ eccleſiarũ accipere S. ordinẽ ab Epiſcopis ſeu Anglicanis ſeu Pontificiis, ſi qui reformationi ſubſcripſerint, quã à presbyteris, & multo minus à Laicis, vt adſit vera & propria ſucceſſio, & cum Apoſtolis colligatio: extraordinariam vero vocationẽ miniſtrorum non potui meo l.2.c.2.n 56. & ſeqq. nullo modo admittere, & approbare, ſed interim neque
CXCVI. eam damno abſolute. Sed multis nominibus eccleſiis reformatis omnibus plurimũ profuturum cẽſeo, ſi in ſingulis ſaltẽ prouinciis vnũ epiſcopum rite ordinatũ haberent cum ordinaria antiqua epiſcopali iuriſdictione, qui & clerũ totius prouinciæ in eccleſiaſticis regeret, & miniſtros ordinaret, quia eccleſiæ ſine epiſcopis nunquam potuerunt eſſe; Neq; eas terreat a Bellar. dum obiicit: eorũ epiſcopos non ſucceſſuros in epiſcopatu antiquis epiſcopis, quia vrbes multę, in quibus reformata viget religio, habuerunt olim, & habent hodie proprios Epiſcopos cathol. Romanos, in quibus ſtat vera ſucceſſio. Docui enim ſup n.49. huius cap. nõ omnes veros epiſcopos aliis epiſcopis ſuccedere; vt vbi noui erigantur epiſcopatus, vel vbi epiſcopus epiſcopo accedit, & nõ ſuccedit; & vt legitimus ſit epiſcopus, ſatis eſt, ſi legitime ordinetur, vel à tribus Epiſcopis cathol. iure eccleſiaſtico, vel ab vnico, iure euãgelico. Neq; eſt neceſſe, vt ordinatus ſuo ſuccedat ordinatori, ſed ſatis eſt ſi ordinans fuerit ordinatus ab alio legitime ordinato, & ille ab alio, & ſic ſucceſſiue vſq; ad Apoſtolos Sic enim ordinatus habet neceſſariã ſucceſſionẽ. Alioquin nõ eſſet legitimus Epiſcopus eccleſiæ alicuius, qui poſt multos illius eccleſiæ Epiſc. hæreticos catholicus ei ordinaretur, quia nõ habet ſucceſſionẽ ab Apoſtolis, ſiquidẽ ſucceſſio interrupta eſt per multos hæreticos ſibi diutina ſucceſſione ſuccedentes. Erit verò legitimus & ſucceſſionem habebit, non per immediatos in illa ſede, ſed per ſui ordinatoris in ordinatione præceſſores. Et quidẽ ſuperordinatio, vbi adeſt legitimus Epiſc. ordinarie nõ eſt ſine ſchiſmate, ſi eo inuito fiat, vt iã docui n.74. Sed vbi reformati à ſuo ordinario epiſcopo abiecti ſunt; quibus ille ſacra renuit miniſtrare, quando illi ſchiſma non fecerunt, cauſa eſt legitima, vt propriũ habeant Epiſcopũ, proprioſq; miniſtros orthodoxos, & à ſchiſmate alienos. Sunt autem plures occaſiones, quæ duorum Epiſcoporum cathol. in eadem ciuitate, & particulari eccleſia iuſtã reddant ordinationem, vt iam non ſemel docui in præcedentibus.

a Bellar. de eccl. lib. 4. c. 8.

CXCVII. Sexta nota eſt, *Conſpiratio in doctrina cum antiquitate*; ſed hæc nota plurimos Rom. Eccleſiæ fidei articulos profecto expungit, vt oſtendam c. prox. ſequenti. Quod ſi fundamentalẽ fidei doctrinã noſtrarũ eccleſiarũ approbat & confirmat, cum eadem ſit fundamentalis, etiã doctrina Proteſtantiũ, illam quoq; pariter approbat, & confirmat, Quod ſi in rebus diſputabilibus, & ad ſalutem nequaquã neceſſariis doctores reformati ab antiquis Patribus recedunt, hoc nunquã arguit doctrinæ falſitatẽ, vbi nimirum Patres proprii ingenii lucubrationes edunt, non vbi antiquã Apoſtolorum afferunt traditionẽ, vt explicaui c.6. huius. Auguſtin. etiã in diſputatione de Gratia & libero arbitrio, & de prædeſtinatione à Patrib. antiquis omnibus receſſit, ſed non propterea Bellar. Auguſtini in his doctrinã arguet falſitatis. Speciales vero hæreſes, quas b Bellarm. tribuit Proteſtantibus, diſcutiam c. ſequẽti, & illas pariter, quas Pontificiis tribuunt Proteſtãtes, ac plane oſtendam vtranque partem à vera hæreſi eſſe protſus immunem. Septima nota, *Vnio membrorum cum ca-* CXCVIII
pite, & inter ſe. Vnio cum capite mortali nullam arguit eccleſię veritatem, imo in ea parte arguit eccleſiæ falſitatẽ: quia eccleſia nõ regitur monarchice à miniſtris, ſed Ariſtocratice, aut etiã Democratice, vt eſt à me pluribus toties demonſtratum. Vnio ergo membrorum cum capite Chriſto & eorudẽ inter ſe, eſt vna ex notis veræ eccleſiæ; quæ nõ recte applicatur à c Bellar. Dogmata enim illa cõtrouerſa, quæ ego toties additamenta appellaui, nullam habent conſenſionẽ cum Patribus, nullam cum Conciliis, nullam cũ ſcriptorib. antiquæ puræ eccleſiæ. Quod autẽ moderniores inter ſe cõſentiant, nihil eſt; Nam etiã Ariani inter ſe mirifice conſentiebant. Et quomodo noſtra eccleſia Pontificia erit per hanc notã vera eccleſia, ſi cum membris eccleſię Chriſti viuis non habet vnionẽ? An nõ erit ſchiſmatica, quæ orientales orthodoxas eccleſias fere omnes, & tã multas occidentales, abſq; vlla cauſa legitima, abiecit? Eſt culpa grauis noſtra, quod cum tot nobiliſſimis membris vnionem habere nolimus: eſt culpa grauis Orientalium, quod ſimiliter & cum Pontificiis noſtris, & cum Reformatis nolint inire conſortium: eſt culpa reformatorum, quod odio tam acerbo proſequantur Pontificios; eſt eorundẽ grauiſſima culpa, quod inter ſe diuiſi ſchiſmata horrenda alant, & pro controuerſiis diſputabilibus, ad ſalutẽ nihil neceſſariis, ad reformationẽ etiam nihil pertinentibus, vnionẽ tantopere neceſſariã tollãt. Nota igitur hęc vnionis membrorũ inter ſe, ſi abſit, nõ arguit eccleſiarũ falſitatem, directe & immediate, arguit ordinate ſchiſma, & conſecutiue illa pars, quæ facit verum ſchiſma, à vera eccleſia recedit, & inde ceſſat eſſe vera eccleſia. Eſt ergo lachrymabile quod alioquin veræ, & legitimæ Chriſti eccleſiæ ita per ſchiſmata ſe ipſas à vera catholica eccleſia diuellant. Quæcunq; tamen eccleſia particularis parata eſt cũ aliis catholicis, quatenus in fundamẽtalibus catholicæ ſunt, communicare, neq; per eam ſtat, quo minus communicet, illa tuta eſt & extra periculũ: Quę vero ſine cauſa hæreſis verę & manifeſtæ, fundamentalem fidem tollentis eccleſias orthodoxas à ſe abiicit, ſuamq; illis negat eccleſiaſticam communionem, illa proprie ſchiſmatica erit, & conſequenter vera Eccleſia non erit. Octaua nota, quæ eſt *ſancti-* CXCIX.
tas doctrinæ, nihil minus probat veritatem eccleſiæ apud Reformatos, quã apud Pontificios. Doctrina enim fidei, & morũ fundamentalis, eadem apud vtroſq; eſt, & profeſſio eadem. Quod vero in ſcriptis reformatorũ aliquid inueniatur, quod non placeat omnibus, hoc non tollit ſanctitatẽ doctrinę fundamentalis. Etiam inter antiquiſſimos Patres orthodoxos, imo inter ipſos Apoſtolorũ diſcipulos fuerunt, qui nimium ſenſualem Chiliaſtarum ſententiã tenerẽt, de regno cũ Chriſto in delicijs corporalib.

b Bellar. de eccl. lib. 4. c. 9.

c Bellar. vbi ſup. c. 10.

de quo egi lib.5.c.8.n.123.& huius 7.libri c.2.n.52. & c.6.n.20. Ingenia humana etiam in rebus Theologicis luxuriant interdum. Doctrina tamen fidei neceſſaria nullis ſubſtat erroribus, ſi regulæ fidei illam moderentur. Noſtri quoq; de indulgentiis,& de abſolutione ſacramentali multa docēt, quæ veram penitus extinguunt pœnitentiã, vt probaui l.5. c 7. Nihil dico de doctrina ſanguinaria, ſeditioſa, ſcandaloſa, obedientiam ciuilem erga legitimos Principes negante, & ſtrages ac laniænas innocentium populorum docente, nihil de decipulis æquiuocationis,& ſimilibus.

CC. Nona nota eſt *efficacia doctrinæ*, ex qua Bellarm. probat veritatem noſtræ eccleſiæ: ac pro noſtra Pōtificia & non pro eccleſia proteſtantium ſumit eccleſiã Chriſtianã, cuius miniſtri per 1000.& 500. annos tot fecerint cōuerſiones. Neſcio tamen cur efficacia Apoſtolorum, & primorum prædicatorũ potius veritatem eccleſiæ noſtræ Pontificiæ oſtendat,& non eccleſiarum Reformatarum: Certe differentia illa, quã nos à Proteſtantibus diſtamus, in illis primis non erat Prædicatoribus: & Proteſtantes eandē fidē plene profitētur. Quod vero hi non fecerint tot conuerſiones, quot factæ ſunt ab illis qui in eccleſia cathol. eos, & reformationem præceſſerunt, in argumentum nō poteſt duci, quia paritas debet eſſe temporis: Reformati nō niſi à centum annis prædicant, & docent: Iam ergo conferamus efficaciam doctrinæ fidei vltimi ſæculi ante Proteſtantes,& ipſorum Proteſtantium in ſuo vnico ſæculo, & videbimus abſque comparatione efficaciam doctrinæ Proteſtantium ſuperare efficaciam doctrinæ Pontificiorum. Quorum Proteſtantium progreſſus neque gladius, neque ignis potuit impedire.

CCI. Decima nota eſt ſanctitatis vitæ, tum magiſtrorum tum populorũ. Patriarchas, Apoſtolos,& doctores primos viros ſanctiſſ. cur Bellarminus pro noſtræ Eccleſiæ Pontificiæ veritate adducat, non percipio; Quaſi vero eccleſiæ Proteſtantium non ad eoſdem ſe reducant Autores. Hæreſiarchas, aut certe eorũ plurimos fuiſſe homines peſſimos, quis neget? Et hinc profecto ſequitur eccleſiam cathol. tam noſtram Pontificiã, quam Proteſtantium, eſſe veram eccleſiã, quia vtraq; ab illis hæreſibus eſt remota. Lutherus primus reformator, inquit *a* Bellar. fuit ſuperbus,& ex ſuperbia cœpit nouã doctrinam docere. Etiam tempore Apoſtolorum quidã *b* prædicabant Chriſtum, ex æmulatione, & inuidia, quorum prædicationē Paulus laudat,& approbat, dummodo Chriſtus prædicaretur. Eſt vero proprium diuinæ prouidentiæ, vt ex malis initiis bonus finis colligatur. Iniuria facta monachis Auguſtinianis circa indulgentiarum publicationē, & pecuniæ per indulgentias conquiſitæ collectionē, irã & Zelum ſuſcitauit in Luthero, ira deinde hæc, diuina operāte gratia, oculos ei paulatim ad grandia aperuit,& Reformationem operata eſt. Populi vero ſanctitatem vitæ quomodo præferat, vitæ reformatorum in plebe non video: Bonos multos,& valde pios in noſtris plebibus cerno (quantũ oculis mortalibus vera pietas cerni poſſit) multi etiam ſunt hypocritæ, ſceleratiſſimi plurimi? Inter Proteſtantes quoque rem ita ſe habere facile crediderim: Ita vt nota hæc ſanctitatis vitæ vix alterutris plus faueat quam alteris. Sed quomodo probat Bellarm. notam hanc Pontificiæ eccleſiæ fauere? *quia*, inquit, *Sunt in Eccleſia Catholica plurimi mali, ſed ex hæreticis nullus eſt bonus*:] Hæreticos intelligit Proteſtantes. Magna profecto propoſitio, ſed nimium audax; quomodo vero eam probat? *quia*, inquit *Lutherus, Smidelinus,& Eraſmus, dicunt multos eſſe malos inter ipſos.* At nullus dicit omnes eſſe malos,& nullum bonum. Etiam Dauid dixit aliquid plus: *c Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum, omnes declinauerunt.* Et tamen in Iſrael non deerant multi boni,& valde pij. Eſt modus loquendi, quando plurimi peccant, & à peccatis quotidianis nemo eſt immunis, quæ tamen pietatem non extinguunt.

a Bellar. de eccl. l. 4. c. 3.

b Phil. 1.15.

c Pſ. 14. 1.3.

CCII. Vndecima nota, *miracula*. De miraculis ſatis dixi ſupra nu.60. huius cap. Vetera ſane miracula nihil minus probant veritatem eccleſiarum reformatarum, quam noſtrarum Pontificiarum. Eadem enim eſt vtrarumq; illa fides, pro qua confirmanda vera miracula facta ſunt. De miraculis à centum annis, ex quo cœpit reformatio, non magis poteſt gloriari noſtra eccleſia, quam reformata. Niſi fortaſſe hoc tempore noua euangelii prædicatio facta fuerit, quam ſolent miracula comitari. Quærere autē miracula apud Proteſtantes, qui non nouam fundare religionem, ſed veterem ſtudent reformare, eſt ſuperuacaneum. De duodecima nota, quæ eſt *prophetia*, idem dico, quod de miraculis.

CCIII. De nota decimatertia nihil dicere oportet, quia illa æque fauet vtriſque. Quicunq; enim laudarunt & approbarunt eccleſiam cath. illi laudarunt & approbarunt vtriuſque partis eccleſiam. Et ipſimet Proteſtantes dum laudant aliqua in eccleſia noſtra Pontificia, laudant id etiam in eccleſia reformata, quia in fundamentalibus eſt vna & eadē. De quartadecima, & vltima apud Bellarminum nota nihil pariter eſt dicendum: quia ſpectat ad miracula, & de his ſatis dixi ſuperius n.62. huius cap. Vbi oſtendi has duas notas vltimas tam bene probare veritatem eccleſiarum reformatarum, quam Pontificiarum.

CCIV. Concluſio igitur huius ſatis longi capitis ſit. Veram eccleſiã illam eſſe, in qua profeſſio integra fidei & morum fiat, illa nempe profeſſio quam Chriſtus & Apoſtoli inſtituerunt. Quænam vero ſit hæc integra profeſſio ex primitiua eccleſia totam facile colligi. Ex primitiua vero eccleſia colligimus,& eccleſiam totam orientalem, vbi Arianiſmus, Neſtorianiſmus, Eutychianiſmus, & ſimiles hæreſes ex doctrina eiuſdem primitiuæ eccleſiæ olim damnatæ, non vigent,& eccleſias omnes Pontificias,& ſimiliter omnes eccleſias orthodoxorum Proteſtantium, ſimul iunctas verã Cathol. eccleſiam conſtituere, & ſingulas haſce particulares eccleſias eſſe membra viua eiuſdem catholicæ eccleſiæ, ex legitima & iuſta præſumptione. Itaq; ſchiſma erit ſe vel à tota hac cathol. eccleſia, vel ab illius quocunque viuo membro ſeparare. quod ne fiat, ſed vt vnitas eccleſiæ conſeruetur, conandum eſt, ac diſſidia omnia inter Orientē & Occidentem, ac inter ipſum Occidentem, ſunt omnino comprimenda: aut ſi omnia comprimi non poſſint, adſit tolerantia in Theologicis opinionibus ad fidē neceſſario non pertinentibus, atq; interim ſtante firma in fundamentalibus conſenſione,& dato loco eſſentiali reformationi, abiectiſq; ex omnibus eccleſiis ſuperfluis illis articulis, qui veris fidei articulis perperam ſint ſuperadditi, qui videlicet neque in Scripturis clari habeantur, neq; in eccleſia primitiua fuerint cogniti, traditioneque legitima declarati, perfecta eccleſiæ vnitas, per eccleſiaſticam communionem conſeruetur. Et iam de ſchiſmate ſatis.

diſputationi liberæ relinquuntur. Vt cap. 9. huius iam probaui, & ſine diuina ſpeciali reuelatione nemo eſt in terris, qui poſſit tuto iſta controuerſa definire: In his enim non quæritur quid ſit in Scriptura, ſed quis ſit verus, & genuinus Scripturæ ſenſus, vbi tamen Scriptura non eſt in ſe clariſſima, & varias patitur, ac ſane probabiles ingenij humani interpretationes.

II. Vt ergo anſam in hoc capite omni ſchiſmati præcidamus, percurrendæ nobis ſunt iā particulati ſingulæ controuerſiæ, ſaltem præcipuæ, & quæ magis pacem Eccleſiæ turbant, non vt eas definiamus, fatemur enim multas eſſe in Eccleſiā militanti indefinibiles, ſed vt quæ falſitatem tuentur falſitatis arguamus, in aliis vero partes contendentes cōuincamus, eas nullam habere iuſtam cauſam ſe inter ſe ſchiſmate ſeparandi: ſatiſq; eis eſſe, ſi exercitationis cauſa, de quæſitis aliquot ſcripturalibus, modeſte decertent, charitatem tamen, & vnionem Eccleſiaſticam interim non abrumpant, ſed ſe mutuo tolerent, certi nimirum ſe non poſſe niſi probabilia ex vtraq; parte in ijs afferre. Ac ne qua pars ſe nimium in ſua opinione in talibus obfirmet, ac proinde contrariam nolit tolerare, conabor, probabilitatem contrariæ ſententiæ corroborare, vt ſic nimium obfirmatos emolliam animos; vbi etiam cōciliare potero diſſentientes, non deero. Præcipuus tamen meus in hoc, & ſequenti capite ſcopus eſt, tolerantiam, in rebus duntaxat opinabilibus omnibus diſſentientibus ſuadere, ſine qua nulla concordiæ ſpes relinquitur, nullum extinguendorum ſchiſmatum ſupereſt remedium.

III. De controuerſiis inter Græcos & nos Latinos, vnde inueteratum tandiu ſchiſma perdurat, ſatis egi capite præcedenti; vbi oſtendi controuerſiam de proceſſione Spiritus ſancti eſſe vnam ex diſputabilibus, & nunquam in Eccleſia Catholica ſufficienter per veras regulas definitis: vt propterea neutri parti ſchiſmatis legitima cauſa eſſe poſſit; nam neque puto eſſe definibilem, cum de myſteriis illa ſit altiſſimis, nobis imperceptibilibus; Græcos arbitror in ſuo ſenſu citra periculum hęreſis poſſe negare Spiritum ex Filio etiam procedere, ne duo Principia ponant in diuinis, ſi capere non poſſint duas perſonas realiter inter ſe diſtinctas vnicum poſſe eſſe Principium tertiæ perſonæ, & hoc ſane notionaliter. Nam ſi propterea ſunt vnicum principium, quia ſunt vnica eſſentia, tunc Spiritus etiam à ſe ipſo procederet, quia Spiritus quoque vna & eadem eſt eſſentia, quę & Patris eſt, & Filij. Nos vero contra ſimiliter abſque periculo hæreſis poſſumus aſſerere, ex Patre & Filio Spiritum ſanctum procedere, ſi mitti ſit procedere, ſi eſſe Spiritum Chriſti ſit ab eo procedere, ſi quis capiat ſpirationem actiuam eſſe aliquid notionale, duabus tamen perſonis commune. Vtraque ergo pars poteſt, modeſte tamen & ſobrie, de his diſputare. Saluo & integro manente apud vtroſque Trinitatis myſterio fundamentali. Tres nimirum perſonas diſtinctas, in vna & eadem eſſentia inter ſe conſubſtantiales eſſe vnum Deum: & Filium eſſe genitum, Patrem vero ingenitum, ſed generantem. Spiritum vero genitum non eſſe, ſed procedentem; & neutra pars damnet alteram: Alias ex noſtra metaphyſica argumentationes vix quicquam in hiſce altiſſimis myſteriis tuto colligere poſſe ſatis innui cap. 10. præcedenti n. 128. Si vero Græci petant ſymboli Conſtantinopolitani in ſuum ſtatum reſtitutionem, iuſta erit illorum petitio, vt eodem cap. 10. oſtendi, neque id eis negari debet: De altera cum Græcis controuerſia, circa Eccleſiarum Primatum, integros iam ego in hoc opere conſcripſi libros, primū præſertim, & quartū, quibus fuſe probaui Papatum Romanum cum plena illa, quam ſibi vſurpat ille in totā Eccleſiam Monarchia, eſſe falſum, eſſe vſurpatum, eſſe omnino comprimendum. Nulla ergo eſt legitimā cauſa latinis Eccleſiis Græcas orthodoxas abiiciendi; ſed neque Græci ſufficientem habent cauſam ſe à latina Eccleſia ſchiſmate pręſcindendi, quia proceſſio à Filio ſuas habet in latina Eccleſia probabilitates, & hæreſis non eſt; tolerari ergo debet. Papatus vero illos non terreat, nec impediat quominus, quantum in ipſis eſt, cum latinis in fide, & charitate communicent, etiam Papatum noſtrū non admittentes, ſed ſua ſibi priuilegia Patriarchæ ipſi Orientales orthodoxi reſeruantes. Venio ad noſtri Occidentis controuerſias.

Prima, præcipua ac maxima, imo re vera ſchiſmatum omnium cauſa primaria & vniuerſalis, eſt *controuerſia iam facta ſpeculatiua*, cum pure practica ſit, de Papatu. Propter ſuum exorbitantem hunc Papatum Romanus Pontifex & Orientem totum, & nobiliſſimas multas Occidentis Eccleſias, aut ipſe ab ſe, & conſequenter ab omnibus Eccleſiis, quas ſibi ſubiectas habet, abdicauit, aut vt illæ ſe ab ipſo, ipſiuſque Eccleſiis ſepararent, occaſionem aliquam dedit. Hæc controuerſia non poteſt tanquam indefinibilis, & vtrinque probabilibus nixa documentis relinqui, & tolerari. Ea enim perfecte definibilis eſt, cum plena adſint ex ſcripturis documenta clariſſima, inter miniſtros Eccleſiæ nullam eſſe, Chriſti inſtitutione, monarchiam; ſed aliquas, iure Eccleſiaſtico eſſe hierarchicas & canonicas in Eccleſia diſpoſitiones. Rem ego hactenus puto me libris hiſce ſeptem maxima ex parte iam demonſtraſſe, & quod ſupereſt in ſequentibus demonſtrabitur. Quod ſi controuerſiam hanc diſcuti Romani Pontifices in Conciliis legitimis aliquando voluiſſent, aut vellent, plenam definitionem cōtra ſe audiſſent, & audirent. Et omnes quidem controuerſiæ, quotcunq; pacem Eccleſiæ vniuerſæ turbarunt, de more in Conciliis agitatæ ſunt, & definitæ, hanc ſolam, quæ eſt omniū turbulentiſſima, ne vnquā in Conciliis agitaretur, ac ne agitetur, conati ſunt, & conantur quantum potuerunt, & poſſunt Romani noſtri Pontifices; quia ſciūt Papatū ſuum nullis ſolidis niti fundamentis, non ſcripturis, non antiquę Eccleſię ſenſu. Igitur propter falſum Papatum, cui aliquæ Eccleſiæ obnitantur, ſchiſma facere, ex parte Pontificia eſt ſumma iniquitas; quæ etiam Eccleſię Papatum non agnoſcunt, non propterea legitimam habent cauſam ſe à Pontificiis ſua voluntate ſeparandi, quia charitas integra poteſt inter nos manere, etiam ſi Papalibus ipſæ non ſe ſubdant vſurpationibus, & erroribus, vt capite ſequenti explicatius monebo.

Altera controuerſia eſt de Scriptura, & traditionibus, ac Iudice controuerſiarum; quid in ea ſentiendum, quid dicendum ſit, iam ſatis prioribus ſex huius libri capitibus explicaui. Tertia controuerſia eſt de Sacramentis tam in genere, quam in ſpecie. Eam ego fuſe tractaui pluribus capitibus libro quinto. Diſſenſiones de Sacramentis præcipuæ tres ſunt, vna de numero Sacramentorum, altera de efficacia eorundem: tertia de Præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia. Prima conciliari facile poteſt, ſi Sacramentum aut latius, aut ſtrictius ſumatur. Ac ſtricte quidem ſumptum Sacramentum Eccleſiæ Chriſtianæ non eſt niſi duplex. Baptiſmus, & Euchariſtia: plura vero ſunt,

IV. [margin, beside "Prima, præcipua ac maxima"]

V. [margin, beside "Altera controuerſia"]

ſi latius ſumatur, & inter hæc collocari poſſunt illa quinque; ex quibus cum iam dictis duobus à noſtris communiter ſeptenarius conficitur numerus Sacramentorum. Vt propterea nulla ſchiſmati ex his porrigatur iuſta occaſio: Qui negant Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem, Extremam vnctionem, & Matrimonium eſſe verum Sacramentum ſtricte ſumptum, non negent horum legitimum, & pium vſum in Eccleſia; & ſic ſchiſmati cauſam hoc nomine nullam dabunt. Secunda diſſenſio diſputabilis eſt, ac omnino indefinibilis, num Sacramenta efficiant gratiam, & hoc an phyſice inſtrumentaliter; an tanquam conditiones, ad quarum præſentiã Deus concedat gratiam; an tanquam ſignacula efficacia, gratiæ exhibitiua, & confirmatiua; an alio modo. Et in hac diſputatione mutua tolerantia eſt neceſſaria, & opinandi libertas relinqui debet, modo Sacramentis ſua non negetur operatio ſpiritualis, & efficacia. Tertia diſſenſio grauiſſima eſt; & à nobis fuſe tractata noſtro lib. 5. cap. 6. de reali præſentia Chriſti in ſacra cœna. Tranſubſtantiationem in noſtras Eccleſias Pontificias poſt multa à Chriſto ſæcula inuectam, valde abſurdam, & omnino impoſſibilem eſſe oſtendi. Vbiquitatem corporis Chriſti adhuc magis abſurdam, magiſq; impoſſibilem omnis bonus Theologus ſemper reſpuet; vnio enim hypoſtatica corpori Chriſti ſolam dedit diuinam ſubſiſtentiam, corpus cum ſuis cõditionibus, & proprietatibus naturalibus omnibus verbum diuinum ſibi vniuit, imo nõ corpus ſolum, ſed perfectam humanitatem anima, & corpore conſtantem. Dare vero corpori creato id, quod neq; vlli Spiritui poteſt concedi, ſed ſolius Dei proprium eſt, neque eſt boni Philoſophi, neq; boni Theologi.

VI. Fateor neq; tranſubſtantiationem, neq; vbiquitatem hæreſim vllam directe continere, ac propterea qui eas tenent & aſſerunt, non ſunt tanquam hæretici à Catholicis ſeparandi. Errores enim & manifeſtas falſitates eos tueri non dubito, non tamen errores hi, & falſitates ſunt in fide, quia nulli fidei vero articulo ſunt contrariæ. Philoſophicam potius, quam Theologicam errores hi continent falſitatem; & naturam potius, quam gratiam deſtruunt. Errantes vero, & non in fide, non ſunt vt hæretici à Catholica communione ſeparandi. Credat qui vult panem tranſubſtantiari in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem: Credat qui vult corpus Chriſti ſua vbiquitate coniungi pani Euchariſtico; ego neutrum credo; illi qui credunt ſuæ credulitatis ſuo tempore accipient confuſionem. Cum his ergo, in reliquo Catholicis, communicare & volo, & debeo, non enim ſine cauſa ſchiſma eſt faciendum. Sed in eorum erroribus nolo communicare.

VII. Obiiciet aliquis adorationem panis idololatricum quendam ferre ſecum reatum; & artolatras eſſe in religione Catholicis vitandos. Reſpondeo me nullum Idololatricum crimen in illa adoratione ſi recte dirigatur intentio, agnoſcere, qui enim docent panem non eſſe amplius panem, ſed corpus Chriſti; illi profecto panem non adorant, ſed ſolũ, ex ſuppoſitione, licet falſa, Chriſti corpus, vere adorabile, adorant. Nam neq; noſtri dicunt ſpecies panis, & vini, hoc eſt, accidentia illa, eſſe adoranda; ſed dicunt corpus Chriſti verum, & reale, quod ſub illis ſpeciebus latet, debere adorari. Et in hoc nulla eſt Idolatria, docti enim nihil aliud niſi Chriſti corpus, ex ſuppoſitione, vt dixi, adorant. Quod ſi ſcirent ſub ſpeciebus illis panis, & vini, aut ſub pane & vino non latere verum Chriſti corpus, certe nullam illis exhiberent adorationem; tota ergo mens adorantium ad ſolum Chriſti corpus viuum immediate, & non ad aliquid aliud dirigitur. Et quidem quia ſecundum veritatem, quam ſuo loco docui, qui digne ſumit Sacramenta corporis, & ſanguinis Chriſti, ille vere & realiter corpus & ſanguinem Chriſti in ſe corporaliter, modo tamen quodam ſpirituali, miraculoſo, & imperceptibili ſumit, omnis digne communicans adorare poteſt, & debet corpus Chriſti, quod recipit, non quod lateat corporaliter in pane, aut ſub pane, aut ſub ſpeciebus & accidentibus panis; ſed quod quando digne ſumitur panis ſacramentalis, tunc etiam ſumitur cum pane Chriſti corpus reale illi communioni realiter præſens, vt ſuo loco explicaui. An ita ſentirẽt à Magiſtro Caluino reformati, diu dubitaui, & volui, dũ hæc imprimenda parabam, plane ſententiam Caluini agnoſcere. Atq; hæc quæ ſequuntur dicta in eius opuſculis reperi. a *Blaſphemia eſt negare in Cœna* a Caluin. tract. de cœna Dom.
Domini offerri veram Chriſti communicationem.--- Panis & vino corporis & ſanguinis nomen attribuitur, quod ſint veluti inſtrumenta, quibus Dominus Ieſus Chriſtus nobis ea diſtribuit.--- Panis- -non eſt figura nuda, & ſimplex, ſed veritati ſua & ſubſtantiæ coniuncta. -- Panis merito dicitur corpus, cum id non modo repræſentet, verum etiam nobis offerat.--- Intelligimus Chriſtum nobis in cœna veram propriamq; corporis & ſanguinis ſui ſubſtantiam donare.-- Panis in hoc conſecratus eſt, vt repræſentet ac exhibeat nobis corpus Domini.--- Zuinglius, & Oecolampadius debuerunt adiungere ita ſigna eſſe, vt nihilominus veritas cum eis coniuncta ſit: & teſtari debuiſſent ſe non eo tendere, vt veram communionem obſcurarent, quam nobis hoc Sacramento Dominus in corpore & ſanguine exhibet. Lutherus propterea incenſus eſt in eos, quia volebat Sacramentum efficax, &c. -- Fatemur omnes, nos, cum, iuxta Domini inſtitutũ, fide Sacramentum recipimus, ſubſtantiæ corporis, & ſanguinis Domini vere fieri participes. Quomodo id fiat, alij aliis melius definire, & clarius explicare poſſunt. --Ne vis ſacroſanct. huius myſterij imminuatur, cogitare debemus id fieri occulta, & mirabili Dei virtute, &c.] Sic ille.

Omnes igitur & Pontificij, & Lutheri, & Calui- VIII.
ni diſcreti ſectatores in eo conuenimus, circa ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nobis in eo verum, ac reale Chriſti corpus vere, & realiter exhiberi. Cur ergo in hoc non ſiſtimus omnes? Cur hic terminum diſſenſionum non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem, & occultum, nobiſq; penitus ignotum, & quem Chriſtus ipſe nos latere voluit, tam audacter deſcendimus, vt, qui cum noſtra inſipientia non deſipiat, eum à charitate & cõmunione religioſa & Catholica excludamus? Hic eſt tam atrocis, & periculoſę diſſenſionis facillimus modus ſopiendæ: vt omnes veritatẽ corporis Chriſti in ſumenda Euchariſtia exhiberi vno ore fateamur; & circa modum quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem, & inexplicabilem, nobis omnibus ſilentium perpetuum indicamus; & ex hac diſſenſione ſchiſmata coalita extinguamus. Quod ſi quis interim velit adhuc circa modum præſentiæ Chriſti in Sacramento balbutire, imo deſipere, imo errare, balbutiat, deſipiat, erret, ſed alios non balbutientes, non deſipientes, non errantes à ſua communione non repellat; nec ipſe à non errantibus repellatur: Quia, vt dixi, error hic non eſt in fide ſaltem directe, nec contra fidem. Nam, quod aliqui obijciunt per tranſubſtantiationem indirecte, & deductiue aſſeri Chriſtum habere corpus phantaſticum, quæ eſt hæreſis Marcionis, & Manichæorum. Aut per eam negari Chriſti Aſcenſionem in cœlum; aut Chriſtum ex alio quam ex Maria virgine, corpus aſſumpliſ-

aſſumpſiſſe, nempe ex pane tranſubſtantiato. Hæc noſtros non multum mouent Pontificios; & ſolutiones habent paratas. Qui enim tranſubſtantiationem tenent, firmiter credunt Chriſtum ex Maria virgine verum corpus habuiſſe, & in vero corpore prædicaſſe, paſſum, mortuum, & ſepultum, ac in vero corpore reſurrexiſſe, quod Marcion, & Manichæi negabant. Hoc tamen verum, & perfectum corpus humanum vere organizatum, & carne, & oſſibus conſtans, diuino miraculo volunt in Euchariſtia qualitatibus quibuſdam donari, quæ tamen fateor, ſunt inexplicabiles. Dum autem dicunt per miraculum diuinæ omnipotentiæ poſſe vnum corpus ſimul eſſe in pluribus locis, certe non poſſunt dici Aſcenſionem Chriſti negare. Neq; aiunt ex pane fieri corpus Chriſti, quod prius non eſſet, ſed in tranſubſtantiatione dicunt ſubſtantiam panis tranſire in ſubſtantiam corporis Chriſti, iam exiſtentis, ex Maria nati: quod licet ſit imperceptibile, fugit tamen hæreſim. Et generaliter, quicunq; tenet, & profert aliquid ex quo, neceſſaria aliqua deductione & ſequela, hæreſis videatur poſſe colligi, ſi ille hæreſim illam expreſſe deteſtatur, & paratus eſt ſuum dictum abiurare, ſi viderit ſequi ex eo hæreſim, pro hæretico neque habendus eſt; neq; vt hæreticus vitandus. Nulla profecto vera hæreſis eſt quam noſtri Pontificij omnes non prorſus anathematizent expreſſe. Si ergo quis ex eorum placitis deducat hæreſim, profecto aut deductio, vt mala, & inſufficiens ab eis impugnabitur; aut inde excuſabuntur, quod non putent ipſorum placitum ad vllam hæreſim deducere. Stemus in ſolo, *quod ſit*, nempe verum Chriſti corpus in Euchariſtia digne eam recipienti, exhiberi: verba Scripturæ vt ſunt, & iacent retineamus; *quomodo* res ſit, ne inueſtigemus
Prou. 30. 5. 6. anxie: [Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe; ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, inueniatiſq; mendax.] Cur ergo, dicente Chriſto, Hoc eſt corpus meum, nos addamus, eſt corpus per tranſubſtantiationem, conſubſtātiationem, figuratiue duntaxat, & non realiter; fide percipiendum, & non corpore, &c. Hoc eſt addere ſermoni Dei, vnde facile arguamur, & mendaces inueniamur. Cur ob iſta noſtra addita contendamus, vt ſchiſmate Eccleſiam diuidamus? idem corpus Chriſti omnes comedimus; ſed modum quo id fiat omnes ignoramus.

IX. Quarta controuerſia ſpeculatiua eſt, de Purgatorio, & Indulgentiis; de ea ego plene egi lib. 5. cap. 8. Et quidem Purgatorium nullum eſſe, in eo ſenſu, in quo à noſtris ponitur, arbitror me ibi demōſtraſſe; ſicut & Indulgentias res vaniſſimas eſſe oſtendi. Nihilominus tamen ne hæc ipſa controuerſia ſchiſma foueat, in primis illud moneo, articulos fidei de Purgatorio, & Indulgentiis, nullos eſſe, niſi nouitios, perperam à noſtris ſuperinductos, & per regulas fidei à me explicatas nullo modo confirmabiles: nam neq; Scriptura de illis quicquam habet aut clarum, aut obſcurum; & vix aliquid obſcuriſſimū; neq; antiqua Eccleſia vllam de his habuit traditionem, cui prorſus ignoti fuerunt. Igitur, per regulas à me aſſignatas, nulla poteſtas eſt in terris, quæ illis fidei certitudinem poſſit addere, & conſequenter noſtri non poſſunt iuſte pro hæreticis illos habere qui Purgatorium, & Indulgentias negent; ideoque hoc nomine eos à communione Eccleſiaſtica non poſſunt abiicere: Sed neque Proteſtantes poſſunt hinc tanquam hæreticos damnare, & à communione ſua (quantum in ipſis eſt) repellere Pontificios, licet & Purgatorium, & Indulgentias mordicus retineant. In his enim procul dubio errant, ſed non cōtra fidem; exceſſus eſt hic, ſed non defectus: neque per hos falſos articulos vlli vero articulo fidei fit iniuria. Moneo tamē non eſſe damnandas orationes, & oblationes ſacrorum myſteriorū pro defunctis; illæ enim, ſi non ex Scriptura, ſaltem ex vſu, & praxi antiquiſſima Eccleſiæ, quæ ad Apoſtolicam traditionem facile poſſit & ſileat à ſanctis Patribus reuocari, ſuam habent defenſionem. Ac licet inde verum Purgatorium non colligatur, colligitur tamen locus aliquis animarū, in quo peccatorū poſſint illæ indulgentiam, Eccleſiæ precibus obtinere. Plura de Purgatorio aſſerere, eſt magnæ vanitatis, & temeritatis. Et quoniam hęc ad ritus pertinent, qui ad fidem non ſpectant, neq; eſt neceſſe eos eſſe perpetuos, Eccleſiæ illæ à noſtris damnari, & repelli iuſte neq; poſſunt, neq; debent, quæ ab orationibus, & oblationibus pro defunctis iam abſtineant. Pari ratione moneo Indulgentias Eccleſię, vbi Eccleſiaſticæ iniunguntur pœnitētiæ, & ſatisfactiones, merito locum habere poſſe, & tales Indulgentias reiici nō debere, vt itidem ſuo loco eodem cap. 8. explicaui.

X. Quinta controuerſia ſpeculatiua eſt, de Gratia, libero arbitrio, Prædeſtinatione, & connexis. Tota in hac cōtrouerſia difficultas eſt vt Pelagianiſmus, & Semipelagianiſmus, ſi nimium tribuatur libero arbitrio, euitetur: ſed interim etiam ne fati neceſſitas inducatur eſt diligenter cauendum, ſi libertas arbitrij nimium deprimatur. Neceſſitatem Gratiæ, & debilitatem naturæ, liberiq; arbitrij imbecillitatem Auguſtinus multo conatu, & multis libris agitauit plurimū. Cuius opinio, etſi magnā in Eccleſia obtinuit autoritatem, ad articulū tamē fidei expreſſum nunquam redacta fuit, neq; per debitas regulas in Eccleſia definita. Nā neq; ipſe in ea, ex clariſſimis ſcripturis, nullam aliam niſi ipſius interpretationem admittentibus, neque ex Antiquæ Eccleſiæ, Patrumque teſtimoniis, & veris Apoſtolicis traditionibus, ſed ex probabilibus duntaxat, & ꝓprij ingenij laboribus, proceſſit, ac interim vehementes multorum orthodoxorū paſſus eſt cōtradictiones. Quare ſicut fateor Auguſtini ſententiā vt probabilem poſſe defendi, & teneri, modo ne ea ad fidei diuinæ articulum reducatur; ita contrariā Auguſtino ſententiam Catholicorum, (Pelagianiſmo, ac Semipelagianiſmo plene damnato) ſuam etiam magnā habere probabilitatem, non tamen certitudinem fidei, mihi eſt certiſſimum. Et tamen controuerſia hæc de Gratia, libero arbitrio, Prędeſtinatione, Meritis, & annexis, non ſolum inter Eccleſias reformatas, & multas Pontificias, ſchiſma acriter fouet, ſed etiam Eccleſias ipſas Pontificias inter ſe, & inter ſe pariter reformatas, collidit miſere, ac ferme diſcerpit. In hac igitur eſt mihi quoq; fuſiori tractatu laborandum. Illudq; duntaxat conabor, vt omnibus reddā, ſi fieri poteſt, manifeſtū, in hac ampla controuerſia de Gratia, & ānexis nihil poſſe firmiter definiri, ſed vtranq; partem ꝓbabilem ſententiam ſequi, ac proinde mutuā tolerātiam eſſe omnino neceſſariā; & in ſchiſma culpabiliter eā partē vergere, quæ alterā tolerare nolit, ſed cogere vt ſecū altera ſentiat. Moneo tamē, ſi qua aut ſola, aut Eccleſia alterutram in his controuerſiis partē ſibi ſequendam eſſe ſtatuerit, in ea profecto ſtandum eſſe omnib. illius ſcholæ, vel Eccleſię membris, quoad externam profeſſionē: & hoc ex humano præcepto poſitiuo, non ex iure diuino, vt pax ſeruetur, & diſſenſiones ac ſciſſiones ſcandalaq; euitentur. Ego ſententiam antiquā ideo tātummodo aſſero, vt, qui eam tenēt non abiiciātur ab ijs, qui recentiorē Auguſtini ſententiam

tentiam

tentiam ſim[illegible] amplexi, non vt malam ſententiam hos fouere c[illegible]enduam, quos potius omnino teneri puto in ijs ſtatu, quia ſchola ma, vel Eccleſia profitendum eſſe firmauerit. Et per meam hanc defenſionem veteris ſententiæ nihil aliud obtinere ab his cupio, niſi tolerantiam externorum hanc ſententiam ſequentium; non ſuorum propriorum, vbi libertas opinandi ſine ſcandalis permitti non poteſt. Salua tamen cuiq; in interno libertate meliori ſententiæ aſſentiendi, & diſputatiue in ſcholis eam defendendi. Et ſane Auguſtini hæc ſententia, quam adhuc multo magis rigoroſam multi fecerunt, cum tanto viro nitatur, qui eam quammaxime potuit niſus eſt firmare, & iam omnes pene Eccleſię reformatæ, & inter Pontificios tota Thomiſtica ſchola, ſint amplexæ, illa neq; damnanda eſt, neq; damnari omnino poteſt, quia Scripturæ omnes varias patiuntur interpretationes; & ſenſus illarum ſcripturarum ab Apoſtolis non eſt Eccleſiæ traditus: Atq; hinc, iuxta regulas à me probatas, impoſſibilis redditur certa, & tuta definitio. Ne tamen illi qui contrariam adhuc probabiliorem, aut ſaltem æque probabilem putant eſſe ſententiam (ſunt autem ex vtraque parte plurimi) ab his quorum maior pars eſt, damnentur, abiiciantur, contemnantur, & ita ſchiſmata conualeſcant, oportet me probabilitatem oppoſitæ ſententiæ aperire, & tueri. De hac ampla controuerſia ſex quæſtiones compendioſe explicandas propono. 1. De Gratię neceſſitate. 2. De Gratiæ cum libero arbitrio coniunctione. 3. De Gratiæ efficacia. 4. De Prædeſtinatione. 5. De Iuſtificatione. Sexta de operibus & meritis. Adſit nobis Deus lumine ſancto ſuo.

XI. QVÆSTIO PRIMA de neceſſitate Gratiæ. Hominem hic iam conſideramus, non in puris naturalibus conſtitutum, ſed vt æternę fælicitatis capacem, & ad eam à Deo optimo maximo ordinatum, ſeu potius reordinatum; atque ita gratiam iam accipimus, tum eam quæ dicitur gratum faciens, quæque hominem iuſtum facit, Deo reconciliatum & amicum, & gratum & acceptum. Deinde gratiam etiam vocamus (& eam conſiderandam ſumimus) omnia adiumenta diuina ſupernaturalia, quæ naturæ corruptæ hominis ſuperaddita, in adeptione gratiæ gratum facientis quomodocunq; operentur. Et de hac gratia, hoc eſt de hac ipſa diuina operatione ſupernaturali in præparando, diſponendo, monendo, iuuando homine ad gratiam gratum facientem, & ad æternam ſalutem, prima hæc proponitur & tractatur quæſtio: An gratia hæc ſit homini ſaluando neceſſaria.

XII. Notiſſimum eſt, ordinem totum rerum ſupernaturalium longe excedere vniuerſam rerum creatarum naturam, atq; adeo excellere, vt nulla ratione natura ſuis viribus propriis, vt ſint meræ vires naturales, poſſit ad ea pertingere, aut peruenire. Sumpta ergo natura humana poſt peccatum in ſuis puris viribus naturalibus, quæ naturæ ſimpliciter conueniant, vt natura eſt, abſtrahendo ab eleuatione ipſius ad finem etiam ſupernaturalem, ſed ea relicta in puris terminis rerum naturalium, & intra ipſarũ fines, nullum dubium eſt eam gratia ſupernaturali indigere ad hoc vt operari poſſit, & conſequi ſupernaturalia. Idcirco Deus, quando creauit hominem, quia non modo illum voluit eſſe vnam ex ſpeciebus, & præcipuam vniuerſi creati, ſed etiam quia animam illi indidit intellectiuam, & ad ęternam beatitudinem ſupernaturalem illum ordinauit, ſuperaddidit naturæ humanæ in Adamo donum ſupernaturale iuſtitiæ, quam vocamus originalem, quæ eſſentialiter non differret à gratia; vt per tale donum ſupernaturalẽ iam poſſet ſupernaturalia agere, & ad ſupernaturalia peruenire. Quod donum, licet aliqui ad perfectionem naturæ humanæ pertinere aſſerant, & ſimpliciter naturale fuiſſe probent, cum tamen fuerit longe diuerſi ordinis à rebus naturalibus, poſſunt nobis concedere id donum fuiſſe naturæ iam in ſe in ordine naturali cõpletæ à Deo ſuperadditum, vt eſt communis ferme ſententia noſtrorum ſcholaſticorum, & Patrum: nos vero illis concedere poſſumus, aliquo modo id donum ſe tenuiſſe ex parte naturæ, ſed perfectæ, & plene rectæ, in ordine ad vtrunq; finem hominis & naturalem & ſupernaturalem; & hic poſterior finis fuit præcipuus, & maxime principalis; in hoc enim non eſt operæpretium nunc decertare.

XIII. Amiſſo hoc dono per lapſum primi parentis, qui illud & ſibi & toti poſteritati amiſit, & conſequenter corrupta natura humana ex talis doni amiſſione, quod illam rectam conſeruaſſet ſi donum perſtitiſſet, natura humana omnibus ſupernaturalibus viribus manſit deſtituta. Vt ergo rurſus ad ſupernaturalia vires habere poſſit, diuina gratia noua, quæ aliquo modo illud donum ſuppleat, penitus indiget, vt ſalutem æternam quis hominum iam plene conſequatur. Atque iam multorum Theologorum orthodoxorum opinio eſt, hominem in natura corrupta nihil penitus poſſe ad ſupernaturalia, ſiue parum, ſiue multum; imo ex corruptione habere, vt non poſſit niſi malum; & in peccata perpetuo præceps ruat: habereq; illum naturalem malam inclinationem in omne malum, & conſtantem reſiſtentiam omni bono ſupernaturali, ac propterea tanto magis eſſe illi diuinam gratiam neceſſariam. Hucq; adducuntur loca ex ſacra Scriptura innumerabilia, quæ hanc gratiæ neceſſitatem ſiue clare oſtendũt, ſiue innuunt, prout etiam à ſanctis Patribus adducuntur, de quibus inferius. Ex altera tamen parte non deſunt etiam boni Theologi, qui his plane nõ conſentiant, & tantam in humana natura ruinam nolint admittere; quorum ſententia mihi videtur ex Paulo ſatis aperte exponi poſſe, & confirmari.

XIV. Paulus ſane *a Euangelium*, ait, *eſſe virtutem Dei in ſalutem omni credenti, Iudæo primum & Græco* (hoc eſt Gentili) *Iuſtitia enim Dei*, inquit, *in eo (Euangelio) reuelatur ex fide in fidem.*] Vt videlicet tam Iudæus, quam Græcus ex fide Dei veniant per Euangelium in fidẽ Chriſti, qui eſt noſtra iuſtitia. Sic enim, ex fide in fidem interpretatur Chryſoſtomus; *b vt reſpectu Iudæi ſit ex fide legis obſcura, in fidem Euangelii claram.* Cum vero Paulus dicat Euangelium eſſe virtutem, tum Iudæo, tum Græco, id eſt Gentili; & rationẽ aſſignet, quia Euangelium reuelat iuſtitiam ex fide in fidẽ, profecto tam Iudęo, quam Græco fit reuelatio hęc ex fide in fidem, ergo ſecundum Paulum tum Iudæus, tum Græcus, quando veniunt ad Euangelicam iuſtitiam, veniunt ex fide obſcura, in fidem claram, quod de Iudæo affirmabat Chryſoſtomus. Ac merito Paulus appellat fidem, & Iudæi, & Græci, quia licet cognitio Dei ante Euangelium, ſiue per legem & lumen naturæ, ſiue etiam per legem ſcriptam, nihil aliud dicat & includat, niſi puram cognitionem intellectualem, per quam intellectus aſſentitur Deum eſſe, cum quibuſdam attributis, ad quæ lumen etiam naturæ poteſt peruenire, vt quod Deus ſit creator, & gubernator rerum, retributor bonorum & malorum, & ſimilibus: hæc tamen pura intellectualis cognitio fides nondum eſt, neque in Iudæo, neq; in Gentili, quia talem cognitionem dæmo-

a Rom. 1. 16. 17.

b Chryſ. ad Ro. hom. 2.

dæmones quoq; habent, & multi Philoſophi, quæ tamen vere in eis fides nō eſt, donum videlicet Dei ſupernaturale conceſſum; quando tamen ante Euangelium ſiue Iudęus ſuę cognitioni iam dictę, ſiue Gentilis ſuæ addit, ex peculiari diuina gratia, pium voluntatis affectum, vt in Deum cognitum credat, eumq; debite colat, & glorificet, tunc iam in vtroq; erit fides illa, de qua Paulus ait, eos ex fide in fidem per Euangelium venire; Aliud enim eſt ea, quæ de Deo credenda proponuntur percipere, & ijs vt veris theorice aſſentiri; aliud vero illis credere, eaque practice approbare, ſeq; ijs ſubmittere. Sic *a* Nabuchodonoſor, ſic *b* Cyrus Deum eſſe verum Deum agnouerunt, non tamē in Deum crediderunt, neq; Dei fideles fuerunt; quam fidem, licet debilem & obſcuram, etiam Græco id eſt gentili non defuiſſe habemus ſatis clare ex Paulo. Et quoniam maxima pars gentilium maximis erat ſceleribus, Romę pręſertim, contaminata, & Idololatria infecta, iram Dei iuſtam contra eos minatur Paulus ſuſcitandam. Ac ne illi excuſare ſe poſſent, dicentes ſe iniuſte puniendos, quibus Deus ſe non manifeſtauerit, vt fecerat Iudæis, eripit eis hanc excuſationem, & ait, *c Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium:*] Profecto Paulus non loquitur de cognitione Dei naturali, hæc enim non excludit infidelitatem: alioquin fidelis diceretur, qui ex humana philoſophia Deum eſſe agnoſcat. Sic fidelis fuiſſet Ariſtoteles, ſic Plato, ſic tot alij Philoſophi, qui Deum vt primum ens, vt primum motorem, vt primum intelligibile agnouerunt: Loquitur ergo Paulus de cognitione Dei per fidem; *ex fide*, inquit, *in fidem*. Et inexcuſabiles ait illos eſſe, qui Deum agnouerunt, ſed non vt Deum glorificauerunt, neque ei gratias egerunt; at vero Deum glorificare vt Deum quis poteſt ſine fide, & cultu latriæ? & quis gratias agere poteſt Deo niſi is, qui ex gratia Dei ſe Dei notitiam, & Dei glorificandi affectum habere ſciat? Poterant ergo illi & Deum per creaturas agnoſcere, nam & eum vere cognouerunt, vt ait Paulus; & etiam glorificare, & ei gratias agere; nam ſi non potuiſſent, excuſabiles fuiſſent, nec damnandi iure, nec puniendi; at Paulus ait *eos fuiſſe inexcuſabiles, quia potuerunt Deum lumine naturæ iam cognitum glorificare, & ei gratias agere.* Hoc vero profecto non potuerunt ſolis naturæ viribus, poſt amiſſam iuſtitiam originalem, quia ſic integra, & perfecta fides, & conſequenter ſalus illis potuiſſet eſſe per ſolas vires naturales, quod eſt contra ipſum Paulum, & contra plurimas ſcripturas. Supponit ergo Paulus lumini huic naturæ, tanquam reliquiis quibuſdam iuſtitiæ originalis adiumenta gratiæ ex diuina prouidentia, poſtquam Deus naturam humanam lapſam decreuit reparare per Chriſtum, & ſaluare, parata fuiſſe ad obtinendam fidem perfectam ijs omnibus, qui ipſo lumine naturæ & hoc gratiæ adiumento bene vterentur. Propterea grauiſſima illa gentilium peccata, & ipſam eorum Idololatriam [illegible] aſſerit Paulus [illegible] pœnas peccati infidelitatis; quia quem Deum agnouerunt, profecto naturali illo lumine, in quo Pauli verſatur ſermo, non tamen vt Deum coluerunt, licet gratiam illam haberent paratam, qua poſſent credere & glorificare, &c. *Propter quæ*, inquit, *tradidit illos Deus in deſideria cordis, &c. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, &c.--- Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, &c.*] Inſtructio itaque ſufficiens rectæ fidei in Gentilibus, cum auxilio illo diuinæ gratiæ, poterat eſſe ab illo lumine naturali. Propter quam gratiam hoc ipſum lumen naturę multi ſancti Patres vocant gratiam, vt inferius patebit. Traditi itaque ſunt Gentiles in grauiſſima peccata, & in reprobum ſenſum in pœnam peccati, quia Deum agnitum non glorificauerunt. Hoc ergo peccatum non potuit eſſe niſi infidelitatis, potuerunt ergo habere fidem, & noluerunt; & hinc redduntur inexcuſabiles.

XV. Rurſus idem Apoſtolus dum ſimul confert Iudæos & Gentiles, conaturque Iudæos à nimia præſumptione deprimere, ne ſe ſupra Gentiles nimium efferrent, illud maxime contendit, etiam Gentiles habuiſſe, vnde ſaluarentur per fidem, ſicut Iudæi habuerunt legem ſcriptam. *d Tribulatio, & anguſtia*, inquit, *in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci; gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco; Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.*] Quaſi dicat, Ne nimium de accepta lege, Iudæe, glorieris, nam ſi non ſeruaueris legem, quam accepiſti, damnaberis; ſi ſeruaueris, capax eris ſalutis. Atqui nihil tibi diſpar eſt in hoc gentilis; nam ipſe ſi non ſeruauerit legem naturæ, damnabitur: ſi dictamen rationis, & naturæ lumen ſequutus fuerit, ipſe quoque ſalutis capax erit; Nam tam Iudæus quam Græcus, ſi operatur bonum, habebit gloriam, honorem, & pacem. Quæ profecto ſunt præmia ſupernaturalia ad æternam ſalutem accedentia. Et addit Paulus: *Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex. qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, &c.*] Efferebant ſe nimium Romæ Chriſtiani, qui ex Iudæis crediderant, ſupra Chriſtianos, qui ex gentibus. Hanc elationem Paulus vt compeſceret, multa & grauiſſima argumenta attulit, quibus oſtenderet Iudæis, gentes non fuiſſe adeo deſpectas Deo, quin etiam ipſarum gentium Dominus & Saluator eſſet Deus, ne Iudæi ſibi nimium applauderent; ac proinde conſiderauit Paulus lumen naturæ datum fuiſſe à Deo omnibus, & librum creaturæ, qui ſatis eſſe poſſet ad neceſſariam Dei cognitionem; quamuis Iudæis addiderit legem, qui ipſa lege potiſſimum, & Scriptura inſtruebantur in fide; ſed quod lex præſtabat Iudæis, hoc, ait Paulus, lumen naturæ, & creaturæ pulcherrimam diſpoſitionem præſtitiſſe Gentibus, atque in hoc fuiſſe eos ferme æquales: neque poſſe Iudæos ſe ſupra gentes efferre, quaſi ipſis ſolis ſe Deus manifeſtarit. Habebant Iudæi legem ſcriptam in tabulis, habebant gentes legem

a Dan. 3. 33. & 4. 31.
b Iſa. 44. & 45.
c Rom. 1. 19.
d Rom. 2. 9.

legem credendorum, & faciendorum ſcriptam in cordibus, hoc eſt, lumini naturali animæ rationalis impreſſam, & interne in ipſo lumine abſque vllo ſono, vel voce, vel ſcripto externo ſe prodentem. Atq; hoc habere legem ſcriptam in cordibus diuerſum mihi ſenſum habere videtur; ab eo quod alibi
a 2. Cor. 3. 2. 3. dicit Paulus Corinthiis, *a Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati quod Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento ſed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*] Hoc enim ſcribi in corde ſignificat bonum affectum voluntatis bene diſpoſitæ, & paratæ per gratiam Euangelij ad legem Euangelicam exequendam, iuxta
b Hier. 31. 33. promiſſionem illam propheticam, *b Dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam, &c.*] Et hoc futurum erat ſub Chriſto: At vero quæ conſideramus ex Paulo ſpectant ad gentes ante aduentum Chriſti: ſiunt enim parallela cum lege ſcripta Iudæorum, quæ lex ſcripta Iudæorum tempore Euangelij non erat amplius parallela cum Euangelio, ſed plene locum ceſſerat Euangelio. Hæc ergo lex in corde gentilium ante Chriſtum, ſcripta, eſt lex naturæ ipſi naturæ quoad ſolam cognitionem impreſſa, ex gratia tamen illa generali adiuuante naturam in opus quoque exire poterat, ſed in paucis admodum cum effectu, ſicut & Iudæi à lege ſolam cognitionem habebant, non autem vim ſeruandi legem, niſi ex gratia fidei, quę omnibus parata erat,
c Aug. de Spir. & lit. c. 26. ſicut & illa gentibus. Auguſtinus ſcriptionem hãc in cordibus, vbiq; eandem eſſe cenſuit, ac proinde quod ait Paulus Gentes oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, & ipſos ſibi eſſe legem, & naturaliter, quæ legis ſunt facere, id intelligit de gen-
d Proſper cont. Colla. c. 2. tibus ad fidem Chriſti iam conuerſis; quod etiam *d* Proſper contendit; ſed certe vterq; nimis violenter. Eſt enim comparatio inter Iudæos adhuc ſub lege conſtitutos, vt patet manifeſte, & non iam Euangelio credentes; ergo etiam gentes accipiuntur nondum Euangelio credentes; & de illis gentibus loquitur Paulus, ex quibus illi erãt qui Deum cognouerunt per viſibilia mundi, & non per Euangelium, ſed tanquam Deum non glorificauerunt. Ideo et-
e Aug. ibid. c. 2. 3. iam ipſe Auguſtinus *e* aliam addidit interpretationem de gentibus ante ſuſceptum Euangelium conſideratis, de qua nos inferius. Pergit porro Paulus: *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & glorians in Deo, & noſti voluntatem eius. & probas vtiliora inſtructus per legem confidis teipſum eſſe ducem cæcorum ---per præuaricationem legis Deum inhonoras---. Circunciſio quidem prodeſt ſi legem obſerues. ſi autem præuaricator legis ſis Circunciſio tua præputiũ facta eſt. Si igitur præputiũ iuſtitias legis cuſtodiat nonne præputiũ illius in Circunciſionem reputabitur?*] Itaque ſi Gentilis ſuam legem, quam habet in corde ſcriptam, ſeruet, aſſequetur idem beneficium ſuæ animæ, quod aſſequitur bonus Iudæus in Circunciſione. Sed ſicut Iudæus ſine ſuperaddita gratia ſeruare non poterat legem ſcriptam, ita neq; gentilis certe ſine gratia potuit ſeruare legem naturæ; quod tamen Paulus his locis non monuit, ſed tacite ſuppoſuit. Ita ex Paulo ſatis conſtat naturam humanam poſt lapſum, non eſſe penitus, quo ad ſpiritualia, mortuam: *ſed habere legem Dei in corde ſcriptam. & naturaliter ea, quæ legis ſunt poſſe facere.*] Per gratiam nimirum illam generalem, quam ſuperius expoſui, poſt lapſum homini à Deo præparatam; de qua inferius etiam aliqua ſubdam.

XVI. Et hoc eſt lumen illud vultus Domini, quod, ſe-
f Pſ. 4. 7. cundum vulgatam editionem, *f ſignatum eſſe ſuper nos*, ait Pſalmus, in eorum gratiam, qui dicerent, *quis oſtendit nobis bona*: Si etiam ad Hebraicam veritatem legamus, *g Leua ſuper nos lumen vultus tui*; tunc g Vatabli verſio. petemus, vt ad cognoſcenda quæ bona ſunt, in nobis Deus excitet lumen ſui vultus, quod initio impreſſum abunde, iam exiguum aliquod ſuperſit adhuc, poſt ruinas primi peccati. Hæc eſt *h lux illa, quæ* h Ioan. 1. 9. *(adhuc) illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ (adhuc) in tenebris paululum lucet; nõ i enim* i Ioan. 1. 5. *eam tenebræ peccati penitus comprehenderunt.* Huc reſpexit Paulus quando gratias Deo agebat, quod *k* in i- k Gal. 1. 16. pſo Filium ſuum reuelaſſet, vt acute ſane noſter obſeruauit Hieronymus, qui ait, *l Non eſt autem ipſum,* l Hier. in reuelaret filium ſuum in me, *quod ſi diceret*, reuelaret ep. ad Gal. filium ſuum mihi. *Cui enim quid reuelatur, huic illud po-* c. 1. *teſt reuelari, quod ante in eo non erat. In quo vero reuelatur: illud reuelatur quod prius fuit in eo, & poſtea reuelatũ eſt. Simile eſt illud in Euangelio*: Medius in vobis ſtat, quem vos neſcitis. *Et alibi* Erat lux vera, quę illuminat omnem hominem venientem in mundum. *Ex quo perſpicuum fit, naturæ omnibus Dei ineſſe notitiam, nec quemquam ſine Chriſto naſci, & non habere ſemina in ſe ſapientiæ, & iuſtitiæ. reliquarumq; virtutum. Vnde multi abſq; fide, & Euangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſancte: vt parentibus obſequantur, vt inopi manum porrigant: non opprimant vicinos, non aliena diripiant; magiſque iudicio Dei obnoxii fiant, quod habentes in ſe principia virtutum & Dei ſemina, non credunt in eo, ſine quo eſſe non poſſunt.*]

Niniuitæ præterea vel erant fideles, vel non? ſi XVII. non erant fideles, cur ad pœnitentiam ſcelerum à Deo inuitantur per Ionam, & adiuuantur, & veniã conſequuntur? nam certe Ionæ prædicatio nihil de fide egit, ſed tantum de pænitentia; ſi erant fideles non profecto aliunde niſi ex lumine naturæ, cum illo auxilio gratiæ communis, de quo ſupra. Et iuſti ac fideles quicunq; fuerint ſub lege naturę ante legem ſcriptam, puta Iob, aliunde Dei cognitionem non hauſerunt, niſi ex lumine naturæ, & adiuuante gratia, non euanuerunt in cogitationibus ſuis, ſed Deum, vt Deum glorificauerunt, & coluerunt, atq; in eum fidem habuerunt, & ſalui facti ſunt. Quæri ſimiliter & conſequenter poteſt, quod ſi quis nunc vbi Euangelium non eſt prædicatum, neq; vlla de Chriſto habetur notitia lumen naturæ ſequatur, & Deum lumine naturæ cognitum ex gratia illa debite glorificet, neque veritatem Dei in iniuſtitia detineat? damnabitur? Si ante promulgatum Euangelium tales ſaluabantur, cur hic qui in eodem penitus ſtatu eſt, & circa quem nulla eſt facta immutatio, damnabitur? Et ſi damnabitur, certe excuſabilis penitus damnabitur; neq; ei dici poterit quod ſit inexcuſabilis. *m* Dicunt nonnulli Deum aliqua via m Aquin. extraordinaria ei ſubuenturum, ſiue mittendo ali- de verit. q. quem fortaſſe etiam Angelum, qui ei prædicet Eu- 14. ar. 11. ad angelium, ſiue per internam inſpirationem Chri- 1. ſtum ei reuelandum. Vnde id habemus? In Scriptura nulla talis promiſſio. An non Chriſtus eſt Saluator etiam omnium, qui ſaluati ſunt ſub natura, & ſub lege? Quia nimirum, ſaltem virtualiter & implicite fides in Deum miſericordem includit etiam Chriſtum, quia eſt fides in illum Deum, qui Redẽptorem filium deſtinauit ex miſericordia: cur non hic etiã virtualiter & implicite credit in Chriſtum, qui credit in illum Deũ qui iam filium Redemptorem toti generi humano dedit? Cum per dictum nõ ſtet, quominus etiam explicite credat in Chriſtum, ſi aliquid de illo audiret. At ſaltem ſi Deus eſt infallibiliter illi opem extraordinariam porrecturus, ideo eſt porrecturus, quia ille veritatem Dei in iniuſtitia non detinuit, ſed in Deum pro modulo gratię

habitæ

habitæ credidit, vt ita ex fide in fidem tranſeat ex fide obſcura, in fidem clariorem.

XVIII. Tertullianus; *a* *Præmiſit*, inquit, *Deus naturam magiſtram, profecto ad ſpiritualia ſubmiſſurus propheticam, vt facilius crederes Scripturæ, diſcipulus factus naturæ.*] Natura ergo cum illa gratia fuit magiſtra in credendo, quã ſubſecuta eſt Scriptura, vtriuſq; nimirum teſtamẽti: veteris quidem pro ſolis ferme Iudæis: noui vero ꝓ omnibus, tam Iudęis quã Gentilibus. Sed quo Scriptura non peruenit, quid facto opus eſt? Certe Scriptura data Iudęis non eſt data tanquã neceſſaria, vt Scriptura eſt, Gentilibus: quid reſponderet Tertullianus? Reſponderet ſane naturam magiſtram tunc ſatis eſſe, ad proponenda videlicet credenda, & facienda: non tamen ad credendũ & faciendũ: ſicut neq; *b* lex ſufficiebat ad credendum & faciendum, licet ſufficiẽter diceret quid credendũ, quid faciẽdum ſit. Vt infra n. 244. & ſeqq. explicabitur.

a Tertull. de reſurrec. carnis.

b Rom 8. 3. & Heb. 10. 1.

XIX. Docet Athanaſius, Deum humano generi, etiam citra legem ſcriptam, ſufficienter prouidiſſe, vt per lumen illud naturæ ad Dei cognitionem, certe per fidem, poſſet peruenire; *c* *Deus* inquit, *miſertus noſtri generis, quia bonus eſt, non reliquit hominum genus vacuũ, deſtitutumq; ſui intelligentia, ne illis ſua exiſtendi natura inutilis redderetur. Quid enim, quæſo commodi rebus creatis, ſi non cognoſcant ſuum creatorem? Aut quomodo rationales eſſent, ſi non cognoſcant Patris verbũ, cuius opera creati ſunt? Nihil ſiquidem a brutis differrent, ſi nihil magis quã terrena intelligant. Aut cur ita Deus eos condidiſſet ſi ab illis cognoſci non affectabat? Quamobrem ne hoc fieret, cum bonus eſſet, ſuam imaginem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum illis impertitus eſt, creauitq; illos ſecundum ſuam ipſius imaginem, & ſimilitudinem, vt per eam gratiam, imaginẽ nimirum patris rationem agnoſcentes, etiam ad Patris intelligentiam contenderent; quo ita cognito ſuo creatore, vere beatam & felicem viuerent vitam. Verum ſtulti ex negligentia tantæ ipſis impenſa gratia, miris modis ſeſe à Deo auerterunt, menteſque ſuas quaſi luto contaminarunt, vt non ſolummodo in obliuionem venerint cognitionis diuinæ, ſed alia ex aliis ſibi finxerint, creaturam ſupra creatorem venerantes. -- Solus autem Deus, & eius ratio ignorabatur, quanquam ille ſe illis haudquaquam in obſcurum abdidiſſet, quippe qui non ſimpliciter ſui notitiam ipſis dederit, ſed multifariam, multiſque modis explicarit. Gratia enim imaginis ad ſimilitudinem Dei hominibus impreſſa, idonea ſatis fuit, quæ verbi notitiam faceret, idque per verbum Patris. Attamen cum ſciret Deus hominum imbecillitatem, etiam huic negligentiæ remedium prouidit, vt ſi quando negligerent, ex ſui ipſorum intuitu Deum agnoſcere poſſent, ſaltem ex naturæ operibus opificem intelligere.*] Mox oſtendit Athanaſius, legem quoque & Prophetas à Deo fuiſſe datos, vt ex ipſa lege & prophetis lumen illud naturæ adhuc melius iuuaretur, non in Iudæis modo, ſed etiam in Gentibus; Sic enim pergit, *Sed cum paulatim negligentia hominum in peius procederet, rurſum etiam huic infirmitati Deus conſuluit, emittens ad eos legem & prophetas ipſis familiares, vt ſi grauarentur in cælum ſuſpicere, haberent de proximo doctrinam. Homines enim ex hominibus propius addiſcunt quid in rem ſit vtile. Licebat igitur oculis ad cæli magnitudinem ſublatis, ac naturæ ordinem, rerumque inter ſe congruentiam animaduertentibus cognoſcere eius Principem, moderatricemque Patris rationem, quæ ſua in omnia prouidentia Patrem omnibus patefacit, & propterea vniuerſa mouet, vt per ipſum omnes Deum cognoſcere poſſint. Aut ſi illis id graue eſſet, licebat vel ex colloquio ſanctorum ad eam ſcientiam peruenire, vt & omnium opificem Deum Chriſti Patrem cognoſcerent, & inde idolorum cultum intelligerent nullo omnino numine ſubnixum eſſe, & impietate ſcatere. Poterant quoque ex legis inſtitutione à ſceleribus auerti, & vitam ſecundum virtutem viuere. Non enim in Iudæorum gratiam duntaxat lex illa introducta fuit, aut prophetæ ad ſolos Iudæos miſſi, à quibus affligebantur ſed in hoc deſtinati, vt vniuerſi orbis Magiſtri, ac pædagogi eſſent, & pro publica ſchola & ſacroſancta, tam in iis quæ pertinent ad Dei notionem; quam in iis quæ ſpectant ad animæ diſciplinam, haberentur.*] Agnoſcit itaq; Athanaſius & illud lumen naturę, quod imaginem ad ſimilitudinem Dei vocat, eſſe gratiam, & ſufficiens fuiſſe Gentibus ad Deum cognoſcendum, & cognitum colendum; quamuis ex lege quoque & prophetis, per Inſtructionem à Iudæis habendam, potuerint ante Chriſti aduentum plurimum iuuari. Sentit etiam Athanaſius, tantum potuiſſe gentiles de Deo per illud lumen naturę cognoſcere, quãtum potuerunt ab Hebræis diſcere, & ex eorum lege.

c Athan. de incar. verbi.

XX. Non fuiſſe à Deo derelictam humanam naturam poſt lapſum, ſed toti ſubſidium competens ſtatim dediſſe, quo illius imbecillitas iuuaretur, ex occultiore quadam traditione ſic explicat *d* Gregorius Nyſſenus, *vt cuique homini Angelus vnus in adminiculum ſit à Deo aſſignatus, qui bonas ſuggereret cogitationes, & cõtra Diaboli ſuggeſtiones anniteretur.* Sic Areopagita, infra n. 111. Ioannes Chryſoſtomus ita loquitur, *e* *Habet quippe inſitum quẽdam anima pudorem, atq; innatum, quem ſubito calcare, atq; proiicere non poteſt. Sed ſenſim atq; paulatim ex negligentia perit, &c.* Item, *f* *Vides*, inquit, *quod ad virtutem ſemina habeamus à natura, vitium autẽ eſt præter naturam.*] Et loquitur de natura humana iã corrupta. Hieronymus contra Pelagianos decertãs, hæc habet: *g* *Poſſibile præcepit Deus. -- Sed hæc poſſibilia cuncta ſinguli habere non poſſumus; nõ imbecillitate naturæ, ne calumniam facias Deo, ſed animi laſſitudine, &c.*] Qui ergo dicit imbecillitate naturę, etiam nunc poſt lapſum Adami, nos nihil poſſe boni, multo maiorẽm calumniam facit Deo, de mente Hieronymi, quam qui dicit imbecillitate naturę nos non poſſe omnia quæ præcepit Deus. Noſtra ergo imbecillitas nõ eſt ex natura, ſi Hieronymo credimus, ſed ex animi laſſitudine, hoc eſt ex vitium attenuatione, facultate actiua viua permanente adhuc, & non penitus extincta. Eandem ſententiam ſuam ſatis clare explicauit Hieronymus ſupra n. 16. huius cap. Auguſtinus; *h* *Non vſq; adeo*, inquit, *in anima humana imago Dei terrenorum affectuũ labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, vnde merito dici poſſit etiã in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere: ſi hoc eſt quod dictum eſt, quia gentes quæ legem non habẽt, hoc eſt legem Dei, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, & quia huiuſmodi homines ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum opus legis habent in cordibus ſuis, id eſt, nõ omnimodo deletum eſt quod ibi per imaginem Dei cũ crearentur impreſſum eſt; etiam ſic illa differentia non perturbabitur, quæ diſtat à vetere teſtamentum nouum, eo quod per nouum ſcribitur lex Dei in corde fideliũ, quæ per vetus in tabulis ſcripta eſt. Hoc enim illic ſcribitur per renouationem, quod non omnimodo deletum eſt per vetuſtatem. Nam ſicut ipſa imago Dei renouatur in mente credentium per teſtamentum nouum, quam non penitus impietas aboleuerat (nam remanſerat vtiq; id quod anima hominis niſi rationalis eſſe non poteſt) ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per iniuſtitiam, profecto ſcribitur renouata per gratiam.*] Cyrillus Alexandrinus, animæ noſtræ, à Deo, in ipſius creatione, etiam pro ſtatu naturæ iã corruptæ, præclarum lumen infundi cenſet, atque hoc pacto loquitur, *i* *Dicimus Creatorem totius vniuerſi creaſſe hominem, corpus videlicet ex terra, animans autem illud anima viuente, & intellectu prædita, eo modo qui ei cognitus eſt, omnis boni deſiderium ſimul & notitiam ipſi naturaliter indidit. Hoc enim arbitror ſignificare quod per beatum Euangeliſtam Ioannem dictum eſt; k Erat lux vera, quæ*

d Nyſſe. de vita Moyſis.

e Chryſ. in Matt. ho. 87.

f Idem in ep. ad Eph. hom. 4.

g Hie. adu. Pelag. lib. 1.

h Aug. de Spir. & lit. c. 28.

i Cyril adu. Anthropomorph. c. 2.

k Ioan. 1. 9.

illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Naſcitur enim animal naturali ad bonum aptitudine præditum. Atq; hoc aperte nos docet ſapientiſſimus Paulus. a Ephes. 2. 10. a *Quod ipſius ſumus factura, creati in operibus bonis, quæ Deus præparauit vt in iis ambulemus. Gubernatur enim homo libero animi ſui arbitrio, ſuæque ipſius mentis habenæ in eius manu & poteſtate ſunt poſita, vt id quod placitum fuerit, fieri poſſit, ſiue in bonum ſiue in malum. Habet autem natura immiſſam ſibi, atque innatam ad omne boni genus propenſionem, cupiditatemque, & probitatis atque iuſtitiæ ſtudium. Siquidem hominem ita ſecundum imaginem & ſimilitudinem Dei factum dicimus, quatenus natura comparatum eſt animal bonum, & iuſtum eſſe.*] Pergitque oſtendere, quod & Auguſtinus ſupra, & multi Patres faciunt, imaginem Dei per peccatum Adami non eſſe penitus obliteratam, deturpatam tamen plurimum omnes fatentur. Soluto enim aureo illo vinculo, quo appetitus inferior in homine penitus ſubdebatur rationi, ſequuta eſt rebellio, & appetitus ſenſitiui tyrannis in Reginam rationem inualuit, vt propterea, niſi Deus ſua gratia denuo ſuppleat, libere, & non ex neceſſitate in malum ruat voluntas noſtra, & bonum nouerit quidem, ſed auerſetur, quod inferius ſuo loco magis explicabitur. Proſper quoque aperte fatetur, ex hoc naturæ inſito lumine potuiſſe, & debuiſſe Gẽtiles ad Dei cognitionẽ, & ad ſalutem neceſſariam peruenire; ipſumque diuinam eſſe gratiam agnoſcit. b Proſper de vocat. Gent. lib. 1. c. 2 b *Cum enim, inquit, non ſolum ad inſtituta vtiliſſimarum artium, & doctrinas liberalium diſciplinarum, ſed etiam ad inquiſitionem ſummi boni aciem intenderint, & inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexerint, non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe huius facultatis autorem,* c Rom. 1. 22. c *ſed dicentes ſe eſſe ſapientes, hoc eſt non in Deo ſed in ſemetipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudiis atque rationibus propinquaſſent, euanuerunt in cogitationibus ſuis. Et quod illuminante Dei gratia inuenerant, obcæcante ſuperbia perdiderunt, relapſi à ſuperna luce ad tenebras ſuas, hoc eſt ab incommutabili atque æterno bono, ad mutabilem corruptibilemque naturam.*] d Ibid. l. 2. c. 2. Habet & illud; d *Cælum quippe ac terra & mare, omniſq; creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipue diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum ad cultum & dilectionem ſui imbueretur autoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur & ſumus; &c.*] Vbi Proſper ſentire videtur Gratiam diuinam eſſe quod per naturæ lumen poſſit homo ex creaturarum contemplatione ad creatorem peruenire, & talem gratiam non fuiſſe Gentilibus ſubtractam. e Beda lib. varia quæſt. q. 13. to. 8. Beda denique, e *Hoc velle, inquit, & hoc bonum deprauauit homo peccando, & quaſi extinxit; non tamen omnino, quia ſemper remanſit in eo aliqua ſcintilla boni.*]

XXI. Summa igitur illa corruptio naturæ humanæ, cum totali tum propenſione ad malum, tum repugnantia ad bonum, ex his quę attuli non videtur admittenda. At vero ſummam imbecillitatem ad bonum negare non poſſum; & tantam, vt niſi gratia ſuperaddatur naturę, impoſſibile ſit homini ſoli naturæ relicto, velle, ne dum operari bonum ſpirituale. Iacent n. proſtratæ vires, quę niſi corroborẽtur gratia, nihil penitus in bono poſſint, ad malũ vero ſint validiſſimę. Penitus tamen ad bonum mortuas nũquã dixerim; ſed extenuatas, & proſtratas; eſt enim in homine naturaliter inclinatio aliqua ad bonum, ſed ad exequendam inclinationem non ſufficiunt vires naturales. f Rom. 7. 18. f *Velle adiacet mihi.*] Hæc eſt inclinatio & propenſio naturalis ad bonum; *Perficere autem bonum non inuenio.*] Hæc eſt imbecillitas, & viriũ defectus. *Non enim quod volo bonũ.*] Ex naturali inclinatione: *hoc facio; ſed quod* ex eadẽ naturali inclinatione *nolo malum, hoc,* propter defectum virium ad bonũ naturalibus viribus *ago.* g *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem* g Rom. 7. 22. ſecundum quod propenſio naturalis ad bonũ inclinat, & rationalis animæ iudicium dictat. *Video autem aliam legem — captiuantem me in lege peccati.*] Quia viribus ad bonum, ad quod naturaliter propendeo exequendum (niſi gratia adſit) ſum deſtitutus. Inclinatio ergo ad bonum ſpirituale naturam adhuc viuam eſſe oſtendit, actio vero mala defectum virium ſpiritualium arguit. Atque hinc iam ſequitur ſumma gratiæ neceſſitas, quæ mihi eſt bene ſtabilienda.

Neceſſitatem gratiæ ex innumeris pene ſacræ XXII. Scripturæ dictis facile eſt colligere. Iacob in ſua oratione ſic loquitur, h *Si fuerit Dominus Deus mecum* h Gen. 28. 20. *& cuſtodierit me in via — dederit mihi panem, &c.* Nunquid dixit, ait i Hieronymus. *Si liberum arbitrium* i Hier. adu. Pelag. lib. 3. *conſeruauero, & cibum & veſtimentum meo labore quæſiero, & reuertero in domum patris mei: Omnia dat Domini voluntas vt mereatur accipere quod precatur.*] Et eidem Iacobo, Deus ait. k *Noli timere deſcendere in* k Genes. 46. 3. *Ægyptum. In gentem enim magnam faciam te ibi. — Vbi hic eſt liberi arbitrii poteſtas?* inquit, ibidem Hieronymus *an non totum — Dei patris mei in auxilio?*] Affert & ſequentia loca Hieronymus, oculi mei ſemper ad Dominum quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. *Pſalm.* 24. 15. Non eſt in homine via eius. *Hierem.* 10. 23. Vt non quæ volumus illa faciamus. *Galat.* 5. 17. Si Dominus voluerit, &c. *Iacobi* 4 15. Pater operatur & ego operor. *Ioan.* 5. 17. Deus operatur in nobis velle & perficere. *Philip.* 2. 13. Quid habes quod non accepiſti? 1. *Corinth.* 4. 7. Quid gloriatur terra & cinis? *Eccleſiaſt.* 10 9. Video aliam legem, &c. *Roman.* 7. 23. Non quod volo hoc operor. *Roman.* 7. 19 Gratia ſalui facti eſtis. *Epheſ.* 2. 8. Vigilate, & orate. *Matth.* 26. 41. Niſi Dominus ædificauerit domum, &c. *Pſ.* 126. 1. Hæc Hieronymus loca tractat cõtra Pelagium pro neceſſitate gratiæ in Epiſtola ad Cteſiphontem. In dialogis vero contra Pelagianos præcipua loca ſunt. Non eſt volentis neque currentis, &c. Rom. 9. 16. A Domino greſſus hominis dirigentur. *Pſal.* 36. 23. Non eſt in homine via eius. Hierem. 10. 23. Niſi datum fuerit deſuper. Ioa. 3. 27. Non vt faciam voluntatem meam, &c. Ioan. 6. 38. Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matth. 26. 39. Fiat voluntas tua. Matth. 6. 10. Neque qui rigat, neque qui plantat, &c. 1. Corinth. 3. 7. Veniam ad vos ſi Dominus voluerit. Roman. 15. 32. Gratia Dei ſum id quod ſum. 1. Corinth. 15. 10. Non ego ſed gratia Dei mecum. Ibidem. Sufficientia noſtra ex Deo. 2 Cor. 3. 5. Oportet ſemper orare Luc. 18. 1. Ego rogaui pro te. L. 22. 32. Orate vt non intretis in tentationem. *Luc.* 22. 40. In voluntate tuã præſtitiſti decori meo virtutem. *Pſ.* 29. 8. Auertiſti faciem tuam à me. *Pſa.* 87. 15. Perfecta eras in decore meo. *Ezech.* 16. 14. Si Æthiops mutauerit pellem, &c. *Hier.* 13. 23. Ego plantabo eos, &c. *Hierem.* 24. 6. De ſtercore eleuat pauperem. *Pſ.* 112. 7 Eſto confidens in Dominum. *Prou.* 3. 5. Deuolue ſuper Dominum, &c. *Prou.* 16. 3. Qui gloriatur in Domino glorietur. 2. *Cor.* 10. 17. Qui manet in me hic fert fructum. *Ioan.* 15. 5. Nemo poteſt venire ad me, &c *Ioan.* 6. 44. Saluos nos fac, &c. *Matth* 8. 25. Indurabo cor Pharaonis. *Exod.* 4. 21. Dabo vobis cor carneum. *Ezech.* 11. 19. Auguſtinus vero ſparſim in ſuis libris contra Pelagianos pro neceſſitate gratiæ tractãt multa ex his locis, & præterea illa, vt videntes nõ videant. *Iſa.* 6. 10. & *Lu.* 8. 10.

8.10. Figulus ex eadem maſſa, &c. Rom.9.21. Apud te eſt fons vitæ. Pſ. 35.10. De plenitudine eius accepimus. Ioan. 1.16. Iuſtitia Dei manifeſtata eſt. Rom. 1. 17. Niſi Deus det & hoc ipſum. Sap. 8.21. Omne datum optimum deſurſum eſt. Iacob 1. 7. Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Pſal. 31.2. Miſericordia eius præueniet me. Pſal. 58. 11. A Domino greſſus hominis dirigentur. Pſal. 36.23. In me magnificabant Deum. Gal. 1. 24. Et multa alia. Et Bernardus in ſuo libro de gratia, & libero arbitrio præter multa ex his illum quoque locum vrget, Transformamur à Domini Spiritu, &c. 2. Cor. 3. 18. Sic alij.

XXIII. Patres quoque antiqui Gratiæ neceſſitatem & agnouerunt & prædicarunt. a Tertullianus. *Non dabit, inquit, arbor mala bonos fructus, ſi non inſeratur, & malos dabit, ſi non colatur, & lapides filij Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur, & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, ſi venena malignitatis exputrint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ potentior vtique natura habens in nobis ſubiacentem ſibi liberam arbitrij poteſtatem.*] b Origenes, *Non ſufficit, ait, ad perficiendam ſalutem ſola voluntas humana, nec idoneus eſt mortalis curſus ad conſequenda cæleſtia, & ad capiendam palmam ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto Ieſu, niſi hæc ipſa voluntas noſtra bona, promptumque propoſitum, & quæcunque illa in nobis eſſe poteſt induſtria, diuino vel iuuetur, vel muniatur auxilio.*] Habet & illud idem Origenes, quem poſtea ſecutus eſt c Auguſtinus, d *Vnde Apoſtolus in alio loco, e Stipendia, inquit, peccati mors: Et non addit vt ſimiliter diceret, Stipendia autem iuſtitiæ vita æterna; ſed ait, Gratia autem Dei vita æterna, vt Stipendium quod vtique debito & mercedi ſimile eſt retributionem pœnæ eſſe doceret & mortis; vitam vero æternam ſoli gratiæ conſignaret.*] Item, f *vix mihi ſuadeo, quod poſſit vllum opus eſſe, quod ex debito remunerationem Dei depoſcat; cum etiam hoc ipſum quod agere aliquid poſſumus, vel cogitare, vel proloqui, ipſius dono, & largitione faciamus: quod ergo erit debitum illius cuius gratia nos præceſſit?*] Cyprianus ad Donatum ita ſcribit. g *Scis ipſe, nec prædico, in proprias laudes odioſa iactatio eſt: quamuis non iactatum poſſit eſſe, ſed gratum, quicquid non virtuti hominis adſcribitur, ſed de Dei munere prædicatur, vt iam non peccare eſſe cœperit fidei, quod ante peccatum eſt fuit erroris humani. Dei eſt, inquam, Dei omne quod poſſumus, inde viuimus, inde pollemus, inde ſumpto, & vigore concepto, hic adhuc poſiti futurorum indicia prænoſcimus. Sit tantum timor innocentiæ cuſtos, vt Dominus, qui in mentes noſtras indulgentiæ cæleſtis allapſu clementer influxit, in animi oblectantis hoſpitio iuxta operatione teneatur: ne accepta ſecuritas indulgentiam pariat, & vetus denuo hoſtis obrepat.*] Item; h *Quis non conſtanter mortem excipiat, complaciturus eius oculis, qui nos in congreſſione nominis ſui deſuper ſpectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione pietatis paternæ remunerans in nobis quicquid ipſe praſtitit, & honorans quod ipſe perfecit? ipſius enim eſſe quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam ſubacto aduerſario peruenimus.* Eiuſdem etiam ſunt illa verba, i *In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit; In Euangelio κατὰ Ioannem, Nemo poteſt quicquam accipere niſi datum fuerit illi de cælo.*] Proferreque alia loca 1. Cor. 1. 1. Reg. 2. 2. Machab. 1. 1. Machab. 2. Baſilius hoc pacto ſcribit, k *Qui vero verbo Dei non ſunt exculti, at fruſtra inflati, ii per proprium liberum arbitrium occaſiones, ac impetus peccati ſe abolere putant; cum per ſolum crucis myſterium peccatum aboleatur. Nam quod in hominis poteſtate ſitum eſt liberum arbitrium, in eligendo, aut non eligendo, vt diabolo reſiſtat, ſitum eſt, non in eo quod poſſit penitus robur habere contra affectus. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, aut ædificauerit domum, fruſtra vigilat qui cuſtodit, & laborat qui ædificat. Impoſſibile eſt enim ambulare l ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem & draconem, niſi prius quis expurget ſeipſum, quantum eius per hominem fieri poteſt, & vim accipiat ab eo qui Apoſtolis dixit, ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, &c. Siquidem enim humana natura ſtare poſſet extra ſancti Spiritus armaturam aduerſus diaboli inſidias, non vtiq; dictum eſſet ab Apoſtolo. m Deus autem pacis conteret Sathanam ſub pedes veſtros breui. Et rurſus. n Quem Dominus Ieſus tollet Spiritu oris ſui. Quapropter etiam præceptum eſt nobis rogare Dominum o vt ne deueniamus in tentationem, ſed liberet nos à malo. Niſi enim per potentius auxilium ab ignitis aduerſarii iaculis liberati, digni facti fuerimus adoptione in filios, fruſtra omnia molimur, velut procul à potentia crucis exiſtentes.*] Chryſoſtomus neceſſitatem gratiæ & agnouit, & confeſſus eſt. p *Quemadmodum Pharao, inquit, vas iræ effectus eſt à ſua iniquitate, ita & hi vaſa miſericordiæ à ſua probitate, gratoq; erga Deum animo. Quanquam enim quod plus eſt, in re ipſius Dei eſt, tamen & ipſi etiam paruulum quiddã attulerunt: quapropter non dixit vaſa recte factorum, neq; vaſa fiduciæ, ſed vaſa miſericordiæ, oſtendens rem totam Dei eſſe; nam illud, Neq; volentis, neq; currentis, etſi in obiectionis ordine, ac loco dictum eſt; tamen à Paulo dictum nullam affert dubitationem. Cum enim dicit. Non volentis neq; currentis, libertatem non tollit, ſed oſtendit rem totam non illius eſſe, ſed ſuperna indigere gratia; opus eſt enim & velle, & currere, confidere autem non propriis laboribus, ſed Dei benignitati; quod & alibi ait. Non ego autem ſed Dei gratia quæ mecum eſt.*] Et ad ferendas vincendaſq; tentationes nobis Dei auxilium eſſe neceſſarium q affirmat idem.] Et poſtea alia loca ex Chryſoſtomo afferemus, in quibus ille gratiæ neceſſitatem ſummam agnoſcit & confitetur. Cyrillus Alexandrinus r Lothi ereptionem conſiderans, vbi Angeli manibus etiã raptum abducunt, illud habet, ſ *Id porro eſſe argumento euidentiſſimo poteſt nos non verbis tantum, & admonitionibus in animum immiſſis incitari, vt à peccatis recedamus, ſed etiam ad eam erga nos benignitatem deſcendere omnium Saluatorem Deum, vt efficaci nos auxilio iuuet, iuxta illud,* t Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntatẽ tua deduxiſti me. *Nam quia hominis natura non eſt admodum firma, neq; ſatis virium habet, vt emergere à vitiis poſſit, opem illi fert in ea re Deus. itaq; duplicem gratiam tribuere cognoſcitur, nam & monitis ſuadet, & adiuuandi rationes inuenit, eaſq; præſtiti malo, vimq; nobis afferente valentiores efficit.*] Quantum vero gratiæ neceſſitatem exaggerent Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, & alij, qui contra Pelagianos, & Semipelagianos ſcripſerunt, ex eorum ſcriptis eſt notiſſimum. Et nos inferius Antiquos Patres cum libero arbitrio gratiam coniungentes, multos proferemus.

XXIV. Pugnandum fuit primis illis ſanctis Patribus cõtra Philoſophos ſectæ Stoicæ, & contra Mathematicos Fatum extruentes, & diuinam prouidentiam, ſimul atq; humanum liberum arbitriũ negantes, & deſtruentes, fataliq; neceſſitati omnia tribuentes. Illi itaq; ſancti Patres, vt liberũ arbitrium adeo ab his depreſſum vindicarent, in eo extollendo, & cõfirmando ſatis laborarunt: Abolitus eſt Eccleſię hoſtis, Manes, cum ſua peſtifera ſecta Manichæorum, qui naturas in hominibus duas diſtinctas à duobus diſtinctis principiis emanantes, ſeorſim u bonas, ſeorſim malas aſtruebant, ita vt probi homines ex natura ipſa ſua bona non poſſent niſi bonum facere; mali vero ſimiliter ex ſua mala natura malum; ex qua hæreſi rurſum liberum hominis arbitrium tollebatur. Atq; hoc ipſum liberum arbitrium vt ſtabiliretur, Patres priſci acrius decertarunt, ac ſæpe admodum magnifice de ipſo loquuntur; & de neceſſitate gratiæ, qua illud indiget, non fuerunt admodũ

a Tertull. de anima cap. 10.
b Orig. l. 3. de principiis c. 1.
c Aug. de grat. & lib. arb. ad Val. c. 9.
d Idem in epiſt. ad Rom. l. 4. c. 4.
e Rom. 6. 23.
f Orig. vbi ſup.
g Cyp. l. 1. ep. 1.
h Idem l. 3. ep. 15.
i Idem in teſtim. l. 3. ad Quirin. num. 4.
k Baſil. ſer. de lib. arb.
l Pſ. 90. 13.
m Rom. 16. 20.
n 2. Theſſ. 2. 8.
o Matt. 6. 13.
p Chryſ. in ep. ad Ro. hom. 16.
q Idem in 1. Cor. hom. 24.
r Gen. 19. 16.
ſ Cyrill. de adorat. in Spir. & ver. lib. 1.
t Pſ. 72. 24.
u Orig. in præfat. in Epiſt. ad Rom. & li. 1. c. 1. & l. 2. c. 2.

ſoliciti:non enim ſemper ipſi libero arbitrio apponunt ſociam, ſeu ducem diuinam gratiam, & adiutricem; non tamen propterea illi vnquam liberum arbitrium de ſe, & ex propriis viribus ad bonũ ſpirituale ſufficiens putarunt, vt immerito aliqui Theologi recentiores, nimiſque audacter non vereantũr veteres ipſos Patres, præſertim Græcos, Pelagianos facere: neceſſariã enim eſſe gratiam, & in ſacra Scriptura clariſſime videbant, & id vt per ſe notum ſupponebant, & aliquando apertiſſimĩs verbis, vt nũc vidimus, fatebantur, & ſum: nam imbecillitatem ad bonum noſtri liberi arbitrij, ex naturę corruptione, plane agnoſcebant; quod, vbi ad ſingulos deſcendemus inferius, ſatis patebit.

XXV. Pelagius itaq; cum ex Philoſophia naturali, tum ex hiſce Patrum encomiis male intellectis, & aliquibus Scripturæ locis apparentibus deceptus, ita cæpit liberum noſtrum arbitriũ extollere, vt expreſſe diuinę gratię plurimum derogaret; quod illi Patres nunquam fecerunt, ſed tacite, vt plurimum, ſuppoſita in ipſorum mente gratia, & nunquam negata, ſæpe vero expreſſa, liberum arbitrium tuebantur. Pelagij itaque errores fuerunt, quod cenſeret, & doceret vt refert Auguſtinus. *Quod a Adam ſiue peccaret, ſiue nõ peccaret, moriturus eſſet; & quod peccatum eius ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum: & quod infantes nuper nati in illo ſtatu ſint in quo Adam fuit ante prauaricationem; & quod neque per mortem vel prauaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per reſurrectionem Chriſti omne genus humanum reſurgat: & infantes etiam ſi non baptizentur, habere vitam æternam; & diuites baptizatos, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei: & gratiam Dei, atque adiutorium non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege atque doctrina: & Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari; & filios Dei non poſſe vocari, niſi omnino abſque peccato fuerint effecti; & non eſſe liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, vel non facere; & victoriam noſtram non ex Dei adiutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio: & quod pœnitentibus venia non detur ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum & laborem eorum qui per pœnitentiam digni fuerint miſericordia.*]

a Aug. ep. 106.

Ac rurſus de Pelagio. b *Non in lege tantummodo*, inquit, *gratiam confitebatur, ſed etiam illud addebat; Adiuuat enim nos Deus per doctrinam, & reuelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat.* Deinde ſententiam ſuam quadam velut abſolutione concludens, *Qui hoc dicit*, inquit, *gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur? In his omnibus non receſſit à commendatione legis atque doctrinæ, hanc eſſe adiuuantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens quod propoſuerat cum diceret. Sed in Dei eſſe adiutorio confitemur. Denique Dei adiutorium multipliciter inſinuandum putauit. Commemorando doctrinam & reuelationem, & oculorum cordis adapertionem, & demonſtrationem futurorum, & apertionem diabolicarum inſidiarum, & multiformem, & ineffabilem dono gratiæ cæleſtis illuminationem, ad hoc vtique vt diuina præcepta & promiſſa diſcamus. Hoc eſt ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.*] Sed in his optime & merito confutatur ab Auguſtino. Nobis autem ſeruiant iſta, vt obuerſentur nobis ante oculos in hoc toto tractatu ſcopuli iſti Pelagianæ hæreſis, quos diligenter cauere & euitare debeamus.

b Aug. lib. 2. de Grat. Chriſ. con. Pelag. c. 7.

XXVI. Doctrina vero ſana, & Catholica Pelagio contraria, prout in Concilio Mileuitano tractata, & definita eſt, & aliquot canonibus comprehenſa ſub his canonum titulis continetur. 1. c *Quod errent dicentes etiam ſine peccato mori potuiſſe Adam. 2. Quod iuxta Apoſtoli teſtimonium, etiam paruuli, qui nihil peccati adhuc commiſerunt, omnes in peccatorum remiſſione veraciter baptizentur. 3. Quod gratia Dei non ſolum peccata dimittit, ſed etiam adiuuat ne committantur. 4. Quod per gratiam Dei ſciamus quid facere debeamus, & diligere vt faciamus. 5. Quod gratia Dei præſtet vt lex impleatur; non (ſicut ait Pelagius) facile, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri. 6. Quod iuxta ſententiam Ioannis Euangeliſtæ, nemo ſit, qui eſſe poſſit ſine peccato. 7. Quod vnicuique etiam iuſto, non ſolum pro aliis, ſed & pro ſemetipſo dicere oporteat, Dimitte nobis debita noſtra. 8. Quod à ſanctis veraciter dicitur: dimitte nobis debita noſtra.*] Eadem ferme capita tractatã ſunt etiam in Concilio Africano contra Pelagium, & Cæleſtium ſub Bonifacio primo.

c Concil. Mileuit. ſub Inno. 1.

XXVII. In Cæleſtini Romani Pontificis quadam Decretali hæc capita habentur. Quæ ſunt potius d Proſperi, quàm Cæleſtini. 1. e *Quod Adam omnes homines læſerit, nec quenquam niſi Chriſti gratia poſſe ſaluari. 2. Quod nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione eius qui ſolus bonus eſt. 3. Quod niſi gratia Dei continua iuuemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus. 4. Quod per Chriſtum libero bene vtamur arbitrio. 5. Quod omnia ſanctorum merita dona ſint Dei. 6. Quod omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit. 7. Quod gratia Dei non ſolum peccata dimittat, ſed etiam adiuuet ne committantur, & præſtet vt lex impleatur, non ſicut ait Pelagius, facile, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri. 8. Quod ſedis Apoſtolicæ omnes orationes Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur. 9. Quod gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cum exorciſmis & exufflationibus Spiritus ab iis abiguntur immundi. 10. Quod profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus adſerendæ.*] In Concilio quoque Epheſino œcumenico Cæleſtius Pelagianus, eiuſque ſententia damnata eſt his verbis. f *Si Metropolitanus prouinciæ defecit à ſancto generali Concilio, & adiunxit ſe Apoſtatarum cœtui, vel in poſterum ſe adiunxerit, aut cum Cæleſtio ſenſit, aut in illius ſententiam tranſierit, is contra Epiſcopos prouinciæ nullo modo aliquid agere efficereue poteſt, &c.*] g Deponuntur quoq; qui Neſtorij Cæleſtijue ſequuntur opiniones.

d Proſp. cont Coll. e Cæleſt. ep. 8. to 1. epiſt. Rom. Pont.

f Concil. Epheſ. can. 1.

g Ibid. can. 4.

XXVIII. Vnico breui compendio totam hæreſim Pelagianam comprehendit Auguſtinus; Eam enim ad tres duntaxat articulos reduxit: h *Tria ſunt, vt ſcitis*, inquit, *quæ maxime aduerſus eos Catholica defendit Eccleſia: Quorum eſt vnum, Gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari; quoniam Dei dona ſunt. — Alterum eſt, in quantacunque iuſtitia, ſine qualibuſcunque peccatis, in hoc corruptibili corpore neminem viuere. Tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione ſoluatur.*]

h Aug. de bono perſeu. c. 2.

XXIX. Poſt compreſſos Pelagianos cum multi doctrinæ Auguſtini non poſſent aſſentiri, illi nimirum, qui eam in altero extremo ſitam putarent, & liberum arbitrium ea tolli cenſerent, obmurmurabant contra Auguſtinum, eique plura obiiciebant. Atque hi ſane plures ex Pelagij propoſitionibus, ſed non omnes damnabant, & gratiæ neceſſitatem tantam aſtruebant, quanta liberum arbitriũ in homine non extingueret, & hi vocati ſunt reliquiæ Pelagianorum, ſeu Semipelagiani. Adhuc enim videbantur aliquas Pelagianorum ſententias fouere,

ſouere, licet eas aliqua gratiæ admiſſione obtegerent. Contra eos & ipſe Auguſtinus dũ vixit, & poſt eum Proſper ſatis decertarunt. In quo vero illi adhuc errarent, & ſanam doctrinam de gratia non plene tenerent, ex Arauſicano Concilio, quod contra eos ſub Leone primo Romano Pontifice celebratũ eſt, ſatis videtur mihi poſſe colligi. Vt igitur horum etiam errores, ſeu reliquias errorum vitãdas cognoſcamus, capita eiuſdem Concilij ſumatim recẽſebo.

a Concil. Arauſic.

1. a *Homo per Adæ præuaricationem non in corpore tantum, ſed etiam in anima in deterius eſt commutatus, neq; libertas anima illæſa permanſit.*

2. *Adæ præuaricatio, & ipſi, & toti propagini nocuit, peccatumq; in omnes pertranſiit.*

3. *Gratiam diuinam inuocare ſine gratia non poſſumus.*

4. *Vt à peccato purgemur, Deus non expectat noſtram voluntatem, ſed vt velimus, ipſe ſuo ſancto Spiritu efficit, per gratiam præuenientem, vt infra cap. 14. & 23. & 25.*

5. *Initium & augmentum fidei ad regenerationem & iuſtificationem non habemus ex naturaliter nobis inſitis, ſed ex dono gratiæ, & ſancti Spiritus.*

6. *Credere velle, conari, vigilare, laborare, quærere, pulſare, &c. nobis ſine gratia non confertur, ſed id à dono Spiritus ſancti habemus.*

7. *Bonum ad ſalutem per naturæ vigorem, abſq; illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, neq; cogitare, neq; eligere quis poteſt, neq; Euangelio conſentire.*

8. *Error in fide eſt aſſerere, alios miſericordia, alios per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi poſſe venire, liberumue arbitrium non omnium poſt peccatum primi hominis eſſe infirmatum, ac læſum.*

9. *Diuini eſt muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum vt operemur operatur.*

10. *Adiutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis ad perſeuerandum eſt neceſſarium.*

11. *Nemo rectè Domino vouerit, niſi ab ipſo acceperit.*

12. *Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.*

13. *Arbitrium infirmatum, non niſi per gratiam reparatur.*

14. *Dei tantummodo miſericordia præueniente à quacunque miſeria liberamur.*

15. *Per iniquitatem, Adam mutatus eſt in peius, per gratiam fidelis mutatur in melius.*

16. *Quicquid boni habemus, à Deo habemus, & accipimus.*

17. *Fortitudo noſtra ex Dei charitate per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis nullis meritis gratiam præuenientibus.*

18. *Debetur merces de bonis operibus ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur, præcedit vt fiant.*

19. *Nemo niſi Deo miſerante ſaluatur.*

20. *Nihil boni homo poteſt ſine Deo.*

21. *Lex ſine gratia non iuſtificat, neq; natura.*

22. *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum; veritas & iuſtitia à fonte diuino.*

23. *Sua voluntate homines faciunt contra Deum. Quando autem ita faciunt quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illorum tamen voluntas eſt à quo præparatur, & iuuatur, quod volunt.*

24. *Ita ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed inde accipiant vnde viuant.*

25. *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Et per peccatum primi hominis ita attenuatum eſt liberum arbitrium, vt Deum diligere, credere in Deum, aut bonum operari propter Deum, niſi gratia ipſum & miſericordia diuina præuenerit, non poſſit, & gratiam non in libero arbitrio habemus, ſed ex Chriſti largitate illa confertur.*

26. *Omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, poſſunt quæ ad ſalutem pertinent, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.*

Ad malum nemo diuina poteſtate prædeſtinatus eſt. In omni opere bono Deus nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui inſpirat.] Iam ergo ſatis intelligimus, quid ſit de neceſſitate gratiæ ſentiendum. Non deſunt quidem adhuc aliquæ difficultates, quæ in ſequentibus commodius explicabuntur.

Qvæstio secvnda. An gratia mouens hominem ad fidem, & adiuuans ad omne opus bonum ſupernaturale, ita eum moueat & iuuet, vt ipſi ſoli gratiæ, & fides tota, & opus bonum totũ, nihil vero libero arbitrio debeatur. In hoc conſiſtit neruus totius difficultatis, in hoc ſudarunt ingenia plurimorum, hæc fuit iam inde à temporibus Auguſtini petra ſcandali, & lapis offenſionis. Hic iam inter Scyllam & Charybdim eſt cum ingenti periculo nauigandum. Hic Pelagiani vt libertatem arbitrij ſeruarent, & extollerent, naufragium fidei fecerunt: hic alij, vt Dei gratiam ſacram ſibi facerent anchoram; liberum arbitrium ad ſupernaturalia, præſertim ad primam fidem & iuſtificationem, penitus ſuſtulerunt, merito ne, an immerito, examen in ſequentibus à me ponendum indicabit. Certe Patres omnes tam Græci, quam Latini, nullo excepto, pro libero arbitrio ſemper ſerio pugnarunt; & nullus eorum vnquam auſus eſt, adeo gratiam diuinam attollere, vt liberum arbitrium in vlla humana actione, in homine viatore, qui adultus ſaluetur, abnegarint, aut ablegarint. Auguſtinus profecto inter propoſitiones diuina fide credendas proponit illam: b *Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, ſua id facere voluntate, ac libero arbitrio.*] Neq; ab hac ſententia Auguſtini longe abfuit Autor Hypognoſtici, dum ait, c *Ipſum igitur liberum arbitrium hominibus eſſe, certa fide credimus, & prædicamus indubitanter.*] Item, d *Eſt igitur liberum arbitrium quod quiſquis eſſe negauerit, Catholicus nõ eſt.*] e Ex ſcripturis profecto liberum arbitriũ & confirmari aſſerit ipſe Auguſtinus, & factis deductionibus id nititur cõprobare. Difficultatem tamẽ grauiſſimã ſæpe idem expertus eſt Auguſtinus, & eã aperte fatebatur, ita Gratiam, & liberũ arbitriũ tueri, vt hæc ſe inuicẽ non lædant. f *Ipſa* inquit, *ratio, quæ de ijs rebus à talibus quales ſumus, iniri poteſt, quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rurſus ne liberum ſic aſſeramus arbitriũ, vt ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.*] Ac iterum, g *Sed quia,* inquit, *iſta quæſtio, vbi de arbitrio volũtatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitriũ putetur auferri. &c.*] Idem habet iterum lib. 4. c. 8. & initio libri de gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & Epiſt. 46. & 47. & aliis locis. Hæc tamẽ ſunt à nobis in hac quæſtione diligentius excutienda.

b Aug. ep. 107.
c Idem Hypogn. con. Pelag. l. 3.
d Ibid.
e Aug. de Gra. & lib. arb. c. 2.
f Aug. de pecc. mer. & remiſ. li. 2. c. 18.
g Idem de gratia Chriſti contra Pelag. l. 1. c. 47.

XXX. (beside Qvæstio secvnda)

Qui noſtris temporibus liberum arbitrium, ſeu potius vſum liberi arbitrij in prima fidei aſſecutione, & in renaſcendo, homini auferunt, ijſdem ſe niti rationibus profitentur; quibus perfectum gratiæ Dei opus & Auguſtinus; & Auguſtini diſcipuli, ac ſequaces, ſiue veteres ſiue recentiores viſi ſunt defendiſſe. Vbi igitur nos has ipſas diuinæ gratiæ motiones, effectuſq; conſiderandos in vtranq; partem propoſuerimus, ac liberi arbitrij concurſum exami- XXXI.

 nandum

nandum pro vtraq; parte ſumpſerimus, inde facile erit cuiq; colligere, ſitne relinquendum homini intactum ſuum liberum arbitrium in hac prima fidei & iuſtificationis cõſecutione; & in bonis operibus ſpiritualibus peragendis; an vero ipſum arbitrium liberum ſit in his valere iubendum; an potius etiam in his opitandi libertas ſit relinquenda.

XXXII. Ante omnia porro propono conſiderandum, vt certum & indubitatum apud omnes nõ modo philoſophos, ſed etiam Theologos poni, omnem actũ, volendi aut nolendi, hoc eſt, ſeu proſecutionis, ſeu fugæ, in adulto habente vſum rationis, eſſe actum ipſius voluntatis humanæ, ſpontaneum, & ab ipſa voluntate elicitum, ac nulla ratione poſſe eſſe coactum. Homo enim eſt ille qui vult, cuius velle eſt actus vitalis: & ipſa voluntas nunquam vult inuita, neq; poteſt velle aut nolle inuite; ſi enim eſt inuita non vult, at velle & non velle ſimul, eſt impoſſibile, vnde neque à Deo in hoc ſenſu cogi poteſt. Si ergo vult, aut non vult, ipſa eſt quæ ſponte vult aut non vult. In hoc tamen ipſius libertas non conſiſtit, vt nimirum libera ſit duntaxat à coactione; ſed libertas ipſius in eo conſiſtit, vt in ipſius libertate ſitum ſit & exire in actum ſiue volendi, ſiue nolendi, quæ dicitur in ſcholis libertas quoad exercitium, ſiue contradictionis; & circa obiecta varia propoſita, dummodo non ſit ſummum bonum clare viſum, poſſe illam ita velle aut nolle vnum, vt ſit etiam libera ad volendum ſeu nolendum ei contrarium, & hæc dicitur libertas quoad ſpecificationẽ, ſiue cõtrarietatis. Non eſt ergo cur dubium excitemus, & quæramus, num gratia Dei, ſeu Deus per gratiam ſuam ſit ille qui in homine creat, & facit bonum ſpirituale, an vero homo ſit ille qui vult; & nũ Gratia poſſit cogere voluntatem necne; in his enim dubium nullum relinquitur.

XXXIII. Sed prima difficultas ſit, An in prima potiſſimũ fidei aſſecutione, gratia Dei ita operetur, vt totum illud velle ſpontaneum humanæ voluntatis in aſſenſu fidei, ſit à voluntate quidem, ſed ex ſolius ductu Gratiæ elicitum, ita vt voluntas, reſpectu operationis gratiæ habeat ſe mere paſſiue; & determinatio voluntatis non debeatur libero arbitrio, ſed ſoli gratiæ: quæ gratia efficiat vt voluntas ſe determinet, & velit. An vero liberum arbitrium præuentum gratiâ, ſe ipſum determinet, & concurrat ſuis viribus naturalibus gratia corroboratis, in fidei prima ſuſceptione, & boni electione. *a Excludo hoc loco eos, qui determinationem etiam illam auferunt voluntati, & eam volunt eſſe Gratiæ, ita vt non voluntas à gratia mota ſe determinet; ſed ipſa gratia proxime & immediate ipſam determinet voluntatem. Id enim pauci affirmant; & tunc, vt ſupra probaui, ne actus quidem ipſe volendi eſſet voluntatis, ſed ipſa gratia eſſet quæ per noſtram voluntatem vellet, non noſtra voluntas: ipſa enim determinatio eſſet ipſe actus volendi; aufer determinationem voluntati, tunc voluntarius actus ille non erit, ſed nec humanus. Sit ſecunda difficultas, num voluntas nondum renati ita moueatur à gratia, tunc quando ex operatione ſolius gratiæ vult conuerſionem, vt poſſit adhuc illi operationi gratiæ reſiſtere, & eam à ſe repellere; an vero in poteſtate liberi arbitrij, tunc quando à diuina gratia mouetur, non ſit tali gratiæ reſiſtere; quam non poſſit non admittere? Sit tertia difficultas, num poſita hac Gratiæ totali operatione, etiam ablata homini poteſtate reſiſtendi, liberum adhuc maneat in homine arbitrium; nec ne? Nulla ex his tribus difficultatibus per quadringentos poſt Chriſtum annos turbauit Eccleſiam: Sed Auguſtinus primus, vt Pelagianos reprimeret, ſuis aſſertionibus, vt hæ difficultates exurgerent occaſionem dedit, eaſque ipſe ſæpius ac ſæpius moleſtiſſimis ſibi diſputationibus exagitauit.* Vtinam ſemper tam clare, & tam fæliciter quam fælicitas, & acumen illius ingenij poſtulabat.

a Apud Bellar. de grat. & lib. arb. l. 6. c. 9.

XXXIV. Quo ad primam difficultatem, vt totam ſoli diuinæ gratiæ hominis primam conuerſionem ad fidem tribuant multi *b* Theologi recentiores, inde perſuaſi ſunt. quia id videntur multa ſacræ Scripturæ loca exprimere, voluntatemque totam à ſola gratia moueri ita aſſerunt, vt in eliciendo ſuo actu volendi gratiæ ductum ſequatur, & ſe determinet iuxta ſolius gratiæ motionem, quæ gratia ſit principale & totale mouens; voluntas vero ſe mere paſſiue habeat, & quaſi inſtrumentaliter; & ipſam quidem voluntatem producere actionem volendi, & ad hunc actum volendi ipſam concurrere actiue, ſed non niſi merum inſtrumentum Dei naturale, & non vt cauſam liberam dominamque ſui actus. Ac proptetea nolunt poſſe dici proprie voluntatem Deo tunc cooperari, neque à Deo adiuuari: ſicut calamus neque cooperatur manui in ſcribendo, neq; manus adiuuat calamum; ſed calamus tantum agitur & mouetur à manu, licet ille ſit qui literas pingat. Volunt itaq; voluntatem nondum renati, poſt naturam corruptam, adeo imbecillem, imo & mortuam in peccatis eſſe, vt nullas penitus vires habeat ſuas proprias, quibus ſuam poſſit inchoare conuerſionẽ, & concipere motus ad bonũ, elicereq; actiones illas, quæ ad bonum ſpirituale tendant, ſiue mẽte, ſiue voluntate, quales ad contritionẽ, fidem, & erga Deum obedientiam requiruntur; ſed Spiritũ ſanctum ex ſe ſine vllo liberi arbitrij concurſu operari, non modo excitando & præparando voluntatem, ac mortificando carnis inclinationes, & malas propenſiones, eaſq; retundendo, ne obſiſtant; ſed etiam operãdo in homine ipſum primum velle bonum. Fundamenta ſcripturarum ſunt, nam non renati vocantur tenebræ *Epheſ. 5. 8.* & alibi vocantur ægroti, & infirmi, imo & mortui, *Epheſ. 2. 1. Coloſſ. 2. 13.* nimirum abſq; vlla potentia, & facultate ad motus, & actiones ſpirituales. Non ſumus idonei ne cogitare quidem, &c. *2. Cor. 3. 5.* Qui operatur velle & perficere, &c. *Philip. 2. 13.* Qui operatur omnia in omnibus. *1. Cor. 12. 6.* Sine me nihil poteſtis facere. *Ioan. 15. 5* Cor mundum crea in me Deus, *Pſ. 50. 12.* Cor Regis in manu Dei *Prouerb. 21. 1.* Vt patet de Aſſuero, *Eſth. 5* Ipſe fecit nos & non ipſi nos *Pſal. 99. 3.* Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. *Io. 6. 45.* Qui natus eſt ex Deo non peccat, &c. *1. Io. 3. 9.* Quid habes quod non accepiſti? *1. Cor. 4. 7.* Niſi Pater traxerit. *Io. 6. 44.* Auferã à vobis cor lapideũ, &c. *Ezech. 36. 26* Caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, &c. *Matt. 16. 17.* Qui incæpit in vobis bonũ opus. *Phil. 1. 6.* Hoc eſt opus Dei vt credatis. *Io. 6. 29* & multa alia.

b Apud Bellar. ibi.

XXXV. Hæc opinio Auguſtino potiſſimum ſe niti profitetur; is n. quicquid boni habemus, vel facimus, id totũ ſoli Deo deberi, nihil nobis, ſæpius inculcat. Loca habes, lector, aliquot fuſius tractata & explicata apud *c* Bellarminum, qui conatur Auguſtinum ab hac ſententia alienum eſſe oſtendere. Sunt tamen in Auguſtino multa, quæ huic ſententiæ plurimum fauent; nam ſæpiſſime ille diſtinguit gratiam in operantem, & cooperantem; Vt lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. & de correp. & gra. cap. 2. vbi expreſſe etiam aſſerit hominem agi à Deo, vt agat. Et de dogmat. Eccl. ipſe, ſeu Gennadius cap. 32. Deus agit, *inquit* in nobis vt velimus, & agamus. Et gratiam hanc, quæ ſola in homine, ſed ſine homine operetur, his nominibus ſolet vocare gratiam præuenientem, præparantem, liberantem, &c. Aliam vero cui etiã homo cooperetur vocat gratiam

c Bellar. de grat. & lib. arb. l. 6. c. 14.

ſubſe-

ſubſequentem, cooperantem, adiuuantem, &c. Vt ex ſequentibus patebit. Contra Pelagianos ſic declamat, *a Ita namque illis tumor ipſe aures cordis obſtruxit, vt non audiant, b Quid enim habes quod non accepiſti? Non audiant, c ſine me nihil poteſtis facere, Non audiant. d Charitas ex Deo eſt, Non audiant e Deus partitus eſt menſuram fidei, Non audiant f Spiritus vbi vult ſpirat: & g qui ſpiritu Dei aguntur hi filij ſunt Dei. Non audiant, h Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, Non audiant quod Eſdras ſcribit i Qui hoc dedit in cor Regis, Non audiant per Hieremiam dicit Dominus, k Et timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant, & viſitabo eos vt bonos eos faciam. Maximeque illud per Ezechielem.— l Ego faciam Domus Iſrael ſed propter nomen meum ſanctum.— Et dabo vobis cor nouum, &c.— Non propter vos ego facio dicit Dominus. — Ego Dominus locutus ſum & feci.— Quid enim boni faceretis homines mali, & quomodo illa bona faceretis niſi boni eſſetis? Vt autem homines ſint boni quis facit, niſi ille qui dixit, viſitabo vt eos bonos faciam? Et qui dixit Spiritum meum dabo vobis, & faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Ita ne nondum euigilatis? Non auditis, Faciam vt ambuletis, faciam vt obſeruetis, poſtremo faciam vt faciatis, quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſeruamus, nos facimus, ſed ille facit, vt ambulemus, vt obſeruemus, vt faciamus. Hæc eſt gratia Dei bonos faciens nos hæc miſericordia eius præueniens nos. — Quis multiplicat ſicut oues homines, ſicut oues ſanctas, ſicut oues Hieruſalem? Quis facit vt ciuitates illæ deſolatæ plenæ ſint ouium hominum, niſi ille, qui ſequitur & dicit, Et ſcient quia ego Dominus? Sed quibus ouibus hominibus implet, ſicuti eſt pollicitus, ciuitates, vtrum quas inuenit, an quas facit? Pſalmum interrogemus.— m Nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius.— Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendum iuſtitiam liberum non erit, niſi ouis fueris? Qui facit igitur oues homines, ipſe ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.*]

a Aug. ad Bonif. l. 4. c. 6.
b 1. Cor. 4. 7.
c Io. 15. 4.
d 1. Io. 4. 7.
e Rom. 12. 3.
f Ioan. 3. 8.
g Ro. 8. 14.
h Io. 6. 65.
i 3. Eſd. 8.
k Hier. 32. 40.
l Ezech. 36. 22.
m Pſ. 94. 7.

XXXVI. Sentire ergo videtur Auguſtinus, hominem per ſuum liberum arbitrium nihil boni poſſe, ne inchoare quidem; neque aſſentiri gratiæ illum excitanti, & vocanti, niſi prius voluntas ipſius à ſubiectione, & oppreſſione, quæ peccato ſubiugata eſt, liberetur, & à Deo ex mala bona fiat: Solum vero Deũ, nihil cõcurrente libero hominis arbitrio, mutare voluntatẽ ex mala in bonam, & facere vt iã volũtas bonum velit. Prius quoque ita ſcripſerat Auguſtinus, *n Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum, o Non enim ait, duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem: quis trahitur ſi iam volebat, & tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis vt velit ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari. non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant; ſed vt volentes ex nolentibus fiant.*] Ipſum ergo primum velle hominis, ſecundum Auguſtinum, videtur eſſe effectus quem ſolus Deus in anima operetur, & ita determinationem voluntatis totam fieri ex ſolo motu gratiæ, & in hoc primo velle nihil aliud ſui hominem habere, niſi quod ſponte, & non inuitus velit. Et alio loco ſic idem loquitur Auguſtinus. *p His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat (neque enim credere poteſt quidlibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat) profecto & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos.*] Item alibi, *q Illa etiam verba ſi diligenter attendas, Igitur nõ eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. non hoc Apoſtolus propterea tantum dixiſſe videbitur, quod adiutorio Dei ad id quod volumus perueniamus, ſed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, r Cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Vbi ſatis oſtendit etiam ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam ſi propterea ſolum dictum eſt, Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas Domini ſola non ſufficit, vt iuſte recteque viuamus, niſi adiuuemur miſericordia Dei: poteſt & hoc modo dici, igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis: quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur. Illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus; ad eandem quippe miſericordiam pertinet vt velimus. Deus enim eſt qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate. Nam ſi quæramus vtrum Dei donum ſit voluntas bona, mirum ſi negare quiſquam audeat.*] Hoc loco Auguſtinus reijcit eum ſenſum; quo quis diceret, ipſum primum velle ideo non eſſe à nobis; quia niſi adiuuemur miſericordia Dei, velle bonum non poſſumus; ſic enim ait, dicere etiam poſſemus miſericordiam Dei non eſſe ſatis, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. Sed hoc non cenſet eſſe admittendum. Vult igitur, vt videtur, ſolam Dei miſericordiam ſufficere, ac efficere vt velimus etiam noſtra voluntate non cooperante, ſed parente gratiæ. Sic alibi idem Auguſtinus, ſeu aliquis alius, ſed certe ex Auguſtino, *s Velle*, inquit, *adiacet mihi; perficere non inuenio, quamuis & ipſum velle non ex nobis, ſed Dei donum eſt, quoniam ab ipſo habemus & velle & perficere.*]

n Io. 6. 44.
o Aug. ad Bonif. l. 1. c. 19.
p Aug. de ſpir. & lit. c. 34.
q Idem ad Simpl. l. 1. q. 2.
r Phil. 2. 12.
s Idem de prædeſt. & gra. c. 12.

XXXVII. Dixerat quoque idem Auguſtinus in expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos num. 60. *Non ergo elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, vt quem ſibi crediturum eſſe præſciuit, ipſum elegerit cui Spiritum ſanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam conſequeretur. Dicit enim idem Apoſtolus, t Idem Deus qui operatur omnia, & in omnibus. Nuſquam autem dictum eſt, Deus credit omnia in omnibus. Quod ergo credimus noſtrum eſt, quod autem bonum operamur, illius eſt qui credentibus in ſe dat Spiritum ſanctum.*] Et paulo poſt ibidem. *Non ergo elegit Deus bene operantes, ſed credentes potius, vt ipſe illos faciat bene operari. Noſtrum enim eſt credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum ſanctum, &c.* Sed hæc poſtea retractauit his verbis, *u Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc inueneram qualis ſit electio gratiæ.*] Item, *profecto non dicerem, ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri.* Item, *Et vtrunque ipſius eſt, hoc eſt credere & bene operari quia ipſe præparat voluntatem, & vtrumque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.*] Itaque Auguſtinus retractat id quod dixerat toties, à nobis eſſe quod credamus, à Deo vero quod bonum operamur. Iam ergo non vult amplius bene dici, à nobis eſſe quod credamus; ſed ipſummet noſtrum velle & credere vult eſſe donum Dei, & conſequenter videtur ſentire voluntatem noſtram non ſe determinare ad credendum ex ſe; ſed ex ſola gratia habere vt ſe determinet. Nam ſi voluntas libere ſe determinet ad credendum, & ſit domina ſui actus, tunc non eſſet cur Auguſtinus retractaret ſua priora dicta; in quibus dixerat nos eſſe qui volumus. Et vbi relinquit nobis ipſum actum volitionis, non videtur niſi ſolum actum relinquere, vt videlicet ſit actus noſter ſpontaneus, non coactus: vnde & alibi ſe explicat clarius dicens: *x Certum eſt enim nos mandata ſeruare ſi volumus: ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petẽdum eſt vt tantum velimus,*

t 1. Cor. 12. 6.
u Aug. l. 1. Retract. c. 23. & de Prædeſt. ſanc. l. 1. c. 3.
x Idem Aug. de Grat. & lib. arb. c. 16.

quantum ſufficit vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus; ſed ille facit vt velimus bonum, de quo dictum eſt; quod paulo ante poſui, quod præparatur voluntas à Domino. de quo dictum eſt. A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, de quo dictum eſt, Deus eſt qui operatur, in vobis velle & à operari. Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, Faciam vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis. Cum dicit, faciam vt faciatis, quid aliud dicit, niſi, auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis, & dabo cor carneum vnde faciatis? Et hoc quid eſt, niſi, auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens vnde faciatis? Ille facit vt faciamus, cui dicit homo, Pone Domine cuſtodiam ori meo, hoc eſt enim dicere, fac vt ponam cuſtodiam ori meo, quod beneficium Dei iam fuerat conſecutus, qui dixit, Poſui ori meo cuſtodiam: Et paulo poſt ſubdit: *b Ipſe vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens: Vt ergo velimus ſine nobis operatur: cum autem volumus, & ſic volumus vt faciamus, nobiſcum cooperatur.*]

a Phil. 2. 13.

b Aug. de Grat. & lib. arb. c 17. & ep. 207.

XXXVIII. Hoc poſtremo loco ſe terreri vehementer potuiſſe, ait c Bellarminus, *niſi Auguſtinus alijs locis explicauiſſet nos non poſſe ad Deum conuerti, niſi gratia Dei nos excitante & adiuuante, ac niſi hoc ipſo loco Auguſt. diceret nobiſcum Deũ cooperari, & in diuerſo genere cauſæ Deũ ait in nobis velle efficere ſine nobis: alio vero genere cauſæ velle ipſum eſſe etiam à nobis.*] Sed obſcura loca non ſunt per alia obſcuriora, aut ſaltem æque obſcura, ſoluenda: & quod hoc loco ait Auguſtinus nobiſcum Deum cooperari, ſignificare poteſt actum ipſum primum internum quo volumus, id eſt quo gratiam excitantem volumus audire, eſſe à Deo ſine nobis, id eſt, nos quidem eſſe qui internas aures gratiæ excitanti præbemus, ſed id in nobis ſolam gratiam totum efficere: cum vero ad alios actus ſimiliter etiam internos deuenimus, præſertim credendi, aut volendi efficere alia opera bona ſpiritualia etiam externa, id quidem & ipſam voluntatem noſtram & ſimul gratiam diuinam adiuuantem, & nobis cooperantem efficere. Id enim in Auguſtino ſemper certum fuit, executionem bonę voluntatis, & ipſi voluntati liberæ, & diuinæ gratiæ adiuuanti ſimul deberi. Sed aliquando ſenſiſſe videtur illam primam bonam voluntatem, qua quis vult, & afficitur bono, eſſe à nobis totam, & à ſolo noſtro libero arbitrio effectiue iuxta illud Pauli: *d Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod odi mali id facio.*] Poſtea vero ſe correxiſſe, Ait enim illud poſſum velle, vt vidimus, donum Dei eſſe ex ſcripturis ſe cognouiſſe. Et de hoc ipſo primo velle nunc dicebat id Deum in nobis ſine nobis operari: operari autem ſpectat ad genus cauſæ primariæ efficientis, & non tantum perſuadentis, ſeu diſponentis: aliud enim eſt ſuadere & diſponere; aliud audire & aſſentiri ſuadenti ac diſponenti: & de hoc ipſo actu audiendi, & aſſentiendi ſuadenti Deo, ait Auguſtinus, ipſum in nobis abſq; nobis Deum efficere: Nobis vero nihil aliud videtur tribuere, niſi quod actus ſit noſter, id eſt à noſtra voluntate elicitus, non tamen videtur cenſere Auguſtinus voluntatem noſtram elicere hunc actum ex ſe, & actu deliberato liberi arbitrii, ſed ſolum Deum efficere, vt nos ſponte, & non inuiti aut coacti hunc actum eliciamus. Alios vero actus qui inde ſubſequantur tam internos quam externos, circa executionem illius primæ bonæ voluntatis; iam eſſe actus & voluntatis liberatę, & diuinæ gratiæ adiuuantis Auguſtinus vt certum ſemper e relinquit.

c Bellar. de Grat. & lib. arb. l. 6. c. 14.

d Rom. 7. 18.

e Aug de ſpir & lit. c. 3. & 4.

In prima illa bona voluntate nihil ſui habere liberum arbitrium, niſi ſenſiſſet plane Auguſtinus, certe non adeo laboraſſet in tuendo libero arbitrio, ſimul cum gratiæ neceſſitate, neque ad ſecreta, & inſcrutabilia f Dei iudicia confugiſſet in ſoluendo illo argumento: Cur nimirum alii bonum illud primum velle habeant, alii non habeant, alii perſeuerent, alii nequaquam. Nos vero de adiuuante gratia ad primum velle agemus plenius infra ſuo loco.

De prædeſtin & gra. c. 9.

f Aug ad Bon. l. 4. c. 6. & de corr. & gr. c 8.

Fundamentum itaque præcipuum, imo ferme XXXIX. totale huius primæ ſententiæ, ex pluribus diuinæ ſcripturæ locis poſitum, & ſtabilitum tale videtur eſſe, videlicet, voluntas hominis poſt lapſum, adeo imbecillis & infirma facta eſt, vt ad bonum ſpirituale volendum, & proſequendum ex ſe propriis viribus nullo modo ſe poſſit determinare, ſed potius ad malum tantummodo procliuis eſt, & actu ferme perpetuo propenſiſſima, & in hoc Pelagius errabat, quia voluntati vires naturales ad bonum ſpirituale dabat ſufficientes, abſque vllo addito gratiæ adiumento. Sed neque ſatis eſt ſi dicamus, vt dicebant priſci Patres, voluntatem cum adiutorio gratiæ omne bonum poſſe, ita tamen vt ipſa voluntas etiam ſuis qualibuſcunque viribus, cum adiuncto gratiæ adiumento bonum amplectatur, & operetur, ita vt neque ſola voluntas ſine gratia, neque ſola gratia ſine voluntate, ipſiuſque libera cooperatione bonum velit, & faciat. Nam vt hoc verum ſit, poſtquam voluntas eſt iam per gratiam ſanata, in ipſa tamen prima ipſius ſanatione, neque concurrere potuit ſuis viribus, neque cooperari gratiæ, quia ad bonum ipſius vires nihil poſſunt, antequam ſanetur, ſanatur ergo per ſolam gratiam. Neque dicat aliquis voluntatem adiutam gratia ad ſuam ipſius ſanitatem concurrere; quia ſi debet beneficio gratiæ primum ſanari, debet illa ante omnia, & ex ſe, ac propriis viribus ſtatuere amplecti illam gratiam adiuuantem, & illa vti, ac ſimul cum illa ſuæ ſanationi cooperari. Atqui hoc eſſet voluntatem ſolis propriis viribus gratiam amplecti, quod facere non poteſt niſi ſanata, & iam ponitur atque admittitur, imo & iam probatum eſt ex ſcripturis, nihil boni poſſe voluntatem ſuis propriis viribus, ſic vero iam poneretur poſſe, ſi propriis viribus poſſet ſtatuere ſe velle vti gratiæ adiumento, quod ei à Deo offertur. hoc enim eſſet ſequi vocantem ſolis viribus liberi arbitrii, & ſine gratia, quod videtur Pelagianum.

Nihilominus opinio communis Patrum, tam XL. Græcorum, quam Latinorum; in vniuerſali eccleſia olim receptiſſima, per quadringentos & vltra poſt Chriſtum annos, vt libertas arbitrii ſeruaretur in homine, primum illum aſſenſum voluntatis in gratiam (qui primus aſſenſus ordinarie ſumitur pro ipſo primo actu credendi, & fidei) fieri vult effectiue per ſolum liberum arbitrium, præueniente gratia præparatum: voluntatemque ſolam ex ſe primum hunc conſenſum pręſtare; quo aſſenſu iam præſtito, & gratiæ adiumento ſibi copulato, reliqua omnia ad ſalutem neceſſaria ipſa voluntas ſimul cum gratia & beneficio gratiæ operetur, ſine quo gratiæ auxilio iam amplius nihil boni poſſit operari. Hoc vero Pelagianum non eſſe, ſed verum & catholicum ſenſum habere, ex neceſſitate quam habemus, etiam per ſcripturas, liberi arbitrii in omni actione humana conſeruandi, oſtendunt ipſimet Patres etiam antiqui; qui optime prę- uiderunt hanc difficultatem, & varios modos poſuerunt; quibus nihilominus illam quoque primam

mam fidem, & illum aſſenſum gratiæ deberi oſtenderent, vt inferius patebit. In hoc enim tota harum controuerſiarum difficultas conſiſtit, hic totus labor, hic totum periculum, quod toties Auguſtinus confeſſus eſt, vt vidimus ſupra, num. 30. Nam ſi primus ille aſſenſus diuina operatione à voluntate extorquetur, quæ in illo actu mere ſe paſſiue habeat, & ſua libertate, vt domina ſui actus non concurrat, profecto nimium laborandum, nimium ſudandum eſt; vt liberum arbitrium integrum ſeruetur. Si vero è contra ſolum liberum arbitrium primam fidem comparet, & primam faciat conuerſionem, alius labor, alius ſudor inſtat ad ſaluãdam gratiam, ne homo dicatur ſibi ſuis viribus ſine Dei gratia ſalutem peperiſſe. Et quoniam prior opinio videtur omnino voluntatem in illa prima conuerſione ſua libertate ſpoliare, liberumque penitus tollere arbitrium (de quo nos inferius) hôc potiſſimum nomine illa à pluribus Theologis exploditur, qui & conantur ab ea opinione Auguſtinum abſtrahere. Sic *a* Bellarminus ex ſola exacta liberi arbitrij defenſione in rebus ſpiritualibus, illam oppugnat opinionem. Nec dubium eſt contra eam argumentum validum ducens ad abſurdum hinc poſſe excitari, & nos inferius id exagitabimus, prius tamen argumento oſtenſiuo huius alterius opinionis fundamenta ſunt explicanda, ex quibus conſequenter prior opinio videatur impugnari.

(*a* Bellar. de de Grat. & lib. arb. l. 6. c. 10. 11. 12. 13. 14.)

XLI. Omne velle, quodcunque ſit actus humanus & vitalis immanens; eſt actus proprius & liber ipſius voluntatis, & hoc de ſe quatenus eſt actus volendi. Et, ſi voluntas ipſa non ſe libere determinet ad actum volendi, vel nolendi, actus ille non erit actus humanus. Si itaque Deus me facit velle, ita vt ipſe vtatur mea voluntate tanquam inſtrumento naturali ad eliciendum actum volitionis, vel nolitionis, tunc Deus eſt qui vult per hominem, & non homo: ſicut manus eſt quæ ſcribit per calamum, & nunquam dici poteſt calamus ſcribere, quia omnis actio debetur principali agenti, & non inſtrumento per quod principale agens agit. Fatẽtur iſti fere omnes, voluntatem ſe determinare in illa prima volitione, & conſequenter ipſam agere (nam velle eſt agere, quod ſuppono ex tota Philoſophia) ipſam tamen volunt actam agere, & motam mouere, & neque agere eam neque mouere, niſi quatenus ipſa & agitur & mouetur. Hæc igitur ipſius determinatio cum non ſit à ſua libertate, neque à Principio interno, ſed tota à principio externo, (Deum enim hic iam ponimus vt particulare non vt vniuerſale agens, & ſane diſtinctum ab ipſa voluntate hominis) hæc determinatio, & conſequenter hæc volitio, ſeu nolitio non erit actus ſimpliciter voluntarius, ergo nec proprie humanus, eſſe autem aliquem actum voluntatis humanæ, vt voluntas humana eſt, & non proprie voluntarium, videtur implicare contradictionem. Neque poteſt eſſe talis actus in voluntate, & non proprie voluntarius, niſi vel deſtructa, vel impedita voluntate, vt eſt in infantibus, in ebrijs, in inſanis, &c. & tunc homo nihil, quoad hoc, differt à beſtiis. Sic enim qui ſedet in equo regit equum, vt ad certum locum properet, & vel citius, vel commodius ambulet: & ille ſeſſor dicit, ſe iter tot milliarium confeciſſe, licet ille non ſuis, ſed equi pedibus ambularit, vſuſque eſt equo vt naturali inſtrumento, quo exemplo vſus eſt autor *b* Hypognoſtici; ita prorſus Deus vtitur mea voluntate in illa prima volitione, in qua ego nihil plus habeo mei, quam equus in propoſito exemplo; & ita Deus me regit, ſicut eques equum, & vtitur mea voluntate non vt eſt formaliter voluntas; ſed vt eſt quædam potentia executiua voluntatis diuinæ; quæ omnia non videntur poſſe ſtare. Cum itaque primus ille actus ſit actus voluntatis, vt voluntas eſt, non poteſt eſſe niſi proprie voluntarius, id eſt liber, & ſic erit proprie actus liberi arbitrii; loca vero S. Scripturæ in quibus hæc opinio videtur fundari, ſunt illa, quæ ab homine etiam in prima fide & conuerſione, liberi arbitrii concurſum poſtulantia ea inferius aſſeremus.

(*b* Aug. Hypognoſt. l. 3. poſt medium.)

Prior opinio in primo actu ponit ſolam gratiæ operationem, ſine libera cooperatione voluntatis, ſecunda è contrario, ſolam liberæ voluntatis operationem, ſine gratia; ſed prima non ſolum in ſaluando libero arbitrio laborat, ſed etiã dum ipſam gratiæ operationem vult explicare, in quo illa conſiſtat, & quomodo ſuum illud opus perficiat, & ſe ipſam videtur deſtruere, & ſecundæ opinioni plurimum fauere, eique præbere commoditates ad ſaluandam etiam in illo primo actu, qui immediate & proxime ſoli libero arbitrio tribuitur, gratiæ dignitatem, & à gratia neceſſariam dependentiam. In vno ſane ex ſupra citatis locis num 37. dicebat *c* Auguſtinus, *Ille facit vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.— Cum dicit faciam vt faciatis, quid aliud dicit, niſi auferam à nobis cor lapideum vnde non faciebatis, & dabo cor carneum vnde faciatis?*] Sed hæc diuina operatio non influit immediate in ipſam voluntatis actionem, quando primum illa ex ſe credit, & vult, ſed tantum diſponit voluntatẽ, & pertinet ad gratiam præuenientem, non ad gratiam operantẽ; tradere vires voluntati, nõ eſt efficere vt faciat, ſed eſt dare illi poſſe facere, & auferre cor lapideum ad ſummũ erit auferre impedimentũ duritiei voluntatis, mortificando ipſius malas paſſiones, ſiue per externa quædam adiumẽta corporalis infirmitatis, alteriuſue flagelli, iuxta illud, *d Imple facies eorum ignominia & quærent nomẽ tuum Domine,* & *e Multiplicatæ ſunt infirmitates eorũ, poſtea accelerarunt:* ſiue interno aliquo, & nobis ignoto modo; ſed & hoc totum eſt gratiæ præuenientis, & diſponentis, non autẽ actũ voluntatis elicientis. Et quia ſine tali gratia præueniente liberum arbitriũ non exit in actum ad volendũ bonũ, ideo ſecunda opinio hoc nomine ſaluat gratiæ dignitatẽ, & neceſſitatem pro primo illo actu, qui primus actus tametſi effectiue proxime ſit à ſolo libero arbitrio, præuenienter tamen, & diſpoſitiue eſt etiã à gratia. Et gratiam hanc præuenientem & diſponẽtem eſſe à Deo, & à gratuita ipſius miſericordia non eſt dubium, ſed vt dixi, Gratia hæc nõ eſt proxime operãs, ſed diſponẽs. XLII.

(*c* Aug. de grat. & lib. arb. c. 16.)

(*d* Pſal. 82. 17.)

(*e* Pſal. 15. 4.)

Diſtinguit ſæpe *f* Auguſtin. gratiam operantem ab adiuuante: ſed ſemper operantem explicat per gratias præuenientes, quæ licet non operentur immediate, quia tamen ſuggerunt vires operandi, ſine quibus voluntas non eliceret primum actum volendi bonum, ideo dicitur gratia ſimpliciter operans: Adiuuans vero cooperatur voluntati ad reliqua bona ſupernaturalia ſubſequentia primam conuerſionem. Audiamus ipſum Auguſtinum; *Ab ipſo,* inquit, *habemus velle, quia vocat & illuminat, ab ipſo perficere quoniam ad nos pertinet conari bona, qua & velle donauit.*] Item, *g Neque velle poſſumus niſi vocemur, & cum poſt vocationem voluerimus nõ ſufficit voluntas noſtra, & curſus noſter, niſi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat.*] His & ſimilibus pluribus locis Auguſtinus noſtrum primum bonum velle tribuit gratiæ operanti, id eſt, præuenienti, XLIII.

(*f* Aug. de prædeſt. & gra. c. 11.)

(*g* Idem in expoſit. propoſit. ep. ad Roman. c. 6.)

& vires

& vires ſuggerenti, aut ſaltem liberanti: ſequentes vero bonas operationes poſt primum bonum velle, tribuit ſimul & gratiæ adiuuanti, & libero arbitrio ſimul cum adiuuante hoc & cooperante gratia operanti. Atque primæ illæ gratiæ præuenientes, quas libenter Auguſtinus vocat operantes, omnino ſunt merum donum Dei, à ſolo Deo proficiſcens, ſine vllo aut merito, aut concurſu voluntatis humanæ; quæ ab his prçuenientibus gratiis corroborata, & viribus neceſſariis inſtructa exit in primum illum bonum actum, ipſa ſola ſine alio nouo gratiæ adiumento, niſi pro bonis actibus ſubſequentibus, vt infra num 129. Nam certe vires prçbere currenti non eſt proxime efficere vt quis currat, ſed eſt tantum dare illi poſſe, vt ſi velit, poſſit currere. Idem habet Auguſtinus, *a Ait enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, ſed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui non poteſt quod vocamur. Non igitur ideo dictum eſt putandum. Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia niſi eius adiutorio non poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideo potius quia niſi eius vocatione non volumus.*] Dictum Pauli Auguſtinus ad Gratiam, ſecundum ipſum, operantem; ſecundum veritatem, præuenientem, vult ſpectare, & non ad cooperantem, ſeu adiuuantem, quia in primo bono velle gratia præueniens dat poſſe velle, & non cooperatur voluntati in ipſo primo velle, ſed tantum in ſequentibus. Primum vero bonum velle, & currere, ideo ad gratiam pertinere aſſerit, quia non fit, niſi gratuita vocatio præceſſerit, at vocare ad curſum non eſt, vt ſupra monebam, efficere & operari curſum. Sic de Pauli conuerſione eam fuiſſe opus Dei aſſerit Auguſtinus propter vocationem illam mirabilem: *b Vt autem de cælo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione conuerteretur. gratia Dei erat ſola, quia merita eius erant magna, ſed mala.*] Hæc vero vocatio erat tota externa Paulo, non ſine etiam interna illuminatione, & virium ſuggeſtione; ſed tamen hæc erant duntaxat præuenientia, quæ mouere moraliter & perſuadere etiam infallibiliter poſſent, non tamen extorquere aſſenſum. Sicut talia & multo maiora Pharaonis voluntatem flectere non potuerunt. Nos enim quærimus cauſam efficientem, quæ moueat voluntatem phyſice, quæ nulla alia eſt in prima illa volitione niſi ipſummet liberum arbitrium, quod tamen licet tunc ſolum operetur, non tamen operaretur niſi præueniente gratiâ prępararetur. Sed notabilis viſus eſt mihi locus, in quo ait ipſe Auguſtinus; *c Ita inter ſe atque homines Deus tempora officiaque diſtribuens ordinauit, vt vocatione ipſius, bonorum principia ſumeremus: vocati autem atque illuminati, vias mandatorum eius boni ingenii intelligentia noſceremus, & eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio.*] Sunt qui *d* nolint hunc librum admittere tanquam Auguſtini, quia in Retractationibus ipſius mentionem non fecit: Sed potuit illum poſt editas Retractationes ſcripſiſſe. At neque liber de prædeſtinatione ſanctorum & de bono perſeuerantiæ in Retractationibus recenſetur; & quis neget illos eſſe Auguſtini, quibus ſcribendis reliquiæ Pelagianorum occaſionem dederunt, per literas Proſperi & Hilarii? Hoc igitur loco nos bonorum principia ſumere aſſerit ex ſola gratia vocante & illuminante, quæ prçuenit nos, & excitat, ac inſtruit, non autem in nobis velle operatur: alioquin omnes vocati, audito verbo, aſſentirentur. Indubitata ſunt alia ſimilia Auguſtini, aut ex doctrina Auguſtini à Gennadio deſumpta verba, vbi ita iſte ſcribit, *e Manet vtique ad quærendam ſalutem arbitrii libertas, id eſt rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei: vt autem conſequatur quod eligit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe libere confitemur. Initium ergo ſalutis noſtræ, Deo miſerante, habemus. Vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt: vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris, &c.* Sed præterea digniſſimus conſideratione eſt locus ille, vbi Auguſtinus ait *f* Cornelium Centurionem non feciſſe eleemoſynas illas, & alia opera bona, ſine fide in Deum, quia ſine illa non fuiſſet ea operatus, *g Sed nec fidem*, inquit, *habuiſſet, niſi vel externe, vel interne vocatus fuiſſet.*] Item vbi ait, *h Conſentire vocationi, aut non conſentire. propriæ voluntatis eſt.*] Item, *i Vt velimus & ſuum eſſe Deus voluit & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.* Item *k Velle credere, & amari — vtrunque noſtrum eſt, propter arbitrium voluntatis, & vtrunque datum eſt per ſpiritum fidei & charitatis. — Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis, ſed in electis præparatur voluntas à Domino.*] Hæc eſt gratia tantum præueniens. Item: *l Ne autem putetur nihil ibi facere homines per liberum arbitrium, ideo in Pſalmo dicitur, m Nolite obdurare corda veſtra: Et per Ezechielem, n Proiicite à vobis omnes impietates veſtras.*] Ibi quoque ſe explicat Auguſtinus quamnam ipſe agnoſcat actionem Dei dum operatur in nobis primum velle, vbi ait, *o Vt ſtrepitu correptionis foris inſonante, atque flagellante, Deus in illo intrinſecus occulta inſpiratione operetur & velle.*] Inſpiratio hæc ſuadet, diſponit, illuminat, & moraliter tantum operatur, nil phyſice. Et alio loco, poſtquam iam dixerat. *p Et ideo nec iſtam voluntatem qua credit Deo, dici* poteſt homo, habere, quam non acceperit.] Vt oſtenderet quomodo hoc verum ſit, ſtatim ſubdit, *Quandoquidem, vocante Deo, ſurgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crearetur accepit.*] Excitans ergo gratia vocatione prçuenit voluntatem, ſed illa ſuo proprio arbitrio, per gratiam tamen corroborato, ſurgit & ſequitur vocantem. Sic ſemper Auguſtinus efficientiam gratiæ explicat in ipſa gratia præueniente. Ita in l. 83. q. 68. De prædeſt. ſanct. c. 2. & de bono perſeu. c. 13. Sunt & alia Auguſtini loca, ſed videntur retractata. Hæc vero fere omnia ſcripta ſunt poſt hæreſim Pelagianam: & liber de prædeſtinatione ſanctorum ſcriptus eſt etiam poſt datas Retractationes.

XLIV. Hieronymus quoque cum negare non poſſet ſolius liberi arbitrii eſſe primum bonum velle, vt tamen hoc ipſum à gratia dependere oſtenderet, vbi dictum Pauli, *q* Gratia ſalui facti eſtis per fidē, conſiderat, ait, *r Ne forte enim tibi cogitatio occulta ſubreperet, ſi per opera noſtra ſaluati non ſumus, certe vel per fidem ſaluati ſumus, & alio genere noſtrum eſt quod ſaluamur: addidit itaq; & dixit, Fidem quoq; ipſam non noſtræ voluntatis eſſe, ſed Dei muneris. non quod liberum homini tollatur arbitrium, & ſecundum illud Apoſtoli ad Romanos, Non ſit currentis, neq; volentis; ſed miſerentis Dei, verum quod arbitrii ipſa libertas Deum habeat Autorem, & ad ipſius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ille permiſerit. Hoc autem totum propterea ne quis glorietur à ſemetipſo & non à Deo ſe eſſe ſaluatum.*] Iam Hieronymus profecto nouerat ſcopulos Pelagianos, & tamen primam fidem dicit eſſe liberi arbitrii. Sed ne propterea gloriari poſſit homo de ſuis viribus, donum Dei ait eſſe fidem, ex eo quod ipſum liberum arbitrium quoque ſit donum Dei; quod *ſ* Auguſtinus quoque ad gratiam ſpectare aſſeruit, cum etiam bonum nos velle, inquit Hierony-

a Idem ad Simplic. q. 2.
b Idem de Grat. & lib. arb. c. 5.
c Idem de præd & grat. c. 9.
d Bellar. de gr. & lib. arb. l. 2. c. 14.
e Aug. de eccl. dog. c. 21.
f Act. 10.
g Aug. ad Simpl. l. 1. q. 2.
h Aug. de ſpir. & lit. c. 34.
i Idem ad Simpl. q. 2.
k Idem de prædeſt. ſanct. c. 5. & 5.
l Idem de grat. & lib. arb. c.
m Pſ. 94. 8.
n Ezech. 18. 31.
o Aug. de corrept. & grat. c. 6.
p Idem de ſpir. & lit. c. 33.
q Eph. 2. 8.
r Hier. in ep. ad Eph. c. 2.
ſ Aug. de ſpir. & lit. c. 33.

ron[...]mus, ille permiſerit: non ait ille fecit vt bonum vellemus, ſed ille permiſit, hoc eſt, ille ſua gratia præueniente conceſſit vt poſſemus velle bonum, quod ſine tali gratia velle non potuiſſemus. Nam & Apoſtolus vbi dixit *donum Dei eſſe quod ſaluati ſumus per fidem*, explicat ideo id eſſe donum Dei, quia datum non eſt ex operibus; hoc eſt nos præueniri, diſponi, ac præparari vt credamus, non ex merito vllo noſtro, quo Deus obligetur nobis dare has gratias præuenientes, ſed ex mera ſua benignitate, atque hinc vult Apoſtolus nos non poſſe de nobis gloriari, etiam ſi nos noſtro arbitrio credamus: & dat rationem cur noſtrum credere ſit donum Dei, a *Ipſius enim*, inquit; *ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.*] Vbi ſignificat nos de noſtro libero arbitrio non debere gloriari, quia ipſiummet eſt factura Dei, quod per Chriſtum habeat vt poſſit bona operari, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, id eſt, ad quæ Deus nos diſpoſuit, & gratiis præuenientibus præparauit, vt iam poſſemus ſi vellemus in illis ambulare. Illud quoque [...] eſt Hieronymi: b *Noſtrum eſt incipere, illius p[...] N[...] offerre quod poſſumus, illius implere [...]* Noſtrum ergo eſt incipere, [...] poſt [...]ionem, & gratias præuenientes; & tamen ſcribit hæc contra Pelagianos. Principium ergo non eſt [...]ere noſtrum eſſe, poſt gratiam præuenientem, incipere.

a Eph. 2.10

b Hier. ad. uer. Pelag. lib. 3.

XLV. Chryſoſtomus quoque nos Deo accepta ferre debere omnia bona quæ habemus aſſerit, vt ſuperbire non debeamus, c *Nihil enim*, inquit, *habes domo allatum, ſed a Deo acceptum. —— Non enim tua ſunt hæc recte facta, ſed Dei gratiæ. Etiam ſi fidem dicas, ea extitit ex vocatione.*] Videbat Chryſoſtomus in prima fide ſolam voluntatem ex ſe ipſa aſſentiri, ſed nihilominus hoc ipſum adhuc ad gratiam refert, quia, inquit, fidem habes ex vocatione, niſi enim te Deus ſua gratuita miſericordia ad fidem vocaſſet, tu non veniſſes. Vocationem autem iam oſtendimus non operari proxime in nobis fidem, ſed nos duntaxat præuenire, diſponere, ac præparare.

c Chryſ. in [...] or. hom. [...]

XLVI. [Has] quoque gratias præuenientes, diſponentes, & præparantes ſæpe Patres reducunt ad gratiam adiuuantem etiam d Auguſtinus: harumque ratione dicunt primum noſtrum bonum velle eſſe a nobis, ſed auxilio gratiæ, aut ſaltem ipſi primæ conuerſioni coniungunt gratiam, quatenus videlicet eam præuenit gratia excitans, vocans, illuminans, &c. Audiatur Origenes certe nequaquam Pelagianus, ſed non minus diuinæ gratiæ quam liberi arbitrij acer propugnator: e *Verum quoniam*, inquit, *ſermo Apoſtoli in his quidem quæ de vaſis honoris vel contumeliæ dicit, quia ſi quis ſe ipſum mundauerit, erit vas ad honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum ſemper paratum nihil videtur in Deo poſuiſſe, ſed totum in nobis: in his vero in quibus ait, Poteſtatem habet figulus luti de eadem maſſa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, totum videtur ad Deum retuliſſe, non eſt accipiendum ſibi eſſe contraria, ſed vtrorumque ſenſus ad vnum vocandus, & ex vtriſque vnus effici debet intellectus: id eſt vt neque quæ in noſtro arbitrio ſunt, putemus ſine adiutorio Dei effici poſſe: neque ea quæ in manu Dei ſunt putemus abſque noſtris actibus & ſtudiis & propoſito conſummari, ſcilicet quo neque nos velle aliquid vel efficere, ex noſtro iam habemus arbitrio, vt non ſcire debeamus hoc ipſum quod poſſumus velle vel efficere a Deo nobis datum eſſe; ſecundum eam diſtinctionem, quam ſupra diximus. Vel rurſum cum Deus fingit vaſa alia quidem ad honorem, alia vero ad contumeliam, putandum eſt quod non honoris vel contumeliæ cauſas, tanquam materiam quandam noſtras vel voluntates; vel propoſita, vel merita habeat, ex quibus vas ſingulorum noſtrorum vel ad honorem vel ad contumeliam fingat, dum motus ipſe animæ, vel propoſitum mentis de ſe ipſo ſuggerat illi, quem non latet cor & cogitatio animi, vtrum ad honorem fingi vas eius, an ad contumeliam debeat.*] Sine gratia fatetur, & merito, nos nihil poſſe, ſed Deum per nos; ſed ſine nobis ſolum operari quicquam, non admittit Origenes, locumque Pauli, in quo f Deum ille aſſerit ex maſſa luti, ſine vlla luti actiua cooperatione efficere vaſa, aliud in honorem, aliud in contumeliam, explicat per alium Pauli locum in quo in g hominis poteſtate ſitum eſſe aſſerit, vt ſi ſit vas contumeliæ, profecto etiam nondum regeneratus, emundet ſe vt fiat vas honoris, vt ſic ſimul incedant liberum arbitrium, cum gratia præueniente: faceturque Origenes Deum ex præuiſa voluntate humana hunc facere vas in honorem, & hunc vas in contumeliam. Et Deum dare nobis non ipſum velle, ſed poſſe velle.

d Aug. de ſp. & lit. c. [...] lib. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. c. 5. lib. de grat. Chriſti c. 4.

e Orig. de principiis l. 3. c. 1. ad finem.

2. Tim. 2. 21.

f Rom. 9. 21

g 2. Tim. 2. 21.

XLVII. Hilarij Pictauienſis Patris antiquiſſimi, & doctiſſimi dictum in hoc genere eſt celeberrimum, h *Honorem ergo*, inquit, *acceptum à Patre, filius omnibus, qui in ſe i credituri ſunt, dedit, non vtique voluntatem, quaſi data eſſet non haberet fidei præmium, cum fidem nobis neceſſitas affixa voluntatis inferret.*] Ecce voluntas credendi non datur à Chriſto credentibus: ſi enim daretur voluntas credendi, fides noſtra præmio digna non eſſet, quia ex neceſſitate, & non ex libertate crederemus; vt vult Hilarius qui profecto neceſſitatem à Deo illatam noſtræ voluntati, nullo pacto admittendam eſſe cenſet, ne libertas arbitrio tollatur. Hilario annectamus Hieronymum, qui ipſum velle libero arbitrio tribuit, adiuto tamen gratia, inſignis locus ille videtur in quo contra Pelagianos diſputans ait, k *Velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei auxilio non erit meum: Dicit enim idem Apoſtolus, l Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere.*] Operari Deum in nobis velle, intelligit Hieronymus Deum præſtare nobis ſuum auxilium quo nos vtamur in volendo & currendo, & ſine quo neque vellemus, neque curreremus: Nos tamen eſſe qui velimus, & curramus, ſed cum adiumento. Nunquam autem totum opus debetur ſoli adiutori, ſed ſimul debetur & operanti & adiuuanti, m adiuuatur qui ſponte conatur, ait Auguſtinus: Auxilium tamen hoc aliud non eſt in primo velle, niſi gratia præueniens, vocationis præſertim, & illuminationis; quæ gratia dicitur à Paulo in nobis operari velle, quia diſponit nos vt velimus, facitque vt velle iam poſſimus, & ſine qua neque velle poſſemus, neque vellemus.

h Hilar. l. 8 de Trinit.

i Io. 17. 20

k Hier. ep. ad Cteſiph.

l Phil. 2. 13.

m Aug. de pecc. mer. & remiſſ. lib. 2. c. 5.

XLVIII. Huc addatur ex Concilio Arauſicano altero contra Semipelagianos collecto, Canon vnus qui ſic habet: n *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere: ſine ſalutari, id eſt Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.*] Solam præuenientem gratiam requirit, cæterum relinquit libero arbitrio vt ipſum credat, & aſſentiatur. Neque in hoc neque in vllo alio Concilio inueniemus poſitam illam gratiæ ſummam operationem, quæ faciat vt homo

n Concil. Arauſic. 2. Can. 7.

ſine vſu liberi arbitrii credat. Non ergo Eccleſia contrarium ex Auguſtino didicit; aut ſi didicit certe ſe qui noluit. Nam & Gregorius, *a quid eſt, an cor-de credere ad iuſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad iuſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructū habet bonæ conuerſionis.*] Bona ergo conuerſio initium habet à bona volūtate hominis, qui intentionem cordis ſui dirigat ad iuſtitiam, ſuppoſita tamen gratia præueniente.

a Greg in 1. Reg. lib. 6. c. 2.

XLIX. Pelagiani profecto ponebant in ipſo libero arbitrio naturalem quandam potentiam, per quam ſine vllo quocunque gratiæ adiumento poſſet primum illum aſſenſum præſtare, velle, & credere. Errabant tamen plurimum, quia præuenientes illæ gratiæ, & diſponentes ſunt omnino neceſſariæ, & ſine illis voluntas ne *b* cogitare quidem poteſt ſpirituale bonum, nedum velle, & facere. Et ratione harum præuenientium gratiarū liberum arbitrium merito dicitur ex ſolis ſuis propriis viribus nihil boni poſſe velle, aut facere, ſed potius ex ſe in malum tantummodo tendere: ſed Pelagius volebat ſine vlla gratia, ſiue adiuuante, ſiue etiam *c* præueniēte poſſe liberum arbitrium ſolis propriis viribus primum bonum velle, & ei aſſentiri, quod vt falſum ſecunda hæc opinio penitus abiicit. Ex ſe enim liberum arbitrium dat primum aſſenſum, ſed non niſi præuentum & diſpoſitum à diuina gratia, modis iam explicatis, à qua præueniente gratia, & non à ſuis viribus habet iam vt poſſit velle, & aſſentiri, ſine qua omnino neque poſſet velle neque aſſentiri. Et in hoc ſenſu primum velle dicitur Deus operari in homine, ſine homine, quia omnis gratia præueniens talis eſt, vt à ſolo Deo detur homini, & illa dēt homini vt poſſit iam ex ſe velle, ſiue elicere actūm volendi, ſine qua præuentione non poſſet. At aliud eſt dare homini poſſibilitatem, vt poſſit velle, aliud facere vt velit.

b 2. Cor. 3. 5.

c Aug. de grat. & l. b. arb. init.

L. Hanc opinionem vt melius explicē vtar exemplo, & ſimilitudine. Sit exemplum hominis ęgroti, qui non ſolum ex ægritudine debilitatam habeat potentiam loco motiuam, viuam tamen, licet afflictam, & viribus deſtitutam, ſed etiam ex ægritudine ita decumbat vt impoſſibile ſit ei ſurgere, & ambulare; præterea ab inimico aliquo habeat & manus & pedes vinculis conſtrictos: adſit vero alter amicus eius, qui ex ſola compaſſione & miſericordia apponat ei baculum, cuius beneficio poſſit & ſurgere, & ambulare; ſed etiam ſoluat vincula. Iam hic ægrotus ab hoc homine habet inſigne beneficium mere gratis, quod liberas ei reddiderit manus & pedes, ſed non propterea eo ipſo ſurgit & ambulat; ſicut etiam beneficium ei magnum eſt quod baculum ei appoſuerit, ſine quo neque ſurgere neq; ambulare poteſt. Iam vero ſolutis manibus, in ipſius ſolius voluntate poſitū eſt vt apprehēdat baculum, & eo vtatur; licet hanc poteſtatem apprehendendi baculum totam debeat ei qui liberas ipſi fecit manus, non quod per illam ſolutionem dederit potentiam apprehenſiuam quam non haberet; ſed quia potentiam apprehenſiuam quam habebat ab impedimento liberam fecerit. Itaque iam in ipſius libertate & poteſtate eſt vel arripere baculum, & illius beneficio ſurgere, ac ambulare, vel reſpuere baculum, & iacere; & ſi arripit baculum, ipſe iam ſolutus ſuis ipſius, & non alienis aut manibus, aut viribus illum arripit, ſurgit vero & ambulat iam non ſolis propriis viribus, quæ ad ſurgendum, & ambulandum ei ſic ægrotanti non ſunt ſatis, ſed adiumento vſus baculi. Et quamuis propriis duntaxat viribus arripuerit baculum, illam tamen arreptionem debet maxime illi amico qui manus ipſius à vinculis liberauit, à quibus ſe ſua ſponte nullo modo liberare potuiſſet. Ita ferme contigit noſtro libero arbitrio, vt iam expoſui, iuxta ſecundam hanc opinionem, vtar alia quoque ſimilitudine.

LI. Sit alterum exemplum hominis ægroti, qui ex vi morbi adeo ſit imbecillis, vt fauces occluſæ, & cōſtrictæ præ debilitate deglutire nihil poſſint, virtus tamen vitalis tanta ſit, vt ſi pharmacum à medico perito præparatum hauriret, omnino morbus remitteret, & ſanitatem perfectam conſequeretur. Huic ſi medicus externis fomentis fauces aperiret, & deglutiendi, hauriendiue pharmaci etiā illo inſcio, & nihil cōcurrente, ſed mere paſſiue ſe habente, pararet facultatem, quod ex morbi vi erat ei iam impoſſibile factum eſt facile & poſſibile. Hæc ſane medici prima operatio nihil aliud præſtat ægroto, niſi poſſe pharmacum haurire: In ipſo tamen adhuc ſtat velit ne, an nolit medicamentum in ſtomachum traiicere: ſi accipiat, ſanabitur; ſi non accipiat, morietur, & quidem medicus ex ſe ſolo dedit ei poſſe: quod niſi dediſſet, facultatem illam deglutiendi ab impedimento liberans, pharmacum neceſſarium ſumere nunquam potuiſſet. Sed in ea operatione medicus non efficit vt ille potionem illam ſaluriferam ſumeret: hoc iam ſtetit in libera ægroti voluntate, ſed non niſi poſtquam facultas illa eſt ei ab impedimento liberata. Si haurit pharmacum, id profecto ille ex ſe, ac volens, & libere, ſuis propriis & non alienis faucibus haurit, & propria ſua facultate, licet miſericorditer à medico liberata, ſaluriferum accipit à medico præparatum medicamentum, à quo medicamento integram recipit valetudinem. Sic gratia præueniens gratis, & benigne ſanat ante omnia liberum arbitrium, vt poſſit velle bonum, quod velle non poſſet niſi ei per gratiam præuenientē daretur poſſe. Sed poſtquam etiam recepit hoc poſſe, & ſanatum eſt liberum arbitrium à Deo gratis, habente ſe homine mere paſſiue in hac ſanatione, poteſt primum actum fidei elicere, & non elicere: poteſt primo actu bonum velle, & non velle: poteſt vti beneficio illius potentiæ iam præparatæ, & non vti. Si velit, ſi credat, ſi vtatur gratia illa præueniente, diſponente, præparante liberum arbitrium corroborante, regenerabitur: ſi non vtatur, non regenerabitur. Ponimus quidem ſanitatem in libero arbitrio ex gratia præueniente, ſed hæc non eſt ſanitas totalis totius hominis, ſed eſt ſanitas tantum partialis ſolius potentiæ, & [illegible], quæ licet ſanetur ad hoc vt operari poſſit bonum, non propterea ſanabitur homo, niſi potentia ſanata id operetur ad quod ſanata fuit, ſi ſanatæ ſunt fauces homini peſtifera febri laboranti, & ad interitum tendenti, non propterea ſanatus eſt homo ab hac febri, ſanabitur tamen ſi ſanatis faucibus vtatur in deglutiendo medicamento. Eadem ferme ſimilitudine vtitur etiam Auguſtinus. Ait enim, *d Sicut ergo vt incere, verbi gratia, claudicans curatur, vt ſanato malo præterito, futurus dirigatur inceſſus. ſic mala noſtra non ad hoc ſolum ſupernus medicus ſanat, vt illa iam non ſint, ſed vt de cætero recte ambulare poſſimus, quod quidem etiam ſani, non niſi eo adiuuante poterimus.*] Si medicus ſanat vulnus pedis vt homo poſſit ambulare, profecto hac ſanatione non efficit vt ambulet. Poteſt enim etiam ſanatus, ſicut & non omnino vulneratus, & velle & nolle ambulare. ſed vulneratus non poteſt abſolute ambulare niſi prius vulnus pedis ſanetur.

d Aug de nat. & gra. c. 26.

Idem

LII. Idem porro Auguſtinus in illo primo velle non
potuit negare verum & liberum actum voluntatis,
a Aug de ſeu lib. arbitrij; *a Corporis, inquit, oculus vt videat adiu-*
pec. mer. & *uatur à luce neque hoc omnino niſi illa adiuuerit, poteſt.*
remiſſ. l. 2. *Ita Deus qui lux eſt hominis interioris adiuuat noſtræ men-*
c. 5. *tis obtutum, vt non ſecundum noſtram, ſed ſecundum eius*
iuſtitiam boni aliquid operemur. Conuerſos ergo Deus ad-
iuuat, auerſos deſerit: ſed etiam vt conuertamur ipſe ad-
iuuat, quod certe oculis corporis lux iſta non præſtat.]
Hic habemus operationem gratiæ eſſe adiuuare
vt velimus, atque hoc illuminando, & obiectum
bonum proponendo: & hoc non eſt ipſam voli-
tionem elicere, ſeu facere. Auguſtini præterea ver-
b Idem de ba ſunt, *b Pro qua (ſuperbia) ſananda illi Deo piæ ani-*
natu. grat. *mæ cum lacrymis, & magnis gemitibus ſupplicant, vt ad*
c. 31. *eam ſuperandam, & quodammodo calcandam, & obte-*
rendam, dexteram conantibus porrigat.] Quid eſt porri-
gere dexteram conantibus, niſi hominem libero
ſuo arbitrio conari ad bonum, ſed non ſine gratia
initio præueniente poſtea vero etiam adiuuante?
c Pſ. 36. 5. Et conſiderans illud Pſalmi, *c Reuela Domino viam*
d Aug. ibi. c. 32. *tuam, & ſpera in eo & ipſe faciet,* ita diſſerit. *d Nullos e-*
nim videtur attendiſſe cum dixit, & ipſe faciet, niſi eos qui
dicunt, nos facimus, id eſt nos ipſi nos ipſos iuſtificamus. V-
bi quidē operamur & nos, ſed illo operāte cooperamur quia
e Pſ. 58. 11. *e miſericordia eius præueniet nos.*] Et poſtea cum plura
Scripturæ loca de neceſſitate gratiæ protuliſſet ad
f Aug. ib. c. 33. dit. *f Non ergo iſta commemoramus arbitriū voluntatis*
tollimus, ſed Dei gratiam prædicamus. Cui enim proſunt iſta,
niſi volēti, ſed humiliter volēti, nõ ſe de voluntatis viribus,
tanquã ad perfectionem iuſtitiæ ſola ſufficiat, extollenti.]
g Ibid. c. 64 Et poſtea *g ad ipſum,* inquit, *arbitrium pertinet vocan-*
tem audire & credere, & ab eo in quem credit non peccan-
h Aug. Retract. l. 1. c. 4. *di adiutoriū poſtulare.*] Hæc proculdubio poſt *h* pro-
fligatam iam Pelagianam hæreſim ſcripſit Augu-
ſtinus; neque retractauit, & tamen illam primam
bonam voluntatem quæ audit Deum excitantem,
& conſentit primæ fidei, liberi arbitrij opus eſſe
agnoſcit. Ibi etiam pulcherrime Auguſtinus, vbi
i Aug. con. duas ep. Pelag ad Bonif. l. 2. c. 8. ait, *i Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio lin-*
guæ. quia homo præparat cor, non tamen ſine adiutorio Dei,
qui tangit cor. Homo præparat cor, in reſponſione au-
tem linguæ, id eſt, in eo quod præparato cordi lingua diuina
reſpondet, nihil operis habet homo ſed totum eſt à Domino
Deo: Nam ſicut dictum eſt. Hominis eſt præparare cor,
k Pſ. 80. 19. & à Domino reſponſio linguæ; *ita etiam dictum eſt,* k.
Aperi os, & adimplebo illud; *quamuis enim niſi ad-*
iuuante illo, ſine quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus
aperire tamen nos aperimus illius adiumento & opere no-
ſtro, implet autem illud Dominus ſine opere noſtro. Nam
quid eſt præparare cor, & os aperire, niſi voluntatem para-
re? & tamen in iiſdem literis legitur: Præparatur voluntas
l Pſ. 50. 17. *à Domino.* l Et labia mea aperies, & os meũ annun-
ciabit laudē tuam: *Ecce Dominus admonet vt præpare-*
mus voluntatem in eo quod legimus, Hominis eſt præpa-
rare cor, *tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia*
præparatur voluntas à Domino & aperi os ita iubendo, vt
nemo poſſit, niſi ipſe id faciat adiuuando, cui dicitur, labia
mea aperies.] Itaque vbi prius Auguſtinus ſolius Dei
totum opus eſſe videbatur aſſerere, præparare ho-
minis voluntatē, vt primum velit bonum, explicat
ſe hic clariſſime, præparationem hanc totam con-
ſiſtere in danda gratia præueniente, & poſtea adiu-
uante; vt hoc faciat homo, *Adiuuat,* inquit, *Deus.*]
Non ait vt hoc fiat ab homine facit Deus. Et ſine
opere hominis, poſtquam ille primum aperuit os,
vi diuini auxilij, ait, à Deo infundi homini dona,
quæ ſecundum ſe tota ſunt à ſolo Deo: Vt ſunt ha-
bitus fidei, ſpei, charitatis, & reliqua Spiritus ſancti
munera: vnde & ſubdit ibidem Auguſtinus: In ſen-
tentia ergo illa vbi dicitur, Aperi os & adimplebo
illud, quaſi vnum videtur ad hominem pertinere,
alterum ad Deum: In hac autem vbi dicitur. *m Ego* m Exod. 4.
aperiam os tuum, & inſtruam te vtrunque ad Dominum, 12.
quare hoc? niſi quia in vno iſtorum cooperatur homini fa-
cienti, alterum ſolus facit: quapropter multa Deus facit in
homine bona quæ non facit homo: nulla vero facit homo quæ
non facit Deus, vt faciat homo.] Nempe vel præue-
niendo, vel adiuuando, vt iam ipſemet Auguſtinus
in ſuperioribus explicauit; quibus adde illud. *n Non* n Idem de
ſolum enim Deus poſſe noſtrum donauit, atque adiuuat, ſed grat. Chr.
etiam velle & operari operatur in nobis: Non quia nos non l. 1. c. 25.
volumus, aut non agimus, ſed quia ſine ipſius adiutorio nec
volumus aliquid boni, nec agimus;] Item, *o Non enim eſt* o Idem ad
homo bonus ſi nolit, ſed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur Bonif. l. 1.
vt velit.] Hic expreſſe negat Auguſtinus ſoli Deo c. 18.
deberi ipſum primum noſtrum velle, & eius gra-
tiam in ipſo primo noſtro velle facit tantum adiu-
uantem. Gratia vero adiuuans ſemper ſupponit
voluntatem operantem: quod non negabit Augu-
ſtinus: Ait enim: *p Non ideo de hac re ſolis votis agendum* p Aug. de
eſt, vt non ſubinferatur ad bene viuendum noſtra efficacia pec. mer.
voluntatis. Adiutor enim Deus dicitur, nec adiuuari po- & rem. l. 2.
teſt niſi qui ſponte aliquid conatur.] c. 5.

Proſper quoque cooperationem voluntatis, et- LIII.
iam in prima conuerſione poſuit: *q Gratia quidem* q Proſp de
Dei inquit, *in omnibus iuſtificationibus principaliter præ-* vocat. gen.
eminet, ſuadendo exhortationib. monendo exemplis, terrē- l. 2. c. 9.
do periculis, incitando miraculis, dando intellectū, inſpirā-
do conſilium, corq; ipſum illuminando, & fidei affectionib.
imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atq;
coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, vt
diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritū,
quod ſuperno ſemine cõcepit ad ſtudiũ, de ſua habens muta-
bilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opi-
tulatio per innumeros modos ſiue occultos, ſiue manifeſtos
omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum
eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt
diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, ſiue pro-
fectus fidelium, ſiue vſque in finem perſeuerantium cogi-
temus genus, nulla ſpecies cuiuſquam virtutis occurrit,
quæ vel ſine dono diuinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ
voluntatis habeatur. Ipſa enim gratia hoc omni genere
medendi atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, pri-
mam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præ-
paret voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt, nec poſ-
ſe aſſeri vel fidem, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quo-
rum ab his bonis conſenſus alienus eſt. Hunc autem con-
ſenſum non ſolum cohortatio prædicantium, & incitamen-
ta doctrinæ ſed [illegible] *gignit.*] Proſper profecto ſui
Magiſtri Auguſtini doctrinę tenaciſſimus, nunquã
tam clare & tam ample in omni actione diuinæ gra-
tiæ ſociam adhibuiſſet, & cooperatricem humanã
voluntatem, ſi in Auguſtini ſententia ipſa volun-
tas in prima ſui determinatione ad bonum nihil
ſuæ liberæ operæ adhiberet, ſed paſſiue ſe tantum
haberet, & vt nudum inſtrumentum: quicquid ita-
que Proſper affirmat id eſſe ipſiſſimam Auguſtini
ſententiam poteſt quoque pro certo affirmari.

Addamus hic Bernardum diuinæ gratiæ exa- LIV.
ctiſſimum propugnatorem. *r Apoſtolus,* inquit, *O-* r Bernard.
mne quod boni eſſe poteſt id cogitare, & velle, & perficere pro de gra. &
bona voluntate, attribuit Deo nõ ſuo arbitrio. Si ergo Deus lib. arb.
tria hæc (hoc eſt bonum cogitare, velle & perficere) ante fin.
operatur in nobis, primum profecto ſine nobis, ſecundum
nobiſcum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo
bonam cogitationem nos præuenit, immutando etiam
malam voluntatem, ſibi per conſenſum iungit, mini-
ſtrando & conſenſui facultatem foris per apertum opus
noſtrum internus opifex innoteſcit.

T *Sanè*

Sane ipſi nos præuenire nequaquam poſſumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem ſaluat, quem non præuenit. Adeo ergo ſine dubio noſtræ fit ſalutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiſcum. Verum conſenſus & opus, etſi non ex nobis, non iam tamen ſine nobis. Neque primum itaque, in quo quippe nos nil facimus: nec vltimum, quod & plerunque extorquet aut timor inutilis, aut ſimulatio damnabilis, ſed tantum medium nobis reputatur in meritum. Sola nempe interdum bona voluntas ſufficit, cætera non proſunt ſi ſola defuerit, Non proſunt dixerim, ſed agenti, non cernenti. Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum, vtranque præueniens cogitatio tantummodo ad excitandum. Cauendum ergo ne cum hæc inuiſibiliter intra nos ac nobiſcum actitari ſentimus, aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, aut DEI neceſſitati, quæ nulla eſt, ſed ſoli gratiæ qua plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium cum ſeminat cogitatum, ſanat cum immutat affectum, roborat vt perducat ad actum, ſeruat ne ſentiat defectum. Sic autem illa cum libero arbitrio operatur, vt tantum illud in primo præueniat, in cæteris comitetur: ad hoc vtique præueniens vt iam ſibi deinceps cooperetur; Ita tamen quod à ſola Gratia cæptum eſt, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim non ſigillatim, ſimul non vicíſſim per ſingulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere indiuiduo peragunt: Totum quidem hoc, & totum illa, ſed vt totum in illo, ſic totum ex illa.] Solam gratiam excitantem à ſolo Deo totam dari abſque vlla voluntatis operatione aut cooperatione, quod eſt omnibus prorſus Theologis receptiſſimum, ſentit Bernardus Primum tamen aſſenſum, ſeu ipſum primum velle, ſicut & bonum operari tribuit & gratiæ, & voluntati cooperanti, quam comitetur gratia.

LV. Pelagianiſmi ne veſtigium quidem ſe habere profitetur hæc ſecunda opinio, nam Pelagius poſſibilitatem quandam, proculdubio naturalem, ponebat in voluntate ad agendum bonum, & hanc poſſibilitatem gratia adiuuari dicebat, nimirum non vt ſimpliciter poſſit, ſed vt facilius poſſit. Auguſtinus illum reprehendit, a *Quod diceret poſſibilitatem gratiæ auxilio iuuari, cum potius dicere debuiſſet ipſam voluntatem, vel ipſam operationem gratiæ auxilio adiuuari. Sic enim*, inquit, *non abhorrere à doctrina Apoſtolica videretur.*] Et poſtea clarius oſtendit quomodo circa auxilia gratiæ poſſit Pelagius catholice loqui, & cum catholicis concordare. b *Si conſenſerit*, inquit, *etiam ipſam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum D. N.——nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuerſiæ relinquetur.*] Laudat ſimiliter Auguſtinus quod aliqui ex reliquiis Pelagianorum fratres eo deuenerint, c Vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur: atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quenquam ſufficere poſſe conſentiant. *Retenta ergo iſta*, inquit, *in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore diſcernunt.*] Et de illis qui dicebant liberum arbitrium adiuuari per Dei gratiam (*primo præuenientem, poſtea cooperantem*) vt recta ſapiamus, atque faciamus: ait, d *Hoc qui ſentiunt, bene ſentiunt.*] Cum ergo per admiſſionem gratiæ ſiue præuenientis, ſiue auxiliantis, Pelagianus error ſatis vitetur, vt ſponte fatetur Auguſtinus, nulla erit neceſſitas quæ illā prioris opinionis inducat aſſertionem, niſi loca ſacræ Scripturæ ad illam adigant, de quibus poſtea.

a Aug. de gra. Chr. l.1. c.6.
b Ibid. c.47
c Idem de prædeſt. ſanct. l.1. c.1.
d Idem ep. 48.

Sumamus etiam ex primi hominis gratia pro hac ſecunda opinione contra priorem argumentum hoc pacto. LVI. Iuſtitia originalis, quæ ex communi ſcholaſticorum opinione, erat gratia certe de ſe multo maior, & maioris virtutis; quandoquidem & muniebat hominem, & ſenſum & concupiſcentiam omnem comprimebat, & facilitatem multo maximam ad bene operandum ſuppeditabat, & mortem abigebat, &c. Nihilominus voluntatem primi hominis neque illa, neque vlla alia ſuperaddita gratia adiuuans determinabat ad bonum, neque ſola ſine liberi arbitrii vſu operabatur quicquā, vt conſtat, ea enim cōtempta peccauit, cur vero id tribuemus nūc gratiæ multo minori, & multo illa inferiori? Cum præſertim gratia poſt lapſum ſuppleat aliqua ex parte, ſeu potius ex aliqua particula iuſtitiæ illi per primum parentem ſibi & nobis amiſſæ, & ſi illius munus proprium, quod bonum volendum & operandum, erat duntaxat e adiuuare voluntatem, vt in puris nimirum naturalibus conſideratam, cur hæc plus poterit quam illa? Et ſi Deus maluit permittere peccare Adamum, cuius peccatum totum ferme opus diuinum in humano genere vniuerſo deſtruebat, pro quo eſſet filius vnigenitus Patris in terras mittendus, quam libertati in qua hominem creauerat, vel minimum quid derogare, cur nunc eidem libertati derogabit? An non eſt idem Deus nunc, qui & tunc? an non ſuæ gloriæ æque nunc atque tunc zelans? Et ſi tunc nihil diuinæ gratiæ gloria patiebatur ex eo quod voluntas adhuc libera maneret, & citra etiam auxilium iuſtitiæ illius originalis aut aliud poſſet ſua ſola naturali voluntate ad bonum primum conuerti, modo voluiſſet, cur nunc eadem patietur ſi eadem relinquatur voluntati poſt gratiam præuenientem libertas, vt ſuis ſolis viribus gratia refocillatis ad primum bonum poſſit conuerti, modo velit; qua gratia præueniente primus homo non indigebat dum integra in eo eſſet natura, & nondum corrupta Neque cuiquam durum videatur, quod aſſero Adamum ſi ita ad bonum & obedientiam ſe conuertiſſet, ſicut ad malum & ad inobedientiam ſe conuertit, illud primum velle futurum fuiſſe ex ſolo naturali libero arbitrio, citra vllum vllius gratiæ, ſiue iuſtitiæ originalis adiumentum: ſtante enim illa iuſtitia, ea contempta malum ex ſe voluit, bonum igitur etiam ex ſe voluiſſe; & fatetur hoc expreſſe Auguſtinus dum ait, f *Tale erat adiutorium in primo homine, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret vt vellet.*] Ex illo igitur adiutorio non habebat vt vellet, ſed proxime tantum vt poſſet velle; ergo ſi voluiſſet actu, non voluiſſet proxime ex illo adiutorio, ſed ex ſe ipſo.

e August. de corrept. & grat. c.11
f Ibid. & c. 12.

Quod vero ſubdit Auguſtinus gratiam Chriſti LVII. eſſe maiorem, quam fuerit gratia primi hominis, g *Quia* inquit, *etiam fit vt homo velit.*] Videtur innuere gratiam illam per quam datur homini vt poſſit velle bonum non ſufficere ad hoc, vt actu ipſo velit bonum; & hoc videtur eſſe imperceptibile, nam Adam vel poterat, ſtante iuſtitia originali (quæ præſtabat id quod nunc gratia præſtat præueniens) ex ſe velle bonum, vel non poterat, niſi per nouam gratiam dantem ei vt vellet: ſi poterat, ergo iuſtitia illa originalis ſufficiebat, & Adam noua non indigebat; ſi non poterat, ergo gratia illa non dabat poſſe, & tamen illam dediſſe homini vt poſſet, non poteſt negari. Si Adam præuaricatus eſt, non quia non potuit perſiſtere, ſed quia noluit, potuit ergo velle, nunc ponamus illū voluiſſe,

g Ib. c. 11.

poterat

poterat enim ſine vllo alio nouo adiumento velle, tunc certe per ſuum liberum arbitrium voluiſſet, ſed non ſine diſpoſitione gratiæ quæ præſtabat ei quod nunc præſtat omnis gratia præueniens, & multo plus: cur eadem ratiocinatio nunc etiam non valet? Datur homini per Chriſtum gratia præueniens, qua poſſit velle bonũ, cur noua gratia requiritur vt etiã velit? Nam per priorẽ vel poteſt velle, vel nõ poteſt, ſi poteſt ponat ergo in actum, etiam velit quod gratia dat ei vt poſſit velle, ſi non poteſt ſine noua gratia quæ dat ei vt etiam velit, ergò prior gratia non dabat poſſe, & tamen dicitur dare poſſe. Sicut igitur primus homo, ſi ſtetiſſet, (poterat enim ſtare) per liberum arbitrium ſtetiſſet, ita nunc quibus datur poſſe à gratia dum volunt, certe per liberum arbitrium volunt; quæ ergo gratia dat poſſe vellé, eadem dat velle quando ille vult qui per gratiam habet vt poſſit velle, dummodo ipſe ſe ad volendum determinet. Potuiſſe vero Adamum in ſtatu recto, ex ſolo libero arbitrio velle bonum, abſque additione gratiæ nouæ quæ daret illi velle, fatetur alibi expreſſe Auguſtinus, vbi ait, *a Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adiutorium ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet, vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio.*] Ergo nunc etiam adiutorium gratiæ præuenientis facit vt poſſimus, ſine quo velle non poſſemus, vt autem actu velimus in noſtro ſolo eſt libero arbitrio.

a Aug de correp & grat.c.11.

LVIII. Neq; licet colligere ex effectu ſic, Adã non voluit bonũ, ergo gratia non dedit ei vt vellet. Satis .n. eſt quod gratia dederit ei vt poſſet velle, quod autem actu noluerit, non fuit defectus ex parte gratiæ quæ ei non dederit velle, ſed fuit defectus ex parte voluntatis, quæ noluit cum poſſet velle. Ita nunc qui habet gratiam vt poſſit velle bonum, certe ſi nolit, non ideo non vult, quia gratia non dat ei velle, ſed quia ipſe non vult velle, cum poſſit, & qui vult non ideo vult quia noua aliqua gratia dat ei velle, ſed quia ipſe beneficio illius gratiæ quæ dat ei poſſe, vult id quod vt poſſet velle ei gratia dabat; & ſic beneficio illius gratiæ præuenientis, quæ dedit ei poſſe, iam actu vult, & ſine qua nunquã actu vellet. Gratiæ vero beneficium in eo conſiſtere, vt det poſſe fatetur Auguſtinus, vbi de libero arbitrio hæc habet. *b Nec tantum vt ſit* (eſt donum gratiæ) *verum vt bonum ſit, id eſt, ad facienda mandata Domino conuertatur, atque ita Dei gratia non ſolum oſtendat quid faciendum ſit,* (ecce gratia tantum præueniens) *ſed adiuuat etiam, vt fieri poſſit quod oſtenditur.*]

b Aug de ſpir.& lit. c.35.

LIX. Hæc omnia dixerim & ponderarim pro hac ſecunda opinione, non quod cenſeam per illam rem demonſtrari, ſed vt maximam ipſius oſtenderem probabilitatem, vt non ſint propterea admodum abhorrendi, reijciendi & euitandi illi qui eam ſequantur. Sed vt adhuc magis ipſius probabilitatẽ euincam, oppoſita contrariæ opinionis fundamenta nihil ei obeſſe oſtendo, quæ ex naturæ lapſæ infirmitate petuntur. Concedit enim ante omnia hæc quam tueor opinio, voluntatem humanam poſt lapſum eſſe valde imbecillem & infirmam, viribuſque ſufficientibus propriis extenuatam, non tamen penitus mortuam, neque ab omni bono naturaliter abhorrentem: hoc enim eſſet cum Marcione, ſeu Manichæis aſſerere naturam humanam à Deo eſſe malã creatam, quæ non poſſit neq; velit naturaliter niſi malum, cum tamẽ natura humana etiam in puris naturalibus mala non ſit, neq; ad malum faciendum creata, licet quoad bona ſpiritualia, ſine adiumento gratiæ ſit imperfecta, ac ferme ex ſe ad ea inhabilis & impotens; negatiue profecto multo plus quam poſitiue, reliquias enim aliquas primæ bonitatis in qua creata eſt adhuc in ea repetiri iam probauimus. Huic infirmitati, & ſi vis, etiam impotentiæ ſine gratia non ſuccurritur, ſuccurrit tamen ei ſatis gratia, initio quidem præueniens, vocationis, illuminationis, præparationis, &c. vt iam eſt explicatum; poſtea vero gratia adiuuans & cooperans. Sanitas igitur voluntatis incipit à gratia præueniente, deinde perficitur à gratia adiuuante, viuo ſemper manente libero arbitrio. Et quando dicitur nihil boni poſſe voluntatem ſuis propriis viribus, verum dicitur, quia voluntas vt incipiat bonum eget gratia pręueniente, vt perficiat eget adiuuante; ſed quando voluntas primum aſſentitur bono, in illo actu ipſa ſola operatur, iam tamen præparata, & diſpoſita à gratia præueniente: fauet huic expoſitioni Paulus dum ait, *c Gratias autem Deo quod fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ in qua traditi eſtis.*] Quid eſt ex corde obedire, niſi ex interna, & ſeria animi deliberatione? Prima ergo conuerſio per obedientiam & amplexum Euangelii, facta eſt à Romanis ex corde, & ex interna voluntate, obediſtis, inquit, at certe obedire eſt actus valde liber liberi arbitrii.

c Ro.6.17.

LX. Nullam ergo neceſſitatem video ſtatuendæ primæ opinionis ad Pelagianiſmum euitandum; atque interim grauiſſimam patitur difficultatem in libero arbitrio ſaluando, vt paulo poſt videbimus; ſed & præterea plurimum ei officit argumentum quod fuit Auguſtino ꝓpoſitũ ab illis, qui dicebãt: *d Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur vt declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc nos non agimus, ſed id e velle & operari DEVS operetur in nobis?* —— *f Præcipe mihi quid faciam, & ſi fecero age pro me gratias DEO qui mihi vt facerem dedit, ſi autem non fecero, non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus eſt vt det quod non dedit, id eſt, ipſam qua præcepta eius fiant, fidelem DEI, & proximi charitatem. Ora ergo pro me vt hanc accipiam, & per hanc ex animo cum bona voluntate quæ præcepit faciam. Recte autem corriperer, ſi eam mea culpa non haberem, hoc eſt ſi eam poſſem mihi dare vel ſumere ipſe, ne facerem, vel ſi dante ipſo accipere noluiſſem.*] Huic obiectioni plurimum nititur hæc opinio, & ait, ſi primum velle à quo pendent cætera omnia, totum eſt ſimpliciſſimum donum, & opus Dei, ad quod humana voluntas ſe habeat duntaxat paſſiue & inſtrumentaliter, idque Deus non faciat in omnibus, ſed in quibus ipſi placuerit, argumentum hoc videtur ſuam vim habere, quo poſſint legitime illi vti quibus hoc velle non eſt datum; Et pro ſola huius argumenti ſeu obiectionis ſolutione Auguſtinus ferme totum librum de correptione & gratia ſcripſit. Quomodo vero directe & adæquate tollat ipſe hanc obiectionem, nondum percipio. Quæ obiectio rurſus infra recurret. Hæc vero obiectio oppoſitæ ſententiæ quatiens fundamentum, in altera opinione, cuius tueor probabilitatem, locum non habet: quia in noſtra libertate eſſe dicit primum illud velle, ſed poſt gratiam præuenientem ſine qua non poſſumus velle, ſed cum qua etiam liberum eſt nobis non velle, & ideo ſi nolimus merito corripimur, quia dante ipſo accipere nolumus.

d Aug. de correp & grat.c.2.
e Phil.2.13
f Aug.ibid. c.4.

LXI. Iam quod ſpectat ad loca Scripturæ, quæ vrgentur pro magna illa gratiæ efficientia,& neceſſitate, in prima hominis conuerſione, non modo quæ ſupra innui nu.34.ſed etiam multa alia; ea à S. Patribus iam à me productis in ſuperioribus,& inferius producendis,explicata ſunt & ſoluta. Generalis quidem ſolutio illa erit ad multa ſufficientiſſima, quod diuinam gratiam requirunt vel præuenientem initio conuerſionis, vel etiam adiuuantem poſt conuerſionem; & nulla ſunt quæ dicant Deum operari in nobis velle,ſine noſtro libero cōcurſu,& excludant expreſſe actum verū & propriū liberi arbitrii, niſi vbi agitur de gratiis præuenientibus,& præparantibus,& ſimiliter de donis,& habitibus infuſis,aut de gratiis gratis datis. Similiter alia generali ſolutione multa abſoluuntur ſola negatione meriti ex parte noſtra, & debiti ex parte Dei. In particulari tamen plura ſoluit a Bellarminus, licet fortaſſe non in omnibus plene ſatisfaciat.

a Bellar. de gra. & lib. ar. l. 6. c. 13.

LXII. Quod tamen ſpectat ad quædam inſignia loca, quæ vrget Auguſtinus, vnde ille gratiam ſolam in nobis primum velle operari ſine nobis videtur aſſerere, ea inprimis ſunt ex quibus habetur voluntatem noſtram eſſe prius ſanandam, & duritiem molliendam. Hinc interdum ait Auguſtinus, & cum ipſo prima opinio, voluntatem prius à Deo b rectam fieri, & bonam, quam homo exeat in actū ſuum primum volendi bonum, & prius concupiſcentiam compeſci, & fomitem retundi, ac mortificari debere, quam voluntas in illū actum ſimiliter exeat. Sed ſecunda opinio præparationē aliquā per gratias præuenientes iam admiſit; hoc vero quod ponit Auguſtinus, vt verba eius ſonant, plene eſſe neceſſarium non video. Si enim ita fieret de facto, homo regenerandus ante regenerationē, quæ non eſt ſine conuerſione & fide, humanæq; voluntatis actibus, iam bonus eſſet, iam mutatus, iam mortificatus, iam liberatus, iam viuus, iam reſuſcitatus: & tamen hæc homini non conueniunt, niſi iam conuerſo,& plene iuſtificato. Vitam plenā Ioannes nō tribuit homini, niſi poſt ſuſceptam fidē, c *Hæc ſcripta ſunt vt credatis, — &, vt credentes vitam habeatis.* d *Qui habet Filium Dei, habet vitam, qui non habet Filium Dei non habet vitam.* e Et Paulus; *Conſepulti Chriſto in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei.* f *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis.*] Quando videlicet iam non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ambulabat. g *Gratias autem Deo quod fuiſtis ſerui peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis. Liberati autē à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ.*] Poſtquam videlicet obedierunt fidei ex corde. Fidelibus iam conuerſis & plene credentibus ait Paulus: h *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Quā vero luctandum ſit etiam ſanctis in hac vita aduerſus concupiſcentias, & fomitem ac legem repugnantem legi mentis, plenæ ſunt Scripturæ: & ſunt nobis leges laborum, ſunt noſtri Iebuſæi relicti nobis ad exercitium, & nunquam extincti; quis ergo quærat vt ante conuerſionē concupiſcentia compeſcatur, ſi Paulo debuit ſufficere i gratia Dei aduerſus ſtimulum carnis, Angelum Sathanæ colaphizantem illum; cur eadem gratia non ſufficiat regenerando, qua gratia præuentus pugnet, & ſe à paſſionibus non ſinat ad conuerſionem impediri? Longa exercitatione opus eſt, & magno gratiæ ac perpetuo adiumento, *vt homo noſter* k *vetus vincatur,* & opprimatur, ne contra ſpiritum ſeditioſus inſurgat. Poſſe tamen & ſolere Deum ſua præueniente gratia reprimere paſſiones conuertendi, ne repugnent, iam cōceſſi. Sed gratiam ſolum præuenientem ſufficere inueni.

b Aug. de gra. & lib. arb. c. 20.

c Io. 20. 31.

d 1. Io. 5. 12.

e Coloſſ. 2. 12.

f Ro. 8. 2.

g Ro. 6. 17.

h Coloſſ. 3. 5.

i 2. Cor. 12. 9.

k Coloſ. 3. 9.

Mutatio voluntatis ex mala in bonam, non eſt LXIII. niſi quando ipſa, quæ malum tantum volebat, iam incipit velle bonum: neque videtur perceptibile, quomodo antequam illa ſe conuertat ad bonum, neceſſario requiratur vt iam ex mala ſit facta bona. Cum præſertim ipſe Auguſtinus bonam fieri voluntatem ex infuſione charitatis, aduerſus Pelagium ſcribat. Pelagius enim poſſibilitatem tantum ex Deo eſſe nobis dicebat; at vero bonam voluntatem,& bonam actionem totam ex nobis: Subdit vero Auguſtinus hæc verba. l *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas quam charitas, quam ſcriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & à Patre datam, vt filii eius ſimus.*] At quis dicet charitatem infundi homini antequam credat,& ſe volens ad Deum conuertat, actuſque voluntarios ad conuerſionem neceſſarios faciat? Obſeruemus etiam alium eiuſdem Auguſtini locum, quem retractatum poſtea nemo ſuſpicatur, eſt enim in ipſis Retractationibus. m *Niſi quiſquam,* inquit, *voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus docet, vbi ait,* n *aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum; quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt mutare voluntatem. Sed ea poteſtas nulla eſt niſi detur à Deo de qua dictum eſt, Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cum enim hoc ſit in poteſtate quod cum volumus facimus, nihil tam in poteſtate quam noſtra voluntas eſt, ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem.*] Noſtrum igitur eſt facere bonam etiam primam voluntatem, cum ſola gratia præueniente. Et ſi Deus dicitur facere bonam noſtram voluntatem ante omnia; id intelligit Auguſtinus duntaxat diſpoſitiue, & præuenienter, dum voluntati aufertur à Deo impoſſibilitas bonum volendi,& datur ei vt poſſit velle bonum, ſed cum libertate. Vnde etiam illa ſunt verba Auguſtini, o *Cum ergo dicit* (Dominus) *aut hoc facite, aut illud; poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus facere arbores poteſt, Sed habet vnuſquiſque in voluntate* (poſt gratiam præuenientem) *aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*] Itaque ad hæc omnia gratia vel præueniens ſola, vel etiam adiuuans eſt neceſſaria & ſufficit, neque Scripturæ aliud homini conuertendo prærequirunt, niſi gratiam præuenientem. Et quamuis homo dicatur mortuus ante regenerationem, hoc eſt intelligendū de maxima liberi arbitrii debilitatione ad bonū ſpirituale, imo de abſoluta impoſſibilitate, iacent enim vires eius vt mortuæ; & hæc potentia quaſi mortua ante omnia per meram gratiam ſuſcitanda eſt, ſiue viuificanda; vt poſſit bonum velle. Hæc tamen reſuſcitatio potentiæ, ſiue facultatis (quæ eſt potius ſanatio ægræ; quam viuificatio mortuæ) nondum hominem totum ex mortuo morte peccati, facit viuum vita gratiæ, & regenerationis, niſi liberum arbitrium iam ſanatum per gratiam præuenientem vt poſſit velle bonum, exeat in actum ſuum liberum volendi bonum: Neque voluntas poteſt dici iam facta bona, quando ſanata fuit ad hoc vt poſſit velle bonum, & conſequenter ad hoc vt ipſa fieri poſſit bona, ſi in illum actum exeat.

l Aug. de grat. Chr. l. 1 c. 21.

m Aug. Retract. l. 1. c. 22.

n Matt. 12. 33.

o Aug. in Actis cont. fol Manichæi l. 2.

Similiter tunc Deus aufert cor lapideum, quando LXIV. per gratiam præuenientē diſponit hominem, ne reſiſtat, & dat cor carneū per eandem diſpoſitionē

gratiæ

gratiæ præuenientis, & emollientis voluntatem. Ac ſane ſicut Scriptura dicit, *Auferam cor lapideum*, ita etiam Scriptura dicit, *Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra.*] Vt ſciamus nobis etiam eſſe enitendum noſtro libero arbitrio, ne dura reſiſtentia gratiam oblatam reſpuamus; & in noſtra quoque poteſtate eſſe, poſt gratiam præuenientem, auferre reſiſtentiam, & duritiem. Cor etiam mundum creat in nobis Deus, quando iam regeneratis, (qualis erat Dauid quando id orabat) gratia ſua adiuuante fert opem, vt reſiſtat tentationibus cor maculare tentantibus; aut ſi per peccatum iam cor maculatum habemus, rogamus vt adiuuet nos ad reſipiſcentiam. Illud vero creare, eſt facere, a 1.Tim.4 3. vt illud, *a* Abſtinete à cibis quos Deus creauit: nunquid nunc tantum incipiunt eſſe cibi? Et illud, *b* b Iſa.45.7. *Creans tenebras, & creans malum, &c.*] Ita *cor Regis eſt* c 1.Reg.10. 26. *in manu Dei eo modo quo Deus c tetigit corda partu exercitus, qui ſecutus eſt Saul initio ipſius regni*: & quo immu- d Eſth.5.2. tauit cor *d* Aſſueri vt Reginam Eſther humane exciperet. Nunquid ad hæc temporalia etiam Deus ſolus, ſine concurſu liberi arbitrii operatur velle in homine? durum hoc, ne dicam dirum poteſt videri, ad negotia videlicet pure humana & temporalia liberum arbitrium à Deo neceſſitari vt velit, & non ex ſe, ſed ex ſola gratiæ operatione. Mouet ergo corda Deus in rebus temporalibus, dum illuminat intellectum practicū ſuper agibilibus mundanis, quem ſequatur voluntas, ſed libere, in grauioribus quidem, vt in recte regendo regno, non ſine auxilio gratiæ diuinæ in aliis vero etiam ex ſolis viribus naturalibus liberi arbitrii.

LXV. Obijcientibus regenerationem primam homi- e Ioan.3.5. nis ſoli Spiritui ſancto tribui eo Chriſti dicto: *e Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*] Spiritus ergo per ſacramentum baptiſmi regenerat hominem, homo vero in hac ſui ſpirituali regeneratione nihil facit, nec eam ſua attingit libera vlla actione: Reſpondere poſſumus ſermonem hic eſſe de regeneratione plena, & completa, per quam homo iam aſſequatur filiationem Dei ſpiritualiter, & conſequenter plenam iuſtificationem, & peccatorum remiſſionem, quæ non datur ordinarie niſi in baptiſmo, ideoq; Chriſtus coniungit regenerationem per ſpiritum, cum regeneratione per aquam. Talem vero regenerationem præcedit fides, vt ſimpliciter neceſſaria. Fides autem eſt hominis, & præcedit Baptiſmum, & eſt medium ad regenerandum hominem, non eſt autem formaliter regeneratio hominis. Ipſa vero completa regeneratio, quæ formaliter eſt remiſſio peccatorum, iuſtificatio hominis, & adoptio in filiationem Dei, profecto non eſt vlla ratione ab homine, ſed à ſpiritu, & ad hæc homo non ſe habet niſi paſſiue. In mediis tamen per quæ ad hanc regenerationem peruenit, liberum arbitrium gratia præparatum ſuam partem habuit, & operationem in prima fide, in reliquis vero habuit ſuam cooperationem cum gratia adiuuante. Quod ſi quis ſumat regenerationem inchoate, tunc prima fides, quæ eſt prima inchoatio huius regenerationis, ipſa quoque à ſpiritu ſancto eſt, ratione gratiæ præuenientis, quæ tota eſt à Spiritu ſancto. Præterquam quod hæc eſt generalis quædam locutio Chriſti, hoc ſenſu, Nemo eſt capax æternæ gloriæ, qui ſit homo duntaxat carnalis, niſi prius fiat homo ſpiritualis, modis tamen & viis quas Deus præſcribit, inter quas eſt, vt homo voluntarie à vita carnali tranſeat ad ſpiritualem, diſpoſitus prius, & adiutus poſtea gratia.

Quoniam vero Auguſtinus ſæpe ea ſcripturæ lo- LXVI. ca vrget, in quibus exprimitur donum Dei eſſe fidē, & à Deo nos habere non modo *f vt perficiamus bonū*, f Phil.2.13. *ſed etiam vt velimus, & vniuerſe à Deo eſſe omne bonum noſtrum, & nihil nos habere quod non acceperimus, nec habere vnde glorientur in bono.*] Ad hæc reſponderi poteſt, mirum videri, ſi Auguſtinus ideo reprobarit dictum illud, Nos ſumus qui ex nobis volumus, quia Paulus ait, Deus operatur in vobis velle & perficere: ſi enim propterea Dei ſolus opus eſt noſtrum primū velle, quia Paulus ait, Deum operari in nobis ipſum velle: profecto etiam perficere erit ſolius Dei opus, quia pariter ait Paulus Deum in nobis operari etiam perficere. Quod ſi planum eſt, & paſſim fatetur Auguſtinus, liberum arbitrium ſimul cum gratia adiuuante & cooperāte bona opera perficere, nihil obſtante quod Paulus dicat Deū in nobis operari & velle & perficere: cur id obſtabit libero arbitrio in primo velle operanti? muneris enim diuini erit per gratiam præuenientem, vt velimus, & per gratiam adiuuantem vt perficiamus? An nō Paulus ait, *g velle adiacet mihi, perficere au-* g Rom.7. 18. *tem bonum non inuenio?* certe illud velle quod ei adiacebat erat velle, aut ſaltem inclinatio, & naturalis propenſio liberi arbitrij ad bonum, & bonum ſpirituale, de quo ibi agit Paulus, nam ſubdit, Non quod volo bonum hoc facio: & hoc velle faciebat, vt condelectaretur legi Dei ſecundum interiorem hominem, & ſubderetur legi mentis, licet lex peccati ei reſiſteret: tamen illud velle bonum adiacebat ei, quia à libero arbitrio proficiſcebatur; ſed illud velle, propter impedientem legem peccati, non poterat perficere ſine gratia. Optime Beda: *h Deus, inquit, hominem fecit perfectum, & talem ſcilicet* h Beda lib. var. quæſt. q.13. *quod poſſet & velle bonum, & non velle, & hoc eſt liberum arbitrium: velle ſcilicet, & nolle, & abſolutum. Hoc eſt velle ſuum hominis per naturam: ſicut dicitur in ſapientia: noſtrum eſt velle, Dei autem perficere; noſtrum ſcilicet per naturam. Sed hoc velle, & hoc bonum deprauauit homo peccando, & quaſi extinxit, non tamen omnino, quia ſemper remanſit in eo aliqua ſcintilla boni, & quando Apoſtolus dixit, Deus operatur velle, ſic non intelligimus quomodo primum ponat in eo velle, ſed voluntatem quæ in eo eſt per naturam deprauatam, & quaſi extinctam, ſuſcitet, & reuiuiſcere faciat. Sic facimus conuenire iſta duo, quod ſcriptura dicit, noſtrum eſt velle, & quod Apoſtolus; Deus operatur velle.*] Hoc eſt, corroborare potentiam, non viuificare hominem. Et quid aliud ſignificat Chriſtus vbi ait, *i Ego ſto ad oſtium & pul-* i Apoc 3. 20. *ſo ſi quis mihi aperuerit, &c.* niſi per gatiam præuenientem, & excitantem ipſum præparare hominem, eiuſque liberum arbitrium, ſed tamen liberi arbitrii eſſe vt aperiat, vel non aperiat? Et ſi omnes ſpirituales actiones iam regenerati, in quibus certum & cōceſſum eſt paſſim tum ab *k* Auguſtino, tum ab k Aug.de ſpir.& lit. cap.2.& de prædeſt.& gra.c.9. eius diſcipulis, & ſequacibus à libero arbitrio adiuto gratia fiunt, & tamen etiam de illis verum eſt, *Quid habes, quod non accepiſti? Omne datum optimum de ſurſum eſt, &c.* Cur ex his & ſimilibus locis colligat quis primum velle eſſe à ſolo Deo: Trahi à Patre quid aliud eſt quam inuitari, & ad ſequendam inuitationem diſponi, & præparari, ſine quo ille non veniret? Et ſecundum Auguſt. *l illetrahitur ad Chri-* l Aug.ad Boniſ.l.1.c.3. *ſtum cui datur vt credat in Chriſtum.*] Ei verò datur vt credat, cui datur vt poſſit credere, ac vt poſſit credere datur illi cui reuelatur Chriſtus, quique diſponitur & præparatur per gratiam præuenientem. Sic Petro à Patre facta eſt *m* reuelatio: ſed re- m Aug.hypogn.l.3. ad fin. uelate non eſt facere, vt quis credat, ſed præparare obiectum credendum, credidit autem Petrus

proxime id quod reuelauit Pater, non propterea quia Pater reuelauit niſi remote, ſed quia præueniente gratia præparatus reuelationi aſſenſus eſt, & voluit credere. Ac demũ qui dixit: Nemo venit ad me niſi Pater traxerit eum: ille etiam ſtatim dixit & explicauit, *a Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Tractio ergo Patris eſt vocatio & inſtructio, ac reuelatio: Vnde optime Cyrillus, *b Vbi auditus, inquit, diſciplina, doctrinaque adeſt, ibi fides non vi, ſed perſuaſione eruitur. Patrocinio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præſtatur, non vi Chriſtum fideles agnoſcunt.*] Vim proculdubio intelligit neceſſitatem, non coactionem. Nihil ergo cogit vt primus actus conuerſionis in homine non ſit perfecte liber, ac proinde nihil aufert ei opinioni, quam tueor, ſuam probabilitatem; fateor tamen contrariæ etiam opinioni ex his potiſſimum Scripturis ſuam manere probabilitatem. Scripturæ enim adductæ, neque adeo in alterutram partem claræ ſunt, vt varias non patiantur, & probabiles interpretationes, neque earum Scripturarum certus ſenſus ex antiqua traditione poteſt haberi, ac proinde liberæ relinquantur diſputationi, modo Pelagianiſmus, & Semipelagianiſmus integre euitetur.

a Io. 6. 45.
b Cyril. in Io. l. 4. c. 7.

LXVII. Secunda difficultas erat in hac ſecunda quęſtione, Num poſita etiam magna illa gratię motione quæ faciat vt voluntas ſe iuxta hanc gratię motionem determinet, ipſa voluntas ita neceſſario ſequatur illam motionem gratiæ, vt ei reſiſtere non poſſit; an vero voluntas etiam tunc ſua libertate naturali fruatur, vt poſſit reſiſtere, & non ſinere ſe moueri à gratia, ſuamque determinationem ſuſpendere, quantumcunque gratia illam ad ſe determinandam nitatur mouere. Videtur enim fieri poſſe, vt voluntas à Deo auerſa tantam libertatem habeat ad malum, & tantam renitentiam ad bonum, vt adhuc pulſante gratia ad cor hominis, eumque vocante & excitante, in ipſa adhuc ſit reſiſtere, & in malo perſeuerare, at vero in ipſa non ſit gratiam acceptare, & vocantem audire, & excitanti obſequi, niſi hoc ipſum totũ in homine ſola gratia, ſine ipſo, vt vult prima opinio, operetur. Propterea non deſunt ex illis ipſis qui volunt Deum ſolum in homine primam bonam voluntatẽ operari, qui tamen libertatem hanc voluntati ad reſiſtendum duntaxat relinquant, etiam tunc quando gratia vocans, & excitans iam cum homine externe operatur. Et tunc conſequenter dicendum videtur, non eſſe in poteſtate hominis non reſiſtere: nam ſi ſtatuet non reſiſtere, tunc acceptabit gratiam; at iam ponimus hanc ipſam primam gratiæ acceptationem totam ſoli gratiæ deberi; & eam Deum in nobis ſine nobis operari. Sed durante reſiſtentia Deus hoc primum velle in homine non operabitur: reſiſtentia autem ponitur communiter naturalis, & in omnib. Vt ergo Deus det ipſum velle, debet ille ſolus pariter & ſine homine auferre reſiſtentiã, prius quam det homini illud primum velle: & ſi non abſtulit reſiſtentiam Deus, certe neque dabit velle, nam fruſtra daretur reſiſtẽti. Si autem abſtulit reſiſtentiã, iam ergo Deus dat illi illud velle irreſiſtibile. Et ſicut ita dat Deus hoc velle vt homo non poſſit non velle, quia Deus vult illum velle, *c Voluntati autem eius quis reſiſtit?* Sic etiam dicendũ eſt his, Deum ita auferre reſiſtentiam, vt nõ poſſit reſiſtere; nam ſi poſſet reſiſtere, tũc Deus aut aliquid fruſtra conaretur interdum volẽdo efficere vt homo velit, cum tamen homo poſſit reſiſtere; aut præuidendum eſſet Deo quis ſit reſtiturus, quis non, & ſic non Deus ex ſe ſolus, ſed dependenter à libero arbitrio hominis potentis reſiſtere, & non reſiſtere daret homini velle, quod eſt contra ſuppoſitum.

c Ro. 9. 19.

Ex his itaque videtur omnino arctari aduerſa opinio, quę primum noſtrum velle à Deo ſolo vult eſſe, vt reſiſtentiam etiam omnino tollat, & quia Auguſtinus videtur in hac opinione eſſe, de illa prima bona voluntate Dei ſolius munere habenda, ideo requirit ipſe Auguſtinus, vt Deus auferat cor lapideum, & concedat cor carneum, præparetque voluntatem hominis, & tunc det ei ſic & poſſe velle, & actu velle. Audiamus ipſum, *d Non enim eſt homo bonus,* inquit, *ſi nolit, ſed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur vt velit: quandiu enim reluctatur, bonus nunquam erit.*] Sed à gratia hominem habere ante omnia vt non reluctetur, expreſſe docet Auguſtinus his verbis. *e Reluctanti enim prius aditus diuinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo iam non reluctante ſpiritus virtutis accenditur.*] Aut igitur auferenda eſt homini potentia reſiſtendi, ſi ei aufertur concurſus liber in prima bona voluntate; aut ſi relinquitur ei poteſtas reſiſtendi illi primæ gratiæ, debet etiam dari voluntati liber concurſus ad primum velle bonum. LXVIII.

d Aug. ad Bonif. l. 1. c. 18.
e Aug. ad Bonif. l. 4. c. 6.

Et certe, quod attinet ad Auguſtinum circa hãc ſecundam difficultatem, vix poſſumus vllam ipſius certam ſententiam habere: nam quemadmodum videbatur paulo ante irreſiſtibilitati fauere, dum reluctationem prius à Deo auferri aſſerebat, ita alibi, vim reſiſtendi ponit perpetuam in libero arbitrio, vt poſſit & reſiſtere, abijciendo gratiam illam primam, & non reſiſtere eam amplectendo, non tamen ſine gratiæ adiumento; & effectum ipſum auferendi illam reluctantiam ſoli Deo non tribuit, ſed & gratiæ & libero arbitrio. Sic enim ſcripſit. *f Attendat & videat non ideo tantum iſtam voluntatem diuino muneri tribuendã, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod viſorum ſuaſionib. agit Deus, vt velimus & vt credamus ſiue extrinſecus per euangelicas exhortationes, vbi & mãdata legis aliquid agunt, ſi adhoc admonent hominẽ infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantẽ credendo confugiat; ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentẽ: ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, (neq; enim credere poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat) profecto & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.*] Et iam in eodẽ libro dixerat. *g Cum ergo fides in poteſtate ſit, quoniam cum vult quiſq; credit, & cum credit volẽs credit. &c.*] Profecto in poteſtate hominis ponit & admittere gratiam qua ad credendum vocatur, & adiuuatur, & illi reſiſtere, ac illam reſpuere. LXIX.

f Idem de ſpir. & lit. c. 34.
g Ibid. c. 32.

Vniuerſalem eſſe reſiſtentiam ad bonum ſpirituale in homine nondũ regenerato, h. e. fuſam per totã ferme naturã humanã poſt lapſum primi parentis, negari nõ poteſt; quia *h Non eſt qui faciat bonũ, non vſq; ad vnum,* & inuenimus in Scriptura *duritiam cordis* Rom. 2. 5. *cor lapideum* Ezech 11. 19. & 36. 26. *Ceruicem ferream. Frontem æneam, neruum ferreum* Iſa. 48. 4. *Cor prauum ſuper omnia* Hiere. 17. 9. *Nigredinem Æthiopis, maculas Pardi* Hier. 13. 23. *Hominem eſſe carnalem venditum ſub peccato cum malo adiacente cum lege membrorũ repugnante legi mentis, & captiuante ſub lege peccati & cum carne ſeruiente legi peccati* Ro. 7. 14. *Cum ſapiẽtia carnis inimica Deo* Ro. 8. 7. *Figmentũ cordis malũ ab adoleſcẽtia* Gen. 6. 5. & 8. 21. *Progeniẽ viperarũ, &c.* Matt. 3. 7. LXX.

h Pſ. 13. 1.

Matth.3.7. Et quis poteſt hanc reſiſtentiam auferre
niſi ſolus Deus? Quomodo imprimetur ſigillum di
uinæ imaginis in ſilicem, niſi molleſcat prius? Erit
ergo opus Dei antequam ſuam offerat gratiam ho-
mini conuertendo, eumq; vocet; auferre aliquate-
nus ſaltem duritiem hanc ordinariam, ne reſiſtat, a-
lioquin ſemper reſiſtet, & nunquã conuertetur. Ab
lata autem per Deum duritie, iã vis reſiſtitiua in ho-
mine non eſt, & ſic primam gratiam Deus operabi-
tur in homine irreſiſtibiliter. Et certe hoc tenẽtur
omnino, vt ſupra dictum eſt, illi ſentire, qui primã
conuerſionem ſoli Deo tribuunt effectiue.

LXXI. Quia tamen contra has communes reſiſtentias
ſacra diuina Scriptura ponit etiam luctam hominis,
qui contra eas debeat inſurgere, & pugnare, adiu-
tus tamen diuina gratia, ſine qua nihil poteſt; & lu-
cta hæc atque pugna per liberum fit arbitrium, ad-
iuuante gratia, opinio quam probabilem conamur
facere relinquit homini perpetuam reſiſtibilitatẽ,
vt ipſius ſit vel vti gratia præueniente, à qua quiſ-
que habet vt poſſit aſſentiri vocationi; vel illam re-
ſpuere, eiq; reſiſtere. Nam & propterea dicitur ho-
a Pſ.94.8. mini, *a Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare cor-
da veſtra*; quaſi in ipſius poteſtate ſit & obdurare, &
non obdurare: poteſt enim homo, etiam præſente
gratia, quam reſpuat, ex propriis viribus ſe obdura-
re; & beneficio gratiæ præuenientis poteſt idem ſe
non obdurare, ſed aſſentiri: Atque vt homines non
reſiſtant ſua voluntate, ſed vtantur beneficio gra-
tiæ præuenientis, neque eam reſpuant, dicitur eis,
b Iſa.50.5. *Nolite obdurare corda veſtra; & optime dicebat ille, b Do-
minus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico:
retrorſum non abii.*] Gratia præueniens aperit aures;
at vero hominis eſt non contradicere, nec retrorsũ
abire: ſiue contradicere, & retrorſum abire. Paulus
c 1 Theſſ. quoque hortatur Theſſalonicenſes, *vt c Spiritum no
5.19. lint extinguere.* Poterant ergo & ſolebant aliqui Spi-
ritum acceptum extinguere; & ei amplius nolle ob-
d Chryſ. in 2. Tim. ho. 1. ſequi. Quare & Chryſoſtomus dixit. *d Gratiam Spiri
tus vel extinguere, vel excitare in nobis eſt.*]

LXXII. Atque hæc reſiſtibilitas humanæ voluntatis, pro
pter libertatem arbitrij, quæ eſſentialis eſt ei, tanta
eſt, vt quamuis Deus; qui cognoſcit optime com-
plexionem cuiuſque, & liberi arbitrij naturam; ex-
pectet locum, tempus, & alias circũſtantias ad mo-
uendam alicuius voluntatem opportunas, & tali tẽ
pore & opportunitate offerat voluntati obiectũ cã
mouens moraliter, ſub omni ratione bonitatis, au-
xiliumq; præueniens abundanter exhibeat, prout
viderit affectionẽ inclinationum, & ingenium ho-
minis mouendi expoſcere, ad hoc vt ille ſuũ volun-
tariũ & liberũ aſſenſum pbeat, non tamen ppterea
dicendũ eſt illum hominẽ neceſſario aſſenſurũ, ſed
ſola moralis & cõiecturalis habebitur certitudo, il-
lũ, his poſitis, omnino, & infallibiliter tamen aſſen
ſurũ. Cũ iſta omnia diſponant duntaxat voluntatẽ,
eamq; nõ phyſice, ſed tantũ moraliter, efficaciter ta
men moueãt, ipſa vero ſola ſe ipsã & ex ſe determi-
net libere; ſed adhuc poteſt reſiſtere, licet in facto
certiſſime nõ ſit reſtitura. Et quando ei nullũ aliud
bonũ relinqtur, etiã apparens tantumodo, q̃ præſe
rat illis omnib. veris bonis (nõ n. ſeqtur volũtas niſi
bonũ, vel verũ, vel apparens) ſufficiens bonum illa
poteſt cẽſere eſſe ſequi ſuã libertatem, vt nihil ſit q̃
illã poſſit neceſſario flectere. Ideoq; ſcholaſtici mul
ti negant Deum pcognoſcere futura contingẽtia à
libera cauſa pendentia, ex præuiſione naturæ, & in-
genij, & harum circunſtantiarum. Sed aliunde; Et
totum concurſum & motionem Dei cum cauſis ſe-
cundis liberis, applicantis eas ad opus, explicant ij-
dem ſcholaſtici, ne liberum lædant arbitrium; ſta-
tuuntq; multi cum Aquinate, *e* influxũ, ſeu motio- e Tho. 1.2.
nem Dei, qua volũtas mouetur, & applicatur ad o- q. 10. ar. 4.
pus, recipi in cauſis ſecundis, ſecundum earum diſ- & de malo
poſitionem. Hanc vero diſpoſitionẽ explicant eſſe q. 3. ar. 2.
f negatiuam quandam determinationem, præcedẽ f Bellar. de
tem eum influxum Dei, tum actum elicitum volũ- Grat. & li.
tatis, nimirũ quod voluntas ſinat ſe moueri per ob- arb. lib. 4. c.
iectum à ratione propoſitum, vel non ſinat. Itaque vltimo.
motionem Dei ponunt in poteſtate voluntatis mo
uendæ, quæ libere vtatur hac diuina motione; nam
ſi ſe moueri ſinat ab obiecto propoſito, Deus eam
applicat, & mouet ad actum eliciendum; ſi non ſi-
nat ſed reſiſtat, Deus eã neq; applicat, neq; mouet;
& ita concludunt non eſſe abſolute impoſſibile, vt
poſita diuina motione, voluntas tamen nõ mouea-
tur: His enim omnibus ſtantibus adhuc habet hu-
mana voluntas ſuam facultatem reſiſtendi. Et cur
quæſo, primus homo non habuit irreſiſtibilitatẽ cũ
tanta abũdantia gratiæ illius iuſtitiæ originalis? niſi
quia habebat liberum arbitrium, quod præſente et
iam gratia poſſet illam reſpuere, & non vti illa, eiq;
obedientiam ſuadenti reſiſtere, & ſenſum ſequi? Li
berũ itaq; arbitriũ tollit neceſſitatẽ efficientiæ gra-
tiæ illius, q̃ in homine, vt primum velit operetur; &
contra efficientia hæc gratiæ, quæ id, Deo ita volẽ-
te & phyſice mouente illam omnino efficiat, in illa
prima hominis voluntaria conuerſione penitus tol
lit, & deſtruit liberum arbitrium; de quo iam in ter-
tia difficultate eſt agendum.

Tertia difficultas an poſita irreſiſtibilitate, ſalue- LXXIII.
tur liberum arbitrium. Hæc laborioſam poſcit in-
daginem. Sane liberum eſſe in homine arbitrium,
etiã ad ſpiritualia bona, hoc eſt hominẽ ſine libero
concurſu ſui liberi arbitrij non trahi ad bonum, ſa-
cræ literæ ſæpiſſime aut teſtantur, aut ſupponunt.
Placet hic aliquot, quę mihi videntur inſigniora lo
ca à Patrib. allata commemorare: *g* Origenes p libero g Orig. de
arbitrio contra fatũ ſequentia vrget loca. *h Si annun* Princ. l. 3. c. 1.
ciatũ eſt o homo quid eſt bonum, aut quid Dominus requirit h Mich. 6.
à te, niſi vt facias iudicium, & diligas miſericordiam, & pa- 8.
ratus ſis ire cum Domino Deo tuo, i Poſui ante faciem tuam i Deut. 30.
[illegible] vita, & viam mortis, elige, &c.] Addamus nos q̃ ha 15.
betur ibidem. Mandatum non eſt ſupra te, &c. *Si au
dire nolueris, &c.*] Addamus etiam *k* benedictiones il k Deut. 28.
las magnas, magnaſq; maledictiones, quas Deus in
geminat illi populo, profecto vt moueat illius volũ
tatem per morales ſuaſiones, & terrores, quib. ille
bono aſſentiatur: Affert Origenes & illa, *l Si populus* l Pſ. 80. 14.
meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet: m Si volue- m Iſa. 1. 19.
*ritis & audieritis me, bona terra comedetis, ſi vero nolueri-
tis, &c.* Vrget & mãdata quæ à Chriſto dantur. *n Ego* n Matt. 5.
dico vobis non reſiſtere malo; Quicunq; iratus fuerit fratri 39.
ſuo, reus erit, &c. Subditq; Origenes: *quid aliud indicat*
(Chriſtus) *niſi quod in noſtra poteſtate eſt obſeruare poſſe,
quæ mandãtur* (certe ſuppoſito auxilio diuino) *& pro-
pter hoc recte rei efficimur iudicio ſi præuaricemus ea, quæ
vbiq; ſeruare poteramus.*] Pergitq; adducere alia loca.
o Omnis qui audit verba mea, & facit ea, &c: Venite benedi o Matt. 7.
cti Patris mei: p Eſuriui enim, & dediſtis mihi, &c. Oſtẽdit, 24.
inquit Origenes, *quia in ipſis fuit, vt vel laudabiles iſti eſ-* p Matt. 25.
ſent; facientes quæ mandata ſunt — vel hi culpabiles, qui 34.
contraria, &c.] Ac pergit, videamus quomodo etiam
Paulus Apoſtolus velut poteſtatem arbitrij haben-
tibus nobis loquitur, & tanquam in nobis ipſis vel
ſalutis, vel perditionis habentibus cauſas, ait; *q Aut* q Rom. 2. 4.
*diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis conte-
mnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te
adducit? &c.* His adiiciamus alia; *r Proieciſti ver-* r Pſ. 49. 17.
ba mea retrorſum. ſ Dimiſſa ſunt ei peccata multa, ſ Luc. 7. 47.

a 1.Cor.9. 24. *quoniam dilexit multum.* a *Sic currite, vt comprehendatis.* Hæc tractat b Hieronymus, qui & parabolam il-
b Hie.adu. Pelag.l.2. &3. lam de eo, qui c vineam plantauit & locauit agricolis, & peregre profectus eſt, explicat hanc profe-
c Marc.12. 1. ctionem peregre Domini Vineæ eſſe liberum arbitrium, relictumq; agricolæ, vt vineam colat ſi velit.
d Iacob.4. 7. Ad liberum arbitrium ſpectant & illa: d *Subditi eſtote Deo, reſiſtite Diabolo.* e *Ex voluntate mea confitebor tibi.*
e Pſ.27.7. f 2.Tim.2. 21. f *Si quis emundauerit ſe ab iſtis, &c.* g *Deus poſuit hominem in manu conſilij ſui.* h *Ne tardes conuerti, ne differas, &c.*
g Eccl.16. 14. h Eccl.5 8. i *Non patietur vos tentari vltra quam poteſtis.* k *Pœnitemini & conuertimini, &c.* l *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*
i 1.Cor.10. 13. k Act.3.9. l 1.Pet.5.5. m Apoc.3. 20.] Humilitas autem eſt virtus voluntatis ſe Deo ſubmittentis. m Ego ſto ad oſtiũ & pulſo, ſi quis mihi aperuerit.] Plena talibus dictis eſt Scriptura, vt merito Hieronymus damnandos cenſeat, qui liberum negent arbitrium, profecto in quacunque humana actione.
n Hier.ad Cteſiphon. n *Fruſtra blaſphemas* inquit ad Cteſiphontem *& ignorantium auribus ingeris nos liberum arbitrium condemnare: Damnetur ille, qui damnat.*] Cyrillus quoque rem de fide eſſe agnoſcit.
o Cyrill.in Ioa.l.4.c.7. o *Non enim poſſumus.* inquit, *ſecundum Eccleſiæ veritatiſque dogmata liberam poteſtatem hominis (quod liberum arbitrium appellamus) vllo modo negare.*] Et Proſper idem ſentit & aſſerit.
p Proſper ad capitulum Gall. ſuper 6. p *Qui dicit,* inquit, *quod liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſed ſiue ad bonum, ſiue ad malum prædeſtinatio Dei in hominibus operatur, non eſt Catholicus.*] Auguſtinus quoque liberum arbitrium fide tenendum eſſe cenſet ſupra num. 30. Patres vero antiquos tam Græcos quam latinos habemus liberi arbitrij acerrimos propugnatores.

LXXIV. Iuſtinus martyr, q *Quoniam autem principio tam Angelorum genus, quam hominum iudicij ſui ac voluntatis Deus effecit, iure pro iis quæ ſcelerati fecerint pœnas in æterno igne luent. Omnium vero qui generati ſunt, hæc natura eſt, vitium atq; virtutem accipere poſſe. Neq; enim quicquam horum laude dignum eſſet niſi illi vtranq; in partem conuertere, & quaſi flectere ſe poſſent.*] Item, r *Nam vt principio quidem efficeremur in nobis ſitum non erat; vt autem ea ſequamur quæ ipſi grata ſunt eligentes, iis viribus & facultatibus, quæ rationis participes eius munere nobis datæ ſunt, nobis ſuadet, atq; vt credamus impellit.*] Non eſt Iuſtinus Pelagianus: hoc enim loco impulſum gratiæ fatetur, quo impulſu fiat vt iam liberum arbitrium ſuis propriis viribus operetur, ſed gratiæ præparantis & diſponentis impulſu. Item: ſ *ſi in fatis eſſet hunc eſſe bonum, malumq; illum, neq; ille probandus eſſet, neq; hic reprehendendus. Ac niſi libero arbitrio atq; iudicio genus hominum & res turpes fugere poteſt, & pulchras ac bonas ſequi, extra cauſam culpamq; eſt eorum, quæ quoquo modo aguntur. Sed ipſum libero arbitrio liberaq; voluntate & recte facere, & peccare docemus, &c.*] Vrgetq; ſine hac libertate in hominem cadere contraria non poſſe, neque mutationem, neq; alios bonos, alios malos eſſe poſſe. Quæ ratio æque militat, ſi Deus; nulla habita ratione noſtræ libertatis, ad bonum alios conuerteret, alios dereliqueret in malo, à quo per ſolam diuinã operationem abſq; proprij liberi arbitrij concurſu poſſint liberari. Item: t *docui,* inquit, *Deum, cum Angelos, & homines ſuum conſiliũ ſequi vellet, eos ſui iuris atq; arbitrii recte facta, bonaſq; actiones facere voluiſſe.*] Item, u *Permittit Deus, vt ea mala faciamus quæ ſponte ſuſcipimus ac deligimus, non propter imbecillam vim quæ ſit prædictus, ſed vt & noſtrum liberum arbitrium, & ipſius patientia declaretur, ſine quibus nec nos homines, nec ipſe bonus in hoc vitæ ſtatu eſſe poſſet.*] Audimus hic in ſtatu huius vitæ hominem non eſſe hominem vbi abſq; libero arbitrio aliquid operatur. Auxilium tamen gratiæ Iuſtinus non excludit, imo includit, vt vidimus ſuperius. Pelagianus enim non eſt, qui recentiſſimas & adhuc calentes gratiæ diuinæ prædicationes, ſi non ab Apoſtolis, ſaltem ab Apoſtolorum immediatis diſcipulis audiebat. Vnde figuram Noe conſiderãs dicebat. x *Etenim Chriſtus, qui primogenitus eſt eorum omnium quæ condita ſunt, principium etiam alterius generis fuit hominum, qui ab eo itemgenerati ſunt per aquam, fidẽ, & lignum, quod crucis myſterium habebat, &c.*] Fatebatur igitur omnes regeneratos per gratiam Chriſti regenerari, & non per ſolum proprium liberum arbitrium.

q Iuſtin.apolog.1.; r Idem Apolog.2.; ſ Ibid.; t Idem Dialogo cum Triph.; u Idem de quæſtione gentibus poſitis in reprehenſ. reſp. ad primã quæſt.; x Idem in dial. cum Triph.

LXXV. Irenæus, y *Homo vero rationabilis, & ſecundum hoc ſimilis Deo liber arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. quapropter & iuſte condemnabitur, &c.*] Metaphora frumenti & paleæ oſtendit eum loqui in ordine ſpirituali ad æternam vitam, vel ad æternam damnationem. Item, z *Inueniens in ea vocatione, quæ eſt ſecundum nos, multos quidem vocatos, paucos vero electos — & id quod erat ſemper liberum & ſuæ poteſtatis in homine, ſemper ſeruaſſe Deum, & ſuam exhortationem, vt iuſte damnentur, qui non obediunt ei, quoniam non obediunt, & qui obedierunt & crediderunt ei honorentur incorruptibilitate.*] Hæc vero aſſerit Irenæus, vt libertatem voluntatis humanę non omnino per peccatum ſublatam fuiſſe, aduerſus ſui temporis hęreticos, doceat. Item, a *Quoties volui congregare filios tuos & noluiſti? Veterem legem libertatis hominis manifeſtauit, quia liberum eum Deus fecit ab initio habentem ſuam poteſtatem. ſicut & ſuam animam, ad vtendum ſententia Dei voluntarie, & nõ coactum à Deo: vis enim à Deo non fit; ſed bona ſententia adeſt illi ſemper, &c.*] Additq; argumentum ex pœnis & præmiis, & confirmat ex loco Pauli. b *An diuitias bonitatis, &c.* & concludit hoc pacto. *Dedit ergo Deus bonum; quemadmodum & Apoſtolus teſtificatur in eadem epiſtola, & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati ſunt bonum cum poſſint non operari illud: hi autem qui illud non operantur iudicium iuſtum recipient Dei, quoniam non ſunt operati bonum, cum poſſent operari illud.*] Item contra Manichæos bonas, & malas naturas ſeparantes, pro libero arbitrio pluribus pugnat. c Vtitur primum ratione communi de præmio & pœna; de adhortationibus & præceptis, ex pluribus Scripturæ locis Matt.5. Luc.4. & 12. & 21. 1.Cor.6. Epheſ.4. & 5. Rom.13. Matt.23. & aliis. Atq; inter hæc tractanda hæc habet. Omnia talia quæ liberum, & ſuæ poteſtatis oſtendunt hominem, & quia conſilio inſtruat Deus — non tamẽ de violentia cogens. — Si igitur non in nobis eſſet facere hæc, aut non facere, quam cauſam habebat Apoſtolus, & multo prius ipſe Dominus conſilium dare quædam quidem facere, à quibuſdam vero abſtinere? ſed quoniam liberæ ſententiæ ab initio eſt homo, & liberæ ſententiæ eſt Deus, cuius ad ſimilitudinem factus eſt, ſemper conſilium datur ei continere bonum, quod perficitur ex ea quæ eſt ad Deum obedientia, & non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſeruauit Dominus dicens, d *Secundum fidem tuam fiat tibi,* propriam fidem hominis oſtendens, quoniam propriam habet ſententiam. Et iterum e *Omnia poſſibilia ſunt credenti:* &; *Vade, ſicut credidiſti fiat tibi.* Et omnia talia ſuæ poteſtatis, ſecundum fidem, oſtendunt hominem. Et propter hoc f *qui credit ei habet vitam æternam, qui autem non credit filio, non habet vitam æternam: ſed, &c.*] Iam mihi faciant neoterici Irenæum Pelagianum? Atqui ego video clarioribus Scripturæ locis, & clarius deductis, & adductis ab Irenæo etiam primam fidem libero arbitrio tribui; quum ab Auguſtino illa ſoli diuinę operationi, abſque liberi arbitrij libero concurſu tribuatur.

y Iren.adu. hær.l.4.c.9.; z Ibid c. 29.; a Ibid.c.71.; b Rom.2.4.; c Iren.ibid. c.72.; d Matt.9. 29.; e Matt.9. 23.; f Ioan.3.36.

Non

Non tamen Irenęus eam ita tribuit libero arbitrio, vt poſtea Pelagius ſtulte auſus eſt. Quamuis enim hoc loco non nominarit gratiam, tamen certum eſt illum ſupponere gratiam præuenientem; contẽdit tamen actum credendi eſſe à libero arbitrio, & libere, & ſine libero arbitrio hominem non credere, ſed neq; ſine gratiæ pręparatione; Nã paulo poſt
a Iren. c. 76. hæc habet, *a Quiquot abſtiterunt à paterno lumine, & tranſgreſſi ſunt legem libertatis, per ſuam abſtiterunt culpam liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis facti. Deus autem omnia præſciens vtriſq; aptas præparauit habitationes, eis quidem qui inquirunt lumen incorruptibilitatis, & ad id recurrunt, benigne donans hoc quod concupiſcunt lumen; aliis vero —— quaſi ſemetipſos excæcantibus præparauit tenebras.*] Ecce donum Dei gratię illuminantis, ſine quo liberum arbitrium eſt cæcum. Et prius dixerat,
b Ibid. c. 16. *b Reuelat enim omnibus filius, quibus velit agnoſci Pater: & neq; ſine bona voluntate Patris, neque ſine adminiſtratione filii agnoſcit quiſpiam Deum. —— Ego ſum via veritas & vita, & nemo venit ad Patrem niſi per me —— Ex quibus manifeſtum eſt quoniam per filium id eſt per verbum agnoſcitur.*] Quã vero magnificus aſſertor ſit diuinæ gratiæ Irenæus, qui Apoſtolorum immediatos diſcipulos & ipſe
c Ibid. c. 24. audiebat; audiamus rurſus illum: *c Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit, & quidem qui facit ſemper idem eſt, quod autem fit & initium, & medietatem, & adiectionem, & augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini. Deus quidem perfectus in omnibus, ipſe ſibi æqualis & ſimilis totus cum ſit lumen, & totus mens, & totus ſubſtantia, & fons omnium bonorum, homo vero profectum accipiens, & augmentum à Deo: quemadmodum enim Deus ſemper idem eſt, ſic & homo in Deo inuentus ſemper proficiet ad Deum; neque enim Deus ceſſat aliquando à benefaciendo, & locupletando* (profecto donis ſpiritualibus) *hominem, neq; homo ceſſat beneficium accipere & ditari à Deo —— Sicut ergo nunc fructificantibus plurimum daturum ſe pollicitus eſt, ſecundum munerationem gratiæ ſuæ &c.*] Ac pergit oſtendere maiorem gratiam iam dari poſt aduẽtum Chriſti, quam daretur antea ſub lege. Non ergo erat Irenæus Pelagianus, ſed nõ ſegnior exactor & excuſſor tam liberi arbitrij, quam gratię, quã fuerunt poſteriores. Quamuis n. occaſionem non haberet, & ipſe, & alij antiqui Patres de gratia diſputãdi, non tamen propterea ignota fuit ipſis gratiæ neceſſitas, vt Pelagiani aut Pelagianæ opinionis fautores cenſeri debeant: quæ in re grauiſſima eis infertur iniuria:

LXXVI. *d* Tertullianus nulla ex re magis Dei imaginẽ in
d Tertull. homine lucere cenſet, quam ex libertate arbitrij.
adu. Marc. Eandem libertatẽ confirmat ex legibus, & pręceptis,
lib. 2. & de Cuius, ſicut & aliorũ rationes adeo militant nunc
Trinitate. quoq; atq; eo tẽpore militarunt, vt inferius videbimus. Gratiæ tamen neceſſitatem ipſe quoq; poſuit ſupra num. 23.

LXXVII. Origenes certe, neq; ipſe in hac parte Pelagianus, neq; inſcius quantum diuinæ Scripturæ Gratiæ neceſſitatem prædicent, animam humanam poſuit inter carnẽ, & Spiritum; carnis patronos & miniſtros ponit diabolum, & angelos eius, & omnes ſpiritales nequitias: Miniſtros vero & adiutores Spiritus ponit ſanctos Angelos, & ipſum Dominum; inter vtramq; partem luctam, & certamen deſcribit, tum
e Orig in ep. ad Ro. c. 8. vero hæc habet. *e Sed vtraq; parte fauoris diſciplina ſeruatur: non enim vi res agitur, neq; neceſſitate in alteram partẽ anima declinatur; alioquin nec culpa eius, nec virtus poſſet adſcribi, nec boni electio præmium, nec declinatio mali ſupplicium mereretur, ſed ſeruatur ei in omnibus libertas arbitrij, vt in quodcunq; voluerit ipſa declinet, ſicut ſcriptum eſt.*
f Deut. 30. 15. *f Ecce poſui ante faciem tuam vitam, &c. —— Habet ergo in arbitrio ſuo anima ſi velit eligere vitam Chriſtum, aut in mortem ad diabolum declinare.*] Neq; dubitemus Origenem quoq; auxilium gratiæ ſupponere, tanquam tum omnibus clarum, & manifeſtum, neq; n. Pelagius adhuc gratiæ adiumenta excluſerat. Sed audiamus eundem Origenem ita liberum arbitrium defendentẽ, vt gratiam quoq; includat, quã Pelagius excludebat. Ait igitur *g Quod dixit, Non volentis neque* g Orig. ibi. in cap. 9.
currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ita accipitur ſicut Dauid di- 7.
cit in Pſalmo; Niſi Dominus ædificauerit domum, in Pſ. 126. 1.
vanum laborauerũt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatẽ fruſtra vigilat qui cuſtodit eam: *In quo oſtendit non quod is, qui domum ædificat nihil agit, & otioſus fit, & ita eam ædificet Dominus: ſed ipſe quidem, quantum eſt in homine, vim ſolicitudinis & laboris expendat, ſic, vt, obſtaculis omnibus amotis, opus perueniat ad perfectum. Cum ergo per hæc doceatur quod homo quidẽ laborẽ impendat, & ſolicitudinem, Deus a. ſucceſſum operi tribuat & effectum, pium & religioſum eſt, ideo & bonũ quod in ſe eſt operis ſumma, Deo, magis quam homini, putare. Sic & cum Paulus plantabat & Apollo rigabat; Deus dare dicitur incrementum. Et additur: Itaq; neq; qui plantat, neq; qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Ita ergo etiam in præſenti loco poſſumus dicere. Itaq; neq; qui currit eſt aliquid, neq; qui vult, ſed qui effectũ dat Deus. Qui enim vult & qui currit hoc videntur eſſe quod eſt ille qui plantat; & eum qui rigat nihil dicit eſſe Apoſtolus, non quod nihil agant, ſed quod ad comparationẽ Dei qui incremẽtum dat operi, vel effectum, illi nihil eſſe ducantur.*] Agit quoq; de libero arbitrio Orig. in Numer. ho. 9. & 12. & 20. In Iudic. ho. 6. In Iob. l. 2 Periarch. in proœmio & l. 2. c. 9. & li. 3. c. 1. vt ſupra num. 23. Eius dicta de libero arbitrio *h* Hieronymus nõ reprehendit, vbi de Ori- h Hier. ep.
genis erroribus agit; imo ea etiã *i* approbat & laudat. 59.

i Idem ep. 13.

LXXVIII. Cyprianus procul dubio à Pelagiana ſententia vehementiſſime abhorrens, gratiæ diuinæ vim in ſui conuerſione magnam agnoſcit & confitetur, vt vidimus ſupra num. 23. Nemo ergo ſuſpicabitur eũ eſſe Pelagianum aut ſegnem gratię ponderatorem, & nihilominus tamen iſta ſubdit: *k Noſtrum tan-* k Cypr. l. 2.
tum ſitiat pectus & pateat, quantum illuc fidei capacis af- ep. 2.
ferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.] Hoc idem eſt, quod per liberi arbitrij concurſum os aperire, vt Deus impleat illud. Noſtrum eſt, ait Cyprianus ſitire; & pectus vt pateat efficere. Sed & hoc ipſum quod nos poſſumus pectus; adueniente, & vocãte gratia, aperire, Dei eſſe iam dixerat: quia ſine Dei auxilio neq; Deum ſitimus; neq; ei pectus aperimus. Illud quoq; in Cypriano lego; *Dominus non increpuit diſci-*
pulos l recedentes, aut grauiter cõminatus eſt; ſed magis con- l Idem lib.
uerſus ad Apoſtolos ſuos dixit. m Nunquid & vos vultis ire? 1. ep. 3.
Seruans ſcil. legem qua homo libertati ſuæ relictus. & in ar- m Io. 6. 67.
bitrio proprio conſtitutus ſibimet ipſe vel mortẽ appetit, vel ſalutem.] Inter varias Catholicas propoſitiones, ad quarum probationes idem Cypria. colligit varia ex ſcripturis teſtimonia, vna eſt talis. *n Credendi vel non* n Cyp. de
credendi libertatem in arbitrio poſitam.] Et Deut. 30. 15. teſtim. l. 3.
& Iſa. 1. 19. & Lu. 17. 21. Regnum Dei intra vos eſt.] ad Quirinum n. 52.

LXXIX. Clemens Alexandrinus, *o Veſtrum eſt*, inquit, *re-* o Clemens
gnum cælorum, ſi velitis, qui liberam animi voluntatem ad in protre-
Deum direxeritis; veſtrum eſt, ſi tantum volueritis credere.] ptico.
Aſſerit quoque *p* Deum indulſiſſe libero animi ar- p Idem li. 1.
bitrio Pharaonis occaſionem pænitentiæ. Et ratio- c. 9 Pedag.
nes communes, de meritis & pænis pro libero arbitrio vrget *q* idem. *r* Defectum quoque, & inobedi- q Idem lib.
entiam ſicut & obedientiam in noſtra ponit pote- 1. ſtrom.
ſtare. r Idem l. 2.

LXXX. Cyrillus Hieroſolymitanus: *ſ Anima ſui iuris ſuiq;*
arbitrii eſt; & Diabolus eam ſolicitare fallereq; poteſt: at co- ſ Cyril. Hie
gendi niſi velit ipſa, poteſtatem non habet. Suggerit tibi roſ. cate. 4.

ſcortationis cogitationem: ſi velis admittis: ſi nolis, non admittis. Nam ſi neceſſitate coactus ſcortareris, quam ob rem Deus gehennam paraſſet? Manſueta eſt ouis: verum nunquã ea propter manſuetudinem coronam eſt adepta: quandoquidem ea manſuetudo non animi iudicio voluntateq́; , ſed natura inſtituta eſt.]

LXXXI. Macarius ſenior, antiquus Pater Ægyptius, tractans miraculum ſanitatis cęci clamantis, & mulieris profluuio ſanguinis laborantis, ait, a Quia hæc pedibus, ille voce perueniens ad Ieſum, ait, Ita etiam anima vulnerata ſit— & tenebris peccati obcæcata, nihilominus prædita eſt voluntate clamandi, & inuocandi Ieſum, vt ipſe veniens æternam ſalutem conferat animæ. Sicut enim cæcus ille niſi clamaſſet, & mulier---niſi Dominum adiiſſet non fuiſſet ſanata; ſic niſi quis propria ſponte ac voluntate integra venerit ad Dominum & deprecatus eum fuerit, cum plenitudine fidei, ſanitatem non con conſequetur---quamobrem credentes in eum accedamus in veritate, vt breui ſanitatem veram nobis conferat: nam donare promiſit poſtulantibus ab eo Spiritum ſanctum, ac pulſantibus aperturum, & inuentum iri à quærentibus.] Vnum & eundem ſonum audio in omnibus antiquis Patribus, liberum arbitriũ cum gratia, & Spiritu ſancto operans prædicantibus.

a Macar. homil. 20. Biblio. SS. PP. to. 2.

LXXXII. Athanaſius; b Mens noſtra viribus ſuis abutitur ad voluptates, ideo quod libera ſit & ſui arbitrii: Poteſt enim vt ad bona ſe inclinare, ita bona quoq́; auerſari.] Item, c Mores hominum inconſtantes ſunt, poſſunt tamen ad immutabilem naturam reſpicientes mala defugere, & ad bona ſe ipſos reformare.] In illis verbis, ad immutabilem naturam reſpicientes. ſignificatur neceſſitas auxilij gratiæ; ne etiam Athanaſium faciamus Pelagianum. Cum pręſertim alibi gratiam, vt debuit, extulerit. d Gratia, inquit, & donum quod datur, in Trinitate datur à Patre, per filium in Spiritu ſancto. Vt enim à patre gratia filii quæ donatur proficiſcitur, ita quoque non poterit fieri in nobis communicatio doni, niſi in Spiritu ſancto: huius enim participes facti & patris habemus dilectionem, & filii gratiam, & ipſius Spiritus communionem.] Sine gratia ergo nemo Deo coniungi poteſt. Et e adoptionem, iuſque filiorum in nobis cognitionemq́; Dei, ac verbi quę omnia ſuperet chariſmata, donum Spiritus, gratiãque Dei eſſe clare profitetur. Eſt & illud Athanaſij. f Sed habet quiddam admirabile agricola Eccleſiaſticus ſermo, vtpote qui & ziZania frumenta efficiat ſingulis, prout eorum voluntas fuerit. Quum enim vltroneus ſit hominum motus, & ſui arbitrii mens, in te ſitum eſt, veliſne temetipsũ lolium fieri, & pabulum brutorum animalium, an potius in frumentum mutari.]

b Athan. orat. cont. idola
c Idem cont. Aria. ſerm. 4.
d Idem ad Serap. de Spir. ſanct.
e Idem ora. 1. con Arianos.
f Idem ho. de ſemẽte.

LXXXIII. Baſilius. g Habeo in creatione id quod ſecundum imaginem eſt: fio autem propoſito, & voluntate etiam ſecundum ſimilitudinem. Vbi tua eſt gratia? Cur tu coronatus es? Si enim opifex totum contribuit quomodo tibi regnum cælorum apertum eſt?] Quaſi dicat: ſi nihil tui habes quod coronetur, cur coronaris? Niſi quia id parum quod erat tuum contuliſti? Nec excludit Baſilius gratiam: ait enim; Si opifex totum contribuit; hoc eſt ſi Deus ſolus totum fecit, & tu nihil, ſed mere paſſiue te habuiſti, non es coronandus; ſed quia opifex multum facit, tu vero illud parum quod tuum eſt, ideo coronaris. Deum quoque propterea ait hominem non feciſſe impeccabilem, ſed liberum ad bonum & malum; h quia Deo non gratum eſt quod coactum eſt, ſed quod ex virtute recte geritur. Virtus autem ex voluntate non ex neceſſitate fit, voluntas vero ex iis quæ in nobis ſunt, dependet. In nobis autem eſt liberum arbitrium.] Ac pergit etiam ipſe vrgere rationes communes pro libero arbitrio.

g Baſil ho. 10 Hexe.
h Idem hõ. 37. quod Deus non eſt autor malorum.

LXXXIV. Gregorius frater Baſilij, Nyſſæ Epiſcopus, i Vides quam ſit paruum, & quam facile recte fieri poteſt id quod eſt in principio, nempe fides, & aqua. Illa quidem ſita in arbitrio libera noſtra electionis: Hæc vero quæ ſimul cum vita noſtra alitur.] Item, k Dicimus de fide quantum continet vox Euangelii, nempe vt, qui ſpirituali gignitur regeneratione, ſciat à quonam gignatur, & quale fiat animal. Solum enim hoc genus generationis habet in poteſtate, vt id fiat, quod delegerit. l Cætera enim quæ naſcuntur conſiſtunt ex incitata appetitione eorum qui generant; Partus autem ſpiritualis pendet ex poteſtate eius qui naſcitur. Quoniam ergo in hoc verſatur periculum, ne aberretur ab eo quod eſt conducibile, cum cuilibet ſit libera propoſita electio, dico recte habere, &c.] Fidem, & regenerationem ſpiritualem, in credentis, & regenerati ponit libera poteſtate: videlicet poſt vocationem, & gratias præuenientes. Alter Gregorius Theologus per excellentiam dictus, ait. m Nos voluntarios Chriſti regnum ſuſcipere.]

i Nyſſen. orat. catec. c. 36.
k Ibi. c. 36.
l Ibid. c. 39.
m Nazi. de Theol. l. 4.

LXXXV. Chryſoſtomus non eſt, vt ex Græcis eũ maxime aliqui Theologi neoterici nimis audacter faciunt, Pelagianus. Optime enim Gratiæ auxiliũ nouit eſſe neceſſarium, & noſtri arbitrij conſenſum eſſe quid exiguum, vt ſupra n. 45. vidimus: & inferius obſeruabimus. Liberum tamẽ arbitrium illi maxime cordi fuit, ac ſępiſſime in ipsũ diuertit: aliquot inſigniora affero ex ipſo loca. Iudæos vocantẽ Deum, ſola propria ſuæ voluntatis libertate nõ eſſe ſecutos aſſerit: n Iudæi inquit, vocati bona noluerunt accipere: Hoc autem non erat vtiq; vocantis, ſed ingrati eorum animi. Nã ipſe quidem volebat dare, illi a. cum nollent accipere, ſe ipſos expulerunt---Nemo ergo in Deum culpam conferat, nam quod nõ crediderint non fit ex eo qui vocat, ſed ex iis qui reſiliunt.---In gehennã mittit inuitos, ad regnum a. vocat volẽtes, & lubentes.] Non ꝙ non cogat, ſed etiam quod neceſſitatem nemini imponat: libere n. facit qui volenter, & lubenter facit. Et ſemper velle hominis, vt ſit humanum, liberum eſt, eſſentia n. voluntatis humanæ eſt libertas. Ait quoq; ibidẽ Chryſoſt. In noſtra poteſtate ſitum eſt, recte & ex virtute nos gerere.] Et hæc dicit quo ad vitam ſpiritualẽ. Eorundem Iudęorum perditionem exactius in alia homilia conſiderat idẽ Pater, in ea à Paulo ex Iſaia vſurpata verba: o Tota die expãdi manus meas ad populum non credentem, & contradicentẽ.] Hæc Paulum afferre, ait; p Vt oſtendat non ſolum diuinã gratiæ opus eſſe hoc factum, ſed & volũtatis eorum qui acceſſerunt---Deinde oſtendens quod vniuerſa huius inobediẽtiæ culpa illorum fuerit, dicit; Ad populum non credentẽ, & contradicentem.---Alteri vero, hoc eſt gentiles, qui Deum nunquam cognouerant, ipſum tamen attrahere potuerunt. Attamẽ non dicit quod ipſi Deum per ſe attrahere potuerint, ſed & eorum qui ex gentibus credebãt factus deiiciens, oſtendensq; quod totum hoc Dei gratia perfecerit, dicit, Ego conſpicuus factus ſum, & ego inuentus ſum. Omnium ergo illi vacui ſunt duces? Nequaquam. Sed quod inuenta apprehenderunt, conſpicuaq; facta agnouerunt, hoc ſcilicet de ſuo attulerunt.] Ecce vnitum à Chryſoſtomo liberum arbitrium, cum gratia: quod Deus ſe gentibus manifeſtauerit, eaſq; vocauerit, & ad audiẽdum ipſum vocãtem præparauerit, mera gratia eſt; quod illi aſſenſerint, proprium ipſorum voluntatis liberæ eſt. Ex Petro ſe nimiũ iactãte, & poſtea miſere lapſo Chryſoſtomus alio loco magnum dogma elicit, q quod videlicet inquit, nullo modo hominis voluntas ſufficit niſi auxilio ſuperiori roboretur; & quod nihil lucrari poterimus à ſuperiori patrocinio, ſi voluntas noſtra repugnat: quorum alterum Petrus, alterum Iudas confirmat: Hic enim, & ſi præſidium Chriſti largum habuerit, tamen quoniam noluit attendere, nec quæ ab ipſo erant conferre, nullam inde vtilitatẽ conſecutus eſt; ille vero, & ſi bene animatus fuerat, diuino tamen ſubtracto auxilio, ſtare non potuit. Ex his n. duobus virtus contexitur.] Hæc eſt vera media via, neq; diuinæ gratiæ, neq; libero hominis arbitrio vllum pręiudicium

n Chryſ. in 1. Co. ho. 2.
o Rom. 10. 21.
p Chryſ. in ep. ad Ro. hom. 18.
q Idem in Matth. ho. 83.

cium faciens, vt neq; libertas ſine gratia, neq; gratia ſine libertate bonum efficiant. Explicans præterea idem ſ̄ãter illa verba Iſaiæ: a Si volueritis & audieritis me, &c. docet ſimiliter. b *Non eorum Dei deputari autori, qui alios impingat in contemptum, formet alios in obſequium.* Sed quemq; à Deo vel præmiũ promiſſum, vel pœnam conſecuturum, pro vſu liberi arbitrij, cũ ius tamen bonus vſus non ſit ſine gratiæ diuinæ adiutorio. Ait n. alibi: c *Liberi quippe arbitrij nos creauit Deus, vt voluntate noſtra cum adiutorio Dei, quod volumus faciamus.*] Eadem vero ſuppoſita gratia (non n. ſemper repetendam cenſuit) & illud habet. d *In te eſt vt poſſis, quia in te eſt vt velis. Quia Zachæus idcirco potuit, quia voluit: quum & alius idcirco non potuit, quia noluit. Ita enim velle efficit poſſe, vt efficit nolle nõ poſſe. Magna enim vis eſt voluntatis, quæ nos efficit poſſe quod volumus, & non poſſe illa quæ nolumus. Et ex voluntate noſtra diuinitus celebratur iudicium, vt homo quicquid nunc voluerit, eligat, & quod elegerit ex eo ipſo iudicio cæleſti ſubiaceat. Nec n. quiſquam poterit excuſari, quaſi voluerit, & non potuerit, cum conſtet eũ idcirco non potuiſſe, quia noluit, vt nolens, volentis exemplo damnetur, & volens voluntate propria, qui impleuit, quæ voluit, muneretur.*] Diuinum n. auxiliũ à quo voluntas habet vt poſſit, ſemp omnibus adeſſe, nec immerito vt poſtea declarabo, ſupponit Chryſoſtom. *At vero rurſum principium auxilium expreſſe ponit, vt patet in ſequentibus. Et quod aliqui aſſecuti ſint iuſtitiam, alij non:* e *hac e potiorem partem tribuit gratiæ, non tamen totum.*] Agnoſcit n. gratiæ neceſſitatẽ, ſed totum tribui gratiæ negat, & tamen ipſe quoq; ſcripturas nouerat, & Pelagianum ſenſum vt debebat, deteſtabatur. Sic alio loco, f *Res eſt poſita in veſtra poteſtate, — quoniam Deus ſic voluit.* g *Ecce n.* inquit, *ignis & aqua* — h *Si volueritis, &c. — At dicet fortaſſe quiſpiã, volo: (& nemo eſt tam ſtultus qui ſe dicat nolle) ſed non ſufficit mihi velle. Atqui ſufficit ſi velis vt oportet, & facias ea quæ ſunt volentis — Neq; n. illud poteris dicere, quod bona quidem oſtendit, opem autem non tulit: tibi n. multũ auxilij promiſit.* Itẽ in ea verba Pauli, ei vero q operatur merces non imputatur ſecundũ gratiã, ſed ſecundũ debitũ hæc ſubinfert, i *Igitur hoc malum, inquies? nequaquam: Etenim credẽti imputatur; nunquam autem imputaretur, niſi & ipſe quidpiã attuliſſet; quapropter & hic debitorem habet Deum, nec vulgariũ rerum debitorẽ ſed magnarum ac ſublimiũ.*] Fidem quoque Chryſoſt. pro illo pauculo concurſu liberi arbitrij vult imputari ad debitum, & non ad puram gratiam. Conſiderabat alibi locũ pſalmi, k Et ne des in commotionem pedem tuum. l *Non dixit,* inquit, *Ne commouearis, ſed ne des. Dare ergo eſt in noſtra poteſtate, non in alicuius alterius. Nam ſi velimus ſtare firmi ſtabiles, & immobiles non cõmouebimur. Quid ergo? nihil ne eſt in Dei poteſtate? in Dei quidẽ poteſtate ſunt omnia, ſed non ita vt noſtrum liberũ lædatur arbitrium. Si ergo, inquis, eſt in noſtra poteſtate, cur in nos confert culpam? propterea dixi ita vt nõ lædatur noſtrum liberũ arbitrium. Eſt ergo & in noſtra, & in eius poteſtate. Oportet n. nos primum bona eligere, & tunc affert quæ ſua ſunt. Non præuenit noſtras voluntates, ne perdat noſtrum liberum arbitrium: Quando autem nos elegimus, tum nobis multum affert auxilium. — Nam noſtrum quidem præeligere & velle, Dei autem eſt perficere & ad finem deducere.*] Sunt qui ſuſpicentur locum hunc fuiſſe à Pelagianis corruptum: ſed ſuſpicio vana eſt: Chryſoſtomi enim oratio conſtans eſt, & continua ta; ipſeq; ſemper ſibi ſimilis: nam & illud prius ſcripſerat, m *Danielem igitur imitare, minime concedens, vt affectus eiuſmodi dentes animæ tuæ infigant. At ille gratiam ſuppetias ſibi afferentem habuit: recte: quandoquidem hanc gratiam voluntas ipſa præuenit. Quamobrem ſi voluerimus & ipſi tales nos præſtare, præſto erit & nunc gratia.*] Item volens Chryſoſtomus explicare cur Paulus fidem vocauerit aliquando n Spiritum fidei, ait, o *Illud mirum oſtendere volẽs, quod initio credere & parere vocanti, noſtræ eſt bonæ mentis: & poſtquam iacta fuerint fidei fundamenta, iam opus eſt auxilio Spiritus, vt in nobis perpetuo maneat inconcuſſa & inſubuertibilis. Neq; enim Deus neq; Spiritus gratia noſtrum præuenit propoſitum: ſed tam etſi vocet, expectat tamen vt ſponte, & propria voluntate accedamus, ac tum demum nobis ſuum exhibeat auxilium.*] His profecto locis Chryſoſtomus ſolam illam gratiam conſiderabat quæ proprie vocari ſolet adiuuans, cuius auxilio bonæ voluntatis fit executio; & hanc gratiam dicit non præuenire noſtram electionem, nec anteuertere noſtrum primũ bonum velle, quo in fidem conſentimus, ſed illam poſt hoc noſtrum bonum velle nos ad operandum adiuuare. Interim tamen non negat neceſſitatem gratiæ præuenientis, quam in aliis locis poſuit, & hoc etiam vno loco vocationẽ nominauit: ſed ſicut gratiæ præuenientis agnouit in ſuperioribus neceſſitatẽ, ita cũ illa integrã ſtare voluit voluntatis libertatẽ. In operãdo quoq; poſt primũ illud velle liberũ, & concurſum liberi arbitrij ponit, & auxiliũ ei gratiæ addit adiuuantis, vt omnino neceſſariũ, *Nam* p *libera* inquit alicubi, *electio efficit vniuerſum, & Dei gratia*] Dũ igitur his locis negat Gratiam Dei noſtrũ propoſitum præuenire, nõ excludit gratiã præuenientẽ, ſed excludit tantũ gratiã effectiue, in noſtro primo bono velle, operantẽ. Omitto nõ pauca alia Chryſoſtomi loca; multus n. eſt in tuendo libero arbitrio; & ſæpe non nominat gratiã, quia à nemine illa in dubiũ vocabatur, & quiſq; eã vt certo neceſſariã ſupponebat; ſatis que erat Chryſoſtomo quod ſæpe gratiæ neceſſitatẽ tũ præuenientis, tũ adiuuantis expreſſerit; ſed ſolã gratiam ſine cooperatione libera liberi arbitrij nunquã voluit. Vide illum in Ioannem Homilia 45. 46.

Hieronymum iam vidimus liberum arbitrium ex LXXXVI. certis locis ſacræ Scripturæ aſſerentem: addamus pauca ex eodẽm: verba Iſaiæ, q In vacuum laboraui, &c. applicat Chriſto conquerenti de Iudæorum obſiſtentia: & ait, r *Hæc autem vniuerſa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monſtraretur. Dei n. vocare eſt, & noſtrum credere, nec ſtatim ſi nos non credimus, impoſſibilis,* hoc eſt impotens *Deus eſt: ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio dereliquit, vt iuſte voluntas præmium conſequatur.*] Faciant nunc mihi etiam Hieronymum Pelagianum, qui contra Pelagium adeo decertauit. Hoc loco Hieronymus non ſubmonuit quicquã de auxilio gratiæ, ſed id ſuppoſuit; aliis tamẽ locis id expreſſe poſuit, ſ *Qui plantat,* inquit, *& qui rigat nihil eſt niſi Deus dederit incrementum, quia non eſt volentis neq; currentis, ſed miſerentis Dei, vt poſtquam omnia fecerimus dicamus,* t *Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Non quo beneficentia Dei liberũ homini tollatur arbitriũ ſed quo ipſa libertas Dominum habere debeat adiutorem.*] Ita Hieronymus cõſtanter, cũ tota Eccleſia Catholica à Chriſto vſq; ad ſua tẽpora; quia ita gratiæ neceſſitatem agnouit, vt & liberi arbitrij liberam cooperationẽ retineret, ſine quo gratia ſola nihil vnquã in homine operaretur, Qui etiam ſuper illa in Hieremia verba u Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant: ſi non audieritis me, &c. x *In noſtra ergo,* inquit, *poſitum eſt poteſtate, vel facere quid, vel non facere: ita duntaxat vt quicquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui iuxta Apoſtolũ* y *dedit nobis & velle & perficere.*] Nimirum adiuuando: Et rurſus idem: Hieremiæ figulum explicans, ita ſcribit, z *Dominus ad prophetam, ſi figulus ait, hanc habet poteſtatem, vt ex eodem luto rurſus faciat quod fuerit diſſipatum; ego in vobis, qui, quantum in vobis eſt periiſſe videmini hoc facere non potero? Et vt liberum ſignificaret arbitrium, dicit ſe & mala enunciare genti, & regno illi, vel illi, & rurſus bona: nec tamẽ hoc euenire,*

quod

a Iſa. 1. 19.
b Chryſ. in Iſa. 1. ſi volueritis, &c.
c Idem ex variis in Matt. locis hom. 14.
d Idem ſermo de Zacheo to. 2.
e Chryſ. in ep. ad Rõ. hom. 19.
f Idem in 1. Cor. hom. 14.
g Eccl. 15. 19.
h Iſa. 1. 19.
i Idem in ep. ad Ro. hom. 8.
k Pſ. 120. 3.
l Chryſ. in ep. ad Heb. homil. 12.
m Idem in ep. Rom. Homil. 3.
n 2. Cor. 4. 13.
o Idem ſermone prior, in illud Pauli Habentes autem eundem Spiritum, &c. tom. 5.
p Idem in 1. Cor. ho. 3.
q Iſa. 49. 4.
r Hier. in Iſa. l. 13. in ca. 49.
ſ Idem in Ezech. c. 16.
t Luc. 17. 10.
u Hier. 26. 2.
x Hier in Hier. c. 26.
y Philip. 2. 13.
z Hier in Hier. c. 18.

quod ipſe prædixerit;ſed & è contrario fieri,vt & bona malis eueniant,ſi egerint pænitentiam;& bonis mala,ſi poſt repromiſſiones fuerint ad peccata conuerſi.Et hoc dicimus,non quod ignoret Deus hoc vel illud gentem aut regnum eſſe facturum,ſed quod dimittat hominem voluntati ſuæ,vt vel præmia,vel pœnas ſua voluntate,& ſuo merito recipiat. Nec ſtatim erit hominis quod euenit,ſed eius gratia qui cuncta largitus eſt:ita enim libertas arbitrij reſeruanda eſt,vt in omnibus excellat gratia largitoris,iuxta illud propheticum. Niſi Dominus ædificauerit,&c. Non enim volentis,neq; currentis,&c.] Perpetuo coniungit liberum arbitrium cum gratia,qua nimirum,ipſum adiuuatur,& ſine qua nihil poteſt;vnde & alibi idem Hieronymus ſuper illa Ezechielis verba, a Et aperui os meum,& cibauit me volumine illo,ſic ſcribit. *Ego*, inquit, *aperui os meum,quia mihi dictum eſt:Aperi os tuum,& comede,& aperto ore Dominus largitus eſt cibos,vt initia voluntatis in nobis ſint,& perfectionem beatitudinis à Domino conſequamur.Non eſt enim volentis neq; currentis,ſed miſerentis Dei.Attamen & velle & currere noſtri arbitrij eſt.*]Inſignis tamen Hieronymi locus eſt, vbi Pauli textum & corrigit,& ita explicat, vt opinionē ei contrariā, quam nos tuemur, totam tribuat ſimplicitati. Dictum Pauli eſt. b *Perſuaſio veſtra non eſt ex eo qui vocauit vos.*] Hieronymi vero explicatio ſic habet; c *Aliud quippe Dei opus eſt,aliud hominum. Dei opus eſt vocare;hominum,vel credere,vel non credere:Et ſicubi alibi de ſcripturis liberum hominis affirmatur arbitrium,vt ibi:Si volueritis,& audieritis me.Et iterum:& nunc Iſraël quid petit à te Dominus Deus tuus, & ex hoc loco vel maxime cōprobatur. Verum ſimpliciores quiq; putātes ſe deferre Deo,vt perſuaſio quoq; noſtra in eius ſit poteſtate,abſtulerunt partē orationis, non & ſenſum contrariū Apoſtolo reddidere.Siue ergo in bonam,ſiue in malam partem,nec Deus,nec Diabolus in cauſa eſt,quia perſuaſio noſtra non eſt ex eo qui vocauit nos,ſed ex nobis,qui vel conſentimus,vel non conſentimus vocanti*]Faciant nūc mihi etiam Hieronymum Pelagianū, qui ſimplicitatis, hoc eſt, ruditatis eſſe putauit ita Deo deferre vt perſuaſio quoq; noſtra in eius ſit poteſtate:nimirum abſq; libero concurſu noſtræ voluntatis.Nam Deum poſſe infallibiliter nobis quod vult perſuadere, contra omnem tamen & coactionem & neceſſitatem, oſtendam poſtea.

a Ezech. 3. 2.

b Gal. 5. 7.

c Hier. in ep. ad Gal. lib. 3.

LXXXVII. Auguſtinus iiſdem profecto argumentis probat liberum arbitrium (vt obſeruat etiam d Bellarminus) poſt hæreſim Pelagij exortam, quibus idem probat ante exortam illam hæreſim; nam in libris de libero arbitrio,& in libro de vera religione,quos ſcripſit antequam nomen Pelagij audiri cæpiſſet, probat Auguſtinus liberum arbitrium aduerſus Manichæos his potiſſimum rationibus, quod alioqui tollatur iudicium Dei, tollantur leges, admonitiones,cohortationes,pœnæ,præmia, & alia id genus; at iiſdem omnino rationibus idem liberum arbitriū probat in epiſtola 46. & 47. & in libro de gratia & libero arbitrio, quæ ſcripta eſſe conſtat occaſione hæreſis Pelagianæ.Sic enim loquitur, e *Si non eſt gratia Dei,quomodo ſaluat mundum? Si non eſt liberum arbitrium,quomodo iudicat mundum?*] Et infra:Niſi libero arbitrio intelligeremus atque ſaperemus non nobis præciperetur dicente Scriptura, intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Et libro de gratia,& libero arbitrio cap. 2. Illa præcepta diuina homini non prodeſſent, niſi haberet liberum arbitrium voluntatis,quo ea faciens ad promiſſa præmia perueniret.Et infra: *Quomodo iubet ſi non eſt liberum arbitrium?*] Vides igitur S. Auguſtinum (*inquit Bellarminus*) non mutaſſe ſententiam de libero arbitrio propter exortam hæreſim Pelagianam.] Profecto Auguſtini verba ſunt aut à Gennadio ex Auguſtino collecta, & tanquam dogmatica ab eodem Gennadio proferuntur quæ ſequuntur,videlicet. f *Nullum credimus ad ſalutem,niſi Deo inuitante venire:Nullum inuitatum ſalutem ſuam niſi Deo auxiliante operari:Nullum niſi orantem auxilium promereri. Nullum Dei voluntate perire,ſed per ſe ipſum,pro electione arbitrij, ne ingenuitatis libertas,atq; poteſtas ſemel homini attributa ad ſeruilem cogatur neceſſitatem.*]Igitur contra fidei dogmia erit quælibet inducta arbitrio noſtro neceſſitas. Auguſtini tamen illa ſunt. g *Homo --- non violentia liberandus fuit,ſed miſericordia redimendus:& quia Deus æquitas & iuſtitia eſt,ipſe ſibi lex eſt:Et quia homo iudicij, & iuris ſui,ac liberi arbitrii præditus voluntate,qui voluntarius ruerat,iniuſtum erat,vt erigeretur inuitus -- per ſapientiam beneuoli redemptoris non cōpellitur,ſed ducitur ad ſalutem,vt qui cū ſua voluntate corruiſſe videbatur,cū ſua rurſum volūtate repararetur, vt eſſet virtutis ac remunerationi locus. --- Quia benignitas prouocantis etiā meritū deſiderat acquieſcētis,& dignantiſſimi medici ſtudiū infirmi requirit aſſenſum.*] Aliquid ſimile legerat in Irenæo, h qui ſua fide la,nō impulſione nos agi à Chriſto aſſerit. Acroto libro de gratia,& libero arbitrio, pro ſa libertate arbitrij ſerio pugnat Auguſt. tanquā prote à Deo etiam,vt ipſe cōtendit,reuelata. Pulcherrimū etiā eſt illud Auguſtini dictū. i *Si per te impleueris tū,non eſſet neceſſarius adiutor,Rurſus ſi tu ipſe tua voluntate nihil egeres non vocaretur adiutor.*] Et vbi idē Auguſt. contēdit k peccatum actuale nō poſſe eſſe peccatum, niſi ſit voluntarium,id ad radicem liberi arbitrij reducit.

f Aug. de Eccl. dog. c. 56.

g Idem Ser. 156. de temp.

h Iren. lib. 5. c. 1.

i Aug. in pſ. 143.

k Aug. de vera relig. c. 14.

LXXXVIII. Cyrillus Alexandrinus, l *Voluntarius* inquit, *natiuis rationalis regitur creatura,ad hoc quod recte ſe habeat, vel male liberis ad opus prorumpens impetibus.*] Pulcherrime tamē de Iuda perdito,& aliis Apoſtolis ſaluatis diſſerit idē Cyrillus; & liberi arbitrij gratia diuina adiuti,& gratia libere vtentis, vel non vtentis, vim explicat,& declarat. De Iuda ſic ait. m *Non n. diuino inexpugnabiliq; iuditio in Diaboli laqueū proditorem incidiſſe credendū. Nam ſi ſic eſſet,nullo modo culparetur,cū iudicio Dei nemo reſiſtere queat — nulla n. neceſſitate,ſed proprio iudicio fecit quod fecit, quare merito perditionis filius nuncupatur,qui perditionem elegit.Studium atq; vigilia nō ſufficit nobis,cum diuina gratia quæ difficilia facilia facit, & arduam iuſtitiæ viam planam nobis reddat,neceſſario indigeamus. Noſtra enim vis, niſi diuinitus ſuſtentetur, nulla penitus eſt,quod pſalmiſta confirmat clamans. Niſi Dominus ædificauerit,&c. Si ad Diaboli laqueum ſponte, & negligentia noſtra venimus,quem alium potius quam nos ipſos criminabimur? — quod ſi proditor æqualiter aliis diſcipulis Saluatoris auxilium non habuiſſet,fruſtra hæc à nobis dicerentur. Sin autem non minus quam cæteri diuina gratia regebatur,ſed ſuo ipſius iudicio in profundum perditionis delapſus ſit,quomodo etiam non ſeruauit eum Chriſtus,qui ſuum patrocinium ei præſtitit,qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit ſeruaſſet hominem,niſi vltro ille in perditionem inſiluiſſet? Gratia igitur in aliis effulſit,ſi etiam atque omnes,qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt:Sic enim ſalutis noſtræ modus diſpoſitus eſt.*] Quis hic Pelagianiſmi accuſet Cyrillum? Gratiæ ſummam neceſſitatem agnoſcit, ſed liberi arbitrij cooperationem ſemper requirit. Cyrillo ſubnecto Theodoretum qui ait: n *Non es ergo naturali neceſſitati alligatus,nec præter tuam ſententiam ac voluntatem peccas,& iniuſte te geris,ſed iniquitatem tua ſponte complecteris.& tuo arbitratu virtutis laborē ſuſcipis. Recta eſt ergo & iuſta Dei vniuerſorum ſententia:iure ergo punit peccatores, vt qui hoc ſua ſponte facere audeant. Iure etiam lenitate & benignitate vtitur,à nobis enim accepta occaſione præbet miſericordiam.*] Theodoretus quoque gratiam hoc loco ſupponit; ſed alibi eam vt adiutricem, non vt ſolam operationem etiam in priore fide agnoſcit; ait enim.

l Cyril. l. 2. cont. Iul.

m Idem li. 11. in Io. c. 21.

n Theodor. in ep. ad Rom. c. 7.

a Dei

a Idem in ep.ad Eph. c.1. à *Dei gratia nos bis bonis dignata: Nos enim ſolam fidem attulimus: quia eius etiam diuina fuit gratia adiutrix.*

LXXXIX. Non potuit igitur Proſper tot Patribus interdum non ſubſcribere, ſicut & Auguſtinus ipſe, vt iam vidimus, num.51.52. licet & Auguſtinus, & Proſper rigorem interdum amplectantur. Proſperi verba ſunt, quæ Ambroſio ſolebant tribui. b Prosper de vocat. gen. l.1.c.3. *Christus* b *ſicut rumpit vincula captiui, ſic veſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati, vt quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur: Cui vtique contra hoſtem ſuum non expedit ſine protectore confligere? Cum illo etenim habet certamen, à quo aliquando ſuperatus eſt. Non ergo fidat de viribus ſuis, quæ etiam cum eſſent integra non ſteterunt, ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus, & omnibus vicit, & ſiquæris non dubitet quærendi effectum ab illo ſe accepiſſe, quem quærit: Nec quia Spiritu Dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum eſt non ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus ſanatur, non natura remouetur: ſed quod in natura periit non reſtituitur niſi ab autore naturæ.*] Protectorem noſtrum facit Deum dum bene operamur, non boni in nobis ſolum ſine nobis operatorem. Noſtris viribus (procul dubio in bono ſpirituali) non eſſe fidendum dicit: igitur adſunt aliquę vires naturales, ſed non ſufficientes, nec tutæ; non ergo volūtas noſtra ad bonum eſt penitus mortua, non dantur nobis nouæ ab extra vires, & totæ, quibus bonū operemur, ſed noſtræ naturales à gratia corroborātur, & ſanantur; & ita ſentit ac docet Proſper. Cuius etiam illa verba ſunt; c Ibid l.2. c.4. c *Voluntas in malis actionibus ſola eſſe poteſt, in bonis autem ſola eſſe non poteſt.*] Adeſt igitur voluntas etiam in bonis, licet non ſola, ſed cum adiutrice gratia, & ſane illa eadem voluntas, quæ ſola in malis libere operatur. Eſt illa ergo etiam in bonis libere operans, ſed non ſola, ſicut in malis. Clariſſimam hac de re habet idem Proſper in eodem opere explicationem, quam protuli ſupra numer. 53. in qua perpetuam habet liberi arbitrij cum gratia coniunctionem. Plura adhuc qui vult Patrum teſtimonia, conſulat d Bellarminum. d Bellar. de grat. & lib. arb. l. .c. 25.26.27. 28.

XC. Hos omnes ſanctiſſimos, & doctiſſimos Patres, vera & ſplendidiſſima Chriſti Eccleſiæ lumina, imo ipſammet totam, & florentiſſimam Eccleſiam vniuerſalem, quatuor primorum poſt Chriſtum ſæculorum Pelagianæ hæreſis velle condemnare, dum omnia opera ſpiritualia hominis tam regenerati, quam regenerandi & libero arbitrio pro ſua particula, & gratiæ diuinæ pro maxima parte tribuunt, & liberum arbitrium ſemper ſaluum eſſe volunt, mihi videtur eſſe valde durum. Veteres igitur hoſce ſanctiſſimos Patres qui ſequitur, ſatis tuta habet ſuæ ſententię fulcra, neque poteſt rationabiliter vt errans in fide damnari. Imo profecto longe tutior incedit, quam qui oppoſitum ſentiūt, & ſequuntur. Hieronymus quoque poſtquā toties liberum arbitrium cum gratia operans fecit, non ſolum arbitrium per ſe, non ſolam gratiam per ſe, dixit, e *Velle meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio nō erit meum.*] Hortaturque aduerſarium hoc pacto, f *Audi Eccleſiaſticam ſimplicitatem, aut imperitiam, vt vobis videtur, — ſemper habui ſtudio audientibus loqui quod publice in Eccleſia didiceram, nec philoſophorum argumenta ſectari, ſed Apoſtolorum ſimplicitati acquieſcere.*] e Hier. ad Cteſiph. f Ibid. Didicit ergo ſuam de libero arbitrio, & gratia doctrinam Hieronymus ab Eccleſia, didicit ab Apoſtolis. Non eſt igitur cur errorem timeant qui ita volunt ſapere, vt tot ſancti priſci Patres, & tota Eccleſia tandiu, imo perpetuo & conſtantiſſime antē Auguſtinum, & poſt, ſapuerunt. Cum præſertim Pelagianus error per communiſſimam & ordinariā Eccleſiæ & ſanctorum doctrinam, quam vidimus, facillime conuellatur, & profligetur. Nam etiam ipſe Auguſtinus ſupra num. 55. aperte fatebatur à Pelagiano errore longe ſe amouere illos, qui gratiā præuenientem & adiuuantem in omni actione ſpirituali vel inchoanda, vel perficienda agnoſcerent, eſſe neceſſariam. Cur ergo, ablato omni opere liberi arbitrij, vt liberum eſt, ſolam gratiam primam cōuerſionē operari, neceſſario credere cogamur? Patres hi profecto, ſi quod cōſtanti traditione ab Eccleſia didicerunt nos docent, vt profitebatur Hieronymus, doctrinam reddūt tutiſſimā, per regulas à me iam explicatas: imo ſi etiā iſta vi proprij ingenij, & ſtudio ſacrarum literarum, promunt, doctrinā hanc ſaltem reddunt probabiliſſimam, & nulla ratione damnandam, aut abominandam. Bene n. illi prçuiderunt errores, quos poſtea Pelagius excitauit, & illis antidotum præpararunt, dum ſemper gratiæ neceſſitatem ſunt profeſſi. Et ſicut Auguſt. aliquos Pelagianos articulos non alio vehementiori argumento quam g Patrum multorum autoritate, vt ſupra vidimus huius l. c.6.n.9. confutauit, ita profecto cōmode potuit etiam articulum de libertate arbitrij cum tot Patribus intelligere, & explicare, à quibus tamen voluit primus in hac controuerſia, quam ipſe fecit, non inuenit, diſſentire. Pelagiana enim deliramenta Patrum hæc doctrina optime, & ſufficientiſſime comprimebat. Et hæc ſeruata erga tantæ ſanctitatis, doctrinæ, & autoritatis Patrum, debita reuerentia, humiliterq; petita venia, dixerim. g Aug. con. Iulian. l.2.

Videtur quidem Auguſtinus ſuo ſancto, & pio ardore in Pelagiana hæreſi comprimenda voluiſſe abundare, in penitus contrariam partem interdum abſcedendo; vt quemadmodum Pelagius ex ſolis viribus liberi arbitrij poſſe volebat hominem ad bonum ſe conuertere, abſque vlla gratię diuinę, etiam præuenientis, neceſſitate, ita ille primam conuerſionem viſus ſit ſoli diuinæ gratiæ, abſque vlla liberi arbitrij libera cooperatione tribuere. Neque enim inſolitum eſt ſanctis doctoribus, pro occaſione controuerſiarum nuper ſub aliqua hæreſi exortarum, in cōtrariam partem interdum etiam nimiū deflectere; vt contigit inter alios Dionyſio Alexandrino, Patri antiquiſſimo, & celeberrimo. Is enim, vt obſeruat Athanaſius, contra Sabellij errorē, qui non Verbum, ſed Deum ipſum Patrem incarnatum eſſe aſſerebat, vt eum conuinceret, h exaggerabat actiones Chriſti quæ humanitatis, & humilitatis erant propriæ, vt orare Patrem, & ſimiles, in quibus vrgebat filium eſſe minorem Patre, & Patris creaturam; ſiquidem orabat Patrem, & ſuum Deum eſſe agnoſcebat, vnde bene ſequebatur contra Sabelliū Deum Patrem non eſſe incarnatum, nam Chriſtus orabat Patrem, & nemo ſe ipſum orat. Hæc pro illo tempore erāt aptiſſima; ſed paulo poſt Arius ex his Dionyſij verbis ſibi clypeum fecit, Filiū eſſe minorem Patre, ipſiuſq; creaturam. Imo etiam ipſi Dionyſio obiectum fuit quod ille filium nō faceret Patri conſubſtantialem, licet nondū Ariana hęreſis fuiſſet exorta, ille vero ſe purgauit, & docuit filiū eſſe Deum, & illud ſe de ſola humanitate Chriſti intellexiſſe: atq; eodem modo eum Athanaſius excuſat & tuetur. Sic facile contingere potuit Auguſtino, & ſequacibus, vt in alterum extremorum contra Pelagium, & vt Pelagiū plenius debellaret deflecteret. Sentit tamen perpetuo ex magna gratiæ efficacia à ſe aſſerta libertatem arbitrij non parum pati, nam XCI. h Atha. epi. de Dionyſii ſenten.

V etiam

etiam ex Gallia id exactiter obiiciebatur, ideoq; in ſe explicando quomodo intelligat primum velle noſtrum bonum eſſe ex Deo, & non ex nobis, ſemper ad gratias præuenientes recurrit: quę quia à nobis non ſunt, ſed ex mera Dei miſericordia, & tamē ita neceſſariæ vt liberū arbitrium ipſis non adiutū, nec præparatū, nec diſpoſitū, nihil in bono poſſit, iccirco Deo, & nō nobis tribuit noſtrū primū bonū velle. Sed nō potuit nō ſæpe, vt vidimus, libero arbitrio ſuā partē dare; & ipſum liberū arbitrium ſibi defendendū eſſe ſemper eſt ꝓfeſſus, defenſionibus tamen interdū imbecillioribus, vt videbimꝰ, qa gratiā cōtra Pelagianos quā maxime fieri poſſet extollebat. Et quia videbat (idque ei à multis, pręſertim ex Gallia obiiciebatur) ex illa, ipſius poſitione de efficacia gratię videri ſequi magnā liberi arbitrij depreſſionē, cū ꝓbe ſciret nō fuiſſe doctoris Catholici negare liberū arbitriū, ꝙ adeo defenſum à ſanctis Patribus cernebat, magna contentione ſæpe niſus eſt docere ex illa poſitione liberum arbitriū non tolli.

XCII. Sed quoniam ſanctus quoq; Hieronymus noſter in Pelagium incenſus contra eū acriter decertauit, videamus quæſo prius quomodo ipſe Hieronymus cū magna gratię operatione ſaluet arbitrij noſtri libertatē, & num ab antiquorum Patrum opinione recedat. Is igitur obiiciētib. Pelagianis, ab eo gratiā aſſeri, vt ꝑpetuo in ſingulis actionib. neceſſariam, a *Reſpondet ſe non deſtruere liberū arbitriū, cui auxiliū gratiæ adhibeat.*] Adhibito ergo gratiæ auxilio, ſiue ꝓueniente tantū, ſiue etiā adiuuante, ſatis ſe liberat Hieronymus à Pelagianiſmo, & interim liberū ſaluat arbitriū, ꝙ à gratiæ adiumento nō deſtruitur. Et hęc eſt vera illa media via, regia via, qua & gratiæ neceſſitas, & arbitrij libertas cōſeruentur. Nemo tamē q̄rat ꝑfectam arbitrij libertatē in natura corrupta, vt ipſum ex ſe poſſit totum bonum; hoc n. eſſet non ſaluare liberum arbitrium cum gratia, ſed ipſum in integrum reſtituere. Nunc vero ſatis eſt vt ipſum libere operetur, & ſit omnium ſuorum actuum Dominus, quamuis ſine gratiæ ope ſolum nihil boni facere queat. Vnde & rurſum Hieronymus ſic liberum ſaluans arbitrium cum gratia, ait, b *Qui noſtris viribus & ſtudio ſaluari non poſſumus, Dei miſericordia conſeruamur. Vbi autem miſericordia & gratia eſt, liberum ex parte ceſſat arbitrium.*] Quia videlicet ſolum ſine Dei adiumento, non poteſt, cum non ſit integrū: Quid vero ſit ex parte ceſſare, & ex parte operari, ſic declarat: *Quod liberum arbitrium in eo tantum eſt, vt velimus atq; cupiamus, & placitis tribuamus aſſenſum. Iam in Domini poteſtate eſt vt id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus.*] Non recedit à communi ſanctorum Patrum, & totius Eccleſiæ doctrina, vt gratia foueat, ſuſtentet, præparet, diſponat, corroboret, adiuuet liberum arbitrium: ipſius tamen ſolius iam gratia præueniente præparati ſit velle, cupere, & aſſentiri: implere vero non poſſit quę vult, quę cupit, & quibus aſſentitur, niſi gratiam ſibi adiunctam, & adiuuantem habeat; c *In noſtra eſt,* inquit, *poteſtate, vel peccare, vel non peccare; & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, vt liberum ſeruetur arbitrium.*] Agnoſcit ergo ſanctus Pater liberum non poſſe ſaluari arbitrium, niſi ipſum ſit quod libere operetur, cum plena & perfecta libertate, quam gratia non debeat tollere, ſed adiuuare. Ad finem vero diſputationum contra Pelagianos ſuperſedere ſe ait ab vlteriori diſputatione, quia Auguſtinus iam plene de hiſce controuerſiis diſputarat. Et nos igitur veniamus ad Auguſtinum, vt doceat nos quomodo poſita illa ſolitariæ gratiæ efficientia, in ipſa prima hominis conuerſione liberum ſeruetur arbitrium.

a Hier. ad Creſiph & lib. 1. adu. Pelag.

b Ibid. l. 3.

c Ibid.

XCIII. Varios ego obſeruo in Auguſtino dicendi modos, vbi libertas arbitrij videtur ei negotium aliquod diuinæ gratiæ faceſſere. Primus tamen maximus, & frequentiſſimus, ac ferme ordinarius modus in Auguſtino ſaluandi in prima hominis conuerſione liberum arbitrium, cum ſolitariæ gratiæ operatione, eſt, quod poſt lapſam naturam liberum arbitrium factum fuerit ſeruum peccati, & diaboli, ad bonum operandum ineptum, ligatum, & impeditum, iam vero ex illa prima gratiæ operatione ipſum fieri liberum, hoc eſt liberatum ab illa ſeruitute, & ſubiectione, quam ſub peccato & diabolo patiebatur, vt iam poſſit ſic per gratiam liberatum etiam bonum operari. d *Si vere volumus,* inquit, *defendere liberum arbitrium, non oppugnemus vnde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiā qua noſtrum ad declinādum à malo & faciendum bonum liberatur arbitriū, ipſum arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captiuum.*] Item, e *Illi oppugnant arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam qua vere ad bona eligenda & agenda fit liberum.*] Item; f *Semper eſt autem in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona: Aut enim à iuſtitia libera eſt, quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala; aut à peccato libera eſt, quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona.*] Eodem profecto modo dicere poſſumus voluntatem noſtram ſemper eſſe ſeruam, ſed non ſemper bonam. Aut enim ſerua eſt peccati, & ſic eſt mala; aut ſerua iuſtitiæ, & ſic eſt bona; quid hoc ad libertatem arbitrij. Ait quoque; g *Liberum itaque arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum, confitendum eſt nos habere.*] Atque in hoc conſiſtit tota libertas arbitrij: pergit Auguſtinus: Sed in malo faciendo liber eſt quiſque iuſtitiæ, ſeruuſque peccati; in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit h *Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis.*] Sed aliud eſt hominem interiorem eſſe liberum vel ſeruum, aliud eſt ipſum hominem interiorem habere in ſe liberum arbitrium: & aliud eſt eſſe liberatum à ſeruitute, aliud habere liberum arbitrium; nam liberum arbitrium optime poteſt ſtare non modo cum libertate à peccato, vel à iuſtitia, ſed etiam cum ſeruitute ſub peccato, vel ſub iuſtitia: ſeruitus enim hæc ſeruum facit hominem, ſed non facit ſeruum hominis liberum arbitrium, quod nulla ratione, nulloque modo ne à Deo quidem poteſt fieri ſeruum, ſed ſemper eſt liberum: deſtrui quidem poteſt, vel aliqua ratione impediri; ſed tunc homo non erit homo in ſuis actionibus, ſed vel beſtia, vel truncus, vel lapis, vel ſaltem rationis impos: ſeruum vero ipſum liberum arbitrium fieri non poteſt. Cumque nemo ſit ſine peccato, certe nemo iam haberet liberum arbitrium, vt obſeruat Bernardus. i *Quis vero,* inquit, *in carne peccati à peccato ſibi vindicat libertatem. Hac ergo libertate merito nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium.*] Ita Bernardus & optime ſane; liberum arbitrium non ideo dici liberum, quia ſit à peccato liberatum.

d Aug. ep. 107.

e Ibid.

f Idem de gra. & lib. arb. c. 15.

g Idem de corrept. & gra. c. 11. & 13.

h Ioa. 8. 36.

i Bern. de gra. & lib. arb.

XCIV. Obiiciebat Auguſtino Pelagius, Gratiam non poſſe neque debere quenquam neceſſitare ad bonum, quia Hieronymus ſcripſerat; k *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioqui vbi neceſſitas neque corona, neq; damnatio eſt.*] Reſpondet Auguſtinus; l *Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? Sed in recte faciendo ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia eſt libertas charitatis.*] Charitas facit vt homo ſit liber à peccato; & expeditus ad bonū agendum: Sed in hoc non cōſiſtit libertas

k Hier. ad Iouin. l. 2.

l Aug. de nat. & gra. c. 65.

arbitrij

arbitrij & voluntatis. Et hic eſt primus modus loquendi, quo Auguſtinus ſaluat liberum arbitrium. Non audet negare illud, non audet admittere neceſſitatem; ſed tamen quia magna vis gratiæ quam concipiebat ad neceſſitatem quandam eum trahebat, obuelat hanc neceſſitatem libertate charitatis; ſed tamen non ſine oppreſſione interim aliqua liberi arbitrij. Vtilitatem potius noſtram ſpectat in his Auguſtinus, quam libertatem. Dubium profecto non eſt, melius eſſe homini vt, amiſſa etiam ſua vera arbitrij libertate, eruatur à peccato, & Deo plene, atque etiam cum neceſſitate ſubdatur, quam vt ſit liber, & pereat, ſi etiam vi & coactus ad ſalutem pertrahatur. Fælix enim neceſſitas, quæ ad meliora compellit. Sed noſtra quæſtio non eſt quid ſit melius homini, ſed quid fiat in homine de illa ipſius facultate, quam à Deo habuit, vt ſemper ſit liber in ſuis actionibus, non modo à coactione, ſed etiam à quacunque neceſſitate. Et num hæc facultas ſemper ſit in homine vere libera, quoties ex vſu rationis, & cum deliberatione ſiue interne tantum, ſiue etiam externe operatur. Melius profecto eſt auiculæ in cauea, quam nobilis puella longe melius paſcit, & ab omni iniuria ſiue cœli, ſiue accipitrum defendit, quam ſi libera in ſiluis & agris vagetur; nihilominus libera non eſt, ſed vere ſerua, neque quis vnquam dixerit eam propterea eſſe in cauea illa liberam, quia liberata eſt à periculis quæ ei liberæ in ſiluis imminebant. Si ergo ſaluandum eſt liberum arbitrium cum gratia, oportet id ſaluare in ſuo vero ſenſu, vt per illum homo poſſit vtrunque, & gratia tunc dicetur non deſtruere libertatem, cum adiuuat vt poſſit homo etiam bonum ſi velit, ſed non neceſſitat. Nam Deus pluris fecit in primo homine arbitrij libertatem, cum periculo lapſus, quam ſine arbitrij libertate firmitatem ſtatus optimi, in quo illum creauerat; quæ tamen firmitas fuiſſet Adamo, & omnibus poſteris multo melior, quam hæc libertas. Sed diuina ſapientia aliter diſpoſuit, & voluit hominem ad ſalutem ducere ſcientem, & volentem; non trahere, vel non deliberantem, vel non libere volentem. Si iacet moribundus, quia pharmacum haurire non poteſt, liberētur ei fauces; ſi ligatus eſt, ſoluantur eius vincula à Gratia: ſi infirmus vt ex debilitate virium non poſſit ex ſe ſurgere, nec ambulare, addatur ei bacillus, quo adiutus & ſurgat & ambulet, non arripiatur in humeros, neque imponatur iumento, ſed ipſe iam ſua ſponte ſurgat, & cum dato adiumento ambulet, ſi vult, ſi non vult iaceat. Si autem vult, & ſurgit & ambulat, non de ſe glorietur, quaſi ipſe ſuis ſolis viribus id faciat, ſed ei gratias agat qui fauces ei aperuit ad ſalutare traijciendum medicamentum; qui eum ligatum ſoluit, quique baculum tradidit; & ipſi baculo, cui nixus ambulat, & ſine quo non ambularet.

XCV. Alium modum ſaluandi liberum arbitrium apud Auguſtinum reperio, quia voluntas eſt quæ vult, quando Deus in ea operatur vt velit, & ſponte vult non coacta. *a Præceptum quippe liber facit* inquit Auguſtinus, *qui libens facit.*] Item, *b Quomodo* inquit, *dicuntur negare liberum arbitrium* (quod ei opponebant Pelagiani) *qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate.*] Profecto per liberam voluntatem intelligit non vi adactam, non coactam, ſed voluntarie hominem credere, id eſt ſpontanee. At in hoc non eſt illa libertas quæ liberi dicitur eſſe arbitrij, neq; propterea libere agit, qui ſponte, libens, & non coacte agit; ſic enim lapis in alto ædificio poſitus, ſi remoueas prohibens, ſponte deſcendit, ſed non libere; ſic ignis applicatus ſtuppæ, ſponte eam comburit, ſed non libere. Ita brutum ſponte & libens currit ad pabulum, ſed certe non libere; imo etiam ſuum naturalem cohibet appetitum, & ex diſciplina, appreheſioneq;, ac timore verberum, facit ſpōte multa contra naturalem inclinationem, ſed nunquam libere, neq; ex deliberatione, & electione. Si igitur aliam libertatem non habet homo in ſui prima cōuerſione, niſi hanc à coactione, profecto truncus erit, vel lapis, vel brutum, hoc eſt ab his nihil differens in modo operandi. Conſiderauit hoc Irenæus vbi ſcripſit, *c Homines rationabiles, & examinatores, & iudicabiles facti ſunt, & nō quemadmodum irrationabilia, ſiue inanimalia, quæ ſua voluntate nihil poſſunt agere: ſed cū neceſſitate, & vi ad bonum trahuntur; in quibus vnus ſenſus, & vnus mos inflexibilis, & ſine iudicio, qui nihil aliud eſſe poſſunt, præterquam quod facti ſunt.*] Pergitq; oſtendere cur melius homini fuerit vt creatus ſit liber, quam ſi ex neceſſitate ad ſalutem pertraheretur. Et Baſilius in eandem ſententiam ſic. *d Qui igitur opificem reprehendit, quod non naturaliter conſtruxit nos, vt ne peccaremus; is nihil aliud facit quam quod irrationalem naturam rationali præfert, & immobilem, & concitationis expertem, actuoſæ, & electionis voluntatem habenti.*] Et Cyrillus Alexandrinus. *e Hæc enim,* inquit, *liberi arbitrii vis eſt vt ad vtramuis partem tendere poſſit. — Sin autem, minime liberi arbitrii filius eſt, atque ideo non poteſt diuerſa eligere, ſed neceſſario ſemper manet quod eſt, quaſi lignum, vel lapis in ſeipſo ſubſiſtet, natura vinculis, non libertate arbitrii vnitus.*] Vbi ergo homo agit, & ſine plena libertate arbitrij, ille inſtar ligni, inſtar lapidis eſt.

XCVI. Tertium modum ſaluandi liberum arbitrium in Auguſtino obſeruo, quod poſtquam iam per primam gratiam, & regenerationem hominis eſt liberatum, ſemper ad omne opus bonum concurrit libere, & cooperatur gratiæ. *f Valet,* inquit, *liberum arbitrium ad opera bona, ſi diuinitus adiuuetur.*] Item, *g Nos autem dicimus humanam voluntatem ſic diuinitus adiuuari ad faciendam iuſtitiam, vt præter quod creatus eſt homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, accipiat Spiritum ſanctum quo, &c.*] Ipſum ergo liberum arbitrium, ſed adiutum diuinitus operatur bonum, ſecundum Auguſtinum, ſed ipſe intelligit in homine iā renato: in ipſo vero actu renaſcendi, voluntas humana ſi ſe habeat duntaxat paſſiue, & non niſi à gratia acta agat: profecto nō ſufficit hoc ad ſaluandum liberum arbitriū, quia in primo, & pręcipuo, & maximi momenti ſuo actu, quando primum ad Deum conuertitur, ipſe nihil ſui confert actiue. Itaq; per hunc modum non ſaluatur liberū arbitrium in primo actu, qui eſt actus principaliſſimus, & capitalis.

XCVII. Quartus modus eſt, quod videtur interdum Auguſtinus concedere hominem poſſe diuinæ illi primæ gratiæ reſiſtere, vt vidimus ſupra num. 69. Sed ibi probaui hanc reſiſtentiam eſſe impoſſibilem, ſi vera ſit prima opinio, vt hic ſupponimus; & qui concedunt voluntati in primo illo actu reſiſtibilitatem, eam concedunt metaphyſice, non phyſice; hoc eſt per puros & nudos quoſdam conceptus abſtractos; ſed in facto, & phyſice ponunt impoſſibilitatem vt quis illi gratiæ reſiſtat, iuxta illud, *h Voluntati eius quis reſiſtet?* Et Auguſtinus, vt vidimus nu. 36. ſicut concedit hanc propoſitionem: in primo velle voluntas ſine gratia non operatur, ita non vult cōcedere è conuerſo hanc: Gratia ſine voluntate non operatur, quia ibi videtur inclinare in eam ſenten-

a Aug. de gra. Chriſti l. 1. c. 13.
b Idem ep. 107.
c Iren. adu. hæc. lib. 4. c. 72.
d Baſil. ho. 37.
e Cyrill. theſauri li. 3. c. 2.
f Aug. ep. 89.
g Idem de Spir. & lit. c. 3.
h Rom. 9. 19.

tiam vt putet illam omnino ita operari, vt voluntas ſua reſiſtentia non poſſit ipſius impedire operationem.

XCVIII. Certe ſi liberum arbitrium aliud in homine non eſt in primo illo ſuo velle, niſi quod interdum expli cat, & ſaluat Auguſtinus, actum omnino eſt in primo illo velle de libero arbitrio; & qui abſolute & rotundo ore negarunt, & penitus abſtulerunt homini non regenerato in prima ſui regeneratione liberum arbitrium, profecto ex quibuſdam Auguſtini poſitionibus, meo iudicio, ni fallor, id omnino abſtulerunt, & ſeruum penitus fecerunt: ſeruum vero gratiæ, & Spiritus ſancti, ſed ita tamen ſeruum, vt ſua naturali quoque libertate ſit priuatum; quod niſi vidiſſet ipſe Auguſtinus eſſe contra diuinas ſcripturas paſſim, vt ipſe docet & probat ſupra nu. 43. 87. 93. non adeo & tam ſæpe laboraſſet, vt ipſum liberum arbitrium ſaluaret. Actionem & concurſum liberi arbitrij, etiam in prima conuerſione expreſſe poſuit Aug. ſupra n. 87. & tamen in ſaluando libero arbitrio ad imbecillia diuertit, quod mihi ſæpe admirationem iniecit, poterat enim expreſſe fateri cum communi omnium Patrum qui ipſum præceſſerunt, in prima conuerſione & ſuo libero arbitrio, & auxilio gratię hominem credere, &c. Abſtinuit tamen ex ardore ſuæ diſputationis contra hoſtes gratiæ Pelagianos. Certum tamen eſt ex ablatione vſus liberi arbitrij etiam in ſolo primo actu conuerſionis, grauia ſequi abſurda, imo impoſſibilia, & plurima parum tuta. De quibus infra ſuis locis.

XCIX. Quid vero Bernardus? quomodo ſaluat liberum arbitrium cum gratiæ neceſſitate? Fatetur ille libertatem arbitrij eſſe illam, cui neceſſitas non obuiet. *a* *Eſt vero, inquit, quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere poſſumus à neceſſitate; eo quod neceſſarium voluntario contrarium eſſe videatur: ſiquidem quod ex neceſſitate fit, non iam ex voluntate, & è conuerſo ſimiliter — & ſane libertatem contulit nobis in conditione natura, & hæc libertas à neceſſitate æque & indifferenter Deo, vniuerſæque tam malæ, quam bonæ rationali conuenit creaturæ; nec peccato, nec miſeria amittitur vel minuitur; nec maior in iuſto eſt quam in peccatore. nec plenior in Angelo, quam in homine.*] Atque hoc liberum arbitrium naturæ ſic explicatum vult Bernardus adeſſe tunc etiam homini, quando primum beneficio gratiæ, videlicet præuenientis, conuertitur ad bonum. *b* *Quomodo namque, inquit, ad bonum conuerſus per gratiam humanæ voluntatis conſenſus eo libere bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non inuitus pertrahitur: ſi pr. ſ. &o. &c.*] Voluntarium intelligit id quod iam explicarat à neceſſitate nempe liberum: quod ergo hic ait de coactione, & inuito; intelligit de neceſſitate & neceſſitato: non enim liberum intellexit Bernardus id quod ſponte tantum facit, & non coacte, ſic enim omnia naturalia, & irrationalia in ſuis operationibus eſſent libera: ſed quod voluntarie facit, hoc eſt & ſponte, & non neceſſario; vnde & concludit. Manet ergo libertas voluntatis; vbi etiam fit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quam in bonis, ſed in bonis ordinatior; tam integra quoque ſuo modo in creatura, quam in creatore, ſed in illo potentior.] Captiuitatem intelligit, non facultatis illius operatiuæ quam liberum dicimus arbitrium, hanc enim captiuari non poſſe optime ſciebat Bernardus, & etiam explicat, ſed ipſius hominis interioris, qui vel peccato, vel iuſtitiæ ſubdatur, manente ſemper libero arbitrio, & libere operante, etiam quando homo in bono iuſtitiæ captiuatur. Et quando homo dicit, volo habere bonam voluntatem, & non poſſum, explicat ibidem Bernardus non experi ab eo libertatem arbitrij, nam hoc ipſum velle & expetere eſt à libero arbitrio; ſed experi ab eo libertatem à peccato. Itaque cum gratia ſaluat Bernardus integrum liberum arbitrium, quod auxilio tantum gratiæ indigeat ad bonum, ipſum tamen ſit quod bonum velit & operetur, ſed adiutum gratia, modis iam ſupra explicatis: quæ fuit conſtantiſſima & perpetua doctrina, vt vidimus, priſcæ Eccleſiæ ante Auguſtinum; cui conſentit Bernardus, neque tamen propterea timuit hinc ſibi ne Pelagianiſmo inficeretur.

a Bern. de gra. & lib. arb.

b Ibid.

C. At vero noſtri ſcholaſtici illi, qui plurimi illam gratiæ efficaciam ſine liberi arbitrij libero conſenſu, in prima præſertim conuerſione, mordicus defendunt, cum liberum tamen arbitrium omnino ſaluandum eſſe, & non cum pleriſque Proteſtantibus tollendum cenſeant, neque interim modi id ſaluandi ab Auguſtino traditi ipſis ſatisfaciant, varias & ipſi ineunt rationes, in hoc genere metaphyſicandi. Thomiſtæ ab ipſo Thoma *c* Aquinate ad ſaluandum liberum arbitrium eam metaphyſicam ſumpſerunt, vt dicant, *d* liberum arbitrium in homine non eſſe primum in genere liberi, quod eſt Deus; ſed à Deo pendere, etiam in genere cauſæ ſecundæ, neque liberi arbitrij humani eſſe vt ipſum quidem ex ſe, ſe determinet, ita tamen vt prius à Deo determinetur, ſuauiter tamē & iuxta ipſius liberi arbitrij modum & inclinationem. Neq; ex hoc quod prædeterminetur à Deo, quoties eſt actu ipſo ad aliquod opus, pręſertim ſpirituale, ſe determinatū, ipſius libertatem lædi aſſerunt, quia homo nō eſt ſimpliciter primum liberum, & primum deliberans, ſed proximum; ideo quoq; voluntatē vt ſit libera debere habere dominiū ſui actus, non tamen oportere vt habeat primū & abſolutū illius dominium.] Hæc & ſimilia inuoluūt, & multiplicāt, quę tamen omnia ad ſumum tandem nullā aliam in homine libertatē admittūt, niſi libertatē à coactione, quæ in brutis quoq;, & vel ipſis rebus ſenſu carentibus reperitur: aut ſi qd plus habeat id adeo ſubtile eſt & attenuatū vi metaphyſices, vt ſit imperceptibile; fatetur n. Thomiſtarū Coriphęus Caietanus, *e* libertatē arbitrij & cognoſci, & demōſtrari: qualiter a. actualis vſus illius ſtet ſimul cū præſcientia, ꝓuidētia, prædeſtinatione, & efficacia gratiæ, nō poſſe cognoſci aut cōprehendi, & ideo cū captiuatione intellectus eſſe tē credendā. Aluarez vero poſtquā multa & ſępius de hac cōcordia ex principiis Auguſtini, & Thomæ diſputauit, ingenue *f* cōfeſſus eſt ea intellectū nō quietare. Libertas vero arbitrij à neceſſitate, mihi videtur omnino defendēda, & quia, vt ꝓbaui; firmiſſimis illa ſolidatur fundamentis, illud duntaxat cōtendo, eos qui hoc pacto ꝓpugnant liberū arbitriū, non debere hoc nomine à charitate Eccleſiarū reformatarū, oppoſitum ſentientiū abijci; & illi quoq; interim quo ad hoc abundēt in ſenſu ſuo, nam eorū opinio de non libero arbitrio, ſaltē ex rationib. Auguſtini, & autoritate vnius integræ ſcholę ſcholaſticorū, induit probabilitatē, quouſq; ſufficiēs habeatur definitio; arbitror n. articulum de libero arbitrio, eſſe definibilem, ꝙ ſi quis opponat beatos in patria Deum ita libere amare vt tamē neceſſario amēt, & ideo neceſſitatē non ſemper tollere voluntati libertatē, Reſpondeo id eſſe priuilegiū ſolius ſumi boni clare viſi, & cogniti, vt voluntas rationalis in ipſum neceſſario feratur: Quod in hac vita de lege ordinaria eſt impoſſibile: & de hoc argumento dicam aliquid inferius.

c Aquin. p. 1. q. 9. ar. 4.

d Zumel variar. diſput. tom. 1. diſcur. 5. ſect. 1. Aluares de auxil. diſp. 117.

e Caiet. p. 1. q. 22. ar. 4.

f Aluarez de auxil. diſp. 121. ad 2.

QVÆSTIO

CI. Qvæstio tertia, An gratia ad conuerſionem & ſalutem neceſſaria, ſit extenſiue & ſemper omnibus parata, & tanta intenſiue, quæ ſatis eſſe poſſit ad conuerſionem & ſalutem. Qui mere gratuitam tenent primam hominis conuerſionem, ex ſola diuinæ gratiæ operatione, nihil concurrente actiue hominis libera voluntate, vt libera eſt, quandoquidem planum eſt non omnes homines conuerti & ſaluari, coguntur etiam aſſerere, Gratiam non omnibus exhiberi, ſed ſolis electis; & quidem non modo ſufficientem, ſed etiam efficacem: neque hi debent diſtinguere gratiam in ſufficientem, & efficacem. Cum enim Deus faciat vt homo velit, & non libere neque ex motu propriæ voluntatis, certum eſt omnes quoſcunque Deus facit velle, omnino velle: cumque omnes non velint conuerti, ſequitur neceſſario Deum nolle omnes conuertere, quia nõ facit vt omnes velint. Cumque gratia hæc prima ſemper habeat ſuum effectum, quos enim Deus facit velle, illi certe non poſſunt non velle, *a* voluntati enim eius quis reſiſtet? Gratia hæc ſemper erit & ſufficiens, & efficax. Aliis vero qui actu non conuertuntur, cum illi ex ſe non poſſint conuerti, cumque Deus illos non faciat velle, certe neque dat eis gratiam ſufficientem; ſi enim daret gratiam hanc operantem in nobis velle, illa eſſet & ſufficiens & efficax, & ſine hac nihil datur homini quod ſufficiat ad ipſius conuerſionem, quam ſola hæc gratia efficax & poteſt operari, & ſemper operatur, & ab Auguſtino vocari ſolet gratia operans, quæ ſit diuerſa à cooperante, quia operans facit nos velle ſine nobis, at cooperaus nobiſcum operatur, & liberum arbitrium libere operans adiuuat in operando. Hæc eſt prima opinio.

a Rom 9. 19.

CII. In hac prima opinione eſſe Auguſtinum, mihi non videtur dubium, imo illum eſſe & primum autorem, & Ducem huius opinionis. Quamuis enim circa concurſum liberi arbitrij in prima conuerſione ſe clare nunquam explicarit, ſed noſtrum primum bonum velle modo ſoli tribuat gratiæ, modo ſimul etiam libero arbitrio; vbi tamen de efficacia, aut vniuerſitate gratiæ agit, ſemper expreſſe efficacem gratiam ſolis tribui aſſerit electis: & præter efficacem gratiam vix aliam ſufficientem admittit; licet eam ex Auguſtino Bellarminus, non ſine vi, *b* conetur expiſcari; Paſſim enim reprobis negat dari gratiam internæ vocationis, & eos relinquit in maſſa damnata, quos eximere Deus noluerit, vt infra, vbi de Prædeſtinatione agemus, patebit. Si noluit eximere, ergo neque gratiam ſufficientem conceſſit, qua ſe poſſent liberare.

b Bellar. de grat. & lib. arb. lib. 1. c. 11.

CIII. Secunda opinio eorum eſt, qui, ſeruato libero arbitrio, primum velle hominis in ſui regeneratione volunt eſſe liberi arbitrij duntaxat, ſed beneficio gratiæ præuenientis præparati. Hi vero omnibus hominibus aſſignant auxilium gratiæ ſufficiens, quod cuique ſatis de ſe poſſit eſſe ad ſalutem. Non quod Deus id teneatur, cum poſſet abſque vlla in eo iniquitate negare & omnibus, & quibuſdam hoc auxilium, vt bene probat Bellarminus: ſed poſita iam Dei benignitate & gratuita miſericordia, qua Deus lapſum ſua culpa hominem noluit deſerere, omnibus penitus, pro loco tamen, & tempore, ſufficiens auxilium dari, & cenſet, & probare conatur idem *c* Bellarminus ex ſcripturis, & Patribus.

c Bellar. de gra. & lib. arb. l. 2. c. 5.

CIV. His tamen opponitur, quod ſufficientem gratiam eam eſſe volunt, quæ non ſit efficax, ſed ab efficaci diſtinguatur; efficacem vero omnem & ſolam, & ſemper habere effectum, ex quo ſequitur neceſſario ſufficientem gratiam nunquam in vllo homine habuiſſe, nunquam habere, & nunquam penitus ſuum effectum hominis conuertendi & ſaluandi habituram. Ad ludibrium ergo ponitur, & luſorie dicitur per gratiam ſolam ſufficientem hominem poſſe ſaluari; alioquin ſufficiens non eſſet, ſed tamen per eam neminem aut ſaluatum eſſe, aut ſaluandum: præclare Hieronymus Pelagiano alia, ſed ſimili occaſione, ait, *d Noli ponere in cælum os tuum, vt per eſſe poſſe ſtultorum illudas auribus, quis enim tibi concedet poſſe hominem facere, quod nullus vnquam hominum potuerit? An tu dialecticis ne imbutus quidem es? Si enim poteſt homo; non poſſe tollitur; ſi autem non poteſt; poſſe ſubuertitur.*] Imo *e* reprobis etiam ab his conceditur hæc gratia ſufficiens; ad quid, quæſo, niſi ad iocum? *f* Efficacem eſſe volunt non ex parte hominis, quod ab ipſius voluntate accipiat effectum & efficaciam, ſed à mera voluntate Dei, quod excitet efficaciter, quando præuenit & vocat eo tempore & modo, quo conueniat homini, ſitq; ei ſecundum circunſtantias opportunum. Ergo quæcunque gratia, & quodcunque auxilium à Deo cuicunq; homini offertur extra tempus, extra modum, & extra circunſtantias, quibus ille ſit paratus, vt ſinat ſe moueri, erit fruſtatoria, & nullius momenti, & ſic nullo modo ſufficiens; & ſi offeratur ei extra tempus ipſius, id erit illum deludere: vt ſi ligato homini, & compedibus conſtricto, carcereq; detento & concluſo, dum eſt ligatus, concluſus, & cõſtrictus, quis offerat equũ ad fugiendum è carcere, is certe illum illuderet, neq; vnquã diceretur ei dediſſe auxilium ſufficiens ad fugiendum.

d Hier. aduerſ. Pelag. lib. 1.

e Bellar. de lib. arb. l. 1. c. 13.

f Idem ibi. lib. 1. c. 12. & 13.

CV. g *Certum eſt*, inquit, *Bellarminus, vocari à Deo multos & non vt aptum eſt eis, neq; quando ſint diſpoſiti ad audiendum, ſed quando ſcit eos non ſequuturos, & non vocari quando eſſent ſecuturi: & probat ex Tyriis & Sydoniis, & ex iis qui Spiritui ſancto reſiſtere ſemper ſoliti erant. Ac propterea non debere id abſurdum videri, etiamſi nos cauſam cur Deus id faciat, ignoremus. Sed etiam cauſam ex Auguſtino conatur aliquam aßignare. Non vocat*, inquit, *reprobos quando nouit ſecuturos, quia non tenetur; & iam ſunt natura filii iræ & iuſte derelicti. Vocat autem quando nouit non eſſe ſecuturos, vt oſtendatur vis liberi arbitrii, tum propter electos, vt ipſi in perditione alterum intelligant quam gratiam acceperint à Deo, qui eos vocauit ita vt eſſent infallibiliter ſecuturi. Neque reprobi*, inquit, *culpam vllam ſuæ inobedientiæ in Deum referre poſſunt, cum non præſcientia Dei, ſed ipſorum voluntas cauſa fuerit vt vocationi non acquieſcerent.*] Ita Bellarminus.

g Ibid. c. 13.

CVI. Hæc tamen non videntur tollere oppoſitionem. Nam reproborum excuſatio eſt in promptu, vocaſti nos quando ligatos videbas, & audiendi, parendique impoſſibilitate obſtrictos; debebas prius nos ſoluere, & gratia præueniente diſponere: aut expectare tempus, quando impoſſibilitate non premeremur. Vocaſti ergo ac ſi non vocaſſes, quia vocatio tunc non erat idonea ad nos permouendos. At qui non vocatur, ſeu inepte vocatur, ſi non reſpondet non peccat: *h Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.*] Hoc autem Chriſti venire & loqui eſt dare gratiam ſufficientem: & illi peccant, qui, cum ex tali gratia poſſent audire, ex mala tamen voluntate nolunt; quod in illis reprobis non eſt, qui ſufficientem gratiam non habent, qua poſſint, modo velint, vocantem ſequi: ponimus enim illos in ſtatu in quo omnino nõ poſſint velle. Et quomodo ex hac ſcienter & volenter fruſtatorie prolata à Deo vocatione, ſequitur libe-

h Ioan. 15. 22.

rum oſtendi arbitrium, id ego non video; liberum enim arbitrium, niſi per gratiam præuenientem & ſufficientem liberetur, in bonũ ferri non poteſt, ſed omnino in malum ruit, & bonũ reſpuit, & hoc abſque vlla filiorum Adæ propria culpa; non ergo poteſt exerceri liberũ arbitrium circa bonum, niſi cũ gratia ſufficienti, qualis non eſt iſta vocatio. Non tenetur, fateor, Deus dare reprobo gratiam ſufficientem, quia eſt natura filius iræ: ſed neq; pari ratione tenetur eam dare electo, quia etiam ipſe, antequã gratiam ſufficiẽtem accipiat, imo etiam efficacem, eſt naturaliter filius iræ: ratio ergo hæc integram linquit oppoſitionem, Deum cum vno ſerio agere, cũ alio iocari: Dei quoq; multa opera nos nõ capimus, nec intelligim⁹, ſed hoc velamine nõ debem⁹ quaſcunq; abſurditates à nobis ſine cauſa ꝓlatas tegere; nihil n. vt ad hęc ludibria perueniamus, nos cogit.

CVII. Tyriis & Sydoniis Deus poſitiue nõ negauit illa auxilia, q̃ ſi habuiſſent dicuntur fuiſſe credituri: Neque Christus oſtendit ſe potuiſſe illis per miracula opitulari, ſed noluiſſe: *a* Matt. 15. 24. *Chriſtus n. fuerat miſſus ad a oues domus Iſraẽl* tantummodo, & non ad gentes; & ſua miracula ſuamq; prædicationem, dũ mortalis inter homines vixit, debuit ſoli Iudęę cõmunicare, cuius duritiem vt argueret, ait, illa miracula apta fuiſſe ad conuertendas gentes, quarum peſſimæ ex notis & circũuicinis Iudææ erant fortaſſe Tyrij & Sydonij, ideo vel hos ipſos Chriſtum audituros fuiſſe aſſerit, ſi illis hęc fęlicitas obtigiſſet, vt Chriſtus inter ipſos naſceretur, ꝑdicaret, & miracula faceret. Quæ gratia ſoli nationi Iudæorum facta fuit, non ad excludendas alias nationes à ſalute, ſed ad maiorem ipſorum Iudæorum, ex quib. erat Chriſtus, confuſionẽ; quia *b* ſui eum nõ receperunt. *b* Ioan. 1. 11. Non ergo Tyriis ideo negata ſunt illa miracula, & pręſentia Chriſti, ne haberent gratiam, ex qua omnino fidem recepiſſent, tãquam reprobati; ſed ex quadã neceſſitate id fuit, quia Chriſtus extra Iudęam ſua corporali pręſentia nihil agere debebat. Eadem ratione diceres ſi in India, ſi in Taprobana, ſi in Iapone, ſi in Peruana Chriſtus natus fuiſſet, & ibi prædicaſſet ac miracula feciſſet, eos quoq; omnino tunc, viuente in terris mortali Chriſto, fuiſſe credituros; quod autem ex hac ipſa gratia non crediderint & iſtæ, & quæcunq; aliæ nationes, non fuit quod negatum eis fuerit tunc hoc auxilium ſufficiens, imo efficax, ſed id ex neceſſitate cõtigit, ſuppoſita diuina ordinatione, vt Chriſtus ex Iudæis Iudæus naſceretur, & extra Iudæam non egrederetur. Iudæi vero ordinarie Spiritui ſancto, certe eos ad bonũ vocanti, & adiuuanti, *c* Act. 7. 51. *c reſtiterũt, quia præditi libero arbitrio vocantẽ Spiritum ſequi nolebãt,* cum tamen poſſent, & deberent; & hoc faciũt quotidie homines, quos Deus, ſerio & in tẽpore, & apte vocat, ſed multi Spiritui ſancto reſiſtũt. An vero efficaci vocationi poſſit reſiſti, & an ſufficiens poſſit eſſe ſimul etiã efficax, videbimus poſtea. Certe interim hæc ſecunda opinio cogitur, velit, nolit, cũ prima ſolam gratiam efficacem agnoſcere, qua Deus velit vni opem ferre, alium deſerere; & hoc ſua abſoluta volũtate. Et tamẽ in *d* Scriptura res clara eſt, *d* Bellar. de gra. & lib. arb. l. 1. c. 11. aliquos habere ſeu habuiſſe gratiam à Deo q̃ ſufficiens fuerit, & tamen efficax nõ fuit, quia cauſa fuit effectu. Aliter ergo ſe res habet quam hi explicant, vnde hæc opinio ſecunda non videtur poſſe ſtare. Aut ſi ſufficiẽtem ſolam poſſe ſatis eſſe homini ad ſalutẽ dixerint, non tamen in omnibus actu ſufficere, ſed ſæpe in multis, tũc ex libertate arbitrij, humanaq; voluntate, & non ex Deo largitore cogentur aſſerere fieri, vt vni gratia ſit efficax, alteri non ſit: quæ erit tertia opinio.

Tertia itaq; opinio poteſt eſſe de adultis, & ratione vtẽtibus (nam de infantib. alius erit ſermo) omnibus & ſingulis dari gratiã ſufficientem ordinariã, ſuis tẽporibus, quando ꝓſertim inſtat tempus adimplendi præcepti conuerſionis, qua quiſq;, dũmodo velit ea vti, poſſit cõuerti, & ſaluari. CVIII. Et hanc gratiã ex ſufficiẽti ordinarie fieri efficacẽ ex eo ſolo, ꝙ volũtate hominis effectũ ſortiatur; ſed ſi reſpuatur ſufficiẽs illa reſpuenti fuit, ita vt ꝑ illũ ſteterit quo minus fuerit ei efficax, ac inde redditur inexcuſabilis, quia à Deo habuit auxiliũ vere & non irriſorie ſufficiens, quo potuit, ſed noluit cõuerti. Interim tamẽ negandum non videtur, aliquando Deum gratiam ꝑuenientem alicui dare extraordinariam maximam & ampliſſimã & vehementiſſimã ac efficaciſſimã: vt Paulo, non ꝙ communis, hoc eſt ordinaria gratia ſufficiens non fuerit ſatis, præſertim ex maioribus (nam vocationes ordinariæ & ſufficiẽtes magnam habent latitudinem, neq; ſunt ſemper inter ſe ęquales;) ſed quia Deus illum ad maxima deſtinabat, voluit illum ꝑ extraordinariam vocationẽ ad hęc magna præparare, vt eſſet *e vas electionis*. *e* Act. 9. 15. Fateor quoq; interdum cũ aliquibus Deum tam ſtricte agere gratia extraordinaria, vt cum ſanctiſſima matre Redẽptoris, cum pręcurſore Ioanne, cum Apoſtolis, cum Auguſtino, &c. Vt eo tẽpore vocarit, & illis modis, ac conditionibus, quibus maxime aptũ pręuideret, vt voluntas libere quidẽ, ſed infallibiliter vocantẽ ſequatur: ſed ſicut in hoc non pono efficaciam gratiæ, vt in ſolo tali caſu ſit efficax, nam etiam ſola ſufficiens & ordinaria, voluntate hominis fit efficax; ita illam non cognoſco quicquam libero arbitrio præiudicare; hæc enim omnia pręparant tantum, & diſponunt, vt ſupra monui, aguntq; duntaxat moraliter, non phyſice; puto tamen infallibiliter ſequi effectum, ſed citra omne liberi arbitrij detrimẽtum.

CIX. Poteſt ſane Deus adeo clare proponere obiectũ bonum voluntati, & in tempore, quo illa nõ habet viuos ſenſuales affectus, impedireq; vt nulla alia bonitas ſiue vera, non tamen ſpiritualis, ſiue apparens voluntati proponatur, vt infallibiliter ſolum à Deo propoſitum bonum eligat; quia vbi ablata ſunt ei omnia alia obiecta illã inuitantia, & allicientia, & vnicum ſit reliquum, ac clariſſime bonũ, nullo modo continget quin illa in id tendat, & illud amplectatur; ſicuti ſi homini eſuriẽti, & incluſo, vnicus cibus, ac præſertim bonus & delicatus, eiuſq; palatui gratiſſimus, & acceptiſſimus proponatur: is certe omnino, & infallibiliter, ſi non ſit mente captus, nulla alia interpoſita deliberatione in eum ſtatim inuolabit. Et ſi homo orator egregius oratione ſola tantam vim habet, vt flectat hominum volũtates, quo ille voluerit, & deflectat eas à rebus etiam iocundiſſimis, qualis eſt vita, vt mortem etiã glorioſam oppetant: Si Diabolus ſola obiectorum propoſitione, & mala ſuaſione ad ſe tot hominũ ferme trahit voluntates, ac ſæpe infallibiliter, libere tamen; cur Deus multo magis nõ poterit? poterit ſane, ſed ſemper ſuauiter, nullo pacto læſa arbitrij libertate: ſic diſpoſuit *f* Zachæum; ſic *g* hoſpitem apud quem vltimam cænam fecit; ſic *h* Dominum Aſinæ, & pulli. *f* Luc 19. *g* Matt. 26. 18. *h* Matt. 21. 3. Hoc tamen raro & extraordinarie tantummodo efficit: vbi ego puto etiam ordinariam gratiam ſufficientem ſatis futuram fuiſſe.

CX. Atq; hoc pacto ſi velint tantam eſſe efficaciam gratiæ; vt voluntas infallibiliter diuinum ſequatur impulſum, quoties Deus velit mouere voluntatem vt apta eſt, gratia ſua præueniente, quod vult Molina, non omnino repugno; vbi videlicet totus motus à Deo non ſit niſi diſpoſitiue, & obiectiue, ac mo-

ac moraliter: actus tamen voluntatis effectiue ſit totus à ſola voluntate, & Deus effectiue ac Phyſice nihil faciat in hoc actu, præter ſuum generalem concurſum, ſiue etiam ſpecialem, ſed dependenter à cauſa ſecunda, quæ eſt ipſa voluntas. Fatebor etiam lubens actum hunc liberi arbitrii, deberi multo plus Deo, quam homini, quia diſpoſitiones illæ gratiæ præuenientis, inter quas non grauabor admittere etiam gratiam aliquā habitualem, & inhærentem, à Deo voluntati donatam mere gratis, ipſa nihil operante, ſed ſe mere paſſiue habente; quæ gratia corroboret vires liberi arbitrii ac ſanet, non totum hominem, ſed ſolas voluntatis vires, vt iam poſſit velle & eligere bonum, præparetque ipſam voluntatem, ſine qua præparatione nihil illa poſſit ad bonum ſupernaturale; intellectus quoque à Deo illuminatur, obiectumq; bonum ei clare proponitur, & alia obiecta contraria cum ſuis apparentibus bonitatibus obteguntur; atque hinc fit, vt licet actus volitionis, & aſſenſus effectiue ſit à ſolo lib. arbitrio, Deo tamen & diſpoſitiue, & obiectiue cū infallibilitate operāti ferme totus debeatur. Libertas certe integra conſeruatur, vbi voluntatis tota determinatio effectiue & phyſice ſit ab ipſa ſola voluntate, & non ab externo; quia nullū externū ſiue efficiens, ſiue obiectum poteſt volūtatem determinare phyſice, & effectiue. Solum ſummum bonum clare viſum eſt obiectum, quod voluntatem phyſice & effectiue ad ſe rapit, trahit, neceſſitat & determinat, quod fit duntaxat in patria, vbi per lumen gloriæ beatis Deus, vt ſummum bonum manifeſtatur; licet in hac vita etiam voluntas quoad ſpecificationem neceſſario velit beatitudinem, & reſpuat miſeriam, quo ad exercitium tamen etiam in hoc libera erit, quia poteſt & velle beatitudinem, nolleque miſeriam, & ſuſpendere actum, habereque ſe negatiue ad vtrunque, nullo elicito actu. An vero beati poſſint interdum libere ceſſare ab actu viſionis & dilectionis, non eſt huius loci diſputare.

CXI. Illam igitur ſufficientem gratiam ordinariam omnibus pro tempore & opportunitate dari, ac vere ſufficientem, quæ ſi admittatur duntaxat ab homine fiat efficax, ex ſacra ſcriptura ſatis abunde probari poteſt. Percurramus omnia tempora. In lege naturæ, & conſequenter in tota gentilitate etiam poſt legem ſcriptam, & ante Euangelium, Paulus dicit inexcuſabiles fuiſſe omnes qui perierunt: quia ex lumine naturæ potuerunt Deum agnoſcere & glorificare, eique gratias agere: ac ſane per fidem, vt oſtendebā ſupra quæſtione prima, numero 14. vel igitur, ſecundum Paulum, ipſum lumen naturæ eſt particula gratiæ & iuſtitiæ originalis, & ſane particula de ſe ſufficiens, ſaltem ante Euangelium, per quam homo poſſet adiuuante communi gratia peruenire ad ſalutem, vt ex Paulo iam probabam, vel dicendum eſt & neceſſario ſupponendum, Deum ſtatim, quando poſt lapſum naturam humanam in primo parente ei deſtinauit filium in Redemptorem, hoc ipſo eidē naturæ præparaſſe gratiam pro tunc ſufficientem, & adiuuantem, qua, qui ſequeretur lumen naturæ, poſſet Deum glorificare, & ſalutem conſequi, vt ibidem explicaui. Sed etiam in hoc ſtatu aliquid extraordinariæ gratiæ maioris, maioriſque auxilii interdum Deum præſtitiſſe vix poteſt ambigi: vt Enocho, Noe, Melchiſedeco, Iobo, & ſimilibus. Propterea Areopagita quærens cur olim ſola natio Hebræa Deum verum coleret, gentes vero omnes eſſent idololatræ. Reſpondet certe cum Paulo, id eorum culpa & nequitia contigiſſe, qui diuinum
lumen ſequi noluerint, ait vero: a *Nempe & aliis gen-* a Areop de
tibus, ex quibus & nos, ad immenſum & infinitum diuini cœl. hiera.
luminis pelagus, quod ſemper paratum eſt, & patet omni- c. 9.
bus ad participandum, ex præteritis erroris cæcitate reſpira-
uimus, ad quod ſane obſequentes ducebant Angeli præpoſiti b Orig in
ſingulis gentibus] Præter lumen naturæ paratam ep. ad Ro.
gratiam neceſſariam & ſufficientem agnoſcit hic c. 1. l. 1.
Autor; & miniſtros talis gratiæ facit Angelos, ſic- c Nyſſe. de
ut fecit etiam b Origenes & c Gregorius Nyſſenus, vita Moyſis.
ſupra, n. 20.

In data lege ſola natio Hebræa ea & dirigeba- CXII.
tur, & tenebatur, ſed legem non dediſſe vires, neque gratiam ad ipſam ſeruandam ſæpe profitetur d d Rom 6.
Paulus, & Iudæum, fide, (quæ eſt gratia Dei valde 14. & 8. 3.
adiuuans) legem ſeruaſſe: & à peccato abſtinuiſſe Hebr. 10. 11.
& ſalutem vnumquemque Iudæorum conſecutū. &c.
Nolo hic diſputare de hac fide, nū fuerit fides mediatoris implicita, an explicita, & de ſimilibus. Satis ſit ſine gratia adiutrice, neq; legem quenquam impleſſe, neque ſalutem conſecutum: Cum vero totum illum populum, totamque illam nationem Deus ab omnibus aliis in ſuum peculium ſelegerit, quis iam hic dubitabit, an omnibus & ſingulis ſemper parata fuerit gratia adiuuans ad legem ſeruandam, & eius transgreſſionem, vbi ageretur de ęternæ ſalutis periculo, euitandam? Vt propterea illi
e quidem qui non crediderunt, & illi f in quorum e Rom. 3. 3.
pluribus non eſt beneplacitum Deo; certe iuſte f 1. Cor. 10. 5.
damnati omnes ſint, & inexcuſabiliter; ac non aliunde, niſi quia potuerunt ſeruare fidem, & non ſeruarunt; potuerunt idolis non prouolui, & prouoluti ſunt; non potuiſſent autem credere, neque potuiſſent idololatriam vitare ſine gratia ſuf-
ficienti. Hinc illa, g Non eſt qui ſe abſcondat à ca- g Pſ. 18. 7.
lore eius. h Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & h Pſ. 24. 10.
veritas. i Proferam vobis ſpiritum meum, & oſten- i Prov. 1. 23.
dam vobis verba mea. Vocaui & renuiſtis, &c. k k Sap. 12.
Dans tempus & locū per quæ poſſent mutari à ma- 10.
litia. l Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, &c. Sed l Pſ. 84. 5.
& inter hos extraordinariam gratiam habuiſſe inſignes Patriarchas & Prophetas non eſt dubitandū.

Poſt euangelium tamen, & poſt exhibitam actu CXIII.
à Chriſto gratiam ſuæ eccleſiæ vniuerſæ, ex omnibus quotquot fere ſunt in mundo nationibus aut congregatæ, aut congregandæ, omnibus, & ſingulis, ſuis præſertim locis & temporibus, data eſt, & datur hæc gratia vere ſufficiens: quod potiſſimum
probatur ex illo Pauli, m Chriſtus mortuus eſt pro m 1. Cor. 15.
peccatis noſtris: & Ioannis: n Ipſe eſt propitiatio 3.
pro peccatis noſtris, non pro noſtris autē tantum, n 1. Io. 2. 2.
ſed totius mundi. Et rurſus Paulus, o *Qui eſt ſaluator* o 1. Tim. 4.
omnium hominum maxime fidelium Item, p *Dedit ſemet-* 10.
ipſum redemptionem pro omnibus.] Hæc non dicuntur p 1. Tim. 2. 6.
de ſola ſufficientia, quod Chriſti paſſio & mors ſit ſufficiens ad delēda peccata totius mundi, ſed ſcriptura ait, Mortuus eſt: ipſe eſt propitiatio, ipſe eſt ſaluator: hoc eſt obtulit ſe ipſum hoſtiā Deo patri, ſacrificiumq; illud actu ipſo obtulit pro toto mundo videlicet pro omnib. & ſingulis hominibus qui ei adhærere vellent, Nam totū genus humanū ſibi Deus in Adamo elegerat, vt totū in æterna beatitudine glorificaretur; & ſi Adā non peccaſſet, nemo periiſſet. Deſtinato igitur Redēptore, certe nō deſtinauit illū pro ſola parte, aut particula, ſed pro toto eodē genere, vt totū, quantū ex parte Dei eſt, citra violētiā lib. arbitrij humani, repararetur. Quod ſi ſalutem, & actualem redemptionem noluit pendere à libero arbitrio, ſed ab efficaci ſola ipſius gratia, quibuſdam tantum, & ſatis paucis danda,

profectonon toti humano generi, ſed illis paucis deſtinauit Deus ſaluatorem. Quod nemo puto ſacrarum literarum gnarus dixerit. Et ſi hoc fuiſſet Dei conſilium, ſatis profecto fuiſſet Deo filii ſatisfactionem acceptare pro illis ſolis, quos ſolus voluiſſet omnino ſaluare, illiſque etiam inſciis, & nihil cogitantibus illam applicare, ſiquidem liberi arbitrij concurſum liberum non eſſet amplius ab ipſis aut quæſiturus, aut expectaturus; & tamen ab omnibus Deus & petit, & requirit, & expectat fidem in Chriſtum, vultque vt quiſque ſaluandus libere & proprie voluntarie apprehendat Chriſtum. *a Accedite ad eum & illuminamini*, & conſequenter omnibus dedit poſſe per gratiam, quod non poſſunt per ſolam naturam; atque hæc eſt gratia ſufficiens à qua quiſque vere & proprie poſſit ad Chriſtum accedere, dummodo velit. Audiamus Gregorium Nazian. *Nemo b adeo tyrannus eſt, vt ſolus communi gratia frui velit. Sol omnibus æqualiter oritur, diuitibus cœlum pluit & pauperibus.*] Et ſic de multis rebus naturalibus. Sed eodem modo communia agnoſcit omnibus quæ in ordine ſint ſupernaturalium: *Præterea*, inquit, *& hoc ego circa fidem conſidero, communia ſunt lex, prophetæ, teſtamenta, teſtamentorum oracula, gratia, inſtitutio, perfectio, paſſio Chriſti, creatura noua, Apoſtoli, Euangelia, ſpiritus diſtributio. fides, ſpes, dilectio in Deum & ex Deo, &c.*] Hæc omnia omnibus eſſe communia, ait, quia nemini negantur qui ea velit, ſed omnibus ſint parata. Chryſoſtomus quoque idem aliis verbis teſtatur, vbi ait, *c Conſider enim autem, ex noſtra generatus eſt ſubſtantia, Chriſtus, ſed nihil hoc, inquies, ad omnes pertinet. Imo ad omnes: Nam ſi ad naturam noſtram deſcendit, patet quoniam ad omnes: quod ſi ad omnes, & ad vnumquenque profecto. Sed quomodo non omnes inde lucrum conſecuti ſunt, inquies? Id certe non illius cauſa, qui maxime hoc optat, accidit, ſed eorum culpa qui eum ſuſcipere nolunt.*] De hoc rurſus infra numero 176.

a Pſ.33.6.

b Naz. ora. de moderat. in diſp. ſeru.

c Chryſ. in Matt. homil. 83.

CXIV. Tritum eſt legem docuiſſe quid faciendum eſſet ad ſalutem, quidue fugiẽdum, ſed gratiam non dediſſe vt id fieri, vitariue poſſet: At vero Euangelium ſecum etiam gratiam ferre profecto ſufficientem omnibus, alioqui non diſtaret à lege, neque eſſet *d virtus Dei in ſalutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. e Peccatum vobis non dominabitur, non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* inquit Paulus. *f Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.*] Quis non agnoſcit hic gratiam certe ſufficientem à Chriſto eſſe præparatam omnibus in genere, dummodo quis velit ambulare ſecundum ſpiritum, & ſequi ductum huius gratiæ, quæ facit in omnibus poſſibile, quod per legem erat impoſſibile. Idem Paulus in concione quam habuit ad Iudæos Antiochiæ Piſidiæ, ait illis, *g Per hunc* (Ieſum) *annunciatur vobis remiſſio peccatorum, ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari, in hoc omnis qui credit iuſtificatur.*] Per Ieſum ergo annunciatur omnibus, nemine excluſo, remiſſio & ſalus; modo velit credere. Et quia credere nemo poteſt ſine gratia, ſic ſatis ſupponitur gratiam ſufficientem ad credendum, & conſequendum iuſtificationem omnibus paratam eſſe ex ipſa Euangelij prędicatione. Quia igitur pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, poſſibile etiam debet fieri, vt omnes beneficio mortis Chriſti frui poſſint, ſine gratia autem vere & proprie ſufficienti, impoſſibile eſt omnem hominem eſſe talis beneficij capacem, & ſi nemo tali beneficio fruitur, niſi ille cui à Deo datur gratia ſola efficax, & hæc certo non datur omnibus, pro reliquis ergo Chriſtus non eſt mortuus, nec quantum eſt in ipſo, ſuam mortem his applicauit, ſed ſolis illis quibus dat gratiam efficacem vt ad eum veniant.

d Rom.1.16.

e Ro.6.14.

f Ro.8.3.

g Act.13.38

Et quid quæſo ſibi vult Apoſtolus, vbi ait, *b Odorem notitiæ ſuæ* (Chriſtus) *manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.*] Niſi euangelium credentibus & aſſentientibus eſſe ſalutem, & vitam, reliquis omnibus non credentibus damnationem & mortem: at euangelium non poteſt eſſe occaſio mortis, niſi infidelitas eſſet peccatum ad mortem: atqui *i peccatum non eſt, niſi voluntarium: voluntarie ergo abijciunt Euangelium omnes, qui id audiunt, & reſpuunt, at niſi haberent omnes gratiam ſufficientem, qua poſſint credere ſi velint, voluntaria non eſſet infidelitas, ſed neceſſaria: cur ergo talibus Euangelium fit odor mortis ad mortem.* Si diceret Paulus Euangelium eſſe odorem vitæ, ad vitam credentibus: at vero aliis ipſum non afferre vitam, ſignificaret gratiam Euangelii fieri ſolis electis, alios autem deſeri, vt etiam audientes non audiant, neque intelligant, ſed quia vult eodem modo, quo euangelium auditum, & creditum dat vitam, ita à contrario non creditum dare mortem, certum eſt peccare eos, qui non credunt, cum tamen poſſint credere, & ideo damnari quia non credunt. *Eſſe vero peccatum ipſam infidelitatem Chriſtus expreſſe docet: k Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem* (ecce gratia ſufficiens data omnibus) *peccatum non haberent qui voluntarie Chriſtum abiecerunt, cum poſſent credere ſi voluiſſent: nam ſi non poterant, neque peccatum haberent. Ita enim peccatum non habent qui non credunt, ex eo quod non habent gratiam ſufficientem qua poſſint credere ſi vellent, ſicut qui ideo non credunt quia nemo eis prædicat. Sic etiam Chriſtus dixit, l Qui non credit iam iudicatus eſt & ira Dei manebit ſuper ipſum.*] Propterea videlicet quia non credit. At certe ſi non poſſet credere non eſſet inde iudicandus, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Vbique ergo ſupponitur prædicationem euangelii ferre ſecum gratiam ſufficientem, qua quiſque qui audit poſſit credere, ſi velit. CXV.

b 2. Cor.2.14.

i Aug. de vera relig. c.14.

k Io.15.22.

l Io.3.36.

Alter locus inſignis eſt Pauli ſimiliter, *m Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et propter hoc vult, vt fiant orationes pro omnibus hominibus. Cui ſimile eſt illud Petri, *n Non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Hoc eſt, quãtum ex parte Dei, ille paratus eſt omnes ſaluare, qui velint credere, & damnare qui nolint, & ab alterutro nemo poteſt effugere, vt docet *o* Auguſtinus. Qui tamen libenter hunc locum, vt ſibi valde contrarium diſtorquet in ſenſus violentos: vt, *p Deus vult omnes ſaluari, quia omnes quicunque ſaluantur Dei voluntate ſaluantur.*] Et, *q Vult omnes ſaluari, niſi aliqua cauſa exiſtant nobis incognoſcibiles.* Et, *Vult omnes ſaluos fieri, r id eſt prædeſtinatos qui ſunt ex omni genere hominum.* Et, *ſ Omnes, id eſt multos.* Denique opponit Auguſtinus *t Infantes, qui neque veritatem poſſunt percipere, neque ſuo libero arbitrio ad Chriſtum venire: & tamen baptizati ſaluantur, non baptizati non ſaluantur. Et hos ergo nõ vult ſaluos fieri, &c.*] Sed de infantibus nos alias. Bellarminus vero ſic: *u Vult omnes ſaluos fieri, id eſt, neminem vult impedire, imo remedia in communi inſtituit.*] An non eſt impedire negare gratiam ſine qua nemo poteſt ſaluari: quam gratiam non prædeſtinatis dari, expreſſe *x* negauit Auguſtinus? An remedia in communi CXVI.

m 1. Tim.2.4.

n 2. Pet.3.9

o Aug. de ſpir. & lit. c.33.

p Idẽ cont. Iulian l.4. c.8 & de prædeſt. ſanct. c.8. & in fin. Hypogn.

q Idem de artic. falſo impoſ. art.2.

r Idem de correp. & gra. c.14.

ſ Idẽ cont. Iulian. l.4. c.8.

t Ibid.

u Bellar. de gr. & lib. arb. l.2. c.3.

x Aug. ad Simp. l.1. q.2.

inſtituta,

inſtituta, ſunt pro illis inſtituta, quibus expreſſe negantur? Melius Chryſoſtomus: a *Si omnes pecauerũt, quo tandem pacto alij quidem ſeruati ſunt, alij autem perdiri? Nempe quod non omnes accedere voluerunt; nam quod quidem ad illum ſpectat, ſalui omnes effecti ſunt. etenim vocati ſunt omnes.*] Ac certe ſerio, nõ ioco vocati ſunt, & non per vocantem; ſed per vocatos fuit, quod non reſponderint; & non reſponderunt, non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt. Sufficientem enim gratiam, quæ omnibus dat poſſe, omnes habuerunt. Patres huc multos afferre poſſem, ſed ne ſim nimium profuſus abſtineo: aliquot collegit b Bellarminus, is pot ſt conſuli.

a Chryſ. in ep ad Ro. hom. 16.

b Bellar. de gr. & lib. l. 2 c. 1.

CXVII. Huic tertiæ opinioni aliqua obiici poſſunt, quæ non ſunt omittenda. Prima oppoſitio *De Tyriis & Sydoniis; & de tanta gentilitate, quam Deu c dimiſit ingredi vias ſuas; & de tot nationibus, apud quas in nouo orbe & partibus terræ diutiſſime incognitis, ne adhuc quid m prædicatum eſt Euangelium; & de* d *prohibitione facta Paulo, & ſociis, ne loquerentur verbum in Aſia.*] De Tyriis & Sydoniis iam reſpõſum eſt ſupa n. 107. De aliis vero prima reſpõſio eſſe poteſt neminẽ fuiſſe vnquã, aut eſſe deſtitutum lumine naturæ, & gratiã communi adiuuante eos, qui lumen ſequuntur naturæ, eoſq; præparante, ac ducente ad Deum, ſaltem vt Deus eis prouideat aliqua ſuæ ſapientiæ nota via, vt in prima quæſtione explicatum eſt. Secunda reſponſio ſumi poteſt ex Paulo e Deum in pœnam luminis naturalis contempti, multas gentes deſeruiſſe iuſte, & deſerere auferreq; eis gratiam ſufficientem: iuxta illud, f *Qui habet dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Sed quod ſpectat ad eas regiones in quibus nunquam fuit prædicatum euangelium; aut ſi quando prædicatũ fuit iam ipſius notitia & memoria ſit penitus obliterata, dicere poſſemus, vt diximus de Tyriis & Sydoniis, non conſtare id contingere ex poſitiua voluntate Dei, nolentis vt eis prædicetur; ſed ex neceſſitate rei, quam Deus nolit miraculo tollere, vt fecit Niniuitis, aut quia ad eos aditus aut vix pateat, aut ne pateat quidem, aut quia nemo mittatur ab iis, quorum eſt mittere prædicatores; aut quia prædicatores nolunt ire; quæ à Deo permittuntur in curſu naturali, nõ tamen iubentur, aut voluntate beneplaciti diſponuntur, & ordinãtur. Huc ſpectat illud Baſilii; g *Qui non compleuit opere & ſermone prædicationem ad quam miſſus eſt, reus eſt ſanguinis eorum, qui non audierunt, nec poteſt dicere cum Paulo* h *Purus ſum à ſanguine omnium veſtrum, non enim ſubterfugi, &c.*] Neque ergo à Deo eſt poſitiue, vt non penetret ad eos euangelium, neque ab illis gentibus quæ nihil ſciunt de euangelio; ideoq; neq; illud procurant, neq; impediunt, atq; interim magna hęc eſt eorum infælicitas, ſicut infantium, qui in vtero moriuntur ex cauſa naturali, & neceſſaria, quam Deus miraculo nõ vult, nec tenetur impedire, ſed cum cauſis ſecundis operatur prout modus illarũ poſtulat, cum neceſſariis ad effectum neceſſariũ, & cum contingentibus ad effectum contingentẽ, niſi aliter interdum diuinæ æternę prouidentiæ viſum fuerit. Prohibitio vero illa facta Paulo, nõ erat ne Aſia priuaretur auxilio credendi: ſed fuit vt Macedonia præferretur, & Aſiana prædicatio ad tempus opportunius differretur, in qua poſtea Paulus i *cum maximo fructu prædicauit.*

c Act. 14. 16. & 17. 30

d Act. 16. 6.

e Rom. 1. 24.

f Matt. 13. 12.

g Baſil de bapt. l. 1. q. 11

h Act. 20. 26.

i Act. 19 & 20.

CXVIII. 2. Oppoſitio *Multi à Deo dicuntur excæcati, & obdurati, contempti & derelicti.* Exo. 12. 9. Iſa. 6. 9. Matt. 13. 14. Ioan. 12. 40. Ro. 1. 24.] Reſpondeo cõmunem eſſe expoſitionem, excæcationẽ, & obdurationem non eſſe actũ poſitiuũ Dei, qui impediat in aliquo viſionẽ, & mollem affectum, ſed priuatiuum, ſubtractionis nimirũ auxilii neceſſarii, & ſufficientis iã conceſſi: & hoc in pœnã reſiſtentiæ factæ, & reiecti auxilii. Quamuis.n. Deus ſæpe ab aliquo abiectus replicet ſua auxilia, inſpirationes excitationes, &c. ex mera benignitate, & liberalitate, ſæpe tamen etiam ſemel, aut ſæpius contemptus, iuſte, & in pœnã talis contẽptus auxilia illa neceſſaria, & ſufficientia ſubtrahit, ex quo ſequitur, vt qui à Deo iuſte deſeruntur, excæcẽtur vere & obdurentur, ita vt iã impoſſibilis ſit ipſis cõuerſio: ac ſane ſua ipſorũ culpa, qui gratia vti noluerunt quando poterant. Et hinc iam impoſſibilitas illa cõuerſionis eos nõ excuſat, quia ipſimet ſua culpa cauſa ſibi fuerũt talis impoſſibilitatis Sic ait Paulus de ſapiẽtibus gentilibus, k *Quia cum cognouiſſent Deũ, nõ ſicut Deũ glorificauerunt, nimirũ quando poterant, & gratiã habebant adiuuantem paratã, ſi lumen naturæ ſequi voluiſſent, ſed euanuerunt in ſuis cogitationib. & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & idololatriæ ſe tradiderunt ac propterea,* inquit, *tradidit illos Deus in deſideria cordis*: hoc eſt auxilio neceſſario deſtituit, ex quo iã illi ſenſui ſe tradiderũt, & in paſſiones ignominiæ: quæ erant peccata grauiſſima, & pœnæ peccati iam cõmiſſi in reiectione illa prima; cauſaq; cur Deus tandẽ tradidit illos in reprobum ſenſum per totalẽ deſertionẽ: quæ non eſt Dei voluntati imputanda, ſed eorũ culpę qui cauſam iuſtã Deo dederũt, vt eos deſereret. Et de multis qui audito euangelio à Paulo prædicato *cum* l *ſignis, & virtutibus*. gratiam illam certe ſufficientẽ ex ſola ipſorũ libera voluntate reſpuerunt: ait idẽ Paulus; m *Quod ſi etiam opertum eſt euangelium noſtrum, in iis qui pereunt eſt opertum, in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio euangelii, &c.*] Eſtque idem ſenſus qui ſupra in pœnam reſiſtentiæ factæ iam eſſe deſertos, & priuatos auxilio ad credẽdum, vt non fulgeat illuminatio: nõ propterea ſunt auxilio deſtituti, ne illuminentur, ſed ideo deſtituti, quia reſtiterunt gratiæ ſua volũtate, quando poterant non reſiſtere, & propterea iuſte ſubtracta eſt illis gratia, ex qua ſubtractione ſecutum eſt vt non illuminentur, & illud, *vt*, ſignificat effectum excæcationis, non cauſam finalẽ eiuſdem: ſicut quando toties ſcriptura loquitur hæc facta ſunt vt ſcripturæ implerentur. Bene Chryſoſtomus, n *Iſti.* inquit, *vitio ſuo incredulı extiterunt increduli autem effecti euangelii arcana minime iam perſpexerunt; Deo nimirum radios ſuos illis deinceps ſubducente, atque occultante.*] o *Margarita enim ante porcos non ſunt proiicienda*, vt ibidem idem S. Pater aduerterat.

k Ro. 1. 21

l 1. Cor. 12. 13.

m 2. Cor. 4 3.

n Chryſ. in 2 Cor. hom. 8.

o Matt. 7. 6.

Tertia Oppoſitio, Chriſtus ait: p *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum: ſed non omnes veniunt: non ergo omnes trahuntur.*] Qui efficacẽ gratiã diſtinguunt à ſufficienti poſſent reſpondere q Chriſtum loqui de ſolis electis actu ipſo crediturıs: & hos ſolos trahi à Patre, id eſt, vt cum effectu veniant. aliis vero dari à Patre ſufficientem gratiam, ſed non tractionem, id eſt, efficacem. Atqui iam nos tractionem declarauimus ſupra eſſe inuitationem; & hanc tractionem dicimus eſſe communem omnium ſuo tempore, cum ſufficienti gratia; vt quiſque iam poſſit venire ad Chriſtum, ita vt nemo veniat ad Chriſtum niſi à Patre tractus, hoc eſt inuitatus & adiutus. CXIX.

p Ioan 6. 44.

q Bellar. de gr. & li. ar. l. 2. c. 8.

Quarta oppoſitio ex Apoſtolo, r *Quis te diſcernit; Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.*] Si omnibus daretur auxilium ſufficiens, diſcretio fidelis ab infideli tota penderet à libero arbitrio, quod hæc tertia opinio contendit, attamen id Paulus negat, CXX.

r 1. Cor. 4. 7.

qui

qui ex ſola gratia diſcernit iſtos: quia videlicet fidelis habuit gratiam qua credidit, & per hanc ſolã diſcernitur à non credente, non ergo infidelis qui audiit,& non credidit habuit gratiam ſufficientem ad credendum.] Prima ſupra poſita opinio iam negat expreſſe dari omnibus gratiam, quia aliam non agnoſcunt niſi efficacem pro ſolis electis. Secunda opinio dat credenti efficacem,non credenti vero tantum ſufficientem, & hinc diſcernit credentem à non credente:ſed hoc reuera eſt primam ſequi opinionem; ſufficiens enim ſi nulla ratione poteſt fieri efficax,quia nunquam effectum operatur,iam neceſſario erit inſufficiens, & ſic erit ſufficiens ſed inſufficiens. Tertia igitur opinio reſpondebit, ſi Paulus loqueretur de diſcretione inter credentem, & non credentem, poſt auditum euangelium, tametſi & credere in vno,& non credere in alio,ſit effectus liberi arbitrij, non propterea poſſe credentem ſe diſcernere, hoc eſt gloriari aduerſus non credentem,tanquam ſi ex ſolis propriis viribus ipſe credere voluerit, ſicut & ſolis propriis viribus alter credere noluerit: non eſt,inquit Paulus,cur te ab eo hinc diſcernas,quaſi ex te credideris: non enim credere potuiſſes niſi præuentus gratia. Nam & non credens inſultanti credenti, & ſe ſuper illum extollenti,poteſt eius inſultationes,& gloriationes retundere,ac dicere. Nunquid tu ex ſolis tuis viribus credidiſti? minime vero; non enim potuiſſes ſine gratia præueniente credere: atqui ego quoque potuiſſem cum eadem gratia credere: nihil ergo te ſupra me efferas: Sicut ſi optimus aliquis medicus duobus eodem morbo ægrotantibus,ex ſua benignitate pharmacum opportunum præpararet, & vtrique exhiberet, & alter eorum pharmacum ſuum prompte hauriret, & ſanus perfecte fieret, alter pharmacum ſuum reſpueret, & æger maneret; profecto ille ſanus non poſſet merito ægro inſultare, & dicere, Ego ſanus iam ſum, tu vero in tuâ ægritudine perſeueras: Poteſt quiſque eum retundere, ac dicere ei, quis te diſcernit? ſi tu tuo aliquo remedio ex te inuento, te ipſum ſanaſti, quod remedium alter neſciuerit,neque potuerit adhibere,merito te illi præfers, ſed remedium à Medico habuiſti, non ex tuis meritis, ſed ex ſola benignitate medici: quod remedium ſimiliter & alter promptũ habuit; quid gloriaris?quid inſultas?At,inquiet,ego me ab illo diſcreui, qui mea propria voluntate pharmaco bene vſus ſum; quo ille vti noluit. Reſpondebit æger, atqui neque tu pharmacum plus meruiſti, quam ego; neque tibi oblatum eſt & præparatum, quod mihi etiam æque oblatum non fuerit & præparatum, Sanitas ergo tua non eſt tibi à te, ſed à Medico; ne glorieris. Quod vero tu volueris pharmacum haurire ex quo conualuiſti, ego vero noluerim,cum æque potuerim, ne hinc quidem te à me diſcernas,aut glorieris, mihique inſultes, quia per me ſtetit quominus in ſanitate par tibi ſim. Itaque neque te mihi præferas in dono ſanitatis,neque in actu tuæ voluntatis, quo pharmacum haurire voluiſti: nam ſanitas non eſt tibi ex te,ſed ex Medici dono,quod mihi non defuit ſi voluiſſem: At vero tanti eſt apud me meus actus liber nolendi, quanti apud te tuus, volendi; nolle enim, & velle paria ſunt, nempe actus liberæ voluntatis, igitur ne te diſcernas. Tu enim ſupra me nihil habes,quod ſit tuum ex te.Ceſſa ergo te extollere,& Medico gratias age, qui te immeritum, licet non niſi volentem,reduxit ad valetudinem.

CXXI. Sed tamen Paulus vere non habebat in mente hanc comparationem inter credentem & non credentem, quando dicebat, Quis te diſcreuit,&c. Sed loquebatur de gratiis gratis datis, & comparabat fideles ipſos inter ſe, & non cum infidelibus, quia vnus aduerſus alterum inflabatur, vt potionbus donis inſtructus,vt intelligentiæ ſcripturarum, prophetiæ, ſiue interpretationis earundẽ; ſiue etiam quod vnus ſit vetuſtior Chriſtianus quã alius, ſiue quod vnus ſit melioris Apoſtoli & magiſtri diſcipulus,quam alius;iuxta illud, a *Ego ſum Pauli,* a 1.Cor.1. 12.
ego Apollo. Nam & propterea ait, b *Hæc ego transfiguraui* b 1.Cor.4.6
in me & Apollo: hoc eſt, in figuram quandam adduxi me & Apollo, dum aliqui veſtrum gloriabantur ſe eſſe meos diſcipulos,alii vero Apollo: Cum tamen & ego & Apollo, & Cephas, & quicunque alius prædicator ſimus meri miniſtri illius,in quem credidiſtis:ſed ea figura vſus ſum,vt ex nobis diſcaris non inflari vnus erga alium, nec ſe ab alio diſcernere; quia ſicut nos inter nos Apoſtolos, & noſtros adiutores non facimus diſcretionem vllam, qui nos æque, & cognoſcimus & facimus puros Chriſti miniſtros: ita & vos inter vos non faciatis diſcretionem,per quam vnus ſe alii præferat in ipſa fide & donis acceptis, quia totum à Deo habetis; *Et ſi quis prius credidit, quam alius, id habuit à Deo, qui prius illum vocauit & præuenit. Si vnus plura dona habet etiam ſpiritualia, ea omnia à Deo habet.*] Nec valet transferre comparationem Pauli ab vnis ad alios. Nam ſicut vſus eſt his verbis, Quis te diſcreuit in comparatione fidelis cum fideli: ita in comparatione credentis cum non credente illis non fuiſſet vſus. Ac demũ Paulus duas diſtinctas adhibet reprehenſiones contra eos, qui ſe inflarent aduerſus alios fideles,ex donis ſpiritualibus, vna eſt,quis te diſcernit? quaſi dicat, ex tua inflatione te diſcernis ab alio,quo te putas eſſe ſuperiorem:atqui hæc tua non eſt cognitio; nemo enim in cauſa propria eſt iudex: deberes ergo ſi te putas ſuperiorem, huius rei iudicium ab alio expectare, erras ergo dum tu ipſe te diſcernis. Altera ab hac diſtincta reprehenſio eſt talis. Sed neque tu ipſe, etiamſi eſſes legitimus iudex, potes ex donis ſpiritualibus, aduerſus alium fidelem inflari. inflaris enim ex eo quod tuum non eſt, ſed tibi gratuita diuina miſeratione datum: nemo vero ex alienis merito inflatur, ſed tantum ex propriis. Tu ergo & in ordine,& in meritis cauſæ erras.

Quinta oppoſitio,ex hac tertia opinione *non videtur plus debere Deo ſanctiſſimum quemcunque,quam ſceleſtiſſimum quemcunque; ſiquidem, quod ſpectat ad Deum, æque vterque à Deo habuit gratiam ſufficientem: & ex ſolo libero arbitrio Petrus, verbi gratia, credidit, Iudas non credidit.* CXXII.
Reſponderi poteſt multipliciter: Primo Petrum & ſimiles inſignes ſanctos vltra gratiam ordinariam & ſufficientem, habuiſſe etiam extraordinarias ſupra explicatas,& modo ſupra explicato, num. 118. & ſic multo plus eos debere Deo, quam ſceleſtos, qui ſola ſufficienti gratia non crediderunt, qualis fuit Iudas,licet potuerit ſi voluiſſet,credere. Quamuis Cyrillus id non ſit admiſſurus; Æquales enim facit Iudam in gratia præueniente, cum aliis Apoſtolis omnibus: qua æque poſita ex ſolo libero arbitrio factum eſſe vult, vt illi ſaluarentur, ille damnaretur:neque vllum abſurdum eſſe putauit Cyrillus aſſerere nihil plus Apoſtolos, quam Iudam Chriſto debuiſſe. c *Gratia, inquit, in æque effulſit, ſeruauitque omnes, qui cooperatorem ei voluntatem tradiderunt.*] Sicut ſupra in illa ſimilitudine num.120. nihil plus debet medico ille ægrotus, qui ſanatus eſt, quam ille qui noluit ſanari. Secundo itaque in or- c Supra n. 88.

dinarus

dinariis hominibus nullum ſimiliter erit abſurdum quod ſaluati nihil plus debeant Deo, quam damnati qui ſaluari noluerunt. Tertiò; probabiliſſimum videtur ſaluatos, vt plurimum ex repetita ſæpius vocatione, poſt varias reſiſtentias, variaſque Deo datas repulſas, tandem aſſenſum præſtitiſſe: Damnatos verò plurimos poſt primam, aut paucas vocationes, in pœnas reſiſtentiæ, fuiſſe à Deo derelictos; & gratia etiam ſufficiente iuſte deſtituros. Debent igitur ſaluati multo plus Deo, quam damnati: quia Deus cum illis benignius egit, non deſtituendo illos, quando etiam maxime aliqui eorum deſtitui merebantur. Quod vero Deus vnum reſiſtentem deſtituat, alium vero itidem reſiſtentem nō deſtituat, eſt mera gratia, & miſericordia: Et
a Pſ. 35. 7. in hoc *a Iudicia Dei abyſſus multa.*

CXXIII Sexta Oppoſitio, *ex pluribus Auguſtini locis videtur probari; non omnibus dari auxilium ſufficiens.* *Ea aſſerit* b *Bellarminus, & conatur vtcunque ſoluere.* At verò tertia opinio dicet Auguſtinum proculdubio eſſe in prima opinione, imò primum Autorem & ducem ipſius. Quid igitur mirum ſi neget ſufficiens auxilium omnibus; qui aliud auxilium irregeneratis non concedit, niſi efficax, & ex ſimplici, ac gratuito dono ſolis electis facto?

b Bellar. de gr. & li. ar. l. 2. c. 8.

CXXIV Septima Oppoſitio. Sunt multa Scripturæ loca, in quibus planum eſt gratiam à Deo ſæpe datā ſufficientem, quæ tamen efficax non fuerit; *c Quid vltra debui facere vineæ meæ, &c.* d *Quoties volui congregare filios tuos.* e *Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* f *Ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* g *Ego ſto ad oſtium & pulſo, &c.* Et è contra efficacem quibuſdam dari; per quam infallibiliter conuertantur: h *Omnis qui audiuit à Patre & didicit venit ad me* i *Non rapiet eas quiſquam de manu mea* k *Quos vocauit, hos & iuſtificauit.* l *Faciā vt in præceptis meis ambuletis, &c.*] Ergo cōtra tertiam opinionem ſeparandæ videntur gratia ſufficiens, & gratia efficax.] Hæc vrget m Bellarm. Reſpondetur gratiam ſufficientem ab effectu habere vt fuerit efficax: qui enim in potentia ſufficienti gratia ſuo libero arbitrio actu vſus eſt, & actu ſufficientem, & actu efficacem habuit: qui vero ea vti noluit; ei actu neque efficax, neque ſufficiens fuit, cum tamen illi quoque in potentia, & ſufficiens & efficax fuiſſet. Priora ergo loca de ſufficiētia potentiali, ſine efficacia actuali liberum eſſe in homine arbitrium probant, quo ſolo factum ſit, vt gratia ſufficiens ſit aliquibus inefficax. Poſteriora vero de efficacia, ſuppoſita libera voluntatis operatione, in qua ſufficiēte quis debite vtatur gratia, ſunt intelligenda. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me.] Qui videlicet ex gratia ſufficienti præueniente audiuit, & ſuo libero arbitrio didicit, id eſt, non fruſtra audiuit, ſed cum fructu & aſſenſu ſuæ voluntatis, iſte venit infallibiliter ad Chriſtum; ſiue ſic. Omnis qui audiuit & didicit venit: hoc eſt, nemo venit, niſi qui audiuit & didicit. *Nemo rapiet eas de manu mea.* Explicabitur in quæſtione de prædeſtinatione. *Quos vocauit, hos iuſtificauit.*] Sed ante omnia præceſſerunt illa verba, *quos præſciuit*, id eſt quos præuidit gratiæ præuenienti ſua voluntate obſecuturos. Sed de hoc quoq; loco agendum eſt in quæſtione de prædeſtinatione. *Faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Hoc eſt, dabo vobis gratiam adiuuantem, ex qua fiet vt plurimi veſtrum mea præcepta ſitis ſeruaturi, ſine qua ea ſeruare non poteſtis, & ita ego faciam, quia ego vobis cooperabor.

c Iſa. 5. 4.
d Matt. 23. 37.
e Act. 7. 51.
f Ro. 2. 4.
g Apoc. 3. 20.
h Io. 6. 45.
i Io. 10. 28.
k Ro. 8. 30.
l Ezech. 36. 27.
m Bellar. de grat. & lib. arb. l. 1. c. 11.

CXXV. Conatur Bellarminus, n *primum ex Auguſtino, deinde ex ſcripturis conuincere, efficaciam gratiæ non pendere ab effectu, & ab aſſenſu, ac cooperatione voluntatis, ſed ab ipſamet gratia.* At vero efficaciam à gratia ipſa non poſſe peti, niſi cum ablatione vſus liberi arbitrii viſum eſt ſupra in prima opinione explicanda; Auguſtini verò autoritas, cum ſit ipſe in prima opinione, non eſt ad rem. Loca vero Scripturæ duo profert Bellarminus. Omnis qui audit à Patre & didicit, &c. Et quis te diſcernit? &c. Hæc vero loca iam ſunt explicata, neque obſunt tertiæ opinioni efficaciam ex effectu; & voluntate petenti. Addit ſic euerti doctrinam de prædeſtinatione, quam Auguſtinus ex Scriptura ſolidiſſime comprobauit: Sed incertum non poteſt probari per incertius: Quid vero de prædeſtinatione tertia hæc ſententia debeat ſentire; ac proferre; videbitur ſuo loco.

n Bellar. de gr. & lib. arb. lib. 1. c. 12.

Octaua Oppoſitio: *Si efficacia illa proueniret ex nobis, & ſolam ſufficientiam haberet gratia illa à Deo, ſequeretur id quod principalius eſt in noſtra conuerſione tribuendum eſſe nobis, id vero quod eſt minus principale tribuendum eſſe Deo. Agere enim præſtantius eſt, quàm poſſe agere:*] Reſpondeo, Magiſter quoque dat diſcipulo ſcientiam habitualem rerum, & diſcipulus quando ex illa ſcientia actu quid intelligit, profecto tunc vel maxime de illo, ac iure quidem dicitur. o *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum* Et qui dat alicui poſſe agere, quando agit, illud ipſum agere maxime debetur ei qui dedit poſſe agere. Actus vero eſt præſtantior potentia; quatenus potentia dicit priuationem, vel negationem actus: at vero actus non eſt præſtantior ſuo habitu à quo proficiſcitur, ſed contra: cauſa enim eſt præſtantior effectu. Conuertere itaque ſe eſt effectus; qui pendet à cauſa per quam diſpoſitus eſt homo, & præparatus, vt ſe poſſit conuertere: & ſic ipſa conuerſio multo plus debetur gratiæ præuenienti, quam libero arbitrio. CXXVI

o Matt. 10. 24.

Noua Oppoſitio, *Actus ſupernaturales non proportionantur, niſi forma ac principio ſupernaturali, quale non eſt liberum arbitrium.*] Reſpondeo, Actus ſpirituales credendi in Deum amandi illum, orandi, ſperandi, &c. ſunt ſecundum ſubſtantiam penitus naturales: & argumentum procedit de actibus, qui de ſuo genere ſecundum ſuam ſubſtantiam ſunt ſupernaturales. Dicuntur vero ſupernaturales quia verſantur circa obiecta ſub quadam ratione ſupernaturali: Hi porro actus ſunt intellectus humani, & humanæ voluntatis; alterius obiectum etiam pro mortali vita, eſt omne verum, etiam diuinum, & ſupernaturale. Sic volūtatis obiectum eſt omne bonum, etiam ſupernaturale, modo ei offeratur; ſed quia non datur vllum agens naturale quod poſſit offerre intellectui & voluntati vera, & bona ſupernaturalia; ideo naturaliter in ea ferri non poteſt, quod eſt per accidens; quia talia vera, & talia bona ſunt naturæ abſcondita: vbi vero aperiantur ab eo qui ſolus ea poteſt aperire, tunc poterit in ea ferri intellectus & voluntas. Sed præterea quoniā ex corruptione naturæ intellectus eſt percuſſus cæcitate, quo ad vera ſupernaturalia; & volūtas peruerſitate, quoad bona: hinc redditur vtraque facultas improportionata, ſed proportionata fit per eleuationem beneficio gratiæ; ſic intellectus naturalis gratia illuminatus eleuatur ad aſſentiendum rebus fidei, liberum arbitrium ex præuenientibus gratiis eleuatur ad bonum ſupernaturale amplectendum. CXXVII.

Decima Oppoſitio: *Stare poteſt diuiſio gratiæ ſufficientis & efficacis, abſq; liberi arbitrii præiudicio, maneat ergo. Vt ſi dicamus cum aliquot ſcholaſticis efficacem gratiam à DEO illis dumtaxat dari, ſeu potius ſuperaddi,* CXXVIII.

quia ſufficientem non reſpuunt, & Deum ſemper eſſe paratum cum gratia efficaci cuicunque qui ſufficientem admittat eique conſentiat.] Reſpondeo primum, etiam hoc dato ſufficientem tamen non eſſe ſufficientem ad ſalutem, quia vt habeat effectum plenum indiget alia gratia efficaci. Reſpondeo ſecundo. Hoc perinde eſſe, ac ſi cum tertia hac opinione ſolam ſufficientem ponamus. Bonus enim ille vſus liberi arbitrij circa ſolam ſufficientem, cauſa eſt cur ei detur, & ſemper & infallibiliter etiam efficax. Vtere bene ſufficienti gratia, & fiet tibi efficax ipſamet. Et hoc idem eſt, ac ſi bene vtenti gratia ſufficienti alia efficax addatur. Semper profecto voluntas libera ſic cauſa erit, cur vnus gratiam efficacem habuerit, alter non habuerit. Si Deus expectat cuiuſque voluntatem, tantundem eſt ipſi Deo efficaciter illum adiuuare per ſolam gratiam ſufficientem, quantum per aliam ſuperadditam efficacem. Cur autem faciat per plura, quod æque bene facere poteſt per pauciora?

CXXIX. Hic vero iam excluſa diuiſione gratiæ in tantum ſufficientem ac non efficacem, & efficacem, moneo aliquid non exigui momenti: nimirum a noſtros requirere cum b Concilio Tridentino in prima conuerſione, præter gratiam præuenientem, etiam gratiam adiuuantem. Siquidem ſolam præuenientem non putant ſufficientem eſſe ad conuertendum hominem, niſi addatur ei gratia, quæ adiuuet illum ad præſtandum ſui liberi arbitrii aſſenſum, ſine qua aſſentiri non poſſit. Sed ablato ei iam effugio gratiæ efficacis, diſtinctæ à gratia ſufficienti nullo modo poteſt in primo actu credendi vel conuertendi ſe ad Deum ponere gratiam adiuuantem, à præueniente diſtinctam. Quæro enim num gratia hæc adiuuans detur omnibus illis quibus iam concedit Bellarminus, imo contendit, dari ſufficientem? Non puto negaturum, quia cum ſola præueniens non ſit ſatis ad primam conuerſionem, ſiquidem etiam adiuuans requiritur, certe vt omnes dicantur habere gratiam ſufficientem, debent omnes habere paratam etiam hanc adiuuantem. Nunc ergo dicat mihi, cur non omnes conuertuntur? Cogetur profecto aſſerere propterea vnum credere, alterum non credere, quia vnus vtitur gratia adiuuante, alius non vtitur. Quæram vlterius, cur vnus vtitur, alter non vtitur? Certe quid aliud reſpondeat non habet, niſi quia vnus voluit vti, alter noluit; Vterque enim, inquiet, habet paratam gratiam adiuuantem, ſed vnus eam amplectitur, alius reſpuit. Ecce ergo reducit ſe ad primum bonum actum voluntatis, qui ſoli libero debeatur arbitrio, ſine gratia adiuuante ſeu cooperante, non tamen ſine gratia præueniente, & diſponente, ac præparante. Adiuuantem enim nondum amplexus ille erat, quando conſenſit ſe velle illam amplecti, & hic eſt ille primus actus bonus, & primum velle bonum.

a Bellar. de grat. & lib. ar. l. 4. c. 15. ſenten. 7.
b Concil. Trid. ſeſſ. 6 c. 5. & can. 4.

CXXX. Hoc primum velle bonum licet ſit ſolius liberi arbitrii, vt dixi, non tamen elicitur à libero arbitrio ex ſolis viribus ipſius naturalibus, ſed virtute bonarum diſpoſitionum quas à gratia præueniẽte accepit vt declaraui ſupra num. 43. quæ bonæ diſpoſitiones dant homini vt poſſit velle bonum, non tamen dant vt actu velit; cum enim nemini negentur; vt iam probatum eſt, nemo eſſet qui non vellet bonum, & conuerteretur; qui itaque conuertitur, ille ſuo ſolo libero arbitrio reducit in actum id, quod vt poſſet dederunt ei gratiæ præuenientes: qui vero non conuertitur, ſuo item libero arbitrio renuit reducere in actum id, quod vt poſſet, dummodo vellet, iam gratia ei dederat. Atque hic poſterior ex ſolo libero arbitrio, & viribus propriis naturalibus renuit, & reſiſtit; nec vult quod iam poſſet, velle, poſt receptas gratiæ diſpoſitiones: Ille vero prior ſolo libero arbitrio vult libere bonum, non tamen illud vult ſolis viribus liberi arbitrij, ſed virtute gratiæ quæ dedit ei vt poſſet, dummodo vellet. Habitis enim diſpoſitionibus gratiæ præuenientis, nihil aliud ſupereſt niſi vt liberum arbitriũ aſſentiatur. Neque in illo ſolo primo actu bono liberum arbitrium ſolum operatur effectiue, abſque vllo effectiuo adiumento gratiæ, adiutum tamen diſpoſitiue à gratia, ſed etiã ſæpe in eligendis multis actibus bonis ex libera deliberatione prodeuntibus, poſt regenerationem: In eligendis inquam, h. e. in prima determinatione voluntatis circa aliquod bonum opus præſtandum: Nam in operando deinde gratiam adiuuantem omnino neceſſariam eſſe plane fatemur. Cur enim quæſo duo iuſti, audita concione de eleemoſyna facienda ex charitate, alter erogat aliquid, alter nihil? niſi quia ille voluit, iſte noluit, cum tamen æquo vtriq; eſſet parata gratia adiuuans. Cur ſimiliter idem iuſtus hodie ex charitate inuiſit carcere detentos, cras non inuiſit; aut cur ex duobus operibus pijs ſibi propoſitis alterum amplectitur, alterum reſpuit; ſemper ad ſolum lib. arbitrium ex ſe ſolo ad opus ſe determinans erit recurrendum, in quodam priori ſi non temporis, ſaltem naturæ, antequam intelligatur vti in actu gratia adiuuante, & in omni tali voluntatis prima deliberatione circa quodcunq; opus bonũ ſpirituale. verum eſt antiquorum Patrum dictum, Noſtrum eſſe velle: diuinæ autem gratiæ nobiſcum perficere. Sed ipſum quoq; velle dicitur merito nobis à Deo eſſe, propter gratias præuenientes à quibus habemus vt iam poſſimus velle, & ſine quibus velle non poſſemus iuxta explicationes à nobis datas. Tres opiniones cum ſuis probabilitatibus & improbabilitatibus recitauimus, vt pateat quæſtionem de ſufficientia, & efficacia gratiæ eſſe totam ſcholaſticam, & diſputabilem, ſcholaſticis propterea diſputationibus relinquendam.

CXXXI. QUÆSTIO QUARTA, *An prædeſtinatio ſit mere gratuita; an vero aliquo modo pendeat ab homine.*] Multæ occurrunt difficultates in propoſita quæſtione tractandæ, quæ tamen ſunt mihi reſecandæ, & ſola præcipua, de cauſa prædeſtinationis explicanda, non tamen definienda, ſed ſub ſua probabilitate proponenda. Hic iam igitur ante omnia quid ſit prædeſtinatio eſſet explicandum, ſed ea profecto vno generali modo explicari definiriq; nõ poteſt, in quo omnes Theologi cõſentiant; erit igitur prędeſtinatio cuiq; definienda prout variis modis eã fieri quiſq; conetur ex ſcripturis deducere. Niſi dicamus in communi prædeſtinationem eſſe ſcribi in libro vitæ; ſiue eſſe voluntatem Dei, qua ſaluandis hominibus talibus & talibus in indiuiduo æternam ſalutẽ ab æterno ſtatuerit dare: Reprobationem vero eſſe deletionẽ de libro vitæ, hoc eſt, non ſcriptionem, ſeu eandem voluntatem in qua Deus ab æterno deſtinauerit reliquis omnibus qui non ſint prædeſtinati excluſionem à ſalute, & pœnas æternæ damnationis. Aliæ Prædeſtinationis, & reprobationis magis particulares definitiones, & explicationes pendent ab explicationibus particularibus, quomodo & quibus motiuis Deus alios prędeſtinat, & alios reprobat. Neque hic ſeparabo fuſius præſcientiã à prouidentia, & prædeſtinatione, cum earum differentia ſit omnibus notiſſima. Præſcientia enim nõ eſt cauſa vllius rei, neque facit aut

ponit

ponit rem, ſed iam vti ſi facta ſit ſupponit, & intuetur: at vero prouidētia, & prædeſtinatio ſunt cauſa rei ad quam illæ terminantur, quæ in ſequentibus diſputationibus melius explicabuntur. Et ſit ne magis actus diuini intellectus, an diuinæ voluntatis. Quod itaq; ſpectat ad modum ipſum quo fiat, & ad motiua ex quibus à Deo fiat hominum particularium prædeſtinatio, duæ ſunt tantummodo opiniones dignæ conſideratione, quarum vna in Deo nullum aliud motiuum ponit, niſi puram & nudam ipſius benignitatem, ac ſimplex beneplacitum, quo ex maſſa perditionis, præuiſo lapſu naturæ humanæ in Adamo ſtatuerit miſericorditer eripere certum numerum ſaluandorum, videlicet tales & tales in particulari, quos naſcituros præuidebat, reliquos vero in maſſa damnata relinquere. Altera opinio eſt Deum ex præuiſione voluntariæ fidei, & finalis iuſtitiæ, eos omnes prædeſtinare quos præuidit bene ſua gratia vſuros, & credituros, & cum Chriſto viua fide coniunctos vitam finituros. Alios vero quos ſecus facturos præuidebat reprobaſſe. In his duabus ſententiis explicandis iam immorabimur.

CXXXII. Primam itaque ſententiam ponamus eam, quæ tempore in eccleſia poſterior eſt, & quæ caput, & autorem habet S. Auguſtinum. Ex eius doctrina de prædeſtinatione huiuſmodi ordinem in Deo, & proceſſum, ſecundū noſtrum modum intelligendi, colligit Bellar. *a Primum, inquit, præuidit Deus, ſi hominem conderet, eum lapſurum cum omni poſteritate, & ſimul vidit poſſe ſe variis modis liberare vel omnes vel aliquos pro arbitratu ſuo. Deinde voluit hominem condere, ac vt laberetur permittere, & quoſdam ex numero lapſorum miſericorditer liberare, aliis in maſſa perditionis iuſte relictis. Tertio excogitauit remedia ſaluandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio, & paſſio Saluatoris. Quarto approbauit ea remedia, & tunc elegit Chriſtum, & nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Quinto diſpoſuit, ordinauit & quodammodo imperauit vt ita fieret.*] Quibus vero hæc opinio nitatur ſacræ præſertim Scripturæ fundamentis, iam videamus.

a Bellar. de g^r & lib. arb. l. 2. c. 9.

CXXXIII. Bellarminus *b* colligit multa, eaque explicare, & ad ſuam rem, (ſequitur enim hanc Auguſtini ſententiam) conatur accommodare. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi* Matt. 20. 16. & 22. 14. *Congregabunt electos a quatuor ventis* Matt. 24. 31. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei* Rom. 8. 33. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionē, vt eſſemus ſancti & immaculati* Eph. 1. 4. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum* Luc. 12. 32. *Reliquiæ ſecundū electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt* Ro. 11. 5. *Propter electos breuiabuntur dies illi, & dabunt ſigna & prodigia, vt in errorem inducantur, ſi fieri poſſet etiam electi* Matt. 24. 22. 24. *Vt omne quod dat mihi Pater, non perdam ſed reſuſcitem, &c.* Ioan. 6. 39. *Nouit Dominus, qui ſunt eius* 2. Tim. 2. 19. *Nemo eas rapiet de manu mea* Io. 10. 28. *Sine pænitentia ſunt dona & vocatio Dei* Ro. 11. 29. *Quos prædeſtinauit, hos vocauit ſecundum propoſitum, &c.* Ro. 8. 30. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Io. 15. 16. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum—in quo nos ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitū eius.* Eph. 1. 5. *Cum nondum nati eſſent, &c. de Iacob & Eſau.* Ro. 9. 11. *Gratia non ex operibus, reliquiæ ſaluæ.* Ro. 11. 6. *Vocauit nos vocatione ſua ſancta non ſecundum opera noſtra, &c.* 2. Tim. 1. 9.] Hæc agitat Bellarminus, ac fere omnia Auguſtinus. Alia nos inferius afferemus.

b Ibid. c. 10

CXXXIV. Ex traditione quoque Eccleſiæ gratuitam hanc prædeſtinationem confirmare Bellarminus. Aſſerit vero cum *d* Auguſtino ante exortam Pelagianam hæreſim non fuiſſe exacte tractatam ipſam prædeſtinationem; & Patres veteres in ea non fuiſſe admodum accuratos, ſed incidenter tantū, & ex occaſione de ea aliquid attigiſſe. Sed poſt Pelagiana zizania Patres omnes, qui ſanctitate floruerunt hanc ſententiam docuiſſe: Auguſtinum, Proſperū, Fulgentium, Gregoriū, Anſelmum, Bedam, Primaſium, Sedulium, Bernardū, Thomam, Bonauenturam, &c. Sed ex veteribus quoq; Auguſtin. pro ſe *e* adducit Cyprianum, Ambroſ. & Nazianzenum. Imo hæc quoq; verba Auguſtini ſunt, *f Prædeſtinationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos noua ſollicitudine nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.*] Negationem huius prædeſtinationis ad impietatem reducit Proſper, & Petrus Diaconus anathematizat Pelagianos & ſemipelagianos contra hanc prædeſtinationem ſcribentes. Et Fulgentius inter reprobatos (quos iam præſcitos vocant ſcholæ) ponit eos, qui cum tali negatione vitam finiūt. Hos omnes adducit *g* Bellarminus, & addit publicam Eccleſiæ approbationem per Cæleſtinum Pontificem, Leonem, & Gelaſium: tum vero agit rationibus ex Scriptura deductis.

c Bellar. de gra. & lib. ar. l. 2. c. 11.
d Aug de bono perſeu. c. 20.
e Ibid. c. 19
f Aug. de bono perſeu. c. 23.
g Bellarmi. vbi ſup.

CXXXV. Prima ratio: Sine fide nemo ſaluari poteſt, At fides eſt donum Dei, quod non omnibus datur, ſed iis tantum quibus Deus eam donare voluerit, & hi ſunt ſoli prædeſtinati. 2. Quia ſine perſeuerantia nemo ſaluari poteſt, at illa quoq; eſt merum donū Dei, quod gratis à Deo datur quibuſdam, & hi ſunt gratia prædeſtinati. Eſſe vero ſpeciale donum Dei perſeuerantiam inducit ex multis ſcripturis. 3. Ratio ex ſalute & damnatione infantium, vel paulo ante, vel paulo poſt Baptiſmum morientium. 4. ratio ab exemplo Chriſti qui abſque operum præuiſione prædeſtinatus eſt, ſed & aliorum prædeſtinatio debet illi conformari. 5. ratio à fine prædeſtinationis, qui eſt oſtenſio diuitiarum gratię in vaſa miſericordiæ. 6. ratio quia ſcriptura diſcretionem electorum à reprobis reducit ad ſtuporem, & admirationē, & ad occulta arcana & ſacramenta altiſſima, quod non eſſet neceſſe ſi fieret ex fidei voluntariæ, vel operum præuiſione. 7. demum ratio, quia Deus dirigit ſuum euangelium non ad omnes qui eſſent credituri, ſed ad certos quos ipſe elegit.

CXXXVI. Sententia hæc de gratuita prædeſtinationē habet profecto loca ſcripturæ valde inſignia, quibus fatetur Auguſtinus *ſe h conuictum in eam ſententiam deueniſſe*: ſed nihilominus aduerſa opinio difficultates ei opponit non paucas, quarum multæ adhuc viuenti & ſcribenti ſunt obiectæ Auguſtino: ſed earum ſolutiones non videntur omnibus ſatisfacere: certe ſaltem præcipuæ ſunt à nobis percurrendæ. Edita iam in vulgus Auguſtini ſententia, multæ eccleſiæ plurimum commotæ ſunt, præſertim in Galliis: ac potiſſimum Maſſilienſis: multi Epiſcopi viri grauiſſimi, & ſummæ authoritatis à communi tunc ſententia, quam ego ſecundo loco inferius explicabo, cum non poſſent recedere, plurimum turbabantur, & in Auguſtin. etiam excandeſcebāt, quod electio hæc Dei ſecundum propoſitum, quam ipſe Auguſtin. ponebat, eis videretur contraria Patrum opinioni, & eccleſiaſtico ſenſui, vt referunt Proſper Aquitanus Epiſcopus Rhegienſis, & Hilarius Arelatenſis in epiſtolis quas ad Auguſtinū perſcripſerunt. Et ſicut noſtris diebus Patres Dominicani aduerſus Patrem Molinam, & totam ſocietatē Ieſuitarum pro illo, ne eius doctrina damnaretur, pugnantem, Romanam curiam, totumque ferme orbem concitarunt, vt Auguſtini ſententiam, inter ipſos Thomiſtas communem tuerentur: idemque aliquot Eccleſiæ, eiuſdem ſententiæ tenaces, aduerſus alias ſuas ſorores hodie faciūt, ab eā ſenten-

h Aug de bono perſeu. c. 18.

tia nonnihil alienas: ita profecto olim tempore Auguſtini eccleſię plurimæ tenaces veteris & communiſſimæ de prædeſtinatione ex præuiſis operibus ſententiæ, aduerſus nouam tunc Auguſtini ſententiam incitatæ, dicebant, *a Quid opus fuit huiuſmodi diſputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus vtiliter ſine hac definitione,* aiunt, *tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis,* (Auguſtini) *& aliorum cum contra alios, tum maxime contra Pelagianos catholicam fidem fuiſſe defenſam.*] Et, *b De his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit.*] Nunc vero res inuerſa eſt, & Auguſtini noua ſententia contra olim communem Eccleſiæ ſententiam, & inſurgit, & obmurmurat, & eam non modo vt ſileat cogere, ſed etiam totis viribus abolere contendit. Sed veniamus ad oppoſitiones.

a Hilar. Arelat. in ep. ad Aug. in operibus Aug. ante lib. de præd. ſanct.

b Prosp. ad Aug. ibid.

CXXXVII Prima oppoſitio: *c Hac ſententia, & lapſis curam reſurgendi adimit, & ſanctis occaſionem torporis affert, eo quod in vtramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque reiectus vlla induſtria poſſit intrare, neque electus vlla negligentia poſſit excidere; Quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud ergà eos, quam Deus definiuit, accidere, & ſub incerta ſpe curſum non poſſe eſſe conſtantem, cum ſi aliud habeat prædeſtinationis electio, caſſa ſit annitentis intentio.*] Et, *d Inutilis eſt exhortandi conſuetudo; ſi nihil in homine remanſiſſe dicatur, quod correptio valeat excitare — & ſi prædeſtinati ſic ſunt ad vtramque partem, vt de aliis ad alios nullus poſſit accedere, quo pertinet tanta extrinſecus correptionis inſtantia?*] Æquum quoque eſt, *e Vt & qui voluerint fiant filij* DEI (cum gratia illos præueniente) *& inexcuſabiles ſint, qui fideles eſſe noluerint, quia iuſtitia Dei in eo ſit. vt qui non crediderint pereant, bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita, ſed indifferenter vniuerſos* f velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Propterea ſcripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant quæ iubentur* (cum auxilio gratiæ) *aut negligant. Ac ſic ſequitur* g *Remoueri omnem induſtriam tollique virtutes, ſi* DEI *conſtitutio humanas præueniat voluntates.*] Hoc eſt ſi Deus hominem electum faciat velle, & non ipſe ſuo libero arbitrio libere velit.

c Prosp. ad Aug. vbi ſupra.

d Hilar. in ep. ad Aug.

e Prosp. in ep. ad Aug.

f 1. Tim. 2. 4.

g Prosp. vbi ſupra.

CXXXVIII. Secunda oppoſitio, *Talis prædeſtinatio* h *fatalem quandam inducit neceſſitatem, aut diuerſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe quam factus ſit.* Et ſane liberum hæc opinio tollit arbitrium penitus, non modo in primo actu credendi, de quo in præcedentibus diſputatum eſt quæſtionibus, ſed etiam in omnibus bonis actibus, quos virtute prædeſtinationis faciat prædeſtinatus: præſertim quod hæc opinio velit prædeſtinationem eſſe, i *præparationem gratiæ, qua electus amplectatur media ad conſequendam vitam æternam neceſſaria, debet ergo prædeſtinatus illa omnia arripere media virtute prædeſtinationis; non ergo debent ſubſtare libertati arbitrij: alioquin poſſet reddere prædeſtinationem fallacem, ſi illa media nollet amplecti. Vt igitur eà amplectatur faciet* DEVS, *faciendo vt velit illud & illud.* Sic enim expreſſe loquitur Auguſtinus. *k Et ſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit vt illi faciant quæ præcepit.*] Et hoc ipſum facere per gratiam vt homo faciat, explicat eſſe effectum prædeſtinationis, quia ille id ita fieri decreuit, quando hunc & illū hominem prędeſtinauit; Et hoc eodem modo aſſerebat, vt in ſuperioribus vidimus nos primum velle, conuerti, & credere, quia Deus faciebat nos velle, & ſine nobis. Sed tamen in aliis bonis operibus liberi arbitrii cooperationem admittebat, quam hic expreſſe negat. Prædeſtinati ergo dum propriam ſalutem operantur, perpetuo abſque vllo vſu liberi arbitrii eam operantur, & ſic in totum iis liberum tollitur arbitrium, quod tamen prius poſt primàm fidem cooperans Auguſtinus relinquebat.

h Ibid.

i Aug. de prædeſt. S. l. 1. c. 10.

k Ibid.

Tertia oppoſitio. *l Pro vniuerſo hominum genere mortuus eſt Chriſtus, & nemo prorſus à redemptione eius ſanguinis eſt exceptus. — Ad omnes enim homines pertinet diuinæ miſericordiæ ſacramentum.* CXXXIX.

l Prosp. ib.

Quarta oppoſitio. *m Dicitur, crede & ſaluus eris. Vnum horum exigitur, aliud offertur, vt propter id quod exigitur, ſi redditum fuerit id, quod offertur deinceps tribuatur.*] Salus ergo voluntarie credenti & offertur & tribuitur: quod verum non eſſet, ſi Deus vult ad ſalutem eligere, quem ipſe velit, & eidem tribuere fidem etiam cum ſua libera voluntate illi non concurrenti. CXL.

m Hilar. ad Aug. vbi ſupra.

Quinta oppoſitio. *n Moleſte ferunt ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur; vt ille acceperit perſeuerantiam, non qua fieret vt perſeueraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeuerare non poſſit: nunc vero ſanctis in regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adiutorium perſeuerantiæ datur, ſed tale vt eis perſeuerantia ipſa donetur, non ſolum vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint, verum etiam vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint; & qui ſcribunt ad Auguſtinum ſic illum alloquuntur. His verbis ſanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi. Si enim, aiunt, ita Adam adiutus eſt, vt & ſtare poſſet in iuſtitia, & à iuſtitia declinare, & nunc ita ſancti iuuantur vt declinare non poſſint, ſiquidem eam acceperunt volendi perſeuerantiam, vt aliud velle non poſſint: vel ſic quidam deſeruntur, vt aut nec accedant, aut ſi acceſſerint & recedant, ad illam voluntatem pertinuiſſe dicunt exhortationis vel comminationis vtilitatem, quæ & perſiſtendi & deſiſtendi obtinebat liberam poteſtatem, non ad hanc, cui nolle iuſtitiam ineuitabili neceſſitate coniunctum eſt: præter illos, qui ſic concreati ſunt his, qui cum vniuerſa maſſa damnati ſunt, vt exciperentur per gratiam liberandi. Vnde in hoc ſolo volunt à primo homine omnium diſtare naturam, vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, ſine qua perſeuerare non poterat: hos autem amiſsis & perditis viribus credentes tantum non ſolum erigat proſtratos, verum etiam ſuffulciat ambulantes.*] Hæc Hilarius, certum eſt enim in hac opinione dandum eſſe donum infallibilis perſeuerantiæ, ſaltem finale. Sed recentiores paulo vlterius, nec certe in hac opinione indebite procedunt, vt prædeſtinatum faciant impeccabilem quoad peccatum quod ei poſſit eſſe ad mortem. Hæc & ſimilia oppoſita fuerunt Auguſtino. Sed pergamus alias oppoſitiones quas aduerſa opinio obiicit, numerare. CXLI.

n Ibid.

Sexta oppoſitio, Reprobatio ſecundum hanc opinionem, & damnatio non prædeſtinatorū, vel non erit niſi propter ſolū peccatū originale, etiam ſceleſtiſſimorum hominū, & grauiſſimis peccatis onuſtorum, quod eſt contra ſcripturam; nam Paul. cum reprobis agens ait: *o Theſaurizas tibi iram in die ira — Qui reddet vnicuiq; ſecundum opera ſua.* Et p *Tyrij ac Sydonij minus punientur, propter infidelitatē, quam Bethſaiditæ & Corazaitæ:* punientur tamē. Ac certe in tota S. Scriptura vix videtur poſſe obſeruari quenquam propter ſolum peccatū (adultum præſertim) originale dānari; aut ſaltē vt hoc ex S. literis probetur debet quiſq; plurimū ſudare: ſed vbicunq; agitur de damnatis, ſemper etiā eorū actualia peccata, vt cauſa damnationis, afferuntur. Iuſtin. ait, q *Deum ſupplicium deſtinaſſe nonnullis Angelis & hominib. eo quod improbos obſtinato animo futuros eos præuenerit: non quod tales eos effecerit.*] CXLII.

o Rom. 2. 5

p Luc. 10. 14.

q Iuſtin. dial. cum Triph. ad fin.

De

De infantibus nunc nihil dico: quia multo minus quicquam habemus de illis clarum in Scriptura, quod poſtea conſiderabo. Si ergo reprobatio ſumatur negatiue, pro nō prædeſtinatione, & pro ſola derelictione in maſſa damnata, & ſeorſim ponatur damnatio ad pœnam æternam pro peccatis actualibus, abſurda non vitantur: nam illud reſtuqui in maſſa eſt formaliter damnari pœna æterna, quæ eſt priuatio diuinæ viſionis potiſſimum; atqui hanc pœnam luere adultos propter ſola peccata actualia ſcriptura ſæpe docet. Quid vero quod hoc ſenſu nullus ex circunciſis ſub lege, & ex baptizatis ſub euangelio poſſet eſſe reprobus, ſeu non prædeſtinatus? quia nullus ex his eſt amplius in maſſa, ſi quidem ablatum ſit eis omnibus peccatum originale, iuxta communem, ideo [que] neque poteſt in maſſa damnata deſeri & derelinqui. Si igitur reprobatio fit propter peccata actualia præuiſa, cur non ſimiliter etiā prędeſtinatio erit propter fidem, & iuſtitiā hominis præuiſam? certe diſcrimē vix videtur poſſe aſſignari. Sed neque iuſte poteſt damnari & reprobari propter peccata actualia, is qui à Deo deſertus eſt, & derelictus gratiaq; vere ſufficienti, abſq; totius ſpeciali culpa deſtitutus, ac propterea excuſabilis; Peccatū enim non eſt peccatū, neq; dignum pęna, niſi ſit perfecte a *Voluntariū*: qui aūt ex neceſſitate peccat, vbi in ipſius poteſtate nō ſit nō peccare, is certe voluntarie non peccat; tales ſunt omnes reprobi, quia talibus Deus ponitur omnino negare gratiam, per quam poſſint non peccare, ſi velint. Imo, ex fundamentis huius opinionis, non defuerunt qui aſſerant Deum etiā velle, & omnino efficere poſitiue, vt reprobus peccet & ſuo modo faciunt Deum cauſam peccati, quod vix negare poteſt b Auguſtinus. Mihi horror eſt hoc etiam commemorare.

a Aug. de vera relig. c. 4 & Retract. l. 1. c. 13.
b Aug. de præſcit. S. c. 10.

CXLIII. 7. deniq; oppoſitio eſt, hanc opinionē ad Pelagianiſmū euitandum (huc enim induſtria Auguſt. potiſſimum laborat in hac ipſius ex Dei propoſito Prædeſtinatione) nihil penitus videri neceſſariam: vt in explicatione ſecundæ opinionis huic contrariæ fortaſſe apparebit; dum illa contendit fidem & iuſtitiam hominis nullum ponere meritum, quod ſit proprium hominis, pro quo quis prædeſtinetur: neque inde peti cauſam prædeſtinationis, neque conditionem ſine qua non, neque quicquam tale: ſed in toto hoc negotio gratiam potiſſimum, & diuinam miſericordiam dominari. Quid vero ad has oppoſitiones reſpondeat ex ſua parte Auguſtinus, videamus.

CXLIV. Ad primam oppoſitionem reſpondet primo indirecte, c eam prædeſtinationem docuiſſe Paulum, & tamen Paulum prædicare, hortari ad bona opera, & monere non deſtitiſſe, & Chriſtum dixiſſe, d *Credite in Deum, & in me credite* nec tamen propterea (vanam fuiſſe eius definitionem, e *Nemo venit ad me*, hoc eſt, credit in me) *ſi [non] fuerit ei datum à Patre meo.* Sic Cyprianum docuiſſe eandem prædeſtinationem, & tamen nunquam ceſſaſſe à prædicatione, cohortatione, correptione, &c. Addit & illud, *Quamuis ergo dicamus Dei donum eſſe obedientiam tamen homines exhortamur ad eam.*] Et multiplicat loca ex Euangelio, & Apoſtolo in quibus illæ ipſæ virtutes, ad quas nos hortationes impellunt dicuntur eſſe dona Dei. *Exhortamur ergo* inquit, *atque prædicamus, ſed f qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui vero eas non habent, fit in eis quod ſcriptum eſt, vt audientes non audiant.—— Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc eſt cur illis datum ſit, illis autem non ſit datum, quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit*] Ac poſtea: g *Et qui ſunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oramus, fortaſſe enim ſic prædeſtinati ſunt vt noſtris orationibus concedantur & accipiant eandem gratiam, &c.*]

c Aug. de bono perſeu. c. 14.
d Io. 14. 1.
e Io. 6. 65.
f Luc. 8. 8.
g Aug. de bono perſeu. c. 22.

CXLV. Sed aduerſarii dicent hinc augeri non tolli oppoſitionem nec licere obſcura per obſcuriora ſoluere, ſupponit enim Auguſtinus in [P]aulo eſſe hanc prædeſtinationē, vbi tamen de ſenſu Paulino multæ ſunt difficultates, & multas Pauli loca tolerant interpretationes, quas Patres ante Auguſtinū protulerunt, & tamen Auguſtinianam hanc prædeſtinationem non agnouerunt, de quibus nos poſtea: imo quia Paulus hortatur ad bona opera ſupponit libertatem hominis: hortatio enim vbi non eſt plena libertas, penitus eſt fruſtratoria, vt tota & Philoſophorum, & Theologorum ſchola ante Auguſtinum perpetuo & conſtanter docuit, neque ad hoc eſt vnquam ab Auguſtino ſufficienter reſponſum. Similiter Chriſtus dixit, credite quod non diceretur iis in quorum poteſtate non ſit credere, ideo quando alias dixit, Nemo venit ad me niſi ei datum fuerit, ne hæc illis ſint contraria, ſatis eſt aſſerere neminem poſſe credere, niſi gratia diuina præueniatur, & ei datur credere ſi velit, cui datur poſſe credere; ſed quando credit, libere & ex ſe credit, libere & ex ſe vtendo illa poteſtate quā habet à Deo, vt poſſit ſi velit credere. De Cypria. dicetur infra. Et verum eſt omnem bonā & ſanctā virtutem eſſe à Deo, hoc eſt nos eam cum auxilio gratiæ nobis cooperante aſſequi: quæ cooperatio gratiæ relinquit plenam nobis libertatem. Verum ſimiliter eſt eum qui habet à gratia aures audiendi, audire, id eſt eum qui præueniente gratia eſt diſpoſitus, ſua tamen voluntate interne audire: & ideo fit adhortatio vt libere homines moueantur, non tamen ſine præueniente gratia, vel adiuuante quæ nulli deeſt, modis iam in ſuperioribus explicatis; & ideo vnus audit interne, quia vult, alius non audit quia non vult. Illud ſolum, quod ait Auguſtinus de oratione pro vocandis, innuit quodammodo directam ſolutionem huius primæ oppoſitionis, nimirum adhortationes, correptiones, admonitiones ſcripturæ, & eccleſiæ, in gratiam tantum prædeſtinatorum fieri, & iuberi vt fiant: quatenus Deus potuerit multos prædeſtinare, vt per tales hortationes, & correptiones conuertantur. Et ſic hortationes haſce, tunc fore partem & effectum prædeſtinationis, ſed pro ſolis prædeſtinatis, omnibus tamen eſſe faciendas, quia quis ſit, vel non ſit prædeſtinatus ex auditoribus, hortator & correptor in hac vita ſcire non poteſt. At vero neq; hæc ſolutio ſufficit, quia ſcriptura non modo audienti & obedienti promittit vitam, &c. Sed etiam à contrario audientem & non obedientem peccare, & Deum lædere docet: h *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. qui autem me ſpernit ſpernit eum, qui miſit me.* At quæſo qua ratione à Chriſto declarantur ſpernere Deum illi, qui quantumuis velint, non poſſunt tamen audire illum, neque ei obedire, quia ipſe non vult vt poſſint? Cur vero hic recurras ad admirationem illam, *quis agnouit ſenſum Domini*? Si res plana in ſe eſt illū obedire quia vult, ideoq; laudem, & denarium conſequi, illum vero ſpernere Deum, quia non vult ei parere ideoque ad pœnam peti.

h Luc. 10. 16.

CXLVI. Sed quod ab hoc aſſerendo Auguſtinum maxime tanquam facies colubri abſterrebat, erat articulus ille Pelagianus, i *Gratiā Dei noſtris meritis dari*: ſatis tamen Pelagianiſmus hic euitatur, dum dicimus vnum vocationi paruiſſe, quia ex ſe quidem voluit,

i Eccl. 21. 2.

ſed tamē beneficio gratię pręuenientis, à qua habuit prius vt poſſet ex ſe velle: alium vero non audiſſe, quia noluit, cum tamen etiam ipſe potuiſſet velle, non ex ſe ſolo ſed ex gratia, & ſic ſunt omnia ſalua: & hinc ruunt omnia quæcunque vrget pro ſua opinione Auguſtinus, qui profecto ab hac prima oppoſitione vehementer turbatus, ad eam ſæpius in eodem opere de bono perſeuerātiæ recurrit, quippe qui videbat ſe plene non ſatisfacere; anguſtiaſque in hoc ſuas quibus premebatur illis verbis ſatis ſignificat: *a Inſtat inimicus gratiæ, atque vrget modis omnibus, vt credatur ſecundum merita noſtra dari: ac ſic gratia iam non ſit gratia. Et nos nolumus dicere, quod teſte Scriptura non poſſumus dicere: timemus enim, videlicet ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non poteſt capere; & non timemus, ne tacentibus nobis qui veritatem poteſt capere falſitate capiatur? Aut enim ſi prædeſtinatio prædicanda eſt, quemadmodum eam ſancta Scriptura euidenter loquitur, vt in prædeſtinatis ſine pœnitentia ſint dona & vocatio DEI, aut gratiam DEI ſecundum noſtra dari merita confitendum, quod ſapiunt Pelagiani:]* Hæc Auguſtinus: ſacra tamen Scriptura euidenter non loquitur in ſenſu Auguſtiniano, vt ſuis locis infra apparebit, duo extrema ponit Auguſtinus, vtrunque periculoſum, ideoque non vult cedere argumentis validiſſimis, ne ſi ſuum extremum ſuæ prædeſtinationis deſerat, cogatur alteri extremo Pelagianiſmi adhærere. Aderat tamen medium, tutum, facile, quod miror Auguſtinum, non dicam non vidiſſe, vidit enim optime, & explicauit vt in ſuperioribus quæſtionibus, num. 42. patuit, ſed eo vti noluiſſe. Quid quod duriſſimas propoſitiones, quæ ex eius ſententia omnino ſunt aſſerendæ, *b* non eſſe tamen populi auribus committendas ipſemet fatetur: & modos loquendi mitiores excogitat, profecto hoc talem ſententiam non multum attollit, quam etiam non eſſe populis paſſim prædicandam ipſemet *c* Auguſt. monet.

a Aug. de bo. perſeu. c. 16.

b Aug. de bo. perſeu. c. 15. & 22.

c Ibid. c. 21.

CXLVII. Ad ſecundam oppoſitionem, indirecte ſimiliter reſpondet, hoc pacto: *d quod aduerſus eoſdem Pelagianos dicere ſolemus, quando nobis obiiciunt quod fato tribuamus Dei gratiam; dicendo eam non ſecundum merita noſtra dari: ipſi enim potius Dei gratiam fato in paruulis tribuunt, qui dicunt fatum eſſe vbi meritum non eſt.]* Eſto compellantur Pelagiani ad hoc incommodum, vt in cauſa paruulorum quodammodo fatum admittant. Sed tamen oſtendendum eſt prædeſtinationem hanc non eſſe inſtar fati cuiuſdam. Profecto qui aſſerit aliquid, quod ad modum fati Stoici ſe habeat reſpectu humanarum actionum, perinde eſt ac ſi fatum inducatur, etiamſi fatum non ſit, ſed aliquid aliud. At vero dum ponitur Deus in homine operari humanas actiones, abſque libero concurſu liberi arbitrij quod ſit in homine, eſt procul dubio quaſi fatum inducere. Nam & ipſum fatum aliqui voluerunt eſſe vim quandam ſtellarum, alii fortaſſe numen quoddam, alii aliud quo humanæ actiones ex neceſſitate ab hominibus, ſed certe ſponte, non coacte fierent, vt inde homines & vitia ac malefacta excuſarent, ſe fato compulſos ea peragere: & virtutes vileſcerent, ſiquidē actus boni fato fierent, non libera voluntate, neq; ex electione. Poterant perinde aſſerere fatum eſſe ipſum Deum eiuſq; voluntatē, qui humanas actiones in hominibus, ipſis nihil ſua libera voluntate concurrentibus, perficeret, eaſq; ex neceſſitate per prædeſtinationem impoſita, abſq; vlla libera electione, peragere; ſic *e voluntatem Dei fatum vocauit Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus.* Ad hoc nihil aliud habebit Auguſtinus aut quis alius, ni fallor, quod reſpondeat, niſi ea, quæ ad ſaluandum liberum arbitrium in tertia difficultate primæ noſtræ quæſtionis ſupra reſpondebat. An vero illa ſufficiant, cuiuſque iudicio relinquitur.

d Ibid. c. 12

e Apud Baro tom. 9. an. 811. n. 34.

Ad tertiam oppoſitionem quid reſponderit Auguſtinus non inuenio: niſi vbi ad articulos ſibi impoſitos dicitur reſpondiſſe: ibi vero recurrit ad *f* magnitudinem & ſufficientiam, ſiue vt ipſe eam vocat potentiam precij, pro toto mundo. *Cuius mors,* inquit, *non impenſa eſt humano generi, vt ad redemptionem eius etiam qui regenerandi non erant pertinerent, ſed ita, vt quod per vnicum exemplum geſtum eſt pro vniuerſis, per ſingulare ſacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra, & virtute diuina, habet quidem in ſe vt omnibus proſit, ſed ſi non bibitur non proficit.]* Hic aperte concedit ad redemptionem non regenerandos non pertinere, ſed videtur intelligere, non regenerandos eſſe eos, qui de facto non ſint regenerandi, non autem præſcitos, ſeu reprobatos, aut non prędeſtinatos ſecundum propoſitum: Sed hoc eſt oppoſitioni cedere, nō oppoſitionem refellere. Poculū ſi non bibitur non proficit: bene quidē, ſed vt quis bibat, eſt ne in ipſius libertate, an nō eſt? Si eſt in cuiuſque libertate, ita vt nemo ſine auxilio neceſſario relinquatur, quo poſſit ad poculū accedere, & potare, prædeſtinatio nō eſt limitata ex ſolo Dei propoſito: ſi vero non omnibus datur vt accedant, non ergo pro omnibus poculum eſt propoſitū, etiamſi tam grande, vt omnes homines poſſint ex eo haurire, ſed pro illis quibus datur vt poſſint bibere; & ſic oppoſitio viget de qua ſatis ſupra, nu. 114. Addamus nos ex *g* Cyrillo. *Carnem ſuam Chriſtum toti generi humano coniunctum; & eam carnem, quæ fuit metallum ex quo nummi illi cuſi ſunt, quibus nos ſumus redempti, fuiſſe carnem omnium prorſus hominum, & non quorundam duntaxat.]*

CXLVIII.

f Aug. ad artic. ſibi impoſ.

g Cyrill. in Ioan. l. 9. c. 44.

Ad quartam oppoſitionem, Reſpondet Auguſtinus, *h Sic dicitur, ſi credideris ſaluus eris, quemadmodū dicitur. i Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Nam & hic ex his duobus vnum exigitur, alterum offertur. — Num igitur placet vt ſpiritu facta carnis mortificare nō donum Dei eſſe dicamus; neq; id donum Dei eſſe fateamur? Pelagianorum eſt error iſte damnabilis.]* Hæc reſponſio ſatis profecto retundit oppoſitionem, quatenus ex ea Pelagiani Gratiæ neceſſitatem in prima fide excludebant, volebantq; primum ex ſe, & ſolis liberi arbitrij viribus hominē credere, & inde reliquam gratiā neceſſariam mereri: & illi fatebantur poſt fidem iam ad reliqua bona opera gratiā eſſe neceſſariam, ſed eā merito fidei dari. At vero mortificare membra eſt vnum ex operibus, quod ſine gratia adiuuante non peragitur, & tamen illud quoq; exigitur, & ei præmiū offertur, ſic fidei. Eadē tamen oppoſitio extra Pelagianiſmū, & in Catholiciſmo adhuc viget: & ex hac Aug. reſponſione adhuc melius corroboratur contra Auguſtinianā prædeſtinationē. Exigitur profecto mortificatio à libera volūtate, cum gratiæ tamen cooperatione, non enim diceret Paulus mortificare iis qui non haberent in ſe vires ſufficientes ad ſua carnis facta mortificanda; ſicuti nemo, niſi irriſorie, dicet cæco, inſpice, aut claudo curre. Cū ergo eadem ratione etiam fides exigatur, profecto non exigitur niſi ab eo qui poſſit libere, & ex electione credere. Vbi ergo prædeſtinatio tota mere gratuita? ſi prædeſtinatio eſt pręparatio gratiæ, certe potiſſimū gratiæ ad credendū. *Nam k ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* At credere ex libero arbit. & credere ex prædeſtinatione Dei, ſunt penitus cōtraria. Sed inquit Aug. ibid. ex Ezechiele, apertiſſime dicit Deus, ego faciā vt faciatis.]

CXLIX.

h Aug. de bo. perſeu. c. 11.

i Ro. 8. 13.

k Heb. 11. 6.

Sed

Sed medicus etiam merito dicit ægroto iacenti, Ego faciam vt poſt paucos dies ſurgas. Nunquid medicus eſt in humeros ſuos ſublaturus illum ægrotum, & è lecto educturus, alioque aſportaturus? Faciam, quia dabo tibi medicamenta, quibus conualeſcas, & iam poſſis ex te ſurgere. Sic Deus dum ſua gratia noſtras corroborat vires, facit vt faciamus. Ad quintam oppoſitionem totus liber de bono perſeuerantiæ ſpectat: ſed quomodo ſoluantur ea quę opponuntur fateor me non potuiſſe, aut neſciuiſſe elicere. Ad ſextam quid ſufficienter reſponderi poſſit ſimiliter non inuenio. De ſeptima agetur in ſecunda opinione paulo poſt explicanda

CL. Si hæ, & aliæ Auguſtini reſponſiones, librique exactiſſimi, quos ad tollendas huiuſmodi difficultates, quæ ex ipſius opinione de gratuita prædeſtinatione tunc primum ab eo excogitata emergebant, conſcripſit, ſatis fuiſſent ad comprimendas turbas eccleſiaſticas illa opinione noua concitatas, non fuiſſet adeo Proſpero laborandum; de quo tamen illud ſcripſit Gennadus, a *Legi & librum eius aduerſus Collatoris opuſcula, ſub perſona Caßiani. Quæ Eccleſia Dei vt ſalutaria probat, ipſe infamat.*] Si Proſper Auguſtini opinionem hanc à grauiſſimis obiectionibus ſatis vindicaſſet, quæ poſt Auguſtini mortem adhuc maiores ſunt exortæ, non tantopere eccleſiam, etiam poſt ipſius Proſperi mortem, *hæreſis* quæ dicebatur b *prædeſtinatorum*, diuexaſſet. Ii vero erant Auguſtinianæ ſententiæ ſectatores, qui ſiue bene, ſiue male intelligentes Auguſtinum, abſurda hæc, quæ his obiectionibus continentur, & alia ſimilia contra communem eccleſiæ ſenſum, & aſſerebant & defendebant. Inter hos inſignis fuit c Lucidus presbyter, cuius errores, quos ex Auguſtini ſententia profecto ille hauſerat, male ne an bene intellecta videant alii, ſunt fere omnes in iam poſitis oppoſitionibus explicati: à Fauſto poſtea Rhegienſi Epiſcopo, Proſperi proximo in illo epiſcopatu ſucceſſore merito redarguti, & Synodice damnati, & ab ipſomet Lucido publice abiurati. Ipſa vero documenta huius rei operæ pretium eſt eſt hic annectere.

a Gennad. de ſcript. Eccl. c. 84.
b Sigeb in Chron an. 4 5.
c Ante libros Fauſti Rheg. in Bibl. S.S.P.P. tom. 4.

CLI. Epiſtola Fauſti ad Lucidum, à Synodo d Arelatenſi doctiſſimorum, maximeque Catholicorum Galliæ Epiſcoporum approbata, & ſubſcripta ſic habet. e *Domino deuinctiſſimo, & mihi ſpeciali affectu venerando, ac ſuſcipiendo, fratri Lucido presbytero, Fauſtus. Grandis charitas eſt parum cauti fratris errorem per Dei adiutorium & gratiam magis velle curare, quam ſicut ſummi Antiſtites meditantur, à bonitate ſuſpendere. Quid poſſum de hoc ſenſu, ſicut vir, cum vnanimitate tua per literas loqui, cum te præſens multa & blanda & humili allocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquentes ergo de Gratia Dei, & obedientia hominis id omnine ſtatuere debemus, vt neque proni in ſiniſtrã, neque importuni in dextram, Regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixiſſe miratus ſum, quod nullus vnquam ſub religioſa profeßione contra catholicam fidem vel ſcripſerit, vel prædicauerit, cum plurimi multiplices & profanos autores ſuos, etiam ſcriptorum monumentis credider int inſerendos, qui tamen Chriſtiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam, quantum cum abſente loqui poſſum, quid ſentire cum catholica eccleſia debeas, id eſt.*

d Fauſt. in præf. ſuor. librorum
e Ante eoſdem lib. vbi ſupra.

1. Vt cum gratia Domini operationem baptizati famuli ſemper adiungas, & eum qui prædeſtinationem excluſo labore hominis aſſerit, cum Pelagii dogmate deteſteris.

2. Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates, hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari damnanda præſumptione contenderit: & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit.

3. Item anathema illi qui hominem cum fideli confeßione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem catholicam fidem, & poſtmodum per diuerſa huiuſmodi oblectamenta prolapſum, in Adam, & originale peccatum, perijſſe aſſeruerit.

4. Item anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit.

5. Item anathema illi, qui dixerit, illum qui perijt non accepiſſe vt ſaluus eſſe poſſet, id eſt de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit & noluit.

6. Item anathema illi, qui dixerit, quod vas contumeliæ non poßit aſſurgere, vt ſit vas in honorem.

7. Item anathema illi qui dixerit quod Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſaluos eſſe velit. Cum autem ad nos in Chriſti nomine veneris aut cum ſanctis ſacerdotibus euocatus fueris, tunc opportune ſi Dominus iuſſerit, locis ſuis teſtimonia proferemus, quibus & quæ catholica ſunt manifeſtentur, & quæ Catholicis ſunt contraria deſtruantur. Nos autem per illuminationem Chriſti, veraciter & confidenter aſſerimus, & eum qui periit per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſius famulatui laboris obedientiam non negaſſet; & eum qui per gratiam ad bonæ conſummationis metas, ſeruitio obſequente peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam. Nos ergo per medium Chriſto duce gradientes, poſt gratiam, ſine qua nihil ſumus, laborem officioſæ ſeruitutis aſſerimus (hoc eſt liberi arbitrii cooperationem) *ſed omnimodo arrogantiam, & præſumptionem laboris excludimus, vt totis viribus deſudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quicquid de manu Domini ſuſceperimus, donum pronunciemus eſſe, non pretium, ſcientes laboris ipſius fructum officii remiſſe, non meriti, cum Euangeliſta dicentes,* f Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. *Hæc quæ ſtrictim pro epiſtolæ breuitate memorata ſunt, aut recipere ſe, aut reſpuere vnanimitas tua recurrente ſermone reſpondeat. Cæterum qui hanc veritatis menſuram, gratia præcedente & conatu aſſurgente non ſequitur, dignus erit qui à ſacris liminibus arceatur. Ego autem indiuiduam mihi bonitatem tuam toto ſinceræ benignitatis amplexu in via retinens, in matris eccleſiæ gremio permanere, repudiato hoc errore, deſidero: qui ſi cito reſpuatur, ignorantia fuiſſe videbitur: Blaſphemia vero reputabitur ſi pertinaciter defendatur. Grauem namque in autorem retorquemus inuidiam, ſi dicamus, quod ei poßibilitatem capeſcendæ ſalutis noluerit dare, qui periit, ei duntaxat qui capere iam poßit arbitrii libertatem, cum minime negare poßimus, quod mandati præuaricatorem in iudicij ſui examinatione damnabit. Qui enim nõ eſt obnoxius de ſuſcepto, neſcio quomodo reus eſſe poßit de perdito. Ac ſi peccantes in Deum, cuius in primis incautius aſſeruimus gratiam, in poſtremis eius videbimur impugnare iuſtitiam. Huius autem epiſtolæ exemplar mecum retineo, in conuentu ſanctorum antiſtitum, ſi ita neceſſe fuerit, proferendum. Quam ſi ſuſcipiendam putauerit fraternitas tua, aut ſubſcriptam manu propria mox remittat, aut ſequentibus ſcriptis omnino ſe improbaſſe reſpondeat. Quod ſi eam ſubſcriptam, vt dixi, tranſmittere nolueris, aperte adhuc te in errore perſiſtere ipſo ſilentio comprobaris, ac proinde iam neceßitatem mihi facies ad perſonam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideo ſecundum hæc, quæ à me ſunt directa reſcribe, verum ea remotis circuitionibus, aut cognoſcas, aut reſpuas.*

f Luc. 17. 10.

Auxanius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Fauſtus exemplar epiſtolæ meæ relegi & ſubſcripſi.

Paulus Epiſcopus in Chriſti nomine relegi & ſubſcripſi.

Eutropius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Pragmatius in Chriſti ſigno Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Patiens in Christo Episcopus relegi & ſubſcripſi.

Euphronius relegi, & admiratus ſum plenitudinem ſanctam.

Megetius Episcopus relegi, & ſubſcripſi.

Claudius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Leucadius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi, & ſubſcripſi.

Iulianus in nomine Chriſti Epiſcopus ſubſcripſi.

Lucidus presbyter relegi, & ſubſcripſi.]

CLII. Lucidus hic porro, qui in Synodo nunc ſubſcripſit, iam etiam per literas ſuas palinodiam recantarat, quas opportunum eſt hic apponere, quæ tales ſunt: *a Dominis beatiſſimis in Chriſto Reuerendis patribus Leontio, Euphronio, Fonteio, Viuentio, Mamerto, Patienti, Viviano, Auxiano, Fauſto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Baſilio, Leontio, Claudio, Leucadio. Pragmatio, Marcello Præſtato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio Viuentio, Theophlaſto Epiſcopis Lucidus.* (In Synodo *b* Lugdunẽſi congregatis.) *Correctio veſtra ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera confeſſione mea diluam.*

a Ibid.

b Fauſt. in præf. ſuor. libror. de gr. vbi ſup.

1. Proinde iuxta prædicandi recentia ſtatuta Concilii, damno vobiſcum ſenſum illum qui dicit, Humanæ obedientiæ laborem diuinæ gratiæ non eſſe iungendum.

2. Qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

3. Qui dicit quod Chriſtus Saluator noſter mortem nõ pro omnium ſalute ſuſceperit.

4. Qui dicit quod præſcientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant voluntate qui pereunt.

5. Qui dicit quod poſt acceptum legitime baptiſmum in Adam moriatur quicunque deliquerit.

6. Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.

7. Qui dicit ab Adam vſque ad Chriſtum nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id eſt per legem naturæ, in aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum arbitrium in primo parente perdiderint.

8. Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel ſummos quoſque ſanctorum etiam ante redemptionis tempora, intra paradiſum degiſſe. Hæc omnia quaſi impia, & ſacrilegiis repleta condemno.

9. Ita autem aſſero gratiam Dei, vt annisum hominis, & conatum gratiæ ſemper adiungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam & infirmatam eſſe pronunciem; & periclitari eum qui ſaluus eſt, & eum qui periit potuiſſe ſaluari.

10. Chriſtum etiam Dominum & Saluatorem noſtrũ, quantum pertinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe: & quia nullum perire velit, qui eſt ſaluator omnium maxime fidelium, diues in omnibus qui inuocant illum.

11. Aſſero etiam per rationem, & ordinem ſæculorum alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos, tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis, non abſolutos.

12. Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perſeuerantes humanas culpas merito ſequitur diuina ſententia, quam iuſte incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me Domini ſancti, & Apoſtolici Patres] Hæc Lucidus conformans ſe articulis Synodi Lugdunenſis. Quem vidimus etiam ſubſcripſiſſe articulis Fauſti in Synodo Arelatenſi confirmatis. Atque hæc ad finem quarti poſt Chriſtum ſæculi.

CLIII. Eaſdem oppoſitiones, quas Auguſtino iam factas ex epiſtolis Proſperi & Hilarii in ſuperioribus recenſuimus, & alias præterea in dictis Synodis damnatas, vt adhuc vigentes, & ab hæreticis prædeſtinatis mordicus, ſub prætextu Auguſtinianæ ſententiæ, retentas, acerrime inſectatus Fauſtus ipſe Rhegienſis, duobus *c* libris de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio, eaſq; ſummo niſu oppugnat; vt propterea libri illi fuerint à *d* Sidonio Apollinare auidiſſime excepti. Ac profecto ex ea parte, qua conſecutiones illas, quæ ex Auguſtiniæ principiis deducebantur, & conſequenter ipſa Auguſtiniana principia impugnat, nihil exactius dici poteſt. Et ex hac ipſa parte à Gennadio quoq; Maſſilienſi presbytero, deinde epiſcopo laudantur. Is enim recenſens ſcripta ipſius Fauſti, qui ex Abbate Lerinenſi factus fuit Epiſcopus Rhegienſis in Aquitania, inter alia hæc habet; *e* Edidit quoq; opus egregium de gratia Dei qua ſaluamur, in quo opere docet gratiam Dei ſemper & inuitare & præcedere & adiuuare voluntatem: & quicquid ipſa libertas arbitrii de labore piæ mercedis acquiſierit, non eſſe proprium meritum, ſed eſſe gratiæ donum.] Hæc profecto eſt optima doctrina, & perfecte catholica: ſed non defuerunt qui Fauſti verba plura in Pelagianum ſenſum detorſerint. Talis fuit præcipue Ioann. Maxentius in ſua Apologia contra epiſtolam Hormiſdæ Ro. Pontificis ad Poſſeſſorem: habetur tom. 4. Bibliothecæ S. Patrum Margarini edit. 2. *f* Ado quoque Viennenſis eoſdem libros tanquam Pelagianos reprehendit, & contra eos ſcripſiſſe ait Auitum Viennenſem, & in Oriente Ioan. presbyterum Antiochenum. Fulgentius quoque in Africa contra eundẽ ſcripſit. *g* Iſidorus eundem reprehendit, & eoſdem Fauſti lib. Gelaſius inter *h* reiectanea, ſicut & Caſſianum, poſuit; quanquã inter illa opuſcula à Gelaſio reiecta, nonnulla vt optima & plene catholica ab eccleſia ſint poſtea admiſſa. Poſſeſſor nihilominus in Africa Epiſcopus hos Fauſti libros tanquã catholicos eſt amplexus, vt teſtatur Maxentius vbi ſup. Et *i* Hormiſda à Poſſeſſore ſuper dictis Fauſti libris cõſultus, noluit eos damnare, ſed vt legerentur permiſit, ſaluo cuiuſq; orthodoxę fidei iudicio, & in hoc à Maxentio ipſe Hormiſda plurimum reprehenditur, quem tamen ab impetitione Maxentii defendit *k* Baronius. Hæc recenſere volui, nõ vt Fauſti autoritate ſuſpecta vrentes laudem, ſed vt oſtendam quantopere quæſtiones iſtę nouę ab Auguſtino tractatæ, & primum propoſitæ ac definitæ eccleſiaſticos proceres perturbarint: ac ne quis putet Auguſtini ſententiã ſtatim in eccleſia obtinuiſſe, contra quam expreſſa vidimus anathemata in Concil. Arelat. & articulos in Lugdunenſi approbatos & collaudatos, in quo etiam conſentit *l* Baron. Aſſerere enim prædeſtinationem, excluſo labore hominis, i. e. concurſu liberi arbitrii errorem cenſet eſſe primus articulus Arelatenſis. Alios ad mortem, alios ad vitam prædeſtinari, articulus ſextus Lugdunenſis in Lucidi abiuratione errorem pariter in fide agnoſcit, ſicut & primus Lugdunenſis articulus nõ admittit gratiam ſine homine operantem. Quæ ſunt ipſiſſimæ Auguſtini propoſitiones: ſicut & aliæ in iiſdem articulis propter quas nunc quoq; adeo rigide decertatur. Quęnam vero fuerit cõmunis in eccleſia opinio ante Auguſt. de Prædeſtinatione, iã videamus.

c Ibid.

d Apud Baro to. 6. an. 490. n. 13.

e Gennad. de ſcript. eccl. c. 85.

f Ado in Chro. ad an. 492.

g Ibid de viris Illuſt. c. 14.

h Diſt. 15. c. ſancta Romana.

i Hormiſd ep. 67.

k Baro. to. 7. an. 520.

l Baro to. 6 an. 490.

Altera ſane opinio, quam varii varie explicant, & tuentur à me vt commodius & aptius tractanda, omiſſa ingenti varietate explicationũ, ſic explicatur. *Prædeſtinatio ſpecialis, eſt omnium, quos Deus in Chriſtum cũ ope diuinæ gratiæ credituros, atque cum ipſa vera &* CLIV.

viua fide & iuſtitia cum eiuſdem gratiæ bono vſu morituros præſciuit, ab æterno in filios ſuæ adoptionis dilectos, & hæredes regni gloriæ admiſſo, & in libro vitæ deſcriptio. Talem enim ordinem hæc opinio in Deo, noſtro modo intelligendi, concipit: Primum poſt decretum de primo homine in tali ſtatu creando, & poſt preuiſionē lapſus naturæ humanæ totius in ipſo primo homine, ſtatuit eidem toti generi humano opem, vt reſtitui poſſet, afferre; deinde ad hoc Chriſtum præordinauit toti humano generi Redemptorē. Tertio gratiam ſufficientē ex meritis Chriſti pniſis omnibus & ſingulis hominibus ſuis tēporibus paratam deſtinauit, qua quiſq; ex adultis poſſet ſi vellet ipſi Chriſto per viuam fidem vniri. Quarto omnes in genere ſaluare decreuit, quotcunq; in Chriſtum eſſent credituri, eiq; fide viua adhærentes morituri: Quinto ſingulos quos per bonum vſum gratiæ iam dictæ ſic credituros præſciuit, in libro vitæ deſcripſit, & ſuā cuiq; gloriam eſſentialem in regno ſuo æterno deſignauit: & hæc eſt ipſa prædeſtinatio in hac ſecunda opinione, quam iam aliquanto plenius ſumimus explicandam.

CLV. Eſt ergo, ſecundum hanc opinionem, prædeſtinatio ipſamet præſcientia cum approbatione; *a Quos enim præſciuit & prædeſtinauit* inquit Paulus, *conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*] Id eſt, quos præſciuit diuinæ gratiæ & vocationi conſtanter parituros, hos ille decreuit in filios adoptiuos admittere, & conſequenter in fratres Chriſti, vt ſint conformes imaginis ipſius, hoc eſt non vt fiant veri filij naturales Dei, vt erat Chriſtus, ſed conformes imagini eius, hoc eſt aliam haberent filiationem, per quam ſimiles eſſent ei, fratres nimirum ipſius non naturales ſed adoptiui, vt ita Chriſtus ſit primogenitus in multis fratribus. Dixerat Paulus, *b Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat;* hoc eſt, vt tādem illi, quos Deus ab æterno ex iam dicta præſcientia *c* prædeſtinauit in adoptionem filiorum, reuelentur in facto ipſo, & appareant quinam ſint iſti. Actualem vero admiſſionem horum prędeſtinatorum, & adoptionem in filios à Deo ab æterno poſt præſcientiam deſignatorum, non niſi in gloria cæleſti expectat Paulus: *d Et ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.*] Quando videlicet *e* corruptibile hoc induerit incorruptionem. Eſt ergo in Paulo prædeſtinatio adoptio ipſa deſignata à Deo, danda in gloria illis quos præſciuit bene vſuros gratia communi, ex mera miſericordia gratis omnibus danda, & tunc fient conformes imagini filij, quando per hanc actualem adoptionem in gloriam, aſſequentur ſimilitudinariam illā cum Chriſto ex adoptione fraternitatem. Et in eadem Epiſtola Paulus prædeſtinationē expreſſe vocat præſcientiam: *f Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit.* id eſt ex Iudęis ſaluos fecit, & in filios adoptauit, *g cohæredes Regni cum Chriſto*, eos, quos præſciuit in Chriſtum credituros. Tanta enim eſt colligatio prędeſtinationis, ſeu adoptionis in filios in mente diuina deſignatæ ab æterno, cum præſcientia crediturorum, vt hæc ipſa pręſcientia pro ipſa prædeſtinatione accipiatur; Talem enim præſcientiam ſequitur ex diuina bonitate etiam prædeſtinatio. Et hæc omnia multo melius in ſolutione oppoſitionum fient manifeſta. Atque hæc noſtra expoſitio plurimum hæret literæ, nec vllam penitus in ſe habet violentiam, abſurditatemue continet. Qui vero per præſcientiam, quæ præcedat prædeſtinationem, *h intelligunt ſcientiam quandam approbationis, nimirum quos præſciuit, hoc eſt,* inquiunt, *quos dilexit, quos voluit.*] neq; literam ſequuntur, neque planam, omniq; violentia carentem afferunt interpretationem. Nam profecto præſcire ex vi verbi nunquam ſignificabit approbare, diligere, velle: Et hoc ipſum approbare aliquem, velle illum, & diligere eſt ipſum prædeſtinare, at vero Paulus præſcientiam ponit vt actum diuinum, qui actum prædeſtinandi, noſtro modo intelligendi, antecedat. Vbi vero dicitur in Scriptura, *i Cognouit Dominus qui ſunt eius;* & *k Non noui vos* & *l Cognoſco oues meas;* Et, *m Nouit Dominus viam iuſtorum.* profecto non eſt idē quod præſcire, ſed aliquid multo poſterius. Præſcientia enim illa quam Paulus ponit, vt præcedentem prędeſtinationi, eſt ab æterno de hominibus futuris; at vero hæc loca continent cognitionem Dei de hominibus iam exiſtentibus: quos vt iam exiſtētes nouit eſſe illos ſuos quos nondum exiſtentes præſciuit futuros eſſe ſuos, & prædeſtinauit adoptauitq; non actu & executione, ſed mentis deſignatione in ſuos. Et de hac cognitione ſuorum iam actu exiſtētium non poteſt dici quod ſit illa præſcientia quæ prædeſtinationem præcedit: imo neque dum hos Deus ita cognoſcit, poteſt dici eos præſcire: neque dum eos ante prædeſtinationem pręſcit, poteſt dici eos ſic vel ſcire, vel cognoſcere.

a Rom. 8. 29.
b Ibid. 1. 19.
c Eph. 1. 5.
d Ro. 8. 23.
e 1. Cor. 15. 54.
f Ro. 11. 2.
g Ro. 8. 29.
h Bellar. de gra. & lib. arb. l. 2. c. 13.
i 2. Tim. 2. 19
k Matt. 25. 12.
l Ioan 10. 14.
m Pſ. 1. 6.

CLVI. Probatur hæc opinio primum ex ſcripturis: Præter locum celeberrimum Pauli, quem pro fundamento huius opinionis ſupra poſuimus, adduntur alia ſimilia. Petrus ſcribit ad electos ex variis prouinciis, *n Secundum præſcientiam*, inquit, *Dei Patris in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis IESV Chriſti.*] Atq; hi erant profecto Iudæi, de quibus Paulus dixerat, Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit. Et Petrus idem confirmat, eos eſſe electos ſecundum præſcientiam. Quæ vero alia præſcientia niſi ipſorum fidei? Iacobus vero ita ſcribit, *o Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes Regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?*] Elegit iam diuites in fide, ad quid elegit? vt eſſent hæredes Regni. Cui vero Deus prædeſtinauit vt Regno æterno frueretur? Diligentibus ſe. Apoſtolos ergo elegit quos præuidit credituros & dilecturos: *& p orat non ſolum pro Apoſtolis, ſed etiam pro iis, qui eſſent credituri per verbum eorum.* Illi ergo prædeſtinati, qui credunt.

n 1. Pet. 1. 2.
o Iacob. 2. 5.
p Io. 17. 20.

CLVII. Chriſtus Dominus in talentorum *q* parabola ſatis hoc ipſum innuit: diſtribuit talenta, vt iis bene vtantur: illos remunerat variis præfecturis, quos poſt reditum ad eos, ſupputatis rationibus, pecunia bene vſos, & lucrum aſſecuturos inuenit. Excludit vero ab omni præmio & dignitate ſeruum torpentem, qui ex talentis nullum fecit lucrum. Significatio parabolæ mihi eā videtur optima, vt talenta ſint gratia ſufficiens. Hanc igitur gratiam omnibus & ſingulis ſeruis ſuis, vnicuique ſecundum propriam virtutem, (gratia enim communis, lata & abundans eſt) prout itaque quis habet naturam magis vel minus rebellem, ſiquidem ſunt, qui *r ſortiti ſunt animam bonam*, ita minori maiorive egent auxilio ad proficiendum in ſpiritualibus; & Dominus peregre proficiſcitur, quod eſt, vt de alia ſimili Domini peregrinatione vult *ſ* Hieronymus, committere homini negotium ſuæ ſalutis vt iam id ſuo libero pergat arbitrio. Vidit Bellarminus verba illa (*ſecundum propriam virtutem*) includere naturales liberi arbitrij propenſiones, & Deum dare gratiam neceſſariam prout cuiuſque natura videtur poſtulare, & conſequenter iuxta bonum

q Matt. 25. 14.
r Sap. 8. 19.
ſ Hiero. in Matt. c. [illegible]

vſum huius gratiæ homines prędeſtinari maluit per quædam in Scriptura penitus ignota miracula naturam quoq; ipſam ſubdere prædeſtinationi, quam prædeſtinationem pro ſua parte naturali operationi.

a Bella. vbi ſupra c. 13.

a *Vidit* inquit, *Deus, ſi talem prædeſtinaret, eum talis eſſe naturæ, vt parum aptus videatur ad id ad quod eligitur, ſed in arbitrio eius fuit vel eum non prædeſtinare, vel alio modo eius temperare naturam; vel naturam quocunq; modo diſpoſitam corrigere, atq; emendare per gratiam: atq; ita cū eum prædeſtinauit ſimul conſtituit vt eum natura tum gratia, & quicquid illi vnquam accidere poſſet ei cooperaretur in bonum.*] Mirum profectò quod Deus reſpuat, & à prædeſtinatione reiiciat aliquem propter naturales complexiones; aut quod gratia corrigat defectus non tantum voluntatis, ſed etiam naturæ, & complexionis; & prædeſtinatum ſi rudis ſit & obtuſus, adeo vt myſteria fidei neceſſaria percipere non poſſit, per gratiam acumen naturale ingenij percepturum, & organorum naturalium intemperiem à gratia eſſe corrigendam.

CLVIII. Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribere iubetur Ioannes hæc verba: b *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*] Si corona poteſt amitti per malum vſum liberi arbitrij, certe ad coronam nemo prędeſtinatus eſt, niſi ex præuiſo bono vſu eiuſdem: niſi fallacem quis, & mutabilem ponat prædeſtinationem.

b Apoc. 3. 11.

c Bellar. ib.

Reſpondet Bellarminus ex Thoma, c *Corona gloriæ duplici titulo debetur, vno prædeſtinationis, altero meritorum: quæ priori titulo debetur, amitti non poteſt: ſecus vero quæ poſteriori: & de hac Apocalypſis verba eſſe intelligenda.*] Inutile tamen eſt hoc ſubterfugium. Scriptura ibi monet, ne fidem Eccleſia illa amittat, *Seruaſti verbum meum, & non negaſti — ſeruaſti verbum patientiæ meæ — tene quod habes*] Corona autem quę fidei promittitur eſt ipſa corona eſſentialis, quam Deus credentibus prædeſtinauit, & ſermo hic non eſt de augmento gloriæ. Ideo affert aliam ex Auguſtino ſolutionem, nempe, corona hæc eſt inamiſſibilis, tamen vt non amittatur, Deus efficit variis modis. Horum vnus eſt dum timores, & terrores ingeruntur prædeſtinato, quibus in eo ſolicitudo & vigilãtia excitatur, *quia re vera* (inquit Bellarminus) *ſi prædeſtinatus non perſeuerat tenendo iuſtitiam ſuam amitteret coronam ſuam; ſed hac admonitione, & comminatione perterritus is, cui adhuc incerta eſt prædeſtinatio ſua, tenebit ſine dubio fortiſſime quod habet, & eo modo tandem perueniet ad coronam quam non habet.*] Sed profectò hi terrores cum moraliter tantum moueant liberum arbitrium, & non neceſſario, illudq; propterea his terroribus excitetur, vt libere ſibi caueat, certe gratis dicitur quenquã his terroribus fortiſſime id quod habet retenturum, niſi tales terrores liberi arbitrij vſum impediant, quod quis aſſeret? Sicut igitur perſeuerantia hic à libero arbitrio pẽdere oſtenditur; ita p̄deſtinationem ab eodem pendere neceſſe eſt, qui enim talibus terroribus contemptis deſerit fidem, is certe cum præſcitus fuerit non perſeueraturus, neq; prædeſtinatus fuit; qui vero talibus terroribus in fide detinetur, quia præuiſus fuit id facturus, fuit etiam prædeſtinatus: merito ergo monetur vt fidẽ teneat, ne amittat coronam: quia nimirum poteſt amittere coronam cum ſit in ipſius poteſtate etiam fidem deſerere.

d 2. Tim. 2. 5.

d *Non coronabitur niſi qui legitime certauerit.* Cum autem prædeſtinatio coronam deſtinet, certe non niſi poſt pręuiſum certamen deſtinabitur. Aut quis dicet coronam ante omnia deſtinari in prædeſtinatione, ſed ſimul etiam certamen vnicuiq; coronando eadem prædeſtinatione deputari, per quod perueniat ad coronam; ſed hoc dici nequit, nam certamina ſunt omnibus, & non ſolis prædeſtinatis parata; e *Militia enim eſt vita hominis ſuper terram.*

e Iob. 7. 1.

Et Paulus omnibus indifferenter perſuadet, *vt ſumant arma ad certandum*, & in vniuſcuiuſque poteſtate ait eſſe, vt vel debellet peccatum, & ſic fiat ſeruus iuſtitiæ; vel debellatus à peccato peccati ſeruus maneat. f *Exhibete mẽbra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.*] Quinam ſunt, obſecro, qui proprie ſancti ſunt, ſeu ſanctificati? nonne prædeſtinati? at vero ſanctificationem præcedit voluntaria profectò exhibitio, qua inuitantur omnes, vt ſubdant ſe iuſtitiæ, & priſtinas debellent in ſe, ac expugnent iniquitates; & hanc debellationem ac exhibitionẽ poſtulat Paulus, non tanquam actum diuinum quẽ operetur Deus in nobis ſine nobis, ſed humanum, inquit eſt hoc quod pero, in veſtra poteſtate eſt, facile id poteſtis, gratiam enim neceſſariam, & ſufficientem omnibus adeſſe paratiſſimam non ignorabat.

f Rom. 6. 19.

CLIX. Celebris pro hac ſecunda opinione eſt locus Pauli vbi ait. g *In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: Et quædam quidẽ in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis erit vas in honorem ſanctificatum & vtile Domino ad omne opus bonum paratum.*] Poteſt ergo ille, qui alioquin inter reprobos eſſet numerandus, & inter vaſa immunda ac contumelioſa reponendus, ſe à ſordibus mundare, & fieri vas mundum, honoratum, & ſanctificatum, & conſequenter inter prædeſtinatos erit qui ſe à ſordibus & omni immunditie purgauit. Opinionis primæ tamen ſequaces huic loco ſuas apponunt interpretationes, quæ mihi videntur eſſe valde violentæ, & diſtortæ. Aliqui intelligunt hęc de prædeſtinato iam fideli, & iuſtificato, qui prolapſus ſit in peccatum, atque ita ſit vas in contumeliam, non niſi ad tempus, & ipſum, ſi ſe à peccato mundauerit, futurum denuo vas in honorem. Sed verba Pauli ſunt: *ſi emũdauerit ſe*, quæ ſignificant libertatem voluntatis: at ſtare non poteſt vt prædeſtinatus ſit in periculo non ſe emundandi, in quali periculo ſunt illi de quibus ait Paulus, *ſi ſe emundauerit*, non ergo ideo ſe emundant, & à peccato ſurgunt denuo, quia prædeſtinati; ſed illi prædeſtinati qui ſe erant emundaturi; neque ideo quia ſunt vaſa in honorem emundant ſe à ſordibus per quas erant vaſa in contumeliam, ſed illi qui ab illis ſordibus & contumeliis ſe emundarunt, facti ſunt vaſa in honorem.

g 2. Tim. 2. 20.

h Bellar. de Gra. & lib. arb. l. 2. c. 13.

h Bellarminus locum explicat, *vt in eo non dicantur vaſa, quæ erant in contumeliam fieri per emundationem vaſa in honorem tanquam à ſigno, vbi quis emundat ſe ab iſtis, hoc eſt* inquit, *qui diligenter euitant peccata, & præſertim hæreſes: nam & Paulus ante nominarat hæreticos duos Hymenæum & Philetum, quos vitandos eſſe monebat.*] Sed hæc etiam eſt violentiſſima interpretatio. Poſtquam enim Paulus dixit in magna domo eſſe vaſa & pretioſa, aurea, & argentea; & viliora, lignea ac fictilia; ac rurſus ex ligneis & fictilibus alia eſſe in honorem, alia in contumeliam, ſtatim ſubdit, Si quis emundauerit ſe ab iſtis, id eſt, à ſordibus, & contumelioſis, poſſe illum ex vaſe cõtumeliæ fieri, ſiue eſſe vas honoratum, & ſanctificatum; & eſt cauillus verbum, eſſe, interpretari, pro cognoſci. Eadem vaſorum ſimilitudine vſus eſt Paulus in eadem ferme materia etiam in epiſtola ad Romanos: in qua vt infra explicabo, vaſa honoris fuiſſe multo tempore Iudæos, ſignificat, & contra fuiſſe vaſa contumeliæ gentiles. Poſtea vero rem eſſe inuerſam, quia ita figulo placuit. Nunc vero in hoc quem præ manibus habemus loco conſequenter ad ſuam ſimilitudinem ſignificat etiam Iudæos, qui ex ipſorum obſtinatione deſeri meruerunt, & gen-

& gentibus Chriſtum acceptantibus poſtponi, & conſequenter fieri ex vaſis honoris vaſa contumeliæ, ſimul vero quoque alios Gentiles qui nondum crediderant eſſe vaſa contumeliæ, poſſe tamen vtroſque, ſi velint, ſe emundare, credere, & ſanctificari. Sic enim intelligit a Chryſoſtomus [a Chryſ. in 2. Tim. ho. 6.] *magnam domum eſſe mundum totum, non Eccleſiam,* in qua Paulus non libenter poneret vaſa contumeliæ.

CLX. Abrahæ electio celeberrima fuit, ex præuiſione eorum quæ ipſe facturus eſſet pro Deo. b [b Gen. 18. 18.] *Benedicendæ in illo ſunt omnes nationes terræ. Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam.*] Item, c [c Gen. 22. 16.] *Per memetipſum iuraui,* dicit Dominus, *quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi.*] Et ad Iſaac ſic loquitur Deus, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea & ceremonias, legeſque ſeruauerit.*] Has vero benedictiones ad prædeſtinationem horum Patriarcharum pertinere, nemo puto negabit. Eos autem in ſuos charos elegit Deus, & iam fundamentum primum magnæ Eccleſiæ viſibilis ex præuiſa eorum obedientia, & ſolicitudine in obſequiis diuinis collocauit.

CLXI. d [a Iſa. 5. 1.] *Vinea Domini dilecta domus Iſrael cur reprobata à Deo? cur ablata ei ſepes? cur direpta maceries? cur data in direptionem & conculcationem?* An quia non habuit efficacem gratiam? an quia relicta in maſſa perditionis? & tamen Deus ſepiuit eam, lapides elegit ex illa, plantauit eam electam, ædificauit turrim; poſuit torcular; ac tandem, quid eſt, inquit Dominus, quod debui facere vltra vineæ meæ & non feci? A me, inquir, habuit quicquid ſatis, ſuperque poterat eſſe vt bonas vuas produceret; prædeſtinatorum coronam acciperet: illa tamen ex ſua libertate vti noluit mea gratia, quæ tanta fuit vt nulla alia vlterior gratia ei fuerit abſolute neceſſaria: quid eſt quod debui vltra facere, & non feci? Illa ergo erat ſufficientiſſima, & per ſolam voluntatem vineæ ſtetit, quominus gratia illa efficax fuerit, & Deus ſe dicit expectaſſe vt faceret vuas, & ſic eam vt bonam vineam ſuam diligeret; & foueret. Expectat ergo Deus poſt datam gratiam ſufficientem, quæ de ſe efficax eſſe poſſit, ſi quis ea vtatur; & liberum arbitrium ad bonos fructus faciendos ſe beneficio gratiæ iam oblatæ; conuertat, & tunc in eo ſuam fouet gratiam: ſi vero ad malum conuertatur; tunc ipſum deſerit; deſtruit maceriam; permittit ita decidat in peccata, & ſic in vltimam perditionem. Huic loco ſimilis eſt alius quoque in eodem Propheta, vbi ait, e [e Iſa. 30. 18.] *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.*] Antequam miſereatur expectat; quid quæſo expectat? bonum vſum liberi arbitrij: & hoc ipſum expectare eſt gratia; ſed præueniens: de qua ſic Paulus, f [f Rom. 2. 4.] *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*] Expectat ergo Deus, & expectando vocat, & inuitat, ſed tamen expectat; at expectari non eſt dicendus, qui venire ex ſe non poteſt niſi trahatur. Sicut ergo in facto prædeſtinationis executio eſt vt libere & voluntarie acceſſuri expectentur, & ſi venerint in filios adoptentur; ita quando in diuina mente fit prædeſtinatio, præcedit in præſcientia illa expectatio; & qui præuidentur venire, prædeſtinantur.

CLXII. Huc ſpectant omnia Scripturæ loca, in quibus liberum arbitrium verum, & proprium vel expreſſe ponitur, vel ſupponitur in prima hominis conuerſione, quæ ſupra protuli. numer. 73. Huc omnia quæ ſufficientem gratiam omnibus paratam eſſe docent, atque adeo ſufficientem, vt ad hominis cuiuſque conuerſionem alia non ſit neceſſaria. Conſulamus Patres. Ac primum occurrit nobis Tertullianus. g [g Tertull. de patient.] *Deus,* inquit, *nullum ſibi adhærere volentem non ſuſcipit.*] Non cogitabat igitur Tertullianus, Deum nolle vt aliqui velint ei adhærere, & omnino obſtare ne velint; ſed Deum expectare motum liberi arbitrij. At vero clarius Origenes: h [h Orig. l. 3. c. 1. de pri.] *Ergo qui ſe emundauerit,* inquit, *efficitur vas ad honorem: qui autem immunditias purgare contempſerit, efficitur vas ad contumeliam. Ex quibus ſententiis nullatenus (vt opinor) cauſa geſtorum ad Creatorem referri poteſt. Nam facit quidem Creator Deus quoddam vas ad honorem, & facit alia vaſa ad contumeliam: ſed illud vas quod ſe purgauit ab omni immunditia, illud facit vas ad honorem: quod vero vitiorum ſordibus ſe maculauerit, illud vas ad contumeliam facit. Itaque concluditur ex hoc, quia prius geſtorum vniuſcuiuſque cauſa præcedit, & pro meritis ſuis vnuſquiſque vel honoris vas efficitur, vel contumeliæ. Vnde vnumquodque igitur vas, vt vel ad honorem à Creatore formetur, vel ad contumeliam, ex ſe ipſo cauſas & occaſiones præſtitit conditori. Quod ſi iuſta hæc videtur aſſenſio, ſicut eſt certe iuſta, & cum omni pietate concordans, vti ex præcedentibus cauſis vnumquodque vas vel ad honorem Deo, vel ad contumeliam præparetur: non videtur abſurdum eodem ordine, atque eadem conſequentia diſcutientes nos antiquiores cauſas eadem etiam de animarum ratione ſentire, & hoc eſſe in cauſa quod Iacob dilectus eſt, etiam dum adhuc in ventre matris haberetur. Sed & illud quod dictum eſt, quod ex eadem maſſa & honoris & contumeliæ vas fiat, non nos poterit coarctare: vnam etenim naturam omnium eſſe dicimus rationabilium animarum, ſicut vna luti maſſa ſubiacere figulo deſignatur. Cum ergo vna omnium ſit natura rationabilium creaturarum, ex ipſa Deus ſecundum præcedentes meritorum cauſas, ſicut ex vna maſſa figulus creauit & plaſmauit, alios quidem ad honorem, alios autem ad contumeliam.*] Hæc Origenes.

CLXIII. Item rurſus, i [i Orig. in ep. ad Ro. lib. 1.] *Nos autem dicimus,* inquit, *quod neque Paulus fortuito, aut naturali differentia electus eſt, ſed electionis ſuæ cauſas in ſemetipſo dedit ei, qui ſcit omnia antequam fiant; neque peccatores qui ſeparantur à ventre, iudicij iniquitate ſeparantur. Denique ſtatim in ſequentibus vide quid de eis dicat ſermo diuinus. Scriptum eſt enim. Segregati ſunt peccatores ab vtero, errauerunt à ventre, locuti ſunt falſa. Si intelligamus, quomodo ſtatim vt de ventre matris procedunt peccatores, errauerunt, vel locuti ſunt falſa, pariter intelligimus quod iuſti ſeparantur à ventre. Ergo & Paulus quod ſegregatus in Euangelium dicitur, & ſegregatus à ventre matris ſuæ, cauſas in eo & merita quibus in hoc ſegregari deberet vidit ille, quem non latet mens. Præuidit enim quod abundantius quam cæteri omnes laboraturus eſſet in Euangelio; quod in fame & ſiti in frigore & nuditate, & periculis latronum, periculis fluminum, periculis maris prædicaturus eſſet Euangelium Chriſti: ſciens quod væ eſſet ſibi, ſi non euangelizaret; & quod maceraturus eſſet corpus ſuum, & ſeruituti ſubiecturus; ne forte cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. Hæc ergo, & his ſimilia, & alia multa in eo de ventre matris præuidens IESVS, pro his ſegregauit eum in Euangelium. Si enim (vt hæretici putant) vel ſortis incerto, vel natura melioris prærogatiua fuiſſet electus, nunquam vtique timuiſſet, ne ſi minus corporis ſui fræna tenuiſſet, euenire poſſet vt reprobus fieret, vel væ ſibi eſſet futurum ſi euangelizare*

ceſſaret. Deniq; & ipſe in conſequentibus latius differens ait, Quia quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui; euidenter oſtendens, quod eos quos præſciuit Deus tales futuros, vt Chriſto ſe in paſſionibus conformarent, ipſos etiam conformes ac ſimiles imaginis eius prædeſtinauit & gloriæ. Præcedit ergo præſcientia Dei per quam noſcuntur, qui in ſe labores & virtutes habituri ſint, & ita prædeſtinatio ſequitur, nec tamen rurſus prædeſtinationis cauſa putabitur præſcientia.] Hactenus Origenes; qui ex præſcientia apertiſſime ponit prædeſtinationem: non tamen præſcientiam vult eſſe cauſam prædeſtinationis.

CLXIV. Chryſoſtomus illud Chriſti, *a* venite benedicti, explicans ait: *b Nam, antequam nati eſſetis, quia ſciebam vos huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere, &c.*] Item alibi, *c Si igitur omnes peccauerunt, quo tandem pacto alij ſeruati ſunt, alij autem perditi? nempe quod non omnes accedere voluerunt: nam quod quidem ad illum ſpectat ſalui omnes effecti ſunt, etenim vocati ſunt omnes.*] Item in ea Pauli verba ex Iſaia: *d* Si fuerit numerus filiorum Iſrael vt arena maris, reliquiæ ſaluæ fient, hæc profert, *e Vides vt ille etiam non omnes ait ſaluos fieri, ſed eos qui ſalute digni ſunt. Neq; enim multitudinem, ait, moror, neq; vereor genus hoc effuſum; ſed illos ſalutis dono tantum qui ſe ipſos dignos præſtant.*] Item in illa Pauli verba, *f* Deus populum ſuum non repulit, quem præſciuit, hæc habet, *g quem iam olim cognouerat aptum fore, fidemque recepturum.*] Eandem præſcientiã præmittit *h* Chryſoſtomus prędeſtinationi, vbi explicat ea Pauli verba, *i In quo etiam nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius.*] Et de Matthæi vocatione, ait, *k Admiratus huius pulchritudinem illum elegit, voluntatiſq; nobilitati ſuam cum adiunxiſſet gratiam probatum eſſe illum pronunciauit.*]

a Matt. 25. 34. *b* Chryſ. in Matt. ho. 80. *c* Idem in ep. ad Ro. hom 16. *d* Iſa. 10. 22 & Oſee 1. 10 & Ro. 9. 26. 27. *e* Chryſ. eadem hom. 16. *f* Rom. 11. 2. *g* Idem ad Ro. ho. 18. *h* Idem ad Eph ho. 1. *i* Eph. 1. 11. *k* Chryſ. ho. 31. in Matt.

CLXV. Ambroſius explicans illa Chriſti verba, *l Non eſt meum dare vobis* ita ſcribit, *m Non eſt meum, qui iuſtitiã ſeruo, non gratiam: Deniq; ad Patrem referens, addidit; Quibus paratum eſt, vt oſtenderet Patrem quoq; non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis: quia Deus perſonarum acceptor non eſt: vnde & Apoſtolus ait: quos præſciuit, & prædeſtinauit: non enim ante prædeſtinauit, quam præſciuit, ſed quorum præmia prædeſtinauit.*] Aliquid ſimile etiam habet ſuper illa pſalmi verba *n* Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. *Nos, ait, debere præuenire Deum antequam dicat Ecce adſum.*] Idem quoque Ambroſius ſeu quis alius certe Autor antiquus, & bonæ fidei in Eccleſia, ita ſcribit: *o Illi ſecundum propoſitum vocantur quos credentes præſciuit Deus vt antequam crederent ſcirentur. Quos enim præſciuit ſibi deuotos futuros, ipſos elegit ad æterna præmia.*] Item: *p Eius miſerebor, quem præſciui poſt errorem recto corde reuerſurum ad me.*] Violentas & ſatis coactas horum poſteriorum dictorum interpretationes apud *q* Bellarminum prudẽs lector diiudicet.

l Matt. 20. 23. *m* Ambro. li. 5. de fide c 3. *n* Idem in pſ. 118. 148. Octon. 19. *o* Ambroſ. in ep ad Rom. c 8. *p* Ibid. in cap. 9. *q* Bellar. de gra. & lib. arb. l. 2.

CLXVI. Hieronymus, *r Vaſa, ait, miſericordiæ non ſolum populus gẽtium eſt, ſed etiam qui ex Iudæis credere voluerint.*] Item: *ſ Ex Dei præſcientia euenit, vt quem ſcit iuſtum futurum, prius diligat quam oriatur ex vtero.* Hæc ad iuſtificationem reducit *t* Bellarminus *elegit*, inquit, *Deus ad iuſtificationem quos præuidet credituros; ſed illos præuidet credituros, quibus fidem ſe donaturum eſſe præuouit; ſic diligit Deus quos præſcit iuſtos futuros, ſed illos præſcit iuſtos futuros, quos prius dilexit vt iuſtificaret.*] Sed certe Hieronymus ex præuiſione fidei, loco priore, vaſa miſericordiæ fieri aſſerit, quod eſt prædeſtinari. Poſteriori vero loco, conſiderans ea Pauli verba, *u* Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ; obiicit ſibi hæreſim Manichæorum, qui hinc aſſerebant homines naſci alios bonos ad bonum, alios malos ad malũ: & dicebant: quomodo iuſtus eligeretur antequam quicquam boni faceret, aut peccator odiretur ante delictum, niſi eſſet pereuntium, & ſaluandorum natura diuerſa? *Ad quod*, inquit Hieronymus, *poteſt ſimpliciter reſponderi, hoc ex Dei præſcientia euenire: vt quem ſcit iuſtum futurum, prius diligat quam oriatur ex vtero: & quem peccatorem, oderit antequam peccet. Non quo & in amore & in odio iniquitas Dei ſit, ſed quod non aliter eos habere debeat, quos ſcit vel peccatores futuros eſſe vel iuſtos: Non vt homines tantum de præſentibus iudicare: illum cui futura iam facta ſunt, de fine rerum, non de exordiis ferre ſententiam. Et hæc quidem ſimplicius dicta ſunt, & abſque altiori diſſertione poſſunt vtcunq; placere lectori.*] Obiectio itaque Manichęorum ad prędeſtinationem, & reprobationem directe pertinebat; eos enim qui ex natura boni eſſent inter electos reponebant; inter reprobos vero eos qui malam haberent naturam. At Hieronymus, vt hunc eis Pauli locum ſubtraheret, ad præſcientiam recurrit, & ait, diligitur aliquis antequam vllum bonum in actu ipſo faciat, quia Deus præſcit illum iuſtum futurum: odio habetur alius ante delictum, quia Deus pręſcit illum peccatorem futurum. Clarum ergo eſt Hieronymum directe de prædeſtinatione, & reprobatione, non de iuſtificatione ſola loqui. Interpretatio vero Bellarmini turpem circulum Hieronymo appingit, ac ſi diceret Hieronymus, Deus prædeſtinauit illos, & nõ alios, quos credituros, & iuſtos futuros prænouit: illos autem prænouit credituros, & iuſtos futuros quos prędeſtinauit. Optime vero innuebat Hieronymus hæc profunda diuinorum Conſiliorum myſteria non eſſe penitus ad viuum reſecanda, neque curioſius indaganda.

r Hier. ad Hedib. q. 10. *ſ* Idem in ep. ad Gal. c 1. *t* Bella. vbi ſup. *u* Gal. 1. 15.

Beda quoq; his aſſentitur. Ait enim, *x Prædeſtinatio Dei nulla vi cogit nos ad bonum, vel ad malum: ſed Deus apud quem non eſt transmutatio, neq; viciſſitudinis obumbratio, ab æterno ea quæ ſunt futura nobis in conſpectu ſuo præſentia habuit; & quales nos, aut ex noſtra prauitate, aut ex iuſtitia, ſibi tales præſentauit, vt præſentes diiudicauit.— Si ergo in conſpectu eius ſemper fuimus, & præſentialiter nos videt, quales aut ex ipſo futuri eſſemus in bonum, aut non ex ipſo, ſed ex nobis futuri eſſemus in malum, non immeritos fecit: ſi enim diuerſa videns merita, diuerſa etiam nobis retribuet præmia.*] Prædeſtinationem Beda aperte ex præuiſione boni vſus diuinæ gratiæ totam pendere intelligit, & tamen Beda poſt tempora Pelagiana ſcribebat: & Auguſtini doctrinam perfecte viderat, legerat, & conſiderauerat, ſed eam ſibi ſequendam eſſe non putauit. CLXVII.

x Beda lib. var. quæſt. q. 15.

Auguſtinum ſane priorem opinionem huic ſecũdæ contrariam non modo tenuiſſe & docuiſſe planum eſt, ſed etiam primum inueniſſe, excogitaſſe, & propoſuiſſe. Nihilominus tamen tanta eſt in illa opinione difficultas, & tanta in hac ſecunda facilitas, & claritas, vt in explicationibus ipſius ſuæ opinionis frequenter ea admiſcuerit Auguſtinus veritatis luce compulſus, quæ prędeſtinationem ad antiquum priſcorum Patrum, & totius Eccleſiæ ſenſum tenendam, & docendam eſſe conuincãt. Quomodo Deus operaretur in nobis ipſum primum velle bonum, & credere, vbi explicandum fuit ſæpius Auguſtino, nihil aliud poſuit niſi gratiam excitantem, vocantem, illuminantem, præuenientem, quę diſponunt tantummodo hominem, & habilẽ reddunt ad credendum, non tamen phyſice ſeu effectiue voluntatem mouent ad credendum, vt ſupra num. 42. 43. ſed poſt præuenientem gratiam expectari à Deo motum perfecte liberum voluntatis, antequam hominem prædeſtinet innuit, ac ferme exprimit ſæpius ipſe Auguſtinus. Ac primum in ipſa definitione ſuæ prædeſtinationis non potuit non CLXVIII.

ponere ipſam præſcientiam; *a Prædeſtinatio*, inquit, *eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei.*] At certe præparare alicui beneficium quo perueniat infallibiliter ad ſalutem, eſt prædefinire, & prædeterminare fidem & opera, per quæ ille perueniat ad ſalutem; & in hac prædefinitione, ac prædeterminatione conſiſtit prædeſtinatio: præſcientia vero eſt aliquid poſterius: ſtare ergo non poteſt vt prædeſtinatio ſit præſcientia, niſi in ſenſu huius ſecundæ opinionis; ſicut & quando ait, *b In ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere id omnino, neque aliud quicquam eſt, niſi prædeſtinare.*] Quis poteſt capere quo pacto per præſcientiam diſponat Deus ſua opera, quæ ipſe ſit facturus? Hoc quidem erit prouidentiæ, ſed non præſcientiæ: vnde & Autor Hypognoſtici *c* prædeſtinationem ad prouidentiam, & præordinationem, non ad præſcientiam reducit. Poſt præſcientiam quidẽ futurorum, noſtro modo intelligendi, diuinæ prouidentiæ eſt illa ordinare, & diſponere, iuxta ſuæ vel miſericordiæ, vel iuſtitiæ beneplacitum. Sed præſcire, & præordinare nunquam erunt idem: At Bellarminus ait, *d Prædeſtinare in Auguſtino eſt præſcire quibus mediis infallibiliter certi homines ſaluari poſſint, & velle efficaciter ea media præparare*] Et hoc eſt, quod magna ex parte ſecunda hæc opinio cõtedit; Deum ſiue media quadam ſcientia inter liberam & neceſſariam, de qua infra: ſiue alia ſimili antequam quemquam prædeſtinat; præuidere, quid ſit facturus quiſque ſuo libero arbitrio, ſi talia & talia media ei præparentur, & offerantur. Si enim Deus vult præſcire quibus ille mediis mouendus ſit infallibiliter; debet præuidere motum & aſſenſum liberi arbitrij, quod ſub talibus, & non ſub aliis conditionibus ſit ſe infallibiliter determinaturum, ſed libere, & cum plena libertate. Quod ſi Deus intendat velle illud mouere ſua virtute, & facere vt omnino aſſentiatur, præſcientia nulla eſt neceſſaria, ſed ſatis eſt prædefinire ſe velle illum & illum, illo & illo tempore efficaciter mouere; & hæc prædeſtinatio & præordinatio, non eſt præſcientia, vt patet. Quandiu etiã Auguſtinus ſenſit cum Patribus, profecto idem ſenſit; dixerat enim, *e Non omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt: hoc enim propoſitum ad præſcientiã, & ad prædeſtinationem Dei pertinet: nec prædeſtinauit aliquem, niſi quem præſciuit crediturum, & ſecuturum eſſe ſanctorum vocationem, quos & electos dicit.*] Quæ poſtea videtur *f* retractaſſe.] Quis vero, obſecro, hos Patres tam expreſſe loquentes, & hanc ſecundam docentes opinionem Pelagianæ hæreſis audeat condẽnare? qui illa ipſa ſacræ Scripturæ loca, ex quibus Auguſtinus ſuam ſibi perſuaſit opinionem, & aduerterunt, & conſiderauerunt, & pro neceſſitate gratiæ explicarunt, ita tamen vt integrum maneret liberũ arbitrium, ex cuius cooperationis præuiſione prædeſtinationem pẽdere aſſerunt. Adduntur pro hac ſecunda opinione etiam rationes.

a Aug. de bono perſeu. c. 14.
b Ibid. c. 7.
c Aug. Hypogno. l. 6.
d Bellar. de gra. & lib. arb. l. 2. c. 9. & 15.
e Aug. expoſ. quarundam propoſ. ex ep. ad Rõ. n. 15.
f Idem Retract. l. 1. c. 23. & de præd. ſan. ca. 3.

CLXIX. Prima ratio: Quia in hac opinione liberum arbitrium ſemper manet in homine, & ſimul etiam gratiæ ſaluatur neceſſitas, dignitas, & operatio, vt patet in præcedentibus; opinio ergo eſt bona, & tenenda. Secunda ratio, quia integra in ſuo plano ſenſu ſaluatur Apoſtoli propoſitio, *g* Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, quæ propoſitio cum ſit axioma nobiliſſimum, in ſuo ſenſu literali eſt retinenda. Tertia ratio, Quia in hac opinione nemo excuſabilis damnatur, ſed quicunque damnatur, ob ſuam veram & propriam culpam damnatur; & nemo à ſalute repellitur qui ſaluari velit, ſuppoſitis gratiæ adiumentis, quæ nulli deſint. Nam quis capere poteſt illud oppoſitæ ſententiæ dictum? *h Habent omnes pro loco & tempore ſufficiens auxilium, quo poſſint conuerti, ac deinde etiam perſeuerare ſi velint; ſed re ipſa nemo conuertitur, nemoque perſeuerat, niſi qui habeat ſpeciale donum pœnitentiæ & perſeuerantiæ, quod non omnibus datur, ſed ijs tantum, quibus Deus dandũ eſſe iudicauerit.*] Quando ergo Scriptura inculcat tam ſæpe: pœnitentiam agite, conuertimini; recedite à peccatis, redite ad cor, reconciliamini Deo, &c. ſerio & vere non loquitur niſi cum ſolis paucis prædeſtinatis: reliquis vero hæc ioco dicuntur, & per hæc duntaxat deluduntur. Poteſt inquiunt, ſi velit; ſed nunquam volet, & nunquam illud poſſe in actum reducet; ad quid potentia quæ nunquam reducitur, neq; eſt reducenda in actum? Aliæ rationes non paucæ hanc confirmantes opinionem pendent ex incommodis, quæ iam aduerſus priorem ſententiam adducta ſunt, & exagitata. Nunc igitur etiam aduerſus hanc ſecundam ſententiam incommoda proferamus, & oppoſitiones.

g 1. Tim. 2. 4.
h Bellar. de gra. & lib. arb. l. 2. c. 15.

Oppoſitio prima, *Præſcientia hæc certa & infallibilis liberi aſſenſus liberæ voluntatis cuiuſque hominis ſaluandi, non videtur poſſe in Deo dari, niſi ipſe prædetermine talem aſſenſum. Certo autem præſcit Deus illa futura etiam contingentia etiam libera, quæ ipſe eſt facturus. Et ſane prouidentia etiam diuina hoc requirit, vt omnes actiones quotquot ſunt, & ſunt futuræ in mundo à Deo prædeterminentur, & per ſuum decretum, vt ſuo tempore fiant, ſtabiliantur.*] Reſpondeo pro hac infallibilitate præſcientiæ diuinæ Recentiores Theologos, præſertim ex noſtris Ieſuitis, vt eſt Molina, & Suarez, illũ in ſuo libro concordiæ, hunc in ſuo de auxiliis, ponere in Deo ſcientiam quandam quam vocant mediã, ſeu conditionatam, per quam Deus ante omne ſuum decretum examinat & præuidet quid ſit; verbi gratia, Petrus ſuo libero arbitrio facturus, ſi in tali tempore, cum talibus circunſtantiis, & adiumentis, prout habilitas & aptitudo ſeu inclinatio liberi arbitrij Petri à Deo optime cognita poſtulat, conſtituatur? Viſoq; Petrum omnino ſe ad conſentiendum gratiæ determinaturum, tunc Deum præordinare ac prædefinire date tali tempore & loco, & aliis circũſtantiis talem gratiam, & talia adiumenta: Et ſic certo præſcire liberum Petri aſſenſum per hanc ſcientiam mediam ſeu conditionatam. CLXX.

Et ſane ante omnia certum videtur Deum præſcire perfectiſſime illa quoque conditionata, quæ etiam nunquam ſint in actũ proditura, idq; omnino de fide cum ſacra diuina ſcripturali reuelatione eſt aſſerendum: Legimus enim Deum præuidiſſe peccaturum fuiſſe Abimelechum Regem Geraræ, & Saræ Abrahami vxori contumeliam facturum: ſed tamen ſua gratia illum impediuiſſe ne peccaret. *i Scio quod ſimplici corde feceris, & ideo cuſtodiui te, ne peccares in me, & non dimiſi vt tangeres eam.*] Non quidem liberum illius ligando arbitrium, ne poſt libidinem abiret; ſed ita eum interne præmuniendo, vt infallibiliter, ſed libere à peccato illo abſtineret. Eſt ergo potens Deus ita proponere voluntati libere obiectum vel proſequendum, vel fugiendum, vt infallibiliter, licet ſumma cum libertate ipſa voluntas ſe ſola ex ſe ipſa determinet in eam partem, in quam Deus vult. Legimus præterea Deum voluiſſe non recta, & breui itinere, ſed longiſſimo & obliquiſſimo conduci populum Iſraeliticum ex Ægypto in terram promiſſam, *k Ne forte*, inquit, *pœniteat eum ſi viderit aduerſum ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Ægyptum, ſed circunduxit per viam deſerti, &c.*] Illud, ne forte; CLXXI.

i Gen. 20. 6.
k Exod. 13. 17.

ne forte, non eſt dubitantis Dei, ſed certo præuidentis id ita futurum fuiſſe, & ideo certum appoſuit remedium. Dauid in perſecutione, quam à Saule patiebatur, *a conſulit Dominum an Saul ſit venturus ad eum opprimendum, & an ſi maneat in vrbe Ceila, ſit ibi tutus futurus, an verò ſint eum viri Ceilæ in manus Saulis tradituri?* Reſpondet Dominus & Saulem venturum, & Ceilanos illum prodituros: aufugit Dauid, ita neque Saul venit, neque viri Ceilæ illum tradiderunt. Quis vero dubitat id euenturum fuiſſe ſi Dauid ibi manſiſſet? *b* Achitophel dederat Abſaloni in re mala optimum conſilium, vt opprimeretur Dauid. Et Scriptura fatetur hoc fuiſſe vtile conſilium, & conſequenter patet effectum habiturum fuiſſe, niſi diſſipatum fuiſſet. Igitur & Achitophel iuiſſet, & Dauid ibi manſiſſet, & ibi oppreſſus fuiſſet: quæ omnia pendent à libera hominum voluntate. *c Deus indignationem ſuam quandam contra populum ſuum non effudiſſet, ſi intercessor aliquis iuſtus ſe ei oppoſuiſſet. De d Tyriis & Sydoniis ait Dominus eos in cinere & cilicio pœnitentiam acturos fuiſſe, ſi apud eos miracula illa facta fuiſſent.*] Hæc ergo, & ſimilia certe Deus non agnoſcebat vt ſimpliciter futura, quæ omnia ſunt Deo præſentia: hæc vero non euenerunt, neque in prædeterminatione, quia effectum nullum habuerunt; ergo per ſcientiam quandam conditionatam, quæ quomodo ſe habeat, eſt audacis curioſitatis inquirere, & *e Scrutator Maieſtatis opprimetur à gloria*: talem ergo ſcientiam in Deo certam & infallibilem nemo neget, ſed vnde & quomodo Deo talia ſint nota, non inquirat. *f Deus futuras hominum*, inquit *Auguſtinus*, *præuidet voluntates.*]

a 1 Reg. 23. 12. — b 2 Reg. 17. 14. — c Ezech. 22. 30. — d Matt. 11. 21. — e Prou. 25. 27. — f Aug. de vnit. Eccl. c. 9.

CLXXII Ad hanc tamen ſcientiam mediam confugere pro ſaluanda certitudine, & infallibilitate diuinæ præſcientiæ circa effectus liberos humanæ voluntatis, qui ſint omnino futuri, mihi videtur ſuperuacaneum. Omnes enim effectus quantuncunque liberi ſint, ſi ſunt aliquando futuri à Deo tanquam præſentes cernuntur, quod paſſim à Theologis conceſſum ſupponimus, nec in his probandis immorandum. Itaq; ad oppoſitionem factam reſpondeo; aſſenſus omnes liberi arbitrij, qui ſint aliquando futuri, à Deo tanquam præſentes in ſua æternitate aſpici: *g Intellexiſti cogitationes meas de longe — & omnes vias meas præuidiſti: — Tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua.*]

g Pſa. 138. 3.

CLXXIII. Quod vero ſpectat ad prouidentiam, ſi velimus Deum ab æterno ſua efficaci voluntate prædeterminaſſe ante omnem præuiſionem operationes cauſarum ſecundarum, tam in naturalibus, quam in ſupernaturalibus, ante omnia actum erit de libero hominis arbitrio, vt ferme fatetur *h* Caietanus: deinde vix vitari poteſt quin aſſeramus omnia ex fatali quadam neceſſitate fieri: Præterea mirabile nimium videbitur, ſi Deus ab æterno dicatur ſua efficaci voluntate determinaſſe, quot indiuidua rerum omnium, & ſingularum ſint in toto mundo tota ipſius duratione futura, & qua die, quoque mortis genere ſingula viuentia ſint moritura; ita quoties quiſque homo nares emungere, phlegma excreare, & ſimilia etiam ſordidiora quodcunque animal facere debeat. Cur naturam Deus inſtituit, eique ſuum curſum aſſignauit, & ſecundis cauſis vim agendi indidit? An non ſatis quod Deus totam naturam iam conſeruet, & non modo tanquam cauſa vniuerſalis cum omnibus cauſis ſecundis ſemper concurrat, in omni etiam actione, ſed etiam concurſu particulari, ac ſingulari ſimul cum ipſa ſecunda cauſa operetur, ſe tamen ipſi ſecundæ cauſæ accommodet, ita vt cum cauſis neceſſario operantibus ad effectum neceſſarium producendum concurrat: & cum liberis ad liberum. Sic igitur præuidet Deus quid cauſa libera ſit factura, ſuppoſito ipſo Dei concurſu etiam particulari, & poſt hanc præuiſionem determinat Deus effectum liberum, ita vt ſemper cum volente velit, & cum nolente nolit. Ad hæc hæ tam exactæ prædeterminationes vix effugere poſſunt, quin Deum faciant autorem quoque & cauſam peccati, quo iam multos illæ pertraxerunt. Nobis igitur ſatis ſit cum pluribus bonis Theologis ſentire, & aſſerere, prouidentiam diuinam relinquere ordinarie cauſas ſecundas, vt pro curſu naturæ operentur; concurrendo tamen cum ipſis, & concurſu generali cauſæ primæ, & vniuerſalis, & concurſu etiam ſpeciali, ſed ſequendo modum operandi cauſæ ſecundæ proprium quo ad entitatem actus, Præuiſiſque ab æterno omnibus effectis, diuinæ prouidentiæ eſt eos diſponere, & ad ſuos fines dirigere, qui eſt verus & proprius effectus diuinæ prouidentiæ. Poſſe vero & ſolere Deum interdum aliquas actiones, vt hominum morbos, & mortes, Regnorumque mutationes, & ſimilia prædeterminare ſua voluntate efficaci, & alio modo quam concurſus naturæ ordinarius efficeret non eſt dubium. Exemplum habemus in vita *i* Ezechiæ Regis; in Iobi afflictionibus; in Pharaonis ſubmerſione; in Saulis abiectione, & Dauidis exaltatione; ac mille aliis. Quod ſi obiiciantur Christi verba, *k Vnus paſſer non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro; & omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.* Reſponderi poteſt Apoſtolis illis verbis animos addi ne timerent, quia tyranni contra eos nihil poſſent, niſi quando, & quantum Pater ſtatuerit & permiſerit, ſeu voluerit; ſicut paſſer non cadet quando Deus non vult vt cadat, quamdiu ipſe Deus volet vt non cadat; & ne capillum quidem vnum ſint amiſſuri, quandiu Pater volet vt non amittant. Itaq; hæc ſunt de ſpeciali prouidentia erga ſuos diſcipulos, non de generali, quam ſpecialem prouidentiam poſſit Deus, quando ſic vult, etiam erga paſſeres, & erga capillos exercere.

h Caie. p. p. q. 22. ar. 4. — i Iſa. 38. — k Matt. 10. 29.

CLXXIV. Oppoſitio ſecunda. *Dabitur ergo ex parte hominis cauſa prædeſtinationis; & ſic homo erit cauſa ſuæ prædeſtinationis quod eſt Pelagianum.*] Reſpondeo, aſſenſus iſte voluntarius quem Deus expectat, & præuidet, neque eſt cauſa cur Deus aliquem prædeſtinet, neque eſt conditio ſine qua non: non enim extat pactum, Si tu feceris hoc, ego te prædeſtinabo, & non alias; ſed hoc eſt diuinum decretum, ex ipſa diuina efficaci voluntate ſtabilitum, vt ex omnibus hominibus, illi in filios adoptentur, qui ſuo libero arbitrio bene diuinis vtantur auxiliis, omnibus paratis. *l Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me vt omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam.*] Non ergo prædeſtinat Deus hunc, quia vult ille credere, & bene operari, ſed quia diuinum eſt decretum vt ad vitam æternam prædeſtinentur credentes duntaxat viua fide, hoc eſt, etiam bene operantes. Et ita iſti liberi aſſenſus non ſunt pars prædeſtinationis, neq; ad prædeſtinationem directe pertinent, ſed ad ſolam præſcientiam, vt appareat Deo quinam ſub decreto diuino ſaluandorum reperiantur, qui non: & hoc decretum diuinum prius eſt in Deo, noſtro modo intelligendi, quam ſit præuiſio liberi arbitrij operantis: ideoq; liberi arbitrij opus neque eſt cauſa, neq; conditio ſine qua non diuinæ prædeſtinationis.

l Io. 6. 40.

tionis. Prædeſtinatus ergo ſcribitur in libro vitę, nõ quia libere aſſenſus eſt, & gratię cooperatus, ſed qa decretum erat Dei vt tales duntaxat ad librum vitæ pertinerent. Sicut, ſi Rex aliquis decerneret neminem velle in ſuos Aulicos admittere, niſi qui in aliquo bello militiam exercuerint, certe militatio eorum neq; eſt cauſa, neq; conditio ſine qua nõ, neq; per ſuam militationem quiſquam illorum aut meruit admitti in aulicum, aut mouit Regem vt id vellet, & ſtatueret, ſed omnia debẽtur Regio decreto, qui talis conditionis ſolius homines velit in Aula, reliquos excludat: & huius decreti motiuum eſt ſola voluntas Regis, non meritum militię, quo decreto ſuppoſito, qui aulicus iam velit fieri, debet omnino alicubi militiam exercere, non vt militando moueat Regem ad ipſum admittendum, ſed vt ipſe ſe reponat in eum ſtatum & conditionem hominum, qui ſoli in Aula Regis admittuntur. Sic in noſtro propoſito, Decretum ſane Dei cum ſit vt nemo in filium Dei adoptetur, niſi qui ſe libere Chriſto donauerit, donatio hæc libera non mouet Deum vt illum adoptet, ſed reponit ſe donantem in numerum eorum, ex quibus ſolis Deus decreuit ſibi filios adoptiuos aſſumere. Et hoc decretum rationabile eſt; quia cum homo ſit à Deo creatus liber, ne ſaluare quidem Deus vult quenquam niſi libere volentem; adiuuare quidem vult Deus hominem ex ſe infirmum ad ſuam ſalutem volendam, & quærendam, ſed neque cogere, neque neceſſitare vult quenquam.

CLXXV. Oppoſitio tertia. *Prædeſtinatio ergo non erit gratiæ efficacis præparatio, & mediorum quibus quis ſaluandus ſit.*] Reſpondeo, Illos qui hanc ſecundam ita tuentur opinionem, vt ſimul velint etiam gratiam efficacem eſſe à ſufficienti diſtinctam, & media ipſa quoq; cuiq; prædeſtinari, præparari, & prędefiniri, ad mediam ſcientiam contra hanc oppoſitionẽ poſſe confugere: vt dicant Deum ante omnia præſcire quid eſſet quiſq; facturus, ſi in tali, vel tali ſtatu adiuuetur, & cum talibus circunſtantiis ac motiuis, quę ſint apta ad illud mouendum, vt libere conſentiat, & præuiſo quod eſſet conſenſurus, tunc Deum iſta omnia illi prædefinire, & ſic gratiam efficacem ei ſuo loco & tempore dandam præparare, & ita efficaciam gratię ponunt in hoc, quod commodo loco, & tempore, & cum talibus & talibus adiumentis & circunſtantiis quis vocetur, quibus ſit infallibiliter aſſenſurus, vt ſupra num. 109. 110. Ac poſt talem præſcientiam conditionatam, ſeu mediam, liberi aſſenſus voluntatis liberæ, ponũnt & decretũ Dei dandi gratiam illam efficacem, & alia media: & ſic huic ſatisfaciunt oppoſitioni. Solet his obiici, ſcientiam illam mediam tandem non eſſe niſi probabilem, & coniecturalem; quia poſitis omnibus illis circunſtantiis illæ non niſi moraliter mouent voluntatem, non efficienter, neq; phyſice; & conſequenter certum & infallibile non poteſt eſſe volũtatem conſenſuram. Hæc obiectio ſolui facile poteſt; quia licet id ex noſtra metaphyſica credatur neceſſario conſequi, nihilominus, quamuis nos neſciamus quomodo Deus certo & infallibiliter præuideat futura iſta libera cõditionata, tamen ea à Deo certiſſime præuideri ex ſacra Scriptura vt ſupra nu. 170. poſui, videtur de fide.

CLXXVI. Aliunde tamen in materia quam tractamus vſus huius ſcientiæ mediæ, quæ in Deo negari neque poteſt, neque debet, non videtur neceſſarius, aut opportunus. Si enim admittamus & efficacem gratiam diſtinctam à ſolum ſufficienti, vt admittunt illi qui hac media ſcientia vtuntur, & media ſalutis eſſe prædeſtinata, profecto à priori opinione prædeſtinationis gratuitæ non poſſumus recedere. Si enim vult Deus in omnibus hominibus inſpicere, & conditionata hac media ſcientia præuidere, quo tempore, & quibus circunſtantiis quiſque ſit infallibiliter, licet liberrime, aſſenſurus, profecto credibile non eſt vllum poſſe inueniri qui infallibiliter non conuerteretur, ſi Deus illum vocaret quando, & quomodo ſcit aptum illi eſſe vt omnino reſpondeat. Cur ergo vnus venit, alius non? An quia vnus apte eſt vocatus, quia pręuiſus eſt eſſe tunc & tunc reſponſurus; alius vero non ſic eſt vocatus, quia præuiſus eſt non reſponſurus? ſed hoc dici non poteſt, quia hic quoq; ſi vocatus fuiſſet vt aptũ illi erat, quis dubitat illum quoque fuiſſe aſſenſurum? Quod ergo vni Deus det hanc gratiam efficacis vocationis, alij non det, non eſt ex præuiſione ſcientiæ mediæ, ſed ex mera benignitate & voluntate Dei, qui vnum velit efficaciter vocare, nempe eum quem gratuito prædeſtinauit: alium non item. Et ſic quo ad prædeſtinationem hi non poſſunt à priori ſententia diſcedere; licet quo ad efficaciam gratiæ diſcedant. Prima enim opinio ſuam efficaciam ponit in Dei operatione, qua ipſe moueat voluntatem effectiue, & neceſſario ad volendum, cum liberi arbitrij præiudicio: Hi vero efficaciam ponunt in aggregato quodam obiecti & circunſtantiarum, quæ infallibiliter, ſed non neceſſario moueant ipſam voluntatem, ſeruato pleniſſime ei libero arbitrio, vt ſupra numer. 110. Eodem pacto de mediis ad ſalutem conſequendam prædeſtinatis, quatenus volunt ea quibuſdam, & non omnibus prædeſtinari, & hoc ex mera Dei voluntate independente ab illa ſcientia media, in priorem ſententiam pedibus eunt, licet quo ad efficaciam, qua Deus facit vt illi ea peragant, quæ ſunt vt media neceſſaria prædeſtinata, modo iam dicto, diſcrepent, & efficaciam hanc cum libero arbitrio ſaluent optime per hanc mediam ſcientiam, ſine qua efficacia illa tollit vſum liberi arbitrij. Qui vult igitur ſecundam opinionem de prædeſtinatione ex præſcientia ſequi, debet & efficaciam gratiæ ponere in voluntate hominis, vt ſupra ſuo loco explicaui, num. 109. & ſufficientem cum ſacra Scriptura aſſignare omnibus, & media ad ſalutem neceſſaria, tanquam à Deo præparata admittere, non tamen vt prædeſtinata, ex prouidentia enim, & non ex prædeſtinatione Deus media ſalutis omnibus præparauit, & eos prædeſtinauit, quos talibus mediis, per bonum vſum gratiæ, vſuros eſſe præuidit; quod ſi media eſſent prædeſtinata, eorum vſus à libero arbitrio non penderet. Neque vſus hic mediorum præuiſus medium dici poteſt ad prædeſtinationem; eo enim vſu à Deo præuiſo, homo non cauſat ſibi prædeſtinationem, ſed ponit ſe in eo ſtatu in quo diuinum decretum illos omnes requirit, qui in filios ſunt adoptandi. Et hi prædeſtinationem ponunt in hac prædeterminatione adoptandi eos, quos præſciuerit Deus credentes, & in iuſtitia ſe vſque ad mortem detinentes. Et ex his oppoſitio hæc tertia tota cadit.

Oppoſitio quarta. *Ergo æqualis eſt prædeſtinatio Petri, vel Pauli, vel Deiparæ virginis, prædeſtinationi latronis in cruce?*] CLXXVII. Reſpondeo, nullum in hoc apparere abſurdum; ſalus enim æterna, & gloria eſſentialis eſt vna & eadem in omnibus, aut ſaltem probabile eſt id ita eſſe, & ſic etiam prædeſtinatio eſt eadem. Si tamen quis ſe reducat ad ipſas vocationes, & velit comparare vocationem Pauli, cum vocatione latronis,

tronis, certe maximam inueniet differentiam: ideoque affirmare poſſemus hos inſignes prædeſtinatos, etiam cum ſola ſufficienti gratia fuiſſe ſaluandos, nihilominus tamen ex quodam priuilegio Deum voluiſſe abundare in beneficiis, ſiue dum vocarentur, ſiue etiam poſt vocationem, per efficaciam illam quam ponit ſcientia media cum plena libertate. Et ita hi priuilegiati prædeſtinati multo plus Deo debent, quam alij ordinarij: Vtrique tamen ex præſcientia prædeſtinati ſunt, & ex præſcientia ordinaria boni vſus liberi arbitrij & gratiæ, quo ad gloriam eſſentialem. De accidentali alia eſt conſideratio. Quod ſi quis inſtet, vocationem eſſe effectum prædeſtinationis: [a Rom. 8. 30.] a *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit*; Reſpondeo vocationem eſſe communem etiam non prædeſtinatis: [b Prou. 1. 24.] b *Vocaui & renuiſtis.* [c Iſa. 65. 12.] c *Vocaui & non reſpondiſti mihi.*] Deus ergo ſtatuit prius vocare omnes: [d Matt. 11. 28.] d *Venite omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; Et omnibus pariter dum eos vocat, dat etiam gratiam ſufficientem; & quos præuidet reſpondentes, eos prædeſtinat. In executione tamen vocatio executiua, non vocatio vt præſcita cum ſuo effectu, poſterior eſt prædeſtinatione: & hoc vult Paulus; nimirum in executione prædeſtinatum ab æterno poſt illam prædeſtinationem vocari in tempore.

CLXXVIII. Oppoſitio quinta. *Si gratia operans & cooperans non poſſet diſtingui, & tamen diſtincta ſunt:* [e Iſa. 26. 12.] e *Omnia opera noſtra operatus es nobis Domine.* [f Philip. 2. 13.] f *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere. Ecce gratia operans.* [g Rom. 8. 28.] g *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* [h 1. Cor. 15. 10.] h *Non ego ſed gratia Dei mecum: Ecce cooperans.*] Reſpondeo, ſine neceſſitate has diſtingui, ideoq; ſcholaſticos diſcordare plurimum in ſeparanda gratia cooperante, ab operante. Quicquid profecto cooperatur, illud etiã operatur, licet non è contra. Gratia tamen prę[u]eniens poteſt dici operans, quia illa ſola operatur diſponendo, & præparando voluntatem. Gratia vero adiuuans eſt cooperans, quia ſimul cum libero arbitrio operatur. Atque ita in hac ſecunda ſententia nulla eſt difficultas in ſaluanda gratia operante & cooperante, nec admittit operantem eſſe illam quę facit effectiue hominem credere, quæq; ſit effectus prædeſtinationis. Et Deus operatur in nobis velle, quia diſponit nos, & præparat, & dat vires voluntati, quibus poſſit amplecti bonum.

CLXXIX. Oppoſitio ſexta. *Si ex præſcientia fidei, & iuſtitiæ Deus vult ſaluare omnes, nec vlli negat ſufficiens auxilium, cur dicitur ſæpe indurare & excæcare homines?* Reſpondeo, indurare & excęcare eſſe reuera negare, ſeu potius ſubtrahere auxilium ſufficiens, & neceſſarium, quod in pænam reſiſtentiæ iam factæ, & gratiæ ſufficientis contemptæ ſolet Deus ſubtrahere, & vlterius negare quibuſdã inſignibus reprobis, quos ex præſcientia mali vſus liberi arbitrij, & abiectionis gratiæ, quam ſæpius etiã aliqui abiecturi ſint, Deus reprobarit. Neq; puto vnumquemq; reprobum excæcari, & indurari; ſed multos cũ præſente ſibi gratia ſufficiente, vſq; ad mortem, abſq; vllo dato aſſenſu gratiæ, hinc ad gehennam decedere. Cur autẽ Deus alicui ſubtrahat gratiam in pænam, vt dictum eſt, aliis non ſubtrahat, etiam ſi fortaſſe ille cui ſubtracta eſt, poſtea fuiſſet illa, ſi ei affuiſſet, bene vſurus, non eſt inquirendum; quia [i Rom. 11. 33.] i inſcrutabilia ſunt iudicia Dei, & inueſtigabiles viæ eius. Satis eſt illum iuſtiſſime deſeri, qui prior Deum vocantem noluit audire; aut audiit, & poſtea prior Deum deſeruit; & omnia peccata quæ ſit patraturus, etiam fortaſſe neceſſario, ex diuinæ opis neceſſariæ abſentia, ad ipſius reatum pertinere, quia ipſe ſibi cauſa, & culpa fuit cur deſereretur. *Sed cur deſeruit tot populi, tot nationes, tot prouinciæ, tot regna, in quibus Euangelica prædicatio non eſt audita?* Et hoc vrget k Proſper; [k Proſp. de vocat. gen. l. 1. c. 5.] Reſpondeo vt ſupra numer. 118. 122. non conſtare eos eſſe à Deo deſertos, & ex poſitiua Dei voluntate Euangelium ad eos non perueniſſe. Poteſt enim id ex ſola Dei permiſſione contingere, vt iam declaraui: Interea habent lumen naturæ adiutum gratia communi; & ſi l *veritatem non detinent in iniuſtitia, perducet eos aliquo modo ad Chriſtum.* [l Rom. 1. 18.] Interim verò infidelitas, qua non credunt in Chriſtum, non videtur ipſis eſſe peccatum, iuxta illud ipſiuſmet Chriſti ad Phariſæos: m *Si cæci eſſetis non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, quia videmus peccatum veſtrum manet.* [m Ioan. 9. 41.]] Habebant enim ſcripturas, & audiebant Chriſtum ex ſcripturis de ſe diſſerentem, quod ſi hæc non habuiſſent, neq; peccatum habuiſſent, ſi in Chriſtum non credidiſſent. Addit n Proſper [n Proſper ibid.] contra hanc opinionem argumentum ex o *denario diurno dato ex mera gratia illis qui ad vndecimam horam ſunt vocati; qui certe ex operibus nõ habuerunt mercedem.* [o Matt. 20. 10.]] Reſpondeo illam parabolam non ſpectare ad prædeſtinationem; & ſi ſpectaret, certe huic ſecundæ opinioni faueret, quia datur omnibus merces propter opus; aut ſaltem habent inde alios eſſe prædeſtinatos ex operibus, vt ſunt qui tulerunt pondus diei, & æſtus à prima hora ad vndecimam; alios partim ex operibus, & partim ex gratia; alios etiam, ſi vis ex ſola gratia propter exiguum opus vnius duntaxat horæ. Non ergo parabola eſt de prædeſtinatis, ſed de p prælatione gentium Iudæis, & pauperum exiguique nominis & humanæ exiſtimationis. [p Ianſen. in ſua con cor. c. 101.]

CLXXX. Oppoſitio deniq; ſeptima. *Paruuli, qui cum baptiſmo decedunt, ſaluantur, & conſequenter ſunt prædeſtinati, non tamen ex vlla præſcientia boni vſus gratiæ, & liberi arbitrii.*] Reſpondeo difficultates circa ſalutem, vel damnationem paruulorum, non minus turbare priorem, quam hanc poſteriorem de prædeſtinatione ſententiam. Coguntur enim priores affirmare omnes infantes baptizatos ante vſum rationis morituros, eſſe certo prędeſtinatos. Eſt ergo in hominis poteſtate facere prędeſtinatum, quia eſt in poteſtate hominis infantem necare, qui ſi non necetur erit fortaſſe reprobus in ætate adulta; niſi dicant Deum prædefiniuiſſe, & conſequenter efficere vt infanticida necet infantem; ꝙ quam caute dixerint, illi qui id dixerint viderint. Videtur itaque de infantibus ſermo debere eſſe valde ſobrius, ſiquidem Scriptura de illis vix quicquam aut directe, aut indirecte aſſerat. Abſolute Auguſtinus ſaluari omnes baptizatos aſſerit, & ſupponit, è contrario vero non baptizatos damnari. Quod ſi quis ab eo quæſiſſet vnde id haberet, quid fuiſſet reſpõſurus neſcio. Dicit quidem Scriptura: q *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; [q Ioan. 3. 5.] ſed non dicit; Omnis qui renatus fuerit ex aqua, introibit in regnum Dei. Sic enim nullus baptizatus periret. Sed neque propterea infantes non baptizati à nobis ſunt inter damnatos neceſſario reponendi, quia actualem baptiſmum non ſunt conſecuti; ſiquidem multi ſunt caſus in quibus baptiſmi ex aliqua neceſſitate omiſſio, non nocet; & adultis aliunde poteſt occurri, quando baptiſmum habere non poſſunt: cur ergo paruulis negabitur remediũ præſertim in vtero matris morientibus, quib. eſt impoſſibile Baptiſmum miniſtrare; aut ſubitanea morte correptis? cur his fides parẽtũ, vel Eccleſię nõ poteſt ſubuenire? ſi itaq; à peccato originali liberãtur pueri vel per

Bapti-

baptiſmum, vel per fidem parentum, vel Eccleſiæ, tunc ſi actus puta, baptiſmi, vel fidei alienæ à Deo præuiſi faciunt vt infans ſit incluſus in illo Dei decreto, vt quicunq; vniantur Chriſto vel per propriã fidem, vel per baptiſmum, vel per alienam fidem, illi, ſi poſtea fidem, aut iuſtitiam, præſcitam finalem, non abiecerint, ſint adoptati in filios, quos vero pſciuit Deus nullo modo eſſe Chriſto coniungẽdos, nec per proprium, nec per alienum actũ, ij ſint reprobati. Et ſic etiam infantium prædeſtinatio erit ex præſcientia operum circa eos quibus illi Chriſto annectantur. Sed bene monet Auguſtinus ita ſcribens, *a De infantiũ ordine ac merito in futura illa, quæ promittitur ſorte ſanctorum, velle amplius quærere, hominum modũ excedit.*] Dicat qui poteſt, quomodo & quãdo remittebatur peccatum originale in lege naturæ? Dicat quomodo in lege ſcripta etiam remittebatur peccatũ idem, ſaltem fœminis? Dicant cur damnẽt puerum Iudæum in lege ſcripta, ſi intra primum octiduum moreretur, cui certe circunciſio anticipanda non erat, ſed omnino ad octauum diem differenda? Certe in his duobus poſterioribus caſibus, ſi quid probabile dici poſſet, parentum & Eccleſiæ fides eſſet afferenda. In primo vero caſu prima conuerſio in Deum per actualem fidem, forte remittebat peccatum originale in adultis: in infantibus vero morientibus ſemper fidem parentum, & domeſticæ Eccleſiæ id præſtitiſſe eſt probabiliſſimum; & ſic ſemper prædeſtinatorum prędeſtinatio optimę declaratur fuiſſe ex præſcientia fidei & operum, vel propriæ, vel alienæ, in qua puer natus ſit, & Deo oblatus, vel baptizatus. Iam vero vtriuſque opinionis loca ex ſacra Scriptura ad trutinam reuocemus.

a Aug. lib. 50. ho. 50.

CLXXXI. Quæ de electorum ſeparatione habet *b* Bellarminus ex Scriptura, eorumq; ſalutis certitudine & firmitate, cum prędeſtinatione à ſecunda opinione à me explicata, optime cohærent. Electos enim ſecundum propoſitum intelligit hæc opinio adoptatos in filios ab æterno in mente Dei, poſt illam pręſcientiam, quibus Deus propoſuit dare regnum, & hæreditatem; quod non facit omnibus, ſed ijs tantum quos præſciuit modo explicato. Et horum ſalus eſt certiſſima, neq; hos quiſquã rapiet de manu Chriſti: cui donati ſunt vt ſint cum ipſo cohæredes. Quamuis aliquando Chriſtus loquatur de ſuis ſolis Apoſtolis in ſpeciali, qui erant ex inſigniter prædeſtinatis, Iſcariote excepto. Scripturam tamen habere electos ex mera gratia probat Bellarminus ex illis locis. *c Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* ſecundo. *d Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos,* tertio. *e Reliqui mihi ſeptem millia virorum — Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. f Elegit nos vt eſſemus ſancti;* non ait, quia eramus ſancti. Et *Prædeſtinauit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gratiæ ſuæ;* Et *in quo nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius.*] Reſpondeo, Hæc includunt gratiam, ſed non excludũt præſcientiam fidei & iuſtitiæ. At quis negat in prædeſtinatione ex præſcientia maximam partem, multis nominibus, habere gratiam? Fidem vero præuiſam, & iuſtitiam iam oſtendimus num. 174. non habere rationem neq; cauſæ, neq; meriti, neq; conditionis ſine qua non. Et ſic quoq; prædeſtinatio erit tota mera gratia, quia decretũ illud Dei de ſaluandis omnibus credituris, eſt decretum merum gratuitum; in quo tamen includitur itidem ex mera gratia hominis fides, & iuſtitia.

b Bellar. de gra. & lib. arb. l. 2. c. 10.
c Luc. 12. 32.
d Ioan 15. 16.
e Rom. 11. 4
f Ephes. 1. 4.

Ad 1. ergo, Complacuit Patri, quia ex gratia fecit illud decretum, & ex gratia poſt illam quoque pręſcientiam fecit adoptionem filiorum credentium. Et ipſe actus credendi, quantumcunq; liber fuerit, gratiæ tamen præuenienti plurimum debetur: Et actus nobis à Deo dati, vt ait *g* Durandus, *non obligãt Deum nobis ex debito iuſtitiæ ad aliquid amplius dandum.*] Et vt *h* Bernardus loquitur, *non ſunt talia hominũ merita, vt propterea vita æterna debeatur eis ex iure; aut Deus iniuriam aliquam faceret niſi eam donaret.*] Sic ergo electio eſt ſimpliciter gratuita etiam poſt illam pręſcientiam. Ad ſecundum. Sunt verba de electione Apoſtolorum ad Apoſtolatum, nõ directe de æterna prædeſtinatione ad beatitudinem. Chriſtus enim vocauit Apoſtolos ad ſui ſequelam, ſuoſq; effecit ſocios & miniſtros, non illi ſe obtulerunt ei, & ille eos elegit vt fructum facerent in diſſeminando Euangelio, quem fructum eos facturos, & libenter, libere tamen, laboraturos ab æterno præſciuerat. Quare ſi etiam velimus hæc ad prædeſtinationem ducere, dicẽdum erit in mente diuina ab æterno ex præuiſione horum fructuum Apoſtolos eſſe prędeſtinatos; licet poſtea in executione præceſſerit electio, hoc eſt actualis vocatio, & ſecuti ſunt fructus, qui ante prædeſtinationem præuiſi fuerant. In executione ergo prædeſtinationis, Nõ vos me ſed ego vos elegi ad fructificandum: at in ipſa prædeſtinatione ego pariter vos elegi, quos tamen iam fructificaturos præuideram, & ipſa fructificatio nulla ratione fuit electio qua Apoſtoli poſſent dici priores Chriſtum elegiſſe, illa enim erat obedientia, non electio.

g Apud Caſſand. ep. 19.
h Ibid.

Ad tertium. Totus locus eſt de externa vocatione & electione, externaque obedientia, ac externo cultu multorum ſimul tanquam cuiuſdam communitatis, non de interna ſingulorum prædeſtinatione. Dum ergo ait Deus Eliæ, *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal;* idem eſt ac ſi dicat, Tu Elias putas te eſſe ſolum, qui idololatria non ſis contaminatus ex Iſraelitis: reliquos vero omnes à me eſſe deſertos, & me omnibus gratiam ſubtraxiſſe, & ita excæcaſſe eos; at ego ſcio me habere adhuc ſeptem millia quos ego non deſerui, ſed ex reliquorum deſertorum numero extraxi, ne poſt idola abeant. Itaque, *reliqui mihi*, idem eſt quod non deſerui in pœnam, vt merebantur cum cæteris. Quis autem aſſerat, & vnde, hos ſeptem millia fuiſſe omnes proprie prædeſtinatos? Quot ſine peccato idololatriæ, & infidelitatis cum vera fide, ſed mortua damnantur? Et Paulus vbi applicat iſta reliquiis illis Iudæorum, qui ſuo tempore crediderant cum ipſo, & per ipſum, & per Petrum & alios Apoſtolos, non loquitur de vera prædeſtinatione, niſi externa & præſumptiua, ob externam fidei in Chriſtum profeſſionem, per quam ex derelicta à Deo Synagoga, in electam nuper, nuperque conſtitutam Eccleſiam tranſlati fuerunt plurimi Iudæi, à deſertione, & induratione communi liberati. Non video profecto quomodo quis poſſit aſſerere omnes Iudæos, qui in Chriſtum tunc, vel etiam poſtea crediderint, fuiſſe proprie prædeſtinatos; & tamen de his ipſis reliquiis iam dixerat ipſemet Paulus, *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit,* id eſt quam credituram in Chriſtum præuiderat, eam non deſeruit, vt reliquam totam gentem Iudaicam deſeruit, & conſequenter indurauit & excæcauit, & hanc plebem non derelictam participem fecit gratiæ Chriſti; ſed non propterea omnes hæ reliquiæ ſunt prædeſtinatæ, neque proprie ſaluæ factæ, niſi in hoc quod non ſint incluſæ in iam deſerto, & à Deo derelicto populo, ſed ab illo ſeparatæ, & in quorum iam poteſta-

poteſtate ſit, vt veram etiam per Chriſtum ſalutem conſequantur. Sane Chryſoſtomus in verbo illo, *ſecundum electionem* a intelligit illorum probationem; hoc eſt examen an eſſent digni, id eſt non incluſi in decreto de ſolis crediturìs, & in iuſtitia perſeueraturis adoptandis; gratiæ vero additum; vt donum quoque Dei agnoſcatur.

a Chryſ. in ep. ad Ro. hom. 18.

Ad 4. In illius Epiſtolæ ad Epheſios exordio habet plura Paulus, quæ commune beneficium Dei commemorent, quo b Deus ſe per Chriſtum tandem etiam gentibus communicauit, ipſiſq; fidelibus, & credentibus in Chriſtum multa dona per ipſum Chriſtum largitus eſt; ſicut inquit, *Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſe*mus *ſancti*. Hoc eſt, illud noſtra ætate in nobis adimpleuit, quod ab æterno ſtatuerat per Filium ſuum actu exhibitum, & mundo donatum, nobis qui in illum iam credimus, multam gratiam donare, cuius adiumento fiamus ſancti, ſi volumus. Itaque hoc loco eſt ſermo de electione communi, & generica illius ætatis hominum, cui ætati Deus filium actu ipſo incarnatum exhiberet. Illam enim generationem, quæ erat tempore verbi item incarnati, & ſequentes, prætulit innumerabilibus aliis, quæ Chriſtum præceſſerunt, & gratiam Chriſti iam dati & paſſi non perceperunt. Hæc igitur electio non eſt ſingulorum prædeſtinatio, nam omnes Epheſi baptizatos, & in Chriſtum credentes, quando Paulus ad eos hæc ſcribebat, fuiſſe proprie electos, & prædeſtinatos vix quiſquam dixerit. Pergit Paulus: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.*] Hic eſt ſermo de prædeſtinatione communi, ſecundum voluntatem antecedentem, qua Deus voluit ab æterno homini lapſo ſuccurrere, & *omnes* c *ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire*. Et hanc prædeſtinationem communem potiſſimum ſignificat Paulus ſpectare ad illius ætatis homines, qui Euangelium iam audierant; hoc eſt Deum ſua antecedente voluntate ſecundum propoſitum ſuum, id eſt quatenus ad ipſius hanc antecedentem voluntatem ſpectat, deſignaſſe, vt omnes qui Euangelio obediant adoptentur in filios, & ex tali adoptione exurgat laus & gloria gratiæ Chriſti, per quam fit hæc adoptio. De communi hac porro prædeſtinatione Paulum loqui patet, quia ſtatim ſubdit merita Chriſti vniuerſalia, *in quo habemus*, inquit, *redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum.*] Et prædicationem Euangelicam, vt magnam illorum temporum gratiam, ſed vniuerſalem vrget, ait enim, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius. Hoc autem beneplacitum merum Dei fuit, quod illi ætati datus ſit Chriſtus, & promulgatum Euangelium, & non prioribus. Hos autem omnes ad quos ſcribit facere proprie prædeſtinatos videtur ſatis abſurdum. Addit Paulus, *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.*] Hic iam loquitur Paulus de ſe & aliis Apoſtolis, forte ad Apoſtolatum vocatis, hoc eſt ex mera diuina electione; non enim vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, quaſi ſorte ex infinita hominum multitudine ſelegi. Et hæc prædeſtinatio eſt ad Euangelicos labores Apoſtolorum deputatio, *Vt ſimus*, inquit Paulus, *in laudem gloriæ eius nos, qui ante ſperauimus in Chriſto*; hoc eſt prædeſtinauit ac præordinauit, vt nos Apoſtoli, qui primi in Chriſtum credidimus, vobis etiam reliquis omnibus eius fidem annunciemus. Ideoque pergit dicens: *In quo & vos cum audiſſetis verbum veritatis* &c. moxque conatur illos perficere in credendo. Atq; ita hæc ad gratuitam prædeſtinationem nihil videntur pertinere.

b Ioan. 3.

c 1. Tim. 2. 4.

Accedit Bellarminus ad probandum ex ſcripturis electos Dei non ſolum eſſe electos gratis, ſed etiam abſque vlla operum præuiſione: & celeberrimum illum ex Paulo inculcat locum de Iacob, & de Eſau, in quo Auguſtinus præcipuum ſemper poſuit fundamentum. d *Cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent, &c.*] Ego profecto ſatis mirari non poſſum, quo pacto ex hoc potiſſimum loco gratuita prædeſtinatio colligatur, cum excluſione præſcientiæ fidei, & operum, qui ad prædeſtinationem ſingularium hominum, ne vnico quidem ſecundum literam, attineat verbo: & ſi quid alicui videtur de hac prædeſtinatione innuere, id myſticum tantummodo ſit, & per allegorias fortaſſe etiam diſtortas, & coactas excogitatum, & tamen communis eſt confeſſio, dogmata ex ſolo literali Scripturæ ſenſu eſſe colligenda, & non ex allegoriis, aut confirmanda. Auguſtini ſane huius loci interpretationem tanquam nouam, & inauditam ad illa tempora e aſpernabantur multi docti Catholici. Igitur ſcopus Pauli per ſe notiſſimus, & cuique peruius, & à ſanctis interpretibus perfecte agnitus, eſt, Iudæos nuper Romæ conuerſos non debere ſupra Gentiles, item ibidem conuerſos, ſe extollere, quaſi illi ſint Populus Dei electus, & quibus Chriſtus promiſſus & datus eſt ex ipſorum ſemine, propterea Gentiles ſpernant, vt aduentitios, & quaſi per poſticum admiſſos. Ac propterea, vt eorum vanam exultationem comprimat, & retundat inſolentiam, contendit promiſſiones factas quidem Iſraeli, intelligendas eſſe de Iſraele potiſſimum ſpirituali; non autem de ſolo Iſraele carnali. f *Non enim omnes, qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij.*] Si enim Deus elegiſſet in Abrahamo carnali ſtirpem ſibi dilectam, cui ſua ſpiritualia dona concederet, profecto etiam Iſmaelis propago huc pertinuiſſet, & alij quoque filij ex g Cetura, & non ſolus Iſaac. Et tandem dictum eſt ei, h In Iſaac tibi vocabitur ſemen, cum excluſione reliquorum omnium filiorum. Sed neque totam Iſaaci ſurpem voluit in ſuum populum eligere, quia carnalem Iſaac non aſpiciebat, ſed ſpiritualem, hoc eſt iuxtam illam prolem quam ſibi ipſe Deus delegiſſet, & antequam duo gemelli, (quæ fuit prima Iſaaci prolificatio) ex vtero exierant, facta eſt à Deo electio, nulla habita ratione primogenituræ vter eorum prius naſceretur, neque vlla habita conſideratione vel naturæ, vel motum, vel actionum vtriuſque, ſed ex mera ſua voluntate Deus, poſthabito Eſau, Iacobum elegit, vt iam ipſius tota ſtirps, & progenies eſſet peculiaris Dei populus, ſtirps vero & progenies Eſau ab hoc ipſius populo excluderetur; quia non carnalem aſpiciebat Iſaaci deſcendentiam; ſed ſpiritualem, id eſt illam quam ipſe ſua voluntate ſola in gentem dilectam, & ſuum i peculium elegerat. Ideoque antequam vterque naſceretur, Dei prædictio fuit, minorem præferendum fore maiori; & maiorem ſeruiturum minori: non quidem perſonaliter, ſed ratione gentis & ſtirpis ab vtroque deſcenſuræ, iuxta illud, k *Duæ gentes ſunt in vtero tuo* (Rebecæ, & *duo populi ex ventre tuo diuidentur populuſq; populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.*] Ait ergo Paulus, *Cum nondum*

CLXXXII.

d Rom. 9. 11.

e Proſper ad Aug.

f Rom. 9. 6.

g Gen. 25.

h Gen. 21. 12.

i Exod. 19. 5.

k Gen. 25. 23.

Nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori.] Quid quæſo hæc facient ad propoſitam Pauli diſſertationem, ſi de ſingulari horum gemellorum prædeſtinatione iſta dicuntur? Hoc eſſet extra oleas vagari; quia ingreſſus eſt Paulus in illam diſputationem; Gentiles quoque eſſe ſpiritualiter Iſraelitas, & non ſolos Iudæos: imo Iudæos obſtinatos, ex vero, hoc eſt ſpirituali populo Iſraelitico, hoc eſt à Deo in ſuum populum electo, cum promiſſiones Patrum pleue adimpleret, iam eſſe excluſos, & Gentes in veros Iſraelitas ſubintraſſe. Ac ne Iudæis id mirum & paradoxum videretur, repetit eis ſcripturas, quomodo ſolus Abraham, ex innumerabilibus hominibus ſit, ex mero Dei beneplacito, electus, vt eſſet Pater credentium; quomodo carnali Abrahamo hoc non ſit conceſſum, ſed per ſolum Iſaac promiſſionis ſpiritualem potius quam carnalem filium Abrahæ; quomodo Iſaac quoque non carnalis, ſed ſpiritualis, populum à Deo electũ propagaret; nimirum per illum filium quem ad hoc Deus ſua ſola vocatione, & non ex vllo ipſius opere, etiam antequam naſceretur, elegerat, & deſtinarat, vt nimirum ipſius tota proles populum Dei electum, quem ille ſuis ornaret beneficiis, conſtitueret. Ac quemadmodum Iſaaco non caro dedit vt eſſet inter alios Abrahæ filios ſelectus, per quem promiſſiones Dei ad quoſdam deſcenderent, ſed mera Dei & gratuita voluntas: ita quoque Iacobum prælatum fuiſſe Eſau, non ex vlla carnali & temporali cauſa, ſed ex ſola Dei voluntate, vt is eſſet totius populi dilecti propagator: Et hinc inſtruit Iudæos illos non poſſe cenſere ſe ideo eſſe dilectum Dei populum, cui ſoli promiſſiones ſint factæ, ex eo quod ſint filij carnales Abrahæ, per Iſaacum & Iacobum. Quod ſi illi priuilegia hæc diuinarum promiſſionum non habuerunt ex carne, neque ex vllis eorum meritis, aut operibus, ſed ex mera Dei voluntate, nihil inde glorientur, neque ſe efferant, quia iam idem Deus ſua mera voluntate, & gratuita benignitate ita gentiles vocauit ad ſua promiſſa, omiſſis excæcatis Iudæis, ſicut Abrahamum ex cæca gentilitate vocauit, omiſſis omnibus reliquis, etiam fidelibus & piis, qualis erat Melchiſedec, & alij; & Iſaacum aſſumpſit omiſſo Iſmaele & aliis; & Iacobum, omiſſo Eſau.

CLXXXIII. Quid vero etiam hæc ad prædeſtinationem ſingulorum perſonalem? Abrahamum, Iſaacum, & Iacobum quis dubitet fuiſſe & electos ad hæc priuilegia conſtituendi peculiaris Dei populi, & ſimul ad vitam æternam, & fuiſſe vere prædeſtinatos more communi omnium prædeſtinatorum; imo ſi vis etiam inſigniori prædeſtinatione? ſed non propterea Iſmael, & alij Abrahæ filij inter reprobos ſunt neceſſario numerandi; neque ſimiliter Eſau, & omnes eius poſteri, inter quos valde probabile eſt Iobum fuiſſe, vt volunt aliqui, & merito, ſi Iob, idem ſit qui *a* Iobab: Mirum quod vera veri Dei fides non perſeuerauerit in aliquo, præſertim in ijs qui à ſanctiſſimis Patriarchis eorum parentibus fuerunt proxime inſtructi. Sane Origenes Eſau & prolem eius facit Deo fidelem. Ait enim; *b* *Ergo quia tunc proxime erat adhuc memoria Abraham, & Iſaac iuſtorum illorum, & quia ipſe Eſau Dei cultor erat: quanquam enim in nonnullis violauerit, attamen tandem Dei culturam filiis ſuis tradidit; merito pleri que Idumæorum cultores Dei fuerunt, & aliquanti valde religioſi, &c.*] Ita neque omnes filios Iacobi vllus audebit proferre fuiſſe vere prædeſtinatos, eorumque poſteros, qui fuerunt innumerabiles, licet ponantur iam omnes in Iacobo à Deo electi & ſeparati à tota gentilitate, iuxta illud, *c* *Eritis mihi ſancti, quia ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter, qui ſegregaui vos ab omnibus gentibus eſſe mihi.*] Et Mardochæus ita orat: *d* *Gratias tibi Domine, quoniam feciſti noua ſigna & prodigia, qualia non ſunt facta in gentibus, diuidens omne ſeculum in ſortes duas: Elegiſti vnam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus.*] Et Paulus ac Barnabas dicunt; *e* *Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis conuerti ad Deum verum, —qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.*] Et ſicut huius populi electio non habet adiunctam veram eiuſdem totius populi prædeſtinationem, qui fortaſſe maxima ex parte, quo ad Deum, erat reprobus, vt patet ex tot lapſibus ac idololatriis: Ita neque omnes gentiles certe quo ad hanc peculiaris populi ſelectionem reprobati, erant veri reprobi, quia multi fuerunt ſancti & ſaluati vt Iob, Niniuitæ, &c.

a 1. Paralip. 1.44.
b Orig. lib. 3. in Iob.
c Leu. 19. 2.
d Eſt. 10. 10.
e Act. 14. 15.

CLXXXIV. Imo de ſola electione Iacobi, quo ad priuilegium illud de ſelecti populi propagatione, Paulum loqui, patet quoque manifeſte ex dicto Malachiæ, quod profert, *f* *Iacob dilexi, Eſau odio habui.*] At qui Malachias expreſſe loquitur de ipſis populis; qui ab his duobus fratribus deſcenderant, & Iacob atque Eſau iandiu mortui fuerant, & odium illud atque dilectionem explicat idem Propheta quo ad temporalia, quia *montes Eſau erant poſiti in ſolitudinem, & hereditas eius in dracones deſerti.*] Dilexiſſe vero Iacob ſe oſtendit Deus ex eo, quod populus Iſrael; qui à Iacob deſcendebat, poſſideret terram promiſſam, optimá, & nobiliſſimam, quæ peculiari Dei protectione frueretur; qui in eorum gratiam eſſet quoque impediturus ne poſteri Eſau poſſent reparare, & ad culturam ſuos montes, ſuosq; agros redigere.

f Malach. 1. 3.

CLXXXV. Obſeruo etiam, ſi Paulus intenderet prædeſtinationem gratuitam Iacobi proponere, eodem modo reprobationem quoque Eſau fore gratuitam, hoc eſt ex mera Dei voluntate, nullo habito reſpectu ad eius vitam, infidelitatem, vel opera mala; & conſequenter omnes reprobatos à Deo abiici, & ex ſola voluntate, nullo habito reſpectu ad eorum peccata actualia, quod iam oſtenſum eſt numer. 142. eſſe Scripturæ ſatis contrarium. Addo Pauli quoque ratiocinationem fore mancam, imperfectam, imo & prorſus inutilem, ſi de prædeſtinatione & reprobatione priuata loqui intenderet. Inquit enim, *Antequam nati eſſent, aut quicquam boni vel mali egiſſent, alterum electum, alterum reprobatum, non ex operibus, ſed ex vocante.*] At cur præſcientiam diuinam prætermiſit? debuit enim dicere. Antequam quicquam boni vel mali egiſſent, aut acturi præuiderentur à Deo, alterum electum, alterum reprobatum. Sic enim ſequitur omnino electionem & reprobationem horum eſſe ex vocante; & non ex operibus. Vidit ſæpius Auguſtinus hunc nodum, & eo ſe reducit, vt dicat Paulum, nihilominus etiam ſi ſciret præſcientiam potuiſſe efficere, vt ex operibus non factis, ſed præuiſis alter eligeretur, alter reprobaretur, abſolute tamen aſſeruiſſe, non ex operibus id factum; & ita etiam præſcientiam illam excluſiſſe. Sed hoc non facit, quominus Pauli diſc[illegible] ſit mancus, & imperfectus, quod ne cog[illegible] fateri, aliam mentem Pauli debemus inquirere, quæ nullam ſermonis imperfectionem contineat, & eſt illa, quam iam explicauimus: cui obiectio præſcien-

tiæ nihil obeſt, ſicut obeſt prædeſtinationi: ſermo enim eſt de inſtituendo certo populo in terris à Deo, & quo ad ſpiritualia, & quo ad temporalia valde priuilegiato: atque hæc inſtitutio non eſt ex poſt facto, ſed antequam eſſet; & in executione citra actum liberi arbitrij, ex ſola etiam naturali propagatione erat hic populus multiplicandus. At ſalus ſingularium hominum pendet à libero etiam cuiuſque arbitrio, & ſic præſcientia plurimum poteſt.

CLXXXVI. Pergit Paulus: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit: Moyſi enim dicit, Miſerebor cuius miſerebor, &c. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*] Quomodo velle & currere hoc loco ſpectabit ad perſonas Iacobi & Eſau, ſi conſiderantur adhuc nondum nati? Conſiderat ergo Paulus ipſos populos Iudæum, & gentilem; & Iudæum non poſſe conqueri quod Deus, illo prætermiſſo, Gentiles fecerit ſuum ſpirituale Iſraelem: quia ſicut
a Exod. 33. 19. ex ſola ſua voluntate, a miſertus eſt aliquando aliquorum, quos non puniuit ob ſcelus idololatriæ, & aliorum quos puniuit non eſt miſertus; ita miſertus eſt Abrahæ, vt eum faceret Patrem credentium, & Iſaaci, & Iacobi, vt radix eſſent ſui dilecti populi: ita prius miſertum eſſe Iudæorum, contemptis gentibus; nunc vero miſertum eſſe gentilium, contemptis Iudæis, vt Dei populus fierent, & promiſſiones acciperent. Ad hoc etiam adducitur exemplum Pharaonis, vt quemadmodum deſertio Pharaonis Deo ſeruiuit, vt virtus & potentia Dei in eo pertinaci flectendo, & opprimendo manifeſta fieret, ita abiectio populi Iudaici, & ipſa ſeruiat, vt quiſque iuſtitiam diuinam agnoſcat, dum illum videt derelictum, & conſequẽter per ſubſtractionem priſtinæ gratiæ excæcatum; ac concludit: *Ergo cuius vult miſeretur & quem vult indurat*] Sola enim miſericordia Dei factum eſt vt Euangelium gentibus traderetur: poterat enim ſi voluiſſet illud ſolis Iudæis
b Rom. 3. 2. tradere, ſicut *illis ſolis* b *credita ſunt priora eloquia Dei*, & ſola voluntas fuit Dei, vt Iudæorum duritiem nõ ferret amplius; ſed eos penitus abiiceret, ne amplius eſſent neq; dicerentur populus peculiaris Dei; (is iam enim eſt populus Chriſtianus) & conſequẽter etiam indurat eos per iam dictã gratiæ ſubtractionem, vt exceptis illis primis reliquiis, vix vllus amplius ſerio conuertatur, aut ſaltem ſi ſingulis nõ ſit ſubtracta gratia, nec ſinguli ſint indurati, certe vniuerſis ſubtracta ſit, & vniuerſi ſint penitus indurati, & priuilegiis ſpoliati.

CLXXXVII. Ita Iudæis acriter perculſis Paulus, vt adhuc melius huius iuſti Dei iudicij capaces illos efficiat, eorum nomine ſibi obiicit. *Dicis itaq; mihi, quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?*] Et reſpondet, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum? &c. An non habet poteſtatem figulus luti; &c?*] In his quoque Auguſtinus, & ſequaces gratuitam ſuam plurimum corroborant prædeſtinationem. At certe Paulus in diſputationem de prædeſtinatione in hoc capite nũquam eſt ingreſſus, ſed totus eſt, vt conſtat, in confundendo Iudæo, ne ſe ſupra gentilem eueheat. Pergit ergo in eadem conſtans diſputatione: Dicet ergo Iudæus; ſi ita eſt, videlicet Deum voluiſſe deſerere Iudæos, & ad gentiles, tanquam iam ad populum ſuum, ſe transferre, actum ergo eſt de Iudæis, ſaltem in vniuerſum; ergo nunquam amplius ſunt ſuum honorem, ſuaque priuilegia diuina recuperaturi; *Nam voluntati Dei quis reſiſtit?*] Reſpondet Paulus, ita profecto eſſe, ſed non propterea cum Deo contendendum quare id faciat, quia omnes nationes mundi ſunt vna, & eadem maſſa; & in poteſtate figuli eſt ex ſuæ magnæ maſſæ luti parte aliqua facere vnum vas in honorem, alterum in contumeliam; & rurſus refingere vaſa; & illam maſſam ex qua factum fuerat vas in honorem, in vas contumeliæ conuertere; & contra: Sic Deus ex humano genere prius vnam nationem aſſumpſit in ſuum dilectum populum, fecitque eam vas in honorem; reliquas vero voluit eſſe vaſa contumeliæ, hoc eſt non populum ſuum dilectum nec priuilegiatum, nec multis donis ſpiritualibus ornatum. Iam vero idem figulus cum habeat plenum dominium ſuæ maſſæ, nationem dilectam abiicit, vt iam ſit vas contumeliæ, hoc eſt non amplius populus priuilegiatus Dei; & quæ erat abiecta eam eleuat, ſuumque populum dilectum facit. Et hæc confirmat Paulus rurſus per prophetias, quæ ſunt de abiectione populi Iudaici, & electione populi gentilis, vt nullo modo inter clariſſimos tractatus Pauli de hac materia eadem; inſeri poſſit tractatio de particularium hominum prædeſtinatione. Vas ergo in honorem hoc loco apud Paulum non eſt prædeſtinatus, ſed eſt populus diuinus priuilegiis ornatus, qui ſit peculium Dei. Vas vero contumeliæ non ſunt hoc loco reprobi, ſed ſunt reliqui populi qui ad hunc peculiarem Dei populum in terris non ſunt aſſumpti. Sic electio ſecundum propoſitum hoc loco, non ſignificat prædeſtinationem, nec electi ſignificant prædeſtinatos: ſed electio eſt populi Dei inſtitutio, qui in terris ſit Eccleſia Dei viſibilis: & electi ſunt quicunque ad talem ſpectant populum, & ſunt membra viſibilia viſibilis Eccleſiæ: & hoc ſecundum propoſitum, hoc eſt ex mero beneplacito Dei.

Quod ſi Pauli hæc tractatio eſſet de ſingulari in indiuiduis prædeſtinatione ad vitam æternam; quis noſtrum poteſt effugere, ne dicamus Deum abſque vlla cuiuſcunque ſiue meriti, ſiue demeriti conſideratione, alios ad mortem, & hoc gratis, abſque vlla cauſa hominum ex ſolo diuino beneplacito prædeſtinaſſe; alios ſimiliter ad vitam? Nam & exempla Iacobi & Eſau hoc penitus conuincunt, & figuli pariter ſimilitudo; ſi ad ſingulares prædeſtinationes illa ſpectant. Vt enim Iacob, nulla habita conſideratione ſtatus vitæ ipſius; imo ne natiuitatis quidem, diligitur: Ita Eſau neque vita neque natiuitate eius inſpecta, odio habetur. *Sic figulus* cum ex maſſa, quæ adhuc ſit ad omne genus vaſis in pura potentia, aliud vas format in honorem, aliud in contumeliam, ſenſus certe erit Deum homines alios deſtinare ad vitam, alios ad interitum, nulla habita ratione eorum ſtatus vel conditionis, etiam præuiſæ. Non enim poſſumus ſumere maſſam iam corruptam, hoc eſt naturam iam peccato originali infectam: ſic enim iam ipſa maſſa tota eſt maſſa contumeliæ, & nihil honoris. Sed cum vaſa contumeliæ à figulo formata non ſint contumelioſa ex ipſa maſſa, ſed ex ſola voluntate figuli, ſicut & vaſa honoris non ſunt honorabilia ex ipſa maſſa; ſed ex ſola figuli formatione, profecto ſequitur reprobos eſſe vaſa contumeliæ ex ſola Dei voluntate, & non ex maſſa; prædeſtinatos ſimiliter eſſe vaſa honoris. Et hoc iam expedite inuehunt multi neoterici Theologi proteſtantes; quod vidimus exhorruiſſe Patres Cõcilij Arelatenſis & Lugdunenſis ſupra n. 151. 152. Et hoc profecto neceſſario ſequitur ex Auguſtini opinione CLXXXVIII.

nione

tione, quandoquidem vult Paulum iſta de prædeſtinatione & reprobatione ſingulorum hominum differere; quæ aliquibus viſa eſt eſſe hæreſis prædeſtinatorum. Non ergo Paulus de prædeſtinatione ſingulorum differit hoc loco, ſed, vt expoſui, de reprobatione Iudæorum, & aſſumptione Gentilium ad eccleſiam Dei viſibilem & priuilegiatam conſtituendam.

CLXXXIX. Alter locus ex quo Bellar. *a* excludit præſcientiam fidei & operum à prædeſtinatione, eſt item Pauli, *b Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ ſactæ ſunt. Si autem gratia iam non ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia.*] Reſpondeo vt ſupr. n. 181. ad 3. Pauli ſenſum eſſe, Iudæos quidem vniuerſe eſſe abiectos, ne ſint amplius populus Dei, imo & deſertos ac derelictos ab illa ſufficiẽti gratia, qua prius iuuabantur, & ita manſiſſe excæcatos, fuiſſe tamẽ à Deo reliquias aliquas, prout per Prophetas *c* promiſſum fuerat, & in *d* Elia figuratũ, ab vniuerſali hac deſertione liberatas, atq; hoc ex gratia ſingulari, abſque vllo earum merito; nam illę quoq; eandẽ pœnam merebantur, & ex hac mera & pura gratia, non ex vllis operibus data, quæ in ipſis reliquiis præceſſerint antequã conuerterentur, factũ eſt, vt manente auxilio neceſſario illæ Chriſtum ſint amplexæ, & fidei aſſenſum præbuerint, & ſic poſt reiectam Synagogam in eccleſiam ſint ingreſſæ. Itaq; gratia illa quę illis facta eſt nõ eſt gratia prædeſtinationis, ſed gratia non deſertionis, neq; indurationis. Cęterum qui ex his fuerunt vere prædeſtinati, ex præuiſione eorum aſſenſus in fidẽ & perſeuerantiæ in ea, & iuſtitiæ neceſſariæ, ab æterno ſunt prædeſtinati. Et horum prædeſtinationis ſane gratuitæ pars fuit, non fore deſerendos cum reliqua Iudæorum vniuerſitate nec eis gratiam ſufficientem ſubtrahendam, vt cæteris. ſed talem gratiam eſſe eis relinquẽdam, illis videlicet omnibus quotquot credituri à Deo prouidebantur, nam reliquis commune auxilium gratiæ adeo pro conuerſione neceſſarium iam ablatum eſt in pœnam, ita vt iam neque poſſit, vniuerſi ſaltem, conuerti, & hæc eſt pœna grauiſſima, eorum tamen culpæ debita, & iuſta.

a Bellar. de gr. & li. ar. l. 2. c. 10.
b Ro. 11. 5.
c Iſa. 10. 22. & Ro. 9. 27.
d 3. Reg. 19. 18.

CXC. Tertius locus eſt itidem ex Paulo, *e Collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſecularia.*] Hic locus idem continet quod illa Chriſti verba. *f Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis.* Hortatur enim Paulus Timotheum, vt laboret in Euangelio prædicando, vt fidelis miniſter, ad hoc cum reliquis Apoſtolis vocatus, etiam ante tempora ſæcularia; Sunt enim Apoſtoli & diſcipuli ab æterno deſignati ad Apoſtolatum, & miniſterium, & non ex vllis operibus quæ meruerint vlli ex ipſis Apoſtolatum, ſed ex mera Dei electione. & ad hoc officium Apoſtolatus præſtandum data eſt eis ſingularis & extraordinaria gratia mere gratis. Cui libere cooperantes non eſt dubium, etiam ad vitam æternam prædeſtinatos, per præſcientiam tamen. Sed hic locus de hac prædeſtinatione nihil habet, ſed de ſola vocatione ad Apoſtolatũ, & miniſterium. Quinimo etiam prædeſtinatis datur gratia excitans, & præueniens mere gratis; abſque vllo merito, aut præuiſione operis, vt in præcedentibus eſt explicatum; & mera fuit gratia, & gratia ſingularis non communis ab æterno gratis præordinata, vt Chriſtus iam actu exhibitus mundo, illis qui tunc viuebant prædicaretur, qui præcedentibus ætatibus non fuit datus, neque prædicatus; & hanc quoq; gratiam exaggerat hoc loco Paulus ſibi & Timotheo, aliiſq; præſertim Apoſtolis & diſcipulis factam. Manifeſtata eſt, inquit, nunc per illuminationem ſaluatoris noſtri Iesv Christi.

e 2. Tim. 1. 8.
f Io. 15. 16.

CXCI. Sed præter hæc loca à Bellarmino certe tanquã præcipua conſiderata, ſunt & alia quæ alii, præſertim Auguſtinus ſolent vrgere. Ac certe oportet ea eſſe ſatis exigui momenti, ſiquidem Bellarminus iis vti noluerit. Ac primum vidi *g* Auguſtinum ad ſuam illam prædeſtinationem, verba quædam ex Eccleſiaſtico trahere, quæ ſic habent, *h Et omnes homines de ſolo & ex terra, vnde Adam creatus eſt. In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipſis benedixit & exaltauit, & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit, & ex ipſis maledixit & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum quaſi lutum figuli in manu ipſius plaſmare illud & diſponere. Omnes viæ eius ſecundum diſpoſitionem eius, ſic homo in manu illius qui ſe fecit, & reddet illi ſecundum iudicium ſuum.*] Ex his verbis pari ferme ratione atque ex verbis Pauli ad Romanos 9. colligit Auguſtinus eſſe omnium hominum vnam maſſam de traduce peccati; & ex hac prædeſtinatos ſeparari, alios relinqui & reprobari. Sed hic locus vel maxime confirmat expoſitionem ſupra, num 187. poſitam. Aperte enim Ieſus Sirach loquitur de ſeparatione populi fidelis ab infideli, quo ad eccleſiam terrenam viſibilem, vt de ſeparatione Abraami, Iſaaci, Iacobi; & eius ſtirpis Iſraeliticæ, à reliquis gentibus quibus dicitur Deus maledixiſſe, hoc eſt eos deſeruiſſe, neque ſui reuelatione & manifeſtatione tam clara donaſſe.

g Aug. ad Simpl. l. 1. q. 2.
h Eccl. 33. 10.

CXCII. Dictum Ioannis, *i Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. quod ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent nobiſcũ* ad prædeſtinatos applicat *k* Auguſtinus, & ſane merito: Si enim vere prædeſtinati fuiſſent, vere etiam perſeueraſſent vſque in finem in fide & iuſtitia: nõ ergo erant ex iis quos Deus præſciuit credituros, & perſeueraturos; Et hi non perſeuerabant, non quia Deus donum perſeuerantiæ eis negauiſſet; tanquam non prædeſtinatis, ſed quia perſeuerare noluerunt, cum tamen poſſent, cum gratia adiuuante, quæ omnibus, ſuis ſaltem temporibus, parata eſt. Et quia Deus eos præſciuerat non eſſe perſeueraturos, ideo eos non prædeſtinarat, nec in filios adoptarat, & ideo non erant ex nobis, id eſt ex ſocietate Apoſtolorum iam prædeſtinatorum. Dices; *Nonne Ioannes hoc vtitur tanquam ſigno à poſteriori illos non fuiſſe prædeſtinatos, quia non perſeuerabant? Igitur ſicut negatio perſeuerantiæ à poſteriori arguit negationem prædeſtinationis, iam poſitio perſeuerantiæ erit ſignum à poſteriori poſitionis prædeſtinationis. Si ſunt ſigna à poſteriori; igitur prædeſtinatio prior eſt perſeuerantia, & perſeuerantia effectus erit prædeſtinationis.*] Reſpondeo, Perſeuerantia in facto eſt ſignum à poſteriori prædeſtinationis ab æterno factæ in mente Dei, non quod perſeuerantia ſit effectus prædeſtinationis, ſed quia prædeſtinatio præſupponit perſeuerantiam; Ergo vbi non eſt perſeuerantia, non eſt prædeſtinatio. At vero perſeuerantia in præſcientia eſt prior prædeſtinatione; vt eſt explicatum.

i Io. 2. 19.
k Aug. de correp. & gra. c. 9. & de bono perſeu. c. 8.

CXCIII. Ex Lucæ Euangelio ſumit idem Auguſtinus verba illa, *l Si ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra, ſin autem, ad vos reuertetur;* & ſic ea ad ſuum propoſitum accommodat. *m Nobis quidem tunc incipit eſſe quiſque filius pacis, cum obedierit & crediderit Euangelio, & ex fide iuſtificatus pacem ad Deum habere cœperit: ſecundum autem prædeſtinationem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictum eſt, ſuper quem requieuerit pax veſtra,*

l Luc 10. 16.
m Aug. de correp. & gr. c. 15.

fiet filius pacis, ſed vbi fuerit, inquit, *filius pacis requieſcet ſuper eum pax veſtra.*] Pacem vero intelligit hoc loco Auguſtinus ipſam euangelicam prædicationem, iuxta illud, a *Speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona*, & ita vult ideo Euangelio credere credentem, quia prædeſtinatus eſt, & iam filius pacis ex prædeſtinatione; & non econtra, ideo fieri aliquem filium pacis & prædeſtinatum, quia credit Euangelio.] Reſpondeo, coactam videri hanc huius loci expoſitionem, non enim ſermo hic eſt de pace illa quam ponit Euangelium, dum regenerat hominem, & reconciliat Deo, vt iam pacem habeat cum Deo, & cum propria conſcientia: ſed eſſe ſermonem de pace ſalutationis. In quancunque domum intraueritis, primum dicite: pax huic domui, & ſane tunc nondum Apoſtoli prædicabant euangelium, ſed pœnitentiam tantum, & diſponebant homines ad recipiendum Chriſtum, vt tractatum eſt à me lib. 1. cap. 2. num. 3 nec dum enim erat abſolutum Euangelium in cruce, at vero myſterium crucis & reſurrectionis, erat præcipua Euangelica prædicatio, b *Prædicamus Chriſtum crucifixum*: c *Conſenior ego, & teſtis Chriſti paſſionum*: tunc ergo prædicatio illa non dabat hanc pacem, neque dictum fuerat Apoſtolis, d *Euntes docete omnes gentes.* Pax ergo hæc eſt pax ſalutationis humanæ; *Pax huic domui*; quæ eſt bona, & pia imprecatio, & non ſine effectu, vt in ea domo ſit pax, ſi in ea fuerit filius pacis, id eſt aliquis, qui dignus ſit & capax bonorum imprecatorum temporalium, & ſpiritualium. Si vero indigni fuerint illi, qui huius bonæ imprecationis effectum recipiant, tunc pax reuertetur ad vos, & in vobis ipſis, qui aliis pacem imprecati fueritis, ſuum effectum hæc imprecatio obtinebit. Quid hæc ad prædeſtinatos, & prædeſtinationem?

a Rom. 10. 15.
b 1. Cor. 1. 23.
c 1. Pet. 5. 1
d Matt. 28. 19.

CXCIV. Prædicante Paulo Antiochiæ Piſidiæ, e *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*] Producitur hic locus paſſim ab iis, qui gratuitam defendunt prædeſtinationem: Hic enim videtur poni cauſa cur illi crediderint, fuiſſe, quia iam erāt præordinati, hoc eſt prædeſtinati ad vitam æternam; quod dici non poſſet, ſi prædeſtinatio eſſet ex præſcientia fidei, aut ſaltem poſt præſcientiam ipſam.] Reſpondeo, hęc verba eſſe copulatiue tantum accipienda, non cauſatiue, neque illatiue; nam & multi ſcholaſtici, qui ſunt in prima ſententia cum Auguſtino, tenent prædeſtinationem ad gloriam, ſiue vitam æternam, eſſe ex præſcientia bonorum operum, per quæ Deus præordinauerit vitam æternam eſſe comparandam, tanquam mercedem, & præmium. Qui igitur ſunt in hac ſecunda opinione, dicent ſimiliter copulatiue hunc locum eſſe ſumendum, etiam in prædeſtinatione adptionis in filios Dei, & non cauſatiue, hoc ſenſu: Crediderunt quotquot erant prædeſtinati; nam prædeſtinati non ſunt niſi credant, & hoc idem eſt, ac ſi diceret ſcriptura, crediderunt omnes illi quos ab æterno Deus præuidens eſſe credituros, iam in ſuos filios ſibi ſua voluntate adoptarat. Similis eſt locus in iiſdem Actis, vbi Petrus in prima ſua concione ait Iudæis, f *Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt* (hoc eſt gentilibus) *quoſcunq; aduocauerit Dominus Deus noſter.*] Iam audiuerat Petrus, cum reliquis Apoſtolis ex ore Chriſti, g *Euntes in vniuerſum mundum, docete omnes gentes, &c.* Sed nondum quiſquam extra Iudæam Chriſtum prædicarat. At vero id omnino ex mandato Chriſti futurum eſſe ſciebat: ideo nolebat putarent Iudæi ipſis ſolis ſalutem eſſe promiſſam ſi credant in Chriſtum, ſed etiam gentilibus omnibus quoſcunque aduocauerit Dominus, id eſt, ad quoſcunque euangelium erat deferendum, erat autem deferendum ad omnes gentes. Et ſermo eſt de repromiſſione in genere, non de prædeſtinatione in indiuiduis. Salutem nimirum per Chriſtum deſtinatam eſſe in genere, primum Iudæis, deinde etiam gentilibus, quibus euangelium, iuſſu Domini, prædicatum fuerit, & ſic vocationem externam habuerint. Nam neq; omnes Iudæi quibus repromiſſionem & filiis ipſorum factam dicit Petrus erant prædeſtinati in indiuiduo? Generalis ergo promiſſio ſalutis & Iudæis facta eſt omnibus, ſub conditione, ſi crediderint in Chriſtum; & gentibus pariter, iis nimirum ad quos vocatio externa peruenerit, & illi crediderint. Suppoſita pro vtriſque gratia præueniente omnibus neceſſaria, & ſane omnibus ad ſufficientiam parata.

e Act. 13. 48.
f Act. 2. 39.
g Marc. vlt.

CXCV. Solent & illa loca ex Euangeliis adduci. h *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis: Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante.* Et, i *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.*] Ecce, inquiunt, abſque præuiſione vlla operum ex ſolo beneplacito Patris reuelantur myſteria paruulis, & puſillo gregi prædeſtinatur Regnum cœleſte.] Reſpondeo, priorem locum non poſſe niſi valde violenter trahi ad prædeſtinationem. Reuelate enim myſteria alicui non eſt illum prædeſtinare. Et ſane inter illos paruulos, quibus Chriſtus fatetur factam eſſe à Patre reuelationem, nimirum diuinitatis filii, erat Iudas quoque peſſimus, tamen reprobus, & quotidie reuelat Pater illa eadem myſteria, per prædicationem miniſtrorum innumeris fidelibus, & tamen non omnes ſunt prædeſtinati. Et reuelare ex parte Dei quidem eſt mera gratia, & miſericordia, at vero aſſentiri reuelationi eique credere eſt liberi arbitrii, ſed gratia præuenienti præparati, ac diſpoſiti. Ac demum poſſunt illa verba de vocatione, & præparatione Apoſtolorum commode intelligi, fuiſſe paruulos rudes, & imperitos piſcatores electos ſola diuina volūtate, quod certiſſimum eſt, iiſque commiſſa altiſſima myſteria, quæ illi toti orbi communicarent, & ad hoc noluit eligere ſapientes & prudentes huius ſæculi. Alter locus ſignificat etiam gloriam ipſam cœleſtem non debere proprie meritis vllis noſtris, vllisue operibus, niſi ex diuina liberalitate, & ſimplici beneplacito ac promiſſo, de quo poſtea agam.

h Matt. 11. 25.
i Luc. 12. 32

CXCVI. Addam ad extremum locum ex ſapientia quem conſiderat Auguſtinus: k *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, l *Donum nimirum gratiæ eſſe ex ſimplici Dei voluntate, & prædeſtinatione, vt morte rapiatur aliquis baptizatus in infantili vel pueriliætate, antequam periculis peccandi exponatur.*] Reſpondeo primo, poſſe alio modo inde colligi argumentum contra primam, pro ſecunda opinione, nimirum præſcientiam præcedere ac præire prædeſtinationem. Quia enim Deus in aliquo, ſi viueret diutius, præuidet malum vſum liberi arbitrii, hominem morte præuenit, ne peccet; relinquit vero viuere illum, quem præuidet ſuo arbitrio bene vſurum, & ſic vtroſque prædeſtinauit ex præſcientia, illum poſt præuiſionem Baptiſmi, vel fidei parentum, aut eccleſiæ, applicandæ infanti; hunc vero ex prçuiſione boni vſus arbitrii. Reſpondeo ſecundo, particulam illam, *vt*, non ſignificare cauſam, ſed effectum: vt vbi dicitur, Hoc factū eſt vt impleretur ſcriptura, &c. illud *Vt* non ſignificat cauſam, ſed effectum: Non enim id ideo factum quia Scriptura prædixit, ſed

k Sap. 4. 11.
l Aug. de prædeſt. SS c. 14.

ideo Scriptura prædixit quia faciendum erat. Sic iſte qui in bono ſtatu rapitur, non ideo rapitur vt malitiam euitet, ſed ideo euitauit malitiam quia raptus eſt. Et eſt ſenſus huius loci talis: Raptus eſt. & inde ſecutum eſt, vt non fuerit expoſitus periculo malitiæ. Præterea verba illa, *raptus eſt*, non ſignificant neceſſario Deum voluiſſe voluntate poſitiua vt ille moriatur, etiam antequam naturalis ei mors accideret: Non enim Deus ordinarium curſum naturæ impedit, niſi ex graui cauſa, & raro, nec ſine miraculo. At nos etiam de morte naturali pueri merito dicemus, raptus eſt ne malitia, &c hoc eſt fœliciter cum eo actum eſt, quod periculis labendi in peccata ſit erutus. Opponebant etiam Auguſtino hunc locum tractanti, eius *a* aduerſarii, locum ex ſapientia non debere vrgeri ad dogmata, quia ſapientia non erat liber Canonicus, ſed Auguſtinus *b* propugnat huius libri eſſe diuinam autoritatem; at Canonicum eſſe non contendit.

a Hilar in ep. ad Aug. *b* Aug. de prædeſt. ſ. c. 14 & de bono perſeu. c. 17.

LXCVII. Atque hæc ſunt loca Scripturæ, ex quibus ſibi Auguſtinus adeo fixe ſuam perſuaſit de gratuita prædeſtinatione ſententiam, vt *c* contra eam non poſſe aſſerat niſi errando diſputari; Imo etiam abſolute *d* firma fide credendam & tenendam eſſe affirmat; merito ne an immerito ex horum locorum explicationibus iudicent alii; ſed multo plus iudicent quid ſit dicendum de cenſuris Proſperi, & Petri Diaconi, aliorumque quos protulit ſupra Bellarminus, numero 134. Nos vero videamus an ex traditione Eccleſiæ poſſit Bellarminus Auguſtinianam tueri ſententiam, vt *e* profitetur: quæ vero fuerit Eccleſiæ traditio ante Auguſtinum, ſatis clare colligi poteſt ex Patribus quos pro hac ſecunda opinione ſupra protuli numero 162. & ſequent. Sed Auguſtinus vt ſibi fauentes adduxit. *f* Cyprianum, Ambroſium, & Nazianzenum. Cyprianus enim docuit *g* *Et initium fidei, & perſeuerantiam eſſe donum Dei.* Ambroſius *h* Lucam ſcripſiſſe aſſerit ea, quæ Chriſtus in ipſo loquebatur, *qui, vt id quod bonum eſt*, inquit, *nobis quoque videri bonum poſſit, operatur: quem enim miſeretur & vocat ——— à DEO enim præparatur voluntas hominum. Vt enim DEVS ſanctificetur à ſancto, DEI gratia eſt.* Et poſtea cum ad illum Lucæ locum veniſſet Ambroſius, vbi Dominum ad Hieruſalem pergentem Samaritani recipere noluerunt. *DEVS*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit.*] Nazianzenus demum & credere in Deum, inquit Auguſtinus, & quod credimus confiteri, Dei donum eſſe teſtatur, dicens: *Vnius Deitatu quæſumus vos confitemini Trinitatem. Si vero aliter vultis, dicite, vnius eſſe naturæ, & Deus vocem dari vobis à ſancto ſpiritu deprecabitur, id eſt, rogabitur Deus vt permittat dari vobis vocem, qua quod creditis confiteri poßitis. Dabit enim, certus ſum qui dedit quod primum eſt, dabit & quod ſecundum, qui dedit credere, dabit & confiteri.*]

c Idem de bo. perſeu c. 8. *d* Idem de fide ad Pet. l. 3 c. 43. *e* Bellar de gra. & lib. arb. l. 2. c. 11. *f* Aug de bo. perſeu. c. 9. *g* Cypr de orat. Dom. *h* Ambr. in Lucæ proœm.

CXCVIII. Cyprianum nos ſupra numero 78. liberi pleni arbitrii, non minus quam neceſſitatis gratiæ vidimus eſſe defenſorem. Idem de Ambroſio & Nazianzeno non dubitamus. Itaque nihil aliud in his locis ſibi volunt niſi liberum arbitrium cum adiumento gratiæ bonum operari, & ſine gratia ipſum nihil boni poſſe. Cyprianus igitur initium fidei tribuit gratiæ præuenienti, & perſeuerantiam gratiæ adiuuanti; quod hæc ſecunda opinio acriter tuetur; ſed ſoli gratiæ, excluſa plene voluntatis humanæ libertate; Cyprianus illa non tribuit. Ambroſius ibidem expreſſe includit liberum arbitrium. Interrogatum enim fidelem, cur eſſe voluerit Chriſtianus, ait reſpondere, *ita viſum eſt mihi, quod cum dicit*, inquit Ambroſ. *non negat Deo viſum; à Deo enim præparatur voluntas hominum.*] Per gratiam nimirum præuenientem, nam & aliud eſt Deum præparare voluntatem, aliud flectere, ac efficere effectiue & phyſice vt illa velit; Et vt DEVS honorificetur à ſancto, gratia eſt, quia ſine gratia adiuuante nihil poſſumus. Vbi vero ait Ambroſius, DEVS quos dignatur vocat, & quem vult religioſum facit, certum eſt ipſum loqui de admittendo Chriſto mortali in hoſpitium corporale: nam de tali hoſpitio tunc erat apud Lucam ſermo. Hoc eſt ſi Chriſtus voluiſſet dignari Samaritanos tali gratia, vt illum hoſpitem haberent, bene potuiſſet eorum mentes & corda diſponere, vt fecit cum Zachæo, & cum illo apud quem vltimam cœnam cum ſuis diſcipulis manducauit, & vt diſpoſuit cor illius qui erat Dominus aſinæ illius & pulli, qua vehi voluit in Hieruſalem, quos ille extraordinario modo diſpoſuit vt eſſent ei religioſi, hoc eſt obſequioſi. Hinc tamen ſi quis vult allegoriam ab Ambroſio eleuari, etiam ad vocationem æternæ ſalutis, & ad fidei religioſitatem, ſciat non poſſe plenam allegoriam huic loco quadrare; nam locus eſt de ſingulari, & extraordinaria gratia hoſpitij corporalis, quæ non eſt communis omnibus, ſed pauciſſimis ex mera Chriſti voluntate. At vero ſalus æterna omnibus proponitur, & omnibus ad eam dantur auxilia ſufficientia, & ita illa verba, *quos dignatur*, intelligenda ſunt, quos ab æterno dignos eſſe præuidit, non quidem dignos ex propriis eorum meritis, ſed dignos ex benigno ſuo decreto ſaluare ſtatuit omnes conſtanter credentes, & cum iuſtitia decedentes. Nazianzenus demum ait, *Deum dare nobis & credere & confiteri*, quia ſine gratia præueniente, quæ eſt mere gratuitum donum, nemo credit, & ſine gratia adiuuante nemo confitetur. Atque ita hi tres Patres Auguſtini ſententiam non tuentur, neque ad eam poſſunt, niſi cum violentia, trahi. Bellarminianas rationes ex ſcriptura deductas, ſupra num 135. breuiter expendamus.

Ad primam, Fides eſt donum Dei, quia ſine gratia præueniente nemini datur, gratia vero præueniens eſt merum donum Dei: ſed hæc gratia datur omnibus ſaltem pro ſuo tempore, & ſic nemo eſt qui gratiam à Deo ſufficientem non habeat qua poſſit credere, ſi velit, & hoc eſt multo magis pium & ſcripturis conforme, quæ ad fidem inuitant omnes, & infidelitatem in omnibus docent eſſe peccatum, quam oppoſitum. Ad ſecundum, Perſeuerantia eſt donum Dei, quia ſine gratia adiuuante nemo poteſt perſeuerare; ſed hæc ordinarie omnibus eſt parata, & ſic in voluntate hominis conſiſtit, cum dicta gratia, vt perſeueret, niſi in pœnam iuſtam alicuius peccati ille à Deo deſeratur. Ad tertium, de infantibus ſupra eſt reſponſum, numero 180. Ad quartum, eſt longe diſpar ratio à prædeſtinatione Chriſti ad noſtram; Chriſti prædeſtinatio. eſt ad vnionem hypoſtaticam, & filiationem naturalem: noſtra ad adoptionem. Chriſtus ex hac vnione à primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit liberum arbitrium humanum determinatũ infallibiliter in omnibus ad voluntatẽ diuinam. Erat enim ſimul & viator & comprehenſor, & anima ipſius erat beata & glorificata ſtatim quando infuſa eſt in corpus, & clare videbat Deũ, CXCIX.

& tota

& tota in ipſum conuerſa erat, monente interim in [illegible] ſua libertate cum indifferentia, tanquam in [illegible]. In homine vero viatore eſt liberum arbitrium [illegible] indifferens, ideoque præuidendum quid ſit facturum antequam homo prædeſtinetur, & velit ne accedere ad Chriſtum, nec ne: Chriſtus vero non poterat non accedere in ipſo inſtanti conceptionis & animationis ad Deum inſeparabiliter; Et homines prædeſtinantur per Chriſtum ipſorum mediatorem cum quo prius debent vniri. At Chriſtus non prædeſtinatur per vllum mediatorẽ. Sunt & aliæ innumerabiles differentię, vt nullo modo ſit admittenda paritas.

CC. Ad 5. Vaſa miſericordiæ ſunt quæ beneficio gratiæ ſe emundauerunt à contumelia; & hæc eſt ingens gratia quod habuerint à Deo, vt poſſent ſe emundare; ac inde magna gratia fuit quod in filios ſint adoptati, & regni hæreditate donati, non ex vlla iuſtitia, ſed ex mera miſericordia, quia cooperatio illa voluntatis liberæ, non habet rationem meriti, vt eſt explicatum, num. 174. Ad 6. Admiratio illa & ſtupor, eſt circa abiectionem Iudæorum, & aſſumptionem Gentilium in populum Dei, quæ eſt ex libera & ſimplici voluntate Dei: & ſtupor ille & admiratio non eſt de ſingulis prædeſtinatis. Cur enim vnus prædeſtinetur, alius reprobetur, habemus in Scripturis cauſam euidentem, diuinum decretum, & humanam liberam voluntatem adiumentis gratiæ libere vtentem. Ad 7. Reſponſum eſt ſupra num. 107. 117. Hæc pro ſecunda opinione de prædeſtinatione ex præſcientia, contra priorem opinionem de gratuita prædeſtinatione coaceruaui; non quod priorem Auguſtini ſententiam demoliri tentauerim, ſed vt ſuam alteri opinioni probabilitatem & magnam confirmarem, vt hac ratione eccleſiæ inter ſe propter hanc ſcholaſticam diſputationem diſſidentes, mutua toleratione charitatem foueant, à ſchiſmateque abhorreant, quod in pluribus aliis diſputabilibus controuerſiis cum Dei gratia conabor.

CCI. In his tamen peculiaribus controuerſiis de gratia, de libero arbitrio, de prædeſtinatione, non debere vllo modo alterutram partem condemnari, ſed debere eos qui Auguſtinianam tuentur ſententiam contraria ſentientes omnino cum charitate tolerare, monet expreſſe ipſemet Auguſtinus; qui ſicut Pelagianos, & Semipelagianos errores noluit tolerari, ita iis damnatis, ſi quis ipſius ſententiam non caperet in reliquis, quam fatetur eſſe obſcuram, eum omnino eſſe tolerandũ ſtatuit; Ait enim, a *Nunciatum eſt mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in veſtra congregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, per quos & iſta direximus, quod de hac re diſſenſiones in vobis ſint. Itaq; dilectiſſimi ne vos perturbet huius quæſtionis obſcuritas, moneo vos primum, vt de iis quæ intelligitis agatis Deo gratias; quicquid eſt autem quo peruenire nondum poteſt veſtra mentis intentio, pacem inter vos, & charitatem ſeruantes, à Domino vt intelligatis orate. Et donec vos ipſe perducat ad ea quæ nõdum intelligitis, ibi ambulate quo peruenire potuiſtis. Hoc admonet Apoſtolus Paulus, qui cum dixiſſet nondum ſe eſſe perfectum, paulo poſt ait. Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus, id eſt, ita nos eſſe perfectos, vt nondum ad perfectionem qua nobis ſufficit venerimus, continuoque ſubiunxit. Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod peruenimus, & quo nondum peruenimus peruenire poterimus, Deo nobis reuelante ſi quid aliter ſapimus, ſi ea quæ iam reuelauit non relinquamus. Reuelauit autem nobis per ſcripturas ſuas ſanctas, eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium, &c.*]

a Aug de gr. & lib. arb. c.1.

Eundemque librum ſic contulit, b *Repetite aſſidue librum iſtum & ſi intelligitis, Deo gratias agite: Vbi autem non intelligitis, orate vt intelligatis, Dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote ſcriptum eſſe.* c Si quis veſtrum indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Ipſa eſt ſapientia deſurſum deſcendens, *ſicut ipſe Apoſtolus Iacobus dicit, Illam vero ſapientiam repellite à vobis. & orate vt non ſit in vobis, quam deteſtatus eſt, vbi ait,* d Quod ſi Zelum amarum habetis, & contentiones in vobis ſint, non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim Zelus & contentio eſt, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, plena miſericordia, & fructibus bonis, inæſtimabilis, ſine ſimulatione. *Quid boni ergo non habebit, qui hanc ſapientiam poſtularit & impetrarit à Domino?*] Cur ergo turbas tantas cieant Thomiſtæ noſtri, & pacem eccleſiæ turbent, Pontificemque adigant, vt eam opinionem damnet, quam ipſe Auguſtinus omnino tolerandam eſſe cenſuit, & à ſolo Deo expectandum, veritatem aperiat, quam adhuc poſt tot editos à ſe libros in hanc ſententiam fatetur eſſe obſcuram? Cur reliquæ quoque Eccleſię Auguſtino in hac controuerſia hærentes non cedunt aliquid iis, quibus ipſe Auguſtinus omnino cedendum eſſe conclamat, ne propter hæc diſſidia de rebus non admodum claris, neque neceſſariis, imo obſcuris, pax eccleſiarum turbetur?

b Ibi c. vlt.
c Iac. 1. 5.
d Iac. 3. 14.

Q*VÆSTIO QVINTA. In quo hominis iuſtificatio, & iuſtitia conſiſtat;* Iuſtificari hic nunc intelligitur homo, quando ex iniuſto coram Deo, & peccatore, ac conſequenter ex filio iræ, fit iuſtus, gratus, & acceptus Deo, amicuſque & filius adoptiuus? Illudque quod apud omnes qui catholicam profitentur veritatem, certum eſt, ac indubitatum, minimeq; controuerſum, & circa cauſas e quatuor quæ in omni effectu ſolent adeſſe, & ſpiritualibus quoque adaptantur, Materiam ſeu ſubiectum in quo fit iuſtificatio, eſſe hominem, ſeu potius animam hominis, aut voluntatem: formam eſſe ipſam iuſtitiam, quæ ſit iuſtificationis terminus, & effectus; efficiens principale eſſe Deum, per ſuam bonitatem & miſericordiam; efficiens meritorium eſſe Chriſtum per ſuam paſſionem, & per ſua merita; efficiens inſtrumentale coniunctum, eſſe humanitatem Chriſti, inſtrumentale ſeparatum, eſſe verbum Dei prædicatum, ſacramenta, & ſacramentorum miniſtros; Finem denique eſſe Dei & Chriſti gloriam, & hominum æternam ſalutem. Cauſa finalis, & efficiens caret controuerſia penitus: reliquæ duæ cauſæ habent ſuas aliquot difficultates. In materiali cauſa eſt prima difficultas, quænam diſpoſitiones requirantur ex parte hominis, tanquam neceſſariæ ad iuſtificationem. In formali, eſt ſecunda difficultas, in quo conſiſtit formaliter hæc iuſtitia: In eadem formali eſt tertia difficultas, quanta certitudo habeatur ab homine de ſua iuſtitia; Quarta difficultas, an iuſtitia hæc ſemel ſerio acquiſita amitti poſſit, & iterum recuperari: Quas difficultates non ego tanti momenti eſſe inuenio, vt poſſint eſſe iuſta cauſa ſeparationis, & ſchiſmatis, quod conabor oſtendere, modo debitæ apponantur cautelæ & moderationes. CCII.

e Bellar. de Iuſtif. l. 1. c. 2.

Quo ad primam difficultatem circa hominis iuſtificationem, illud apud omnes recte de rebus diuinis ſentientes clarum eſt, & manifeſtum, *ante omnia fidem homini iuſtificando eſſe neceſſariam;* fidem CCIII.

nimirum

nimirum Catholicam, qua omnibus à Deo reuela-
tis aſſentimur; ſed fidem potiſſimũ in Ieſum Chri-
a Io.17.3. ſtum Redemptorẽ; *a Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt*
te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:
b Heb.11.6 Hæc igitur eſt vita animæ. & *b ſine fide hac impoßibile*
eſt placere Deo; & ideo merito omnes in prima homi-
nis irregenerati conuerſione ponunt fidem, & aſ-
ſenſum Deo ad Chriſtum vocanti: & hæc conuer-
ſio proculdubio eſt ipſa iuſtificatio: quorſum enim
c 1. Tim.1. Chriſtus venit in mundum? certe *c peccatores ſaluos*
15. *facere* hoc eſt iuſtificare, & ad eos ſaluandos quid
primum requirebat & conabatur, niſi vt in ipſum
d Io.3.16. crederent? *d Vt omnis qui credit in eum nõ pereat, ſed ha-*
e Io.11.26. *beat vitam æternam. e Qui credit in me non morietur in*
f Prou.15. *æternum. f Per miſericordiam & fidem purgantur pecca-*
27. *ta.*] Ad iuſtificationem enim hominis præcipuum
quod requiritur, eſt ex parte Dei ipſius miſericor-
dia, & primum quod Deus requirit ex parte homi-
g Act 26. nis eſt fides. Paulus miſſus eſt à Chriſto *g aperire ocu-*
18. *los gentium*, inquit Dominus, *vt conuertantur à tenebris*
ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad Deum vt accipiant re-
miſsionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos, per fidem
h Ro.3 24. *quæ eſt in me.*] *h iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per*
redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem poſuit Deus
i Act.10.43. *propitiationem per fidem in ſanguine ipſius. i Huic omnes*
prophetæ teſtimonium perhibent, remiſsionem peccatorum
k Act.13. *accipere, per nomen eius omnes qui credunt in eum. k Per*
38. *hunc vobis remißio peccatorum annunciatur ab omni-*
bus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi iuſtificari, in hoc
omnis qui credit iuſtificatur.] Hæc ſunt clariſſima te-
ſtimonia de fide ſaltem diſpoſitiue iuſtificante,
eam eſſe fidem catholicam, qua credimus in Chri-
ſtum.

CCIV. Quare etiam Patres paſſim huic eidem fidei tan-
quam præcipuo inſtrumento, ſeu cõditioni ex par-
te hominis à Deo requiſitæ, tribuũt ipſius hominis
l Aug. ep. iuſtificationẽ. Auguſt. *l Sed nec ipſa remißio peccatorũ*
105. *ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat, neq; enim nul-*
m Luc.18. *lum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat, m Deus propitius*
13. *eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus.*] Hic publi-
canus fide illa iuſtificationẽ obtinuit, qua credebat
Deum eſſe peccatorũ remiſſorem, & ab eo ſolo re-
miſſionẽ expectandam & expetendam. Ait quoq;
n Aug. con. Auguſt. *n Noſtra fides*, h.e. catholica fides, *iuſtos ab in-*
duas ep. *iuſtis, non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit: quia iuſtus ex*
Pel. l.3. c.5. *fide viuit.*] Hic etiam ſermo apertus eſt de fide iuſti-
o Idem in ficante. Ait prætcrea idem Auguſtinus, *o Sed fortaſ-*
Pſ.31. *ſe ex operibus? Non*, inquit, *ex operibus, ne quis extollatur*
--- iuſtitiam enim homo non operatur, niſi iuſtificatus:
Credens autem in eum qui iuſtificat impium, à fide incipit,
vt bona opera non præcedentia quod meruit, ſed conſequen-
tia quod accepit, oſtendant.] Et quia obiici poterant
actus pœnitentiæ præcedentes, addit: *Vnde ergo illa*
confeßio? Nondum quidem opus eſt iuſtitiæ, ſed delicti im-
p Orig. in *probatio.*] De quo nos ſupra l.5 c.7 n.4. Orig. quo-
ep. ad Ro. que iam ſic ſcripſerat, *p Initium namq; iuſtificati à Deo*
c.4 l.4. *fides eſt, qua credit in iuſtificantem.*] Alios Patres hanc
q Bellar. de ipſam fidem in iuſtificatione requirentes colligit *q*
iuſt. l.1. Bellar. Eos apud ipſum quiſque videre poteſt.
c.9.

CCV. Qui vero fidem immediate & proxime iuſtifi-
cantem volunt eſſe fidem ſpecialem, ſeu fiduciam
qua quis credat ſibi eſſe remiſſa peccata, non ne-
gant, vt puto, fidem quoq; hanc quam illi vocant
hiſtoricam, id eſt, qua credimus in Chriſtum, & fi-
dei reliquis articulis aſſentimur, eſſe admodũ, imo
principaliter neceſſariam ad infidelis, ſeu peccato-
ris iuſtificationem: ſed formalitatem quærunt, quid
nimirum ſit id quo, nõ quaſi merito, ſed quaſi ma-
nu ipſam proxime apprehendimus iuſtificationẽ,
vt Deus ſua gratia & benignitate illam offerat, nos
vero hac fide ſeu fiducia, illam acceptemus & ap-
prehendamus. Cum tamen fiducia hæc, ſi reduca-
tur ad actũ ſpei, præcedat iuſtificationẽ, ſi vero ſit
actus fidei ſpecialis qua credamus nobis eſſe remiſ-
ſa peccata, iuſtificatione ſit poſterior, feratq; ſecũ
multa incõmoda contra illud Pauli; *r Cum metu &* r Phil.2.12.
tremore veſtrã ſalutẽ operamini; periculũq; ſit, ne quis
hanc opinionẽ bene intelligẽs putet excludi mul-
ta, quæ Scriptura ad iuſtificationẽ hominis ſolere
concurrere teſtatur, de quibus infra, inde opinio
hæc à noſtris non approbatur. Sed cum hęc ipſa fi-
ducia ad ſolam quandã ſpectet formalitatẽ Theo-
logicam; in re vero cõſentiamus, & fidem, & mul-
ta alia iuſtificationi adeſſe, facile eſſet hanc diſſen-
ſionem componere. Certe Paulus fiduciam noſtrã,
& confidentiam, qua accedimus ad Chriſtum, fi-
dei effectum eſſe dixit; *ſ In quo habemus*, inquit, *fidu-* ſ Eph.3.12.
ciam & acceſſum in confidentia per fidem eius.]

Fatendum profecto eſt, fidem, ſi in ſola ſua pura CCVI.
formalitate ſumatur, quatenus eſt ſolius actus in-
tellectus (& hanc puto vocari à modernis hiſtori-
cam) nõ poſſe apprehendere iuſtificationem; nam
Dæmones quoq; ſic credunt, ſed nõ propterea iu-
ſtificãtur; ſed in vera & viua fide nos, præter actũ in-
tellectus, quo ille aſſentitur rei reuelatæ, ponimus
etiam bonam diſpoſitionẽ voluntatis, quæ inchoa-
ta charitate erga Deum iam fide hiſtorica apprehẽ-
ſum afficiatur, eiq; ſe ipſam ſubdat, & ad ei paren-
dum diſponat, magnamq; in eum ſp[e]m collocet,
concipiatq; fiduciam. Qui ergo ſeparant formali-
tates haſce, & hos actus voluntatis vt diuerſos con-
cipiunt ab actu intellectus; in quo ſolo collocant
fidei formalitatẽ, merito dicunt ab his voluntatis
actibus, qui ſubſequuntur hiſtoricam fidẽ, appre-
hendi proxime & directe ipſam iuſtificationem, nõ
vero ab ipſa fide hiſtorica. Qui vero fidẽ integrant,
vt paſſim faciunt noſtri, ex actu intellectus, & his
actibus voluntatis ſimul, merito illi quoq; iuſtifi-
cationem tribuunt fidei catholicæ, quæ ſane diuer-
ſa eſt à fide, quam iſti alii vocant hiſtoricam. Hiſto-
rica enim iſtis eſt, qua intellectus ſolus aſſentitur
reuelatis. Catholica autem eſt hæc ipſa ſed ſimul
etiam cũ bonis illis affectibus piæ voluntatis: Atq;
hinc, ni fallor, poteſt vtraq; pars facile conciliari.

Fidem porro, etiam ſumpta iam fide in ſuo ſenſu CCVII.
ordinario pro fide catholica, qua in Chriſtum cre-
dimus, ſolã eſſe quæ iuſtificet, abſq; aliis operibus,
contendunt multi in eccleſiis reformatis: ſed pro-
fecto *t fidem viuam* intelligunt illam *quæ per charita-* t Gal.5.6.
tem operatur, licet contendãt fidem eſſe quæ iuſti-
ficet, charitatem vero & alias virtutes adeſſe quidẽ,
eas tamen iuſtificationẽ proxime nõ attingere. Ec-
ce tibi denuo formalitates Theologicas, & in ver-
bis pugnam, non in rebus. Mihi ſane illud conſide-
rãdum videtur, inter omnia quæ ex parte hominis
iuſtificandi à Deo requiruntur, ordinarie tanquã
aliquid poſitiuum, & ſemper neceſſariũ, videri hoc
eſſe ſolam fidẽ; ſi quid verò aliud quis requirat, pu-
ta charitatem, quia dicit Scriptura, *u qui non diligit,* u 1.Io.3.14.
manet in morte & conſequenter iuſtus non ſit, quia
iuſtitia vita eſt, id requiri tantum negatiue, vt vide-
licet cum fide non ſit reus tranſgreſſionis manda-
torũ decalogi, quæ excepto primo primæ tabulæ,
quod fidem poſtulat; & primo ſecundæ tabulæ de
honorandis parentibus, omnia ſunt negatiua; &
nullum actum poſitiuum requirunt.

Adſit ergo fides ſola (De ſacramenti neceſſita- CCVIII.
te iure diuino poſitiuo egi l.5.c.3.& 4.) & nihil fiat
quod in Decalogo vetatur, iuſtificatio ſemper, aut
ſaltem ordinarie erit in promptu. Cum præſertim

vera fides includat affectum pium voluntatis, in quo eſt inchoata erga Deum charitas, & magna ex
a 1. Io. 2. 4. meritis Chriſti fiducia. *a Qui enim dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non ſeruat, hic mendax eſt.*] Separet ergo
b Bellar. de Iuſtif. l. 1. c. 14. *b* Bellarminus quantum vult virtutes omnes ab homine, & relinquat hanc veram fidem, quæ negatiuorum præceptorum obſeruantiam negatiuam ſecum ferat, nunquam colliget fore vt homo ſit iuſtus & iniuſtus ſimul, iuſtificatus & ſceleratus. Obſeruatio enim præceptorum negatiuorum nihil poſitiuum ponit in homine, niſi obedientiam generalem, quæ non eſt ſpecialis virtus, ſic neque vllam aliam ſpecialem virtutem, aut ſpecialem actum poſitiuum; quanquam poſtea ad retinendam, & conſeruandam iuſtificationem homini neceſſariæ ſint virtutes aliæ, aliique actus præter fidem. Et quicunque iuſtificantur prope mortem, vt latro in cruce, & ſimiles, profecto ſola fide, cum illa ſaltem inchoata dilectione, & fiducia, quę eſt in omni vera fide viua, iuſtificantur.

CCIX. Dices *c Multi ex Principibus crediderunt in eum, ſed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.*] *d* Ecce fides ſine iuſtificatione, quia ſine charitate. Reſpondeo, Hæc non erat plena, & completa fides, quæ tunc eſt, quando *e corde creditur ad iuſtitiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem,* & vere credit, qui etiam profitetur quod credit. Cum vero iſti aſſentirentur Euangelio, Euangelium tamen nollent profiteri, vere & plene non credebant, & ideo neque iuſtificabantur. Obijcies etiam locum Pauli, *f Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*] Reſpondeo, per charitatem intelligi voluntatem parendi legi diuinæ, & conſequenter abſtinendi à vetitis. Sic vbi Iacobus præter fidem requirit opera ad iuſtificationem, eandem intelligit præceptorum obſeruantiam. Atque hæc tuemur, vt oſtendamus ſolam fidem ordinarie poſſe & ſolere aſſequi iuſtificationem, abſque neceſſitate vllius alterius humanæ poſitiuæ actionis, non tamen abſque negatiua illa diſpoſitione non faciendi quicquam, quod ſit à Deo vetitum. Poſſe tamen fidem quandam imperfectam, & non viuam, manere cum peccato, & inniuſtitia, ac ſtatu iræ, abſque gratia gratum faciente, nemo puto dubitabit.

c Io. 12. 42. d Bellar. vbi ſup. c. 15. e Ro. 10. 10. f 1. Cor. 13. 2.

CCX. Dices præterea iuſtificationē totam dari à Deo gratis, & non eſſe mercedem, quæ merito vlli noſtro, etiam fidei, debeatur; ſed eſſe meram gratiam: *g Iuſtificati gratis per gratiam ipſius: h Gratia eſtis ſaluati per fidem non ex operibus.*] Reſpondeo ante omnia penitus excludenda eſſe omnia opera facta ſolis viribus naturæ, & liberi arbitrii: hæc enim nullo penitus modo concurrunt ad iuſtificationem. Deinde quod ſpectat ad opera ex fide & gratia facta, facile concedi poſſe, illa neque de condigno, neque de congruo iuſtificationem mereri. Ait enim Origenes, *i Initium iuſtificari à Deo, fides eſt, quæ credit in iuſtificantem, & hæc fides cum iuſtificata fuerit, tanquam radix imbre ſuſcepto, hæret in animæ ſolo, vt cum per legem Dei excoli cœperit, ſurgant in ea rami, qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix iuſtitiæ, ſed ex radice iuſtitiæ fructus operum creſcit: illa ſcilicet radice iuſtitiæ, qua Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus:*] Et Chryſoſtomus illa Pauli verba conſiderans, quibus ait, *k Chriſtum factum fuiſſe peccatum pro nobis, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo:* ait, *l iuſtitia Dei eſt cum nō ex operibus (nam in iis nullam labem inueniri neceſſe eſſet) ſed ex gratia, quæ peccatum omne prorſus delet, atque extinguit, iuſtificamur.*] Auguſtinus quoq; ait, *m Per ipſam quippe* (gratiam) *iuſtificatur gratis, id eſt nullis ſuorum*

g Ro. 3. 24. h Eph. 2. 8. i Orig. in ep. ad Ro. c. 4. l. 4. k 2. Cor. 5. 21. l Chryſ. in 2. Cor. homil. 11. m Aug. de ſpir. & lit. c. 10.

præcedentibus meritis, alioquin gratia iam non eſt gratia, quandoquidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, ſed vt ea facere valeamus; id eſt non quia legem impleuimus, ſed vt legem implere poſſimus.] Item, *n Cum ergo dicit Apoſtolus arbitrari ſe iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis, non hoc agit, vt præcepta, ac profeſſa fide opera iuſtitiæ contemnantur, ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim iuſtificatum, non præcedunt iuſtificandum.*] Sic Sotus *o* concedit diſpoſitiones ad iuſtificationem, negat tamen poſſe eas vlla ratione vocari merita. Poſſunt ergo noſtri idem concedere reformatis, quod infra plane demonſtrabo; ſed & vice verſa poſſunt Reformati concedere noſtris has diſpoſitiones vt neceſſarias, dummodo omnes à quocunque etiam improprie dicto, merito ad iuſtificationem primam ponendo, ſcripturis adeo diſſono, abſtineamus, contenti, per multas diſpoſitiones noſtras à Deo requiſitas, & ex fide, cum diuino auxilio factas acquiri ipſam iuſtificationem, non ex merito operis, ſed ex diuina ſola miſericordia, quod eſt ſcripturis valde conſonum. Inter has diſputationes primum locum obtinet Pœnitentia & confeſſio, de quibus egi lib. 5. cap. 7. Pœnitentiam enim ſemper neceſſariam puto homini peccatori iuſtificando, ſiue iam regenerando per fidem, ſiue nondum regenerato.

n Aug. de fide & oper. c. 14. & in Pſ. 110. o Sot. de nat. & gra. l. 2. c. 14.

Secundo, Spes quæ ſemper eſt neceſſaria, naſcitur ex fide: *p Qui ſperat in Domino ſaluabitur. q Saluabit eos qui ſperauerunt in eo. r Quoniam in me ſperauit liberabo eum. ſ Confide fili remittuntur tibi peccata tua;* & Patres, Cyprianus, *t Grauiſſimum conſcientiæ crimen agnoſcite, nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen iam veniam vendicantes.*] Ambroſius, *u Nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperauit indulgentiam.*] Auguſtinus, *x Audiendo credat, credendo ſperet, ſperando amet.*] Atque huc reducitur fiducia illa modernorum: Hæc enim ſuppoſita iam fide catholica, & aliis neceſſariis diſpoſitionibus, illa eſſe videtur quæ formaliter & proxime ſola Chriſtum apprehendit, Chriſtique iuſtitiam ſibi applicat. ita vt apprehenſio formalis Chriſti, eiuſque iuſtitiæ tota proxime & formaliter debeatur huic actui certæ ac firmæ confidentiæ in Chriſti miſericordiam, eiuſque merita: licet hæc apprehenſio non poſſit fieri niſi præcedentibus illis diſpoſitionibus ad iuſtificationem neceſſariis. CCXI.

p Prou. 28. 25. q Pſ. 36. 40. r Pſ. 90. 14. ſ Matt. 9. 2. t Cypr. ſer. 5. de lapſis. u Ambr. de pœnit. l. 1. c. 1. x Aug. de Catech. rud. c. 4.

Tertio, Timor ex fide naſcens plurimum ſolet ad iuſtificationem conducere: *y Qui ſine timore eſt non poterit iuſtificari: z Initium ſapientiæ timor Domini. a Cum occideret eos quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum: b Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. c A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum ſalutis. d Timor Domini fons vitæ. e Timor Domini expellit peccatum.*] Atque hic timor proculdubio eſt timor ſeruilis, qui procedit ex amore proprio, non ex odio peccati, & facit attritionem, non contritionem, de qua nos lib. 5. c. 7. num. 83. Eſt igitur diſpoſitio duntaxat remotior, quia inducit paulatim ad amorem, & facit ſæpe vt homo deſerat fugiatque peccatum, ſed non vt remittatur peccatum, niſi ſubintrarit dilectio, ex qua ipſum peccatum odio habeatur. Auguſtinus, *f Stimulat, inquit, timor, ſed noli timere intrat charitas, quæ ſanat quod vulnerat timor — opus eſt ergo vt intret timor primo per quem veniat charitas.*] CCXII.

y Eccl. 1. 28. z Pſ. 110. 10 & Prou. 1. 7. a Pſ. 77. 34. b Pſ. 82. 17. c Iſa. 26. 18 ſecund. 70. d Prou. 14. 27. e Eccl. 1. 27 f Aug. in ep. Io. tr. 9.

Quarto, Charitas orta ex fide, & ſolet vel præcedere etiam tempore remiſſionem peccatorum, ſi ſit imperfecta, & inchoata, vel ſaltem natura ſi ſit perfecta, licet ſit ſimul tempore. *g Qui timetis Dominum,* CCXIII.

g Eccl. 2. 10

a Luc.7.47. b 1.Io.3.14. c 1.Pet.4.8.

num, diligite illum; & illuminabuntur corda veſtra. a Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. b Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. c Charitas operit multitudinem peccatorum. Sunt & alia multa extraordinaria, quibus Deus tanquam diſpoſitionibus, aut fortaſſe etiam tanquam inſtrumentis promiſit remiſſionem peccatorum.

d Eccl.2.13. e Iſa.6.6.

CCXIV. Quinto. Tribulationes & pœnalitates à Deo immiſſæ etiam remittunt peccata, aut ſaltem pœnas peccatis debitas; d *Pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata.* Et hoc fortaſſe myſtice ſignificabat e calculus ignitus de altari forcipe ab Angelo latus, quo labia Iſaiæ tacta ſunt, & ablata iniquitas ipſius peccatumque mundatum.

f Chryſ. in ep.ad Ro. hom.25.

Colligit aliquot alia opera quæ ad remiſſionem faciant peccatorum Chryſoſtomus ita ſcribens, f *Nonne etiam poſtea, vt peccatorum veniam conſequaris facilem tibi viam reddidit? Audi itaque qualia ſint quæ præcepit; ſi dimiſeris,* inquit, *proximo dimitto tibi & ego. Quam quæſo difficultatem habet res iſta? Iudicate Orphano & iuſtificate viduam; & venite,* inquit, *& iudicium exploremus. Quod ſi fuerint peccata veſtra phœnicio rubore, velut nix alba erunt; Quid hic laboris eſt? Dic tu peccata tua, vt iuſtificeris; Quid hic difficultatis? Peccata tua eleemoſynis redime. Quid hic ſudoris? Dixerat Publicanus, Propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus: Quanto labore fuerit opus Publicanum hunc imitari?*] Hic igitur habemus ſexto orationem, ſeptimo Orphano & viduæ opitulari; octauo Eleemoſynam.

g Luc.6.38. h Mat.6. & Marc.11. 25. i Eccl.11. 25.28 2. k Aug.l.50. hom.6.de vera & fal. pœn.c.7. l 1.Io.2.1. m Eccli.21. 1.

CCXV. Reperit hæc eadem alio loco idem Chryſoſtomus & eis addit nono, *Iniuriarum remiſſionem, & obliuionem:* g *Remittite & remittetur vobis.*] Cui loco nos alia adijcimus, h *Dimitte nobis, ſicut nos dimittimus:* i *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur.*] De hac remiſſione tractat k Auguſtinus quoque. Ad orationem vero, qua quis ſibi ſolet impetrare remiſſionem pertinet quoque locus Ioannis, l *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.*] Et Eccleſiaſtici, m *Fili peccaſti? Non adijcias iterum, ſed & de priſtinis deprecare vt tibi dimittantur.*] Addit Ambr. & ſæpius inculcat, etiam eccleſiæ interceſſionem impetrare ſæpe ſuis filijs peccatorũ remiſſionem. Ita ſane de pœnit. l.1. c.15. & lib.2. cap.7. vbi pulcherrime Lazari reſuſcitationem à ſororum lachrymis impetratam applicat myſtice peccatoris iuſtificationi, per lachrymas eccleſiæ, exoratæ. Idem de precibus eccleſiæ reperit eodem lib.2.c.10. & lib.5. in Lucæ c.7. Sed & Auguſtinus eandem interceſſionem eccleſiæ, qua peccata multis ſæpe dimittantur gemitum vocat columbæ, & nos eum produximus lib.1. noſtri huius operis c.7.n.28.

n Amb de Elia & Ieiun.c.20. o Tob.4.11 p Prou 13.8 q Luc.16. 9. r Aug. de Ciuit.Dei l.21.c.27.

CCXVI. De Eleemoſyna vero eam quoq; remittere peccata præſertim leuiora, & ſuppoſita ſemper fide viua, ſiique corrigendi ſtabilita voluntate, paſſim admittunt Patres. Ambroſius, n *Pecuniam,* inquit, *habes, redime peccatum tuum.* — o *Eleemoſyna à peccato liberat.* — p *Redemptio viri diuitiæ eius.* — q *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. Et veneno frequenter antidotum temperatur, hoc eſt venenum veneno excluditur, veneno mors repellitur, vita ſeruatur.*] Euſebius Emyſſenus eandem vim Eleemoſynæ exaggerat homilia de pœnitentia Niniuitarum; & homilia de vidua, quæ duo æra contulit in gazophylacium. Auguſtinus idem ſæpius inculcat in libr. 50. homiliarum, homil.13. & hom.19. & ſerm.67. de Temp. r Inuehitur tamen ſeuerius in eos, qui ſcelera ſua Eleemoſynis putant ſe tegere, & verum bonum, & totalem vſum eleemoſynarum exprimit. Ita Gaudentius Brixienſis tract.13. & alij qui vrgent ea loca, ſ *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* t *Eleemoſyna de morte liberat.* u *Facite eleemoſynam & ecce vobis munda ſunt omnia.* x *Iocundus homo, qui miſeretur & fœnerat. Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet.* y *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* z *Conclude Eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa exorabit pro te in die malo & ſimilia.* His decimo addo, eleemoſynã ſpiritualem, nimirum opus pietatis in conuertendis peccatoribus; Ait enim Iacobus, a *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.*] Certe ſuorum propriorum. Cum itaque ſacra Scriptura his quæ commemorauimus tribuat vim quandam obtinendæ remiſſionis peccatorum, certe ex ſola & ſimplici Dei promiſſione, qui meritum in his nolunt agnoſcere, non poſſunt tamen hæc reijcere, nec populo diſſuadere; ſed tenentur in conſcientia ad hæc ipſa opera adhortari, tanquam remiſſionem peccatorum ſecum, ſi debite fiant, ex diuina benignitate & promiſſione aliquo modo, ſiue diſpoſitiue, ſiue inſtrumentaliter, afferentia. Cum quibus ſtare poteſt, fidem ſolam eſſe quæ apprehendat formaliter iuſtificationem. Mihi illud certum videtur, fidem ſolam ſine malis operibus, & pariter ſine bonis poſſe ſaluare hominem; non tamen cum operibus malis. Quia peccatum niſi odio habeatur, & per pœnitentiam aboleatur, contrarium eſt ſaluti. Malum vero opus intelligo tam poſitiuum transgreſſione, contra præcepta negatiua; quam negatiuum, omiſſione, contra pręcepta poſitiua. Cum malo ergo opere nunquam fides (quæ cum peccato ſemper mortua eſt) poterit iuſtificare: At vero ſine bono alio opere ſola fides plene iuſtificat, hoc eſt, Deus inſpecta vera fide qua homo Chriſto adhæret, illum per Chriſtum gratis iuſtificat.

ſ Eccl.3 33. t Tob.4.11 u Luc.11.41 x Pſ.111.5. y Pſ.40.1. z Eccli.29. 15. a Iacob.5. 20.

b Iſa.64.6. c Ezech.18 22.

Secunda difficultas huius quintę quęſtionis eſt, CCXVII. in quo conſiſtat ipſa iuſtitia, per quam iam poſt iuſtificationem iuſti dicimur. In hoc quoque magnæ ſunt contentiones inter noſtros Romanos, & Reformatos. Priores volunt iuſtitiam hanc eſſe ipſam charitatem infuſam, donum Spiritus ſancti, quæ in anima inhæreat, cum remiſſione peccatorum, per realem ablationem maculæ & reatus: Poſteriores volunt iuſtificationem noſtram formalem eſſe obedientiam Chriſti, eiuſque iuſtitiam nobis imputatam; ſiue in iuſtificatione requiri quidem hanc imputationem iuſtitiæ Chriſti nobis, ſed formaliter iuſtificationem noſtram eſſe ipſam peccatorum remiſſionem per non imputationem. An nõ etiam hæc ſunt diſſidia ferme metaphyſica? Conueniamus omnes in his, quę ad ſalutem ęternã ſpectant; primum iuſtitiam noſtram, quam nos noſtris viribus mundane & ſæculariter aſſequamur, eſſe ex illis iuſtitiis impuris, quas propheta dixit eſſe tanquam b *pannum menſtruatæ.* Secundo. Conueniamus, hominem iuſtificatum totam iuſtitiam per quam iam dicitur iuſtus, habere à Deo per merum donum gratiæ ſuæ. Tertio. Sine iuſtitia Chriſti interueniente nullam veram fieri iuſtificationem. Quarto. Peccatum in iuſtificatione ita remitti, vt nihil amplius iuſtificato noceat, imo neque ſit amplius à Deo ne memorandum quidẽ; c *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* An vero iuſtitia illa, per quam poſt iuſtificationem iuſti dicimur, ſit ſola imputatio iuſtitiæ Chriſti nobis, an vero ſit aliquid inhærens, quod Deus nos iuſtificando in nobis ponat, puta charitatem, & gratiam, & ſanctitatẽ

in anima noſtra inhærentem, an vero etiam iuſtitia formaliter ſit ipſa remiſſio peccati, hoc eſt carentia illa iniuſtitiæ, res eſt diſputabilis? Scripturæ ita loquuntur, vt modo vnum, modo alterum, modo aliud innuant, aut ſupponant. Sic & Patres, quorum dicta præcipua vtrique parti ſæpe fauētia proferre lubet, vt hinc conſtet eos ſentiſſe & ex Scripturis collegiſſe vtroque modo iuſtitiā nobis dari, videlicet tum imputatiue, tum inhæſiue; & vtroq; modo peccatum vel per veram deletionem, vel per tectionem, & non imputationem aboleri; vt iam ex hoc capite ceſſent contentiones. Non enim noſtri, dum aiunt hominem eſſe iuſtū formaliter per iuſtitiam ſibi inhærentem, & propriam, & nō alienam ſibi imputatam, intelligunt hominem iuſtum fieri apud Deum per aliquam propriam iuſtitiam humanitus acquiſitam: totam enim illam iuſtitiam volunt & fatentur eſſe donum Dei à Deo infuſum homini, & poſt diuinam infuſionē in anima inhærere; ipſam nimirum *a charitatem, quam Spiritus S. infundit in corda noſtra*; quæ charitas & iuſtitia, & eſt
a Rom. 5. 5
tota à Deo, & eſt nihilominus in homine, & iam facta hominis propria, quia in ipſius anima inhæret, & ſic dicitur per propriam iuſtitiam formaliter iuſtus, & per ſolam Chriſti iuſtitiam moraliter, & meritorie factum eſſe iuſtum, non autem per propriā. Alii tamen charitatem, & ſanctitatem inhærentem admittunt, ſed in his non poſſunt formalem noſtram iuſtitiam, per quam actu quaſi iudiciario iuſtificari dicimur, illi habitus ſunt effectus, inquiūt, iam habitæ iuſtificationis.

CCXVIII. Quod itaque ſpectat ad iuſtitiam, ſit ne inhærens, an imputata, loca Scripturæ vtrinque *b* afferuntur non pauca quæ omnia facilem patiuntur interpretationem, ne alterutri parti obſint. Patres vero in vtramq; partem propendere nō eſt dubiū, quos iam profero. Auguſtinus; *c Iuſtitia*, inquit, *virtus eſt animi magna præcipueq; laudabilis — quis fecit in homine iuſtitiam; niſi qui iuſtificat impium? hoc eſt per gratiam ſuam de impio fecit iuſtum.*] Item, *d Iuſtitiam & iudicium in Iacob tu feciſti: Exaltate Dominum Deum noſtrum: vere exaltate, bene exaltate — quis enim in nobis fecit iuſtitiam, niſi qui nos iuſtificauit: nos ergo impii, ille iuſtificator, quando & ipſam iuſtitiam ipſe in nobis fecit qua illi placeamus.*] Hæc profecto dicta videntur de iuſtitia inhærente; quamuis ſæpe alias *e* Auguſtinus, & alii Patres loquantur *de iuſtitia virtute morali; quæ abſque dubio eſt habitus in homine inhærens, & propriis viribus acquiſitus.* Theologica vero difficultas eſt de iuſtitia illa ſupernaturali, per quam peccator dicitur eſſe coram Deo iuſtificatus. Habet prætereа illa Auguſtinus. *f Iuſtitia Dei manifeſtata eſt*, *g Hanc ignorant qui ſuam volunt conſtituere, & huic nolunt eſſe ſubiecti: Iuſtitia*, inquit, *Dei manifeſtata eſt, non dixit iuſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem cum iuſtificat impium. — Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, hoc eſt per fidem qua creditur in Chriſtum, ſicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus: ſic & illa iuſtitia Dei, non qua iuſtus eſt Deus, vtrumque enim noſtrum eſt, ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quod eius nobis largitate donatur — h Ideo iuſtitia dicitur, quod impertiendo eam iuſtos facit: ſicut Domini eſt ſalus, qua ſaluos facit.*] Excludit iuſtitiam humanam, humanis viribus acquiſitā, & ponit iuſtitiam diuinam à Deo homini donatam; & hanc ibi videtur facere imputatam, vbi ait illa induit à Deo hominem; indumentum autem eſt extrinſecum, & videtur innuere iuſtitiam Chriſti eſſe *veſtem i nuptialem, quam induere debet qui vult accedere ad nuptias cœleſtes. k Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, h. e. ipſius meritis muniri, nō noſtris accedamus, &c. Sicut *l* Iacob indutus pelliculis externis, & veſtibus Eſau, obtinuit benedictionem, quam in propriis veſtibus non obtinuiſſet. Vbi tamen Auguſtinus eodem modo facit iuſtitiam Dei propriam hominis, non qua Deus eſt iuſtus, ſed qua hominem facit iuſtum; ſicut fidem Chriſti dicit eſſe non qua Chriſtus credit, ſed qua creditur in Chriſtum, certe iuſtitiam vult eſſe aliquid in homine inhærens, ſed à Deo donatum, & infuſum. Et vbi monet Pelagium tunc bene ſenſurum, *quando m conſenſerit etiam ipſam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari; vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus; eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum D. N. in qua nos ſua, non noſtra iuſtitia iuſtos facit, vt ea ſit vere noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt.*] Dum ait nos per Chriſti, non per noſtram iuſtitiam iuſtos fieri, imputationem innuit, ipſam enim noſtram iuſtitiam dicit eſſe Chriſti iuſtitiam, & non noſtram, noſtram videlicet, quia nobis eſt quaſi commodata à Chriſto, vt illa induti placeamus Patri. Et ad Conſentium hæc ſcribit: *n Sicut autem cum ſit in ſe ipſa vita, etiam nobis fit vita, cum eius efficimur participes: ita cum in ſe ipſa ſit iuſtitia, etiam nobis fit iuſtitia, cum ei cohærendo iuſte viuimus, & tanto magis minusue iuſti ſumus, quanto magis illi minusue cohæremus. Vnde ſcriptum eſt de vnigenito Filio Dei, cum ſit vtique Patris ſapientia, atque iuſtitia, & ſemper in ſe ipſo ſit, quod factus ſit nobis à Deo ſapientia & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vnde quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur.*] Hic adhuc clarius videtur Auguſtinus ſentire iuſtitiam Chriſti nobis imputari.

b Apud Bellar. de iuſtif. l. 2. c. 3. & c. 9. 10. 11. 12.
c Aug. in Pſal. 118. Concio. 2.
d Idem in Pſ. 98.
e Idem de verb. Apo. ſer. 13.
f Ro. 3. 21.
g Aug. de ſpir. & lit. c. 9.
h Ibi. c. 12.
i Matt. 22. 11.
k Ro. 13. 14
l Gen. 27. 16.
m Aug. de gr. Chriſti cont Pelā. c. 47.
n Aug. ep. 85.

Iuſtitia porro hæc imputata plurimum illis locis ſcripturæ, & Patrum nititur, in quibus peccati remiſſio dicitur ipſius tectio, & non imputatio, quatenus meritis, & ſatisfactione Chriſti tecti peccata noſtra oculis diuinis quodammodo ſubtrahimus, ne illa inſpiciat, ſed eum qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & quem nos induimus. *o Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. p Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.*] Ita vt deletio peccati ſit per auerſionē faciei diuinæ, ne ea inſpiciat, hoc eſt eorum obliuiſcatur, iuxta illud. *q Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Apoſtolus quoq; deletionē peccati reduxit ad condonationē, *r Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti.*] Et hoc profecto eſt non imputare amplius debitum, ſed ipſum condonare. Iterum Pſalmiſta, *ſ Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. t Miſereris omnium — & diſſimulas peccata hominum, propter pœnitentiam.*] CCXIX.

o Pſal. 31. & Rom. 4. 7.
p Pſ. 50. 11.
q Ezech. 18. 22.
r Col. 2. 13.
ſ Pſ. 84. 3.
t Sap. 11. 14.

Hæc & ſimilia loca Patres ita explicant, vt ſæpe peccata per tectionem; & non imputationem remitti aſſerant. Argute Orig. *u Remiſſæ ſunt iniquitates per Baptiſmi gratiam, tecta ſunt per pœnitentiam peccata, non imputantur per martyrium.*] Argutius poſtea, *x Vt quia initium eſt conuerſionis animæ mala derelinquere, pro hoc iniquitatum remiſſionem mereatur accipere: cum autem cœperit bona facere, velut ſingula quæque quæ præceſſerant mala bonis recentibus obtegens, & abundantiorem numerum bonorū introducens quā prius fuerat malorum, tegere peccata dicatur: Vbi vero iam ad perfectum venerit, ita vt omnis de ea malitiæ radix penitus amputetur, eo vſque vt nullum in ea veſtigium poſſit inueniri iniuſtitiæ, vbi iam ſumma perfectæ beatitudinis promittatur; cum nullum poſſit Dominus imputare peccatum.*] CCXX.

u Orig. in ep. ad Roma. c. 2. l. 4.
x Ib. 4. 14.

Ambro-

a Pſ.50. 1. b Amb. in Pſ.50. Ambroſius autem ſuper illum pſalmi verſiculum, a *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, ita ſcribit: b *Rogandus eſt ergo vt nos aſpiciat, auertat autem faciem ſuam à peccatis noſtris, vt deleat ea: Quæ enim non aſpicit, delet, & quæ deleuerit, ea cum eorum memoria ſepeliuntur ſicut ipſe* c Iſa.43.25. *Dominus ait*, c Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero, tu autem memor eſto, & iudicemur. *Peccatum autem aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per ſanguinem crucis, tegitur per charitatem.*] Et rurſum idem Ambroſius, d Amb. ep. 18. d *Anima gratulabitur dicens*, e Micheæ 7.18. e *Quis Deus ſicut tu, auferens peccata, & transferens impietates? Qui nō fuiſti memor indignationis tuæ, ſed ſicut in mari merſiſti iniquitates noſtras, ſicut Ægyptium plumbum, & rediiſti ad miſericordiam voluntarius, quam gemino contuliſti munere, dimittens peccata, atque abſcondens, ſecundum quod ſcriptum eſt. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorū tecta ſunt peccata. Alia enim ſanguine filij tui abluis, alia donas nobis, vt bonis operibus & confeſſionibus noſtros errores tegamus. Quod ergo ait auferens peccata, ad remiſſionem pertinet, quia penitus ea tollit, ita vt non ſint, quorum memor non erit. Quod vero ait: Transferens iniquitates, eo quod confitentibus nobis lapſus noſtros, & obumbrantibus eos bonæ operationis fructu referantur in autorem culpæ, & peccati inuentorem.*] Hæc Ambroſius. Itaque peccata etiam tegi admittit libēter ipſe Ambroſius. Theoduli quoque Cæleſyrienſis dictum eſt, ex Nazianzeno deſumptum, f Theodulus in ep. ad Ro. c. 4. f *Vera & recta pœnitentia tegit peccata, vt apud Deum non imputentur.*] Et Bernardus ait, g Bernard. ſerm. 1. de Annun. g *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus? Vtique quod factum eſt non poteſt non fieri, ipſo tamen non imputante erit quaſi non fuerit: quod Propheta quoque conſiderans ait,* h Pſ 31.1. h *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*]

CCXXI. At vero deletionem peccati fieri etiam per veram emundationem, & dilutionem maculæ, ita vt nihil ipſius maneat in anima, alia Scripturæ loca ſatis innuunt, *Aufer iniquitatem ſerui tui* Paralip. 21.8. *Deleui vt nubem iniquitates tuas* Iſa.44.22. *Lauabis me & ſuper niuem dealbabor* Pſalm. 50.9. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata* Prouerb. 15.27. *Longe fecit à nobis iniquitates noſtras* Pſ.102.12. *Proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra* Miche.7.18. *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur* Pſ.9.36. *Tota pulchra es amica mea, & macula nō eſt in te.* Cant.4.7. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* Io.1.29. *Conuertimini vt deleantur peccata veſtra* Act.3.19. *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato* 1.Ioan.1.7. *Peccatorum purgationem faciens* Heb.1.3. *Ad multorum exhaurienda peccata* Hebr.9.28. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis* 1.Corinth.6.11. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* Epheſ.5.8. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam* Epheſ.5.27.] Et Patres ſæpe eandem perfectam dilutionem ponunt. Vnum adducam Chryſoſtomum, i Chryſ. de pœnit. homil. 3. i *Neque mihi*, inquit, *dixeris, permultum peccaui, quomodo ſaluari poſſum? Tu nequis, ſed Dominus tuus poteſt, atque ita poteſt, vt tua deleat peccata. Accurate ad ſermonem aduerte, ſic enim delet peccata Deus, vt neque eorum veſtigium maneat, in corporibus quidem id non eſt ita, ſed quanquam millies conetur medicus, tametſi vulneri medicinas addat, vulnus quidem euaneſcit — cicatrix vero remanet — deformitatem habens — Deus autem cum deleuerit peccata ſic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis ſuperſit indicium, non veſtigium quodquam, ſed & cum ſanitate decorem elargitur: poſt pœnæ liberationem, & iuſtitiam inſerit, atque peccantem coæqualem facit non peccanti, extinguit enim peccatum, atque id non eſſe facit neque fuiſſe.*] Ita in ſuo ſenſu abundabat Chryſoſtomus, in ſuo alii.

CCXXII. Profecto inter noſtros ſcholaſticos Gerſonium virum piiſſimum, ac perſpicaciſſimum, video hanc non imputationem expreſſe aſſeruiſſe, audiamus illum. k *Nullum peccatum*, inquit, *poteſt remitti, niſi per hoc quod Deus liberaliter non imputat illud ad peccatum. Hoc propheta vidit dicens: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum; quaſi exponens illud quod præmiſerat,* k Gerſ. de vita ſpirit. animæ lect. 4. coroll. 9. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Nam hoc poſito peccatum tollitur, hoc remoto nunquam amouetur.*] *Quomodo vero id fiat apponit duas varias variorum explicationes, & concludit hoc pacto. Sequitur ex hac poſitione quæ probabilior videtur, nullam eſſe abſolutam neceſſitatem ponendi charitatem diſtinctam pro iuſtificatione impij.*] Aliam ergo iuſtitiam in iuſtificato non requirit, niſi ſolam peccati remiſſionem per non imputationem. Cur ergo tanta digladiatio & diſſenſio, vbi poteſt quiſque abundare in ſenſu ſuo? Conueniamus Deum ſolum eſſe qui iuſtificat, & non ex vllis noſtris meritis, ſed ex ſolis meritis Chriſti, remiſſionemque peccatorum à Deo dari, ita vt remiſſa nihil amplius noceant, & in his omnes conſentire non dubito. Sit igitur curioſitatis, & ſcholaſticæ ſubtilitatis metaphyſicari, non neceſſitatis, adſit ne hic qualitas inhærens, an denominatio extrinſeca, an aliquid poſitiuū, an negatiuū; & illa iuſtitia inhærens ſit ne ipſa fides, an charitas, an aliud diſtinctū, quæ ſunt pura quædam metaphyſicalia ad ſalutē nihil neceſſaria. In quibus definiendis proculdubio Conciliū Tridentinū inutiliter laborauit, & quæ nullo modo definienda erant, aut definiri poterant, fruſtra definiuit, ac ſine cauſa; imo cum maxima pernicie, & ſchiſmatum fomento, fidei articulos vaniſſimos multiplicauit.

Quo ad tertiam difficultatem eam fuſe tractat l CCXXIII. l Bellar. non modo contra Proteſtantes, ſed etiam ex l Bellar. de Iuſtif. l. 3. parte contra Ambroſium Catharinum, ſcriptorem Catholico-Romanum, ex ordine Dominicano; qui docuit poſſe hominē habere certitudinē fidei de ſua gratia. Hoc primū tuentur Proteſtantes; addunt vero ipſi 2. non ſolum poſſe; ſed etiā debere omnes hoc de ſe ſtatuere, alioqui nec fideles, nec iuſtos futuros. Addūt 3. hac ipſa fide, & ea ſane ſola homines iuſtificari. Sed iā nos de fide iuſtificante diſſeruimus in prima huius quæſtionis quintæ difficultate. De reliquis duobus fateor me nondū quicquā vidiſſe quod compellat nos illa aſſerere. Fides profecto noſtra eſt circa theſim, & hypothetice, h. e dari remiſſionē peccatorum à Deo, ſi quis vere pæniteat, eaq; agat quæ ab illo Deus requirit, vt eum iuſtificet, & in hoc neminē fidelē hæſitare debere certo ſcio, ſicut neq; in debita fiducia debet hæſitare, qui plurimū confidat ſibi dimitti peccata, etiam in hypotheſi, à diuina miſericordia, vbi confidat etiā merito ſe eſſe vere pænitentē; ſed tamen in hypotheſi & abſolute fide poſſe quenquā aut debere credere ſibi eſſe remiſſa peccata, nō video, inquam, quicquā quod cogat. Video quidem multa quæ magnā ingerant probabilitatē de præſentia gratiæ, & iuſtificationis, imo & moralē certitudinē, per grauiſſimas, & vehementiſſimas coniecturas: interim tamē non pauca quoq; ſuppetunt ordinarie omnib. (i ſecludas priuatas, ſpeciales ac certas reuelationes) ex quibus metus quoq; & formido propriæ ſalutis exurgat: non circa theſin quæ certa eſt, & fide notiſſima, ſed circa hypotheſin; vnde enim certa fide diuina mihi cōſtat me eſſe vere pœnitentē, meam eſſe viuā fidē, & nō mortuam, me nullo occulto peccato corā Deo adhuc premi, iuxta illud, m *Delicta quis intelligit? ab occultis meis mūda me Domine*: m Pſ. 18.13 quis certa fide nouit ſe perſeueraturū? & nō amplius irremediabiliter lapſurū? quem caſus

a 1. Reg. 10 b Philip. 2. 12. a Saulis non terret & Salomonis, & ſimiles? cur dicitur cuiq; fideli, b *Cum metu & tremore ſalutem veſtrā operamini?* ſinant ergo iſti nos, abiecta hac fidei certitudine, ex morali certitudine conſolationem ſumere, & ex debito ac ſancto metu, cautius coram Deo ambulare. Ipſi vero modo caueant à nimia præſumptione, & inde ſe oſcitantiæ non tradant, abundent in ſenſu ſuo, nec inde alteri alteros damnent. Patres certe paſſim, ac præſertim Auguſtinus ſæpius repetunt, c *neminem in hac vita debere præſumere aut ſeipſum, aut quemcunq; alium, eſſe prædeſtinatum.* c Aug de correp & gr. c. 13. Viderint ipſi interim, nos quoq; videamus vt ſaluemus Pauli dictum valde conſolatorium, Spiritus Dei teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Sed ad hoc neceſſaria eſt diſcretio ſpirituum.

CCXXIV. Quod ad quartam difficultatem, Nemo putet in dubiū vocari num prædeſtinatus poſſit à gratia finaliter excidere, & ex prędeſtinato fieri reprobus, d Io. 10. 28. hoc enim eſt impoſſibile. d *Nemo enim rapiet eos de manu Chriſti.* Sed difficultas hęc eſt circa iuſtificatos ſemel, an poſſint ſuā iuſtitiā amittere, ſiue ad tempus (quod etiam prædeſtinatis ſi contingeret, prædeſtinationem non tolleret, aut lęderet) ſiue etiam finaliter, qui enim vere iuſtificari non putant, imo neq; credere niſi ſolos prædeſtinatos, omnino negare debent quemcunq; iuſtificatum & verum fidelem poſſe finaliter à ſua fide & iuſtitia excidere. Quare ante omnia videndum eſt ex ſcriptura, & ex Patribus, an detur fideles, & iuſtificati vere, qui vel ad tempus totam illam iuſtitiam amittant, & fiant vere & proprie iniuſti, & peccatores, & filii iræ pro illo tempore; vel etiā finaliter & irrecuperabiliter, & conſequenter ſint reprobati, ſeu, vt ſcholæ loquūtur, præſciti, vt propterea poſſit eſſe vere fidelis & iuſtificatus, qui tamen non ſit prædeſtinatus, ſed præſcitus, quippe qui ſit omnino ab illa iuſtitia irrecuperabiliter ſua voluntate caſurus. Conſulamus igitur ſcripturas, ac primū illas quæ veros fideles, vereq; iuſtificatos labi, vel labi poſſe in verum peccatum mortale ſupponunt.

CCXXV. e Ezech. 18. 24. e *Cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua & fecerit iniquitatem, morietur in illa.*] Ecce iuſtus profecto verus coram Deo iuſtus poteſt fieri iniquus, & mori etiā in iniquitate. f Luc. 8. 13. f *Qui ſupra petram cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & in tempore tentationis recedunt.*] Ecce fides cum gaudio in cor ſuſcepta, in tentatione poteſt & ſolet amitti. g Io. 15. 2. g *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Erat palmes: ergo in vite Chriſto, & tamen tollitur, & in ignem mittitur. h Matt. 24. 12. h *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: qui autē perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit.*] Erant ergo aliqui iuſti non perſeueraturi, neque ſaluandi. i 1. Cor. 9. 27. i *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.*] Poteſt ergo Apoſtolus, niſi vigilet, & remediis vtatur opportunis, reprobus fieri. Et eſto hæc in ſe Paulus non timeret, qui ſuæ prædeſtinationis videtur certitudinē habuiſſe, ſaltē propter alios diſcipulos, & fideles iuſtos hæc dicet, quorū prædeſtinationem certam nō cernebat. k Gala. 5. 4 k *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini à gratia excidiſtis.*] Si in Chriſto & in gratia nō fuiſſent, à Chriſto & à gratia nō poſſent dici excidiſſe. Naufragium aliquorū à fide ponit Paulus 1. Tim. c. 1. 19. & 4. 1. & 6. 10. & ad Heb. 6. 4 Hæc omnia loca tractat l Bellar: l Bellar. de Iuſtif. l. 3. c. 14. Addo ex ead. ep. ad Heb. m *Chriſtus tanquā filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſq; ad finem firmam retineamus.*] m Heb 3. 12. Eſt ergo incertus de perſeuerantia; & vult poſſe illos, qui iā erant domus Chriſti etiam finaliter cadere. Nam & illud ſubdit paulo poſt Paul. *Videte fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrū cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo.*] Poterant ergo qui adhæſerāt Deo viuo ab eo recedere n *videte voſmet ipſos ne perdatis quæ operati eſtis.* n Io. ep 2. 8 o *Qui ſtat videat ne cadat.* o 1. Cor. 10. 12. p *Tene quod habes, ne nemo accipiat coronā tuā.* p Apoc. 3. 11 q *Primā charitatē reliquiſti: memor eſto vnde excideris.* q Apoc. 2. 4 r *Rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* r Luc. 22. 32. Poterat ergo deficere Petrus finaliter, ſi Chriſtus pro eo non rogaſſet. Exempla habemus expreſſa in ſcriptura eorū, qui partim remediabiliter, partim irremediabiliter ex iuſtitia ceciderūt. Ad tempus Adā, Dauid, & Petrus grauiſſime poſt fidem, & iuſtitiā ceciderunt. In perpetuum Angeli mali, Saul, Salomon ſecundū aliquos, & Iudas, & Simon Magus, de quibus ſ Bellar. ſ Bellar. de Iuſtif. l. 3. c. 14. Quid vero Patres hac de re?

CCXXVI. Cypr. poſt feruentiſſimā conuerſionem adhuc timet, adhuc ſe tutū non agnoſcit, t *Sit tantū timor,* inquit, *innocentiæ cuſtos,* t Cypr. l. 2. ep. 2. *vt Dominus, qui in mētes noſtras indulgentiæ cæleſtis allapſu clementer influxit, in animi oblectantis hoſpitio iuſta operatione teneatur, ne accepta ſecuritas indulgentiā pariat, & vetus denuo hoſtis obrepat.*] Aſſerit idem u Baptizatū quoq; gratiā perdere, quā u Idem li. 3. teſtim. ad Quir. c. 27 cōſequutus ſit, niſi innocentiā ſeruet, & probat ex Io. 5. 14. *iam noli peccare ne deterius, & c.* ex 1. Cor. 3. 17. *Si quis templum Dei violauerit diſperdet illum Deus.* Et ex 2 Paral. 15. 2. *Deus vobiſcum eſt, dum iſtis vos cum ipſo: ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos.*]

CCXXVII. Hieron. x *Si Baptiſmus,* inquit *ſtatim iuſtum faceret, & omni plenum iuſtitia, nequaquam vtique Apoſtolus* x Hier. ad. uer. Pelag. l. 1. *neophytū refutaret; ſed Baptiſmus vetera peccata conſcindit, nouas virtutes nō tribuit: dimittit è carcere, & dimiſſo ſi laborauerit præmia poll cetur.*] Loquitur ſane de adulto qui ad fidē & baptiſmū peruenerit eumq; poſſe labi & ſupponit, & monet. Ac iterū repetit dicens, y y Idem ibi. l. 3. *Et tamen hoc ſcito, Baptiſmū præterita donare peccata, non futurā ſeruare iuſtitiam, quæ labore & induſtria, ac diligētia & ſemper ſuper omnia Dei clementia, cuſtoditur.*]

CCXXVIII. Auguſt. verum iuſtū etiam finaliter cadere non dubitat, ſed expreſſe & ſæpius aſſerit. Proponit aliquando inquirendum, z *Cur quidam non permanſuri* z Aug. ep. 107. *in fide & ſanctitate Chriſtiana, tamen accipiant ad tempus hanc gratiā, & dimittantur hic viuere donec cadant, cum poſſint rapi de hac vita ne malitia mutet intellectū eorū?*] a Sap 4. 11 Etiam illa tanquam horū ſolutionem præmiſerat: *Vtile eſt omnibus, vel pene omnibus propter humilitatem ſaluberrimum, vt quales futuri ſint ſcire non poſſint. Ad hos ductur,* b Qui videtur ſtare, videat ne cadat. *Propter* b 1. Cor. 10. 12. *huius timoris vtilitatem, ne regenerati, & piè viuere incipientes, tanquam ſecuri alta ſapiamus, qu dam non perſeueraturi perſeueraturis, Dei permiſſione, vel prouiſione ac diſpoſitione, miſcentur, quibus cadētibus territi cum timore & tremore gradiamur.*] Melius profecto & ſibi, & nobis ſapiebat Auguſtin. quam illi qui ſecuritatē hanc & ſibi & nobis pollicentur, & in torpentiſſimam ſocordiam conijciunt. Regeneratū & iuſtificatū poſſe in malam vitam cum voluntate relabi habet idē Auguſtinus de correp. & gra. c. 6. & c. 13.

CCXXIX. Proſper ait, c *Si ad ipſa mundi exordia recurramus, inueniemus omnium ſanctorum, qui diluuium præceſſerunt, Dei ſpiritum fuiſſe rectorem, propter quod & filii Dei* c Proſp. de voca gent. l. 1. c. 3. *nominari ſunt, quoniam ſicut ait Apoſtolus:* d Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. d Ro. 8. 14. *Et cum iidem neglecta obſeruantia illicitis ſe reproborum connubiis miſcuiſſent, atque ob nefariam ſocietatem digni exterminio iudicarentur, Dominus ait,* Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quoniā caro ſunt. *Vnde apparet quod iſte populus, cuius generationes diſcreto ordine cum annorum numero digeruntur, ſpiritalis antea fuit, ea vtique voluntate ſui ſpiritus S. præſidebat ſic impendens moderaminis ſui regimen, vt declinandi ad vitia*

non adimeret poteſtatem, qua poteſtate hic populus ſi non vteretur non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, iſſetque ille de quo dictum eſt: Felix qui potuit tranſgredi, a Ib c.9. & ad capitul. Gall.c.2. *& non eſt transgreſſus.*] Et poſtea: *Deus ò ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, qua poteſt nolle non auferat. Alioquin nemo vnquam fidelium receßiſſet à fide. Neminem concupiſcentia vinceret, neminem triſtitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeſceret, nullius patientia frangeretur, & collatam ſibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc poſſunt fieri, & in conſenſum talium tentationum facilis nimium procliuiſq; deſcenſio eſt, nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non ſonare, qua Apoſtolus dicitur. Vigilate & orate ne intretis in tentationem. — Tale eſt & illud quod ait, Simon, Simon, ecce Sathanas expoſtulauit, vt vos cribraret velut triticum, ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu tandem conuerſus, confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem. Si ergo defectura erat fides tanti Apoſtoli, niſi pro eo Chriſtus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas quæ poſſet in tentatione nutare, & non ita iam perſeuerantia fuerat virtute ſolidatus, vt nullis periculis eſſet obnoxius.*] Hæc Proſper de Petro. Gallicanæ demum Eccleſiæ in hoc genere ſenſum iam vidimus, ſupra, n.151. ad fidem reductum, atque his verbis à Fauſto Rhegienſi explicatum. *Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus, & eum qui periit per culpam ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſius famulatus laboris obedientiam non negaſſet, & eum qui per gratiam ad bona conſummationis metas ſeruitio obſequente peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam.*]

CCXXX. Quod ſi quis velit ſolis prędeſtinatis dari veram iuſtificationem, & conſequenter neminem vere iuſtificatum poſſe omnino, & finaliter cadere, neceſſe eſt affirmet quoque eos, qui poſt fidem ſuſceptam, poſt baptiſmi lauacrum iuſte & ſancte vixerunt, in ſcelera deinde ſe præcipitarunt, & peccatis conſpurcarunt. aqua quidem lotos fuiſſe, ſed neque veram fidem, neque ſpiritum gratiæ accepiſſe; qui fuit expreſſus error olim in b Iouiniano
b Hiero. l.2 adu Iouin. & Aug. Hæreſ.82. ab eccleſia damnatus; certe Scripturis & Patribus iam prolatis valde contrarius. Eadem ratione ſequitur paruulos baptizatos, qui poſtea adulti peccatis ſint ſe obuoluturi, & perituri, in baptiſmo veram regenerationem non ſuſcepiſſe; quod durum videtur audire. Sic quoque nullus poſſet eſſe proprie hæreticus, nullus à fide Apoſtata: ſi fides ſemel accepta ſerio, amitti non poſſet. Has & alias rationes
c Bellar. de iuſt. l.3. c.14 exagitat optime c Bellarminus, quæ ſane ſimul cum autoritate iam poſita ſcripturarum & Patrum optime confirmant prædeſtinationem ex præſcientia: vere enim iuſtus, & vere fidelis ſine diuina gratia nemo eſt: quorſum ergo det Deus talem gratiam ijs, quos iam in reproborum maſſa reliquit, niſi vt illudat ipſis? illos enim ſaluare non vult, ac propterea ſi dat gratiam fidei; & iuſtitiæ ad tempus, certe tamen ſtatuit donum perſeuerantiæ ſe eis negaturũ, ſine quo cadant neceſſe eſt: quod à diuina benignitate ſatis remotum videtur. At vero ſi prædeſtinatio ſit ex præſcientia, ideo cadit iuſtus à iuſtitia, quia vult cadere cum poſſit non cadere; paratam enim gratiam perſeuerandi omnes habent, qui velint ea vti; & quia Deus præuidit iuſtos etiam multos ex ſuo libero arbitrio caſutos finaliter, ideo illos ex numero prædeſtinatorum abiecit, ac interim quandiu diligendi erant eos diligebat, & quandiu illi Deo hærebant, Deus illos vt filios fouebat; quando vero illi Deum deſeruerunt priores, tunc eos iam Deus deſeruit, & amorem in odium conuertit, cuius rei plenæ ſunt Scripturæ. certe deſeri nemo poteſt dici, niſi qui prius protectus fuit.

Oppoſita tamen opinio modernorum multorũ CCXXXI.
habet ſua fundamenta non contemnenda. Plenam fidem, veramque iuſtificationem eſſe tantum prædeſtinatorum, & eam amitti non poſſe; poſſe quidem, aiunt, vere iuſtificatum prolabi in aliqua peccata, ſed omnino per pœnitentiam ſurrecturum, adeo vt Deus electorum peccata non imputet, nec illi excidant propterea à diuina gratia & filiatione; imo efficiat vt vel ipſa peccata cooperentur ipſis electis in bonum, vt patet in Petro, qui ex eo lapſu factus eſt & fortior, & ardentior Chriſti amator. Habent in primis loca Scripturæ: d *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam*, e *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* f *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? — certus ſum quia neque mors, &c.* g *Charitas nunquam excidit.* h *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet, cum ceciderit non collidetur, etenim Dominus ſupponit manum ſuam.* i *Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos:* k *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget.*] Sed præcipuus, & maxime difficilis locus eſt Ioannis; l *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen illius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*] Quem tamen locum m Auguſtinus explicat de illis, qui ſunt actu filij Dei, & quatenus ſunt filii Dei: quod ſi ceſſent eſſe filii Dei, tunc peccare.

d Cant.8.7
e Ioan.4.13
f Ro.8.35.
g 1.Cor.13.8.
h Pſ.36.23.
i Pſ.145.9.
k Prou.24.16.
l 1.Ioa.3.9.
m Aug in ep. Ioan. tract.5. & ad Bonif. l.3.c.3.

Videtur fortaſſe alicui ipſe Auguſtinus etiam CCXXXII.
non nihil huic ſententiæ adſtipulari, vbi ſic loquitur de regeneratis. n *Horum vero cum fuiſſet voluntas ſerua peccati, liberata eſt per illum qui dixit, ſi vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Et accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatẽ, vt, quamuis quandiu hic viuunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſurrepant, propter quæ dicant quotidie, Dimitte nobis debita noſtra; non tamen vltra ſeruiant peccato, quod eſt ad mortem, de quo dicit Ioannes Apoſtolus, Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. De quo peccato, quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa, & diuerſa ſentiri, ego autem dico id eſſe peccatum, fidem quæ per dilectionem operatur deſerere vſque ad mortem. Huic peccato vltra non ſeruiunt, non prima conditione ſicut ille, liberi, ſed per ſecundum Adam Dei gratia liberati, & iſta liberatione habentes liberum arbitrium, quo ſeruiant Deo, non quo captiuentur à Diabolo. Liberati enim à peccato ſerui facti ſunt iuſtitiæ, in qua ſtabunt vſque ad finem, donante ſibi illo perſeuerantiam, qui eos præſciuit & prædeſtinauit, & ſecundum propoſitum vocauit, & iuſtificauit & glorificauit.*] Sed Auguſtinus hic loquitur de dono perſeuerantiæ, quod ſemper datur à Deo prædeſtinatis ſolis, ſecundum ipſius ſententiam. *Nam qui cadunt,* inquit ibidem, *& pereunt, in prædeſtinatorum numero non fuerunt.*] At non dicitur cadere niſi qui ſtat; poſſunt ergo & ſolent ſtantes cadere, & ideo omnibus dicitur; o qui ſtat videat ne cadat.

n Idem de correp. & gr. c.12.
o 1. Cor.10.12.

Hanc ego ſententiam priori oppoſitam non CCXXXIII.
oppugno, ſuas enim illam habere probabilitates non nego; cum præſertim non adeo rationi conſentaneum videatur, Deum amare, & pro filio habere illum, quem certo ſciat, & plane videat ab amicitia diuina penitus diſceſſurum, & ipſum Deum vſque ad vitæ finem derelicturum. Quorſum igitur aut fidem, aut iuſtitiam illius admittat Deus, aut approbet, quem & fidem perfectam, & iuſtitiam omnem abiecturum cernit, quemque ab æterno æternis iam deputauit ſuppliciis. Poteſt

teſt ergo contingere, vt quis & vere credat viua fide, & vere ſtet. quoad ipſum, pro tempore, cuius tamen temporariam illam fidem, & ſtationẽ Deus nihili faciat, dum prouidentiæ ſuæ oculos non in præſentem hominis ſtatum, ſed in futurum, in quo quis ſuam ſit vitam finiturus, conijcit: ſecundum quem & veros ſuos amicos, & inimicos diſcernit. Non enim, quem vt inimicum ab æterno reprobauit, vllo tempore inter ſuos amicos & filios poteſt numerare; & reputare. Sicut etiam non videtur rationi conſentaneum aſſerere, apud Deum filiationem illum amittere, etiam ad breue tempus, qui ab æterno in filium eſt adoptatus, & admiſſus: nam licet cadat, venialiter cadit, & caſum ipſius Deus, ex præuiſa pœnitentia, excuſat, neque peccatum filii, licet mortale in ſe ſit, pro mortali imputat, cuius iam paratam habet remiſſionem. Cadit profecto iuſtus, & prædeſtinatus, & ſæpe in grauiſſima peccata, ſed caſus ille ei mortalis non eſt; ſicut qui deliquium animi patiuntur, ſunt pene mortui, ſed vere mortui nõn ſunt, ſed adhuc viui, & breui, non per reſurrectionem, ſed per leuem ſpirituum refocillationem, ad plena vitæ munia redeunt. Et ſicut negandum non eſt in tali deliquio homines vix vllas vitales operationes exercere, viuos tamen eſſe, non plane mortuos, ita iuſtus in peccato mortali exiſtens, ceſſat à vitalibus ſecundum ſpiritum operationibus, viuus tamen coram Deo eſt ſed ſemimortuus, donec ad ſe plene redeat. Non poſſum tamẽ hoc loco nõ monere, quod ſæpius aduerti, & obſeruaui; Nimios interdum diuinæ gratiæ exaltatores, vt Pelagianiſmũ effugiant, in ipſiſſimum Pelagianiſmum incidere, aut ſaltẽ ei non parum apppropinquare; liberi arbitrii vſum auttollunt, aut vinculis gratiæ vndequaque arctant, ita vt electus iam ne ad peccandum quidem mortaliter ſuo poſſit prolabi arbitrio. Atque hoc ipſum Pelagiani contendebant, poſſe hominem, cum diuinæ gratiæ auxilio, omnino nunquam peccare; in quo tanquam grauis erroris à *a* Hieronymo pluribus arguuntur. Peccant ergo etiam filij, ſed reſipiſcunt, veniam certã obtenturi; ſed quia nemo ſcit ſe eſſe filium prædeſtinatum, cum timore & tremore quiſq; debet ſuam ſalutem operari.

a Hiero. l. 1 adu Pelag.

CCxxxiv. QVÆSTIO VI. & vltima huius capitis, *An opera bona ſint neceſſaria & vtilia ad ſalutem, & an habeant rationem meriti.* Quæ ſint in hac quæſtione difficultates, nondum plene poſſum ſcire: ſunt enim, vt ex Bellarmini controuerſiis didici, qui omnia opera & merita abiiciant, ſumus nos qui pluſculum aliquid tribuimus & operibus & meritis, ſunt in medio multi qui plus qui minus iiſdem tribuant. Mihi igitur ſatis erit ex Scripturis potiſſimum & Patribus colligere quid in hac materia tutum, quid vtile, quid proficuum: quid ſimiliter vitandum, quid cauendum eſſe mihi videatur. Hic vero ante omnia operum nomine intelligere debemus mandatorum diuinorum obſeruantiam, eorum videlicet quæ naturalia dicuntur, & continentur in Decalogo legis, quæ ſunt præſertim à Chriſto approbata, & confirmata; eorũ pariter quæ ipſe Chriſtus toti Eccleſiæ *b* præſcripſit, vt eſt Baptiſmi ſuſceptio monogamia, & ſi quæ talia ſunt quę dicuntur de iure diuino poſitiuo. Nolo nunc in particulari ipſa mandata diſcutere, erit mihi hoc in ſequẽtibus aliqua ex parte conſiderandum. Horũ mandatorum obſeruatio eſt profecto ad ſalutem neceſſaria: & ſi quis Euangelicam libertatem, ad carnis libertatem conuertat, ab Euangelico ſpiritu eſt remotiſſimus. Veriſſimum enim eſt Euangelium eſſe lege Moſaica longe mitius, facilius, & ſuauius: *c Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Legem vero habere pręcepta præter moralia, etiam cęremonialia, & iudicialia ſummi rigoris, ac pene intolerabilia, nihilominus etiam Euangelium & moralia confirmar, & propria addit, & opera multa in eo ſub præcepto ponuntur, vt paulo poſt oſtendam: qui ergo ad ſolam fidẽ omnia euangelica pręcepta reducũt, ſciunt fidem in ſe neceſſario includere diuinã mandatorũ obſeruantiã, *d Fides enim viua eſt, quæ per dilectionem operatur.* Qui ergo Deus præcepit fidem vt neceſſariã ad ſalutem, proculdubio cum præcipiat fidem viuam, non mortuã, præcipit idem etiã mandatorum obſeruantiam. *e Deum noſſe fatentur, factis autem negant. f Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit.*] At qui non ſeruabit Chriſti ſermonem, certe ſicut non diligit Chriſtum, quantumcunque in ipſum mortua fide credat, ita neque diligitur à Chriſto. *g Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. h Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. i Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquam Scribarũ & Phariſæorum* (quæ erat hypocriſis) *non intrabitis in regnũ cælorum. k Si vis ad vitã ingredi ſerua mandata. Hoc fac & viues.* Sed quia mandata ſunt vt plurimũ negatiua, vix poſſunt dici eſſe operũ poſitiuorũ poſitiuã præceptionẽ: & ſeruantur vt plurimũ negatiua voluntate nolendo, & fugiẽdo, ac vitando multa mala opera quæ mandatis diuinis inhibẽtur, non volendo neq; faciendo. Atq; hæc eſt prima operum neceſſitas in ſenſu explicato, & hæc opera in ſuo ſenſu ſunt omnino ad ſalutẽ neceſſaria, neq; arbitror quemquam Chriſti ſpiritu imbutum id negaturum. Hinc profecto oritur neceſſitas pœnitentię, de qua egi lib. 5. c. 7. ſine qua nullus peccator adultus poteſt iuſtificari: vt iam explicaui.

c Matt. 11. 30. *d* Gal. 5. 6. *e* Tit. 1. 16. *f* Io. 14. 23. *g* Io. 15. 10 *h* Io. 15. 14. *i* Matt. 5. 20. *k* Matt. 19. 17.

Concedunt Proteſtantes hæc opera, quæ ſunt ſub præcepto diuinæ legis, neceſſaria eſſe ad ſalutẽ ratione obedientiæ, quia renatus gratis ex ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti tenetur parere Deo, & implere quæ ille præcepit: negant tamen eſſe poſſibile, vt quis renatus etiã cum auxilio diuinæ gratiæ impleat plene & perfecte legem Dei, & cõſequenter volunt nullum opus fieri à nobis in obſeruãtia mandatorũ, quo poſſimus aduerſus peccata in Dei iudicio nos tueri, ac prætendere, vt ex talibus operibus pronunciemur iuſti. Sed Euangelii gratiam eſſe, vt imperfectum noſtrũ tegat perfecta Chriſti obedientia, & illa ſola opera noſtra licet immunda in ſe & imperfecta, à Deo acceptentur, & pro bonis habeantur, nec ipſis impuritas & peccatum imputetur. Ego vero hic iam nimiũ in dogmatica digrederer, ſi hanc quoq; quæſtionẽ vellem exacte tractare. Sed ne ipſi Proteſtantes tantopere à noſtris abhorreãt, ſed eos in his quoq; tolerandos ſibi eſſe cum charitate ſtatuant, paucis rem complectar, ita tamen vt ne noſtri quidẽ rem hanc de fide eſſe velint, ſed ad Theologicas ſcholaſticas diſſertationes eas pertinere permittant Ante omnia impoſſibile videtur vt ſanus intellectus quiete percipiat, quo pacto Deus det hominibus leges de ſe impoſſibiles, aut in toto, aut etiam in parte, ita tamen vt ex ea parte qua impoſſibile ſit eas impleri; culpa & peccatum cõijciatur in hominem, eas plene, & perfecte non adimplentem. Deinde in contrarium lego: *l Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt. —Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo vt facias illud.— Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortẽ & malum— elige ergo vitam, &c.* Et ſic in poteſtate hominũ ponit Deus, vt modo velit, poſſit implere legẽ illã.

CCxxxv.

b Matt. 5.

l Deut. 30. 11.

a 3.Reg.8.17. a *Sit Dominus Deus noſter nobiſcum, ſicut fuit cum patribus noſtris, non derelinquens nos, neque proiiciens, ſed inclinet corda noſtra ad ſe, vt ambulemus in vniuerſis viis eius, & cuſtodiamus mandata eius & ceremonias eius, & iudicia quæcunque mandauit Patribus noſtris.*] Hæc Salomonis oratio à Spiritu ſancto ei dictata, profecto otioſa eſſet & futilis, ſi legis Dei neceſſaria obſeruatio eſſet impoſſibilis. *In iudiciis meis ambulabunt & mandata mea cuſtodient & facient ea.* Ezech.37.24. *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea.* Pſ.18.12. *Et cuſtodiui legem tuam.* Pſ.118.55. *Paratus ſum & non ſum turbatus vt cuſtodiam mandata tua.* Ibid.60. *De mandatis tuis non erraui.* Ibid.100. *Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer, ſeruaui mandata tua & teſtimonia tua.* Ibid.167. & 3.Reg.14.8. *Incedebant in omnibus mandatis tuis, & iuſtificationibus ſine querela.* Luc.1.6. *Et mandata eius grauia non ſunt* 1.Ioan.5.3. *Iugum meum ſuaue, onus leue.* Matth.11.30. *Hæc omnia ſeruaui à iuuentute mea.* Matth.19.20.] *Seruauit legem plene Ioſias* 4.Regum 23.25. *Ita Aſa, & populus ſub eo* 2.Paralip.15.17. *Dauid vel maxime, qui cuſtodiuit mandata mea & præcepta mea* 3.Regum.11.34.] De Patriarchis certum eſt.

ccxxxvi. Non videtur igitur dubitandum præcepta omnia ſigillatim ex ea parte impleri poſſe, ex qua à Deo proponuntur vt obligatiua, ſub periculo & pœna damnationis æternæ, circa crimina nimirum, non circa peccata minora. Quod ſi humanæ imbecillitati ſit impoſſibilis aliqua particula, ſeu conditio, & circunſtantia perfectæ adimpletionis, eam dicam aut non eſſe ſub præcepto, ac propterea, ſi non adimpleatur vix vllum eſſe homini graue peccatum; aut ſaltem non imputari; & de hac non imputatione intelligo Auguſtinum vbi ait. b *Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoſcitur.*]Sed & illa habet Auguſtinus: c *Accedente gratia, idipſum quod lex oneroſe iuſſerat, tam ſine onere, ac libentiſſime implemus: — lex Spiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, & liberat à lege peccati, & mortis, facit vt non concupiſcamus & impleamus iuſſa legis: — Hoc enim efficit fides, quod lex iubet, &c.*] Non ait per legem gratiæ nobis non imputari impoſſibilitatem ſeruandæ legis; ſed ait nobis in lege gratiæ dari vires, vt ex charitate ſeruemus legem, & facile: quæ ante Chriſtum erat difficilis, quia non ex charitate, ſed ex timore ſeruabatur. Itaque præcepta legis, *inquit*, per charitatem impleta ſunt, quæ per timorem non poterant.] Præceptum itaque diligendi Deum ſuper omnia, quatenus homines obligat ſatis adimplebitur, ſi homo præferat Deum omnibus quę habet in hoc mundo, etiam vitæ propriæ. Et ad hoc iuſti omnes cum diuina gratia facile perueniunt, vt ſi veniat occaſio vel peccandi & lædendi amittendique Deum, vel omnium bonorum temporalium, filiorum, amicorum, & adhuc vitæ propriæ iacturā patiendi, hæc omnia Deo poſtponantur. Præceptū de non concupiſcendo non eſt datum parti ſenſuali, ſed parti rationali; ſenſualitas enim eſt ipſamet prudentia, ſeu ſapientia carnis, & hæc, vt ait Apoſto-

d Rom.8.7. lus, d *Legi Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.*] Et tunc in parte rationali impletur præceptum non concupiſcendi, quando ratio & voluntas reſiſtunt indebito motui concupiſcentiæ naturalis; & poteſt hic eſſe ſenſus. Non concupiſces, hoc eſt, non modo actu externo ne fureris, ne occidas, ne mœcheris, ſed etiā actu interno ſolo aſſenſu voluntatis interno ne feraris in furtum, homicidium, adulterium. e *Qui enim viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo.* atq; hoc non aſſentiri eſt & poſſibile, & facile, cum diuina gratia, homini iuſtificato. Itaque

b Aug Retract.l.1.c.19.

c Aug.lib. 83.qq q.66.

e Matt.5.28.

Paulus quoq; vbi ait, f *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces:* certe non loquitur de concupiſcentia quæ ſit motus naturalis appetitus ſenſualis, quis enim credat tales motus Paulum non fuiſſe ſenſurum; niſi in lege audiſſet præceptum nō concupiſcendi? ſed ſignificat, ex lumine quidem naturæ ſe optime, etiam ſine lege ſcripta intellexiſſe malum eſſe rem alienam tollere, torum alterius fœdare: ſanguinem fundere; ſed peccatum eſſe ſolo interno cogitationis actu in hæc ipſa conſentire æque atque ſi actu externo peragatur, quoad Deum & conſcientiam, non poſſe hoc ſe lumine naturæ cognoſcere, ſed ex lege ſcripta, quæ hoc vetat, & non niſi poſt lapſam naturam; integra enim natura malam concupiſcentiam neſciebat, corrupta vero natura executionem ſolam malæ concupiſcentiæ illicitam eſſe ſciebat, ſed ipſam internam ſolam concupiſcentiam, etiam in parte rationali malum continere neſciebat, dicente Paulo, vt ſupra monui, g *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces:* Lex enim naturæ dictat non eſſe alienam vxorem corrumpendam, ne proximo fiat iniuria; at vero id mente ſola concupiſcere, antequam facto peragatur, nullam continet proximi iniuriam; ſed Deus declarauit peccatum mœchiæ eſſe etiam in ſolo mentis aſſenſu, licet factum non ſequatur, quia Deus inſpicit cor & voluntatem malam; & inde ſe læſum eſſe explicat, & peccatum agnoſcit, quod ſit coram Deo, licet non ſit coram hominibus.

Non ergo vllo modo homini concupiſcentia ad peccatum eſt imputata à Deo, niſi poſt legem ſcriptam, & conſequenter non niſi illis quibus data eſt ipſa lex ſcripta. h *Scimus enim quoniam quæcunque lex loquitur, iis qui in lege ſunt loquitur;*] ait Paulus; & ita negandum eſt, præceptum non concupiſcendi eſſe præceptum datum naturæ modo explicato, ſi Paulo credimus: qui etiam lege vult auctum eſſe peccatum; non ſane quia nitimur in vetitum, vt fere omnes explicant, ſed quia quod non erat peccatum, aut ſaltem quod non imputabatur ad peccatum (i *ſine lege enim peccatum mortuum erat*, ait ibidem Paulus) iam poſt legem datam cæpit eſſe peccatum viuum, & imputari ad peccatum. k *Vbi enim non eſt lex neque præuaricatio legis eſt*, ait Apoſtolus: Habet ergo lex ſcripta aliquid, cuius præuaricatio non erat ante legem ipſam ſcriptam & promulgatam. l *Vſque ad legem enim*, ait idem Apoſtolus, *peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non eſſet.*] Hæc profecto de peccatis contra præcepta mere naturalia, & lumini naturæ notiſſima, non poſſunt à Paulo dici, nec intelligi; m *nam gentes quoque* m *oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Ideo addit; *lex ſubintrauit vt abundaret delictum.*] Quia nimirum cæpit imputari ad peccatum, quod prius, quia ignotum erat, non imputabatur; ſed poſtquam per legem promulgatam innotuit, iam cæpit imputari, & hoc eſt potiſſimum præceptum Non concupiſcendi. Ait enim Paulus, n *Quid ergo dicemus, lex peccatum eſt? Abſit; ſed peccatum non cognoui, niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam; niſi lex diceret, Non concupiſces.*] Planum ergo eſt concupiſcentiam, id eſt, aſſenſum rationalem internum in actum externum peccati, ad quem concupiſcentia naturalis appetitus ſenſitiui allicit & impellit, in lege naturæ non eſſe peccatum, aut ſaltem non imputari,

f Rom.7.7.

g Rom.7.7.

ccxxxvii.

h Rom.3.19.

i Rom.7.8.

k Ro.4.15.

l Rom.5.13.

m Ro.2.15.

n Ro.7.7.

quanto minus erit peccatum ipſa concupiſcentia naturalis, partis ſenſitiuę? aut ſaltem quanto minus imputabitur? quod ſi hæc concupiſcentia non eſt peccatum, aut non imputatur, propter hanc profećto nemo erit Deo inuiſus; & ex hoc ſequitur in cõcupiſcentia non eſſe ponendum peccatum originale, propter quod homini debeatur mors æterna.

CCXXXVIII. Non nego profećto ipſam concupiſcentiam naturalem, & malam inclinationem in homine, quæ ex appetitu ſenſitiuo nimium contra rećtam rationem, poſt amiſſam iuſtitiam originalem, quæ appetitum hunc plene ſubdebat rationi præualente inſurgit, vocari à Paulo peccatum: vbi ait: *a Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: Scio enim quia non habitat in me. hoc eſt in carne mea bonum.*] *a Rom 7. 17.* Sed peccatum hoc loco ſignificat & effećtũ peccati, & ſimul cauſam peccati. Rebellio enim illa carnis aduerſus ſpiritum, eſt effećtus peccati originalis, & ſimul cauſa multorum peccatorum ačtualium, dum ſenſus trahit ad ſe rationem. Formaliter tamen peccatum illam eſſe, difficile probatu videtur: vnde & Paulus ibidem ait; *Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.*] Profećto peccatũ ačtuale eſt operari id quod operandum non eſſe dićtat ratio, tametſi conſentiat & ipſa, & dićtamini ſenſuali ſeſe accommodet, alioquin homo non peccaret, niſi voluntarie & ex elećtione peccet: nihilominus tamen hoc ipſum peccatum, quod eſt peccatum formaliter, tribuit Paulus non ſibi, id eſt non parti ſuperiori quæ in contrarium clamat, & dićtat id non eſſe faciendũ, ſed peccato quod in ipſo habitat, id eſt parti ſenſuali, quæ etiam rationalem ad ſe trahit, & ſic hoc peccatum id eſt ſenſualitatem facit cauſam veri peccati. Et ſic Paulus peccatum ačtuale formaliter totum ponit in eo, vt homo operetur contra legem mentis, iuxta legem membrorum: Dum ergo allicitur à carne & à peccato illo, quod etiam vocatur lex mẽbrorum, non peccat homo; ſed quando iam operatur & captiuatur in lege peccati, ita vt illi pareat, tunc vere peccat. Sic Eua fuit peccatum Adamo, vt obſeruant *b* ſancti, non ſane quandiu illa ſola vetitum cibum vorabat, neq; quandiu alliciebat Adamum, vt ipſe quoq; comederet, ſed quando tãdem Adamus obſecutus eſt Euæ, & ei ſuadenti morem gerere voluit. *b Aug. de ſerm. Do. In mon. l. 1. c. 23.* Si enim illa ſola comediſſet, & Adamum quantum vellet tentaſſet, ipſe tamen Adam conſtans fuiſſet, neq; ipſe Adam neq; poſteritas eius quicquam mali paſſi fuiſſent. Itaque quicquid ſub diuino præcepto mandatur homini, id & poſſibile eſt, & cum diuina gratia ſufficienter obſeruabile: quod ſi prꝯſtetur, homo neq; peccati, neq; inobedientiæ ſit reus, ſi vero non præſtetur, omnino ſe & peccato & inobedientia maculet; & ſane ad mortem, niſi reſipiſcat, & remedio pænitentię remiſſionem obtineat. Et dum noſtri dicũt poſſe hominem ſufficienter ſeruare legem, non ſequitur inde, poſſe hominem ſic legem ſeruantem, prætendere à Deo iuſtificationem vt meritum, & vitã æternam eſſentialem; quia legis etiam integra obſeruatio diſponit tantum hominem ad iuſtificationem, & ad obtinendam vitam æternam, tollit impedimenta, & idoneum ac capacem reddit iuſtificationis, non tamen meretur ipſam iuſtificationem. Non eſt porro dubium Auguſtinum interdum ipſam concupiſcẽtiam vocare peccatum, ſed de concupiſcentia naturali profećto non ita ſentit Auguſtinus, ſeu potius Gennadius, vt illa ſit peccatum formaliter: *c Bona eſt, inquit, caro noſtra, & valde bona, —ſed cum ſit creatione bona, arbitrio animæ efficitur nobis vel bona, vel mala.*] *c Aug de Eccleſ. dogm. c. 14. & 76.* Si enim ipſius titillationi ratio conſentit, tunc mala eſt, & peccatum elicit, ſi autem ratio non cõſentit, caro, & conſequenter ipſa concupiſcentia, bona erit, aut ſaltem non mala. Habet & illa alibi Auguſtinus, *d Prima eſt actio ante legem; ſecunda ſub lege; tertia ſub gratia; quarta in pace. Ante legem actio eſt, ubi peccatum ignoramus, & ſequimur carnales concupiſcentiã. Sub lege eſt actio cum iam prohibemur à peccato, & tamen conſuetudine eius vićti peccamus, quoniam nos nondum adiuuat fides. Tertia actio eſt quando iam pleniſſime credimus liberatori noſtro; nec meritis noſtris aliquid tribuimus, ſed eius miſericordiam diligendo iam non vincimur delećtatione conſuetudinis malæ, cum ad peccatum nos ducere nititur; ſed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quamuis ei non tradamur.*] *d Idem lib. 83. qq. q. 66.* Quartam ponit quando corpus hoc induet incorruptionem, & immortalitatem. In tertia illa ačtione, addit paulo poſt ibidem, nos habere relućtantem mortalitatem carnis, ſed non vincentem, neq; captiuantem ad conſenſionem peccandi. Itaque nullum peccatum agnoſcit eſſe in illo relućtamine, dum ad conſenſum ratio non pertrahitur. His addo & illa ex Auguſtino, *e Et ſi non poſſunt modo niſi eſſe deſideria carnalia, non eſt illis aſſentiendum; propterea non dixit Apoſtolus; non ſit peccatum in veſtro mortali corpore, nouit enim quia quandiu mortale eſt, eſt ibi peccatum; ſed quid ait? Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore: Quid eſt non regnet? ipſe expoſuit, ad obediẽdum, inquit, deſideriis eius. Sunt deſideria, exiſtunt deſideria, non tu obaudis deſideriis tuis, non ſequeris ipſa deſideria, non illis conſentis. Eſt tibi peccatum, ſed amiſit regnũ, quando iam in te non regnat peccatum.*] *e Idem in ps. 75.* Eſt ergo concupiſcentia peccatum, quia titillat, & allicit, imo trahit ferme ad peccatum; ſed ſi non adſit rationis cõſenſus, illud peccatum non regnat, non deprimit animam, non officit, non facit ream; ream enim non facit niſi peccatum quod regnet, & ſi non regnat, peccatum formaliter non eſt, quia non facit reum. Hæc optime Auguſtinus. Cuius etiam generalis eſt illa ſententia. *f Non enim in ipſo deſiderio prauo, ſed in noſtra conſenſione peccamus.*] *f Ibid. in expoſ. quarund. ſent. ex ep. ad Rom. nu. 17.*

CCXXXIX. Sed in hoc quoq; facile conuenimus, ſi res quas vtrinq; aſſerimus, non verba quibus eas aſſerimus, ponderemus. Nos volumus teneri homines ſeruare pręcepta diuina, quantum cum diuina gratia fieri poteſt; & hoc tantum ſub præceptum cadere, qua vero ex parte non poſſumus ea ſingula ſeruare perfećte, dicimus id non eſſe ſub præcepto, & ita neq; nos peccare in illa imperfećtione neceſſaria. Proteſtantes dicunt præcepta ex ea parte qua poſſibilia ſunt omnino eſſe ſeruanda; & non ſeruantibus eſſe peccatum mortiferum, niſi pænitentia deleatur; nec in hac parte citra pænitentiam quenquam excuſati, aut obtendere poſſe non imputationem per perfećtam Chriſti obedientiam: ex ea vero parte qua ſunt impoſſibilia volunt adhuc ea trãſgredi eſſe peccatum, quia etiam ex hac parte obligatiua eſſe cenſent, ſed tamen hoc peccatum Chriſti legis obedientia tegi, & nobis non imputari. In re ergo ipſa conuenimus, idem enim mihi beneficium eſt ſi in me ačtio aliqua non ſit vllum peccatum, atque ſi ſit peccatum, ſed non imputetur. An vero nos ex noſtra obedientia, quam in ſuo genere perfećtam, aut ſaltem ſufficientem eſſe volumus, & omni peccato carere, prætendere poſſimus aliquid à Deo, & reſpondere iuſtitiæ ipſius ac iræ, examinabo inferius.

Videamus nunc vndenam illam impoſſibilitatem iſti colligant. 1. *g Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legẽ.* h *Moyſes accepit verba vitæ dare nobis, cui noluc-* CCXL. *g Ioa. 7. 19. h Ać. 7. 38. 53.*

noluerunt obedire Patres noſtri. Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.] Sed hæc loca nihil aliud habent niſi Iudæos non ſeruaſſe legem; potuiſſent tamen eam ſeruare ſi voluiſſent. Addunt alia. 1. a *Ab omnibus quibus non potuiſtis iuſtificari per legem.* 2. b *Iugum quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus.* 3. c *Quod impoſſibile eſt legi, eo quod infirmabatur per carnem.* 4 d *Legi non ſubiicitur, neque enim poteſt.* 5. e *Cuncta quæ loquutus eſt Dominus faciemus* — f *Et perterriti ac pauore concuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi, loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur, Ita vt non poſſent oculos intendere in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius.*] Terrorem hunc autumant à Deo ingeſtum illi populo per fulgura, & tonitrua, & alia mirabilia, vt retunderent illã perſuaſionem qua dixerant, Cuncta faciemus, & hæc forte probabiliter. Sed nos, vt noſtram etiam tueamur probabilitatem, his locis ſuas adhibemus explicationes.

a Act. 13. 38.
b Gal. 2. 16 & Ro. 8. 3.
c Act. 15 10.
c Rom. 8 3.
d Rom. 8. 7.
e Exod. 19. 8.
f Exod 20. 18.

CCXLI. Primus locus ſignificat ſacrificia illa legis, quæ pro peccato tam multa, & tam ſæpe offerebantur, & offerri videbantur, non habuiſſe vim vllam iuſtificandi, & verum peccatum animæ remittendi. Non enim per illa purgabatur homo, niſi à legalibus quibuſdam, & corporalibus duntaxat immũditiis, in quibus animæ peccatum nullum vt vix vllũ erat: à vero enim peccato actuali, non legalibus iuſtificationibus, & ſacrificiis, *ſed fide & g pœnitentia coram Deo purgabãtur*, vt iã explicaui l. 5. c. 7. n. 6. & ſeq. Sed præterea hic locus non dicit legem ſeruari non potuiſſe: ſed homines à peccatis mũdari per legem non potuiſſe: & ita impotentia legi ipſi in mundando, non hominibus in ſeruãdo tribuitur. Secundus locus adductus ſpectat ad h *grauiſſimũ difficillimumq; non tamen abſolute impoſſibile onus ceremonialiũ, & iudicialiũ ſummi rigoris.* Tractabatur n. ibi ab Apoſtolis ſuper legalibus cæremonialibus, circuncìſionis, ciborũ delectus, &c. Et hæc cæremonialia fuerũt vere iugum duriſſimũ, ac ferme intolerabile; ſed an eorũ omnium tranſgreſſio eſſet peccatum corã Deo mortiferum æterna pœna puniendũ, vbi moralia integre ſeruarentur, an vero ſola pœna tẽporali eſſet puniẽdum, & ſacrificiis legalibus purgandum, quippe quod peccatum verum internum coram Deo non eſſet, niſi externum, alij conſiderent; ego non auſim nunc quicquam ſtatuere, niſi id fuiſſe iugum oneroſiſſimum, moralem vero legem non itẽ, de qua eſt præſens ſermo: in quam non cadit tantum onus, tantaque difficultas. Tertius locus eundem ſenſum habet, quem & primus: debilitatem enim legis cęremonialis, & legalium ad efficienda opera ſpiritualia, imo impoſſibilitatem nobis proponit; non debilitatem aut impoſſibilitatẽ hominis in lege ſeruanda. Cui legalium impoſſibilitati ad effectus ſpirituales pariendos opponit Paulus Gratiam Chriſti, effectuum ſpiritualium matrem, & productricem. Quartus locus non dicit hominem nõ poſſe ſubijci legi, id eſt non poſſe ſeruare legem, ſed dicit prudẽtiam ſeu ſapientiam carnis, hoc eſt ipſam partem brutalem in homine nimirum ſenſualem, ſeu appetitum ſenſitiuum non ſubiici legi, neque poſſe ſubijci: quia, vt ſupra innuebam, ſenſualitas non eſt capax præcepti, neque poteſt lege vlla gubernari, & regi, ita vt ipſa ſponte pareat, & ſe intra metas boni moris contineat; atque hoc poſt amiſſam iuſtitiam originalem, quæ illam plene coercebat, & rationi ſubdebat, nunc vero id præſtat multum diuina gratia per Chriſtum nobis parata. Quintus locus nihil penitus habet quod ad impoſſibilitatem ſeruandæ legis quoquo modo adduci poſſit. Non enim ideo cum terroribus illis data eſt lex vt reprimeretur nimia confidentia Iudæorum, qua dicebant ſe omnia ſeruaturos, (ſciebant enim nihil impoſſibile Deum præcipere) ſed terrores illi ſeruiebant, tum vt cernerent vere Deum eſſe qui Moyſi loquebatur, & ideo credendum ei eſſe, tum vt terrore etiam concepto ad obedientiam legi præſtandam pararentur. Et timor quem ex illis terroribus conceperunt, non erat timor ex impoſſibilitate ſeruandæ legis, quæ impoſſibilia præciperet, ſed quia mortem corporis ſibi intentari illis terroribus & imminere audiebant, & non poterant intendere in faciem Moyſi propter ſplendorem quem ex collocutione cum Deo acceperat ipſe; neque ait Paulus eos non potuiſſe intendere in ipſam legem. At vero ſupra ex clariſſimis locis patuit legem fuiſſe & ſeruabilem, & ſeruatam ſufficienter, quantum vis præcepti obligaret.

g 3. Reg 8. 47.
h Bellar de Iuſt. l. 4 c. 14.

CCXLII. Addunt pro iſta ſua impoſſibilitate ſeruandæ legis duas deductiones ex ſcriptis Apoſtolicis. Prima talis eſt, i *Lex eſt ſpiritualis, homo vero carnalis, venundatus ſub peccato, in quo nihil boni habitat, cui volenti facere bonum adiacet malum.* Vbi ergo tanta corruptio, & deprauatio virium, ibi eſt impoſſibilitas, quandiu in carne ſumus legem perfecte ſeruandi. Altera deductio eſt huiuſmodi. Miſſus eſt Chriſtus, & factus pro nobis victima, vt ipſius obedientia pro noſtra ſuppleret inobedientia. Fruſtra ergo veniſſet, ſi nos perfecte legem potuiſſemus ſeruare; iuxta illud Pauli: k *Si ex lege eſt iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt.* l *Cum impoſſibile eſſet legi, Deus miſit Filium ſuum.* m *Veni implere legem.*] Ad priorem deductionem reſponderi poteſt, Homo ex parte ſola inferiori carnalis eſt, ex parte vero ſuperiori & potiori, ſpiritualis, & proportionem habens ad legem ſpiritualem, cum adiumento gratiæ ſpiritualis; & venundatus eſt ſub peccato, ſed in regeneratione à peccato redimitur. In eo nihil boni habitat, in parte videlicet brutali, & ſenſuali, quæ adiacet volenti bonum facere, ſummoque impedimento eſſe ſolet, ſed per gratiam Dei illa compeſcitur, fręnatur, & vincitur, & rationalis pars dominatur, viribuſque corroboratur, vt iam poſſit etiam facile, & ſuauiter legem, quantum neceſſe eſt, ſeruare. Ad poſteriorem deductionem reſpondemus, Chriſtus ſupplet pro noſtra inobedientia, non qua ex neceſſitate fuerimus inobedientes, propter impoſſibilitatem ſeruandæ legis, ſed qua voluntarie, & ex noſtra culpa legem tranſgreſſi ſumus, & tranſgredimur, & ideo non venit fruſtra; & quod ait Apoſtolus, ſi ex lege, &c. Senſus eſt ſi legales cæremoniæ peccatum remittebant, gratis Chriſtus mortuus eſt; & quia impoſſibile erat, vt lex, id eſt cæremoniæ legales, puta ſacrificia pro peccato, & ſimiles peccata delerent, ideo Deus miſit filium ſuum, qui dixit ſe legem implere, nõ hoc ſenſu, videlicet: Ego veni ad ipſam legem plene & perfecte ſeruandã, vt ſuppleã apud Patrem pro hominibus qui illam non ſeruauerũt, ob eius impoſſibilitatẽ: ſed ſenſus cõmunis eſt, Chriſtum non ſoluiſſe, ſed impleſſe legẽ; quia quæ figuraliter & typice lex habebat de ſacrificiis, & aliis typis, ea re ipſa ſua vita ac prædicatione, ſuoq; ſacrificio in ara crucis pfectiſſime adimpleuit, & legem moralẽ confirmauit, deditq; nobis explicatiorem.

i Rom. 7. 14.
k Gal. 2. 21.
l Rom. 8. 3.
m Matt. 5. 17.

CCXLIII. Diſputant pluribus aliqui de diſcrimine inter legem, & Euangelium, ad hoc vt probent legem poſtulaſſe plenam obedientiam operibus præſtandã; & promiſſiones ſub operum conditione cõtinere; ideoque iuſtificationem non attingere, nec vnquã attigiſſe, quia legis plena obedientia, hoc eſt etiam

citra

citra omnen motum vel minimum concupiſcētiæ, impoſſibilis fuit ſemper, & eſt dum ſumus in corpore corruptibili. Euangelium vero gratuitam dare iuſtificationem ex fide, abſq; vlla operum conditione per iuſtitiam Chriſti peccatori applicatam. Et hoc Euangelium ab ipſo mundi initio vim ſuam exercuiſſe. Legem interim & ſemper aliquid aliud operatam, & operari adhuc, etiam in ipſo Euangelio, vt peccatum oſtendere, terrefacere, ad opera impellere, &c. Hanc ego doctrinam ad bonum ſenſum duci poſſe ita cenſeo, vt tamen interim contraria quoq; noſtrorum doctrina de nimio operum valore moderationem accipere debeat, vt inde inter nos conſenſus concilietur. Ad euitandam vero prolixitatem, aliquas apponam propoſitiones, per quas in compendium breue redigam totam hanc diſputationem.

CCXLIV. Propoſitio prima, *Lex quatenus lex, & ſane moralis per opera ipſa legis à peccato vero interno, quod videlicet ſpirituale exitium pariat, neminem vnquam potuit, aut poteſt iuſtificare; etiam poſita fide vera in Deum & pleniſſima totius dictæ legis adimpletione.* Ad iuſtificationem enim eſt quidem neceſſaria diſpoſitio ex parte hominis fides, vt iam oſtendi, & mandatorum obſeruatio, quæ tollat peccati perſeuerantiam, hoc eſt excludat voluntatem peccandi, & ſubiiciat ipſam voluntatem legi Dei, quod efficit, vt docui, viua fides. Hoc tamen non eſt cauſa iuſtificationis, neq; motiuum quo Deus ad remittenda homini peccata moueatur: ſed ſunt merę diſpoſitiones, amotionesque obſtaculorum, quas Deus in nobis requirit, imo etiam ſua adiuuante gratia operatur; ſine quibus nos
a Rom. 2. 13. non vult iuſtificare. a *Factores enim legis*, vt ait Apoſtolus, *iuſtificabuntur.* Ac propterea nos non poſſumus noſtra opera per quæ legem implemus, etiamſi perfectiſſime, opponere Deo, ipſiuſq; iuſtitiæ & iræ, vt propter illa nobis debeatur iuſtificatio. Sunt enim meræ diſpoſitiones neceſſariæ quidem, ſed quibus neq; ex debito, neq; ex promiſſione, neque ex vlla congruentia debeatur à Deo iuſtificatio: hęc enim non datur propter vllum opus, aut propter vllam diſpoſitionem, ſed propter ſolum Chriſtum, &
b Gal. 2. 16. mere gratis. Hinc illa Pauli, b *Non iuſtificatur homo ex*
c Ro. 3. 20. *operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti.* c *Ex operibus legis*
d Ro. 3. 24. & Tit. 3. 7. *non iuſtificabitur omnis caro.* d *Iuſtificati gratis per gratiā.*
e Rom. 8. 4. e *Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, &c.*] Significat vero hoc vltimo loco iuſtificationem quam lex nō poterat dare per ſua opera, iam dari & impleri per Chriſtum in ijs qui Spiritu iam regantur, & non pura legis litera;
f Aug. ad Bonif. l. 3. c. 4 & in pſ. 110. quod etiam Auguſtinus optime f conſiderauit. Et quicquid afferri poteſt ex ſcripturis pro g neceſſitate operum ad iuſtificationem, nihil aliud continet
g Bellar. de iuſtif. l. 4. c. 7. niſi diſpoſitionem modo explicatam.

CCXLV. Sed hac ſola excepta neceſſaria tamen diſpoſitione, opera ipſa per quæ etiam pleniſſime lex adimpleatur ad iuſtificationem obtinendam nihil penitus prodeſſe, aut efficere quæ ex ſola gratuita miſericordia datur, nuſquam clarius, nuſquam vehemētius diuinus Paulus eſt locutus, quam vbi hæc de ſe
h Phili. 3. 4. ipſo habet, h *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis—Secundum iuſtitiam quæ in lege eſt conuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta—propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.*] Non negat in lege fuiſſe iuſtitiam legalem, quæ ex ſufficienti legis obſeruatione oriretur, quando ſine querela in lege quis verſatus ſit: Hanc tamen iuſtitiam operum, & ſufficientis legis obſeruationis (mirum profecto) dicit fuiſſe ſibi inſtar ſtercoris, in comparatione iuſtitiæ quæ eſſet ex Chriſto. Ipſa ergo legis etiam plena obſeruatio, & ipſa operum iuſtitia per quæ quis ſeruat diuina mandata omnia, etiam exactiſſime, & certe cum diuina gratia, ſine qua legem plene ſeruare eſſet impoſſibile, non eſt iuſtitia quæ hominem coram Deo iuſtificet, ſed eſt iuſtitia quædam humana propriis operibus acquiſita; Nam etiam i Abrahamus, ſi talem iuſtitiam ex ſuis operibus in lege naturæ habuit, certe ex illa gloriam aliquam conſecutus eſt, ſed non coram Deo, inquit idem Paulus. Itaq; iuſtitia qua coram Deo iuſti ſumus, non eſt vlla ratione iuſtitia operum, ſed iuſtitia ſola quæ eſt per fidem in Ieſum Chriſtum, ſine qua Chriſti iuſtitia, veluti ſtercus, eſt omnis noſtra operum iuſtitia: quæ operum iuſtitia eo duntaxat ſeruit, imo eſt neceſſaria, vt per obediētiam mandatorum obſtaculum iuſtitiæ per Chriſtum habendæ non opponamus. Nec interim putemus Paulum abieciſſe à ſe iuſtitiam operum, dum ait, vt inueniar non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt: ſed ſignificabat ſe nolle prætendere per illam iuſtitiam operum ſuam iuſtificationem; ſed illam quo ad hoc pro nihilo reputare. Quoad debitum tamen obedientiæ bene ſciebat ſibi neceſſarium eſſe vt in iuſtitia quoq; operum, quoad præcepta moralia, & Euangelica, perſeueraret. i Rom. 4.

Propoſitio ſecunda. *Opera legis cæremonialia veram animæ coram Deo iuſtificationem, ſeu veri peccati remiſſionē neq; diſpoſitiue, neq; effectiue, neq; meritorie, neq; vlla alia ratione attigerunt.* Et de his potiſſimum loquitur Paulus vbi ait k *Ex operibus legis neminem iuſtificari.* Et, l *Impoſſibile fuiſſe legi hominem iuſtificare.* Et, m *Hoſtias legis nunquam auferre potuiſſe peccata.* Et, n *Per Chriſtum annunciari Iudæis remiſſionem peccatorum, ab omnibus quibus non potuerunt in lege Moyſi iuſtificari.* Et, o *Sanguinē hircorum & taurorum, & cinerem vitulæ aſperſum inquinatos ſanctificaſſe ad emundationem carnis.* Itaq; ſacrificia illa omnia quæ pro peccato offerebantur, non erant niſi ad emundationem carnis, & hæc ſunt proprie illa opera legis per quę toties Paulus negat potuiſſe hominem vera iuſtificatione coram Deo iuſtificari. Nam vere ſi totam legem percurramus, inueniemus peccata illa quæ ſacrificiis purgabantur, non fuiſſe vera peccata coram Deo, ſed immunditias quaſdam legales externas, aut peccatum quidem, ſed ex ijs quæ à Deo non imputantur, vt vidimus lib. 5. cap. 7. n. 7. CCXLVI. k Rom. 3. 20. & Gal. 2. 16. l Rom. 8. 3. m Heb. 10. 4. n Act. 13. 38. o Hebr. 9. 13.

Propoſitio tertia. *Euangelica quoq; iuſtificatio neceſſario requirit, & poſtulat in homine illas diſpoſitiones fidei, & pœnitentiæ, & obedientiæ mandatorum, & ſine his Euangelium non iuſtificat, licet propter hæc non iuſtificet.* Neq; multum dimicandum eſt num in Euangelio hæc ſint pro executione legis, & quatenus ſpectant ad legem, quam Euangelium adhuc ſupponat, & quæ adhuc Euangelio ſeruiat: an vero ſint ipſiuſmet Euangelij præcepta. Vtrunque enim commode dici poteſt, nec poteſt alterutrum efficaciter impugnari. CCXLVII.

Propoſitio quarta. *Conditio operum ad promiſſiones obtinendas eodē modo ſe habet in lege & in Euangelio: Nam vel vtrobiq; requiritur operum conditio, vt diſpoſitio; vel in neutro, vt meritum.* Certe iuſtificatio peccatique veri remiſſio in lege per legem ſub operum conditione neq; promittitur, neq; obtinetur, vt iam explicaui; & quæcunq; conditiones operum vtrobiq; apponuntur, ſemper habent rationem tātum diſpoſitionis neceſſariæ, ac prærequiſitæ, & impedimentorū, obſtaculique amotionis, non cauſæ meritoriæ aut CCXLVIII.

phyſicæ,

phyſice, niſi forte inſtrumentalis, vt ſunt Sacramẽta de quibus viderint alij. Obiicies illa Scripturę loca, a Ro. 2. 13. *a Factores legis iuſtificabuntur.* b Ro. 7. 10. *b Mandatum quod erat ad vitam.* c Leuit. 18. & Gal. 3. 12. *c Qui fecerit hæc viuet in eis.* d Deut. 30. 19. *d Propoſui tibi vitam & benedictionem.*] Reſpondeo, Factores legis iuſtificabuntur, ſed non propterea quia ſunt factores legis, ſed quia, niſi ſint hinc diſpoſiti, non iuſtificabuntur. Sic Deus dicitur mundaſſe populum e Tit. 2. 14. *e ſectatorem bonorum operum.* Mandatum datũ eſt ad vitam, vt vitetur peccatum, & conſequenter vitetur mors ęterna: Non quod mandati obſeruatio ſit cauſa vitę, ſed quod niſi quis à peccato abſtineat, quod lege manifeſtatur, & terroribus ac minis legis peccati fuga ſuadetur; ad vitam non ſit perventurus. Qui fecerit hæc viuet in eis, non quia fecit viuet, ſed quia niſi faceret non viueret. Propoſui tibi vitam & benedictionem, quia niſi ea feceris, neque vitæ neque benedictionis eris capax. Sic & illud: f Matt. 19. 15. *f Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata:* id eſt niſi ſeruaueris non ingredieris ad vitam. Gratis vero tibi dabitur vita, ſi tu tamen prius adiutus gratia per fidem viuam, & obedientem te diſpoſueris, & vitæ capacem reddideris, & obicem non oppoſueris. Et hoc tam in lege, quam in Euangelio requiritur, vt præcepta obligatiua ſeruentur: pauciora tamen & faciliora in Euangelio, quam in lege. Satis vero iam ſupra propoſitione prima, iuſtitiam ex plene etiam ſeruata lege non eſſe iuſtitiam, & à Paulo reputatam fuiſſe vt ſtercus in comparatione iuſtitiæ quam gratis habemus per Chriſtum, & conſequenter neque illi debetur vita æterna, niſi, vt dixi, per quandam etiam remotam, ſed neceſſariam diſpoſitionem.

CCXLIX. Propoſitio quinta. Sufficiens legis moralis obedientia, quo ad ea quæ ſub præceptum cadunt, & eſt poſſibilis, ac fuit ſemper, cum adiumento diuinæ gratiæ etiam ſub lege, & fuit ſemper eſtque adhuc abſolute neceſſaria, quod iam probauimus: Sed obſeruandum eſt cum Auguſtino g Aug. de gra. & lib. arb. c. 6. & 7. *g aliud eſſe quærere, an lex poſſit obſeruari in hac vita in ea parte, quæ eſt ſub præcepto; aliud an de facto illa à quoquam obſeruetur integre & ſine vlla vnquam præuaricatione. Primum aſſerimus, aliud negamus.* h Iac. 3. 2. h In multis enim offendimus omnes. i 1. Ioa. 1. 8. Et, i ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. Sed hinc non ſequitur abſoluta impoſſibilitas ſeruandi ſingula præcepta, licet quo ad omnia aliqua ſequatur impoſſibilitas, ex naturæ imbecillitate, etiã ſuppoſita gratia: quæ poſterior impoſſibilitas vix nocet ijs, qui in toto corde quærunt mandata Dei ſeruare. Nã vel non imputabitur aliqua interdũ præuaricatio ſubrepta; aut ſi imputabitur, remedium eſt paratum illis ſemper, & promptiſſimũ, Dimitte nobis debita noſtra; cum pænitentia: vt propterea iſtis dum ex fragilitate labuntur, & quidem in mortalia (nam omnis p̃uaricatio legis, etiam quæ venialis dicitur, eſt mortalis de quo iam egi in præcedentibus) vix illud Iacobi conueniat. k Iac. 2. 10. *k Quicunq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.*] Hoc enim verum eſt de lapſis in lapſu perſeuerantibus, non de ijs qui ſtatim apponunt vulneri medicamentum præſentaneum, quod pro his venialibus ex fragilitate lapſis eſt facillimum per Chriſti gratiam, & promptiſſimum, neque nimium operoſum, vt eſt pro grauioribus lapſibus & criminibus. Veniales voco lapſus, qui mortales cum ſint, veniam tamen habent à Chriſto paratiſſimam, quæ criminibus non tam parata eſt, neq; tam facilis. Itaq; impoſſibilitas hæc ſicut non negatur, ita pro impoſſibilitate non eſt reputanda, quia vix vllũ affert impedimentum, quominus lex perfecte ſaltem ſufficienter ſeruetur, etiam intercurrentibus frequentibus leuioribus lapſibus, cum ſubita reparatione; Iuxta illud, l Prou. 24. 16. *l Septies cadet iuſtus, & reſurget.* Vbi itaq; Ioannes ait, Non poſſe nos dicere nos peccatum non habere, non intelligit de peccato habituali cum ſuo reatu, ſed de frequentibus actualibus, tranſitoriis tamen, & non permanentibus, modo explicato; aut ſi permanentibus, tectis tamen & non imputatis, poſt p̃ſentaneũ adhibitum remediũ; quia m 1. Pet. 4. 8. *m Charitas operit multitudinem taliũ peccatorũ fragilitatis;* & ad hæc Chriſtus ꝑpetuo exercet cum iuſtis officiũ Mediatoris.

CCL. Propoſitio ſexta. n Deut. 27. 25. & 26. 27. *n Sub maledicto legis nunc ſunt, qui totam legem non ſeruant, in aliqua etiam minima particula, quæ tamen ſit ſub præcepto, vbi in præuaricatione perſeuerant, & volunt perſeuerare.* Ab hoc maledicto liberi ſunt, qui ſubinde labentes in leuioribus, ſtatim ſurgunt & per Chriſti gratiam ſe liberant: pergant tamen interim ſeruare omnia; & ſub hoc maledicto ſunt adhuc homines, qui Euangelium admiſerunt, ſi in pręuaricatione, vt dictum eſt, perſeuerent. Neque ab hoc maledicto liberat Euangelium, niſi in legis moralis cuſtodia, modis iam à me explicatis, perſeueretur. o Ro. 2. 13. *o Factores enim legis iuſtificabuntur.* Sed dices Paulũ ponere ſub maledicto potius illos ipſos, qui operibus legis ſe dedunt, ait enim: p Gal. 3. 10. *p Quicunq; enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt: ſcriptum eſt enim. &c.*] Reſpondeo perperam hinc deduci q Apud Bellar. de Iuſt. fid. l. 4. c. 14. q impoſſibilitatem ſeruandæ legis, nimiumq; violentã eſſe Bellarmini interpretationem, de ijs qui propriis viribus, ſine fide & gratia prætendunt ſeruare legẽ: ſenſus enim meo iudicio, Apoſtoli eſt: Eos qui putent opera legis cæremonialia, vt de circuncisione putabant ſeducti Galatæ, iuſtificare, & ad Chriſtũ ducere, ſub maledicto legis eſſe, hoc eſt obnoxios adhuc eſſe maledictionibus quæ in eos à Scriptura coniiciuntur, qui pleniſſime totã legem, etiam cęremonialẽ non ſeruant: Chriſti vero fideles illis maledictionibus nõ eſſe obnoxios, q̃ per Chriſtum liberati ſunt ab obligatione cæremonialiũ: r Gal. 3. 13. *Nam r Chriſtus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, &c.*] Maledictum ergo p̃uaricationum cæremonialiũ in ſe ſuſcepit Chriſtus, vt iam nihil nobis noceat, quos ipſe à cęremonialib. penitus liberauit, & legi tantum ſubdidit quoad moralia. Quod ſi q̃s opera legis cæremonialia adhuc neceſſaria ſibi putet, is ꝓcul dubio maledicto ſe ſubdit, non q̃ fuerit priſcis impoſſibile cũ diuina gratia totam legẽ ſufficienter ſeruare (in quod inclinat ſ Chryſ. in ep. ad Gal. c. 3. ſ Chryſoſtomus) ſed quia iã ſublatis p Chriſtum cæremonialibus, iãque in ſe ſuſcepto in gratiam ſuorum fidelium illo maledicto, ad ſeruanda ipſa legalia cæremonialia gratiam nullam Chriſtus dabat. Et ex hoc erat iam iſtis impoſſibilis talium legalium obſeruatio, & ſic neceſſario maledictum ad eos peruenturum erat, in quorum gratiam Chriſtus illud non ſuſtulerat, quia illi adhuc ſub lege eſſe volebant, & in hac parte frui Chriſti beneficio nolebant.

CCLI. Satis iã eſſe poſſunt quæ hactenus de neceſſitate operum conſiderauimus, quatenus in ſeruandis mandatis ſint homini penitus neceſſaria: iam vero attexam breuiter pauca de bonorum operum etiã vtilitate ſpirituali; & ſane bona ipſa opera iam conſiderabimus poſitiua, nam in ſeruandis mandatis, quæ maxima ex parte ſunt negatiua nõ poſitiua, nõ præceptiua, ſatis eſt vt plurimũ negatiue ſe habere; hoc eſt non facere ea quæ ꝓhibentur. Inuenio itaque in Scriptura multa opera laudari, apꝓbari, ſuaderi, aſſumi, vt ex his voluntas ad obediendũ mãdatis diſponatur, & præparetur, atq; à præuaricatione

mandatorum retrahatur. Paulus, *a* *Caſtigo*, inquit, *corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauero ipſe reprobus efficiar.*] b *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, &c.*] Cum enim *c* caro concupiſcat aduerſus Spiritum, & *d* *repugnet perpetuo legi mentis*, domanda & frænanda eſt, ne Spiritum ſubruat. *e* *Ecce, hæc fuit iniquitas Sodomæ*, ait Dominus, *— ſuperbia, & ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant: & eleuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me, & abſtuli eas, ſicut vidiſti.*] Hinc ergo ieiunia & aliæ corporis afflictiones, opera vtiliſſima ad concupiſcentias compeſcendas. *f* *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*, g *Vigilate & orate, vt non intretis, &c.* His & ſimilibus locis operis orationis ſumma vtilitas, imo & neceſſitas oſtenditur. *h* *Qui amat periculum, peribit in illo.* i *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* Hæc & ſimilia loca, & multa exempla in Scriptura impleruntolim deſerta anachoretis, & cænobia Monachis, ſanctiſq; virginibus, vt concupiſcentiam carnis domarent, concupiſcentiam oculorum comprimerent, & ſuperbiam vitæ conculcarent, & Diabolo multam tentationum occaſionem præciderent, purioribuſque inſtare poſſent orationibus: & ſic demum à præuaricatione diuinæ legis ſe quã maxime fieri poſſet redderent, cum diuina gratia, immunes. k *Vt operemur igitur iuſtitiam*, inquit Auguſtinus, *mortificamus membra.*] Sed omnia poſtea in abuſum magnum ſunt conuerſa: & cæperunt homines opera iſta in tabulas dati, & accepti referre, vt his operibus Deũm ſibi facerent debitorem. Cum tamen vera horum operum & exercitatio, & Monachalis vita, vt pluribus egi lib. 2. agamque lib. 10. ſolam reſpiciant diuinæ legis obſeruantiam, vt explicaui. Atque vtinam penitus, compreſſo toto iam corrupto Monachiſmo, denuo in reformatione pij homines, & obedientiæ erga mandata diuina ſtudioſi, arctiora vitæ inſtitutа, citra hanc meritorum cum Deo ſtultitiam, ad comprimendas duntaxat malas concupiſcentias, eligerent, & repararent. Vt quemadmodum olim Monachi veri odore optimo vel ipſos gentiles replebant, & ad Chriſtianam religionem inuitabant, ita nunc infideles haberent vnde plurimum Chriſtianam religionem & laudarent & amarent, & complecterentur. De operibus pœnitentiæ ſatis egi lib. 5. cap. 7.

a 1. Cor. 9. 27. *b* Colo. 3. 5. *c* Gal. 5. 17. *d* Rom. 7. 23. *e* Ezech. 16. 49. *f* Luc. 18. 1. *g* Matt. 26. 41. *h* Eccl. 3. 27. *i* Eccl. 21. 2. k Aug. de pecc. mer. & remiſſ. l. 1, c. 6.

CCLII. Opera bona in Scriptura plurimum commendari eo quoque cerno, vt tanquam ex fructibus bonis bona arbor cognoſcatur: & inde Deus laudetur, & Eccleſia lætetur, ac ædificetur. *l* *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*] m *Vt ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.*] n *Dum tempus habemus operemur bonum, &c.*] Laudatur valde *o* Tabita quod erat plena operibus bonis, & eleemoſynis quas faciebat. *p* *Vt abundetis in omne opus bonum.* q *In omnibus te ipſum præbe exemplũ bonorum operum.* r *Admone illos ad omne opus bonum paratos eſſe: — Vt curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. — Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad vſus neceſſarios, vt non ſint infructuoſi.* ſ *Conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum.* t *Ex bonis operibus vos conſiderantes, Gentes, glorificent Deum.* u *Hoſpitales inuicem, &c.* x *Qui reliquerit patrem & matrem, & ſecutus me fuerit, centuplum accipiet; & vitam æternam poſſidebit.*]

l Matt. 5. 16. *m* Col. 1. 10. *n* Gal. 6. 10. *o* Act. 9. 36. *p* 2. Cor. 9. 8. *q* Tit. 2. 7. *r* Tit. 3. 18. 14. ſ Heb. 10. 24. *t* 1. Pet. 2. 12. *u* 1. Pet. 4. 9. *x* Matt. 19. 29.

CCLIII. Alius nobiliſſimus effectus, & fructus horum ipſorum bonorum operum conſequitur in regenerato, & iam gratis duntaxat prima iuſtificatione iuſtificato; & eſt quod per illa charitas, quæ iam eſt diffuſa in cor eius per Spiritum ſanctum, ſemper magis accenditur, &, ſicut ignis flabello, inflammatur, & in dies augetur. Aucta autem charitate, augetur etiam ipſa hominis ſanctificatio, & in ſcripturis hoc habemus expreſſum. *y* *Ne impediaris orare ſemper, & ne verearis vſq; ad mortem iuſtificari.* z *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ſic exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* a *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes ſanctificationem in timore Domini.* b *Multiplicabit ſemen, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* c *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum.* d *Qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc.*] Has ego ſanctificationes vlteriores, & iuſtificationes intelligo ex charitatis infuſæ augmento, quod Deus donat ex ſua gratuita promiſſione homini in bonis operibus ſe pro amore Dei per ipſammet charitatem primo infuſam exercenti. Sed ſi iuſtitia noſtra qua formaliter iuſti ſumus eſt iuſtitia Chriſti nobis imputata, hanc iuſtitiam non video poſſe ſumere incrementa, & pati decrementa. Itaq; ratione huius iuſtitiæ non videtur poſſe eſſe vnus ſanctior, & iuſtior altero. At vero ratione charitatis infuſæ, & conſequenter ratione iuſtitiæ operum ex charitate procedẽtium, & hanc iuſtitiam, & ipſammet charitatem poſſe & ſolere plurimum creſcere, & augeri non videtur ambigendum, ac inde vnum eſſe iuſtiorem, & ſanctiorem altero. Præterea ad impetrandam aliquam à Deo gratiam, præter orationem, commendantur etiam alia opera pœnalia corporalia, tanquam ad id valde proficua. Ita *e* Daniel ieiunat, & affligit ſe vt cognoſcat à Deo magna myſteria.

y Eccl. 18. 22. *z* Rom. 6. 19. *a* 2. Cor. 7. 1. *b* 2. Cor. 9. 10. *c* Ioan. 14. 23. *d* Apoc. 22. 11. *e* Dan. 9. 3.

Commendantur ad hæc demum opera bona, vt apud Deum mercedem ex ipſius promiſſione gratuita accipiamus. CCLIV. *f* *Nonne ſi bene egeris recipies?* g *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus.* h *Abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino:* i *Vnuſquiſq; quodcunq; fecerit bonum hoc recipiet à Domino.* k *Tribulatio operatur æternum gloriæ pondus.* l *Tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua.* m *Secundũ patientiam boni operis reddet — vitam æternam.* n *Qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli non perdet mercedem.* De mercede noſtris operibus promiſſa, habemus multa loca Scripturæ collecta à *o* Bellarmino. Gen. 15. 1. 2. Paral. 15. 7. Prou. 11. 18. Sap. 5. 16. Eccleſ. 18. 22. Iſa. 40. 10. Matt. 5. 12. 1. Cor. 3. 8. Apoc. vlt. 12. Nunc igitur videamus, an hæc merces promiſſa noſtris operibus ſupponat & in operibus ipſis meritum, & in Deo debitum. Siquidẽ ait Paulus, *p* *Operanti mercedem non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum dari*; Ergo ſupponit meritum. Nam merces, & meritum videntur correlatiua. Contra vero primum eſt quod opera noſtra ſunt ſemper imperfecta, & nũquam ferme penitus mũda. Secundo, Quod gratiæ diuinæ potiſſimum debeantur, vnde illud *q* Auguſtini: *Deus non noſtra merita ſed ſuam gratiam coronat.* Tertio, Quod ſunt multis nominibus Deo debita. *r* *Nam & cum hæc omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus.* Quarto, Quia præmium vitæ æternæ eſt totum mera miſericordia: ſ *Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Ad reſolutionem ſit

f Gen. 4. 7. *g* Galat. 6. 9. *h* 1. Cor. 15. 58. *i* Eph. 6. 8. *k* 2. Cor. 4. 17. *l* Pſ. 61. 13. *m* Rom. 2. 7. *n* Mat. 9. 41. *o* Bellar. de iuſtific. l. 5. c. 2. *p* Rom. 4. 4. *q* Aug. in pſ. 70. & alibi ſæpe. *r* Luc. 17. 10. ſ Pſ. 102. 4.

Propoſitio prima. *Bonum opus ab homine ex charitate & diuina gratia factum, etiamſi vix poßit adeo perfectũ eſſe, quin illi aliquid deſit integritatis, & ſummæ puritatis, in ſuo genere tamen poteſt eſſe vere bonum, vt Deo gratum ſit, & acceptum.* CCLV. Talis fuit *t* ſtrages quam Phinees exercuit, Deo acceptiſſima. Tale *u* templum à Salomone

t Num. 25. 11. *u* 3. Reg. 9. 3.

lnone extructum, Deo gratiſſimum. Talis Apoſto-
lorum prædicatio; & innumeræ humanæ bonæ a-
ctiones propter Deum factę in Scriptura laudatiſſi-
a Iac. 3. 2. mæ. *a In multis quidem offendimus omnes*: Ergo non in-
b Malach. 3. 4. omnibus, ergo multa adhuc ſunt vere bona opera,
c Sap. 9. 12. & Deo placentia. *b Placebit Deo ſacrificium Iuda.* c *Acce*
d Act. 10. 35. *placerunt opera mea.* d *Qui timit Deum, & operatur iuſti-*
tiam acceptus eſt illi. e *Offerens ſpirituales hoſtias acceptabi-*
e 1. Pet. 2. 5 *les Deo.* f *Quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis, hoſtiam acce-*
f Phil. 4. 18. *ptam placentem Deo.*] Aſſerere ergo omnia noſtra ope-
ra eſſe peccata mortalia meas plurimum lædit au-
res. Non negarim tamen ſæpiſſime, non tamen ſem
per, infici opus vel aliqua vanitate, vel fine huma-
no, vel aliis circunſtantiis, & tunc non dubito opus
iam fieri peccatum. Bonum enim ex integra cauſa,
malum autem ex quocunq; defectu, vt eſt apud A-
g Areop. de diuin. nomin. c. 4. reopagitam. g Non negarim ſimiliter omne opus
bonum noſtrum in hac vita eſſe aliqua ex parte im-
perfectum: ſed ſi imperfectio ſit neceſſaria, ac hu-
manæ imbecillitati ineuitabilis, nihil nocet: Ea e-
nim non imputatur à Deo. Et forte ſæpe, vbi aliquā
nos miſcuerimus immunditiam, illam quoq; Deus
non imputat, ſed excuſat. Quod vero Iſaias clamat,
h Iſa. 64. 6. h *Omnes iuſtitias noſtras eſſe quaſi pannum menſtruatæ*, lo
quitur de ſceleſtis & contaminatis illius temporis,
& de iuſtitiis legalibus feſtorum, Neomeniarum,
ſacrificiorum tunc Deo odibilium, vt optime expli
i Bellar. de iuſtific. l. 4. c. 20. cat i Bellarminus. Sed eſto ſint omnia noſtra opera
peccata mortalia, cum tamen non imputentur plu-
rima, ſed à Deo ex gratia pro bonis acceptentur, in-
ſiſtendum ergo eſt nobis vt qualia poſſumus bona
opera faciamus; & vehementer cauendum ne ho-
mines abſtineant à bonis operibus, eaq; ſibi vitan-
da tanquam peccata mortalia proponant. Ac inte-
rim ad noſtram humilitatem ſeruiat, ne de noſtris
bonis operibus nimium gloriemur, quod ex ſe ſor-
dida, à Deo ex ſua ſola gratia & benignitate admit-
tantur, & nobis proficua reddantur.

CCLVI. Propoſitio ſecunda. *Vera & propria ratio meriti nō*
eſt niſi vbi eſt proportio inter opus & mercedem, cum inter-
uentu iuſtitiæ ſeu commutatiuæ, ſeu diſtributiuæ: quod ſi in-
tercedat gratia, iam ceſſat ratio & meriti, & mercedis. Cū
itaq; inter opus noſtrum & præmium ipſius, nulla
ſit proportio, meritum verum erit omnino exclu-
dendum. Nam opus noſtrum quodcunq;, Deo eſt
debitum à nobis, & ſane multis nominibus Crea-
k Luc. 17. 10. tionis, Conſeruationis, Redemptionis, &c. k *Serui*
enim inutiles ſumus; & ſi quid meretur id totum eſt ex
gratia, tum quia ſine adiuuāte gratia nos illud opus
bonum efficere nō poſſumus, & ſic multo plus Deo
debetur quam nobis; tū quia gratia mera eſt quod
Deus promittat operi noſtro mercedem, non enim
vlla ratione tenetur: & ſic non operi noſtro, ſed ſuæ
l Aug. de verb. Apo. ſerm 16. & Scot 1. diſt. 17. q 2. & Vega de iuſtifi. q. 5. gratuitæ l promiſſioni debetur, & fortaſſe reddi-
tur, merces. Optime Origenes: *m vix mihi ſuadeo,*
quod poſſit vllum opus eſſe, quod ex debito remunerationem
Dei depoſcat. Cum etiam hoc ipſum quod agere aliquid poſ-
ſumus, vel cogitare. vel proloqui ipſius dono, & largitione fa-
m Orig in ep. ad Ro l. 4. c. 4. *ciamus: quod ergo erit debitum illius cuius gratia nos præceſ-*
ſit?]

CCLVII. Propoſitio tertia. *Vita æterna ipſa eſſentialis, & glo-*
ria, donum eſt merum gratuitum, quod ab æterno Deus iis
quos in filios adoptauit, non tanquam mercedem, ſed tan-
n Coloſſ. 3. *quam n hæreditatem prædeſtinauit, non quia laborarunt,*
ſed quia in filios ſunt adoptati. & tunc iam illa debetur per-
ſonæ, ſed non operi. Gradus tamen aliquos gloriæ plu-
res, aut pauciores Deus ex mera ſua liberalitate, &
benignitate promiſit legitime certantibus, & cum
ſua gratia operantibus. Etiam hic non poſſumus
negare aliquam rationem meriti improprie, ex ſup-
poſitione promiſſionis gratuitæ. Iam enim habe-
mus mercedē ſic in ſcripturis vt ſupra vidimus paſ-
ſim vocatam. Habemus etiam operis requiſitionē,
& conditionem, cui merces promittitur, & iam nō
eſt dubium plus mercedis in gloria eum aſſequi qui
plura propter Deum operatur, minus vero qui pau-
ciora: & cum hoc plus & minus gloriæ reſpondeat
& proportionetur, licet ex pura gratuita promiſſio-
ne Dei, ipſis operibus: proculdubio iam in ipſis ope
ribus erit quædam ratio maioris & minoris meriti:
vt plus iam, ſtante gratuita promiſſione, debeatur
ei qui pro Chriſti fide ſæuiſſimum martyrium tole-
rat, quam ei qui bonis etiam temporalibus affluēs,
& omnibus commoditatibus ſtipatus, Deo fideli-
ter ſeruit, & ſaluatur. Excludamus ergo merita pro-
prie, & includamus merita improprie, quæ Patres
omnes paſſim admittunt, & ſic inter nos conſentia
mus. Ac interim fateamur Paulum, quia *o bonum cer-* o 2. Tim. 4.
tamen certauit, curſum conſummauit, fidem ſeruauit, his 8.
ſuis bonis operibus conſecutum eſſe ſecūdum gra-
dus *coronam gloriæ, quam Deus iuſtus iudex ei reddidit*,
quia videlicet prius eam miſericors, & liberalis Pa-
ter promiſerat. *p Donum Dei dicit Auguſtinus eſſe in ope-* p Aug. l. 83.
ribus iuſtitiæ, quibus æterna vita comparatur.] q. 79.

Dices, Nonne Chriſtus dicet in iudicio vniuer- CCLVIII.
ſali iis, qui erunt à dextris, *q Venite benedicti patris mei,* q Matt. 25.
poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, 35.
Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Igitur ipsū
regnum, ipſa hæreditas, ipſa gloria eſſentialis, ipſa
vita ęterna illis ideo datur, quia opera miſericordię
exercuerunt. Reſpondeo, Planum eſſe ibi à Chriſto
non aſſignari veram & proximam cauſam, cur de-
tur regnum cæleſte hominibus, ſicut neq; aſſignat
veram & proximam cauſam, cur damnati damnen-
tur: Ille enim ſermo eſt ad omnes penitus ſaluan-
dos, & ad omnes penitus damnandos, qui vniuer-
ſaliſſime eo erunt congregandi. Prima enim ſalutis
cauſa (ſi tamen cauſa) fides eſt, & prima damnatio-
nis cauſa infidelitas; & quot ibi erunt veri pauperes
in hac vita inter ſaluandos, qui neminem pauerūt,
ſed ipſi ex eleemoſynis paſti ſunt? Quot magni elee
moſynarij inter damnatos, qui ob adulteria, homi-
cidia, &c. damnentur? Itaq; Chriſtus Dominus, vt
perſuaderet ſtudium, opera miſericordiæ corpora-
lia libenter exercendi, commemorabit in extremo
iudicio ſe regnum ſuum & gloriam, ſeu pænam da-
turum illis fidelibus, qui talia opera aut exercue-
rint, aut culpabiliter omiſerint, & ita deſcribuntur
perſonæ, quibus continget gloria vel pæna, non aſ-
ſignatur cauſa; & ſi aſſignatur cauſa, ea erit pro gra-
dibus, non pro eſſentiali gloria, aut pæna.

Opera itaq; bona quæcunq; & quibuſcunq; ad- CCLIX.
iumentis & conditionibus facta, eſſe meritoria vitę
æternæ, ac pręſertim de condigno cū noſtris Theo-
logis plurimis nunquam dixerim, ſi de ipſa ſubſtā-
tiali & totali vita ęterna ſit ſermo, ac de gloria eſſen
tiali, non de gradibus, & incrementis. Qui enim
Deus gratis iuſtificat hominem, credentem quidē
& obedientem, non tamen propterea, quia credit
& obedit, ſed ex ſua mera benignitate; non creden-
tem tamen, & non obedientem non iuſtificaturus,
ille etiam pariter credentem & obedientem glori-
ficat gratis, & ex ſola miſericordia, non quia credit
& obedit, ſed non credentem & non obedientem
non glorificaturus. Et qui prędeſtinationem, voca-
tionem, iuſtificationem hominis agnoſcit non ha-
bere vllam cauſam in homine, quæ moueat Deum
ad hominem prædeſtinandum, vocandum, iuſtifi-
candum (agnoſcunt autem omnes, qui cum Pela-
gianis non deſipiunt) agnoſcant quoq; neceſſe eſt

gloriſicationem eſſentialem eodem greſſu ambulare, vt ipſius in Deo nulla detur cauſa, præter ipſius benignitatem, liberalitatem, & miſericordiam. Si etiam prædeſtinatio eſſet, quam ponit Auguſtinus beneficiorum, & mediorum, quibus vitam æternã conſequamur; ita vt Deus prædeterminet opera, per quæ prædeſtinatus ſit æternam vitam conſecuturus (quod non omnes admittunt, vt vidimus) adhuc vita æterna non debetur illis operibus tanquã meritis, ſed & vita æterna & opera ipſa debentur ſoli gratię. Bernardus optime, *a Si proprie* inquit, *appellentur ea, quæ dicimus noſtra merita, ſpei quædam ſunt ſeminaria, charitatis incentiua, occultæ prædeſtinationis indicia, futuræ felicitatis præſagia, via regni; non cauſa regnandi.*] Et ſcholaſticus quidam antiquus; *b Nota*, ait, *quod cum dicitur*, Deus pro bonis operibus dabit vitam æternam, tunc PRO *primũ notat ſignum vel viam, vel occaſionem aliquam; ſed ſi dicatur* propter bona merita dabit vitam æternam; *tunc* PROPTER *notat cauſam efficientem. Atqui dici non poteſt Deum propter bona opera dare vitam æternam.*] Et Breduardinus probat, *c Meritum non eſſe cauſam æterni præmij.* Et Cardinalis Cameracenſis, *d Cauſa eſt illud, ad cuius eſſe ſequitur aliud: Dupliciter poteſt aliquid dici cauſa: vno modo proprie, quando ex præſentia eſſe vnius, virtute eius ex natura rei ſequitur eſſe alterius; & ſic ignis eſt cauſa caloris: alio modo improprie, quando ad præſentiam eſſe vnius ſequitur eſſe alterius, non tamen virtute eius, nec ex natura rei, ſed ex ſola voluntate alterius. Et ſic actus meritorius dicitur cauſa reſpectu præmii.—Cauſa ſine qua non, non debet ſimpliciter & abſolute dici cauſa, quia proprie non eſt cauſa, &c.*]

a Bern. de gra. & lib. arb.
b Apud Caſſand. ep. 19.
c Ibid.
d Alliac. in 4. diſt. 1. q. 1. ar. 1.

CCLX. Inſtet ergo bonis operibus cum diuino auxilio non regeneratus, & non iuſtificatus, vt diſpoſitus ſit ad regenerationem & iuſtificationem, & tollat obicem ac impedimenta, non vt regenerationem & iuſtificationem & conſequenter vitam æternam mereatur. Inſtet bonis operibus regeneratus, & iuſtificatus & ad vitam ęternam iam deſtinatus, ſi perſeueret, ad hoc etiam vt in charitate creſcat, & ſemper magis ſanctificetur, ac vt aliquo modo, ſuppoſita diuina promiſſione, gradus gloriæ ei addantur, eoſq; tandem vt mercedem promiſſam aſſequatur, *e Non enim eſt iniuſtus Deus qui obliuiſcatur operis noſtri, & laboris*, inquit Paulus.] Sed quoties ad vitam adſpirat ęternam, ſola ſe diuina miſericordia & Chriſti meritis conſoletur, nunquam autem in propria merita ſuam ſpem, ne minimam quidem defigat; quia illa nunquam vllis meritis noſtris debetur. Poteſt tamen ſe iuſtus conſolari ex ſuis bonis operibus, quod pro illis mercedem in gradibus gloriæ ſit pro certo recepturus.

e Heb. 6. 10.

CCLXI. Propoſitio quarta. *Opera ſuo modo*, hoc eſt, improprie meritoria, prout explicata ſunt, *poſſe in homine iuſto aliqua dici, & vocari quodammodo ſupererogatoria; poteſt quodammodo admitti & explicari, vt talia ſint omnia opera, quæ cum ſub præcepto non ſint, ex charitate nihilominus fiant, & tamen citra omne peccatum omitti etiam poſſint.* *f* Sic Paulus poterat ex Euangelio iuſte viuere; nec tenebatur propriis manibus victum ſibi parare, & tamen voluit. Neq; puto, quiſquam aſſeret illud Pauli factum ſua mercede apud Deum caruiſſe. Non tenebantur vllo præcepto fideles Corinthij collectas facere, & eleemoſynas Hieroſolymitanis fratribus elargiri. Ait enim ad eos Paulus, *g Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex neceſſitate.*] At certe illas eleemoſynas fuiſſe ipſis proficuas, & mercede dignas fatetur ipſe Paulus, dum eis promittit mercedem etiam ſpiritualem à Deo, *h Qui multiplicabit*, inquit; *ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Et quis, quæſo, omnia opera bona quæ poſſunt & ſolent à fidelibus fieri, ea ſub præcepto diuino eſſe aſſeret, ita vt mortale ſit ſemper ea omittere? Et quotuſquiſq; eſt, qui omnia bona opera, quæ commode facere poteſt, faciat? Actum eſſet de noſtra ſalute. Caueamus, ne in exercendo opere, ex præcepto debito, putemus nos poſſe per maiorem quandam diligentiam aliquid ſupererogare, quod nõ teneamur; id enim eſt ſtultiſſimum putare. Nam opus Deo debitum cum omni poſſibili perfectione à nobis præſtari debet; & nunquam ſatis, & quantum debemus in eo præſtando laboramus. Sed neq; in operibus ex præcepto non debitis erit vera ſupererogatio; nihil enim obſequij Deo præſtare poſſumus, tametſi libertati noſtræ relinquatur; quin id, & multo plus à nobis Deo debeatur; licet ſi multa omittamus, omiſſio eorum à Deo nobis ad peccatum non imputetur. Atq; hæc ipſa opera, quæ valde improprie nos vocamus ſupererogatoria, quatenus ſunt ſuo modo meritoria, omnia pro ipſo operante receperunt aut recipient mercedem à Deo promiſſam; & nunquam tanta ſunt, quin eorum beneficio ipſe operãs indigeat pro ſe ipſo, & pro ſe ipſo illis fruatur. Neque noſtri *i* Theologi opera hæc meritoria ſupererogationis, vt meritoria ſunt, aliis prodeſſe aut prætendunt aut aſſerunt, niſi qui deſipiant nimium. Sed tamen ſupererogationis opera ſanctorum, quatenus ſatisfactoria ſunt, in communem theſaurum congerunt. Et de his egi ſuo loco. Et hæc de propoſitis dogmaticis quæſtionibus, ad ineundam per mutuam tolerantiam concordiam, nobis compendioſe dicta ſufficient.

f 1. Cor. 9. 12.
g 2. Cor. 9. 7.
h 2. Cor. 9. 10.
i Bellar. de indulg. l. 2. c. 9. & 10.

CAPVT XII.

Externos ritus diuini cultus nullam ſchiſmati legitimam cauſam præbere; & concordiæ vniuerſali viam poſſe patere.

SVMMA CAPITIS.

Ritus in genere conſiderantur, quam ſint varii quatenus ſeruandi, moderandi, &c. à n. 1. ad n. 6.

Ritus in ſpecie præcipui examinantur. Primus circa ſanctos: de eorum cultu à n. 7. ad n. 10. De eorum & Angelorum interceſſione, & adiumentis ex Scriptura & Patribus: à n. 11. ad n. 19. De inuocatione, à n. 20 ad n. 28. De eorum reliquiis venerandis, à n. 29 ad n. 32.

Secundus Ritus circa ſacras imagines. An ſint faciendæ. n. 33 34 35 36 earum vſus legitimus. à n. 37. ad num. 41 Adorandas non eſſe probatur à num. 42. ad num. 47. Contraria argumenta ſoluuntur à num. 48. ad num. 54. Præcipue ſoluitur argumentum petitum ex ſeptima ſynodo generali, quæ fuit ſecunda Nicæna, quam Francofordienſis & Pariſienſis ſynodi impugnarunt à numer. 55. ad num. 79. Soluitur etiam argumentum ex octaua ſynodo nu. 80. Et ex ratione n. 81.

Crucis Christi quæ ratio habeatur n 82. & aliarum Crucium quæ ſint illius imagines. n. 83. 84. 85. Signi crucis vſus, n. 86. 87. vis & potentia n. 88 89.

Tertius ritus in publicis precibus, & precandi formulis, ac circumſtantiis. à n. 90. ad n. 101.

Quartus ritus circa Sacramenta miniſtranda, cum ſuis ceremoniis, & de Liturgia, ſiue Miſſa: num 102. 103. 104 Et de vſu clauium. num. 105. Et de ordinationibus atque aliis minutis ritibus. n. 106.

Ritus ſchiſma parere non debent. n. 107.

Concordiæ ineundæ via facilis, vt fundamentalium vnica breuis confeſſio, ſeu formula, ſeu ſymbolum ex antiqua Eccleſia formetur. à n. 108. ad n. 113. Et Tolerantiæ beneficio ſe partes mutuo complectantur, vt monent Patres, à numer. 114. ad num. 118. Cum debita moderatione. à num. 119. ad n. 123.

Caſſandri Conciliatio per tolerantiam approbatur, & contra Bellarminum defenditur. à n. 124. ad n. 132.

Parænesis Autoris ad Concordiam. à n. 133. ad finem.

I. EXTERNI ritus Eccleſiaſtici in genere prius conſiderati, aliqui ſunt antiquiſſimi, & in tota Eccleſia Catholica vniuerſales; alij ſingularum ferme Eccleſiarum, ſeu Prouinciarum, ſeu etiam nationum proprij. qui antiquiſſimi ſunt, & ſemper fuerunt vniuerſales, illi vel à Christo, vel ab ipſis Apoſtolis inſtituti ſunt. De quibus celebris eſt regula Auguſtini, toti Eccleſiæ Chriſti merito perpetuo inculcanda. Reſpondet enim, a [*Vt, quid horum ſit faciendum, ſi diuinæ Scripturæ præſcribit autoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeam vt legimus: vt iam, non quomodo faciendum, ſed quomodo Sacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia: Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*] Sacramenta à Chriſto inſtituta non ſunt ſine externo ritu, lotionis, comeſtionis, & potationis, ac ſi quid aliud tale eſt. Sed alios quoque aliquot ritus, qui vera Sacramenta non ſunt, à Chriſto vel præſcriptos, vel commendatos, vel actu ipſo exercitos continet Euangelium; b *imponere manus ſuper pueros, vel* c *ægros;* d *oleo vngere ægrotos,* e *lauare pedes, &c.* Sed quinam in nouo teſtamento ritus inſtituti ſint vt perpetui & duraturi, quinam vero vt temporanei, & à libertate Eccleſiæ pendentes, nihil melius, quam vſus ipſe explicat. Soli enim illi ritus in ſcripturis poſiti, qui vera ſunt Sacramenta perpetuum & vniuerſalem in Eccleſia Catholica vſum habuerunt, non ſic cæteri. Sed & ritus plerique ab Apoſtolis fuerunt rite inſtituti ſub eodem diſcrimine, vt alij eſſent perpetui, & externo cultui neceſſarij, alij vero temporanei, indifferentes & liberi. Priores vero à poſterioribus nulla certiori via, quam vſu Eccleſiæ vniuerſalis dignoſcuntur, vt illi ſint omnino neceſſarij, neceſſitate præcepti, non medij, quos ab ipſis Apoſtolorum temporibus vniuerſa, ſummo conſenſu, admiſit & ſeruauit Eccleſia; contra quos diſputare an ſint ſeruandi nec ne, optime ait Auguſtinus, *inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ.*

a Aug. ep. 118.

b Matt 19. 15.

c Marc vlt.

d Marc. 6. 13

e Ioan. 13. 14

Regulam vero hanc ſuam Auguſtinus hoc pacto ſane fuſe ad Ianuarium ſcribens explicat; f *Primo itaq; tenere te volo, quod eſt huius diſputationis caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſicut ipſe in Euangelio loquitur, leni iugo ſuo nos ſubdidiſſe. & ſarcinæ leui. Vnde Sacramentis numero pauciſſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem noui populi colligauit; ſicuti eſt Baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus; communicatio corporis & ſanguinis ipſius & ſi quid aliud in ſcripturis canonicis commendatur; exceptis iis, quæ ſeruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & propheticis temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moyſi leguntur. Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri, ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolen-* II.

f Aug. vbi ſup.

nitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit quod ſeruatur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia. Alia vero quæ per loca terrarum regioneſque variantur, ſicuti eſt quod alij ieiunant ſabbato, alij vero non: Alij quotidie communicant corpori & ſanguini dominico, alij certis diebus accipiunt: Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi tantum dominico. & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes, nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentique Chriſtiano, quam vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte deuenerit. Quod enim neq; contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate, ſeruandum eſt. Credo te aliquando ex me audiſſe, ſed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me conſecuta inuenit Eccleſiam ſabbato non ieiunantem. cœperat perturbari & fluctuare quid ageret, cum ego talia non curabam; ſed propter ipſam conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. Reſpondit ſe nihil docere me poſſe, niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet id potius obſeruaret. Cumque ego putaſſem, nulla reddita ratione, authoritate ſola ſua nos voluiſſe admonere, ne ſabbato ieiunaremus, ſubſecutus eſt, & ait mihi: Cum Romam venio, ieiuno ſabbato, cum hic ſum non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi. Hoc cum matre renunciaſſem, libenter amplexa eſt. Ego vero de hac ſententia etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui, tanquam eam cœleſti oraculo ſuſceperim. Senſi enim ſæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem, & ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus huiuſmodi, quæ neque Scripturæ ſanctæ authoritate, neque vniuerſalis Eccleſiæ traditione, neq; vitæ corrigendæ vtilitate ad certum poſſunt terminum peruenire, tantum quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſueuit, aut quia ibi vidit vbi peregrinationem ſuam quo remotiorem à ſuis, eo doctiorem factam putat, tam litigioſas excitant quæſtiones, vt niſi quod ipſi faciunt nihil rectum exiſtiment.] Et rurſus ad eundem, a *Miror ſane, quod ita volueris, vt de iis quæ varie per diuerſa loca obſeruantur, tibi aliqua conſcriberem, cum & non ſit neceſſarium, & vna in his ſaluberrima regula retinenda ſit, vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum ſit. Si enim eo modo impediat, vt maiora ſtudioſorum lucra ſperanda ſint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt, maxime illud quod etiam de ſcripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis & pſalmis canendis, cum & ipſius Domini, & Apoſtolorum habeamus documenta & exempla, & præcepta de hac re tam vtilia. Ad mouendum pie animum, & accendendum diuinæ lectionis affectum varia conſuetudo eſt.*] Et paulo poſt inferius, *Quod autem inſtituitur præter cõſuetudinem, vt quaſi obſeruatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum, etiam ſi multa huiuſmodi, propter nonnullarum vel ſanctarum vel turbulentarum perſonarum ſcandala deuitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, vt grauius corripiatur qui per octauas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaq; talia quæ neque ſanctarum ſcripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri poſſint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt, vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quanuis enim neque hoc inueniri poſſit, quomodo contra fidem ſit, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſeruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, qui etiam ſi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubiiciuntur. Sed Eccleſia Dei inter multam paleam, multaque zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*]

a Ibid. ep. 119.

III. Ritus itaque antiqui, & vniuerſales, cum per tot ſæcula nullum ſecum malum afferre ſint cogniti, aut ſi qua labecula in eos irrepſerit, poſſint facillime perpurgari, non poſſunt ſine inſolenti, vt loquitur Auguſtinus, inſania abiici; ſed tanquam vel Chriſti, vel Apoſtolorum pia inſtituta in Eccleſia Catholica ſunt cum pietate, & veneratione ſeruandi. Alij vero qui vniuerſales neque ſunt, neque vnquam fuerunt, prudenti Eccleſiaſticæ libertati ſunt relinquendi, modo manifeſte aut ſuperſtitioſi, aut omninoocioſi, & inutiles, ac proinde ridiculi non ſint. Hi enim ſunt omnino abolendi. Illud vero ſummopere cauendum eſt, ne particularium rituum varietas ſchiſmata pariat, aut foueat; Seruata enim eiuſdem fidei plena conſenſione, vt monebat Auguſtinus, nulla inde debet diſſidiorum cauſa inter Eccleſias exurgere. Non enim hoſtis Eccleſiaſticæ vnitatis Diabolus dormit, qui occaſione rituum ſeminare ſolet zizania. Tametſi enim Apoſtoli ipſi circa eandem rem ſacrum diuerſo modo cultum, & ritus inſtituerint, non propterea diſſenſionibus locus dandus eſt. Sic Dæmonis aſtu olim turbæ ingentes excitatæ ſunt in Eccleſia Catholica propter diem Paſchatis celebrandi: Petro autore Occidens, & multi in Oriente Dominicum diem expectandum eſſe poſt quartamdecimam lunam contendebant: Aſiani, Ioanne Euangeliſta autore, ipſo die quartædecimæ lunæ Paſcha Chriſtianum celebrabant, & celebrandum eſſe aſſerebant. Hæc diſcordia aut inepte ad Apoſtolicas reducebatur inſtitutiones, aut ſi Ioannes, & Petrus hac de re inter ſe contuliſſent, totam penitus ſedaſſent diſſenſionem: quod poſtea factum eſt in Concilio Nicæno.

IV. De ieiunio Sabbathi Contentio ſimiliter tempore Auguſtini ingẽs agitabatur. Petrum ieiunium ſabbathi inſtituiſſe aſſerebant Romani; Orientales vero ſabbathi ieiunium à Iacobo Hieroſolymitano primo Epiſcopo, & aliis Apoſtolis Eccleſiis Orientis vetitum fuiſſe aſſerebant; de qua contentione ſic Auguſtinus: b *Quod ſi reſpondetur, inquit, hoc docuiſſe Iacobum Hieroſolymis, Epheſi Ioannem, cæteroſque aliis locis, quod docuit Romæ Petrus, id eſt, vt ſabbatho ieiunetur: ſed ab hac doctrina terras cæteras deuiaſſe, atque in ea Romam ſtetiſſe, & è contrario refertur Occidentis potius aliqua loca in quibus Roma eſt, non ſeruaſſe quod Apoſtoli tradiderunt, Orientis vero terras, vnde cœpit ipſum Euangelium prædicari, in eo quod ab omnibus ſimul cum ipſo Petro Apoſtolis traditum eſt, ne ſabbatho ieiunetur, ſine aliqua varietate manſiſſe: interminabilis eſt iſta contentio, generans lites, non finiens quæſtiones. Sit ergo vna fides vniuerſa quæ vbique dilatatur Eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiam ſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verum eſt, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinſecus: illæ autem obſeruationes, quæ varie celebrantur in eius veſte intelliguntur. Vnde ibi dicitur, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Sed ea quoque veſtis ita diuerſis celebrationibus varietur, vt non aduerſis contentionibus diſſipetur.*] In his igitur ritibus Eccleſiarum

b Aug ep. 86.

particularibus non ſunt lites multiplicandæ, ſed maxima opus eſt & charitate, & tolerantia, ſcandaliſque omnis ſeges amputanda, quod fiet, ſi nulla Eccleſia alteri rituum indifferentium, & non de ſe malorum, litem intentet. Sed quiſque Ambroſij regulam ſequatur, quæ eſt huiuſmodi, vt paulo ante vidimus, ab eo data Auguſtino.
a Aug ibi. *a Quid poſſum*, inquit, *hinc docere amplius, quam ipſe facio? Quãdo hic ſum, non inuenio ſabbatha, quando Romæ ſum inuenio ſabbatha; & ad quancunq; Eccleſiam veneritis, eius morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.*]

V. Nimium ſibi interdum aliqui Epiſcopi aſſumpſerunt vt ritus, & ceremonias inutiles in ſuis Eccleſiis multiplicarent, qui ſi ſolas antiquas, & vniuerſales ab Apoſtolis inſtitutas retinuiſſent, longe prudentius, & melius feciſſent.
b Innoc. 1. ep. 29. *b Si inſtituta Eccleſiaſtica*, inquit Innocentius primus, *vt ſunt à beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſeruare Domini ſacerdotes, nulla diuerſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur. Sed dũ vnuſquiſq; non quod traditũ eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendũ, inde diuerſa in diuerſis locis vel Eccleſiis aut teneri, aut celebrari videtur, ac fit ſcandalũ populis, qui dũ neſciunt traditiones antiquas, humana præſumptione corruptas putãt ſibi aut Eccleſias non cõuenire, aut ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris contrarietatẽ inductam.*] Hęc inutilia inuenta, ſi pernicioſa nõ ſint & de ſe mala, ſuperſtitioſa, aut periculoſa, ſi tolli ſine ſcandalo nõ poſſint, ex charitate profecto ſunt, vt monebat Auguſt. toleranda, vbi fundamẽta fidei eadem apud omnes inuariata, illæſa, incõcuſſa manẽt.

VI. Antiquiſſima res eſt in Chriſti Eccleſia, vt ritus, & ceremoniæ vanę, ac inutiles fruſtra multiplicẽtur, q̃ iam inolitæ in vſum etiã antiquum, & cõſuetudinẽ
c Tertul de velan. virg. tranſierint, qua de re ita ſcribit Tertullianus, *c Ex his ferè conſuetudo initiũ ab aliqua ignorãtia vel ſimplicitate ſortita, in vſum per ſucceſſionẽ corroboratur, & ita aduerſus veritatẽ vindicatur.*] Veritatẽ putauit Tertullianus, vt
d 1. Cor. 11. 5. pręceptũ Apoſtoli de *d velandis mulierũ capitibus*, quãdo in Eccleſiam ad ſynaxes conueniunt, intelligatur etiã de virginibus; & tamen mos apud Carthaginẽſes inoleuerat, vt virgines aperto capite in Eccleſia eſſent, fortaſſe vt ſic inter Chriſtianos maritũ quærerent. Hunc ritũ plurimũ reprehẽdit Tertullianus, quippe noxiũ, & ſcandaloſum, Apoſtoloq; contrariũ. Ideoq; cõtendit eſſe corrigendũ, non obſtante quod antiqua iã eſſet iſta cõſuetudo. *Nam Regula*, inquit, *fidei vna omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, Credendi ſcil. in vnicũ Deum, &c.*] paucisq; totũ cõplectitur fidei ſymbolũ. *Hac lege*, inquit, *fidei manente, cętera iã diſciplinæ, & cõuerſationis admittunt nouitatẽ correctionis, operante ſcil. & proficiente vſq; in finẽ gratia Dei.*] Nulla ergo eſſe debet rixarũ, & ſchiſmatum cauſa, ſi aliqui ritus, & aliquæ ceremoniæ, etiam q̃ iam vetuſtę eſſent, nõ tamen vniuerſales, nec Apoſtolicę, alicubi laudabili nouitate aut tollantur, aut reformẽtur, dummodo Fidei, & dogmatũ fundamenta firma maneant. Et vbi præceptum literarum monumentis pro-
e Socra. l. 5. c. 21. ditum oſtendi non poteſt, *e perſpicuum eſt*, inquit Socrates, *Apoſtolos liberã poteſtatem cuiuſq; menti, & arbitrio permiſiſſe.*] Atq; inde varietatem in ritibus ſecutam eſſe aſſerit.
f Ibid. *f Cauſæ quidem*, inquit, *& autores eiuſmodi diſcrepantiæ fuerunt Epiſcopi, qui variis temporibus Eccleſiis præerant. qui autem iſtos ritus accipiunt, eos tanquam legem ad poſteros tranſmittunt.*] Sed has varietates non fuiſſe olim ſolitas ſchiſmata parere, obſeruat Sozomenus; ait enim, eos, qui circa diem Feſti Paſchatis
g Sozo. l. 7. c. 19. diſſentiebant in Aſia ab occidentalibus, *g* à mutua inter ſe communione non receſſiſſe. *Friuolum enim*, inquit, *& quidem merito iudicarant, conſuetudinis gratia à ſe mutuo ſegregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus conſentirent. Neq; enim eaſdem traditiones per omnia ſimiles, in omnibus Eccleſiis, quamuis inter ſe conſentiant, reperire poſſis.*] Hæc de ritibus in genere. Iam ad præcipuos ritus in ſpecie conſiderandos accedamus, sed eos præſertim, qui magna nunc fouent diſſidia, & ſchiſmata pariunt.

VII. Primus ritus nunc maxime controuerſus eſt, circa Sanctorum cultum, interceſſionem, inuocationem. Sanctos porro homines iam mortuos, vel Angelos cultu diuino colendos eſſe nemo noſtrum vnquam dixit, non adeo deſipimus. Hoc oppoſuit olim Catholicis Vigilantius; ſed calumnioſe, vt oſtẽdit
h Hie. adu. Vigilant. *h* Hieronymus. Epiphanius ſerio monet neq; virginem Matrem, neq; vllum ſanctorum eſſe adorãdum.
i Epiph. hær. 79. *i Sit in honore*, inquit, *Maria — Mariam nemo adoret.*] Adorationem n. veram nõ niſi religioſam eſſe ſciebat, quæ ſit ipſa latria. Notum eſt nobis Auguſtini dictum,
k Aug. epi. 44. *k A Chriſtianis Catholicis — nullum coli mortuorum, nihil deniq; vt numen adorari quod ſit factum & conditum à Deo, ſed vnum ipſum Deum qui fecit & condidit omnia.*] Item,
l Aug. de quant. animæ c. 34. *l Deus igitur ſolus ei colendus eſt, qui ſolus eius eſt autor. Homo autem quilibet alius quanquam ſapientiſſimus & perfectiſſimus, vel prorſus qualibet anima rationis compos atq; beatiſſima, amanda tantũmodo & imitãda eſt, eiq; pro merito atq; ordine, quod ei congruit deferendũ. Nam Dominũ Deum tuũ adorabis, & illi ſoli ſeruies.*] Item,
m Idem de vera relig. c. 55. *m Nõ ſit nobis religio cultus hominũ mortuorũ: quia ſi pie vixerũt, non ſic habentur vt tales quærant honores: ſed illũ à nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe cõſortes. Honorandi ergo ſunt propter imitationẽ, non adorãdi propter religionẽ.*] Et paulo poſt ibidem, *Quare, honoramus eos charitate non ſeruitute. Nec eis tẽpla cõſtruimus. Nolunt n. ſe ſic honorari à nobis, quia nos ipſos cũ boni ſumus, tẽpla ſummi Dei eſſe nouerunt. Recte itaq; ſcribitur hominem ab angelo prohibitũ ne ſe adoret, ſed vnũ Deum ſub quo ei eſſet & ille conſeruus. Qui a. nos inuitant vt ſibi ſeruiamus, & tanquam Deos colamus, ſimiles ſunt ſuperbis hominibus, quib. ſi liceat, ſimiliter coli volũt: ſed iſtos homines perpeti minus, illos vero colere magis periculoſum eſt. Omnis n. hominũ dominatus in homines, aut dominantiũ aut ſeruientiũ morte finitur.*] Itẽ alibi,
n Idem con. Fauſt. l. 20. c. 21. *n Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorũ cor ad talem pro Euangelica veritate paſſionem paratũ eſſe ſentimus. Sed illos tanto deuotius, quãto ſecurius poſt incerta omnia ſuperata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita fœliciore victores, quã in iſta adhuc vſq; pugnantes. At illo cultu, quæ Græce latria dicitur, Latine vno verbo dici non poteſt, cũ ſit quædam proprie diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendũ docemus, niſi vnum Deum.*] Et
o Cyril. l. 6. cont. Iuli. Cyrillus, *o ſanctos* inquit, *martyres, neq; Deos eſſe dicimus, neq; adorare conſueuimus; laudamus eos potius ſummis honoribus, quod pro veritate ſtrenue certarunt, & fidei ſinceritatem ſeruarunt.*] Cultus ergo diuinus nulli ſancto mortuo, puro homini, aut exhiberi debet, aut à nobis exhibetur.

VIII. Nos tamen iuſtorũ animas honorare dixit, & ſine errore,
p Orig. cont. Celſ. l. 8. *p* Origenes, Honore nimirũ ciuili, hoc eſt pure humano, ſed propter excellentiã ſpiritualẽ, q̃ ipſa quoq; inter homines in precio habetur, aut ſaltem habenda eſt, non a. honor hic ſpiritualis eſt, & diuinus. Iacobus à Theodoreto plurimũ laudatus, anachoreta optime diſtinxit hæc, dũ quibuſdã ſanctis ei apparentibus dixit,
q Theod. hiſt. SS. PP. c. 21. *q & vos honoro, & adoro Deũ vniuerſorũ.*] Ita vt honor ille nihil habeat cõmunis cũ honore adorationis Dei, q̃ iã vocatur latria. Ad illũ honorẽ humanum ſpectant feſta, quæ in memoriã ſanctorum celebramus, Deum laudantes, eiq; gratias agentes, quod mortales homines & peccatores ad altũ ſanctitatis gradum euexerit, quæ feſta in honorem ſanctorũ, quatenus ad ſanctos im̃ediate perti-

nent, humanum & ciuilem continent honorē: quatenus vero in talibus feſtis in memoriam ſanctorū diuino cultui precum, laudum, pſalmodię, gratiarū actionis, operam damus, honor eſt latriæ. Monet

a Aug. in pſ.88. parte 2. in fine. nos Auguſtinus his verbis: a *Natalitia ſanctorum cum ſobrietate celebrate vt imitemur eos qui præceſſerunt, & gaudeant de vobis, &c.*] Ideoq; ſolicitus erat Cyprianus vt dies quibus martyres pro fide animā ponebant di-

b Cypr. l.3. ep. 6. ligenter annotarentur, b *Vt commemorationes*, inquit, *eorum inter memorias martyrum celebrare poßimus.—Significet mihi dies quibus in carcere beati fratres noſtri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu tranſeunt, & celebrētur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob cōmemorationes eorū, quæ cito vobiſcū, Domino proſperante, celebrabimus.*] Chryſoſt. quoq; feſtas celebrationes in memoriā & hono-

c Chryſ. ſerm. in martyrem Pelagiam. rē ſanctorū, plurimi fecit. Ait n. ad Populum. c *Quamobrem, precor vos, & hortor vt ſemper ſanctā hanc virginem (Pelagiam) in memoria & mente habeatis: neq; ſolemnitatē hanc celebrē dedecoretis, nō deniq; fiduciam noſtrā ex hoc die feſto ad nos proficiſcentē imminuatis. Etenim non temere cū Græcis differētes huius diei feſti celebritate gloriamur, eamq; obiicientes erubeſcere illos facimus cū dicimus, quemadmodū vrbem integram, ac totā tantumq; populum puella vna morte ſua ſingulis annis ad ſe attrahit, idq; poſt tam multos annos, neq; tempus vllum honoris huius ſeriem interrupit.*] Non igitur dubito ex traditione vera Apoſtolica, quam perpetua Eccleſiæ etiā antiquæ probat cōſuetudo, præter Dominicum diem, etiam ſanctorū natalitia feſtiua ſolennitate celebrari. Solum abuſum inuenio, quod pro ſanctis nobis incertæ ſanctitatis homines obtrudātur. Vt monui ſupra cap.5. huius ad finem, vbi egi de canonizatione ſanctorum: qui abuſus corrigi debet, non vſus tolli. Neq; ſcio qui ſcrupulus mouerit multos reformatos, vt omnes ſanctorum, etiam Deiparę virginis, & Apoſtolorum, & clariſſimorum puræ Eccleſiæ martyrū ſolennitates penitus abſtulerint. Hoc ſane fuit nimium ſapere.

IX. Diſtinctio eſt in ſcholis iam communis; de triplici actu, ſeu ſpecie Honoris, & Adorationis; vt vnus ſit diuinus ſimpliciter, qui vocatur latriæ; alter pure humanus, & ciuilis: tertius medius inter diuinum & humanum, quem vocant duliæ reſpectu ſanctorum, & hyperduliæ reſpectu Chriſti humanitatis, & Dei genitricis Mariæ. Hæc diſtinctio nullo modo mihi videtur approbanda, quoad medium illum honoris ſeu adorationis gradum; in eo enim maximum conſiſtit periculum idololatriæ: Honor enim, & honorandi actus qui eſt adoratio, vel eſt ſimpliciter diuinus, vel ſimpliciter humanus: hoc eſt, vel religioſus, vel ciuilis, & ſane in omni cultu religioſo is qui alium colit, non ſolam agnoſcit illius excellentiam ſupra humanam, & ſupra naturalem, ſed ei etiam excellentiæ ſeipſum in-

d Tho. 22. q.81. terne ſubiicit; d *Religio enim tendit in Deum. & conſequenter religioſus cultus* e *ſoli Deo competit.* Reliqui

e Suarez in 3. par. diſp. 52. ſect. 3. omnes cultus qui religioſi non ſint, pure humani ſunt: nam & excellentia quæuis humana, eo ipſo quo eſt in homine, humana eſt, etiamſi ordinis ſit ſupernaturalis, & à Deo ſupernaturaliter conceſſa. Fides enim, ſpes, charitas, & ſimilia dona quando ſunt in homine iam humana fiunt; ſic fides quæ erat in Petro, quando dicebat, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, erat vere Petri fides, & Petrus per illam fidem non erat ſupra hominem, ſed homo, homo tamen fidelis; cum illa excellentia quæ iam erat, dono diuino, ipſius propria. Itaque propter hanc excellentiam, vt vere iam factam humanam, maiori honore quam de genere ſuo humano, colendus non erat. Datur enim magna latitudo in honore humano, quia excellentiæ quibus debetur honor, ſunt in hominibus in magna differentia, intra latitudinem tamen ſemper excellentiæ humanæ, etiamſi aliquæ excellentię humanę, ſint diuinitus acquiſitæ, & ordinis ſupernaturalis.

Religioſus itaque honor, aut cultus non debe- X.
tur ab homine vlli puræ creaturæ, quacunque excellentia illa ſit prædita, ſed ſoli Deo; quia religioſus cultus eſt cum interna ſpirituali ſubiectione, quæ nulli, niſi ſoli Deo; fieri debet tanquam ſoli Domino Spiritus & animæ. Vbi vero talis in cultu, & adoratione non fit ſubiectio, ille cultus, & illa adoratio non eſt niſi pure humana, & ciuilis. Et ſi quis puram creaturam propter quancunque excellentiam colit cultu & honore maiori, quam puro humano, cultus hic iam accedit ad cultum religioſum, & conſequenter ad diuinum. Nomine igitur duntaxat iam diſtinguetur dulia, & hyperdulia, & non re à latria, ſi dulia & hyperdulia ſit cultus religioſus. In omni porro adoratione, quam triplicem cum ſcholaſticis ponit f Bellarminus, ipſe incli- f Bellar. de ſanct. Beat. l.1. c.12.
nationem voluntatis agnoſcit, & ex maiori, vel minori voluntatis inclinatione erga eum qui colitur, & adoratur, tres illas ſpecies diſtinguit adorationis; quod ſtare non poteſt; nam magis & minus non variant ſpeciem; ſpecies tamen adorationis, & cultus variabuntur ſi inclinatio voluntatis ſit cum ſubiectione, vel duntaxat naturalium, vel etiam animæ, & ſpiritualium. & ſic non erunt niſi duæ ſpecies: vna erit adoratio humana, & ciuilis; altera religioſa & diuina, ac ſpiritualis, hoc eſt, vel honor communis, maior, & minor: vel latria. Et hanc ſecundam adorationem omnem negant iam citati Patres cuicunque ſancto, qui ſit pura creatura. Neque alium cultum, aliumue honorem his concedunt niſi pure humanum, & nequaquam religioſum, etiam propter ſanctitatem, quia ſanctitas in homine eſt humana eſt, diuinitus tamen acquiſita, quæcunque igitur adorationes in Scriptura ponuntur perſonarum, ſeu rerum creatarum, omnes ſunt intelligendæ de adoratione humana, & nequaquam proprie religioſa, qua homo illi ſoli ſanctitati ſe ſubiicit quæ poteſt parere ſanctitatem. At ſolius ſancti ſanctorum ſanctitas poteſt ſanctos efficere, ſanctitas vero aliorum ſanctorum non poteſt in aliis parere ſanctitatem; niſi ad ſummum impetratiue; impetrare autem eſt actus humanus, actui vero humano religioſa ſubiectione nemo ſe ſubiicit, ſed pure humana. Omnis enim actus religionis, vt dixi, in ſolum Deum tendit.

Sanctorum animas beatitudine ſua inchoata XI.
cum Chriſto frui in cælis, licet nondum ante reſurrectionem perfecta, poſui & declaraui lib. 5. cap. 8. n. 97. & ſeqq. In atriis eas eſſe, non in Regiis cubiculis dixerunt aliqui viri ſancti orthodoxi ſcriptores, vt vidimus eodem loco, n. 98. & 102. ac proinde, meo quidem iudicio, nondum aptæ ſunt ad perfecte noſtra curanda, quantum tamen earum ſtatus fert, & inchoata illa requirit beatitudo (ac multo plus ſi iam perfecta fruuntur gloria intra Regia cubicula, quod multi cenſent, & ego id eis vt probabile relinquo) illas apud Deum pro nobis mortalibus, etiam in particulari intercedere videtur Eccleſiæ Catholicę id perpetuo fuiſſe certiſſimū. Scriptura teſtimonium aliquod exhibet. Ac primū viuos viuorum iuſtorum precibus iuuari apud Deum eſt certiſſimum. Nam & Deus amicis Iobi ſuadet, vt ad obtinendam ſtultitiæ remiſſionem ipſo g Iobo g Iob 42. 8.
vtantur deprecatore; & Paulus toties ſe orationibus commendat fidelium. Epheſ. 6.19. Coloſſ. 4.3. 1. Theſſ.

1.Theſſ.5.25.2.Theſſ.3.1.Hebr.13.18. Quod ſi honori Mediatoris & Aduocati noſtri Chriſti nihil præiudicare cenſuit Paulus, ſi hominum viuorum orationes ad Deum pro ſe poſtularet, & fideles ſe inuicem orationibus iuuarent, cur mortuorum; ſed coram Deo viuentium, preces Mediatoris honori præiudicabunt? Mortuos quoq; ſanctos, quorum animæ coram Deo viuunt, & cum Chriſto vel perfecte, vel ſaltem inchoate regnant, pro viuis intercedere Scriptura innuit; *a Si ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, nō eſt anima mea ad populum iſtum.*] Poterat igitur & Moyſes; & Samuel, iamdiu mortui intercedere pro populo illo, ſed fruſtra: Idem dixit Deus de tribus viris iandiu mortuis, ipſius amicis; *b* Noe, Daniele, Iobo. Eos nō impetraturos, etiam ſi intercederent pro populo illo afflictionibus deſtinato. In Apocal. *c Odoramenta & incenſum ſunt orationes ſanctorum eorum, qui iam erant cum agno.* In gratiam vero ſuorum ſanctorum iam mortuorum, & propter amorem, quo eos Deus proſequitur (ſi nō propter eorum merita, de quibus nunc non diſputo) multa viuis concedere Deum, Scriptura clare docet: Dicit Deus Iſaaco, *d Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ: eo quod obedierit Abraam voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & ceremonias, legeſque ſeruauerit.*] Moyſes iram Dei auertit à populo illo, cōmemoratione Patrū iam mortuorū. *e* Recordare Abraam, Iſaac, & Iacob. Vbi non ſolum promiſſa Dei cōmemorat facta illis perſonis, ſed perſonas ipſas. *f* Propter Dauid Deus flagella à Salomone, & eius poſteris, aut auertit, aut transfert. Viri S. priſci V. Teſtam. vt impetrēt facilius à Deo quę poſtulant, vocant illum *g* Deum Abraam, Iſaac & Iacob. Quæ cōſiderans Chryſoſtomus, ſeu quis alius, ait, *h Hic enim S. Dauid, nō ſolum cum in corpore eſſet placens Deo, ſed & poſt mortem ſuam viuus inuenitur præſtitiſſe magnum ſolatium. Venit ad Ezechiam Iſaias Propheta, ac dicit ei: i Protegam hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid ſeruum meū. Dauid mortuus eſt & merita eius vigent. O rem admirandam. O ineffabilis clementia, homo mortuus viuo patrocinatur.*] Faciendos eſſe amicos de *k* mammona iniquitatis, monet Chriſtus, vt cum defeceritis, *inquit*, recipiant vos in æterna tabernacula. Aliquid tale miratur *l* Auguſtinus, etiam Poetas Ethnicos ante Chriſtum, ſuis fabulis immixtum protuliſſe, vt eſt illud Virgil 6. Æneid. in campis Elyſiis reponens, *quiq; ſui memores fecere merendo.* Nimirum fœlicem locum obtinere aliquos, non tam propriis meritis ſibi comparatum, quam aliorum fœlicium ope & adiumento, quos ſibi beneficiis illi demeruerint. Certe Chriſti pronunciatum eſt, aliquos, etiam per inique ſibi conquiſita, *m* iuſtos & ſanctos demerentes, *per eos poſſe in æterna recipi tabernacula.* Et conſequenter ſanctos & iuſtos in æternis tabernaculis exiſtentes, ſi facti fuerint alicui amici, poſſe eos cum defecerint in æterna recipere tabernacula, ex quo Chriſti dicto ita colligit Auguſtinus, *n Eſt itaq; quidam vitæ modus, nec tam malæ, vt iis qui eam viuunt, nihil proſit ad capeſſendum regnum cælorum largitas eleemoſynarum, quibus etiam iuſtorum ſuſtentatur inopia, & fiunt amici qui in tabernacula æterna ſuſcipiant: nec tam bonæ vt ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint miſericordiam conſequantur — Sed quis iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt peruentionem ad regnum Dei, vt tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt inuenire, periculoſiſſimum definire. Ego certe vſque ad hoc tempus cum inde ſatagerem, ad eorum indaginem peruenire non potui. Et fortaſſis propterea latent, ne ſtudium proficiendi ad omnia peccata cauenda pigreſcat. Quoniam ſi ſciretur, quæ, vel qualia ſint delicta, pro quibus etiam permanentibus nec profectu vitæ melioris abſumptis interceſſio ſit inquirenda & ſperanda iuſtorum, eis ſecura ſe obuolueret humana ſegnities, nec euolui talibus implicamentis vllius virtutis expeditione curaret, ſed tantummodo quæreret aliorum meritis liberari, quos amicos ſibi de mamona iniquitatis eleemoſynarum largitione feciſſet. Nunc vero dum venialis iniquitatis, etiam ſi perſeueret, ignoratur modus, profecto & ſtudium in meliora proficiendi orationi inſtando vigilantius adhibetur, & faciendi de mammona iniquitatis ſanctos amicos cura non ſpernitur. Verum iſta liberatio quæ fit ſiue ſuis quibuſque orationibus, ſiue intercedentibus ſanctis id agit, vt in ignem quiſque non mittatur æternum: non vt cum fuerit miſſus, poſt quantumcunque tempus inde eruatur.*]

a Hier. 15. 1. *b* Ezech. 14. 14. *c* Apoc. 5. 8. & 8. 3. *d* Gen. 26. 4. 5. 24. *e* Exod. 32. 13. & Deut. 9. 27. *f* 3. Reg. 11. 12. 32. 34. & 15. 4. & 4. Reg. 8. 19. & 19. 34. & 20. 6. & Iſa. 37. 35. *g* 3. Reg. 18. 36. 1. Paral. 29. 18. *h* Chryſ. in Pſ. 50. ho. 2. *i* Iſa. 37. 35. *k* Luc. 16. 9. *l* Aug. de Ciu. Dei l. 21. c. 27. *m* Luc. 16. 9. *n* Aug. ib.

XII Satis ergo, ex Euangelio, tribuit Auguſtinus interceſſioni ſanctorum, non modo viuentium adhuc, ſed etiam in tabernaculis æternis iam exiſtentium, vt nunc re melius conſiderata, exiſtimo: licet alio loco in præcedentibus parentheſim quandam contrariam appoſuerim, lib. 5. c. 8. n. 61. quam nunc non probo. Illud tamen confirmo locum hunc Euangelii, ſicut interceſſionem ſanctorum aliquam innuit, ita Purgatorii nullum ſecum ferre indiciū, quo à Bellarmino trahebatur. Recipiunt enim in æterna tabernacula ſancti aliquorum ſpiritus, qui viui cum eſſent aliqua ratione eos ſibi demeruerunt, licet quomodo id fiat ignoret Auguſtinus; & nos omnes ignoremus. Niſi forte dicamus, aliquos qui in hac vita nimium lucris temporalibus inhiāt, ſunt tamen erga pauperes bonos Dei famulos miſericordes: atque ita moriantur, vt neque adeo boni ſint vt ſtatim ad inchoatam gloriam tranſeant, neq; adeo mali vt æternæ damnationi addicantur; ſed ſuſpenſi vltimum expectent in reſurrectione iudicium, cum hoc aduenerit, tunc bonorum illorum pauperum iam à dextris poſitorum interceſſione in æterna gloriæ tabernacula inducendos. Quod ſi ita locus ſit intelligendus, interceſſionem ſanctorum non dabit nobis, niſi pro vltimo die iudicii vniuerſalis, quando omnia omnibus, & ſane præſentia patebunt.

XIII Angelos ſanctos, Dei iuſſu, fidelibus inſeruire; eorumque miniſterio nos multis; & ſpiritualibus & temporalibus bonis frui, eſt & in ſcripturis, & in Patribus ſatis compertum. Nota eſt *o Scala Iacobi, per quam aſcendebant, & deſcendebant Angeli:* Nota ſunt innumera Angelorum miniſteria in vtroque teſtamento. *p Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis? q Fatemur,* inquit Origenes, *etiam nos, non abſque præſidio inuiſibilium, vt ita loquar, agricolarum, ac diſpenſatorum aliorum, non ſolum terræ fruges præberi nobis, verum etiam fluenta aquarum omnium, ipſis curantibus terras, aquas, aerem, proferre in miſeroris vitæ vſum alimenta, fontes ſcatere vndis vltro naſcentibus, ex aere culta rigari tempeſtiuis imbribus, eundemque per ſpiracula reciprocatum vitam refrigerando conſeruare.*] Atque in particulari Angelos noſtras preces Deo offerre probabile cenſet Auguſtinus. Illud enim Apoſtoli *r Poſtulationes veſtræ innoteſcant apud Deū:*] ſic altera explicat interpretatione: [*ſ Aut forte etiam innoteſcant angelis qui ſunt apud Deum, vt quodammodo eas offerant Deo, & de his conſulant, & quod eo iubente, implendum eſſe cognouerint, ſicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis vel euidenter, vel latenter apportent.*] Certe ſingulis, & in particulari. Nam & Angelum, quem Antiqui etiam Patres cuſtodē

o Gen. 28. 12. *p* Heb. 1. 14. *q* Orig. cont. Celſ. lib. 8. *r* Phil. 4. 6. *ſ* Aug. ep. 121.

vocarunt, ſingulis hominibus à Deo aſſignatum à cuiuſque natiuitate, eſt conſtans veteris etiam eccleſiæ conſenſus; neque id eſt nouum noſtrorum Pontificiorum commentum. Id enim ita eſſe ex ſcripturis ipſis facile conſtat. Notabilis eſt locus in
a Pſ.33.8. Pſalmis Dauid: *a Immittet ſe Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* In quem locum ſic
b Baſil.in Pſ.33. Baſilius, *b Omni credentium Dominum Angelus aſſidet, ſi non ipſum nos per praua opera fugauerimus. Quemadmodum enim apes fugat fumus, & columbas graueolentia expellit, ſic cuſtodem vitæ noſtræ angelum, lacrymoſum, & graueolens abigit peccatum. Si habueris in anima opera angelica cuſtodia digna, & mens opulenta in ſpeculationibus veritatis in te habitauerit, propter diuitias pretioſorum virtutis operum, Deus neceſſario conſtituit tibi cuſtodes & protectores, & Angelorum cuſtodia te munit. Conſidera vero quanta eſt angelorum natura, nam toti exercitui, & conferto multorum hominum ordini vnus angelus aſſimilatur. Propter magnitudinem igitur cuſtodientis te, Dominus totum exercitum tibi largitur. Propter fortitudinem vero angeli, velut muro te munit vndiquaque ipſius tutela. Hoc enim ſignificat in circuitu. Quemadmodum enim vrbium muri in circuitu omnibus circunſiti, vndiquaque hoſtium inſultus arcent: Sic etiam Angelus & à fronte & à tergo cuſtodit, & neque vtriuſque lateris partes incuſtoditas relinquit: propterea cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit, ne plaga quidem alicuius hoſtis, quoniam Angelis ſuis mandauit de te.*] Et Hieronymus ex loco Euangelii, in quo Chriſtus ait, *pucrorum Angelos ſemper videre faciem Patris;* ſic col-
c Hier.in c.18.Mat. ligit, *c Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Vnde legimus in Apocalypſi Ioannis, Angelo Epheſi, & reliquarum Eccleſiarum ſcribe hæc. Apoſtolus quoque præcipit velari capita in Eccleſiis fœminarum propter Angelos.*] De Angelorum cuſtodia, & cura quam habent noſtri,
d Exod.23.20. celebris eſt locus in Exodo. *d Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui. Obſerua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaueris, & eſt nomen meum in illo. Quod ſi audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum & Pherezæum, Cananæumque, & Heuæum, & Iebuſæum quos ego*
e Apud Anaſtaſium Nicæ.q.61 *conteram.*] Cyrillus Alexandrinus, *e Scimus,* inquit, *ſanctos Angelos à Deo eſſe ordinatos ad opem ferendam credentibus, vt ſint veluti duces populi.*] Item Theodore-
f Ibid. tus: *f Creatorem,* dicimus, *Angelorum quidem præſidio cuſtodiiſſe hominum genus, ne (vi vtens, & tyrannide Diabolus) dum ſub aſpectum non cadit, ex occulto inuadens, ſecure eos perderet, quos propter inuidiam odio habebat; aduerſus eum autem certamen & pugnam non prohibuiſſe, vt optimos & præſtantiſſimos luctæ oſtenderet, magnique & fortis animi, virtutis eſſent exemplaria. Quamobrem cum Angelorum præſidio illius violentam prohibuiſſent irruptionem, rationis & cogitationum conceſſit certamen, vt victores pronunciaret corona dignos, non ipſum quidem adſciſcens tanquam aduerſarium, ſed ad id quod oportuit vtens eius ſcelere & nequitia, tanquam viperis ad propulſandos morbos.*]

XIV. Iacob *g* Angelum habuit, qui illum eruit ab o-
g Gen.48.16. mnibus malis, quem inuocat quoque ad benedicendum nepotulis Ioſeph filiis, Ephraim, & Ma-
h Act.12.15. naſſe. *h* Petrum Apoſtolum habuiſſe ſuum Angelum ſacra Scriptura docet; Nam qui in domo erant quando liberatus miraculoſe è carcere ad oſtium pulſabat, non credebant eſſe Petrum, *ſed Angelus eius,* inquiunt, *eſt.*] Sed de Angelo cuſtode Gregor. Nyſſenus omnium clariſſime philoſophatur, hoc pacto. *i Occultior quædam traditio eſt: verus ſermo ad nos* i Nyſſ. de vita Moſis.
vſque deſcendit, quo creditur poſtea, quam in peccatum natura noſtra lapſa eſt, non omnino à clementia diuina neglectam, neque abſque ſuo patrocinio dimiſſam, ſed Angelorum qui natura incorporei ſunt, aliquem in adminiculum cuique conſtitutum fuiſſe, naturæque noſtræ corruptorem in omnibus contra annitentem, prauum aliquem atque maleficum dæmona ad male viuendum homines impellentem ad ſingulos deſtinaſſe. Horum autem medium factum hominem, quorum alter virtutis præmia (quæ ſpe atque fide præparantur) cogitationibus offert: alter titillationes & voluptates carnis ſuggerit, animumque ſuum, quaſi ſpeculum bonorum, quæ firmæ ſpei noſtræ propoſita ſunt, effecerit, ita vt mentis oculo oblatas diuina gratia virtutis ſpecies queat recipere. Tunc ei manifeſtius fratris adminicula vndique apparent, ſecum aduerſus hoſtes armati: frater enim quodammodo hominis animo Angelus eſt, rationali quippe ac intellectuali natura ſecum annectuntur: qui tunc maxime nobis aſſiſtere videtur, cum Pharaoni appropinquamus.] Certe huic traditioni ſcripturæ, vt vidimus, plurimum aſtipulantur. Si igitur quiſque iuxta ſe habet Angelum Domini, quid obſtat quo minus illum quiſ-
que in auxilium, *k contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, ad quod datus eſt à Deo, aduocet?* quid opponi hic k Eph.6.12
poſſit non video.

Addamus Nyſſeno eos quos Anaſtaſius Synaita XV.
ante mille annos ſcribens, antiquos vocat ſcripturæ expoſitores: quorum quiſpiam *l quærit,* inquit l Anaſt. Synaita in Hexam. lib.5.
Synaita, *quamobrem imperat Deus tanquam aliquibus aliis, eis iubens & dicens: Multiplicentur volucres: Non enim ad volucrum perſonam dirigit ſermonem, ſicut ad piſces. Is autem cum hæc dubitaſſet & dixiſſet, exponit quod nos hinc oporteat diſcere, quod iis qui baptizantur, & iis maxime qui in virtutibus effecti ſunt volucres: à Deo dantur ſancti Angeli, qui eorum curam gerant & prouideant ad illuminationem. Ad eos enim iuſſum dirigit Deus, iubens & dicens vt multiplicentur volucres, hoc eſt, qui cæleſtia capiunt & obeunt. Ipſe quoque Dominus nobis fidem facit, & docet Angelos eſſe cuſtodes eorum, qui credunt in ipſum: Dicit enim quibuſdam infidelibus; videte ne deſpiciatis vnum ex puſillis iſtis qui credunt in me; Dico enim vobis quod Angeli eorum perpetuo aſpiciunt faciem Patris qui eſt in cælis.*]

Antiochus quoque Abbas ante mille ſimiliter XVI.
annos hæc ſcribebat. *m Duo enim Angeli dati ſunt ho-* m Antiochus Abbas hom. 61 tom 2. Biblioth. SS.PP.
mini aſſeſſores. Vnus quidem iuſtitiæ amantiſſimus, alter vero malitiæ omnis incentor maligniſſimus. Et quidem iuſtitiæ Angelus verecundiæ atque intemerati pudoris cupientiſſimus, manſuetus inſuper eſt & tranquillus. Hic vbi primum ad cor hominis aſcenderit, cum eo mox ſermonem texit familiariter de iuſtitia, de munditia & caſtitate, de probitate morum, de frugalitate ſiue parſimonia victus, de operatione quæ iuſta ſit, denique de virtute omni gloriæ cæleſtis conciliatrice. Simul atque hæc cuncta ad cor hominis aſcenderint, perſpicere ſentitur præſentia angeli iuſtitiæ; Contra angeli malitiæ adminiſtri opera hæc ſunt: Primum omnium, acerrima eſt bilis, & ad iracundiam propendet totus amarulentus ac ſtolidus: huius maligna opera, tranquillitatem ſeruorum Dei interuertunt ac ſubruunt. Noſſe ſi voles; quando ad cor hominis aſcenderit, vtique licebit ex operum qualitate. Quum enim acrimonia bilis excitatior & ad iracundiam deuergens acceſſerit, aut amaritudo; perſpicuum euadit in homine iam eſſe. Deinde intempeſtiua cupiditas multiplicium operationum, eduliorum luxus profuſior, ſtudium ſordentis crapulæ, voluptatum non vniformium conſectatio, concupiſcentia mulierum, immoderata cupiditas augendi peculii, ſuperbia, ſupercilioſa, & pompatica arrogantia, & quæcunque tandem iſtiu confinia ſunt & ſimilia. Sed & conceptiones animi maligna omnes hoc incentore accenduntur. Nobis itaque circumſpectius attendamus,

damne, ac vale ſupremum dicamus iſti ſic improbo ſpiritui: angelum vero iuſtitiæ, indiuiduum nobis adſciſcamus vitæ huius comitem.]

XVII. Angelos vero pro nobis orare, dixit etiam magnus ille Antonius celebris monachorum Pater, ſic ad Arſenoitas ſcribens: *a Noſtra negligentia & humiliatio, extranea commoratio, nõ nobis ſolũ eſt detrimento, ſed Angelis labor extitit, & omnib. ſanctis in Chriſto Ieſu, quia nondum vſque requieuerunt propter nos. Vere, nati mei, hæc noſtra humiliatio illis omnibus triſtitia eſt; ſicut iterum ſalus, & gloriatio noſtra, lætificationem eis, ac requiem omnibus præbet — Vnde & illi poſtulant pro nobis ſemper; ſed ſcriptũ eſt, immittet ſe angelus, &c.*] Ne enim quis ei obijceret Angelos in cœlis exiſtentes non cognoſcere noſtra, neq; quæ nos facimus, aut quibus indigemus, innuit dictum Chriſti ex euangelio; *b Gaudium eſt in cælo coram Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*: Cognoſcunt ergo quando quilibet peccator ex corde agit pœnitentiã. Chryſoſt. hæc habet. *c Tempore illo, ſacræ liturgiæ, non ſolum homines clamorem illum tremendum reddunt, ſed etiam Angeli Domino genu flectunt, & archangeli rogant, habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauorem. Itaq; vt homines ramos olearum gerentes mouere reges conſueuerunt, eoque arboris genere miſericordiam commemorant & humanitatem; ſic angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his Domine rogamus quos tu adeo dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.*] Baſilium, Didymum & Euagrium ſimilia de Angelorum cuſtodia proferentes producit *d* Damaſcenus.

a Anton. ep. 2. to. 5. Biblioth. SS. PP.

b Luc. 15. 7. 10.

c Chryſ. de incompre. hẽſi. Dei nat. hom. 3

d Damaſc. lib. 1. parallel. c. 7.

XVIII. Iam vero ſanctos etiam homines in patria orare & intercedere pro viuis fidelibus fatentur paſſim Patres. Cyprianus orationes viuorũ ex mutua charitate & laudat & poſt mortem idem precandi officium pro fratribus hic manentibus perſeuerare ſupponit: Ait enim: *e Memores noſtri inuicem ſimus, concordes atque vnanimes, vtrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua charitate releuemus. Et ſi quis hinc noſtrum prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deũ noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiã patris non ceſſet oratio.*] Et *f* ſanctos ait in cælis iam eſſe de ſua ſalute ſecuros, & de noſtra ſolicitos.] Et Chryſoſt. hortatur vt vitam ad imitationem ſanctorum componamus, *g ve eorum precibus*, inquit, *poſtquam hinc exceſſerimus illos videre & amplecti poſſimus.*] Hieron. vero ad Heliodorum ita ſcribit, *h Veniet, veniet poſtea dies ille, quo victor reuertaris in patriam; quo per Hieroſolymam cæleſtem vir fortis coronatus incedas, tunc municipatus cum Paulo capies, tunc & parentibus tuis eiuſdẽ ciuitatis ius petes; tunc & pro me rogabis, qui te, vt vinceres, incitaui.*] Hæc eſt oratio ſanctorum pro particularibus, nec in ea Hieronymus vllum vidit abſurdum, qui aduerſus Vigilantium diſputans plura pro interceſſione ſanctorum affert.

e Cypr. l. 1. ep. 1.

f Idem de mortalit.

g Chryſo. hom. in martyres Ægyptios.

h Hier. ep. 1

XIX. Auguſtinus Sãctorum interceſſiones ſæpe repetit, & inculcat. *i* Cypriani orationibus ſe adiutum multa ſperat poſſe diſcere. Et de eodem Cypriano, ait, *k Adiuuet itaq; nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes, vt donante Domino, quantum poſſumus, bona eius imitemur.*] Et alibi ait *l Iniuria eſt pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari.*] Item: *m Debent martyres in nobis aliquid recognoſcere de ſuis virtutibus, vt pro nobis dignentur Domino ſupplicare.*] De Nebridio iam in ſinu Abrahæ excepto, ſic loquitur: *n Iam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam pro auiditate ſua, ſine fine felix. Nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliuiſcatur mei, cum tu Domine, quem potat ille, noſtri ſis memor.*] Auguſtinus à ſanctis expectat orationes particulares pro ipſo in particulari: & vnde ſancti poſſint videre particularium neceſſitatem, innuit: nimirum quia, vt vult Gregorius, *o In Deo omnia vident.* Præterea Auguſtinus. *p Populus*, inquit, *Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur.*] *q* Martyres opitulari ſæpe viuis certum eſſe aſſerit alio loco Auguſtinus; ſed explicari non poſſe putat quomodo adſint. ſe *r* Eccleſiæ triumphantis orationibus iuuari rogat deuotiſſime. *ſ* Interceſſionem Sanctorum Theodoretus cum ſuo illo Iacobo heremita & ſentit & approbat. Leo *t* in ſanctis ponit & præſidium, & exemplum. Gaudentius Brixienſis *u* patrocinium, & interceſſionem ſanctorum agnoſcit. Gregorius *x Rogo*, inquit, *omnipotentem Deum, vt ſua te gratia protegat, & beati Petri Apoſtolorum Principis interceſſione à malis omnibus illæſum ſeruet.*] *y* Bernardus plura de ſanctorum interceſſione habet in ſuis ſermonibus in canticum cantic. Mitto innumerabiles alios poſteriores. Igitur & ſcriptura, & Patres, & conſenſus vniuerſalis eccleſiæ, & Angelos, & Sanctorum iam defunctorum animas intercedere pro viuis, etiam in particulari, pro certo confirmant.

i Aug. de bapt. l. 5. c. 17.

k Ibid. l. 7. c. 1.

l Idem de verb. Apoſtol. ſer. 17.

m Idẽ ſer. 46. de ſanctis.

n Idem. Confeſſ. l. 9. c. 3.

o Gregor. moral. l. 12. c. 14.

p Aug. con. Fauſt. l. 20. c. 21.

q Idem de cura pro mort. ger. c. 16.

r Idem meditat. c. 20.

ſ Theod. hiſt. SS. PP. c. 21.

t Leo de ſanc. Laur.

u Gauden. ſer. 17.

x Greg. l. 7. ind. 2. ep. 53.

y Bern. in cant. ſer. 77.

XX. Inuocare tamen Angelos vel Sanctos num liceat Chriſtiano, eſt maxime nunc controuerſum. Controuerſia ſane noua eſt, quam meo iudicio, non res ipſa, ſed abuſus potiſſimum, ac merito ſane reprehenſibilis, excitauit. Inuocatio enim humana, & vt ita dicam, ciuilis Angelorum, beatæ Mariæ virginis Chriſti matris, & Sanctorum in cælis beatorum, quæ olim in Eccleſia, citra omnem ſcrupulum paſſim fiebat, facile ex inſcitia rudis plebis, & Rectorum Eccleſiæ negligentia, vtinam non tandem etiam auaritia, in religioſam; ac penè diuinam tranſiit inuocationem. Antiquam Eccleſiam puram adhuc, & incorruptam inuocaſſe Angelos, ac Deiparam virginem, & alios ſanctos in dubium reuocari non poteſt: affero indicia ſatis clara. Irenæus, *z Mariam vocat cauſam ſalutis, eamque ſoluere ait, quod per Euam ligatum erat,* a *Euæ quoque aduocatam appellat.*] Ex quibus habemus eo tempore Apoſtolis valde propinquo præclaris hiſce titulis beatam virginem fuiſſe in eccleſia decoratam, & pro aduocata habitam. Quid vero obſtat aduocatum implorare? Athanaſius Deiparam virginem exaltat plurimum; *b Et quandoquidem*, inquit, *ipſe Rex eſt, qui natus eſt ex virgine, idemque & Dominus, & Deus, ea propter & Mater quæ eum genuit, & regina, & Domina, & Deipara proprie, & vere cenſetur.*] Eamque à dextris filii ſedentem contemplatur, ex Pſalmo. *c Aſtitit Regina à dextris tuis, &c. etiam ſuo corpore indutam: & iſta ſubdit, & iam ſcilicet, Audi filia Dauidis, & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui, neque noſtri, qui ſumus de familia, & domo patris tui, &c.*] Ac pergit ibi in ſatis longa inuocatione.

z Iren. l. 3. c. 33.

a Idem l. 5. c. 19.

b Athanaſ. in Euang. de Deipar.

c Pſ. 44. 10.

XXI. Virgo quædam, quam aliqui Iuſtinam vocant, cum magicis artibus à Cypriano tunc mago ad probrum alliceretur: ad Deum, vt ſcribit Nazianzenus, confugit; & commemoratis inſignibus Dei beneficiis quibus ſeruos ſuos ſæpius à periculis liberauit, *d* Virginem Mariam rogauit, vt periclitanti

d Naz. orat. in Cypr.

a Ephrem. orat. de laud. Mariæ.

clitanti virgini opem ferret.] Mira quoq; ſunt quæ a Ephræm Syrus in laudem B. virginis multiplicat, addita inuocatione.

XXII. b Baſil. Seleuc. de verbi Incarn. orat. 1.

Baſilius Seleuciæ, b *Vinculo porro*, inquit, *mutua charitatis conſtricti, atque colligati, Dei, etiam virginem talibus vocibus compellamus: O ter ſacroſancta virgo (de qua quæ omnia illuſtria & glorioſa dixerit, nunquam is quidem à veri ſui ſcopo aberrauerit: attamen dignitatis, magnitudinem nulla vnquam oratione exæquabit) aſpice nos de cælo oculo propitio, & nunc quidem educ nos hinc cum pace; ad ludum autem thronum à confuſione liberos nos ſiſte, ac ſtationis tandem ad dexteram participes nos effice, vt inde ad cælum abrepti, vna cum Angelis increatam homouſiamque Trinitatem laudemus.*]

XXIII. c Aug. de Annunciat. ſerm. 2.

Auguſtinus ad beatam virginem conuerſus eam inuocat, & deuota oratione precatur. c *Admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis. & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excuſabile quod per te ingerimus, fiat impetrabile quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus, quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam commemorationem. Aſſiſte parata votis poſcentium, & repende omnibus optatum effectum. Sint tibi ſtudia aſſidue orare pro populo Dei, quæ meruiſti benedicta redemptorem ferre mundi, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.*] Ita etiam Auguſtinus inuocat Sanctos: d *Felices Sancti Dei omnes, qui iam pertranſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis ad portum perpetuæ quietis, ſecuritatis & pacis, ſecuri & tranquilli, ſemperque feſtiui atque gaudentes: Obſecro vos per veſtram charitatem, qui ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis: ſecuri eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti eſtis, de cuius beatiſſima viſione ſemper gaudetis, eſtote iugiter memores noſtri, ſubuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ circunſtantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longe inferius iacentes. Date manum, & erigite iacentes ſuper pedes, vt conualeſcentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite & orate conſtanter atque indeſinenter pro nobis miſeris, multumque negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes veſtro ſancto conſortio coniungamur, quia aliter ſalui eſſe non poſſumus. Sumus namque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno crucis ferimur, nauigantes per hoc mare magnum & ſpacioſum, vbi ſunt reptilia quorum non eſt numerus, vbi ſunt animalia puſilla cum magnis, vbi eſt draco ſæuiſſimus, ſemper paratus ad deuorandum, vbi ſunt loca periculoſa Scylla & Charybdis, & alia innumerabilia in quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Orate Dominum, orate piiſſimi, orate omnia agmina ſanctorum, & vniuerſi cœtus beatorum, vt veſtris precibus meritiſque adiuti, ſalua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ ſalutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis.*] Nobile eſt miraculum, quod e Nilus in Epiſtola ad Heliodorum Silentiarium narrat de Platone martyre inuocato, & admirabilem opem cuidam captiuo ferente.

d Idem in Meditat. c. 24.

e In Actis Sept. syn. Gen. Act. 4.

XXIV. f Coſmas hymno 6. to. 8 Bibl. SS. PP.

Coſmas Hieroſolymitanus ante mille annos eandem beatam virginem inuocat his verbis: f *Glorioſa ſemper virgo Mater Chriſti Dei, adduc noſtram precationem filio tuo, & Deo, vt ſaluet per te, animas noſtras.*] Hoc eſt tuis precibus motus. Sophronius alter Hieroſolymorum Epiſcopus, & ipſe ante mille annos, integra vna oratione Angelos inuocabat per ſingulos ordines, & in ſpecie Michaelem; eamque orationem ad Chriſtum conuerſus ſic concludit, g *O bineficie ſanctorum numero me aſcenſe tuiſque gaudij inculpatæ Matris tuæ, Angelorumque Sanctorum, & Apoſtolorum, & Prophetarum, & martyrum, & iuſtorum omnium qui à ſæculo fuerunt precibus intercedentibus, conſortes nos effice: qui cum Patre, &c.*] Iiſdem temporibus h Hildefonſus, Toletanus totus erat in beatæ virginis inuocatione.

g Sophrō. de Angel. excel. orat. 6 to. 2. Bibl.

h Hildeph. de B. virg.

XXV.

Quod vero ſpectat ad inuocationem aliorum Sanctorum, etiam antiquiſſima Eccleſiæ praxis eam confirmat, ita vt ad Apoſtolicam traditionem probabiliſſime poſſit reduci: Inuocationes enim Sanctorum in vſu perpetuo in eccleſia etiam pura fuerunt, & à nemine vnquam, qui hæreticus habitus non fuerit, repræhenſæ. Sanctos aut inuocant, aut inuocandos eſſe exprimunt Patres, abſque vlla hæſitatione, præter iam allatos, ſunt Euſebius, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Ephrem, Cyrillus, Hieroſolymitanus, Theodoretus, Damaſcenus, Theophylactus, Græci: Latini vero, Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Ruffinus, Maximus, Paulinus, Prudentius, Auguſtinus, Victor Vticenſis, Fulgentius, Leo, Gregorius, Beda, Anſelmus, Bernard. quos colligit i Bellarminus. Addo Philonem Carpathiorum, qui ex illo Cantici. *Adiuro vos, &c.* *Eccleſia*, inquit, k *clamat ad Apoſtolos, prophetas, ac martyres (quibus ſe mater eccleſia commendare non ceſſat) vt quot poſt Chriſtum habuit ſuæ fidei & ſalutis autores, eoſdem habeat defenſores, tutoreſque perpetuos & perfectores ſuæ ſpei apud eundem cæleſtem ſponſum: cui quidem nunc cuſtodes illi beatiſſimum in cæleſti iam Hieruſalem feliciſſime aſſiſtunt, ac ſuppliant pro ſponſa hac militante, mortali carne adhuc velata, ſtudioſa tamen ſui diuini ſponſi, planeque percupida illius aſſequendi, ob idque charitate ardens & deſiderio non modo rogat Apoſtolos ipſos ac cæteros fideliſſimos patronos ſuos ſe ſe Deo commendari, verum etiam quaſi adiurando cogit, &c.*] Et rurſus in ea verba, *Adiuraui vos filiæ Hieruſalem* ſic ſcribit. *Iam moræ impatiens ſponſa tarditate aduentus ſponſi, & expectatione Spiritus ſancti angitur: Ob idque vel adiurando Sanctorum animas ad voluntatem ſponſæ flectendam, excitandamque in ſponſa, quaſi deprecatrices orat, vt iam tandem aliquando charitatem ipſam, hoc eſt ſeipſum, (Deus enim charitas eſt) in ſe effundat, ac firmet.—Rogandus eſt Deus, rogandi ſunt & beatorum ſpiritus, qui cum eo iam feliciſſime regnant, vt quam celerrime, & quam optime ſemp. teſt nobis mala eripiat. &c.*] Hæc Philo, temporibus ferme Auguſtini. Iiſdem temporibus Antonius Cõſtantinienſis Epiſcopus, dum amicum ſolatur ſpe vitæ æternę, l *qualis eris*, inquit, *cum te cum ſancto Stephano videris? qualis eris cum Petrum, & Paulum, quos rogare ſolebas vt patronos, habebis amicos?*

i Bellar. de ſanct. Beat. lib. 1. c. 19.

k Philo Carpath. in Cantic. Canticor.

l Anto. Cõſtantinien. ep. ad Arca. to. 3. Bibl.

XXVI. m Gregor. hom. 32 in Euang.

Gregorius: m *Adſunt*, inquit, *defenſores noſtri ſancti martyres, rogari volunt, atq; vt ita dixerim, quærunt vt quærantur. Hos ergo auditores veſtris orationibus quærite.*] Et Ioannes Damaſcenus ſuam ad Petrum conuertens orationem eum ſic inuocat, *Hanc fidem inconcuſſam, & mergi neſciam tuis precibus ſerua, &c.* His addatur Hidelbertus Cęnomanenſis, non admodum vetuſtus, ante ſexcentos tamen circiter annos ille vehementer commotus eſt in quendam, qui aſſerebat n *Sanctorum animas ignorare, quid in iſta geratur vita*; itaq; ideo ocioſas iã eſſe Litanias, quibus oramus,

n Hidelb. Cænoman. ep. 51. ib.

mus, vt orent pro nobis Sancti, quia nec audiunt
nos, nec noſcũt quid agatur apud nos: *Qua videlicet
Sanctorũ iniuria,* inquit, *& grauius anima noſtra vulne-
ratur, quod quibuſdã dixiſſe diceris, me idipſum ſentire idi-
pſum tenere, & docere.*] Conaturq; hanc à ſe remouere
ſuſpicionẽ; & nouitatẽ redarguere, & ait: *Quod enim
vniuerſalis Eccleſia Litaniis inſiſtat: quod in lacrymis &
ſpiritu contribulato dicere conſueuit.* Sancta Maria orà
pro nobis; *nec indoctus ignorat cum audit, nec doctus cum
audit, impugnat.*] Vrgetq; antiquam hanc Litania-
rum huiuſcemodi conſuetudinẽ, quæ tamen con-
gruat cum veritate; & probat ex Gregorio animas
Sanctorum in Deo ſcire quæ apud nos agantur, &
cũ oportet, ac expedit, orare pro nobis. Affert & ex
Hierony. ea quæ ille oppoſuit Vigilantio eundem
errorem defendenti: & tandem ſic cõcludit: *Reſpice
igitur, & ſi peccatum non inuenis apud te, pro quo neceſſe ſit
orare Sanctos vt orent pro te, noli inſultare nobis orantibus,
vt Sancti orent pro nobis.*] Si morẽ hunc hoc pacto in-
uocãdi Sanctos dũtaxat vt deprecatores, ſeu potius
a Chryſ. hom. in S. Melet. vt comprecatores, vt vult a Chryſoſt non inuenirẽ
eſſe antiquiſſimũ, & nunquã in eccleſia repreh en-
ſum, ſed potius contrariũ à Hiero. in Vigilantio da-
mnatũ, quam damnationẽ tota approbauit eccle-
ſia, Hidelberti conatũ nõ multi facerem, quia iam
non paucæ impuritates in eccleſiam eo tempore ir-
repſerãt, ſed quia antiquæ mos is nititur conſuetu-
dini, & praxi in eccleſia approbatæ, non fuit omit-
XXVII. tendus. Quæ tamen inuocationi Sanctorũ oppo-
ni poſſunt & ſolent, non ſunt admodũ multa. Pri-
mum: *Iniuriam fieri Deo*: Reſpondeo, ſi Sanctorum
inuocatio fiat cum religioſo cultu, omnino ſequi
hanc iniuriã; qui tamen ſciunt, & non negant fideli
patere aditum etiã immediatum ad Deum orãdũ,
& Sanctorũ ſolũ poſtulant patrocinium, eoſq; ſe-
cum conantur habere comprecatores, idque ab eis
poſtulant ſolo humano non religioſo cultu, neque
ſe interim, ſuaq; religioſo cultu ſanctis ſubijciunt, ij
profecto iniuriam Deo nullam faciunt, ſed Deum
honorant dum famulos eius, ipſius intuitu, hono-
rant. Secundo, *iniuriam Chriſto fieri.* Reſpõdeo fide-
les qui inuocant Sanctos ſcire debere, & credere
Sanctos nihil à Deo petere aut impetrare, niſi per
Chriſtum ſolũ verum mediatorẽ, ſimul redempto-
rem, & reconciliatorem hominũ cum Deo, cui nul-
la fit iniuria ſi ipſius famuli ab eo dilecti inferiores
fiant ad ipſum mediatores. Eſt porro certiſſimũ ex
ipſis ſcripturis, vt vidimus, viuos laudabiliter, &
proficue orare pro viuis, abſque vlla aut Dei aut
Chriſti iniuria, oppoſitio ergo nihil habet virium.
Imo tanti facit Deus iuſtorũ interceſſiones, vt ideo
interdum nõ parcat populis, quia nemo adſit ido-
neus interceſſor; alioqui ſi quis ei charus interce-
deret, flagellum Deus eſſet depoſiturus: Patet hoc
b Ezech. 22. 30. in ſcripturã, *b quæſiui,* inquit Deus, *de eis virum qui in-
terponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne
diſſiparem eam, & non inueni, & effudi ſuper eos indigna-
tionem.*] Tertio, *Sanctorum animas non cognoſcere no-
ſtras preces, neq; noſtras audire inuocationes.* Reſpondeo
praxim, & effectum docere contrarium. Niſi enim
cognoſcerent, eccleſia neq; eos inuocaret, neque
fructum & effectũ perciperet ſuæ inuocationis. Et
c Luc. 15. 7. 10. tamen de Angelis vt vidimus nu. 17. clarum eſt eos
cognoſcere noſtra etiam in particulari: *c Gaudium
enim eſt in cælis Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam
agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis qui pœnitentia
non indigent.* Ergo & peccatorem in terris pœniten-
tem cognoſcunt illi in cælis, & iuſtos ſciunt qui pę-
nitentia nõ indigẽt. Cur etiã anima rationalis Deo
grata, & accepta, & ab eo beatificata, cum ſit ſimil-

lima Angelicæ naturæ, erit in hoc Angelis inferior?
Obiectio hæc fuit olim Vigilantij, eamq; ab eccle-
ſia exploſam non dubitamus, habuit enim Hiero-
nymum contradictorem, qui eam hæreſis conde-
mnandam cenſuit; & neminem catholicorum ſuf-
fragatorẽ; ac proinde in eccleſia catholica radices
nullas fixit. Quomodo autem & Angeli, & Sancto-
rum animæ cognoſcant noſtra, & noſtras audiant
preces, præſertim corde ſolo fuſas, nobis ignotum
eſt; Et fruſtra laborat qui quomodo hæc fiant, ex-
plicare conatur. Aliquid probabile afferri poteſt,
nihil certi. Non licet dogma negare quod certum
ſit, licet quomodo ſit, prorſus ignoretur; imo licet
humana ſapientia id non poſſe eſſe humanis ratio-
nibus conuincere videatur: quanquam in noſtro
caſu tales rationes non videam. Poſſunt enim San-
cti ex diuina, poſſunt ex Angelica reuelatione, poſ-
ſunt ex intuitu diuinæ eſſentiæ; Poſſunt aliis modis
nobis incognitis Deo facillimis noſtra ſcire. Tolla-
mus ergo impoſſibilitatem neceſſe eſt, ne tollamus
Deo omnipotentiam. Optime ſane Hugo de S. Vi-
ctore putat, non ideo inanes fore noſtras preces,
quibus ſanctos ad orãdum pro nobis inuocamus,
etiã ſi concedamus eos voces poſtulantium nõ au-
dire. *d Ecce,* inquit, *dicamus, non audiunt, nunquid Deus* d Apud Caſſand. ep. 19.
*non audit? Quid ergo laboras inueſtigare quid audiant, &
quantum audiant Sancti quos oras, cum ipſe Deus audiat
propter quem oras?*] Nam neq; hoc dubium audiant
nec ne, impedire potuit Gregorium Nazianzenũ
ne inuocaret ſororem ſuam Gorgoniam defunctã.
e Proinde, inquit; *ſi quid eos quoq; qui ibi à nobis haben-* e Naz. ora. in funere Gorgoniæ
*tur honores curas, atq; hoc præmij ſanctis animis diuinitus
contingit vt iſta ſentiant, noſtram quoq; orationẽ pro multis
ac præmulus funebribus donis accipias velim.*] Videtur
itaq; in his ſanctorum inuocationibus ſaltem taci-
ta adeſſe conditio talis, qualem expreſſit Gregor.
& inuocatio hæc magis eſt voti & deſiderii, quam
allocutionis. Quarto, *Nullum eſſe Scripturæ mandatũ,
vel exemplum aut promiſſionẽ de inuocatione Sanctorum.*
Reſpondeo neque eſſe in ſcriptura vllam prohibi-
tionem, eſſe tamen in ſcriptura & mandatum vt
ſanctorum virorum aliquis interceſſionem poſtu-
let: *f Ite ad ſeruum meum Iob, &c.* Et factum Pauli, qui f Iob. 42. 8.
toties fidelium pro ſe preces poſtulat. Habemus in
ſcriptura Sanctorum animas orare pro viuis. Ha-
bemus vſum eccleſiæ perpetuum. Res ergo in ſe
abſolute non eſt damnabilis.

Oppoſitio tamẽ maxima, meo iudicio eſt, quod XXVIII.
inuocatio ſiue Angelorum, ſiue Deiparæ virginis,
ſiue aliorum Sanctorum, quorum animæ ſint cum
Deo in cælis, in proximo periculo ſit, ne fiat cum
religioſo cultu. Nam & plebem rudiorem religio-
ſe Sanctos inuocare, & magis plurimos interne re-
ligioſo affectu erga beatam virginem, aut aliquem
ſanctum, affici, quam erga Chriſtum, non eſt du-
bium. Neque enim inuocant ſanctum, tanquam
precatorem, ſed tanquam principalem adiutorem.
Neque dicunt ora, ſed adiuua, occurre, ſalua, &c.
Neq; aut exprimunt, aut mente intelligunt, vt hæc
fiant orãdo, ſed vt ipſi ſancti ſe ipſis immediate hęc
faciant; eoſque rogando plurimi virgini Mariæ, &
Sanctis ſe totos, totam animã, totum ſpiritum, & in
ſpiritualibus penitus ſubijciunt, quę eſt idololatria
quędam formata. Atq; hoc ſenſu negauit expreſſe
Aug. Sanctos à nobis inuocari. Ait enim: *g Nos au-* g Aug. de Ciu. Dei, l. 22. c. 10.
*tem martyribus noſtris non templa ſicut Diis, ſed memo-
rias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt
ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria in quibus ſa-
crificemus martyribus, ſed vni Deo, & martyrum, & noſtro
ſacrificiũ immolamus ad quod ſacrificiũ ſicut homines Dei,*

qui

qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo loco, & ordine nominantur: non tamen à ſacerdote qui ſacrificat, inuocantur.] Inuocatio ergo Sanctorum, ſicut non ſemper abſolute eſt mala in ſe, & illicita, ita, vt periculoſa, quoad vſum tolli poteſt, & fortaſſe debet. Cum enim neceſſaria non ſit, & tutior, ac vtilior pro nobis precator ſit Chriſtus, tutius & vtilius erit ad ipſum ſolum confugere. Ne ergo propter hunc inuocationis ſanctorum ritum ſchiſmata fiant, qui ſanctos inuocant, caueant & plebem inſtruant ſæpiſſime, ne adſit periculum indebiti, & illiciti ſanctorum cultus idololatrici: & bene has inuocationes perpurgent; Ac ſanctorum inuocandorum habeatur delectus, cum ſola canonizatio Papalis, vt docui cap. 6. huius, non ſufficiat: qui vero inuocationes haſce abiecerunt, ne illas abſolute vt in ſe malas damnent ſi caute fiant, ſed vt periculoſas, omittant, & neutri alteros abiiciant, ſed cum charitate tolerent.

XXIX. Veneratio quam exhibent ſanctorum reliquiis eccleſiæ noſtræ Pontificiæ, eſt vna ex petris ſcandalorum, nam ritum hunc alicuius circa reliquias externi cultus, reformatæ eccleſiæ abominantur. Si nouus eſt hic Reliquiarum cultus, veteri eccleſiæ prorſus ignotus, & inſolitus, penitus profecto tollendus eſt; aut ſi cultus aliquis reliquiarum vetus eſt ſed in idololatriam, vel ſuperſtitionem per abuſum degenerauit, vel tollendus ſimiliter eſt, vel ſaltem repurgandus. Cultum proprie religioſum ſanctorum animis in cœlo cum Deo lætantibus non deberi iam probaui, multo minus is eorum corporibus, imo oſſibus, vel cineribus debebitur, neque poteſt ſine reatu vel idololatriæ, vel ſuperſtitionis damnabilis religioſus cultus reliquiis ſanctorum exhiberi. Honore tamen humano eas priuare æ[illegible]uum non eſt, vt ſi animæ iuſtorum ſunt à nobis honorandæ, ob excellentiam ſanctitatis, vt probaui in præcedentibus, etiam eorundem corporibus, pro ſuo modulo à nobis pars ſua honoris debebitur. Vt videlicet honeſtis, etiam precioſis in loculis reponantur, ſacra menſa Euchariſtica myſtici panis, & vini, ſuper iiſdem loculis ſternatur: Templis etiam, & baſilicis memorias ſanctorum, & nomen continentibus, honorentur, ad ſanctorum ſepulchra populus fidelis Deo preces fundat, & ſimiles actus pietatis exerceat. Hi enim ritus circa ſanctorum reliquias in eccleſia catholica ſunt antiquiſſimi, quos Deus ſæpe etiam patentiſſimis *a* miraculis approbauit.

a Aug. de Ciuit. Dei l. 22. c. 8.

XXX. Pallium *b* Eliæ mirabilia circa Eliſæum operatum eſt: *c* Oſſa Eliſæi mortuum hominem vitæ reddiderunt: *d* vmbra ſola Petri: *e* ſudaria & ſemicinctia Pauli quid non effecerunt? *f* Virga Aaron an non in memoriam ſacerdotalis vocationis & manna in memoriam miraculi diuinæ prouidentiæ deuota, & pia cuſtodia aſſeruabatur? *g* Sic gladius Goliath. Cur non igitur Sanctorum corpora honeſte aſſeruentur? Moyſis corpus Dei manibus iuxta Hebraicam veritatem ſepultum fuiſſe aſſerit *h* Hieronymus. Vitaque nos martyrum reliquias honorare. Origenes ait, *i* *Solas rationales animas honorare nouimus, & earum inſtrumenta ſolemni ſepultura honorare dignamur.—præſertim quod fuit anima bona, ac ſancta inſtrumento ſuo in certaminibus vſa receptaculum.*] Auguſtinus, *k* altare ſuper ſanctum corpus martyris poni ſolitum agnoſcit, & ſacerdotem ad huiuſmodi altare preces Deo, non martyri, fundere. Antiquus ritus eſt vt *l* Templorum dedicationes, abſque ſanctorum reliquiis in eo templo honorifice condendis, non fierent, & eas in vaſis aureis, & argenteis ac gemmatis ſeruari ſolitas, fatetur *m* Theodorus Abbas, ante mille annos. Dogma eccleſiaſticum illud ponit Gennadius, *n* Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra ſynceriſſime honoranda, & baſilicas eorum nominibus appellatas velut loca ſancta diuino cultui mancipata, affectu piiſſimo & deuotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus creditur.] *o* *Ad ſepulcrum Petri*, inquit Auguſtinus, *ſubmiſſo diademate ſupplicant principes.* *p* *Seuerus Sulpitius ad ſepulcrum Cypriani adorat.*] Deum nimirum, ſed in memoriam, & honorem Cypriani. *Reliquias Pauli ſanctus Ioannes* *q* *Chryſoſtomus ſummopere cupit videre, & deuote complecti.*] Miracula vero quibus hi ritus honorandi Sanctorum reliquias ſunt à Deo approbati, innumera ſunt, & a claſſicis, ſummæque autoritatis viris conſcripta: [illegible] quibus etſi omnibus quis refragari, & fidem [illegible] derogare incredulus nitatur, certe Auguſtino [illegible] poterit refragari, qui ſe oculatum inſignium [illegible] circa ſanctorum reliquias teſtem exhibet. Vide lector, rogo *r* miraculum quod ipſe diligenter deſcribit fratris, & ſororis Cappadocum, ob matris derelictæ maledictionem, perpetuo trementium, & ad reliquias ſancti Stephani protomartyris, ſub ipſius oculis ad ſanitatem reductorum. Illud ego miraculum ſine lacrymis vix poſſum legere.

b 4. Reg. 2.
c 4. Reg. 13.
d Act. 5. 15.
e Act. 19. 12.
f Heb. 9. 4.
g 1. Reg. 21. 9.
h Hieron. adu. Vigilant.
i Orig. l. 8. cont. Celſ.
k Aug. de Ciuit. Dei l. 8. c. 27.
l Paulin. ep. 11. & 12. & Gauden. Brix. ſer. 17 & 7. Syn. gen. Can 7
m Theodo. ſer. de Sanctor. [illegible] quus to. [illegible] Bi[illegible] SS PP.
n Aug. de eccl. dog. c. 73.
o Aug. ep. 42.
p Sulpic. dialog. 3. c. 1.
q Chryſo. ep. ad Rom. hom. 32.
r Aug. de Ciuit. Dei l. 22. c. 8.

XXXI. Hæc omnia profecto me conuincunt, ritum aliquem erga ſanctas reliquias, quo illę non diuino, & proprie religioſo, ſed humano, pio tamen honore venerationem à nobis accipiant, poſſe abſque piaculo retineri: ſed cautelam non nego eſſe neceſſariam, ne noſtra veneratio in cultum religioſum, hoc eſt diuinum (quod in plebecula facile eſt) tranſeat. Negat Athanaſius *ſ* Chriſtum hominem adorandum eſſe ideo vt Deum, quia Deus in illo inhabitaret; *Sic enim*, inquit, *quicunque homo ſanctus poſſet vt Deus adorari: ſed ideo adorandum dici quia erat perſona diuina*: multo minus ergo adoranda ſunt corpora ſanctorum, etiam ſi in illis Spiritus ſanctus habuerit ſibi gratam habitationem. Et Chryſoſtomus *t* nouam idololatriæ ſpeciem vocat, & irridet eorum Ethnicorum, qui animam humanam portionem eſſe diuinæ ſubſtantiæ aſſerebant; & animatum tranſmigrationem ponebant, ac proinde cepem eſſe adorandam ſequebatur, vbi anima aliqua humana in cepem fuerit tranſlata; & illi dicebant, Non cepe in Deo eſt, ſed Deus in cepe. Sed hoc non tollebat, quin illa eſſet idololatria. Sic enim omnes idololatræ, ſe poſſent ab idololatriæ crimine liberare, ſi dicerent: Non adoramus ſtatuam, ſed adoramus Deum verum qui eſt in ſtatua, & vbique. Ac propterea idololatria vera eſt adorare ſanctum, vel eius reliquias, vel imaginem, etiam ſi detur excuſatio nos Deum in ſancto illo, vel in illis reliquiis, vel in illa imagine adorare. Adoratio ergo religioſa vel bona erit, & diuina, vel mala, & idololatrica, prout id quod adoratur, *vt quod* non, *vt quo*, erit vel Deus, vel creatura. Ideoque reliquias Sanctorum non debere cultu religioſo, qui eſt vera adoratio, coli ſenſerunt ſemper ſancti, & monuerunt. *u* Cæcilianus Carthaginenſis adhuc Archidiaconus, vehementer obiurgauit, & abiecit fœminam quandam Lucillam, quod os martyris (ſi tamen martyris) ante ſumptionem cibi & potus ſacramentalis libare vellet, ac præponere calici ſalutari os mortui hominis. Hæc enim erat veneratio religioſa: qua plus deferebatur

ſ Atha. de incarn. verb. adu. Samoſat.
t Chryſ. in Act. hom. 2.
u Optat. l. 1. cont. Parmen.

rebatur oſſi martyris, quam ipſi ſacroſancto eucharistiæ ſacramento, in cuius tamen digna ſumptione ipſum Chriſti corpus reale ſumitur, & Chriſti ſanguis realis bibitur. Et Auguſt. cum ſtomacho, & rē abominans, ait de Chriſtianis ſui temporis, *a Noui multos eſſe ſepulchrorum, & picturarum adoratores.*] Et hic eſt apud illum vnus error; alter vero, & diuerſus ab hoc eſt error, quē ibid. ſtatim comemorat, corū qui ſuper mortuos edant, & bibant; in quo altero errore nullam ponit adorationē, ſed abuſum voracitatis, & ebrietatis, in ritu tamē religioſo: quæ voracitas, & ebrietas non poteſt ad picturas trahi, & tamen ſepulchrorum, & picturarū poſuit adoratores. Non ergo bene Auguſt. interpretatur *b* Bellar.

a Aug. de morib. eccleſ l. 1. c. 34.

b Bellar. de reliquiis ſanct. l. 2. c. 4.

XXXII. Negare itaque non poſſumus in hoc ritu, circa reliquias ſanctorum, non leue periculum eſſe ne ſimplicior populus in errorem idololatricum, aut ſuperſtitioſum inducatur, vtcunque ſapientiores, & theologica ſcientia inſtructi poſſint ab hoc periculo eſſe remoti, qui nimirum ſuos proprios actus ſciant probe diſtinguere, vt alius ſit actus reliquias honorandi, alius eaſdem proprie adorandi. *c* Serpentem illū æneum, quem Moyſes in deſerto iuſſu Dei erigendum curauit, diu in Iudaica eccleſia ſeruatum fuiſſe nouimus; ſed vbi populus nimium ſuperſtitioſus cœpit honorē humanum in veram latriam erga ipſum ſerpentem vertere, *d* Ezechias rex illum comminui iuſſit, eadem profecto ex cauſa opus pietatis eſſet ſi alicubi & reliquiæ ſanctorum occultiſſimis locis abderentur, & imagines delerentur ac ſtatuæ non in ſanctorum, ſed in idololatriæ odiū tollerentur, de quibus iam iam diſputabo. Ritus igitur circa reliquiarum venerationē eſt de ſe indifferens nam & veneratio hæc bona eſſe poteſt, ſi humana ſit, nō religioſa, & mala ſi ſit idololatrica, vel ſuperſtitioſa. Igitur ſchiſmati iuſtam cauſam præbere non poteſt, modo abſit idololatria, & ſuperſtitio. Laudo ego plurimum explicationē quam dedit Ioan. xv. Rom. Epiſcopus: *e Sic adoramus, inquit, & colimus reliquias martyrum, & confeſſorum, vt eum, cuius martyres, & confeſſores ſunt, adoremus: honoramus ſeruos vt honor redundet in Dominum, qui dixit, qui vos recipit, me recipit.*] Sed alio modo me recipere quiſque fidelis debet, alio vos. Me vt Deum, & Dominum, vos vt ſeruos, & amicos.

c Num. 21. 9.

d 4. Reg 18 4.

e Apud Baron. to. 10. an. 993 n. 2.

XXXIII. Sequitur alius ritus, & is maxime iandiu cōtrouerſus circa ſacras imagines: Duo vero circa eas quæri poſſunt, alterum an ſit licitū Chriſtianis habere Dei, Chriſti, & ſanctorum imagines, iiſque & domos proprias, & templa ipſa ſacra exornare. Alterū an talibus imaginibus debeatur cultus aliquis religioſus ipſarū proprius. De vtroq; quęſito, agam compendio. Ritus ſane Chriſtianorū conſeruandi rerum ſacrarum in ordine ad ſpiritualia memoriam per imagines ſculptas aut pictas, hiſque non ſolum domos priuatas, ſed etiā templi ipſa ſacra exornādi, iamdiu inoleuit, & ſuos tamen ſubinde habuit repræhenſores. Inprimis Iudæi acriter in nos inſurgunt, quod, qui profiteamur diuinæ veteris etiam ſcripturæ cognitionem, & Decalogi obſeruantiā, imaginibus tamen innumeris, cōtra ſecundum, vt ipſi putant, Decalogi præceptum, ſcateamus. Iudaicis ſcrupulis etiā Chriſtiani interdū, ſiue Principes, ſiue doctores exagitati, exterminationē imaginum cupiuerunt, & cupiunt non pauci, neque ab executione abſtinuerunt, aut abſtinent adhuc nōnulli, & hoc præſertim nomine, quod diuinū præceptum imaginum, & confectionem, & vſum putent abſolute & in perpetuum, ac cuicunq; fideli prohibere. Decalogi enim præcepta iuris naturalis diuini explicationem eſſe (ſi vnicum de Sabbati feſtiuitate excipias) eſt communis opinio.

XXXIV. Decem eſſe præcepta, non plura, non pauciora, quæ Deus duabus tabulis comprehendit, *f* ſcriptaque digito ſuo exarauit, Moyſique tradidit, & per ipſum Iudæis, & ex ea parte, qua moralia ſunt, etiā fidelibus omnibus, nullum eſt dubium. Ipſa enim ſcriptura decem eſſe illa præcepta, expreſſe aſſerit Exodi 34. 28. Deut. 4. 13. & 10. 4. Sed in his numerandis non facile cōcordant omnes. Sunt enim qui præceptū de non concupiſcendo in duo diuidant; ac proinde ad vnicum præceptum reducunt vnitatem veri Dei tenendam, & idolorum confectionē, atq; cultum abiiciendā. Ita noſtri, (Pontificiorū) Catechiſmi habent; ita numerant paſſim noſtri, & tria duntaxat præcepta ponunt in prima tabula cū *g* Auguſtino: quoniam tamen præceptum de non concupiſcendo totum in ſcriptura vnum eſt, & cōtinuatū, vt nihil quod ſit proximi concupiſcamus, non domum, non vxorem, non ſeruum, non ancillam, &c. Cur enim cōcupiſcentia vxoris alienæ erit vnicum per ſe præceptum diſtinctum, & concupiſcentia domus, quæ prius non concupiſcenda edicitur quam vxor, non erit aliud ſimiliter diſtinctū, & ſic de ſeruo, ancilla boue, &c? Paulus ſane præceptum legis concupiſcentiam quamcunq; cohibens tanquam vnicum commemorauit dicens; *h Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.* Manent igitur in ſecunda tabula ſex præcepta. *Honora patrem, &c. Non occides: Non mœchaberis: Non furaberis: Non falſum teſtificaberis: Non concupiſces.* Ergo in prima tabula erunt quatuor. 1. *Dominū ſolum pro Deo habere, excluſis omnib. Diis alienis.* 2. *Idola non eſſe fabricanda, neque colenda.* 3. *Nomen Dei in vanum non eſſe per iuramenta aſſumendum.* 4. *Sabbathum eſſe ſanctificandum.*

f Exod. 31. 18.

g Aug. ep. 119 c. 11. & 12.

h Rom. 7. 7.

XXXV. Omnia porro hæc præcepta eſſe iuris diuini naturalis explicationes, non facile ipſe conceſſerim, non modo quia quartum præceptum, vt paſſim conceditur à noſtris, poſitiuum eſt, ſed etiam quia quædam alia etiam ex his mihi diuina præcepta poſitiua eſſe videntur. A pluralitate enim vxorum natura etiam humana non abhorret, imo fortaſſe neq; ab earum communitate. Cum autē præcepto non mœchandi prohibeatur communitas vxorum, & inducatur proprietas, hoc nomine poſitiuum eſſet, non naturale; Quemadmodum etiā ſi pluralitas vxorum, quam naturæ ius profecto nō negat, eſſet licita, præceptum de non mœchando ad omnes illas quas plurimas quis aleret, vt Salomon, non videretur iure naturæ extendi: Quia tamen præcepto diuino poſitiuo monogamia, & indiſſolubilitas matrimonii pręcipitur, vt mihi probabilius viſum eſt meo li. 5. c. 11. n. 2. iccirco præceptum de non mœchando, cum innitatur pręcepto illi poſitiuo diuino de monogamia & inſolubilitate matrimonij, & ipſum, ſaltem magna ex parte, erit poſitiuum, ſed diuinum ac perpetuum. Præceptum etiam de non concupiſcendo, oſtendi, ſup. cap. 11. huius n. 236. poſitiuum multo magis videri quam naturale.

XXXVI. Secundum itaq; præceptum primæ tabulæ, quo & confectio idolorum, ac imaginum, & earum adoratio, & cultus ſimul & in ſolidum prohibentur; ex ea parte qua diuinus honor integer per hoc pręceptum ſeruatur, ipſum erit profecto iuris diuini naturalis; ſi tamen confectio ſtatuarum, imaginum, & ſimilitudinum ſecum non ferat vllum diuino honori præiudicium, illa ad ius diuinum naturale non ſpectabit, neq; iure diuino naturali prohibita eſſe cenſebitur. Confectionē vero ipſam ſta-

tuarum, & imaginũ de ſe malam non eſſe patet omnibus. Quoniã tamen Iudæi erãt ad idololatrandum propenſiſſimi, puto equidẽ præceptum illud ſecundũ partim poſitiuum, partim naturale fuiſſe; naturale quidẽ, ne vlli creaturæ diuinus cultus exhiberetur; poſitiuũ vero ſed diuinũ, ne quis abſolute ſtatuas, & imagines conficeret, cõficiendaſue curaret, vt ſic periculum idololatriæ amoueretur. Quod præceptum ex hac parte, qua poſitiuum eſt, perpetuũ ſane non fuit, ſed illi circumſtantię annexum, quandiu periculũ proximum adeſſet idololatrandi. Ideoq; Salomon diuina ſapientia inſtructus templũ ſuum ornauit non modo illis imaginib. & artis operib. quæ Deus ipſe fieri iuſſerat, arca, propitiatorio, Cherubinis, &c. Sed etiam ex ſe addidit tot effigies & ſculpturas arborũ, & animaliũ: erant boues ænei ſub vaſe amplo Maris: erãt palmæ, malogranata, &c. Quia hæc in templo non proponebantur ad cultũ & adorationẽ, ſed ad ornatum, & fortaſſe ad myſteriũ, & ſignificationẽ. Secluſo itaq; periculo idololatriæ, non puto ſecundũ præceptũ inhibere ſtatuarũ, & imaginum confectionem, & vſum; quia in hac parte nõ niſi poſitiuum eſſe cenſeo, & nequaquã perpetuum, ſed tẽporale, & cõditionatum: vbi videlicet adſit etiã id quod iuris diuini naturalis eſt vt diuinus honor creaturæ nõ tribuatur; nam & propterea vnicum in ſolidũ eſt illud ſecundũ pręceptum, de non faciendis, nec adorandis ſtatuis, & imaginib. Quod ſane præceptũ doleo ex decalogo fuiſſe in noſtris puerorũ catechiſmis abiectũ, & ad ſupplendum numerũ denariũ diuiſum fuiſſe præceptũ de nõ concupiſcendo: Ex ſolo enim primo præcepto, niſi ei addatur ſecundũ idololatria ſufficienter nõ tollitur. Poteſt.n. quis idolum adorare diuina latria, & aſſerere, ſe Deum verum, vnicum, & ſolum, in illo idolo, ſeu in illa creatura, aut factura adorare, quę tamen adhuc eſt formata idololatria, ſaltem in actu exteriori, omnino illicita, & prohibenda, ac impedienda: cuiuſmodi idololatriam in plebe noſtra, ex inculcata ſacrarum imaginum adoratione, iam paſſim inoleuiſſe & doleo, & deploro; de quo plura inferius.

XXXVII. In Chriſtiana itaq; eccleſia *vſum Imaginum S.* ſi examinare volumus *an ſit licitus*, non eſt cur ad diuinum pręceptũ illud recurramus; Id.n. quatenus diuinũ naturale ius cõtinet, vſum ſolum nõ reſpicit, ſed cultũ & adorationẽ, de qua erit altera quæſtio. Ad primam vero quæſtionem de ſimplici vſu, quia præceptũ ex ea parte poſitiuũ eſt, & cõditionatum, nec perpetuum, ideo regula eſſe nõ poteſt. Sola regula tuta, certa, & infallibilis, eſt praxis, vt vſus primitiuæ eccleſiæ puræ, & incorruptæ vt ritus illi omnes liciti ſint, & boni, quos vel Apoſtoli ipſi, vel Apoſtolici viri inſtituerũt, & approbarunt. Eccleſiam porro Chriſtianam antiquiſſimam, totam & vniuerſalem, & ſumo conſenſu, abſq; vlla oppoſitione aut contradictione, ſtatuis, & imaginib. ſacris vſam eſſe, eſt certiſſimũ & probatiſſimũ. Teſtimonia vberrima, & ſolidiſſima plurima collegit Ioan. Damaſc. tribus orationibus, quas pro imaginibus contra Leonem Iſauricum Iconom. ſcripſit. Collegerunt etiã Patres qui alteram Nicænã Synodum, vocatam ſeptimam generalẽ celebrarunt; & poſt hos alii recentiores. Velle ergo contendere imaginum S. vſum de ſe malum eſſe, & illicitũ, &, ſecluſis etiam malis circumſtantiis, ab eccleſia Chriſtiana exterminandum, inſolentiſſimæ, ſecundũ Aug., eſt inſaniæ; quia vniuerſalis eccleſia illis perpetuo vſa eſt tum in priuatis domibus, tum etiam, & maxime in ſacris templis. Probationes huius facti, & praxes qui vult copioſas, ſeligat illas ex Damaſceno, & ſeptima Synodo; non enim omnes ſunt ſolidæ aut authenticæ; permiſcuerunt illi & leuiores aliquas, & apocryphas, aut non admodum firmæ fidei nonnullas.

Quod igitur ſpectat ad noſtram primam quæſtionem, mihi certum & indubitatum eſt, ſeptimã Synodum generalẽ, ex ea parte qua vſum imaginũ ſacrarum tanquã licitum, & legitimũ ſtabiliuit, authenticam eſſe, ſolidam, & legitimam, definitionemq; ipſius in hac parte eſſe ſufficientiſſimam, & à tota eccleſia approbatam, in ea enim definitione (quæ tamen practica eſt, & circa ritum externum, non dogmatica) veram regulã legitimorũ cõciliorum ſecuta eſt illa Synodus. Nã per illa a tria, vbique, ab omnibus, & ſemper eruit ex ipſa vera & indubitata ac legitima traditione veritatẽ, nimirum vſum imaginũ etiam in S. templis, eſſe perpetuum in tota Eccleſia, & vniuerſalẽ; & in hac parte Synodus illa nullam nunquam habuit, niſi à ſolis merito damnatis Iconoclaſtis, contradictionẽ: & hoc inferius confirmabo. Hic igitur ritus Chriſtianus ſacris imaginibus templa inſtruendi, & exornandi, in memoriam duntaxat diuinorũ operum Chriſti, Angelorum, & Sanctorũ, vt imagines decenter factæ ſint quaſi libri Simplicium in quib ipſi legant id quod ſacri libri, & hiſtoriæ piæ continent, antiquus eſt, bonus & legitimus, ac vbi periculum idololatriæ, vel ſuperſtitionis, vel alterius mali abſit, merito & irreprehenſibiliter in Chriſtianitate retinendus: In quo non puto reformatas eccleſias refragaturas, nam & audio multas illarum non modo in priuatorum domibus, ſed etiam in ſacris ipſis templis, præſertim in feneſtris vitreis, & multas imagines veteres reſeruaſſe, & nouas ſubinde addere, ac vſum ſimplicem, ſed ſine adoratione & cultu retinere. Nõ igitur propter ſolum vſum imaginum (vt ſpero) ſchiſma facient, aut in ſchiſmate perſeuerabunt.

XXX

a Hoc l. 7. c. 10. 49.

XXXI Sed neq; ipſæ reformatæ eccleſiæ debent à Põtificiis abiici hoc nomine, ſi quæ aut omnes, aut maximam partem imaginum è ſacris templis ſuſtulerint, neq; eas velint reponere, vbi illæ noxias in plebe ſuperſtitiones, & idololatrię aut culpam, aut periculum ingens aduerterunt. Hinc enim olim etiam factũ eſt, vt aliquæ eccleſiæ particulares vſum imaginum penitus è templis auferendum eſſe cenſuerint, & ſtatuerint. In Cõcilio ſane Elibertino antiquiſſimo, quod forte ipſum primum Nicęnũ pręceſſit, huiuſmodi decretum editum fuit. b *Placuit picturas in eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.*] Turbat hoc decretũ noſtros, & varii varia quærũt ab eo ſubterfugia, vt videre eſt apud c Bellar. Reſponſio tamẽ quam dicit Bellar. eſſe Alanicopi optima eſt: tunc videlicet in ea prouincia iam cæptas fuiſſe imagines vera latria adorari, ideo Patres illos expediẽs eſſe cenſuiſſe, ſi penitus tollerẽtur: ſicut de d ſerpente æneo ſcimus feciſſe Ezechiam. Sed hæc reſponſio non videtur Bellar. ſatisfacere: *Nam debuiſſet*, inquit, *potius dici, Ne id quod pingitur adoretur*: quã *Ne id quod adoratur pingatur.*] Quare potius in hoc decreto erraſſe Conciliũ illud putat, quod nõ plurimi facit, cũ ſit prouinciale, & minime cõfirmatum; & *in aliis*, inquit, *decretis videtur erraſſe, præſertim cum in plurimis caſibus ne in articulo quidem mortis velit abſolui pænitentem.*] Et hoc conatur oſtendere, & probare. Sed Pater Bellarminus putabat abſolutionem Eccleſiaſticam eſſe omni pœnitenti neceſſariã, neq; eam potuiſſe ſine piaculo negari, atqui in hoc ipſe errabat.

b Concil. Eliberin. c. 36.

c Bellar. de Imaginib. ſanct. l. 2. c. 9

d 4. Reg. 18 4.

Pænit-

Pænitentia enim ſola interna ſemper fuit,& eſt ſufficiens vero pænitenti ad obtinendam à Deo abſolutionem, vt probaui li.5.c.7.n.11.& ſeqq. At vero Eccleſia in danda peccatorib. publicis ſua externa pænitentia caute admodum,& nõ ſine rigore procedebat, neque adeo facile graues peccatores, & ſcandaloſos ad pænitentiam, præſertim quandiu publica fuit, admittebat. Qui enim admittebantur ad pænitentiã certi erant & ſecuri, ſe reconciliationẽ, h.e. eccleſiaſticam abſolutionem tandem obtenturos: ex quo & ipſi propria fouebant peccata, & pij fideles ſcandalo vrebantur, quod grauia peccata veniam faciliorem impetrarent, & ſic aliis erat hoc peccandi incentiuum. Ad deterrendos igitur fideles à grauibus, & ſcandaloſis peccatis, non raro eccleſiaſtici proceres negabant eccleſiaſticam pænitentiam externam talibus peccatoribus, etiam in ipſo mortis articulo, relinquentes peccatori tale remedium internæ pœnitentiæ. Sic non modo Elibertinum Concilium negat pænitentiam & abſolutionem etiam in fine vitæ aliquibus criminibus; Sed etiam Matiſconenſe, & Innocentius primus, vt docui, & explicaui lib.2.cap.11.n.37 38. Sed vbi noſtris non ſuppetit ſolutio argumentorum ipſis contrariorum, ex Conciliaribus decretis petitorum, tunc Concilia erraſſe procliue eſt ipſis aſſerere.

XL. Non errauit igitur Concilium Elibertinum, ſed quod fecit, ex legitima cauſa, vt dixi, fecit. Verba autem illius decreti nihil habeat obſcuritatis. Mos enim erat vt templorum parietes variis exornarentur picturis: neque omnes picturæ erant ſacratæ hiſtoriarum Chriſti, & ſanctorum imagines, ſed aliæ etiam ad merum ornamentum. Statuit ergo Conciliũ vt nihil amplius in templis pingatur, ne, ſtante licentia pingendi, inter picturas etiam Dei, vel Chriſti imagines collocarentur in parietibus, & ita eſſet occaſio aliquibus illas imagines eadem latria adorandi, quã prototypa ſunt adoranda: qui ſenſus eſt optimus, & modus loquendi aptiſſimus. Sentiebant ergo illi Patres periculum eſſe, ſi id quod vere adorandum eſt, Deus nimirum, & Chriſtus in templis depingatur: ne adoratio debita prototypo in illius imaginem transferatur, ac propterea prohibent omnem picturam, ne ſi liceat pingere templi parietes, in picturas irrepant etiam adorandorum imagines, quæ prototypi adoratione poſtea ab aliquo adorentur, quod iam fieri cæptum experientia didicerant. Hoc decretum ſupponit etiam non fuiſſe periculum in aliis quibuſcunque picturis, & imaginibus, niſi in ijs quæ Deũ quoquo modo & Chriſtum repræſentaret. Imagines enim rerum nõ adorandarum non poterant adorationem vllam extorquere; quia tunc nullus ſanctorum cultus religioſus erat in vſu.

XLI. Propter eandem cauſam, quia Epiphanius cernebat plebem iam paſſim circa imagines idololatrare, vſum imaginum, etiam in aliena diæceſi, & prouincia, conatus eſt abolere. Sic enim ſcribit ad Ioan. Hieroſolymitanum. *a Propterea audiui quoſdam murmurare contra me; quia, quando ſimul pergebamus ad ſanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more eccleſiaſtico facerem, & veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſemq; ibi præteriens lucernã ardentẽ, & interrogaſſem, quis locus eſſet, didiciſſemq; eſſe eccleſiã, & intraſſem vt orarem; inueni ibi velum pendens in foribus eiuſdẽ eccleſiæ tinctũ, atq; depictum, & habẽs imaginẽ quaſi Chriſti, vel ſancti cuiuſdam, non enim ſatis memini cuius imago fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in eccleſia Chriſti contra autoritatem ſcripturarum hominis pendere imaginem, ſcidi illud- velis deinceps præcipere in eccleſia Chriſti huiuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, non appendi: decet enim honeſtatem tuam hanc magis habere ſollicitudinem, vt ſcrupuloſitatem tollat, quæ indigna eſt eccleſia Chriſti, & populis qui tibi crediti ſunt.*] Epiphanij epiſtolæ ab aliquo impoſtore verba hæc fuiſſe adiecta ſuſpicatur b Damaſcenus, & cum ipſo c Bellarminus. Cum tamen Hieron. qui cum Epiphanio vixit, eiuſq; habuit familiaritatem, epiſtolam illam totam latinam fecerit, & in omnibus Hieronymi operum editionibus latina Hier. verſio illã quoq; epiſtolæ partem cõtineat, neſcio quomodo impoſturæ vlla vel minima poſſit adeſſe ſuſpicio: neq; nouẽ, quas profert Bellar. cõiecturę vllius ſunt põderis præ Hier. autoritate, aut momẽti. Prima. Poſt finem epiſtol. *inquit*, adiecta ſunt.] At vero epiſtolæ familiares vix ſolent tractatus continuatos continere; & ſæpe ad finem ſcriptionis occurrunt aliqua priuata negotia adhuc adijcienda. 2. Iconomachi non obiecerunt hoc Epiphanij factũ, patet, *inquit*, in 7. Synodo act.6.] Argumẽtum eſt ab autoritate negatiua. Si patres 7. Synodi non retulerunt obiectionem ex Epiphanio, neq; ad eam reſponderunt certum tamen eſt Inconomachos Epiphanij autoritate vſos fuiſſe: Nam Damaſcen. obiectionem ex Epiphanio profert bis, in prima, nimirum; & in ſecunda oratione de imaginibus, & eam ſoluere cõnatur 3. Alia ſimilia loca ſcriptis Epipha. ab hæreticis inſerta conuicit Epiphanius alter Diaconus, & cubicularius, vt lectum eſt in ſeptima Syno. act.6.] d Epiphanius ille nõ conuicit adiectum quicquam ab hæreticis fuiſſe ſcriptis Epiphanii: ſed libellos quoſdam Apocryphos, imaginũ vſum oppugnantes, ſub falſo Epiphanij nomine fuiſſe ſparſos; quibus Iconomachus Gregor. Neocæſarienſis, in ſua Iconomachorũ Synodo Conſtantinopolitana, & ipſa vocat ſeptima generali, vſus fuerat. Quod ſi Gregor. ille ſub Conſtantino Copronymo non habuit, neq; vidit epiſt. illã Epiph. vetã, non propterea illa neganda eſt, quã tamen alij Iconomachi ſub Leone Iſaurico viderant. & protulerant, vt conſtat ex Damaſ. 4. e Diſcipuli Epiph. in illius eccleſia imagines poſuerunt. Non ergo contrarium Epiphan. docuerat.] Epiphanii ſingularis fuit opinio ex præcepto diuino imagines ſacras non eſſe faciendas, ne religioſo cultui exponi viderentur; ſiquidem plebis errorem cernebat. Alii tamen Epiſcopi catholici, & per totam eccleſiam catholicam vſum imaginum admittebant, & ſolam eorum adorationem impediebant. Ita diſcipuli Epiphanij, poſthabita illa ſingulari nimiumq; rigida Magiſtri opinione, cum reliqua eccleſia catholica vſum imaginum retinere, aut reſtituere voluerũt, abuſum reſpuerũt. Sic enim etiam f Damaſ. vnius Ephanii ſingularem opinionem poſtponẽdam eſſe monuit vſui & praxi totius Eccleſiæ catholicæ. 5. Tempore Epiphanij alij eximij Patres, & epiſcopi vſum imaginum retinebant.] Illi enim non fuerant experti abuſum & fateor Epiphanij illam fuiſſe ſingularem, & rigidam fortaſſe nimium opinionem 6. Indigna eſt Epiphanio ſententia imagines in templis eſſe contra ſcripturam.] Sed ſecundum illud præceptũ Decalogi habet verba huic ſẽtẽtiæ ſatis fauentia, vt ſup. vidimus. 7. g Greg. nullum Epiſcopum ante Serenũ Maſſilienſem fregiſſe imagines aſſeruit.] Argumẽtum ab autoritate negatiua. Non omnia vidimus, aut legimus omnes. 8. Hieron. in ſua Epiſt. ad Pammachium de erroribus Ioan. Hieroſolymitani, refert totam fere hanc Epiph. epiſt. & tamen nihil dẽ imagine illa.] Refert doctrinalia: cur referret fami-

a Epipha. ep ad Io. Hieroſol. apud Hieron. ep. 60.

b Damaſc. de imagin. orat. 1. & 2.

c Bellar. de imaginib. l. 2. c. 9.

d Sept. Syn. gen. act. 6. to. 5.

e Ibid.

f Damaſc. orat. 1.

g Greg. l. 9. ep. 9.

liaris epiſtolæ familiaria? An non ſatis Hierony. de imagine illa teſtificatus eſt, quando illam quoque epiſtolæ partem ipſe latine reddidit? Nec ſtylus cõuenit.] Iudicare ſtylũ ex pauculis lineis, eſt admodum difficile, neque in epiſtolis familiaribus ſtyli vniformitas ſeruatur. Eliberinis Patribus & Epiphanio addamus noſtri Gratiani obſeruationẽ vbi ait: *a Scriptura diuina dicit, quod Ezechias diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, & fregit ſerpentem æneum, quem fecit Moyſes: videlicet quia illum ſerpentẽ Deus fieri iuſſerat, a ne ſerpentina morte populus interiret: ideo ipſe populus colere & venerari eum cœperat, & idcirco deſtruxit iſte, quem iubente Deo fecerat ille. Ac per hoc magna autoritas iſta eſt habenda in eccleſia, vt, ſi nonnulli ex prædeceſſoribus, & maioribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem & ſuperſtitionem; ſine tarditate aliqua, & cum magna autoritate à poſteris deſtruantur.*] Hoc igitur qui bona fide fecerunt, non ſunt reprehendendi. De priori quæſtione iam ſatis.

a Diſt. 63. an. c. 29. §. verum.

XLII. Grauior eſt altera quæſtio *de adoratione & cultu imaginum*. Illud vero in primis planum, & indubitatum eſt nullum vnquam Chriſtianum doctorem adeò deliraſſe, vt ſtatuis & imaginibus vllis etiam Dei & Chriſti, adorationem illam ſummam, quæ iam vt *b* Auguſtinus explicat latria dicitur, proprie, & per ſe deberi aut dixerit, aut putauerit. Creaturam enim aut facturã per ſe, & ſui gratia per veram latriã adorare. eſt aperta, & manifeſta idololatria: Iren. l. 1. c. 24. Epiph. hær. 27. Aug. hær. 7. Damaſ. li. de hæreſibus, in fine; &c. Qui ergo ex catholicis ſacras imagines per ſe adorandas, & colendas eſſe cenſuerunt, & dixerunt, illi adorationem, & cultũ alium intellexerunt, longe *c* minorem quàm ſit latria. Quamuis non defuerint qui *d* putarint, & aſſeruerint eundem honorẽ deberi imagini, & exemplari. Sed hi antiquos ſecuti ſunt Patres, & Baſilij præſertim regulam in hoc genere celebrem: quæ eſt, *e Imaginis honorẽ ad ſuum exemplar tranſire*: Quod etiam Athanaſius aſſeruit: *f Qui Regis imaginem*, inquit, *adorat, in Regem adorat, nam illius ſpeciem, & formam imago continet.*] Sic vero nullus honor, nullus cultus, nulla adoratio imagini relinquitur, neque proprie, neq; improprie, neq; per ſe, neq; per accidens; nam hoc pacto imago ipſa nõ eſt id quod colitur, & adoratur, neq; in ipſam terminat cultus, & adoratio, ſed illa duntaxat eſt id quo exemplar colitur, honoratur, adoratur; ipſa videlicet imago eſt medium duntaxat, ſeu inſtrumentũ quo exemplar occurrit ſuo honoratori, cultori, adoratori; Imago excitat tantummodo memoriã, vt in exemplar feratur. Ita profecto, dato fidelibus ſigno per campanã, vt proſternant ſe, & orent, ad Deumq; preces fundant, dum illi durante campanæ ſonitu orant, certe cãpanam non adorant, neq; ſono illi cultum vllum exhibent, qui ſonus eos tãtum ad orandum excitat, quo nomine ei nullus honor, nullus cultus vllo modo debetur, ſic neque imaginibus.

b Aug. de Ciu. Dei l. 10. c. 1.
c Bellar. de imagi. l. 2. c. 25.
d Ib. c. 20.
e Baſil. de ſpirit. S. ad Amphiloch. c. 18
f Athan. cont. Aria. ſerm. 4. & cont. Sabellii gregales.

XLIII. Vſum ſane imaginum, ex ipſa antiquiſſima praxi eccleſiæ, & traditione Apoſtolica Patres communiſſimo conſenſu duplicem agnouerunt, ad honeſtum videlicet ornatum templorum, & domorum, & ad memoriam exemplarium excitandam, vt paſſim autoritates à Damaſceno & à Patribus 7. Synodi prolatæ manifeſte probant, ad quam memoriã ſequeretur debita etiã adoratio exemplaris per latriam, ſi exemplar ſit latria adorandũ, ſeu alius honor humanus ſi exemplar ſuo honore ſit dignum. Adoratio vero, ſeu veneratio, ſeu quicunq; cultus etiã leuiſſimus, ſed religioſus vllis imaginibus per ſe, & propriè debitus, in ſententia, & dictis veterũ Patrum non inuenitur; imo ne per accidens quidẽ; aut improprie. Siquid enim propriæ excellentiæ habet imago picta, vel ſculpta, quæ ea in via ſpirituali & religioſa aliquis debeatur honor, id totum ei ratione ſigni competit; & ſane ſigni non à Deo, ſed ab ipſis hominibus ſibi inſtituti, & tamen de ſignis vtilibus etiam à Deo inſtitutis, & eccleſiæ traditis, ait Auguſtinus, illis propriam venerationem non deberi. *g Qui vero*, inquit, *aut operatur aut veneratur vtile ſignum diuinitus inſtitutum, cuius vim, ſignificationemq; intelligit, non hoc veneratur quod videtur, & tranſit. ſed illud potius quo talia cuncta referenda ſunt. — litteram enim ſequi & ſigna pro rebus quæ iis ſignificantur, accipere, ſeruilis infirmitatis eſt.*] Quanto minus ſigna non à Deo, ſed ab hominibus, etiam ſi pie, & religioſe inſtituta propriam debent habere venerationem. Et tamen contra hanc ſolidiſſimam Auguſtini doctrinam, nos non modo ſigna à Deo inſtituta, puta panem & vinum: ſeu vt noſtri commenti ſunt, ipſa accidentia panis & vini, veneranda, imo proprie vera latria adoranda proponimus, ſed etiã ſigna ipſa humana, nempe imagines, volumus *h* propriam, & per ſe debere habere venerationẽ, quæ tamen latria non ſit, quod expreſſe negat Aug. & hoc ait eſſe ſeruilis infirmitatis. Seruitutẽ enim per infirmitatem, h. e. cum carentia ſolidæ veritatis imponi cenſet fidelibus, ſi huiuſmodi cultibus & ritibus oneretur. Nec valet confugium ad *i* adorationem per accidens; Nam ne per accidens quidem imago capax eſt adorationis, aut venerationis vllius. Adoratur inquiũt Rex per ſe, & purpura Regis qua indutus ſit, adoratur per accidẽs, ita inquiunt, exemplar eſt quaſi ſua imagine indutum. Ego vero non puto à quoquam Regis veſtimenta quibus eſt indutus, adorari. Omnis enim adoratio in ipſam perſonam Regis dirigitur: non enim adoratio pro obiecto habet ea quæ localiter circumſtant perſonam Regis, ſed ſolam ipſam perſonam; & intentio potiſſimum in adoratione eſt ſpectanda. Si enim Rex ſit in equo, certe non adoratur equus: & Papa ſi adoratus fuiſſet quando in ſede ſtercoraria ſolebat tantiſper reſidere, nunquid ſedes illa ſtercoraria adorata fuiſſet?

g Aug. de doctrina Chriſtiana l. 3. c. 9.
h Bellar. de imag. c. 21. & 25.
i Ibid. c. 2. & 25 & de Euchar. l. 4. c. 24.

XLIV. Hæc diſtinctio poſſet omnem veram excuſare idololatriã. Iam enim Chriſtianus vere fidelis poſſet adorare idolum gentilium, & dicere ſe idolum illud per accidens ſeu materialiter adorare, quia in omni creatura, & factura Deus ipſe præſens adeſt; & idolum illud eſt quaſi veſtimentum, ſub quo præſens adeſt Deus, quem per ſe & formaliter adorat, & fatetur k Bellarminus *eos, qui adorant Deum in imagine & creatura, magno ſe exponere periculo, & cogi vti ſubtiliſſimis diſtinctionibus, quas docti etiam vix intelligant, nedum populus imperitus.*] Cur igitur docet ipſe Bellarminus *l* Euchariſtiam eſſe adorandam, quæ tamen adorari non poteſt ſine his ſubtiliſſimis diſtinctionibus: nam docti etiam plurimi, nedum rudis plebs, adorant id quod vident, id eſt panem, ſeu, ſi vis ſpecies panis: quibus noſtri dicũt Chriſtum ipſum quaſi veſtibus tegi & abſcondi: neque tamen ſpecies illæ ad ſuppoſitum Chriſti ſpectant, neq; vnum faciunt cum illo, nõ ergo ex vnitate *m* ſuppoſiti poſſunt excuſari, neque materialiter adorari, quo ſe recipiunt ex noſtris multi, neque ſcientes, neque intelligentes quid dicant: Explicet qui poteſt quomodo ſpecies panis adorẽtur materialiter adoratione latriæ, Chriſti vero corpus ſub illis latens adoretur formaliter; quod ne Bellarminus quidem potuit explicare, ſed aufugit ac de-

k Ibid. c. 12
l Bellar. de Euchar. l. 4. c. 29.
m Ibid. c. 30

a Ibid. c. 19

ac declinauit illis verbis, *a quicquid ſit de modo loquendi*, Veritas quidem eſt, in ſumptione Euchariſtiæ adorandum eſſe Chriſtum vera latria, ſiquidem corpus eius viuum & glorioſum, miraculo quodam inexplicabili, digne ſumenti præſens adeſt, & hæc adoratio non pani, non vino, non ſumptioni, non comeſtioni, non ſignis, ſed ipſi Chriſti corpori immediate, per ſumptionem Euchariſtiæ exhibito in ſpiritu debetur & perficitur.

XLV. Adorationem porro, ſeu cultum quemcunque religioſum, etiã minimũ, & leuiſſimum, ſacris deberi imaginibus, neq; Patres docuerunt, neq; vſus vel traditio vera confirmat. Patres potius aut virtualiter aut etiam expreſſe adorationem imaginũ, & cultum negant, qui tamen vſum amplectuntur. Gregorius Nazianzenus ſoli Deo adorationem, & cultum deberi profitetur: Spiritum enim ſanctum adorandum eſſe dicit: *b Si autem adorandus eſt*, inquit, *cur non & colendus erit? Si vero colendus, quid non & Deus?*] Quod ergo colendum eſt, id Deus eſt Nazianzeno; Nullum ergo a lium cultum, nempe religioſum agnoſcebat, niſi illum qui ſoli Deo debetur. Alioquin non ſe haberent apud ipſum conuertibiliter Deus, & id quod colitur. Neque hic mihi diſtinguat quiſpiã cultũ latriæ, ab aliis minoribus: ſi enim alios cultus religioſos Pater hic agnouiſſet latria inferiores, abſolute nõ dixiſſet id quod colẽdũ eſt eſſe Deum: non. n. aliũ eſſe religioſum cultũ ſciebat, niſi latriam. Sic Athana. quoq; Filii diuinitatem contra Arianos ex adoratione probat, quia Filius in ſcripturis adoratur; Athanaſii verba ſunt, *c Ideoq; inſeruiebant illi angeli, vt diuerſo alienoq; ab illorum natura, & adoratur ab illis, nõ vt gloria minor, ſed vt alius, diſcretus, ſeiunctuſque à conditione tum creaturarum reliquarum, tum etiam ipſorum angelorum, Patri tantummodo æqualis, ſecundum rationem ſubſtantiæ. Si enim ideo quia gloria ſublimior eſt, adoratur, par erat vt omnia inferiora ſuperioribus ſe in adorando inclinarent. Sed id ita non eſt: creatura ſiquidem creaturam non adorat, ſed quæ ſeruilis ſunt conditionis, homines & creaturæ ſunt, Deum adorationibus colunt. Petrus vero adorare volentem Cornelium inhibuit, dicens:* Quoniam & ego homo ſum. *Angelus quoque Ioannẽ in Apocalypſi ſe adorare volentem non admiſit, dicens:* Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum & fratrum tuorum Prophetarum, & ſeruantium verba codicis huius: Deum adora. *Quocirca ſolius numinis eſt adorari, neq; id ab Angelis ignoratur, qui quamquam cæteros gloria tranſcendunt, creaturas tamen ſe eſſe, neque in claſſibus adorandorum, ſed adorantium agnoſcunt ſe computari debere. Patrem certe Samſonis Manue volentem ſacrificium offerre Angelo, Angelus prohibuit his verbis:* Non mihi ſed Deo offerto: *Dominus contra etiam ab Angelis adoratur. Scriptum eſt enim:* Et adorent eum omnes Angeli Dei, *idemq; illi fit ab omnibus gentibus, vt ab Eſaia dictum eſt:* Defecit Ægyptus & mercatus Æthiopum, & Sabæi viri excelſi ad te trãſmeabunt, tibiq; erunt ſerui; *deinde cõtinuo* & adorabunt, & tibi ſupplicabunt, & non eſt Deus præter te; *& diſcipulos ſe adorare permittit, & plene illos inſtruit, dum indicat quiſnam ſit:* Nonne vos me dicitis Dominum & Magiſtrum? & recte dicitis, ſum etenim. *Thomam item, ita ipſum alloquentem,* Dominus meus, & Deus meus, *verbis illi vti concedit, quin potius gratum acceptumque habet, nihil impedimenti opponit, quo minus hæc verba pronunciaret. Eſt enim ipſe vt & alii Prophetæ dicunt, & David pſallit:* Dominus virtutum nobiſcum & Sabbaoth: *quod ex interpretatione eſt Dominus exercituum, & Deus verus & omnipotens. Etiam ſi Ariani rumpantur, non ipſe adoratus fuiſſet, non iſta de eo dicta fuiſſent, ſi vllo modo creatura fuiſſet. Nunc autem quia creatura non eſt, ſed proprium ex ſubſtantia Dei adorandi germen, & naturalis filius, ideò adoratur & Deus creditur, & Dominus exercituum eſt & autor, & omnipotens eadem ratione qua Pater ipſius.*]

b Nazian. de Theol. lib. 5.

c Athana. cont. Aria. ſerm. 3.

XLVI. Auguſtinus propter illud Decalogi præceptum, quod apud ipſum eſt primũ, de non colendis Idolis, negat omnino colenda eſſe Dei ſimulachra. Ait enim: *d Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo: non quia non habet imaginẽ Deus, ſed quia nulla imago eius coli debet, niſi illa quæ hoc eſt quod ipſe, nec ipſa pro illo, ſed cum illo.*] Ait quoq; *e Tu intellige ſimilitudinem creaturæ & adora artificem creaturæ.* Monet vero alibi cauendum ne Dei ſimulachra vel in templis, vel in cordibus fidelium talia reponantur, quæ Deum faciant corporeum, & corporeas habentem qualitates: & ait: *f Credimus etiam quod ſedet ad dexteram Dei Patris: nec ideo tamen quaſi humana forma circumſcriptum eſſe Deum Patrem arbitrandum eſt, vt de illo cogitantibus dextrum aut ſiniſtrum latus animo occurrat, aut ipſum quod ſedere Pater dicitur flexis poplitib. fieri putandum eſt, ne illud incidamus ſacrilegium quo execratur Apoſtolus eos, qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Tale enim ſimulachrum Deo nefas eſt Chriſtiano in templo collocare, multo magis in corde nefarium eſt, vbi vere eſt templum Dei, ſi à terrena cupiditate atq; errore mundetur.*] Licet ergo Daniel per viſionem in ſpiritu viderit *Deum tanquam g antiquum dierum*, Eam tamen viſionem, & alias plurimas ſimiles, quas adducit *h* Bellarminus, dixiſſet Auguſtinus, mente & ſpiritu contemplandas eſſe, non per ſimulachra corporea picturis, vel ſculpturis populo, præſertim in ſacris templis, proponendas; ne, vt ſtatuerat Concilium Elibertinum, id quod adoratur, in parietibus pingatur, & ſic ipſa pictura adoretur. Dixiſſet etiam Auguſtinus viſiones illas eſſe à nobis ſpiritu contemplandas, & in ſua ſignificata reſoluendas, nõ autem in corde imprimendas, ne Deum putemus habere prolixã barbam, & capillos canos, atque adeo eſſe hominem, & corpus humanũ habere, ſenijq; pati incommoda, canitiei, rugarum, raucedinis, &c. Spiritum S. habere alas, roſtrum &c. vt columbã: & ſic de aliis. Quę igitur eccleſię tales retinent imagines eas ego non puto ab abuſu poſſe excuſari: Nã & in ſeptima Synodo generali ſæpius monuerunt Patres ibidem prolati, Dei imagines nullas eſſe faciendas, aut admittendas, quia Deus corporeis imaginibus exprimi non poteſt Angelos tamen picturis exprimi neque inutile, neq; periculoſum arbitror, & in veteri eccleſia factitatum inuenio. Nam etiam ſi quis rudis Angelos putaret eſſe corporeos, errorem erraret tolerabilem. Angeli enim ſunt creatura, non Deus: & i ſapientes non pauci noſtræ religionis olim Angelos putarunt eſſe corporeos, ex materia quadam ſubtiliſſima; & propterea eos aliqui pingendos eſſe dixerunt, quia ſunt corporei.

d Aug. ep. 119

e Idem in Pſ. 95.

f Idem de fide & Symb. c. 7.

g Dan. 7. 9.

h Bellar. de imag. l. 2. c. 8.

i Orig in progno. librorum periarch. & Aug ep. 111. 114. ac de Eccleſ. dogm. c 12 13. &c & alii Patres in actis ſeptimę Syn. gen act. 5. in Ioan. Theſſalonic.

XLVII. Gregorius Magnus vniuerſalis Eccleſiæ communem, etiam antiquiſſimam, & perpetuam praxim optime intelligens, eam clariſſime declarauit, vt vſus imaginum retineatũr, ſed adoratio caueatur: Sic enim ad Secundinum ſcribit: *k Imagines tibi --miſimus. -- Ab re non facimus ſi per viſibilia inuiſibilia demonſtramus. -- Scio quidem, quod imaginem Saluatoris noſtri non ideo petis vt quaſi Deum colas, ſed ob recordationem filii Dei in eius amore recaleſcas, cuius te imaginem videre conſideras. Et nos quidem non quaſi ante diuinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus quem per imaginem, aut natum aut paſſum, ſed in throno ſedentem recordamur: & dum nobis ipſa pictura quaſi ſcriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum noſtrum aut*

k Greg. l. 7 ind. 2. ep. 53

de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet.] Videtur quidem fateri ſe fideles ante imaginem ſolere proſternere; ſed explicat in hac proſtratione non imaginem, ſed per imaginem exemplar (ſi tamen adorandum ſit, puta Chriſti) adorari. Quod veteres Patres docuiſſe iam ſuperius vidimus. Quoniã tamen adoratio hæc, vt ſupra monuimus non caret periculo, ne rudiores ipſam imaginem adorent, & hoc eodẽ tempore contingere obſeruans Serenus Epiſcopus Maſſilienſis, imagines confregit, & abſtulit; huius facti cenſurã à Gregorio hanc accepit;

a lib. ep. 109. videlicet *a Præterea indico dudum ad nos perueniſſe, quod fraternitas veſtra quoſdam imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem eccleſiæ imagines confregit atq; proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari poſſit, habuiſſe laudauimus ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe, iudicamus. Idcirco enim pictura in eccleſiis adhibetur, vt hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo paternitas & illas ſeruare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & literarum neſcij haberent vnde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minime peccaret.*] Fractionem illam duntaxat reprehendit, quia facta eſt cum contemptu, & totali abolitione etiam legitimi vſus; quod autem adoratio imaginũ impediretur & tolleretur laudat, imo peccare populum indicat, ſi picturam adoret. Neque diſtinguit adorationem latriæ, ab alia inferiori, ſed ipſum actum externæ adorationis quẽ Serenus tollere conabatur, ipſe quoq; omnino tollendum eſſe cenſet, quia religioſam adorationẽ ſemper ad latriam ſpectare ſciebat? diſtinctio vero latriæ, duliæ, hyperduliæ, & aliarum inferiorum adorationem ex ſolo hominis interno pendere non ignorabat, quod internum non ſubſtat eccleſiæ iudicio. Itaq; omnem penitus tollit imaginũ adorationem. Et has Gregorij explicationes ſecuti poſtea ſunt optimi catholici, pro regula certiſſima, & tutiſſima, vt videbimus; etiam Concilia.

b Concil. Seno. c. 14. *b* Senonenſe An. D. 1528. & poſt decenniũ Enchiridion ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo editum, adorationem imaginũ aut nullam, aut non niſi prototypi admittit. Moguntinum quoq; Concilium An.

c Concil. Mogunt. c. 41. D. 1549. Decretum tale edidit. *c Paſtores noſtri populum accurate moneant imagines non ad id proponi vt adoremus, aut colamus eas, Sed vt quid adorare, aut colere, aut quarum rerum vtiliter meminiſſe debeamus per imagines recordemur.*] Certe hoc etiam Concilium omnem actum cultus externi tollit erga imagines, & nõ ſolam adorationis latriæ intentionem; monuiſſet enim vt doceatur populus in cultu externo imaginũ, rectam dirigere intentionem: ſed abſolute negat imagines proponi vt adorentur, aut colantur. Beda quoq; nullum alium imaginũ vſum agnoſcit, niſi vt ſeruiant ad ornatum, & ad memoriam recolendam. Laudat enim Benedictum Abbatem quod

d Beda homil. de Benedicto Abbate. imagines etiam ad ſuum monaſterium perferret, *d quæ*, inquit, *non ad ornatum ſolummodo eccleſiæ, verum etiam ad inſtructionem intuentium*, non ait, ad adorandum *proponerẽtur. Videlicet, vt qui literarum lectione nõ poſſent opera Domini & Saluatoris noſtri per ipſarum contuitum diſcerent imaginum.*] Et certũ eſt, olim in templis,

e Paulin. ep. 12. *e viuorum etiam imagines appendi ſolitas fuiſſe*, quis vero mortalium viuorum imagines religioſe adoraſſet?

XLVIII. Noſtri, qui non ſolum vſum imaginum, ſed etiã adorationem ſiue cultum earũ tueri conantur, ſua habent argumenta, quæ ſunt iam nobis omnia demolienda.

f Bellar. de imag. l. 2. c. 12. Colligit ea *f* Bellar. Primum argumentum ex veteri ſcriptura; *Nam cherubin propitiatorij, & ſerpens æneus adorabatur, & ſcabellum pedum Domini dicitur adorandũ, & dies aliqui vocantur venerabiles.*] Reſpondeo, negando illa adorata fuiſſe. Scriptura enim de illorum adoratione nihil habet. Dicit quidẽ Hiero. *g* Iudæos veneratos fuiſſe Sancta ſanctorum,

g Hieron. ep. 17. quia ibi erãt Cherubin, & propitiatoriũ, & arca, &c. Sed per illã venerationẽ non intelligit Hieron. adorationẽ aut cultum vllum, ſiquidẽ lex eos ab omni creaturæ, & facturæ cultu religioſo ſumo conatu retrahebat. ſed illa veneratio ſignificat ſummã æſtimationem: Locũ enim vnde eis ſenſibiliter Deus *h* loquebatur in magnõ precio habebãt, & cũ

h Exod. 19. 20. tremore aſtabant, non ꝓpter aureos illos Cherubin, vel ligneã arcã, ſed propter Maieſtatem D. qui de medio Cherubin præcepta & reſponſa dabat, & cũ ſignis viſibilib. apparebat. *i* Serpentẽ ſimiliter il-

i Nu. 21. 9. lum æneum adoratũ fuiſſe nuſquam lego. Aug. de hoc ſerpente, & aliis ſignis ad religionẽ pertinentibus, quę nota ſint hominib. & ab hominibus fiant, ait ea *k* honorem poſſe habere, tanquam religio-

k Aug. de Trin. l. 3. c. 10. ſa, ſed nõ ſtuporem, h. e. ea quia res quædam ad religionẽ ſpectãtes ſunt, poſſe in præcio haberi, & ab hominib. magni fieri, ſed hoc nõ ſignificat ea debere adorari, coli, &c. Imo quãdo Iudęi ſuperſtitioſi cęperunt ſerpentẽ illum colere, Ezechias Rex eum comminuendum curauit, ac de medio tollendũ; & hoc eum laudabiliter feciſſe nemo negat. Confirmat Bellar. adorationẽ ſerpentis ex dicto Aug. quẽ; ait, dicere.

l Aug. de doctr. Chriſti. l. 3. c. 9. *l Signa viſilia diuinitus inſtituta veneranda eſſe, quia honor eorũ ad prototypũ tranſit.*] Ego vero ſup. n. 43. Aug. ibi contrarium aſſerere oſtendi. *m Scabellum* vero *illud pedum Domini* myſtice & ſpiritualiter intelligi poteſt *n* corpus ipſũ Chriſti, in quo maieſtas diuinitatis tanquã ſuper ſcabellum ſtat. Sed

m Pſ. 98. 5. n Gloſſa interlin. & Ianſen. annot. in hunc locum. verus ſenſus eſt; proſternite vos ad ſcabellum pedũ eius: i. e. coram arca, & propitiatorio, quando oratis, & expectatis à Deo reſponſa, & protectionem. Et hæc adoratio nõ erat ſcabelli, ſed Dei immediate, coram ſcabello tamen: quod licere ſup. oſtendimus, vt prototypum coram ſuo repræſentante adoretur. Dies vero dicũtur *o* venerabiles, ſicut & di-

o Num. 28. 18. 26. & 29. 1. 7. 12. cuntur ſanctificandi; quia illis diebus ſancta, & venerabilia exercitia debent fieri erga Deum. Quod ſi Deus præciperet, nos dies aliquos colere, & adorare, cur Paulus reprehendit Galatas *p obſeruantes*

p Gal. 4. 10. *dies & menſes & tempora & annos?*

XLIX. Secundum argumentum, apud Bellarm. adhuc primum, *literas ipſas S. Scripturæ veneramur, imo & verba audita, vt nomen hoc* IESVS. *& Euangelium audimus ſtantes detecto capite, imo etiam luminibus accenſis, etiam in meridie, vt probat Hiero. contra Vigilantium.*] Reſpondeo, Nos literas ipſas, puta ſacrum Euangeliorum codicẽ venerari, & oſculis excipere, non cartam illam, neq; mortuos characteres, ſed ipſa Chriſti verba, quæ illis characteribus exprimuntur: quî eſt effectus amoris non actus adorationis; & ſi quid adorationis intercedit, id totum ad ſolũ Deum refertur. Audito nomine Ieſu, aperire caput, & dare ſignum reuerentię, aliquibus plus æquo ſcrupuloſis, eſt reprehenſibile. Sane ſi illi ſono duntaxat vocis fiat reuerẽtia, nõ carebit ſuperſtitione; ſed ſemper audito eo nomine ille occurrit qui tali nomine ꝓprie vocat' fuit, qui eſt ipſe Ieſus, & ſic ipſi Ieſu fit illa reuerẽtia. Dices, Cur nomini IESV aperis, & inclinas caput, & nõ nomini Dei, & Chriſti? Reſpõdeo poſſe æque id fieri his nominibus atq; nomini IESV? Sicut neq; obligatio vlla eſt, vt huic ipſi nomini IESV fiat hęc reuerentia, ſi. n. omittatur, & nõ in contemptum, non erit piaculũ. In noſtra ergo libertate id poſitũ eſt, & deuotione: quæ ſane deuotio ordinarie plus afficitur erga nomen IESV, quã erga alia Dei, & Chriſti nomina, quia nomẽ ipſum

nobis ſignificat noſtram ſalutem, & ipſum nobis offert Saluatorem, cui tantum debemus: Stantes audimus Euangelium vt ſignificemus nos eſſe paratos ad id exequendum; & detecto capite in honorē Chriſti cuius verba audimus. Lumina vero illa accenſa nihil faciūt ad adorationem, ſed ſi ſuperflua, & ſuperſtitioſa non ſunt, ſignificant duntaxat Euangelium nobis lucem attuliſſe.

L. Tertium argumentum petitur ex Patribus. Tædium parerem lectori, ſi ſingulos quos affert Bellarminus vellem percurrere. *Sed crimine ab vno diſce omnes.* Paulinus imagines vocat, Sacras figuras; *vbi cum ſacras vocat*, inquit Bellarminus, *honorandas etiam docet, res enim ſacræ omnes honorandæ ſunt.*] *Si honorandæ ideo quia ſacræ, ſunt ne etiam colendæ. & adorandæ*? Ego ſcio plurima eſſe honoranda, etiam non ſacra. *a Honora Patrem tuum, & matrem tuam* dicit Deus: *b Honora medicum*; dicit ſapiens; Sunt ne propterea hi religioſe colendi, & adorandi? Res profecto inanimæ ſint ſacræ quātum placet, alium honorem à nobis non merentur niſi in ſenſu negatiuo, vt non cōtemnantur, non villipendantur, non indigne in contemptū illius cuiuſcunq; conſecrationis, tractētur. Nam res inanimæ ſi ſacræ dicuntur non niſi per ſolam externam denominationem ita vocantur, ipſæ vero in ſe nullam ſanctitatem recipiūt, quæ ſit qualitas in ipſis inhęrens ob quam ſint honorabiles, honore pręſertim religioſo. Quod ſi homines & baptiſmo, & ſacro ordine conſecrati, & ratione præditi ex hoc quod ſacrę perſonæ ſint, non propterea ſunt religioſe colendi, & adorandi, cur res inanimes ex longe leuiori ſacratione erunt colendæ, & adorandæ? Sed in genere ad illos paucos quos habent Patres, Reſpondeo; vel eos adorare imagines quatenꝰ tota ipſorum adoratio tendit in ſolum prototypū, quod non eſt adorare imaginem, ſed prototypū in imagine, vel cruce: vel honorē intelligūt negatiue, hoc eſt non contemnere, non conſpuere, nō frangere, non cōtumelioſe tractare. Hæc Bernardus intellexit, quando abuſum ingentem reprehendebat ꝙ in pauimentis Eccleſiarum imagines Angelorū, & ſanctorum conficerentur: *c Vt quid ſaltem*, inquit, *ſanctorum imagines non reueremur, quibus vtiq; ipſum quod pedibus conculcatur, ſcatet pauimentum? ſæpe ſpuitur in ore Angeli; ſæpe alicuius ſanctorū facies calcibus tunditur tranſeuntium.*] Quis dicat tunc imagines fuiſſe in templis propoſitas ad adorandum, quando in pauimentis conſpuebantur, & calcibus terebantur; vt fit hodie quoq; in maiori templo Senis? ſed reuerendas fuiſſe ait Bernardus: hoc eſt non ita abiiciendas vt conſpuantur, & conculcentur. Vel honorare apud illos erit, in precio & exiſtimatione habere, tanquam aliquid vtile, & proficuum, etiam ſpiritualiter: vel demum honorare eſt humana quadam ſalutatione vti, de qua infra. Aliam adorationēm, alium cultum, aliam venerationem, aliumue honorem in Patribus non inuenimus; & ſane pauciſſimi ſūt, qui aliquid de veneratione, in ſenſibus tamen expoſitis, innuant; Paſſim tamen omnes, ſicut vſum imaginum laudant, & admittunt, ita explicant clare ſe in hoc imaginum vſu illud tantum ſpectare, vt ad memoriam excitandam ſuorum exemplarium duntaxat inſeruiant, & ſimul ſint ornamento. Damaſcenus plurimas collegit Patrum autoritates, plurimas etiā Concilium alterum Nicænum; & maxima ſane eorum pars ita ſacrarum imaginum vſum explicat, vt de cultu, vel adoratione aut nihil dicat, aut etiam eam excludat. Quod vero ſpectat ad ipſum Ioannē Damaſcenum, ille certe cultum, & adorationē imaginum conatur defendere, ſed plus eis tribuit quam apud Patres inuenit, quorū maxima pars ſolius memoriæ gratia imagines admittebat. Ipſe vero ſicut hallucinatur in illis de imaginibus tractatibus, dū ſæpius Dei gratiam ait ineſſe corporibus, ſignis, ſepulchris, &c. & ſanguine ſanctorum, dicit, populū expiari, & Templa ſanctis conſtitui; ita etiam hallucinatur dū inepte colligit adorandas eſſe imagines; nam & fœde paralogizat, hoc pacto. *d Si non adoras imaginem, ne Filium quidem adora.*] Quę logica eſt iſta? Item, *ſi crucem & lanceam, & arundinem, & ſpongiam — vt ſalutis cauſas adoro, & colo, cur imagines ad Chriſti gloriam, & cruciatuum eius memoriam à Chriſtianis hominibus inſtitutas non adorabo?*] Hic etiam nulla eſt conſequentia; & illud ipſum quod aſſumitur eſt controuerſum. Item habet & illud adhuc magis controuerſum; ſi crucis effigiem ex quacunq; materia confectam, crucem illam ſaluriferam, & qui in eā ſuffixus eſt indicantem adoro, cur imaginem non adorabo? Habet & illud. *Rubus Dei genitricis imago erat — Quod ſi locus in quo imago Dei Matris à Moyſe perſpecta fuit, terra ſancta eſt; quanto magis imago ipſa non modo ſancta, ſed auſim dicere, ſancta ſanctorum eſt.*] Quā inepte: Modus hic in ſeriis ſic differendi eſt à veterum Patrum grauitate remotiſſimus. Sed iam Eccleſia ſeneſcebat. Ardori tamen contra Iconoclaſtas tunc indiſcrete nimium in ipſas imagines, & non in ſolum adorationis abuſum inſurgentes, aliquid tribuendum, & quæ no admodum apte ab hoc Patre in infima iam claſſe poſito, dicuntur excuſanda. Procūbunt tamen aliqui Patres coram imagine, eo modo quō preces noſtras ad Deum fundentes procumbimus coram ſacris Bibliis, quę ante nos orantes aperta tenemus, vt ex ipſis oremus: ſeruiunt enim nobis imagines tanquā liber ex quo oramus; ſed ſicut codicem Bibliorum nō adoramus, ita neq; imagines; & actus ille venerationis dum procumbimus ſolū Deum reſpicit, non librum, ita eſt de imaginibus.

Quartum argumentum eſt à miraculis: Miracula LI. ergo aliqua vetera, à claſſicis hiſtoricis memoriæ mandata negare nō poſſum; licet noua noſtrorum præſertim temporum impoſturis non careant. Sed ex miraculis, q̄ Deus per imagines aliquādo fecerit, ſequi, debere imagines coli & adorari, nūnquā dixerim. Vetera ſane illa miracula tunc fiebant, quādo imagines illæ nullo pacto adorabantur: Non ergo Deus adorationem cōfirmabat, multo minus eam inſtituebat: Per Apoſtolos, & diſcipulos multa fiebāt miracula, nunquid propterea Deus iubebat eos coli, & adorari? & multa Templa Chriſtiana fuerūt à Deo miraculis illuſtrata, ſed quis vnquā tēpla ipſa adoranda eſſe dixit? Miracula itaq; ſi q̄ vera fuerūt, & ſunt, prototypum reſpiciebāt, & reſpiciunt. *e Herba excreſcens iuxta ſtatuā ab Hemorrhouſa Chriſto erecta apud Paneadem, morbos curabat, vt in Chriſtum, quē ſtatua illa repræſentabat, fides hoc miraculo cōfirmaretur, & ſic de aliis. Semper n. negabo miracula ad confirmandam adorationē fieri, aut ideo fieri quia adoratur, aut vt adoretur imago. Sed cur ignis cœleſtis, inquit Bellarminus, diſcerpſit ſtatuam Iuliani; & cur ab imagine à Iudæis confoſſa ſanguis effluxit, qui infirmos curabat, niſi vt oſtenderet Deus ſe honorare id quod Iudæi contumelia afficiebant?*] Futiles inſtantiæ, ſi vera ſunt illa miracula, & authentica. ſtatua Iuliani diſcerpta eſt, quia iniuria illata ſtatuæ Chriſti, in Chriſtū ipſū redundabat, & Deus eā iniuriā vlciſcebatur, q ſtatuā honorari volebat, hoc eſt, nō contēmni, nō deiici, q a contēptꝰ ad ꝓtotypū reducitur; ſic de imagine illa cōfoſſa, & de illo q lapide percuſſerat imaginē B. Virg. ac lapide ictꝰ interiit. *f* Edeſſanā etiā ꝓfert Bell. imaginē hoſtiū machinas deſtruētē: *factū eſt*, inqt, *miraculū in ſalutē eorū qui Chriſti imaginē venera-*

a Exod 20. 12.

b Eccl. 38. 1

c Bern. in apolog. ad Guliel. Abbatem.

d Damaſc. de imag. orat. 2.

e Euſeb. l. 7. c. 14.

f Euagr. l. 4 c. 16.

venerabantur, vt refert Euagrius.] At Euagrius nihil de veneratione commemorat, & ſane miraculum factum eſt in ſalutem eorum qui imaginem illam tanquam inſigne Chriſti memoriale apud ſe in precio habebant, & hoc nihil ad cultum, nihil ad adorationem. Fuet ille mutus imaginem Nazianzeni amplexatus loquelã recuperauit; & hoc miraculo duo comprobantur à Deo; alterum eſt Gregorium Nazianzenum fuiſſe ei famulum dilectum, quem imago illa referebat; alterum vſum imaginum, vt in memoriam ſanctorum retineantur ipſi placere; de adoratione & cultu nihil.

LII. Baronius etiam ex quodam miraculo *a* colligit adorationis imaginum confirmationem. Miraculum vero eſt id, quod cecinit de ſe Venantius Fortunatus: ſe nimirum dolore oculorum liberatum inunctione ex oleo lucernæ ante imaginem S. Martini ardentis. Ex quo Baronius ait ſe demonſtrare receptum antiquitus, Deoq; gratum eſſe cultum ſanctarum imaginum. Sed Venantius nullam commemorat adorationem, qua imaginem S. Martini ſit ipſe veneratus. Putat fortaſſe Baronius cultum imaginum in accenſione lampadum conſiſtere, quem cultum Deus miraculo illo comprobarit. Quid ſi oleum naturalem virtutem habuit dolorẽ illum leniendi? Quid ſi dolor ille etiam ſine illa inunctione nihilominus erat ceſſaturus? Sed eſto fuerit miraculum, quale refert etiam *b* Sophronius Hieroſolymitanus, de oleo lampadis ad imaginem Saluatoris pendentis. Neſcio an priſcis Eccleſiæ tẽporibus eſſet cultus aliquis religioſus accendere lucernas, ſeu cereos ante imagines, etiam pomeridiano tempore. Ritum hunc negare non poſſum fuiſſe olim paſſim diffuſum, ac pene vniuerſalem. Habemus illum iam ex Venantio, & Sophronio. Habemus ex quodam libro dicto Limonario, & à Patribus ſeptimæ ſynodi prolato, in quo *c* miraculum legitur in candela, quę ante imaginem à Ioanne Abba accendebatur. In Ioannis Chryſoſtomi liturgia, ſacerdos egreditur in paruo oſtio portans Euangelium, præcedente miniſtro cum lucerna.] *d* Epiphanius ex Lucerna ardente diurno tempore cognouit eſſe Eccleſiam. Hieronymus quoq; *e* cereorum ardentium vſum dum legeretur Euangelium ponit in toto Oriente; nam & Vigilantius obiiciebat moles cereorum ſole fulgenti accendi. Eccleſię reditus ſuos habebant etiam pro luminaribus concinnandis, vt probauimus lib. 6. cap. 5. n. 134. & cap. 8. n. 54. & 57. In tranſlatione reliquiarum S. Ioannis Chryſoſtomi *f* accenſa lumina ſunt piælata. *g* Lucernæ multæ & cerei accendebantur in Eccleſia ſancto Felici dicata, ipſius anniuerſaria die Lampades perpetuæ erant etiam olim in templo S. *h* Petri, exempla ſunt innumera. Ego ſane vſum ſolum luminarium in Eccleſiis, etiam interdiu, tanquam antiquiſſimum, reprehendere non poſſum. Per lampades vero, & cereos accenſos, etiam ante imagines, non puto cultum, & adorationem vllam exhiberi, ſicut in Exodo *i* luminaria, & lucernæ ſeptem, non erant ad cultum, & adorationem arcæ, vel propitiatorij, vel Cherubin: ſed ad myſticum ornatum. Ita in ſignum lætitiæ, & ad myſterium vitæ æternæ, & odium peccati quod per *k* tenebras ſignificatur, lucernæ & cerei accendebantur, non ad cultum, & adorationem. Fortaſſe plebecula id non ſine ſuperſtitione faciebat, & ad cultum, ac venerationem imaginum id conuertebat; quod notum erat noſtro Hieronymo, ideoq; de illis qui coram reliquiis cereos accendebant, quaſi putarent ſe talibus luminaribus, vt obiiciebat Vigilantius, martyres illuſtrare, ait: *l* *Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.*] Tales nos hodie experimur plurimos, qui ante crucifixum accendant candelam vnius teruncij ſubtiliſſimam; at vero ante imaginem vel Deiparæ, vel S. Antonij, vel Georgij, vel Caroli, amplos apponunt cereos, & nobiliſſima intortilia: imo tales cereos tanquam ſacrificia imaginibus offerunt rudiores. Interim tamen vbi abuſus non adeſſet, etiam Hieronymus *m* approbat in Eccleſiis vſum cereorum, ante tumulos martyrum *n* & eos qui accendunt cereos, ait ſecundum fidem ſuam mercedem habere. Abſolute ergo, & ſimpliciter, ſecluſo abuſu, non puto in accenſione lampadum, & cereorum, etiam ante reliquias, & imagines, cultum vllum, vel adorationem ipſis reliquiis, & imaginibus exhiberi.

a Baro. to. 9. an. 825. n. 37.
b In ſept. ſyn. gen. act. 4.
c Ibid. act. 5.
d Epiph. apud Hier. ep 60.
e Hier. aduer. Vigil.
f Theodo. hiſt. l. 5. c. 36.
g Paulin. natal. 3. Fælicis.
h Greg. Dialog l. 3. c. 24.
i Exod. 25. & 27.
k Rom. 13. 12.
l Hier. adu. Vigilant.
m Idem ep. 53. ad Riparium.
n Idem adu. Vigil.

LIII. Quintum argumentum apud Bellar. 5. & 6. eſt à ſimili. *Homo honoratur, quia eſt imago Dei; & Regis ſtatua honoratur, imo & adoratur adoratione ciuili, in gratiam Regis, ſic & imago.*] Reſpondeo, ſi exemplar eſt honorandum honore religioſo veræ latriæ, tunc præſente imagine poſſe exemplar vere, & proprie adorari, ſed illa adoratio tota, vt dixi ſupra, dirigitur in ſolum exemplar. Si vero exemplar non eſt adorandum latria, quia Deus non eſt, ſed creatura, tunc ſicut exemplar non eſt religioſe vllo pacto colendum, vt dixi de ſanctis ipſis, ipſorumq; reliquiis, ſed ſufficit ei honor quidam humanus, ob excellentiam etiam ſpiritualem, ita coram imagine poteſt exemplari idem honor humanus exhiberi. Religioſus vero cultus nullo modo eſt vlli creaturæ ſiue in ſe, ſiue in ſua imagine exhibendus; & paralogizat Bellarminus, dum ab honore humano, & ciuili tranſit analogico argumento, ſed fallaci, ad honorem religioſum. Sanctitas enim hominis in homine eſt res & excellentia humana, ac proinde humano honore duntaxat digna. Ex eo vero quod ſtatua Regis honore ciuili digna eſt, non ſequitur ſtatuam Chriſti honore religioſo, & diuino dignam eſſe; niſi hoc ſenſu, ſicut in ſtatua Rex ipſe adoratur vt Rex: ſic in ſua ſtatua Chriſtus, vt Deus, & in ſuis ſtatuis ſancti, vt ſerui Dei, honore tamen humano honorantur. Statuis vero ipſis nullus proprius honor debetur, cuiuſcunq; ſint ſtatuæ.

LIV. Sextum argumentum, apud Bellar. 7. 8. 9. 10. *quia imago eſt capax contumeliæ, ergo & honoris: & idola ſunt deſtruenda, ergo ſanæ imagines venerandæ: & Iconomachi inter improbos numerantur. ergo cultores imaginum inter probos: Ideoq; Iconomachi infælicem exitum ſunt multi ſortiti; & Deus Iconomachiam flagellis publicis puniuit.*] Reſpondeo ex toto hoc argumento nihil de cultu, & adoratione imaginum poſſe colligi. Solum habetur imagines eſſe honorandas negatiue: hoc eſt nõ contemnendas, non vilipendendas, non diffringendas, non abolendas: & vſum imaginum, ſine adoratione, eſſe bonum, & legitimum. Contumelia tamen facta imagini, contumelia non eſt imaginis, ſed prototypi; Idola ſunt abiicienda, verum eſt; at hinc nihil aliud ſequitur, niſi ſacras imagines eſſe retinendas, ſed ſine adoratione. Iconomachi, & Iconomachia puniti ſunt, quia imagines confringebant, & abolebant. Quod ſi eas intactas ſeruaſſent, & adorationem ſolam impediuiſſent, ac aboleuiſſent, apud Deum gratiam iniiſſent.

LV. Septimum ſit argumentum, apud Bellarminum ſecundum, Autoritas Concilij ſeptimi generalis apud Nicæam celebrati; in quo definitum videtur imagines colendas eſſe, & adorandas, ſed non cultu, & adoratione latriæ. Alias quoq; ſynodos citat Bellarminus pro imaginibus celebratas: Sed in illis nihil habetur de cultu,

& adora-

& adoratione, ſed de ſolo vſu. In ſeptima hac ſynodo nobis eſt tantiſper immorandum. Definitio huius ſeptimę ſynodi in actis illius ſępius repetita, multiplex eſt. Primum approbatur Adriani Epiſtola ad Taraſium in qua hortatur Taraſium vt pergat imagines colere, & adorare, cum, ea lecta, Taraſius hęc
a Sept. ſyn. act. 2. prolocutus in ſynodo fuiſſet: *a Vim literarum lectarũ confirmamus. & imaginum picturas ſecundum priſcam patrum noſtrorum traditionem recipimus, & has deſiderio noſtro adoramus vt in nomine Chriſti Dei noſtri, & intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ virginis, ſanctorumq; Angelorũ, & omnium ſanctorum factas. Sed apertis verbis teſtamur nos dumtaxat in vnum Deum verum latriam & fidem noſtram referre & reponere.*] Tunc ſancta Synodus dixit: *Vniuerſa ſancta Synodus ſic credit, & ſic docet.*] Et tamen hic ipſe Taraſius in ſuis ſynodicis ad Antiochenum, & Alexãdrinum Patriarchas, quo ad imagines, hoc
b Ibi. act. 3. pacto ſe explicarat; *b Picturas autem non in alium vſum admittimus, niſi vt perſpicuè omnium conſpectui, oculiſque exhibeantur; Quemadmodum agnus, qui peccata mundi ſuſtulit, iuxta humanam effigiem configuratus à nobis erigitur, vt ex hac eius humiliatione altitudinem verbi Dei conſiderantes, ad memoriam diſpenſationis in carne eius omnia trahantur, & ad illius paſſionem ſalutiferamque mortem, vnde mundo liberatio orta eſt, veluti manu ducamur.*] Si in alium vſum non admittit Taraſius imagines, niſi in hunc explicatum, excludit igitur cultum, & adorationem: quia hic iam eſſet alius vſus, ſed in hoc ſæpius ipſe Taraſius titubauit.

LVI. Deinde admiſſæ ſunt literæ ſynodicæ Patriarchę Hieroſolymorum, & communibus ſuffragiis approbatæ; in quibus cultus imaginum ponitur. Sed cum
c Ibi. act. 2. hac explicatione: *c Imagines colimus, non in materia, aut coloribus honorem conſtituentes, ſed per hoc officium noſtrũ; quod ipſis adeo quorũ typum imagines geſtant, debemus impartientes. cum ſciamus, iuxta Baſilij magni ſententiã, quod imagini honor exhibitus, ad ipſum prototypum refertur.*] Quæ explicatio profectò tollit penitus omnẽ cultum, omnemq; adorationẽ; quæ ipſi imagini per ſe fiat, & in hoc conſentit tota ſynodus. Poſtea lectis literis Germani Conſtantinopolitani, ad Thomam Claudiopolitanum, in quib. ſolum vſum imaginum retinendũ eſſe cum antiqua traditione cõtendit, ſy-
d Ibi. act. 4. nodus confeſſionẽ facit fidei, in qua, *d Salutamus,* in quit, *ſanctas Dominicas Apoſtolicas & Propheticas, item ſanctorũ, præcipuè a: Dominæ noſtræ Deiparæ imagines, quæ nobis veluti exemplaria ſunt & inſtructiones bonorum operum imitationis & fidei erga Chriſtum, omnẽ idololatriam execrantes, & latriam ſolam Chriſto tribuentes, & Deo Patri, & Spiritui ſancto tanquam vni Deo, cui honor & laus in ſæcula.*] Huic confeſſioni ſubſcripſit tota ſynodus; ſed quid ſit illud *ſalutare imagines* explicandum clarius fuerat; & ad finem actionis quintæ ſic concludit ſynodus: *Credentes in vnum Deum in Trinitate glorificatum, venerandas imagines ſalutamus, qui aliter ſentiunt anathema.— Nos venerandas imagines ſuſcipimus — qui venerandas imagines non complectuntur, anathema.*]
e Ibi. act. 7. Generalis vero definitio his verbis concepta eſt. *e Fatemur autem vnanimiter nos Eccleſiaſticas traditiones ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentes, & decretas, retinere velle, quarum de numero eſt imaginum effiguratio. vt quæ hiſtoriæ Euangelicæ promiſſionis concinant ad credulitatem veræ, & non phantaſticæ incarnationis Dei, & ad vtilitatem ſimilitudinis; quam nobis exhibet, vtiliter inuentam. His ſic ſe habentibus regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum & diuinorum patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ in qua ſanctus Spiritus inhabitat, traditionem obſeruantes; definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas & ſanctas imagines ad modum & formam venerandæ & viuificantis crucis è coloribus & teſſellis, aut aliqua quauis materia commodè paratas dedicandas, & in templis ſanctis Dei collocandas, habẽdaſq; tum in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, in viis publicis; maximè à. imaginem Domini, & Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium deinde ſanctorum virorum. Quo ſcil. per hanc imaginum pictarum inſpectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam, & recordationem, & deſiderium veniant, illiſq; ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non ſecũdum fidem noſtram, veram latriam quæ ſolũ diuinæ naturæ competit, ſed quemadmodum typo venerandæ, & viuificantis crucis, & ſanctis Euangeliis, & reliquiis ſacris oblationib. ſuffitorum, & luminariũ reuerenter accedimus, quemadmodum veterib. piè in conſuetudinem hoc adductũ eſt. Imaginis enim honor in prototypum reſultat, & noſtrorũ patrum obtinet diſciplina, vel traditio Catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus vſq; ad fines Euangeliũ ſuſcepit, &c.*] Et poſt ſubſcriptiones anathematiſmi hi poſiti ſunt. *Credentes in vnum Deum in Trinitate laudatum venerandas imagines amplexamur. Qui ſecus agunt, anathemate percelluntor, qui ſic nõ ſentiunt, ab Eccleſia depelluntor. Nos antiquæ Eccleſiæ legiſlationi inſiſtimus, nos decreta patrũ cuſtodimus, nos adiicientes aliquid aut auferentes Eccleſiæ anathematizamus. Nos venerãdas imagines ſuſcipimus, nos qui ſecus faxint, anathemate percellimus. Quicunq; ſententias ſacræ ſcripturæ de idolis cõtra venerandas imagines adducunt, anathema. Qui venerãdas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt quod imagines Chriſtiani vt Deos adorent, anathema. Qui ſciẽtes communicant cum illis, qui contra venerandas imagines ſentiunt, aut eas dehoneſtant, anathema. Qui præter Chriſtum Dominum Deum noſtrum dixerit alium nos à cultu idolorũ liberaſſe, anathema. Qui audent Eccleſiam Catholicã dicere idola aliquando ſuſcepiſſe, anathema.—Si quis Euangelicas narrationes per picturam repræſentatas nõ acceptauerit, anathema: Si quis has non ſalutauerit in nomine Domini, & ſanctorum eius, anathema, &c.*] Dixerat vero in fine actionis 6. Epiphanius Diaconus, qui librum Gregorij Neocęſareenſis confutarat; *Qui vero dicunt ſufficere vſum imaginum ad memoriã ſolum; non verè ad ſalutationem eas habendas, illud quidem recipientes, hoc vero recuſantes, ſemiprobi quadantenus, & falſoueri, vt ita dicam, deprehenduntur; altera quidem parte veritatem confitentes, ex altera vero peruerſe agentes: o inſignem quoq; horũ inſaniam, &c.*] Itaq; planum eſt in hac ſynodo nõ ſolum vſum imaginum fuiſſe cõfirmatum, ſed etiam eas religioſe colendas eſſe; & adorandas, licet non latriæ adoratione plane, definiuiſſe.

Quænam vero eſſet hæc adoratio, citra latriam, LVII.
conati ſunt non ſemel Patres illi explicare, non tamen ſine magna perplexitate. Adrianus enim in Epiſtola ad Imperatores ſic rem explicat: *f Non enim* f In ſept.
ipſum lignum honoratur, ſed ipſum illud quod in ligno datur ſyn. act. 2.
contemplandum, atq; ita per recordationem veneratio exhibetur.] Hic vero ego nullam video adorationem imagini per ſe conuenientem; ſed eã quę ſolum prototypum per imaginem, quaſi per memoriam reſpiciat: Addit vero paulo poſt idẽ Adrianus; *Qualis vero iſte eſt adorationis honor? profectò non alius quam is, quo nos peccatores quoque inuicem proſequimur, ſalutantes nos inter nos per honorationem, & dilectionem.*] Et ſuperius: *Omnes enim Principes, etiam ſi peſſimi ſint peccatores, adoramus, & reuerenter ſalutamus: quid vetat igitur quominus non liceat, & ſanctos Dei miniſtros venerari, & in memoriam eorum imagines ſtatuere? &c.*] Hic quoq; aut nulla ponitur adoratio, quæ ſit propria imaginis, & per ſe ei directa, aut ſi qua ponitur, ea tota humana eſt, & ciuilis, non religioſa. Ex Leontio Neapolis Cypri Epiſcopo hæc explicatio recitata fuit in ipſa ſeptima ſynodo, ex libro Apologiæ ipſius contra

contra

a Ibid. act. 4. tra Iudæos. *a Sicut autem tu* (compellat Iudæum) *adoras librum legis, non naturam membranarum, aut atramenti adorans, ſed verba Dei, quæ in illo continentur: ſic & ego imaginem Chriſti, aut Apoſtoli, adorans non lignorum, aut colorum naturam adoro, abſit, ſed inanimatum charácterem Chriſti: hunc enim cum habeam per ipſum, Chriſtũ me tenere, & adorare mihi videor.*] Allatoq; exemplo b tunicæ Ioſeph ſanguine tinctæ, quam oſculatus fuerit Iacob addit: *Sic & Chriſtiani omnes imaginem Chriſti, aut Apoſtoli, aut martyrũ tenentes, noſtraq; carne oſculantes; animo videmur nobis ipſum Chriſtum, aut martyrem amplecti.*] Oſculum ergo ſi quando figatur imagini, illud nõ exhibet vllum imagini cultum per ſe; ſed totus illius oſculi affectus fertur in exemplar, & repræſentatũ. Sicut quando literas cari parentis, vel amici à longinquo accipimus, eas oſculátes totum affectum in ſcriptorem dirigimus, & loco ipſius, qã abeſt, eius ſcriptum, aut munuſculum, aut nũcium, &c. oſculamur; & talia oſcula, in noſtro caſu, nullũ cultum, nullam adorationẽ imagini per ſe exhibẽt. Nam & idem Leontius poſtea cõcludit: *c Non igitur ligneæ imagini, aut picturæ cultum exhibemus, adoramuſq;, ſed omnium Dominum Chriſtum glorificamus.*]

b Gen. 37. 33. c In 7. ſyn. act. 5.

LVIII. Taraſius Conſtantinopolitanus hanc poſuit adorationis explicationem: *d Sunt autem hæ imagines adorandæ quoq;, hoc eſt, exoſculandæ, & amandæ.*] Idq; p etymologias Græcarum vocum προσκυνεῖν & ἀσπάζεσθαι, & φιλεῖν explicat. *Nã quod quis amat*, inquit, *id quoq; amplectitur, & quod adorat, ſiue amplectitur, hoc etiam omnino amat.*] *Adducit Dauidem, e qui adorauit Ionatham, & oſculatus eſt eum. Et illud ex Euangelio; de phariſæis. f Amant primos accubitus, & ſalutationes, ſeu adorationes, in foro, &c. Itaq; adoratio hæc nihil aliud eſt quã ſalutatio, ſiue amplexũ malis dicere, quod indicat hoc, quod labiis quoq; noſtris propriis ea contingimus.*] Hęc ille. Qui & diſtinguit hanc imaginum adorationem ab illa adoratione quæ proprie latria vocatur; quod latria ſit adoratio in ſpiritu; at vero imaginum adoratio non ſit in ſpiritu: & ita ſequitur eam non eſſe religioſam, neque ſpiritualem, ſed mere externam & humanam. Si tamen exactius hanc Taraſij explicationem diſcutiamus, ea nihil ab illa diſtabit, quã in Leontio paulo ante conſiderauimus: ita vt adoratio quæcunq; etiam leuiſſima imaginum, ad ipſas p ſe imagines non pertingat, ſed ad exemplaria, per memoriã imaginum. Adrianus quoq; in ſua defenſione ſeptimę ſynodi, cõtra libros à Carolo magno ad eum contra illam miſſos g fatetur, Ipſam ſeptimã ſynodum aliam adorationem imaginibus non tribuiſſe, niſi oſculum, & honorabilem ſalutationem. Honorare vero, & adorare plurimum differunt: h Honorat enim qui adorat, ſed non ẽ contra, vt obſeruat Auguſtinus, ſi tamen Auguſtinus.

d Ibid. act. 7. e 1. Reg. 20. f Matt. 23. Luc. 14. g Adrianus 1. ep. 3. cap. 54. h Aug. con. ſer. Arian. c. 14.

LIX. Viderunt iſti cultum, & adorationem creaturæ, & facturæ periculoſam eſſe, diuinis præceptis contrariã, & à priſca Eccleſiæ conſuetudine, antiquaq; traditione alienam, conati ſunt eam quantum potuerunt, extenuare, & procul à latria amouere. Sed longe melius feciſſet illa ſynodus ſi nihil definiuiſſet, niſi quod ex antiqua, & legitima traditione colligere potuiſſet; & ſicut optime collegit vſum imaginum eſſe licitum, & legitimũ, quia per Apoſtolicã traditionẽ ſatis inuenitur firmatus, ita adorationẽ omnem negare debuit; quia adorationem imaginũ in primitiua Eccleſia non inueniebat: quare neque adorationem definire aut ſtatuere poterat, iuxta regulas Conciliorum à me cap. 3. & aliis in hoc libro explicatas. Et quidẽ licet verbis adorationẽ ſtatuerit, ſi tamen poſſet ex iam à me ꝓlatis Adriani, Leõtij, & Taraſij explicationibus tota illa adoratio, ſeu honoratio, ſeu ſalutatio, ſeu, in genere, cultus, in ſolum prototypum referri, Synodus illa plene poſſet, & ſatis probabiliter defendi; quia tamen hoc non videtur tã facile fieri poſſe, ideo ſynodus illa, ex ea parte qua ſtatuit imaginum religioſam ac propriam adorationem, ab errore vix defenditur. Et quia adorationem, tametſi ita moderatam vt vera latria expreſſe ſit excluſa, abſolute in definitione Synodus ipſa poſuit, ideo ſtatim ferme contradictionem inuenit, quę contradictio cum ſublata nunquam fuerit, ſynodo ipſi omnem prorſus abſtulit, quantũ ad adorationem imaginum, autoritatem: *Nullum enim ſynodi iudiciũ, aut definitio trãſit in rem iudicatam, niſi ſecuta confirmatione vniuerſalis Eccleſiæ*, vt oſtendi cap. 3. huius libri, n. 65. & ſeqq. Hinc vero eſt quod neque i Ionas Aurelianenſis, qui pro vſu imaginũ acriter pugnat contra Claudium Taurinenſem, paulo poſt ſeptimam ſynodum Niceæ celebratã; neq; k Walfridus Strabo eiuſdẽ tẽporis ſcriptor, & ipſe de vſu imaginũ agens, ſynodi illius vllã fecerint mentionẽ; Nam contra ipſam quoq; hi duo ſcripſerunt, dũ ſolũ vſum imaginũ tuentur, ab omni vero adoratione abhorrẽt, & expreſſe negant eſſe eas vllo modo adorandas, & hoc de illis fatetur l Baronius. Conciliũ etiã Francofordienſe (de quo plura poſtea) cõtra eandẽ definitionẽ, quatenus adorationẽ ſtabiliuit, ferme ſtatim acriter inſurrexit, m erroneamq; vocauit ſynodũ illã Nicænã; eamq; n nec ſynodũ vocandam eſſe cẽſuit; & aſſerit o illã imaginũ adorationẽ ſtultiſſime, & irrationabiliter firmaſſe. Nicolaus primus ꝓpter eandẽ cauſam, qã videbat ſeptimã ipſã ſynodũ nõ eſſe receptã vbi imaginũ vſum cõfirmat, p conſuetudinẽ Eccleſiæ vniuerſalẽ o affert, & ſuorũ prædeceſſorũ ſtatuta: de ſynodo ſeptima & de adoratione altũ ſilentiũ; & vbi numerat œcumenicas ſynodos nõ niſi q ſex agnoſcit. Nec valet Baronij ſubterfugiũ, dicẽtis. *r Nicolaum ſuſpendiſſe ſuũ iudiciũ, quia acta ſeptima ſynodi nõ habebantur niſi corrupta, quouſq; Anaſtaſius Bibliothecarius ea integra latinitate donarit.* Mirũ ꝑfecto octoginta integros ferme años acta vniuerſalis œcumenicæ ſynodi in Occidẽte vel latuiſſe, vel pura haberi nõ potuiſſe, & tamẽ in Concilio Francofordiẽſi diſcuſſa fuerũt, & ſ Adrianus 1. Papa ſynodi illius ſeptimæ inſignis ꝓtector, ac Autor, eã contra Francofordiẽſes defendendã ſuſcepit; caruit ne ille actis puris, & integris? Cur vero etiã pcipui ex antiquiorib. noſtris ſcholaſticis Thomas Aquinas, Alexander de Ales, & alij illius tẽporis tractãtes de imaginib. nullã ſeptimæ ſynodi mentionẽ fecerũt? niſi quia admiſſã in tota Eccleſia nõ videbãt. Quis vero credibile putet id qđ ait t Bellar. ideo hos doctores *ſynodi illius mentionẽ nõ feciſſe, quia illa & defenſio Adriani lõgo tẽpore latuerunt & hoc noſtro ſęculo primũ edita ſunt.* Baron. dicit illã ſynodũ purã, & integrã latuiſſe, quouſq; Anaſtaſ. illã latinã fecerit, & publicarit. Anaſtaſ. vero multis ãnis imo & ſæculis hos pceſſit. Apud Gręcos vero ſeptima ſynod' fuit ppetuo notiſſima, & u omnib. obuia. Sed tomi Conciliorũ antiqores eã, inquit, nõ habent. Potius igitur colligamus antiquiores Conciliorũ collectores noluiſſe eã aliis ſex legitimis œcumenicis conciliis adiungere, quippe nõ admiſſam ab Eccleſia vniuerſali, nec ap̃probatam, & debita carentẽ autoritate; quam acta illa eos ignoraſſe, vel nanciſci nõ potuiſſe, cũ tamen & gręce, & latine eſſent paſſim diuulgata, & cum magnis controuerſiis exagitata: Et ſane ipſemet Adrianus acta ipſa in Gallias ad Carolum magnum miſit; vt in Francofordienſi ſynodo x diſcuterentur: fatetur hoc x Hincmarus Rhemenſis eiuſdem ferme temporis ſcriptor:

i Ionas Aur. de cul. imaginũ. k Walfrid. de reb. Eccl. c. 8. l Baron. to. 9. an. 794. n. 40. & an 825. n. 71. m Ared. Adrian. c. ep. 3. c. 42 & c. 59. n Ibi c. 60. o Ibid. in ſe cunda ſecte c. 12. p Nicol. 1 ep. 7 c. & ep. 10. c. 6. q Idem ep. 7. c. l. r Bar. to. 10. an. 863 n. ſ Adrian. 1. ep. 3. t Bellar. de imag. l. 1. c. 22. u Photius de 7. Conciliis œcu. & alii. x Apud Baron. to. 9. an. 794 n. 26.

Cum

LX. Cum primum ſeptima ſynodus Nicęę celebrata ſuam edidit definitionẽ, imagines non ſolum eſſe retinendas, ſed etiã ſuo modo colendas, & adorandas, Gallicana Eccleſia prima aperuit oculos, & ſuperſtitioni Gręcorum, quam Romana quoq; Eccleſia libẽter amplectebatur, obuiam ire voluit. Facto enim amplo Concilio Francoforti, contra Elipãdi Toletani blaſphemias in primis inſurrexit, eaſq; damnauit: tum vero Nicænæ ſecundæ gręcorũ ſynodi definitionem de adorandis imaginibus exagitauit. Et in hoc quidem Francofordienſi Concilio *a* propoſiti ſunt libri quatuor aduerſus ſeptimam illã ſic vocatam ſynodum compoſiti; quorum autor (Caſſander *b* autumat eſſe Alcuinum) ſeu autores aliqua quædam oſcitanter protulerunt, & duas diuerſas Græcorum ſynodos diuerſis locis, & tẽporibus, & doctrinis factas, ferme vnicã eſſe putarunt: nẽpe illã quã Iconomachi Conſtantinopoli, ſub Conſtantino Copronymo celebrarũt, & imagines demoliendas eſſe, & abolendas ſtatuerunt; quã ſynodũ ipſi ſeptimã œcumenicã vocarunt; & eam quæ ſub Conſtantino & Irene Nicææ, contra hanc ipſam Iconomachorum Nicææ facta eſt, & vocata ſimiliter ſeptima generalis. Ideoq; libri illi interdũ confundunt Conſtantinopolim, cũ Nicæa. Interdũ vero ipſam Nicęnã ſub ꝓpriis terminis, *c* nominant, quã regnante Cõſtantino & Irene, ſub ꝓſidentia Taraſij geſta eſt.] Reprehendunt itẽ multa priuata Epiſcoporũ dicta in hac ſynodo Nicæna; alia etiã perperã intellecta poſuerũt; ſed quoad ſumam rei, Conciliũ Francofordiẽſe ab vtraq; illa ſeptima ſynodo recedendũ ſibi eſſe putauit; à *d* priori quidẽ, vt imagines retinerẽtur, & earũ eſſet pius vſus, in quo cũ poſteriori illa ſeptima cõueniebat: ab hac vero ex ea parte receſſit, qua adorãdas eſſe imagines definiuit. Atq; ita Gallia, ex parte ſaltẽ, imagines quidem ad ornatum, & memoriam ſacrarũ hiſtoriarum retinuit, adorationẽ omnẽ abiecit. Nam ꝑfecto Anaſtaſius Bibliothecarius ad Ioannem octauũ, iam circa añum Domini 870. octoginta circiter añis poſt Nicænam hanc ſynodum, & Francofordienſem, ita ſcribit: *e Quæ n. ſuper venerabilium imaginum adoratione præſens ſynodus* Nicæna *hæc & Apoſtolica ſedes veſtra, ſicut nonnulla ſcripta innuunt, antiquitus tenuit, & vniuerſalis Eccleſia ſemper veneratæ eſt, & hactenus veneratur, quibuſdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus vtiq; nondum eſt harum vtilitas reuelata, aiunt nanq; quod non ſit quodlibet opus manuum hominum adorandum, &c.*]

a Baro. to. 9. an. 794. n. 47.

b Caſſand. ep. 19.

c Apud Adrian. ep. 3. c. 48.

d Concil. Senonen. c. 14.

e Anaſt. in præfat. ſeptimæ Syn. gen latine redditæ.

LXI. Sane Carolus magnus auditis Patribus dicti Cõcilij Francofordienſis, & viſis illis libris, qui Nicænam oppugnabant, quos ei tradidit dicta ſynodus, vt eos ad Adrianum Rom. Pont. dirigeret conſiderandos, matura facta cũ illis Patribus conſideratione, ſumptoq; Gregorij magni dicto ꝓ firma huius negotij regula, vſum imaginum retinendũ eſſe edixit, adorationẽ vero præcipiendam eſſe non cẽſuit, ſed eã cuiuſq; liberæ voluntati reliquit. Sic n. ad Adrianum ſcribit: *f Sciat Dominus Apoſtolicus pater noſter, & cuncta ſimul Romanorum Eccleſia, vt ſecundũ quod continet in Epiſtola Beatiſſimi Gregorij, quam ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum direxit, Permittimus imagines ſanctorum quicunque eas formare voluerint, tam in Eccleſia, quamq; extra Eccleſiam propter amorem Dei & ſanctorum eius. Adorare vero eas nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere vel deſtruere eas etiam ſi quis voluerit non permittimus. Et quia ſenſum ſanctiſſimi Gregorij ſequi in hac Epiſtola vniuerſalem Catholicam Eccleſiam Deo placitam indubitanter libere profitemur.*] Firmam enim definitionem ſine Apoſtolicæ ſedis ſententia neq; Conciliũ Francoford. neq; Carolus dandam eſſe cenſuerũt; interim tamen adorationem in ſeptimã illa ſynodo definitam, nequaquam admiſerunt; quippe Gregorianæ ſententiæ contrariam; integra ſua cuiq; deuotione, & libertate relicta: & ita pars aliqua Eccleſiæ Gallicanæ, non obſtante ſeptima illa ſynodo, ab adoratione ab ipſis Caroli magni temporibus diu abſtinuit.

f Apud Adrian. ep 3. 15. ſecundæ Seriei.

LXII. In Francofordienſi hoc Cõcilio dãnatam aliquo modo fuiſſe ſeptimam illam ſynodum Nicęnã, licet negare voluerint aliqui, neq; *g* Baron. tamen, neq; *h* Bellarm. id auſi ſunt, quippe conuicti validis teſtimoniis in eo Concilio contra illã ſynodum Nicęnã aliquid & tractatum, & ſtabilitũ fuiſſe: Quicquid cõtra pueriliter *i* Binius conetur, muſca contra Elephãtos pugnãs; cuius ſumã inſcitia inde inter alia, manifeſtatur, quod Hincmari grauẽ in hac materia autoritatem, ſoli Illyrici teſtificationi niti audacter aſſerat, cum tamen eidem Hincmari autoritati in hoc nitãtur *k* Cuſa & Caſſander, qui ante Illyricum ſcripſerunt. Ab hac tamen impetitione Concilium Nicęnũ, & ab hac moleſtia ſe liberant vel abiectione autoritatis Concilij Francof. nẽpe prouincialis à Papa non cõfirmati, ſed reprobati, & contra generale ſolenniter legitimatũ acti vel excuſatione eiuſdẽ Cõcilij Francof. quod fraude in errorem inductũ per errorem id fecerit. Ita & Baron. & Bellarm. Quod ſpectat ad autoritatẽ Concilij Francof. (quod ſane fuit ampliſſimũ, & legatos habuit Rom. Pontificis) illa tãta eſt, vt ſola ipſius contradictio, antequã ſufficienter tollatur, totã autoritatem tollat cuicunq; Concilio etiam generaliſſimo, & quantũlibet à Papa per ſuos legatos approbato. Oſtendi n. cap. 3. approbationẽ, & confirmationẽ illam, quæ plenam det Concilio cuicunq; autoritatẽ, & ſine qua nullum Conciliũ vim vllam habet vniuerſalem Eccleſiam obligãdi, à totius Eccleſię conſenſu eſſe petendam, quando videlicet nemo in Eccleſia contradicit. Neq; contradictionem tollere poteſt Papa, quantũuis ipſi contradictioni contradicat, niſi ipſi contradictioni ſufficienter fiat ſatis. Cõtradictio porro Concilij Francofordiẽſis tota hæret regulæ Gregorianæ, quæ negat imaginib. adorationẽ, ſtante præſertim ſecũdo Decalogi pręcepto, cuius ſenſum expreſſit ſemper vetus Eccleſia, & cũ illa Gregorius: quę regula adhuc viget; igitur cõtradictio illa ſatis erat ad definitionẽ Concilij Nicęni inf[illegible]gendã; & in hoc ſẽſu autoritas Cõcilij prouincialis tollit autoritatem Concilio generali, hoc eſt impedit ne illud obtineat autoritatem.

g Baro. to. 9. an. 794. n. 39. & ſeq.

h Bellar. de imag. l. 2. c. 14.

i Binius in notis ad Concil. Francof.

k Caſſand. ep. 19.

LXIII. Et ſi quis contendat Concilium Francoford. poſitiue, & in actu ſignato Nicænam illam ſynodum generalem non damnaſſe, ſiquidem nullum apparere videatur decretum damnatiuum: ſatis tamen eam damnaſſe in actu exercito dici poteſt, & quodammodo negatiue: quatenus non modo non conſenſit, ſed etiam expreſſe diſſenſit, & contradixit, ſuæque contradictionis legitima fundamenta poſuit: quam contradictionem Eccleſiæ multæ approbarunt. Quia igitur non modo Concilia, ſed etiam priuata quæcunque Eccleſia, imo priuatus quicunque doctor poſſunt contradictionem Concilio cuicunq; etiam generali, & à Papa confirmato, cum primum ad eorum notitiam peruenerit, opponere; viuente hac certa imo etiã probabili duntaxat contradictione autoritas illa Concilij illius tota concidit, quouſq; tollatur ſufficienter contradictio; quia ſtante contradictione Eccleſia vniuerſalis nõ intelligitur Concilium illud ſua admiſſione, confirmaſſe: ſine qua confirmatione iudicium conciliare non tranſit in rem iudicatã, vt dicto cap. 3. probaui. Atq; ita contradictio quęcunq;, & à quocunq; damnare

poteſt,

poteſt, in actu exercito, Conciliares definitiones: hoc eſt, impedire ne vim habeant ſentẽtiæ definitiuæ. Et ad contradicendũ hoc pacto quilibet etiam priuatus, nedũ Cõcilia, plenã habet autoritatẽ. Sic igitur Conciliũ Francofordienſe cũ fortaſſe nollet, ex reuerẽtia ſedis Apoſtolicæ, dãnare definitionẽ illam Nicænæ Synodi de adorãdis imaginib. per decretũ poſitiuum, ſatis habuit contradictionẽ ſuam, & ſententiã tranſmittere ad Adrianum Romanum Pontificẽ, in illis libris, qui Carolini vocãtur, contẽtam, vt ille quoq; in eorũ veniret ſententiã & Eccleſiam ab errore imprudenter Niceæ definito, & Romæ approbato liberaret, & ſimul ipſorũ videret excuſationes, quare nolint illi definitioni obtẽperare, eamq; vt pceptiuam admittere, ea per ipſos adhibita moderatione, q̃ ſuperius poſui, n. 60. vt nemo imagines adorare cõpellatur, & liberũ ſit eas vel adorare vel non adorare, vſus tamen earũ retineatur. Hæc eſſet moderata definitio Cõcilij Francoford. optima, & legitima, & plena autoritate facta, & à multis Eccleſiis approbata; quæ definitio ſi definitionẽ contrariam Nicænæ Synodi nõ perimit, eam ſaltem mortificat, & illius tollit autoritatẽ. Ex quo ſecutũ eſt vt poſt hoc Concilium Francof. Synodus illa ſeptima Nicęna nõ ſit ab Eccleſia vniuerſali admiſſa vt legitima, neq; in numerum œcumenicarũ Catholicarum ſynodorum repoſita, vt oſtendi.

LXIV. Erraſſe vero Cõcilium hoc Francof. interueniẽte fraude & deceptione, & per malã in facto inſtructionẽ, nõ poſſum mihi perſuadere. Non nego aliquid erroris ex ęquiuocis potiſſimum duab. illis ſynodis, q̃ vtraq; ſeptima vocata eſt, in hiſtoria potius, quã in re ſcriptorẽ, vel ſcriptores librorum Carolinorũ comiſiſſe, Patres tamẽ Concilij Francof. erraſſe nõ arbitror: qui pbe ſciebant verã Concilij Niceni definitionẽ, quam ipſi ſibi diſcutiendã propoſuerunt, ab ipſomet *a* Adriano Roma ad Carolum magnum miſſam: & adorationẽ omnem imaginibus ita ſuſtulerunt, vt nemo eas adorare cogeretur: quacunque adoratione. Nã verum eſt ſcriptores librorum Carolinorum putaſſe in ſeptima ſynodo adorationẽ verã diuinã latriæ imaginibus deberi fuiſſe definitum: quia aliquæ antiquorum Patrum autoritates fuerũt in eo Concilio productę in quib. vnus, & idem cultus deberi dicitur imagini, & prototypo, vt nos ſuperius explicauimus. Definitio tamen Cõcilij fuit, vt imagines adorentur, non tamen latria, q̃ definitionẽ Patres Cõcilij Francof. repudiarunt; quia ſciebant omnem religioſam adorationem eſſe verã latriã; & ita de adoratione ſimpliciter ninimum religioſa, non de ſola adoratione propria latriæ decreuerunt eã imaginibus, ex pcepto ſeptimæ ſynodi ne ceſſatio nõ deberi. Neque quicquid ſcriptum eſt in libris Carolinis, totum id dictatum fuit in Cõcilio Francof. illi n. libri oblati fuerunt Cõcilio; ſed ſimul cum illis libris cõiuncta fuit ad Adrianum à Carolo magno ſentẽtia illa Concilij, quã ſupra poſui n. 60. quæ ſententia nulli iñititur errori, nulli falſæ informationi, ſed *b* Gregorij dicto tota hęret, quod ſicut vſum imaginum relinquit, ita omnẽ tollit ipſarum adorationem, vt explicaui n. 47. huius cap. quis enim tam rudis eſt qui putet celeberrimum Concilium, magni Caroli iuſſu, & fortaſſe pręſentia, congregatum, in quo Adriani Ro. Pont. legati adeſſent, potuiſſe ita ſtulte agere, vt generalem ſynodum nõ ex veris, legitimis, certis ipſius actis diſcuterent?

a Hincma. Rhemen. ad Hincm. Laudun. c. 20.

b Adrian. ep. 3. c. 25. ſecundæ feriei.

LXV. *Cur igitur*, inquies cum *c* Baronio, & *d* Bellarmino, *Francofordienſes negant ſynodum illam Nicænã fuiſſe ab Adriano Papa confirmatam, ſi plenam illius habuerunt cognitionem*: Reſpondeo, Autores librorum Carolinorum ita ſenſiſſe, imo aliquẽ ex illis (videtur enim aggregatum obſeruationum à plurib. obſeruatoribus, nõ ſimul iunctis factum) neq; conſtat Conciliũ ipſum Francof. id oppoſuiſſe. Sed eſto oppoſuerit, certe ob reuerentiã Domini Papę voluerunt factum ſuum mitigare, aſſerentes ſe tanto facilius illam ſynodum repudiaſſe, quod à Papa expreſſe confirmatam non inuenirent: vt hoc etiam nomine tãto minus illa haberet autoritatis. Potuerunt autem merito negare ſynodum illam fuiſſe à Papa Adriano cõfirmatam, quia reuera ipſe per ſuos legatos facta nõ ratificauerat. Et ſcimus Romanos Pontifices aliquoties, ea, quæ per ipſorum legatos fuerunt ipſorum nomine firmata, infirmaſſe, & reuocaſſe, ac legatos puniuiſſe; ipſum porro ſua propria approbatione ſynodum illam non firmaſſe fatetur ipſemet. Ait enim: *e Ipſam ſuſcepimus ſynodum.*] Hoc eſt quãtum ad nos, admiſimus, non reſtitimus, non reiecimus; Nã ſi, inquit, *eam minime recepiſſemus & ad priſtinum vomitum erroris fuiſſent reuerſi* (Græci) *quis pro tot millium animarum Chriſtianorum interitu habuit reddere rationem? &c.* Et mox ſubdit: *Nos vero adhuc pro eadem ſynodo nullum reſponſum hactenus eidem Imperatori*, Conſtantino Irene, *reddidimus, metuentes ne ad eorum reuerterentur errorem.*] Hic igitur plane conſtat verum eſſe, ſynodum illam non fuiſſe ab Adriano expreſſe confirmatam, imo ſcrupulis mentem Adriani non caruiſſe, dum adorationem imaginum admitteret: quam negare iam à Græcis firmatam non audebat, & hoc ſolo reſpectu ſilentium tenebat; nam ſi reſcribendum fuiſſet, profecto innuit, ſe debuiſſe definitionem illam Nicænam reiicere: dicit enim ſe nullum reſpõſum dediſſe Imperatori, ne ad errorem ſuum imagines penitus abolẽdi Græci reuerterẽtur. Quod ſi cẽſuiſſet definitionẽ illã bonã fuiſſe, ſcribere literas cõfirmatorias potuiſſet, quę metum illum nullũ penitus reddidiſſent. Atq; hic ſcrupulus fecit vt acta illius ſynodi ad Carolum Francorum Regẽ in Concilio aliquo diſcutienda, vt diximus, tranſmitteret; ad quã diſcuſſionem reſponſio etiã illa Adriani ad libros Carolinos, & iudicium Concilij Francofordienſis, tota pertinuit, nihil ad definitionẽ; nã reſponſio in præcipua quęſtione frigida eſt, & nullius momenti. Ob reſpectum tamen iã prædictum, & quia adoratio illa ſuperſtitioſa iandiu Romę inualuerat, voluit in praxi eã Adrianus omnino retinere, de quo hęc Hincmarus, *f Autoritate igitur huius ſynodi*, Francofordienſis videlicet, *non nihil repreſſa eſt imaginũ veneratio: ſed tamen Adrianus, & alij Pontifices in ſua opinione perſeuerarunt. Et mortuo Carolo ſuarum pupparum cultum vehementius promouerunt, adeo vt Ludouicus Caroli filius libro longe acriori inſectatus ſit imaginum cultum, quam Carolus.*] Hęc ille. De Ludouico dicemus inferius. Nimiũ ergo audacter *g* Baronius Concilij huius Francof. acta reſciſſa fuiſſe ex ſua ſola imaginatione aſſerit.

c Bar. to. 9. an. 794. n. 42

d Bellar. de

imag. 26 14.

e Adria ep. 3. ad finem.

f Hincma. vbi ſup.

g Baro. to. 10. an. 825. n. 60.

LXVI. Magnum fuit Concilio Francofordienſi fundamentum, vt vidimus, aduerſus Nicęnam hãc ſecundam ſynodum, Gregorij magni doctrina: quã cum ſibi obiici à Carolo magno vidiſſet Adrianus, *h* verſat ſe in omnes partes, vt ab ea ſe expediat: fatetur enim illã Gregorij doctrinam eſſe omnino retinendam: Adriani veſtigia ſequitur *i* Baronius: & volunt omnino definitionem ſeptimæ ſynodi, quæ fuit ſecunda Nicęna, Gregorianę regulæ eſſe omnino cõformem, vt cultus imaginibus exhibeatur, ſed à latria caueatur. Falluntur tamen plurimum, quia Gregorius nullum cultum exhiberi vult ipſis imaginib. per ſe, neq; etiam propter reſpectum quem habent illæ ad ſua exemplaria; ſed ad ſummum admittit, vt coram imagine liceat procumbere, non vt ipſa imago, ſed

h Adrian. ep. 3 c 50. 61. & ſecundæ feriei c. 19. & c. 25.

i Bar to. 9. an 794. n. 81. & ſeqq. & to. 8 an. 599. n. 24.

go,ſed vt ipſum ſolum prototypum, ſi ipſum ſit adorandum,ſic adoretur: q tamen,niſi mētali diſtinctione, & bene recta intētione fiat, monuimus eſſe valde periculoſum, ideoq; etiā Gregorius ad Serenum ſcribens adorationē abſolute populo auferebat. Vrgent aliam Gregorij Epiſtolam ad Ianuariū, in qua iubet imaginē & Deiparæ & Chriſti perperā ac per vim,inuitis, & renitentibus Iudæis in eorum ſynagogam inductam, inde *a cum ea qua dignū eſt veneratione tolli.*] Venerationem ergo imaginum Gregorius admittit. Sed hęc veneratio,nō eſt adoratio, non eſt cultus, non enim vult vt in genua coram eā procumbant, eamq; thurificent, & ad eam orantes manus tendant, & accenſis facibus proceſſionaliter eam educant è ſynagoga, & in Eccleſia cum hymnis, & ſacris canticis inducant; veneratio q̄ commendat eſt aliquid negatiuum, ne videlicet cū contemptu deiiciatur, & indigne tractetur, quæ veneratio etiam ſacris vaſis, & linteaminibus debetur, vt non tanquam res abiectæ, & viles habeantur; vt vidimus cum Theophilo Alexandrino, & Hieronymo, noſtro l.5.c.6.n.106. quæ profecto vaſa, & linteamina nemo vnquam dixit propterea eſſe colenda, & adoranda, quocūq; genere cultus & adorationis. Ex eadem vero Gregorij epiſtola ad Ianuarium aliud pro cultu imaginum colligit Adrianus argumentum, leue ſatis, ne dicam ridiculum. Indiſcretum eorum zelum reprehendit Gregorius, qui in ſynagogam Iudæorum imaginem B. Mariæ virginis, cum filio, & crucem, vi inuexerant, vt ſic aliquo modo vi Iudæos ad Chriſtianam fidem adducerent; *b Admonendi ſunt*, inquit Gregorius, *atq; ſcire debent, quia hoc circa eos* Iudæos *temperantia magis vtendum eſt, vt trahatur ab eis velle non reniti; non vt adducantur inuiti, quia ſcriptum eſt, voluntarie ſacrificabo tibi, &c.*] His ſubnectit Adrianus: *c* Ecce ſanctus Gregorius non eſt auſus contradicere tali fidei pro ſacris imaginibus, ſed magis eam confirmauit, vbi dixit, *Non adducantur inuiti.*] Gregorius intelligit vt per has violētias non adducātur ad fidem Chriſtianam inuiti: non vt non adducuntur inuiti ad fidem in imagines, & earum cultum. Et vt Gregorium ſuum faciat Adrianus, *d* adducit hiſtoriolam de *e* oratorio ab ipſo Gregorio in ſuo monaſterio parato, & picturis ſacrarum imaginum exornato, ante quas procumbens Eleutherius ſimul cum Gregorio, valetudinem ſtomachi ipſi Gregorio impetrauit. Vidit enim Adrianus ſuo adhuc tempore oratorium illud imaginibus exornatum; & ex ſe addidit hiſtoriolæ, illud procumbere ante imagines. Sed Gregorius neque imagines, neque vllum procumbere nominauit. Itaque ex regula Gregoriana nullus cultus vel minim⁹, nulla adoratio imagini p ſe, & ſui gratia, ob quemcunq; reſpectum debetur. Et cōtra hoc ſynodus 7. decreuit, eas eſſe adorādas: interpretatur Adrianus, Patres illius ſynodi imaginibus, *f* oſculū dūtaxat, & honorabilem ſalutationem reddidiſſe.

a Greg. l. 7. Ind. 2. ep. 5.
b Greg ibi.
c Adrian. ep. 3. c. 50.
d Ibid. c. 19. ſecundæ Seriei.
e Greg. Dialog 3. c. 33.
f Adrian. ep. 3. ad finem.

LXVII. Gallicana Eccleſia, ſaltem ex maxima ipſius parte, non ſolum per Concilium hoc Francofordienſe Nicænæ ſynodo ſeptimæ generali reſtitit, & cōtradixit, imaginum quancunq; adorationem cū Carolo magno reiiciens; ſed quia poſt mortem Caroli (vt Hincmarus ſuperius n. 63. aſſerit) cultus imaginum iterum in Gallia inualuit, Ludouicus Caroli filius non imagines, quas contra Iconomachos *g* ſtabiliuit, ſed cultum & adorationem ipſarum, quippe ſuperſtitioſum, ſi non idololatricum, tollere per ſuas ſynodos, ſeu collationes totis viribus eſt conatus, ſeptimamq; ipſam ſynodum denuo, quo ad cultum duutaxat imaginum, abiecit; quid vero à Ludouico, & ſub Ludouico contra cultum imaginum factum fuerit, & ſi diu latuerit, libellus tamen nuper ſub nomine, *ſynodi Pariſienſis de imaginibus*, editus, ſatis explicat. Eum *h* Baronius abſolute non reiicit, ſed reprehendit; Bellarminus vero ſuſpectum habet ne ſit confictus. Vterque tamen in eum inſurgit acriter. Mihi libellus ille veteri doctrinæ, & praxi Eccleſiaſticæ antiquæ totus, ſumma cūm pietate, hærere videtur. Non eſt ille quidem exactus, ſicut neque illi libri Carolini, ſed pro infælicitate eorum temporum, quando inſcitia regnabat, tolerabilis. Niſi Concilium Francofordienſe in eadem fuiſſet ſententia cum Carolo magno vti probatum iam eſt, niſi Adrianus ipſe primus circa adorationem imaginum, & circa definitionem Nicænam, vt vidimus, titubaſſet; niſi antiquitas, & cum ipſa Gregorius cultum & adorationem imaginum ſuſpectam, & periculis plenam, habuiſſet; niſi Gallicana Eccleſia iam ſatis cultui huic, & adorationi obſtitiſſet; &, ſi libellus hic primus eſſet, qui contra perpetuum Eccleſiæ ritum; cultum imaginum impugnaret, merito fortaſſe ſuſpectus haberi poſſet; ſed certe nulla eſt occaſio ſuſpicandi, cum præſertim non pauca ex hiſtoricis *k* confirmentur, & nihil ſolidum ei obiiciatur, quod facile ferme ſe ipſo non concidat; ſed illum nos paulo inferius ab obiectionibus vindicabimus.

g Walfrid. de reb. Eccl. c. 8.
h Baro. tō. 9. ad ann. 825.
i Bellar. append. ad tract. de imagin.
k Apud Baron. to. an 825. 17 & 32.

LXVIII. Argumentum huius libelli tale eſt. Scripſit Michael Balbus Imperator Grecus ad Ludouicum Piū Imperatorem latinum epiſtolam bene longam, in qua poſt alia multa, ſignificauit Eccleſias propter imagines Chriſti & ſanctorum in duas partes eſſe diuiſas, cum alij adorandas, alij non adorandas eſſe contenderent; & ſimul petiit, vt Ludouicus in Occidēte operam daret, vt ſublato ſuperſtitioſo cultu imaginum Eccleſia pacem & vnionem recuperaret. Ludouicus his literis acceptis, cū ſciret ipſam Romanam Eccleſiam, & multas alias ei adhærentes eo morbo laborare, noluit huius negotij tractationem aggredi ſine ſpeciali Romani Pōtificis aſſenſu, vt eo habito, etiā ipſa Romana Eccleſia correctioni ſubderetur. Per legatos igitur Romam miſſos *l* facultatem obtinuit ſup his tractādi. Conuocat itaq; viros doctos vt hac de re inter ſe conferant. Illi cultum, & adorationem imaginum, cum reliquis hinc ſequentibus abuſibus intolerandū eſſe cenſent; Michaeli Balbo Imperatori Orientis aſſentiendū eſſe, & cooperandum ſtatuunt; colligunt teſtimonia Patrū cōtra imaginum adorationē; formant literas quas Papa ad Michaelem ſcribere deberet; & alias quas Ludouicus ad ipſum Papam daret hortatorias ad legationem in Græciam mittendam, & Eccleſiam pacificandam. Adſunt demum literæ Ludouici ad Hieremiam, & Ionam Epiſcopos, quos Romam ad Pōtificem mittit; eoſq; inſtruit quemadmodum prudenter cum Pontifice ſe gerere debeant, vt eum ad ſuam ſententiam pertrahant.

l Nos l. 5. n. 84.

LXIX. Ex literis Imperatoris Græci ſatis intelligitur, ſicut in Occidente à Gallis, ita etiā à Græcis in Oriēte definitionē ſeptimæ illius ſynodi Nicææ celebratę, quatenus cultum & adorationē imaginum ſtabiliuit, non fuiſſe paſſim admiſſam, & approbatam, ſed contradictiones inueniſſe, vt ꝑpterea etiam ex defectu neceſſariæ approbationis, & confirmationis, per Eccleſiam vniuerſam auctoritatē non obtinuerit. Ingentes n. abuſus ſubſecuti ſunt definitionē illam Nicænam, nempe imagines eſſe colēdas, & adorandas, & longe turpiores exceſſus q̄ fuerant Iconomachorū imagines confringentiū, & deſtruentiū: eos Michael his verbis recenſet. *m Primum quidem* honori-

m Synod.

Cc

Pariſ. de imagi. & apud Baro. to.9. an. 824.n.27. & ſeqq.

honorificas, & viuificas cruces de ſacris templis expellebant, & ad eadem loca imagines ſtatuebant, ponebantq; lucernas coram eis, ſimul & incenſum adolebant, atq; eas in tali honore habebant, ſicut honorificum & viuificū lignum, in quo Chriſtus verus Deus noſter crucifigi dignatus eſt propter noſtram ſalutem. Pſallebant, & adorabant, atq; ab iiſdem imaginibus auxilium petebant: pleriq; a. linteaminibus eaſdem imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de Baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Alii vero religioſum habitū monaſticum ſumere volentes religioſiores perſonas poſtponebāt, qui prius comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant, adhibitis imaginibus, quaſi in ſinum earum decidere capillos illorum ſinebant. Quidam vero ſacerdotum, & clericorum colores de imaginibus radentes immiſcuerunt oblationibus, & vino, & ex hac oblatione poſt miſſarum celebrationem dabant, communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus imaginum ponebant, vnde communicare volētes accipere fecerunt. Non nulli vero ſpreta Eccleſia in communibus domibus tabulis imaginum pro altaribus vtebantur, & ſuper eas ſacrum myſterium celebrabant. & alia multa his ſimilia illicita, & noſtra religioni contraria in Eccleſiis fiebant, quæ à doctioribus, & ſapientioribus viris ſatis indigna eſſe videbātur. Propterea ſtatuerunt orthodoxi Imperatores, & doctiſſimi ſacerdotes Locale adunare Concilium, ad inquiſitionem ſuper his habendam: qui in idipſum conuenerunt ſancto Spiritu inſpirante. Talia vbiq; communi conſilio fieri prohibuerunt, & imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, & eas quæ in ſublimioribus locis poſita erant, vt ipſa pictura pro Scriptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere permiſerūt, ne ab indoctioribus, & infirmioribus adoraretur, neq; eis lucernas accenderent, neq; incenſum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum & nos nunc ſentimus, & tenemus, abiicientes de Eccleſia Chriſti eos qui huiuſmodi malignis inuentionibus ſtudent. Propterea quidam illorum qui noluerunt ſuſcipere Concilia Localia, & à veritate redargui fugerunt hinc, & venerūt ad antiquam Romam à Deo conſeruatam, iniuriā, ac calumnias Eccleſiæ inferentes, & veræ religioni detrahentes, quorum peſſima verba, & blaſphemiis plena poſtponentes, noſtra potius orthodoxa gloriæ ſuæ manifeſta facimus, quia nos ſymbolum ſanctarum, & vniuerſalium ſex ſynodorum, quod ab omnibus orthodoxis Chriſtianis tenetur, non tantum prædicamus, ſed etiam inuiolabiliter corde tenemus. Trinitatē in tribus perſonis diuiſam colimus, &c.] Magna horum abuſuum pars hodieq; inter nos viget. Græci itaq; ipſi Nicænam illam ſynodum, Conciliis coactis propter iſtos abuſus & exceſſus, abiecerunt: Id eo Imperator hic non niſi ſex œcumenicas ſynodos admittit.

LXX. Conuentus porro ille Gallicanus, qui iuſſu Ludouici ad collationem conuenerat, Græci Imperatoris deſiderium optimum eſſe vidit, & iuſtū, atque Catholicam eius propoſitionem agnouit. Req; mature diſcuſſa & conſiderata ad Ludouicum dat literas, in quibus inter cætera hęc habent, ^a *Primum Epiſtolam Domini Adriani Papæ, quam pridem pro imaginibus erigēdis Conſtantino Imperatori & Irenē matri eius ad eorū deprecationem in trāſmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, & quantū noſtræ paruitati reſpatuit. ſicut iuſte reprehendit illos qui imagines ſanctorum temerario auſu in illis partibus confringere, & penitus abolere præſumpſerunt; ſic indiſcrete noſcitur fecisse, id quod ſuperſtitioſe eas adorare iuſſit. Pro quorum etiam cauſa ſynodum cōgregari præcepit, & ſua autoritate ſub iureiurando cenſuit, vt erigerentur, & adorarentur, & ſanctæ nuncuparentur; cum eas erigere licitum, adorare vero nefas ſit.* Inſeruit etiam in eadem Epiſtola *quædam teſtimonia ſanctorum Patrum, quantum nobis datur intelligi, valde abſona, & ad rem de qua agitur minime pertinentia. Ex huius nanq; Epiſtolæ textu Imperator & clerus, ſimulq; populus autoritatē ſumentes ſynodum fecerant* (ſeptimam dictam generalem, ſecūdam Nicænam) *in qua, ſicut illi multum deuiauerunt, qui imagines ſanctorum in illa alia ſynodo, quæ ſub Conſtantino auo memorati Conſtantini facta eſt, penitus abdicandas eſſe decreuerunt; ſic iſti non mediocriter errauerunt, qui eas non ſolū coli, & adorari, & ſanctas nūcupari ſanxerunt, verū etiam ſanctimoniam ab eis ſe adipiſci profeſſi ſunt.* Hęc eſt exaggeratio. *Eandem porro ſynodum cū ſanctæ memoriæ genitor veſter coram ſe ſuiſq; perlegi feciſſet, & multis in locis (vt dignum eſt) reprehendiſſet, & quædā capita, quæ reprehenſioni patebant prænotaſſet* ſiue per ſe ſiue per alios, *ea per Angilbertum Abbatem eidē Adriano Papæ direxiſſet, vt illius iudicio & autoritate corrigerentur, ipſe Adrianus rurſus fauendo illis, qui eius inſtituta tam ſuperſtitioſa, tamq; incongrua teſtimonia memorato operi inſeruerant per ſingula capitula in illorū excuſationem reſpondere quæ voluit, nō tamen quæ decuit, conatus eſt. His igitur præoccupatis ingenii animaduerſis & intellectu — cum — cuncta cognouiſſemus, qualiter partim veritatis ignorantia, partim peſſimæ conſuetudinis vſu huius ſuperſtitionis peſtis illis in partibus* Romæ, *inoleuiſſet, & priora, & poſteriora ſtudioſiſſime conſideraſſemus, intelleximus, quātum vobis res patuit, quo Zelo ad has conſiderandas veſtra ſancta deuotio excitata fuerit. Non n. ignoramus animū veſtrum magno tædio poſſe affici, cum illos à recto tramite quoquo modo conſpicitis deuiare, qui ſumma autoritate præditi,* Intelligit Papam; *deuiantes, quoſq; debuerant corrigere. Illo nēpe zelo accenſi eſtis, de quo B. Paulus Apoſtolus dicit.* ^b Quis ſcandalizatur & ego non vror? ^b 2. Cor. 11. 29. *Cum n. duos in periculo conſtitutos inſpexiſtis, & à via regia declinantes, vnū ſcil. ad ſiniſtram in abruptum confringendarum imaginum prolapſum, alterum vero ad dexteram, in ſuperſtitioſam videlicet earundem imaginum adorationē procliuem: voluiſtis vos affectu pietatis medium opponere, & vtriuſq; partis morbo ſalutiferam medicinam cōferre.*] Monent vero ita prudenter agendū, vt ſi fieri poſſit Romanus ipſe Pontifex, cum ſuis, in eadem iandiu ſuperſtitione imērſus, ad veritatem reducatur, & ex errore pedem retrahat. Dicuntq; ſe ad hoc documenta ex Patribus ſufficientia, pro anguſtia tēporis, collegiſſe; *vt vnuſquiſq; fidelis,* inquiunt, *ea perlegens animaduertere queat quod imagines ſanctorum ſtulta præſumptione non ſunt confringendæ, & ad iniuriam ſanctorum abolendæ, & penitus deſpiciendæ: nec aſſertione ſuperſtitioſa colendæ aut adorandæ, ſed potius huiuſcemodi ſuperſtitione remota, iuxta veram religionem, memoriæ, & amoris cauſa, ob recordationem eorum, quorum imagines habendæ, ſicut à Beatiſſimo Gregorio ſatis catholice perſpicueq; dictum declaratur.*] Et ita ſe Imperatoris Græci Catholicæ, & prudenti ſententiæ coniungunt. Vt imagines retineantur, ſed non colantur, ac proinde vtraq; ſeptima ſynodus à Græcis vocata reiiciatur; & illa quæ Conſtantinopoli ſub Copronymo imaginum vſum penitus aboleuerat; & illa quæ Nicææ imaginibus cultum, & adorationem decreuerat. Catholicum enim ſenſum in medio merito collocabant.

^a Synod. Pariſ. & Baron. ibi. an 825. n. 5.

LXXI. Quem finem aut effectum huius conuentus; & collationis conatus habuerit, ignoramus, neq; ſcimus an Ludouicus & literas illas à collatorib. formatas ſcripſerit, & legationes in Orientem expediuerit. Sed arbitror pios Ludouici conatus, ſolitam Romanorum Pontificum in ſuis erroribus obſtinationem, ne à quoq; corripi, & corrigi videantur, irritos feciſſe. Legatos n. ſuos, Zachariam & Ionam procul dubio, inſtituit, iiſq; comiſit vt iuxta collatorum cōſilium, quod ſibi omnino placuiſſe ipſis aſſerit, Romæ negotium tractent. Vlterius memoriæ nihil proditum eſt. Certo Ionas iſte, hoc eſt Aurelianenſis Epiſcopus, tractatum plenum de imaginibus, contra Claudium Taurinenſem, eas abolere conantem, retinendis, ſed non adorandis, ex ſententia Imperatoris Græci, & Collatorum, quorum ipſe

facile

facile vnus fuiſſe credi poteſt, ſcripſit, & publici fecit Iuris. Idem dico de Walfrido Strabone. Diuinat tamen per ſua ſolita ſomnia Baronius, legatos Ludouici etiam in Orientem fuiſſe profectos. *a* Sed longe procul abfuiſſe, vt orthodoxi Orientales Gallorum reciperent de ſacris imaginibus tranſactionem. Quomodo vero probat Græcos eam non recepiſſe? ex Theodori Studitæ quadam epiſtola, libri cuiuſdam de imaginibus tunc ſcripti cenſuram cõtinente. Quem librum ait Baronius, doctrinam hãc collatorum Gallorũ habuiſſe. Quam hallucinatur miſer? In eo libro ne veſtigium quidem huius doctrinæ apparebat: Autor enim huius libri, vt patet ex ipſa Theodori Epiſtola, contendebat perfectis Chriſtianis ſolas ſcripturas, abſq; imaginibus, ſufficere, ac proinde abſolute damnabat vſum imaginum: Eas duntaxat imperfectis, per ſolã conniuentiam, permittebat. Hæc ne eſt doctrina collatorũ? O præclarum magni Annaliſtæ iudicium. Fuit tamen, non diffiteor, Theodorus Studita in ea ſuorũ Græcorum parte, quæ adorationem imaginibus debitam, cũ Nicæna ſynodo ſeptima generali, aſtrueret, quæ tamen & in Oriente, & in Occidente tot aduerſarios habuit, viros Catholicos, & de Eccleſia Catholica optime meritos.

a Baro to. 9 an 825. n. 62. 63.

LXXII. Noſtris diebus, cum iam ego è cunis exiſſem, anno Domini 1562. Eccleſia Gallicana adhuc ſemina priſca veræ pietatis, (ſuperſtitioſa imaginũ cultura non penitus extincta) fouens, in quodam conuentu, Reginæ Catharinę iuſſu, cũ Carolus nonus Rex minorennis eſſet, *b* *Ex Valentini, & Sagienſis Epiſcoporum, Butillerij, Eſpencæi, & Picherelli Theologorum cõſilio, hæc capita propoſita fuerant, vt quando potius ex animis hominum, quam ex templis, aliiſq; locis, iuxta B. Auguſtini ſententiam, errores eradicandi ſunt, Epiſcopi dent operam per Curiones, vt plebs de recto imaginum vſu ſedulo moneatur, & ita omnis offenſionũ occaſio, Regia conſtitutione accedente Eccleſiæ autoritate, præcidatur: Cui ſi quis repugnauerit, tanquam quietis publicæ, Regiorumque edictorum violator plectatur. In primis ex templis, aliiſque locis tam publicis quam priuatis S. Trinitatis effigies tollatur, tanquam ſacra Scriptura, Conciliis, & veterum Patrum teſtimoniis prohibita, & tantum diſſimulatione, & præſulum, ac Paſtorum ſegnitie tolerata: Idem de aliis profanarum perſonarum, aliorumq; de quibus martyrologium in Eccleſia receptorum fide minime conſtat: Laſciuaq; & minus honeſtæ forma, ac brutorum imaginibus dictum intelligatur. Non iis coronæ, ſerta, veſtes imponantur, nõ thura incendantur, non candelæ accẽdantur; In ſupplicationibus minime geſtentur, non vota & oblationes ad eas fiant, aut genu flexo colantur: Et quia hæc omnia part adorationis ſunt, ex altaribus, excepto venerabili S. Crucis ſigno, prorſus tollãtur; & in parietibus, aut pro vallis templorũ ſtatuantur, ita vt deinceps neq; ſalutentur, nec oſculo impreſſo, votiſue aut donariis colantur.*] Et hæc quidem in conſultationem venere, à piis, Catholicis, & doctis viris propoſita: Sed *c* *Nicolaus Mallardus Collegii Theologus Pariſienſis Decanus interceſſit; & re infecta diſceſſum eſt.*] Tam fixi hærent ſemel in Eccleſia Romana firmari errores, vt fiant omnino immobiles & indelebiles.

b Thuan. hiſt. l. 28.

c Ibid.

LXXIII. Aduerſus hunc ſynodi Pariſienſis libellum Bellarminus Appendicem ad ſuum de imaginibus tractatum adiecit, eiuſdẽ libelli confutatoriam, ſex capitibus cõprehenſam. *d* *In primo cap. nomen ſynodi redarguit, quod nõ fuerit illa ſynodus, ſed ſimplex collatio.* At vero cur non ſynodus vocari poteſt quæcunq; coitio, ſeu quicunq; conuentus, ad quẽ plures conuocati coeant, ſiue ad tractandũ tantum & conſulendum, ſiue etiam ad definiẽdum? *Ait collatores conatos eſſe cauſam Iconomachorũ iuuare, & Catholicæ fidei detrimentum aliquod afferre.* Hæc tamen iniuria grauis eſt, illata viris Catholicis, & q Iconomachiã acriter ſint inſectati. Iconomachi n. illi ſoli intelligũtur, q imaginum vſum abolere conãtur, eaſq; confringunt & deiiciunt, cõtra quos & ſynodus Francof. & hic Pariſienſis conuentus vindices inſurrexerunt.

d Bellar in append. ad tracta de imag. c. 1.

Capite ſecundo. *Michaelis Balbi Imperatoris Græci vitia & ſcelera exaggerat, honeſtamq; ipſius, & piam propoſitionem, qualiſcunq; tandem ipſe in ſuis moribus fuerit, pellẽ ouinam eſſe ait, qua lupus rapax tegeretur. Atq; ipſum Imperatorem diſſenſionis, & diuiſionis in Oriente autorem præcipuum facit; qui ſynodum*, inquit, *generalem, quæ diſſenſiones ſuſtulerat, reſciſſet, & Iconomachiam propagare ſtuderet; & non contentus diſſenſionibus Orientalibus, in Occidẽte quoq; diſſenſiones ſerere, & propagare ſatageret.*] Hęc ſane Bellarmino charitas non potuit dictare. Concilium profecto illud generale Iconomachiã merito ſuſtulit; ſed in alium errorem incidit, dum adorari imagines, contra diuinum pręceptum, & antiquam Eccleſiæ traditionem, voluit; & ita diſſenſiones auxit, non extinxit. Iconomachi n. nolentes ipſi habere imagines, volentes nec habere conſentiebant, Catholici vero volentes eas ipſi habere, nolentes etiam adorare cõpellebant. Imperator vero, & Collatores pacis amatores, moneri volebant omnes, q eas habere volunt, ne amando, vel quolibet modo orando, vel amplectendo, vltra quã oportet, cultũ eis illicitũ impendãt; ſimiliter nec illi q illas habere noluerunt, ſicubi eas aſpexerint, qualibet ignominioſa, vel probroſa deteſtatione ſpernere, cõtumelia afficere, vel lacerare præſumãnt. Et hæc erat optima, & tutiſſima via diſſenſiones cõponendi. Ex adoratione porro nõ modo permiſſa, ſed etiã pcepta, quot abuſus ſuperſtitioſi, & impij enati fuerint, in ſuis literis poſuit Imperator. Eum & Baronius, & Bellarminus mẽdacia ſcripſiſſe aiunt, ſed non probant. Sed nos illorũ errorum nonnullos, & alios pterea erga noſtras imagines apud nos quotidie experimur. Quis pius non ſtupeat, & ex corde ingemiſcat, quãdo ſolennes tranſlationes imaginũ cernit, & geſtationes in proceſſionibus, Papa cũ Cardinalibus; Romæ; alibi Epiſcopo cum toto clero, facib. & thuribulis pręeuntibus & ſubſequentibus, plebe eodem modo genua flectente, & adorante, opemq; ab imagine ipſa implorante, atq; cũ oſtenditur, vel geſtatur Euchariſtia, in qua Chriſti pręſentiam realem iam ã noſtris edocti agnoſcũt, cum vera, & perfecta latria? Quid dicemus de imaginib. in ſanctuariis occluſis, quarum videndarum copia perraro fit, non ſine accenſis cereis, & ſono campanarum; vt plebs eas inſpiciens ceremonias, tota tremebunda vera latria, imagines illas adoret? Huiuſmodi abuſ' mouerunt omnibus temporibus pleroſq; Catholicos, vt licitum etiam vſum tollere ſint conati: Sic Epiphanius: *e* ſic Concilium Eliberinum: Sic liber ille quem Studita ſupra n. 71. reprehendebat. *f* Sic Serenus Maſſilienſis, de quibus ſupra: Sic *g* Gregorius Neocęſarienſis: Sic *h* Claudius Taurinenſis: ſic Bernardus, cuius verba profero: *i* *Omitto*, inquit, *curioſas depictiones, quæ dum orantium in ſe retorquent aſpectũ, impediunt & affectum. — An quoniam cõmixti ſumus inter gentes, forte didicimus opera eorum, & ſeruimus adhuc ſculptilibus eorum? Et, vt aperte loquar, an hoc totum facit auaritia, quæ eſt Idolorum ſeruitus, & non requirimus fructum, ſed datum? ſi quæris quomodo, miro, inquam, modo. Tali quadam arte ſpargitur æs, vt multiplicetur, expenditur vt augeatur, & effuſio copiam parit. Ipſo quippe viſu ſumptuoſarum, ſed mirandarum vanitatum accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad adorandum. Sic opes opibus hauriuntur, pecunia pecuniam trahit, quia, neſcio*

LXXIV.

e Sep. ſyn. gen. act. 4. epiſtola German.
f Ibi. act. 6.
g Greg. ſupra n. 47.
h Ionas tract. de imagin.
i Ber. apol. ad Guliel. 106.

quo pacto, vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis reliquiis ſaginantur oculi, & loculi aperiuntur. Oſtenditur pulcherrima forma ſancti, vel ſanctæ alicuius, & eo creditur ſãctior, quo coloratior, currũt homines ad oſculandum, inuitantur ad donandum, & magis mirantur pulchra, quam venerantur ſacra.] Ars hæc emungendi pecuniam per imagines, noſtris diebus, in noſtrorum ſiue presbyterorum, ſiue Monachorum templis, eſt notiſſima, impoſturis etiam confictorũ miraculorum plena. Sic demum Gerſonius, qui ꝙ libere & aperte atq; explicate aperire noluit, inter dentes tamen muſſitans innuere non deſtitit: *a Iudicate*, inquit, *ſi tanta imaginum & picturarum in Eccleſiis varietas expediat; & an plures ſimplices nonnunquam ad Idololatriam peruertant.*] Vtinam tota Eccleſia Catholica diligenti trutina in altera lance poneret beneficia quę ſpiritualiter à piis ex vſu imaginnm, ſine adoratione capiuntur: in altera vero damna, quæ occaſione adorationis, & cultus animæ, ſiue ex ſuperſtitione, ſiue etiam ex idololatria patiuntur, hæc procul dubio longe præponderaret. Non ſunt igitur omnino reprehendendæ Eccleſiæ reformatæ, quæ aut penitus, aut magna ex parte imagines ſuſtulerunt. Immerito igitur Bellarminus moderationẽ ab Imperatore Græco propoſitam reprehẽdit, quæ moderatio non circunuenit, vt ipſe ait, illos collatores; ſed plane perſuaſit.

a Gerſon in declaratione compend. defectuum virorum Eccleſ. n. 67.

LXXV. Cap. 3. Iraſcitur Bellarminus quod Collatores iſti iudicem ſuum, & paſtorem iudicare voluerint nempe Adrianum ſummum Pontificem. Atqui nõ negabit, puto, Adrianum illas Epiſtolas ex cathedra non ſcripſiſſe. Sed vt priuatum doctorem in illis diſputaſſe. Cur ergo Doctores etiã priuati, multo magis in Cõcilio vniti de alterius Doctoris priuati ſententia iudicium ferre non poſſunt? ſed eſto, ſcripſerit vt Papa, & ex cathedra: ego iam in præcedenti c. 5. probaui illum non eſſe inerrabilem; & vnumquẽque Chriſti fidelem miniſtrum decet *b* murum opponere contra quemcunque, pro domo Dei.

b Ezech. 13. 5.

LXXVI. Cap: 4. Vellicat Collatores quod teſtimonia aliqua inepta, & inepte contra adorationem imaginum protulerint. & quod aliter de cruce, aliter de imaginibus ſentiant. Nos de cruce inferius aliquid ſubnectemus. Quod vero teſtimonia non exacte tractarint omnia, ipſimet ſe excuſant Ludouico his verbis. *c Nos denique ſerui veſtri (ſicut ſuperius præmiſſum eſt) in vnum conuenientes, & de nobis inuicem pro captu intelligentiæ noſtræ familiariter conferentes, teſtimonia ex autoritate diuina, & ſententias ſanctorum Patrum, quæ, prout temporũ anguſtia permiſit, collegimus, & coram nobis legi fecimus, & quicquid cum his de negocio de quo agetur neceſſarium aptumque iudicauimus, & in vnum congerere ſtuduimus, veſtræque Imperiali potentiæ per venerabiles viros Halitgarium, & Amalarium dirigere præſumpſimus, vt videlicet veſtra à Deo vobis collata ſapientia ex his eligat, quicquid neceſſarium dignumque ad idem negocium pertinens iudicauerit, &c.*] Illi in vnam maſſam, quæ raptim potuerunt congeſſerunt: Electionem Imperatori relinquunt. *Sed aliqua*, inquit, *teſtimonia ſunt contra ipſos & pro imaginum adoratione. Ex ſynodica Gregorij; Nos non ob aliud nomen imagines facimus & adoramus, ſed pro nobis, &c:*] At vero quid ſit in Gregorio adorare imagines, iam explicauit ipſemet ſupra nu. 66. nihil aliud eſſe niſi prototypum in imagine adorare. Sic etiam Baſilij locus, in quo dicit ſe imaginem honorare, & adorare, ex ipſo Baſilio eſt explicandus, vbi ait adorationem imaginis in prototypum tendere. Idem dico de aliis illis paucis veteribus Patribus, qui adorationem admiſerunt.

c Synod. Pariſ. & apud Baro. to. 9. an. 825. n. 13.

LXXVII. Cap. 5. Diſplicet Bellarmino, *quod Collatores tales literas à Romano Pontifice ad Imperatorem Græcum ſcribendas dictarint, in quibus ipſe Romanus Pontifex fide adulетur; & Imperatori tribuat gubernationem, & regimen Eccleſiæ.*] Veteres tamen ſancti illi & Romani, & alij Pontifices hoc ipſum, & in ampliori forma tribuerunt Imperatoribus; & Principibus, vt plene ego probaui lib. 6. cap. 5. & 9. Reprehendit etiam dictũ illud: *Si nulla vnquam picta, vel ficta fuiſſet imago, nihil periret de fide, ſpe, & charitate, quibus ad regnum peruenitur æternum.*] Et tamen propter imagines, inquit, *orta eſt diſſenſio, & diuiſio in Eccleſia, turbata pax, charitas violata.*] Ergo ſi nullæ fuiſſent imagines, hæc earum occaſione non contigiſſent. *Sed hoc ipſorum argumento*, inquit, *non ſolum efficitur, quod ipſi volunt imagines non eſſe adorandas, ſed etiam efficitur, (ſi quid tamen efficitur) imagines omnino de medio eſſe tollendas, quod ipſi nolunt.*] Nequaquam. Potuerunt enim imagines non introduci, quia abſolute neceſſariæ non ſunt ad ſalutem; quando tamen vtiliter introductæ ſunt, dum vtiles ſunt, non ſunt delendæ; ſed retinendæ; ſed ab earum abuſu cauendum. Quod ſi denuo ſine piaculo ex iuſta cauſa tollerentur, fides, & charitas nihil paterentur. Sed ſine cauſa eas tollere non licet. Miniſter Eccleſiæ cælebs, non habens vxorem, poteſt, cum diuina gratia, ſine vxore miniſterio ſuo fungi, & ſalutem conſequi æternam. Si tamen vxorem duxerit, inde non ſequitur eam ipſum debere abiicere, & repudiare; licet verum ſit, quod vxor ei non ſit neceſſaria ad æternam ſalutem ſimpliciter & abſolute. Inſtat tamen vlterius contra illud Collatorum argumentum: & ait, *Quamuis nihil periret de fide, ſpe, & charitate ſi nulla picta, vel ficta eſſet imago, tamen quando picta vel ficta eſt, peccat in fidem, qui eam negat eſſe venerandam; quoniam honor imaginis ad prototypum refertur, quod venerandum eſſe fides docet.*] Dat exemplum, & ſimilitudinem libri canonici, ſine quo perfecta ſit fides, etiam ſi eo careamus: ſi tamen ille adſit fide diuina ei deferendum eſt. Reſpondeo; negandum eſſe id quod ait, contra fidem fore ſi quis neget pictam imaginem, ſiquidem iam picta ſit, eſſe adorandam. Imago enim nulla, etiam rei adorandæ proprie per latriam, eſt adoranda. & ratio quam affert eſt contra ipſum: ſi enim præſente imagine tota adoratio ad ſolum prototypum dirigitur, ergo adoratio illa imagini per ſe nulla ex parte debetur. Neque exemplum libri canonici eſt ad rem. Liber enim Canonicus continet verbum Dei, quod ſemper diuina fide credendum eſt, quandocunq; liber talis extat, etiamſi prius non extaret, nec eſſet omnino neceſſarius: At nulla imago de ſe eſt, aut continet in ſe obiectum fidei, vel adorationis. Voluiſſent Collectores Papam Eugenium reprehendere factum Conſtantini, & Irenes, ꝙ decretum ſynodale de adorandis imaginibus iuſſerint obſeruandum, etiam ſi Adrianus in hoc ipſo eos laudarit: Non enim amẽtis, ſed ſapientis Pontificis eſt male facta ſuorum prædeceſſorum reprehendere, & abolere: amentis vero eſt errores prædeceſſorum aliis grauioribus erroribus confirmare. Neque ſtultitia, ſed ſapientia erat ægre ferre, quod erratis Concilij decreta, in eo in quo & ipſum Conciliũ, & approbatio ſedis Apoſtolicę errant, obtineat. Errаſſe vero Conciliũ illud, etiam cũ Romanæ ſedis approbatione agnouerũt, & faſſi sũt, vt vidimus, tã multi, vt iã dubitari non poſſit. Anaſtaſij Bibliothecarij obiicit Bellarminus autoritatẽ, decretum Concilij Nicæni poſterioris approbãtis: Anaſtaſius tamen cum ſuis Pontificibus errans falſum aſſerit, adorationem imaginum ex antiquitate probari. Nos enim contrarium conuicimus; quia

vſus

vſus imaginum, non adoratio ex antiquitate probatur.

LXXVIII. Cap. 6. Suſpiciones tantum ſpargit Bellarminus fraudum hæreticorum. Sed nulla affert indicia, nullas ſuſpicionis, aut fraudum probationes. Nos vero iam probauimus, & conuicimus impugnationem adorationis imaginum non eſſe opus hæreticorum, ſed optimorum Catholicorum, ſuperſtitionis, & idolomaniæ hoſtiu, ſanæq; doctrinæ, & diuini præcepti amatorum, & obſeruatorum. Quare decedenti ſynodum illam Pariſienſem, & [illegible] graphocã excudenti multas gratias debemus, [illegible] Gallicana illius temporis Eccleſiæ co[illegible] tem, & zelum ſanctiſſimum nob[illegible] feciuni. Ac miror profecto, cur B[illegible] tantopere in eos excandeſcat, qui adorationem imaginum adeo periculoſam vellent tollere; ſiquidem ipſe quoq; vix vmbram quandam adorationis, aut cultus potuerit reperire, quæ imagini per ſe debeatur: audiamus quæſo illum, & videamus in lubrico, ſumma titubatione, incedentem: a *Quinta Concluſio*, inquit, *Cultus qui per ſe proprie debetur imaginibus eſt cultus quidam imperfectus, qui analogice, & reductiue pertinet ad ſpeciem eius cultus, qui debetur exemplari. Explico, Imaginibus non conuenit proprie latria, nec hyperdulia, nec dulia, nec vllus alius eorum qui tribuuntur naturæ intelligenti. Non enim eſt capax res inanima, & rationis expers huiuſmodi cultuum, ſed cultus quidam inferior, & varius pro varietate imaginum. Itaque imaginibus ſanctorum non debetur proprie dulia, ſed cultus inferior, qui dici poteſt dulia ſecundum quid, vel dulia analogice, ſiue reductiue. Similiter imaginibus B. Virginis non debetur hyperdulia ſimpliciter, ſed hyperdulia ſecundum quid, ſiue analogice, & reductiue. Denique imaginibus Chriſti non debetur latria vera & ſimpliciter, ſed cultus ſine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, vt imperfectum ad perfectum. Probatur, ſicut ſe habet imago ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris, ſed imago eſt ipſum exemplar analogice, & ſecundum quid; nam homo pictus eſt homo ſecundum quid, & analogice, ergo etiam imagini debetur cultus ipſi exemplari debitus, imperfectus, & analogice. Præterea, imago reducitur ad ſpeciem exemplaris; nam homo pictus & equus pictus differunt ſpecie, quia homo verus, & equus differunt ſpecie; ergo etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris.*] Non eſt latria, non eſt hyperdulia, non eſt dulia, nec vllus cultus qui naturæ intelligenti tribuitur; eſt cultus inferior, dulia ſecũdum quid, dulia analogice, dulia reductiue, cultus imperfectus, cultus analogicus. Quis tandem erit hic cultus, qui profecto nullus, adeo imminutus, adeo extenuatus, vt totus in auras euaneſcat. Oſculum ſolam, & amplexum dicebat Adrianus in illo ſuo Nicæno Concilio imaginibus conceſſum. Alij ſolam ſalutationem in eo Concilio admittebant: ſed iam multo plus apud nos datur imaginibus in facto: etiam vera latria à plurimis adorantur. Globuli orarij contactu imaginum quarundam putantur ſanctificari: goſſipio in ſummitate virgæ alligato tangitur imago, inde oculos, labia, nares accedentium tangunt miniſtri, clericalibus veſtibus albis induti. Crucifixi imago immergitur alicubi in aquas, quæ in peruigilio Epiphaniæ ſolent precibus, & tali immerſione conſecrari. Mitto innumerabiles alias ſuperſtitiones, quibus plebis animi ad cultum imaginum, re vera ad idololatriam, trahuntur.

a Bellar. de imag. l. 2. c. 25.

LXXIX. Sed neq; mihi videtur verum, quod ait Bellarminus, hominem pictum, & equum pictum differre ſpecie. Hæc enim ſunt opera artis, non naturæ: opera vero diuerſarum artium ſpecie differentium, erunt etiam ipſa inter ſe ſpecie differentia, at opera eiuſdem artis ſpecificæ non erunt niſi indiuidua eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Cum ergo ars pingendi ſit vna ſpecies ſpecialiſſima artium, omnia opera picturæ erunt indiuidua eiuſdem artis; & quod debetur vni operi picturæ, debetur omnibus quatenus picturæ ſunt; & quod vni non debetur, nulli debetur. Cum igitur pictura non ſit niſi æquiuoce ſuũ exemplar, ideo ea quæ exemplari debetur proprie, & vniuoce, picturæ non debebuntur niſi æquiuoce, hoc eſt, nomine tantum, ſed non re. Vt in noſtro propoſito Chriſtus pictus, eſt æquiuoce Chriſtus, nomine, non re; ſi igitur pingatur aliquis adorans Chriſtum, illa adoratio picta erit æquiuoce adoratio. Et ſic concedam imaginibus pictis, vel fictis, per ſe, & directe deberi adorationem æquiuocam, hoc eſt, pictam, vel fictam; non realẽ. Et hoc pacto analogia optime procedit, videlicet, vt ſe habet adoratio realis ad exẽplar reale, ita ſe habere debet adoratio æquiuoca ad exemplaris æquiuocum hoc eſt, adoratio picta ad picturã expreſſi exẽplaris. Analogia vero Bellarmini eſt fallaciſſima, quia nõ fit ſub terminis vere analogicis; ipſius analogia ſic fallaciter procedit. Vt ſe habet vera realis adoratio ad prototypum reale, ita ſe habet alia inferior adoratio, realis tamẽ ad imaginẽ eiuſdem prototypi. Sicut n. imago non eſt niſi æquiuoce ſuum prototypum, ita adoratio imaginis debet eſſe æquiuoce adoratio reſpectu adorationis realis, at ipſe aſſumit aliã adorationẽ realem, & vniuocã, licet quoad gradus inferiorẽ, quã æquiuoco conueniat prototypo, & non reali, & propterea analogia illa eſt omnino neganda, quia non aſſumit terminos proportionales. De ſeptimo argumento hactenus: quod erat ſeptimæ ſynodi generalis Nicææ celebratæ autoritas.

Octauum argumentum pro cultu imaginum eſſe poteſt autoritas octauæ ſynodi generalis: quæ cultũ hunc confirmauit, quod Concilium in ſuo ſecundo argumẽto protulit b Bellar. Ego vero nullam eſſe huius Concilij autoritatẽ probaui c. 10. n. 170. 172. huius. Sed etiã ſi ſumma ipſius eſſet autoritas, videtur poſſe excuſari, quod non adorationẽ, neq; cultũ, ſed ſolum vſum imaginũ cõfirmauerit; vtitur quidẽ verbo adorandi, ſed ſenſus ipſius, & explicatio ab omni adoratione, quæ ipſi imagini debeatur per ſe, videtur eſſe alieniſſima. Canon huius Cõcilij eſt huiuſmodi: c ſacram imaginẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & omniũ Saluatoris, æquo honore cũ libro ſanctorum Euangeliorũ adorari decernimus. Sicut n. per ſyllabarũ eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes, ita per colorũ imaginariã operationem, & ſapientes, & idiotæ, cuncti ex eo; quod in promptu eſt, perfruuntur vtilitate. Quæ n. in ſyllabis ſermo, hæc & Scriptura, quæ in coloribus, prædicat, & commendat. Dignum eſt n. vt ſecundũ congruentiã rationis, & antiquiſſimã traditionem, propter honorem, qui ad principalia ipſa refertur, etiã deriuatiue imagines honorentur, & adorentur, vt ſanctorũ Euangeliorum ſacer liber, atq; typus precioſæ crucis.] Ratio adorationis quæ affertur, non probat niſi vtilẽ vſum, ad adorationem vero non deducit. Sed quia vtilis eſt vſus imaginũ, ideo eas eſſe adorandas concludit, hoc eſt venerandas, ſeu honorandas; vel negatiue, hoc eſt non contẽnendas, nõ vilipendẽdas, nõ abiiciẽdas; vel poſitiue, adoratione nimirũ ſolius prototypi. Liber n. Euangeliorũ propria ipſius adoratione per ſe nõ colitur: ſicut neq; crux: ſed verbũ Dei in libro, & Chriſtus ipſe in cruce colitur, & adoratur. Ideoq; idẽ Concilium paulo poſt, d *Proficuũ eſſe*, ait, *venerabiles, hoc eſt, in precio habendas, & non contẽnendas imagines, pingere.*] Sed nõ ait, proficuũ eſſe eas colere,

LXXX.

b Bellar. de imagin. l. 2. c. 12.

c Octa. ſyn. gen. c. 3.

d Ibid. c. 7.

& adorare; ac præcipit vt ab indignis, & excommunicatis non pingantur. Et optime monuit Aimonius *a fuiſſe in hoc Concilio ad fauorem Romani Pontificis de adorandis imaginibus ſtatutum, aliter quam orthodoxi doctores ante definierant.*]Per hos doctores non intelligit ſeptimam ſynodum, ſed eos qui in Francofor. Concilio, & Pariſienſi ſynodo contra ſeptimam ſynodum inſurrexerunt, & alios eos ſequentes, quod non intellexit *b* Baronius.

a Aimon l. 5. c. 28.

b Baro. to. 10. an. 869. n. 71.

LXXXI. Nonum argumentum. *c* Si vaſa ſacra ſunt per ſe honoranda, quia ſanctificata, & diuino cultui dicata, cur non ſimiliter imagines? Item ſi Legatus Regis eſt etiam per ſe honorandus, neque ſolum in ipſo ſemper Rex honoratur, cur non pari modo imagines, quæ prototypum repræſentant? Reſpondeo. Vaſa ſacra per ſe honoranda nequaquam eſſe, niſi negatiue, hoc eſt, non contemptui habēda, ſed cum aliquo reſpectu tractanda. Sacra enim non ſunt per vllam ſanctitatem inhærentem, cuius capacia non ſunt, quia ſunt res inanimes: Quod vero benedicantur, & cōſecrentur, nihil eſt, nihil enim reale in ſe per benedictionem, & conſecrationem recipiunt, niſi ſolam aliquam extrinſecam denominationem, quæ honoranda non eſt: Ita neq; imagines in ſe quicquam ſacri habent inhærens: ſimilitudo enim realis nu[illegible]tc inter imaginem, & prototypū, vbi vera effigies cum delineamentis faciei non exponitur, ſed per ſolam voluntariam hominum deputationem, & externam denominationem imago refertur ad prototypum. & quamuis imago exprimatur cum aliquo adiuncto, puta Chriſtus, in ſinu matris, in præſepio, in cruce, &c. Petrus cum clauibus; alij aliter; expreſſiones hæ ſunt genericæ, non indiuiduales nam crucifixi imago repręſentat quēcunque hominem crucifixum; ſtatua cum clauibus poteſt repræſentare etiam carcerum cuſtodem; ſed ex ſola libera deputatione repręſentant indiuiduū, quod nos iam repræſentari volumus: & ita in omni imagine eſt ſola extrinſeca denominatio, etiam per benedictionē, & conſecrationem. Legatus porro Principis, per ſe quoq;, & ipſius nomine eſt honorandus, quia homo eſt honoris capax, & illa excellentia, quod ſit ille à Rege ad negocia ſua adhibitus, eſt excellentia iam ipſius propria, & in eo inhærens, quia facultatem veram, & realem habet tractandi Regia negocia, & hæc facit illum per ſe hoc nomine honorabilem: Quatenus tamen repræſentat Regē, in aliquibus actibus ſolet Rex in ipſo multo magis honorari. Imago vero nullius honorabilis excellentiæ, ſeu phyſicæ, ſeu moralis eſt capax, q̄ in eam à ſuo prototypo realiter tranſeat, ideo honoris eſt penitus incapax. Igitur imago veneranda nō eſt, niſi impropriè, quia nimirum coram illa, vel in illa, aut per illā adoratur aut honoratur exemplar: propterea ſimpliciter, & abſolute negandum eſt imagines eſſe venerandas. Dicamus aliquid de cruce.

c Bellar. de imag. l. 2. c. 21.

LXXXII. De ritu circa crucem tria ſolent communiter cōſiderari. Primo an ſit colenda illa ipſa crux, in qua Saluator pependit, etiam in ſuis illius ligni particulis. Secundo an aliæ cruces ex quacunq; materia illam repræſentantes ſint & ipſæ colendæ. Tertio an ſit legitimus vſus ſigni crucis, qui manu, vel digito aut deſignetur, aut imprimatur, licet nulla crux in facto maneat, ſed fiat per actum quendam tranſeūtem. Primo ſane modo crux conſiderata, eſt quædā quaſi reliquia; eam antiquiores ſcholaſtici multi vera latria eſſe adorandam cenſuerunt, & docuerunt, qui Thomam præſertim Aquinatem ſunt ſecuti. Is enim prius cultum *d* hyperduliæ huic cruci, eiuſq; particulis tribuit; Ita Marſilius, & Henricus. Deinde in deterius proficiens, Thomas, latrię cultu eadorandam eſſe aperte pronunciauit. Et quidē dupli ci nomine; primum in quantū crux illa repræſentat nobis figuram Chriſti (*vt ille loquitur*) extenſi in ea: Deinde ex cōtactu ad membra Chriſti; & ex hoc q eius ſanguine eſt perfuſa.] Quod attinet ad priorem hunc adorādæ crucis, in qua Chriſtus mortuus eſt, modum, ille ſane, etſi periculoſus eſt, idolatricus tamen vere non eſt, quia adoratio hæc tota tendit in ipſum Chriſtum crucifixum non in crucem, & ſic lignum illud non eſt id quod adoratur, ſed id quo, ſeu per quod Chriſtus adoratur. vt ſupra diximus de imaginibus rei adorandæ, quatenus per imaginem mens noſtra fertur ad prototypum. Poſterior vero adorandæ crucis Chriſti modus, ab idololatria certe excuſari non poteſt; nam contactus, & perfuſio illa ſanguinis Chriſti nōn cōmunicat ligno diuinitatem, vt diuina adoratione ſit adorandum, etiāſi adhuc extarent tincturæ ſanguinis; qa ſanguis Chriſti extra venas, & extra corpus ipſius, non habet vnionē hypoſtaticam cū verbo; eſtq; pura creatura: *Sicut f Regis purpuram*, inquit Thomas, *eadē veneratione homines venerantur qua Regem ipſum.* Et hoc nihil ad rem: nam & falſum eſſe ſupra dixi, veſtimentum & an̄exa externa adorari, vel honorari, quādo adoratur, vel honoratur perſona; & licet vtcunque verum hoc eſſe poſſit quando actu ipſo veſtimentū vel quippiā aliud tangit perſonam, tunc n. perſona ipſa q̄ præſens eſt adoratur, & honoratur: Abſente tamen perſona, & quando contactus iam tranſiit, nulla eſt amplius cauſa adorandi veſtimentum, vel alia quæ contactum habuerunt, ea adoratione qua perſona præſens veſtimento, ipſa & non veſtimentum adoratur. Sic n. adorandi eſſent claui, lancea, ſpinæ, os Iudæ quo oſculatus eſt Chriſtum: manus crucifigentium, &c. Et ſic hodie apud Dominicanos Genuę adoratur cauda Aſini, cui Chriſtus dicitur inſediſſe. Ex contactu ergo facere lignum adorabile profecto eſt ſumma impietas. Propterea *g* Bellarminus, & *h* Suarez nihil aliud contendunt niſi crucem illam in qua Chriſtus fuit affixus, venerandam eſſe, vel honorandam; adorandam eſſe adoratione latriæ nunquam dixerunt. Et ipſorum probationes eo tādem deducunt, vt lignum illud in pretio habeatur, vt precioſa reliquia aſſeruetur, & cum magna deuotione tractetur, inſpiciatur, conſideretur; ac per ipſum, tanquam per ſingulare memoriale in Chriſtum crucifixum memoriam & affectum dirigamus. Ego ſane maiorem honorem, ſed humanum, vt ſuperius docui, impendendum puto reliquiis ſanctorum, qui veri ſancti ſunt, quam ligno illi præciſe vt lignum eſt, etiam cum reſpectu ad eum qui in ipſo pependit. nam corpora & membra ſanctorum ſunt pars eſſentialis ſancti, cum ipſo ſancto eſſentialiter coniuncta, & quæ in gloriam æternam eſt transferenda; at lignum crucis non eſt pars Chriſti, neque eſt in æterna beatitudine collocandum, neque eſt pars rationalis creaturæ, quæ ſola eſt honorabilis, vt ibidem teſtatur Thomas: Sicubi igitur certum habeatur (impoſturis non caremus) lignum illud, habeatur in precio, argenteis, aureiſque, & gemmatis thecis recondatur; nulla autem ſubmiſſione nonmodo religioſa, ſed ne humana quidem à fidelibus ipſum per ſe honoretur, quia in eo nulla eſt excellentia ob quam ei fideles ſe debeant ſubiicere; affectum tamen, venerationem & adorationem perfectam, per id lignum, in Chriſtum ipſum dirigamus, & paſſionem Chriſti, vt monet *i* Paulinus, per hanc crucem recolamus.

d Aquin. in 3. diſt. 9. q. 1. ar. 2.

e Idem 3. p. q. 25. ar. 4.

f Aquin. 3. p. vbi ſup. & 2. 2. q. 103. ar. 4. ad 3.

g Bellar. de imag. l. 2. c. 27.

h Suarez in 3. p. diſp. 56. ſect. 1.

i Paulin. ep. 11.

Si

LXXXIII Si ipſa primaria Crux in qua Chriſtus redemptionem noſtram operatus eſt, colenda non eſt, nec adoranda, imo nec proprie honoranda, multo minus aliæ cruces, quæ ſint duntaxat illius imagines erunt colendæ per ſe, & venerandæ, & nihilominus *a* Thomas etiam has cruces ſecundarias adoratione latriæ vult cohoneſtari, eo tamen ſenſu quo in imaginibus adoratur prototypum, & explicat *b* Leontius crucis adorationē in Chriſtum tendere, & non lignum à nobis honorari, ſed figuram, quatenus repræſentat Chriſtum crucifixum: nam ſi duo ligna inter ſe cõiuncta ita vt efficiant crucem, ſeparentur, iam & comburi poſſunt, *inquit ille*, & cuicunq; vſui adhiberi, neque in vllo ſunt amplius apud nos honore: *c* Quod etiam Athana. aſſeuerat. Quemadmodum igitur aliarum S. Imaginum vſus ad Chriſti & Sanctorum memoriam conſeruandã & excitandã eſt, vt probaui, retinendus, cultus vero amouendus, ita crucis imagines in eccleſia ſunt omnino retinendæ, ſed nullo modo adorandæ. Vſum vero huiuſmodi crucium habemus in eccleſia vniuerſali antiquiſſimum, & probatiſſimũ. Et quia crux fuit inſtrumentum noſtræ ſalutis, ideo vt tanti beneficii quod per crucē accepimus memores eſſemus, crucē nobis ferme perpetuo ob oculos verſari ſancta eccleſia voluit, & crucē tanquam Chriſtianorum vexillũ vbiq; expandi voluit, vt ſub tali vexillo collecti Chriſtiani, ſe ſuo Domino crucifixo militare ſpiritualiter profiterentur: quia etiã in ipſa corporali militia, pii Principes, & Duces, crucis imaginem in ſuis vexillis habere voluerunt: vt de Conſtantino ferunt hiſtoriæ, & tot hodieq; exempla videmus crucis in vexillis, & inſignibus Principum, Regnorum, Ducum, ſocietatum equeſtrium, & magnorum virorum.

a Aquin. 1. q. 25. ar. 4.
b In ſept. Syn. gen. Act. 4.
c Athan. q. 16 ad Antioch. in eadem ſep. Syn. act 4.

LXXXIV. Si crucis imago in militia etiã temporali, tanquã honorarium ſignũ, & vexillũ expanditur cũ memoria & gratitudine erga illum, qui per crucem nos redemit, quanto magis eadē crucis imago in ſpirituali, & eccleſiaſtica militia vſui pio eſſe debet, tũ in memoriam paſſionis Chriſti, & noſtræ redemptionis, tum in myſterium, vt qui ſub cruce miniſtri Chriſti militant, ex illis ſe eſſe præcipuos ſciant de quibus ait Apoſtolus: *qui d carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*: quiq; ſinguli cum eodē dicunt: *e Mihi abſit gloriari niſi in cruce Dn. N. Ieſu Chriſti. per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Militia hæc noſtra eccleſiaſtica crucē pro ſuo proprio vexillo habet, & geſtat, & ritus hic, vt ad ſupplicationes, præcedēte cruce, procedant eccleſiæ miniſtri, tanquã propriũ ſequentes vexillum, ſicut iam vniuerſalis eſt, ita & antiquũ eſſe cēſeo: certe ante mille & ducentos annos inuenio fideles Chriſtianos Gazenſes, *f* accepto ſigno venerandę crucis quod eos præcedebat ad precationes quaſdã egreſſos. Iuſtinianus *g* geſtationem crucis in publicis litaniis approbat & admittit: & ante mille annos, *h* cruce pręcedente, chorus miniſtrorum eccleſiæ Cæſarienſis in Palæſtina, reliquiis S. Athanaſii mart. Perſæ occurriſſe legitur. Pallia archiepiſcoporũ crucib. plurimis à mille iam an. inſignita inueniuntur: Cruces vero in templis, & S. locis erigi ſolitas fuiſſe antiquiſſimæ extant memoriæ cuiq; paſſim obuiæ.

d Gal. 5. 24.
e Gal. 6. 14.
f Marcus Gazenſis apud Metaphraſt. die 26. Februarii.
g Nouel. 123. c. 32.
h In ſept. Syn gen. act. 4.

LXXXV. Adorare tamen crucē ſiue verã, ſiue ipſius imaginem; etiam cum mētali illa reſeruatione, ſeu formalitate, vt prototypũ in imagine adoretur, mihi res plena periculi videtur. Quia qui ante crucē religioſo ritu proſternitur, aut ei caput inclinat, aliòue ſimili geſtu ſuam internã in ſpiritu adorationē exprimit, is profecto directe illam crucē pro ſuæ adorationis obiecto habet, & ita directe lignum illud, vel aliã materiam adorat. Sed ſicut ab Idololatria ſaltem præſumptiua, ac omnino & ipſa vitanda, nõ excuſatur Ethnicus, etiã ſi dicat ſe verum Deum in ſuo illo ſimulachro præſentē adorare, ita neq; crucē, ſub ea reſeruatione, adorans ab idololatria ſaltē prǽſumptiua poteſt excuſari. Fateor ſatis antiquum eſſe vſum in eccleſiis, præſertim noſtræ occidentis, vt in die Paraſceues fiat crucis adoratio; nã & *i* Albinus, & *k* Ionas Aurelianēſis eorum verborũ meminerunt, quæ illo die recitantur: Crucē tuam adoramus, &c. Mihi tamē nunc videtur illa adoratio eſſe intolerabilis: quia ſcio plurimos, etiã nõ omnino indoctos, nec imperitos, ſed longe plures plebeios ipſam crucē materialem adorare. Sicut ergo imaginum aliarum vſus vt bonus eſt retinendus, & adoratio earum penitus excludēda, ita de imagine crucis eſt omnino aſſerendum: ablata vero adoratione, tollitur omne periculum aut idololatriæ, aut ſuperſtitionis.

i Albin. de diuin. offi. c. 18.
k Ionas Aurelia. de imag. l. 2.

LXXXVI. De ritu in vſu ſigni crucis, dum deſignatur duntaxat vel manu, vel digito, vel imprimitur tranſeunter, *abſq; vlla talis ſigni adoratione, documenta habemus certiſſima, ex quibus conſtat ritũ & vſum ſignandi ſe, vel alios, vel alia ſigno crucis fuiſſe in eccleſia catholica pepetuum & communiſſimũ.* Tria vero ſunt quæ ex antiquitate probantur. Primũ, ſignare ſe ipſos ſigno crucis in fronte, vel alia parte, digito eã pingendo, fideles profecto ab Apoſtolis edoctos cõſueuiſſe: Alterum eſt in rerũ benedictionib. vel cõſecrationib. ſignum crucis vel manu in aere ſuper re benedicenda deſignatũ, vel digito rei benedicendæ impreſſum adhiberi ſolitũ fuiſſe. Tertium, ex tali ſigno præſidium diuinæ protectionis contra dæmones & aduerſa fideles ſperaſſe, & ſæpe non abſque miraculis, obtinuiſſe. Quoad primum, *l* Baſil. maxime commune Chriſtianorum eſſe aſſerit, *ſigno ſe crucis munire, atq; hunc ritum ad Apoſtolicam reducit traditionē*: & communiter hortantur *m* Patres, *vt frequentiſſime in omni negotio aggrediendo nos ſigno crucis in fronte potiſſimum muniamus*: Sic Tertullianus: Cyprianus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius, Hierony. Hunc ritum in ſcripturis figuras & præinſtructiones habuiſſe, in ſignatione ſuperliminariũ ſanguine agni Exo. 12. 7. In ſigno T. Ezech. 9. 4. In ſignatis in frõtibus. Apoc. 7. 3. ſimiliter docent *n* Patres, & ſacræ ſcripturę interpretes. In Baptiſmo ritibus antiquiſſimis eſt vſus, vt poſt baptiſmum ſignum crucis in fronte baptizati imprimeretur: quod ſatis colligitur ex Cypriano, & Cornelio. *Ille enim o confeſſorum frontem ſigno crucis puram vocat; hic vero negat, p Nouatianum fuiſſe Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatum: quia nimium ager in lecto ſine ceremoniis & ritibus conſuetis baptizatus, cætera, quibus poſt Baptiſmum, ſecundum eccleſiæ canonem imbui oportuerat, è morbo elapſus non acquiſiuit.*] Interea igitur, quæ poſt Baptiſmum nuper baptizato conferebantur erat impreſſio ſigilli Dominici, quæ poſtea vocata fuit paſſim in Eccleſia catholica, conſignatio in fronte, pars ceremoniarum Baptiſmi, vt probaui libro 5. capite 5. Baſilius ex traditione deducit conſuetudinem illam, *q Vt figura Crucis ſignentur ii, qui in nomen* DOMINI *noſtri* IESV CHRISTI *ſpem habent.*] *r* Precaturos ſe prius ſigno crucis muniiſſe, habemus ex Chryſoſtomo. Auguſtinus ritum hunc, & vſum ſigni crucis frequentiſſime cõmemorat. Gloriatur quod ſtatim natus à matre ſigno crucis, nec dũ baptizat⁹, fuerit *ſ* munitus. [*Signabar, inquit, iam ſigno crucis, &c.*] Ait etiam: *t Si dixerimus catechumeno, Credis in Chriſto? reſpondet, credo, & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte,*

l Baſil. de ſpir. ſanct. c. 27.
m Apud Bellar. de imagin. l. 2. c. 29.
n Ibid.
o Cypr. l. 4. ep. 6.
p Apud Euſeb. l. 6. c. 33.
q Baſil. de Spir. S. c. 27.
r Chry. ho. de Anna, to. 6.
ſ Aug. l. 1. conf. c. 11.
t Idem in Ioan. tr. 11.

& non erubeſcit de cruce Domini ſui.] Item, a *Quia Dominus honoraturus erat fideles ſuos in fine huius ſæculi, prius honorauit crucem in hoc ſæculo, vt terrarum Principes credentes in eum prohiberent aliquem nocentium crucifigi, & quod cum magna exultatione perſecutores Iudæi Domino procurarunt, magna fiducia ſerui eius etiam & reges in fronte nunc portant.*] Item, b *Crucem illam in qua ille crucifixus eſt in corpore, nos geſtamus in fronte.*] c Item, *Crux finita eſt in pœna, manet in gloria: à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontem imperatorum.*] Item, d *Videam ego in frontibus Regum crucem Christi — & ſq. adeo de cruce non erubeſco, vt non in occulto loco habeam crucem Chriſti, ſed in fronte portem.*] Mitto plurimos alios Auguſtino poſteriores, qui ritum hunc ſignandi ſe ſigno crucis, in fronte potiſſimum, commemorant. Signum igitur crucis quo nunc nos vtimur communiter ducta manu cruce à capite ad pectus, & ab vno humero ad alium non eſt antiqui ritus, ſed moderni; qui & ipſe tamen nihil in ſe continet quod reprehendi iure poſſit; nam, prout vel pueri noſtri ſciunt, per talem ſe ſignandi modum & myſterium Trinitatis, atque incarnationis innuitur, & paſſio Chriſti commemoratur. An vero plus nimio aliquis in tali ſigno non ſine aliqua ſuperſtitione, confidat, videbimus inferius. Ego tamen multo libentius venerandæ antiquitati inhæreo vt in fronte ordinarie, & frequenter ſignum viuificæ crucis imprimendum eſſe cenſeam.

a Idem de verbis Dn. ſer. 18.
b Idem ſer. 19. de Temp.
c Idem in Pſ. 36 concione 2.
d Idem in Pſ. 141.

LXXXVII Quo ad alterum ſigni crucis vſum certiſſima pariter habemus teſtimonia, *ritum eſſe in Eccleſia catholica antiquiſſimum, vt in rerum omnium benedictionibus & conſecrationibus ſignum crucis adſit.* e Dionyſius Areopagita, quiſquis ille ſit, & Chryſoſtomus in omnibus ſacramentis, aiunt, adhiberi ſignum crucis. Iuſtinus, & ille mihi incertus, cauſam cur Chriſtiani ad orientem orarent aſſignat, quia dextra ſunt Deo meliora, f *Sicut etiam*, inquit, *dextera potius quam ſiniſtra ſignum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus.*] Gregorius Nazianzenus, g etiam milites, dicit, in menſa ſignū crucis adhibere ſolitos. Narrat quoque idem Pater matris ſuæ ægrotantis ſomnium; h *viſum eſt*, inquit, *ipſi me, noctu repente ſuperuenientem, cum caniſtro, panibus, quę in primis candidis, pro meo more benedictis, atque cruce conſignatis eam aluiſſe. &c.*] Cyrillus Hieroſolymitanus, i *omnibus rebus etiam cibo & potui, ſignum crucis imprimendum eſſe monet.* Auguſtinus. k *Signum crucis niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium ſiue ipſi aquæ qua regeneramur, ſiue oleo quo chriſmate inungimur, ſiue ſacrificio quo aluntur fideles, nihil eorum rite perficitur.*] Item, l *Crucifixus noſter à morte ſurrexit, & cælos aſcendit, & crucem nobis in memoriam ſuæ paſſionis reliquit ad ſanitatem. Hoc ſignum præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis. Huius crucis myſterio rudes catechizantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, eiuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt, cum eiuſdem crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur. Et vniuerſaliter omnia Eccleſiaſtica ſacramenta in huius virtute perficiuntur.*]

e Areop. de hierar. eccleſ. c. 4. 5. & 6 & Chryſ. ho. 55 in Mat.
f Iuſtin. q. 118.
g Naz. orat. 1. in Iulian.
h Idē orat. in fun. Patris.
i Cyrillus Hieroſ. catech. 13.
k Aug. in Ioan. tractat 118.
l Idem ſer. 3 de annunciat. qui eſt 19. de ſanctis, & de tempor. ſer. 181 c. 3.

LXXXVIII. Quo ad tertium; *Crucis ſignum contra dæmones eſſe præſidium*, & dicta Patrum Origenis, Athanaſii, Ephrem, Sulpitij, Prudentij, Paulini, & facta hiſtorica, ac miracula habes lector, à m Bellarmino collecta non pauca. His addo rurſus Origenem, vbi ait, n *A faſcinationibus non eſſe nobis timendum, ſi noſmetipſos, vel cibum, & potum noſtrum ſigno venerabilis crucis Chriſti ſignauerimus.*] Idem remedium contra præſtigias dæmonum bis in vno tractatu repetit etiam o Athanaſius. Nazianzenus p Vetus remedium vocat, vt in timoribus Chriſtiani ſigno ſe crucis muniant; idque remedium Iuliano etiam iam apoſtatæ narrat profuiſſe. Cyrilli Hieroſolymitani verba ſunt: q *Non pudeat nos crucis Chriſti, quod ſi aliquis id occultet, tu manifeſte ſigna te cruce in fronte, vt dæmones ſignum regium videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc ſignum & manducans & bibens & ſedens, & ſtans, & loquens, & ambulans, in ſumma, in omni tuo negotio.* Chryſoſtomus, motibus internis iracundiæ remedium crucis adhibendum eſſe monet: r *Si ſuccendi cor tuum ſenſeris, pectus*, inquit, *continuo ſignaculo crucis ſignato.*] Item, *crucem*, ait, *in fronte imprime. ſic enim nec ipſe Diabolus lædere poterit.*] Lactantius quoque aſſerit, ſ *Signum crucis terrori eſſe Dæmonibus, eoſque id ex obſeſſorum corporibus fugare.*] Hieronymi documentum ad Heliodorum illud eſt: t *Intus eſt hoſtis? Expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antennæ figatur in frontibus.*] Miraculis etiam à Bellarmino narratis, addo ipſe teſtem omni exceptione maiorem Auguſtinum, qui ſigno crucis fœminæ in mammilla cancro incurabili laboranti redditam ſcribit perfectam ſanitatem. Addo demum Epiphanium Diaconum, qui libellum Iconomachorum confutauit: Is vero ait, u *Nam ſiue in fronte, crucem tanquam ſigillum imprimimus, ſiue per vacuum aera crucis ſignum facimus, ſperamus & confidimus dæmones crucem poſſe fugare.*]

m Bellar. de imag. l. 2 c. 29.
n Orig. l. 3. in Iob.
o Atha. de Incarn. verbi Dei.
p Naz. orat. 1 in Iulia. & Soz. l. 5 c.
q Cyril. catech. 4. illumin.
r Chryſ. ho. 88. in Matt.
ſ Lactant. de vera ſap. l. 4. c. 27
t Hiero. ep. 1.
u In ſept. Syn. gen. Act. 6. to. 4

LXXXIX. Ex his & ſimilibus tum teſtimoniis, tum miraculis manifeſtum redditur, vſum ſigni crucis eſſe in catholica eccleſia antiquiſſimum, ab Apoſtolis traditum, & à Dei euidentibus miraculis tanquam bonum legitimum, ſanctum, & ſibi acceptiſſimum, confirmatum. Solum periculum alicuius ſuperſtitionis temere poſſet aliquis, nec immerito, in plebecula præſertim viliori, ſi nimirum in ſolo ſigno illo externo nimiam quis collocet fiduciam, putetque infallibiliter effectus miraculoſos ſemper id ex diuino aliquo pacto, & certa promiſſione, conſequi. Sed iam certitudinem hanc in fidelibus etiam rudioribus, firmam eſſe, vix potui obſeruare. Licet enim interdum, ex opere quodammodo, vt loquuntur, operato, effectus mirabiles ſigni crucis, etiam apud infideles aliquando euenerint, id tamen rarum admodum eſt, nec vllam habet diuinam promiſſionem. Sed ex eo ſuperſtitioſum nō eſt, quod non ſemper effectum certum aſſequatur, nam & oratio ad Deum non ſemper impetrat, & tamen adeo commendatur. Miror igitur cur, qui reformationem ſequuntur, ritum hunc & imagine crucis vtentem, & ſignum crucis frequentantem abolere voluerint, nimia hæc mihi videtur ſcrupuloſitas, x *vt timore trepident, vbi non eſt timor* & vbi tutam magiſtram habemus antiquitatem, & patrum aſſenſum communiſſimum. Quoniam vero ritus externi plurimum pendent à libertate eccleſiarum, neque vtentes imagine, & ſigno crucis abſque illius adoratione, non vtentes ex timore ſuperſtitionis damnent; neque non vtentes, vtentes vt ſuperſtitioſos contemnant vel abiiciant: Ab adoratione caueatur, & vſus crucium, ac ſigni crucis, vt pius & religioſus, atque ſpiritualiter proficuus, vbi abiectus non eſt, retineatur. Profecto reformatio vera & diſcreta, ritum hunc tollere non debet, ſed abuſum corrigere, ne fiat cum adoratione, aut ſuperſtitione.

x Pſ. 13. 5.

XC. Tertius ritus eſt in publicis precibus peragendis. Orandum eſſe habemus præceptum à Chriſto ſæpius, & ab Apoſtolis repetitum. Quid orare & petere debeamus, exponunt ſcripturæ. Noſtras etiam preces non in ſolis conſiſtere petitionibus, ſed

etiam in laudando Deo, eique ſacrificium laudis
offerendo ex ſcripturis ſimiliter ſatis inſtruimur.
Modus autem quis tenendus ſit, quę laudes dicen-
dæ, quoties ad preces ſit conueniendum; & qui-
bus horis; quibus verbis vtendum ſit, quo ordine
orandum, &c. libertati profecto relictum eſt eccle-
ſiarũ. Ac propterea, licet in genere orandi conue-
nerit ſemper tota eccleſia catholica, in ſpecie tamẽ
magna perpetuo obſeruata eſt inter eccleſias par-
ticulares diuerſitas. Genericum circa publicas pre-
a 1. Tim. 2. 1. ces modum præſcripſit Apoſtolus; *a Obſecro*, ait, *pri-*
mum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes,
gratiarũ actiones pro omnib. hominibus, &c. Hęc de pre-
b Aug. ep. 59. cibus publicis explicat *b* Auguſtinus, vt vidimus
noſtro li. 5. c. 6. n. 201. qua ratione ritus hic precum
publicarum in primitiua eccleſia, & proxime ſub-
ſequenti ſeruaretur deſcribit in genere Iuſtin. mar-
tyr: cuius deſcriptionem poſui lib. 5. cap 6. n. 7. Ipſo
enim Dominico die Synaxim, hoc eſt, conuentum
celebrari ſolitum omnium fidelium, ait. In quo an-
te omnia ex Scripturis S. aliquid legebatur: tum ſe-
quebatur concio: tum vero precibus ſe dabant o-
mnes: inde ſacra ſequebatur liturgia, qua ſacra-
mentum Euchariſtiæ conſecrabatur; & communi-
cabant omnes.

XCI. Hunc ritum ſummarie à Iuſtino deſcriptum, ſe-
cutus eſt, & ampliori ambitu comprehendit ille
qui ſuas contemplationes, ſane non contemnen-
das, Dionyſio tribuit Areopagitę, illius verba ſunt;
c Areop. de eccl hierar vbi de ſacram. ſacræ ſynax. *c Pontifex quidem perfecto precum ſacro ad Dei altare, cum*
ab eo incendendi odoris initium fecit, ſacrum obit locum.
Rurſus autem ad diuinam aram ſacros Pſalmos canere in-
cipit, cantumque cum eo omnes Eccleſiaſtici ordines. De-
inceps à miniſtris ſanctorum librorum lectio ordine recita-
tur. Ea recitata extra templi ambitum collocantur catechu-
meni, & vna cum eis energumeni, atque ij, quos ſuperioris
vitæ pænitet: maneant autem ij, qui diuinarum rerum &
aſpectu digni ſunt, & communione. Miniſtrorum verò alii
ſtant pro templi foribus, quæ occluſa ſunt: alii autem ali-
quid aliud eorum, quæ illorum ordinem attingunt, perfi-
ciunt. Præcipui porro atq; electi ordinis eius, qui miniſtrat,
cum Sacerdotibus in diuino altari proponunt panem, be-
nedictioniſque calicem, cum antea Eccleſiaſtici omnes lau-
dem hymnumque generalem Deo tribuerint, cum qui-
bus Pontifex ſacras preces rite perficit, ſanctamque pacem
omnibus nunciat. Cum omnes ſe inter ſe ſalutauerunt, my-
ſtica ſanctorum recitatio fit. Cumque manus aqua ablue-
runt & Pontifex & Sacerdotes: Pontifex quidem in medio
altari collocatur, circũſtant autem eum ſoli cum ſacerdoti-
bus miniſtri ſelecti. Pontifex laudatis ſacris Dei operibus
ea, quæ diuiniſſima ſunt rite perficit, oculiſque ſubijcit ea,
quæ propoſitis rite ſignis laudata ſunt. Donis diuinorum
operum monſtratis ad ſacram eorum communionem &
venit ipſe, & inuitat cæteros. Accepta dataque diuina com-
munione in ſacram gratiarum actionem deſinit.] Super
his vero ſuas myſticas addit hic autor contempla-
d Aug. ep. 119. c. 18. tiones. Et *d* Auguſtinus de hymnis & pſalmis ca-
nendis, ait haberi Domini, & Apoſtolorum docu-
menta, atque vtilia præcepta.

XCII. Publicæ igitur preces perpetuo quintuplici ex-
ercitio ſpirituali peractæ ſunt, pſalmodia, lectio-
ne, concione, oratione, & ſacra communione.
Pſalmodia non ſolis Dauidicis, & ſacræ Scriptu-
ræ pſalmis, atque canticis exercebatur, ſed etiam
pſalmos & hymnos à piis viris compoſitos adhi-
buerunt. Nam & Patres Concilii Antiocheni an-
tiquiſſimi aduerſus Paulum Samoſatenum con-
e Euſeb. l. 7 cap. 24. & Walfrid. Strabo de reb. eccl. c. 25. gregati de illo conqueruntur. *e Quod pſalmos & can-*
tus qui ad Domini noſtri Ieſu Chriſti honorem decantari
ſolent, tanquam recentiores, & à viris recentioris memo-
riæ editos exploſerit, & in media eccleſia, ſolemni Paſcha-
tis die, mulieres, quæ inanes cantilenas (quas ſi quiſpiam
audiret plane exhorreſceret) in ipſius laudem funderent,
pararit.] Auguſtinus pſalmum contra partem Do-
nati cantandum compoſuit. Hilarius & Ambro-
ſius hymnos ſub arte etiam metrica compoſue-
runt, quorum vſus multus eſt in eccleſiis. Quo-
niam vero nimia hæc licentia recentium hym-
norum, in Eccleſiis, pro ſola Epiſcoporum vo-
luntate canendorum obeſſe poterat, ſi profani
cantus inducerentur; Concilium Mileuitanum
pro Africana Eccleſia proſpicere voluit, ſtatuit-
que hoc pacto: *f Placuit etiam & illud, vt preces, vel* f Concil. Mileuit. c. 12.
orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſiue
præfationes, ſiue commendationes, ſeu manus impoſitio-
nes, ab omnibus celebrentur. Nec alia omnino dicantur
in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractata vel compro-
bata in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem vel
per ignorantiam, vel per minus ſtudium ſit compoſitum.]
Delectus itaque hymnorum publice canendo-
rum merito habendus eſt, idque opera ſynodo-
rum, quarum eſt Breuiaria, & Miſſalia vt modo vi-
dimus, reformare, & proſpicere vt pij, & boni hy-
mni, præſertim antiqui, tandiu in eccleſia appro-
bati retineantur, & alij abijciantur. Omnes vero
hymnos, & cantica omnia, extra Scripturam com-
poſita, à cantu eccleſię explodere, non videtur lau-
dabile.

Circa cantum in publicis precibus, ſcrupulus XCIII.
aliquis hæſit Auguſtino, an eſſet vtilis, & opportu-
nus, & *g* profert in vtranque partem rationes: ve- g Aug. confeſſ. l. 1. c. 33
hementer tamen inclinat, vt laudet & approbet
cantum, vt proficuum; Nam ſe cantu plurimum
ad deuotionem internam excitatum ſæpius fate-
tur; & regulam illam videtur præſcribere; vt non
cantus ſed res cantatæ delectent, ita vt per cantum
verba vehementius mentem moueant. Et quidem
ſi nihil aliud in Symphonijs, & cantionibus eccle-
ſiaſticis, niſi aurium pruritus adſit; & pura ac ſim-
plex ſenſus externi delectatio, profecto talis muſi-
ca proficua in eccleſia non eſt. Non tamen puto
Harmoniam de ſe, etiam vbi verba aut nulla ſunt,
aut non diſtincte percipiuntur, eſſe abſolute in ec-
cleſiis inutilem; ſiquidem ad Deum laudandum
harmonia illa dirigitur, iuxta pſalmographi admo-
nitionem; *h Laudate Deum in pſalterio & cythara in* h Pſ. 150.
tympano & choro in chordis & organo, in cymbalis bene
ſonantibus, in cymbalis iubilationis, &c. Et ſcio aliquos
ex ſola ſymphonia & harmonia eccleſiaſtica, et-
iam in lachrymas deuotionis, erga Deum ſæpius
erumpere ſolitos; vehementer ſe affici ſentientes;
quod Deus tali harmonia laudetur: animus enim
in cæleſtia per talem harmoniam facile rapitur, *Vbi* i Iſa. 6 5.
beati ſpiritus Deum ter i ſanctum perpetuo, & alterna-
tim proclamant. Curandum tamen omnino eſt, vt in
eccleſiaſtica muſica, verba quæ canuntur, auribus
clare percipiantur, & ab illa muſica, quæ ſolas au-
res demulcet caueatur. Cantus porro, etiam vnius
vocis, eo ſenſu laudabilis, imo neceſſarius eſt, vt
non ſecrete miniſter publicas preces, aut ipſarum
partes murmuret, ſed alta & intelligibili, ac ſonora
voce quicquid nomine eccleſiæ precatur, proferat.
Silentium tunc tantum in ſynaxi ab omnibus ſer- k Cæſarius Arelat. ho. 34.
uandum, quando omnibus oratio per *k* Diaconũ
indicitur, in qua quiſque in ſecreto ſui cordis orat.

Ritus hic publicarum precum, hoc eſt diuini, XCIV.
quod vocamus, officij, quo ad alias etiã circũſtan-
tias, nõ quo ad ſolam vocẽ, eſt conſiderandus, puta
quæ ſint formulę precãdi: qua lingua, qua corporis
poſitione, quibus temporibus, & quæ perſonæ
diuinum

diuinum officium perſoluere debeant. De formula precandi in genere, ſatis dixi, vt adſit pſalmodia, lectio, & oratio: & ſuis temporibus concio & ſacra communio. In particulari tamen quot, & qui Pſalmi, hymnique recitandi, aut canendi, quæ pars ſacræ ſcripturæ legi debeat, & de vitis ſanctorum, ac martyrùs: quid orare, quid petere debeamus, &c, nunquam eccleſia vniuerſa plene conſenſit; ſed vnaquæque eccleſia, aut ſaltem prouincia, propriū ſibi officium compoſuit, & ordinauit. Monachales ſimiliter familiæ magna varietate in ſuis precibus vſæ ſunt, quædam prolixiores preces habere voluerunt, quædam breuiores; & ritus diuini officii inter ſe plurimum variarunt. Illud tamen ſemper conata eſt eccleſia, vt vniformitatem quam maxime fieri poſſet, in ritibus diuini cultus, ſeruaret. Sic orientalis eccleſia magna ex parte vnam, & eandem publicarum precum, & ſacræ liturgiæ formam ſeruat, nam modo Baſilij, modo Chryſoſtomi liturgia vtitur, & horologion precarium commune à Græcis omnibus orthodoxis communiter ſeruatur. Eccleſiæ vero occidentales magna ſimiliter ex parte Romanum Breuiarium, Romanumque Miſſale, & Pontificale, ſunt amplexæ, licet non

a Baron. to 5.an.n.– nullæ proprias formulas retinuerint; a Hiſpaniæ Iſidori Breuiarium, & Miſſale diu ſunt ſecutæ, & id quod Mozarabæ vocatum fuit. b Mediolanenſis eccleſia Ambroſianum officium detinet adhuc in matrice. Monachi Benedictini propriū ſequuntur Breuiarium; & Miſſale Dominicani ſuum: Sed paulatim ad Romanum omnes reducuntur. Romanum porro Breuiarium magnas ſubinde accepit ſuis temporibus varietates. Ipſius enim eccleſiæ Romanæ preces quotidie ſatis olim fuerunt prolixæ: c Curiales tamen multis grauioribus, imo longe leuioribus negotiis, quam quæ miniſtros Chriſti deceant, occupati, horas ſibi canonicas longe breuiores præpararunt, & ſic Romana curia Romanæ eccleſiæ Longiarium, conuertit in Breuiarium: itaque aliud officium olim fuit eccleſiæ Romanæ, aliud capellæ Papæ.

b Walfrid. Strabo de reb. eccl. cap. 22. & c. 25.

c Rudolph. Tungren. de canon. obſeru. propoſ. 22. Biblioth. SS.PP. to. 6

XCV. Circa Breuiarium Romanum, quo nunc vtimur (de Miſſali etiam, & Pontificali dicam inferius) illud nunc obſeruo, formulam precum publicarum in eo contentam, antiquiſſimum in genere ſeruare precandi ritum: continet enim pſalmodiam, & hymnos, lectionem ſcripturarum, & martyriorum, ac petitiones. Sed peculiaris modus pſallendi, & legendi, non mihi videtur omnino probandus: Quod pſalterium Dauidis totum ſingulis hebdomadis percurratur, eſt mos antiquus & laudabilis: ſed officia Sanctorum ſunt adeo crebra, (quæ ferialem pſalmorum cantum, ſeu recitationem impediunt) vt paucæ admodum ſint hebdomadæ, in quibus pſalterium non interrumpatur. Ac breuis ſane noſtra deuotio breuiaria ſemper breuiora cupit, & ſanctos multiplicare conamur, vt feriale officium fugiamus. Nunquam igitur feriale officium mihi videtur deſerendum, aut non niſi in maximis anni ſollennitatibus. Poteſt enim in feriali officio addi lectio martyriorum, & ſacrarum pro ratione diei hiſtoriarum, ſub ordinaria pſalmodia. Hymni à pijs compoſiti non ſunt explodendi, quia antiquitas etiam hymnos piorum in publicis precibus cecinit, ſed probati debent eſſe, & approbati, ac ſub vera carminum pangendorum lege conſcripti non vt erat ridiculus ille quadrageſimalis hymnus Sapphicus.

Aures ad noſtras Deitatis preces
Deus inclina pietate ſola
Supplicum vota ſuſcipe precamur
Famuli tui, &c.

Ex noſtro Breuiario nuper expunctus merito eſt hic hymnus, ſed adhuc non pauci relicti, qui metra quod præ ſe ferunt leges in ſyllabis non ſeruant. Vt Iambica illa *Redempta plebs captiuata: — & reſerans paradiſum.* Vtcunque hoc immutatum nuper fuerit, ſic, *& paradiſum reſerans.* metro ſane barbaro & ſylueſtri. Quale eſt in toto hymno Paſchali ad matutinum *Rex ſempiterne Domine*, & in pleriſque aliis.

Lectiones ex ſacra Scriptura vtriuſque teſtamenti ita diſpoſitæ ſunt, vt nullus ſacer liber, aut vix vllus integer perlegatur. Et tamen integro anno, aut ſaltem biennio in publicis precibus totum integrum vtrumque teſtamentum perlegi deberet. Homiliæ ſanctorum decurtatæ ponuntur: hiſtoriæ martyriorum, vel legendæ ſanctorū ſelectiores adhuc eſſe deberent; & nō niſi à claſſicis Patribus, & Hiſtoricis piis, & vere orthodoxis, & antiquis conſcriptæ. Antiphonæ, Reſponſoria, Verſiculi, & ſimilia minuta, quæ, vt puto, cantus, & modulationis gratia intermiſceri lectioni ſolita fuerunt, ad tollendum faſtidium, & fideles alliciendos, & in diuinis laudibus detinendos, vbi muſicæ locus non eſt, non videntur neceſſaria. Impediunt enim curſum piæ, & vtilis lectionis. Obſeruauit hæc pie ſane & erudite noſtro ſæculo proximus, Franciſcus Quignonus, tituli S. Crucis in Hieruſalem presbyter Cardinalis, & Breuiarium Romanum iuxta hæc præcepta compoſuit, & iuſſu Pauli III. edidit. Diplomatis editionis exemplum penes me habeo, & eſt tale. XCVI.

Paulus Papa III. Dilectis filiis Luca Antonio, & filiis, ac Iacobo, & Benedicto de ſanctis, Antonio Blado, & Antonio Salamanca librorum impreſſoribus.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſt. Bened. Breuiarium diuini officij quod dilectus filius noſter Franciſcus Tituli ſanctæ Crucis in Ieruſalem presbyter Cardinalis antea nobis oblatum, nuper conſultis atq; adhibitis doctis, & prudentibus viris aliqua addendo, atque immutando prout commodius duxit ſumma cura atque diligentia recognouit, atque ad veterum ſanctorum Patrum Conciliorumque inſtituta, ac meliorem precandi ritum, & normam faciliorem breuioremq; redegit, vt Clerici eius libri ordine ac breuitate ad legendas Deo quotidianas preces magis alliciantur, vobis imprimendi, atque vendendi facultatem concedimus; & inſuper omnibus & ſingulis clericis, ac presbyteris duntaxat ſæcularibus, qui huiuſmodi Breuiarium recitare voluerint, concedimus quod ad Breuiarii antiqua conſuetudinis Romanæ Curiæ, vel alterius eccleſiæ quod in vſu hoc tempore habeatur recitationem minime teneantur, ſed huius nouiſſimi lectione perinde ac ſi vetus legiſſent ſatiſfeciſſe cenſeantur: dummodo eorum ſinguli ſpecialiter ſuper hoc facultatem à ſede Apoſtol. obtinuerint, quam per ſolam ſignaturam, abſque alia impenſa expediri mandabimus. Quibus vero ante huiuſmodi Breuiarii recognitionem ea legendi facultas data eſt, eos volumus ad nouam facultatem obtinendam minime teneri. Harum quoque literarum exemplis, &c. Datum Rom. apud ſanctum Marcum ſub annulo piſcatoris, die 3. Iulij 1536. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

— *Bloſius.*]

Ipſe vero Cardinalis de ſuo hoc Breuiario ad eundem Pontificem ita præfatus eſt. XCVII.

Sanctiſſimo Patri & Domino noſtro Paulo III. Pontif. Max. Franciſcus Quignonus Tit. S. Crucis in Hieruſalem Presb. Card.

Breuiarium Romanum à nobis nuper felicis recordationis Clementis VII. Max. Pontif. hortatu confectum ac potius ampliorem ſacrarum Scripturarum lectionem ad veterem

terem Sanctorum Patrum, & Conciliorum antiquorum formam reuocatum, tuaque voluntate, ſanctiſ. Pater editum, graues pleroſque ac doctos viros ita probaſſe, & receppiſſe intellexi, vt nihil in eo mutandum exiſtimarent. Alios animaduerti graues etiam, & prudentes homines, qui eius rationem magnopere probantes, non nihil tamen in eo deſiderari affirmarent. Illud vero dubitari non poteſt, fore in tanta multitudine non multos (ex iis videlicet qui in diuerſo precandi ritu conſenuiſſent) quibus labor iſte noſter non eſſet proinde gratus, exiſtimantibus ab inueterata illa conſuetudine precandi nulla ratione clericis eſſe diſcedendū; imo vero nobis primam editionem breuiarij non tanquam promulgationem legis eſſe placuerat, ſed quaſi publicā quandam deliberationem, vt ſic propoſita noſtra ſententia iudicia multorum exquireremus, & quod omnium commodiſſimum, & religioni, & pietati conuenientiſſimum, pleriſque prudentibus grauibuſque viris viſum eſſet, ſequeremur. Nihil enim humano elaboratum ingenio tam exactum initio vnquam fuit, quin poſtea multorum accedente iudicio perfectius reddi poſſit. vt in ipſis etiam eccleſiaſticis inſtitutis circa primitiuam praeſertim eccleſiam contigiſſe videmus. Itaque multorum ſententiis collatis (quae nobis partim vocibus, partim ſcriptis innotuerunt) iudicium eorum ſecuti, qui omnium prudentiſſime ſentire viſi ſunt, libenter quaedam addidimus, alia mutauimus, & omnia diligenter recognouimus, retenta tamen ſumma forma Breuiarii. Sed quoniam ſic fert natura rerum, vt nihil ſit tam rectum, nihil tanta ratione in vitam; vſumque hominum inductum, cuius nouitas non ſit aliquibus ingrata, non temere facturi eſſe videmur ſi rationem totius inſtituti noſtri à nobis prius ſummatim redditam, nunc accuratius recognito breuiario paulo latius explicemus. Mihi enim, vt ſaepe ſum profeſſus, cogitanti, atque animo repetenti initia veteris inſtitutionis, qua ſancitum eſt, vt clerici ſacris, vel ſacerdotiis Praeſidentes ſingulis diebus perlegant horarias preces, quas canonicas etiam appellamus, tres praecipuae cauſae ſpectatae fuiſſe videri ſolent.

Quarum ea prima eſt, quod cum caeteri homines in quaque ciuitate, aut ſuum quiſque negotium agant, aut in Republica adminiſtranda ſint occupati, clericis ex eo vocatis, quod ſortis Dominicae ſint, quique bonis eccleſiaſticis aluntur, hoc potiſſimum negotium diuinis, & humanis legibus eſt iniunctum, vt Deum habere propitium in commiſſum ſibi populum, ac de ſe bene merentem cunctis rationibus enitantur: quod non ſolum ſacrificiis efficitur, ſed etiam precibus, quae à pio corde proficiſcuntur. Ipſi enim, vt teſtimonio verbiſque vtar beati Alexandri Papae & martyris, pro populo interpellant, & populi peccata comedunt, quia precibus ſuis, & oblationibus delent atque conſumunt, qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro quibus neceſſitatibus clamant exaudiuntur. Quod teſtimonio probatur Iacobi Apoſtoli, qui nos ad precandum cohortans, Orate inquit pro inuicem vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.

Altera cauſa eſt, vt qui reliquo populo exemplo debent eſſe virtutis & ſanctimoniae, aſſidua precatione Deum alloquentes minus opportuni reddantur tentari à Diabolo, ſed eos inueniat, vt Hieronymus ait, occupatos. & à cogitationibus caducarum rerum ſubinde auocati contemplationi diuinarum aſſueſcant.

Tertia, vt religionis quoque futuros magiſtros quotidiana ſacrae Scripturae, & eccleſiaſticarum Hiſtoriarum lectione erudiantur, complectanturque, vt Paulus ait; eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, & potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Et profecto ſi quis modum precandi olim à maioribus traditum diligenter conſideraret, plane intelliget vnam omnium praecipuam ab ipſis habitam eſſe rationem; ſed factum eſt neſcio quo pacto precantium negligentia, vt paulatim à ſanctiſſimis illis veterum Patrum inſtitutis diſcederetur. Nam libri Scripturae ſacrae, qui ſtatis anni temporibus legendi erant more maiorum (vt eſt in monumentis Gelaſii Papae, & Concilii Romani ſeptuaginta Epiſcoporum) vix dum incepti omittuntur in alio Breuiario: tum hiſtoriae ſanctorum quaedam, tam inculta, & tam ſine delectu ſcripta habentur in eodem, vt nec autoritatem habere videantur, nec grauitatem. Accedit tam perplexus ordo, tamque difficilis precandi ratio, vt interdum paulo minor opera in requirendo ponatur, quam cum inueneris in legendo.

Quibus rebus animaduerſis felicis record. Clemens VII. Pontifex Maximus, cum intelligeret officii ſui eſſe cum aliorum Chriſtianorum commoditatibus proſpicere, tum inprimis clericorum, quibus miniſtris vteretur in commiſſo ſibi grege adminiſtrando, me hortatus eſt, negociumque dedit, vt quantum cura, & diligentia niti poſſem preces orarias ita diſponerem, & ad veterem illam formam quoad fieri poſſet redigerem, vt difficultatibus diſpendiiſque ſublatis, nec à ſumma ratione olim ab antiquis ſanctiſque Patribus inſtituta diſcederetur, nec rurſum Clerici ab officio precandi deterrerentur laboris magnitudine. Quam ego prouinciam lubentiſſime ſuſcepi, ſimul vt Chriſti vicario honeſtiſſima praecipienti parerem; ſimul vt bono publico pro mea virili parte ſeruirem. Adhibitis igitur quibuſdam meorum domeſticorum prudentibus hominibus, ac ſacrarum literarum, & Pontificii iuris doctrina praeditis, iiſdemque Graece & Latine eruditis, dedi operam quam maxime potui vt commode, ac ex vtilitate publica rem conficerē. Ac illud ante omnia viſum nobis eſt in conſuetudinem reuocare, vt Scriptura ſacra maxime omnium toto anno, & omnes pſalmi ſingulis ſeptimanis perlegerentur. Vtrunque enim veterib. patribus ſumma ratione placuiſſe videbamus, qui pleroſque libros, vt ſupra dictum eſt, vtriuſque teſtamenti per anni tempora legendos diſponerent in Breuiario, & per dies ſic pſalmos diſtribuerent, vt ſingulis diebus in primitiua eccleſia perlegi ſolitum eſſe tradit Speculator. Sed, vt ſupra diximus, precantium negligentia factum erat, vt minima pars Scripturae ſacrae legeretur, & pſalmorum pleriſque omiſſis pauci ſingulis fere diebus repeterentur, quod eis accidit dum officij ferialis optime ſanctiſſimeque à maioribus inſtituti longitudinem, & laborem refugerent, ad quem vitandum varia compendia excogitantes conſuetudinem induxerunt, omiſſis feriis, toto fere anno ſanctorum feſta celebrandi, etiam quadrageſima. Quod quantum ſit contra veterum inſtituta declarat Concilium Laodicenum, quo cautum eſt, ne quadrageſima martyrum natalitia celebrentur. Et item Toletanum decimum, in quo traditur nihil eſſe in quadrageſima de ſanctorum ſolennitatibus celebrandum idque ex antiquitate regulari cautum eſſe, quod ipſi animaduertentes conditionemque temporum, & infirmitatem clericorum ſpectantes, rationem inueniendam putauimus, & pari proponendum labore vt cum feſtū celebrabatur, ſed minore quam cum agebatur de feria veteris teſtamenti magna, & vtiliſſima pars, & totum nouum, praeter partem Apocalypſis, in anno & ſingulis ſeptimanis pſalmi omnes perlegerentur, ternis ſingulis horis vnius longitudine cum alterius breuitate ſic compenſata, vt labor legendi diutius par propemodum ſit omnibus diebus, ſiue feria ſit, ſiue feſtum celebretur: habita quoque in diſtribuendo, quoad fieri potuit, ratione feriarum, feſtorum non perinde. Nec enim ſi cuius pſalmi vnum, aut alterum verbum poteſt ad aliquod feſtum accommodari, idcirco mutandus erat ordo commodiſſimus, quo nullus pſalmorum in hebdomada praetermittitur, vt non illa verba ſolum, ſed contra omnia in ipſis contenta myſteria, liceat intelligentibus ſeptimo quoque die contemplari. Nam ad pſalterium perlegendum, ſi veterem illam rectam, & ſanctam pſalmorum diſtributionem ferialem, in qua pſalmi quidam quotidie repetuntur retinuiſſemus, longitudo officij perinde, vt antea

vt antea clericos deterreret, qui hac commodiſſima & ad vetus inſtitutum affirmata mediocritatate multum, vt iam experti ſumus, alliciuntur. Nam licet opera conſueta legendi ſcripturas parum minuatur in breuiario, præſertim cum pleraque omnia ex libro legi ſit neceſſe, curauimus tamen vt ordine longe ſimpliciore, & expeditiore magna pars laboris minueretur, ſublato tædio, & difficultate pſalmos, & alia hinc inde cum mora & moleſtia perquirendi, & difficillimam rationem longo tempore perdiſcendi; verſiculos, reſponſoria, & capitula omittere idcirco viſum eſt, non quod hæc ſuperuacanea, aut inutilia viderentur (augent enim pietatem, & ſunt ſacra Scriptura) ſed quoniam cum introducta ſint ad cantus potiſſimum modulandos, & legentes ſæpe morentur, cum moleſtia quæritandi, locum relinquere voluimus contenti lectione Scripturæ ſacræ, quæ magis facit ad pietatem atque doctrinam priuatim legentium, quorum hac quidem in parte maiorem rationem haberi voluimus, quam concinentium. Nec enim ad precandum cuncta vtilia, & ſalubria congeri debent, ne clerici grauentur iniquiori pondere. Atque vtinam tam robuſti eſſemus, vt totum etiam vetus teſtamentum in anno perlegere non grauaremur. Libenter enim omnes illius libros legendos proponeremus, ſed, vt dictum eſt, habenda fuit ratio, ne precandi labor in tanta clericorum infirmitate modum excederet. Officium beatæ virginis in alio Breuiario vſitatum omittitur, nec propterea minuitur ipſius honor: Nam paucis feſtis exceptis, quotidie variis commemorationibus adoratur, & obſecratur, atque eius memoria multis dicatis eidem feſtis, & octauis pro cuiuſque ratione celebratur, ipſique ſolitum officium tribuitur Sabbatis fere omnibus, præterquam in quadrageſima, in qua ne ipſum quidem annunciationis feſtum celebrari placuit veteribus Patribus, vt docet idem Concilium quod ſupra diximus Toletanum. Et profecto quorundam pſalmorum grauem pleriſque repetitionem omitti non tam moleſtum eſſe virgini matri credi par eſt, quam gratum illud quod clerici ad ipſius Filij IESV CHRISTI *diuinum cultum commodiſſima, & expedita ratione alliciantur. Ex Sanctorum Hiſtoriis diligenter conſideratis quaſdam delegimus ex probatis autoribus Græcis, & Latinis fere decerptas, & has cultura ſtylo non tamen fucato, ſed potius ex induſtria, & iuſſu Clementis Pontificis attemperato diſpoſuimus per annum totum. Nam licet veteribus in quadrageſima, nulla, vt docuimus, Sanctorum feſta celebrari placuerit, tamen à minoribus tam aſſidue in ea quoque celebrantur, vt à nobis ne tum quidem omnino feſta ſaltem ſolemnia ſine aliquo puſillorum offendiculo vitari poſſe putauerimus. Vt igitur quaſdam Sanctorum hiſtorias retinuimus, aut repoſuimus denuo conquiſitas, ſic quaſdam omiſimus, illis nec probabilitate, nec grauitate pares, temeritate videlicet priuata quorundam introductas, qui dum fugerent officii ferialis longitudinem feſta Sanctorum ſtudioſe conquirentes, quaſdam in breuiario, præter publicam autoritatem, inconſultis Pontificibus, inſerendas curauerunt, quas Pontifices ipſi, haud dubie in vſum eccleſiæ non admiſiſſent. Sunt enim nonnullæ, niſi fallimur, ex earum genere, quæ publico ſanctiſſimi decreto ab eccleſia reijciuntur: & quidem in eo loco ſiue capite celeberrimo in quo ſancta Romana Eccleſia, quas Scripturas clericis legendas admittat, & rurſus quas reiiciat explicatur: vbi cum multa ſummo iudicio, tum illud habetur ſanctiſſime & grauiſſime à ſanctis Patribus inſtitutum de hiſtoriis Sanctorum, quarum autores ignorantur. Ibi enim Gelaſius Papa ex Synodo 70. Epiſcoporum, Geſta, inquit, ſanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant, quis ita eſſe catholicorum dubitet, vt maiora eos in agone fuiſſe perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed* DEI *gratia, & adiutorio vniuerſa toleraſſe: Sed ideo ſecundum autoritatem antiquam, & conſuetudinem in ſancta Romana Eccleſia non leguntur, quia eorum qui ſcripſere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur. Hactenus Gelaſius Papa, qui ſtatim ſubijciens exempla quorundam ſanctorum, quorum hiſtoriæ ab Hereticis probabantur eſſe conſcripta, rurſus ait. Propter quod, vt dictum eſt, ne vel leuis ſubſannandi oriretur occaſio, in ſancta Romana Eccleſia non leguntur. Sic Gelaſius contra hæc igitur (quæ ſumma ratione fuerant à ſanctis Patribus inſtituta) animaduertentes quædam temeritate quorundam priuata irrepſiſſe, diligenter curauimus, vt quæ publico Eccleſiæ decreto reijciuntur omnino vitaremus, & in quibuſdam aliis (reſecatis quæ ad rem minime pertinerent) probatiſſima quæque conſectaremur. Iuxta præceptum Pauli, quem his quoque in rebus autorem adhibere iubemur ab Eccleſia. Gelaſius enim in eodem loco de nonnullis hiſtoriis certitudinis non admodum exploratæ, quæ à catholicis legerentur, locutus, hæc ſubiicit. Sed cum hoc ad catholicorum manus peruenerit beati Pauli Apoſtoli ſententia præcedat. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Precum pro Pontificibus & Regibus, & fidelium bonis ſpiritualibus, ac temporalibus diligenter eſt adhibita ratio, nam ſingulis diebus ad matutinum, ad veſperas noſtris temporibus pacem eccleſiæ, iuſtitiam, & ſanctitatem precamur, & fideles omnes tum viuentes, tum etiam defunctos Deo commendamus. Quod impenſius etiam efficitur cum officium defunctorum, ſiue pſalmi pænitentiales cum litania & orationibus leguntur, vt ſæpe fit in quadrageſima, quod prius tunc fiebat duntaxat cum agebatur de feria. Sed hoc tam varium erat conſuetudine clericorum feſta pro feriis celebrantium, vt plerique ipſorum vix ſemel, aut iterum toto anno legerent officium feriale. Itaque ſi quis diligenter animaduerterit, & veteris Patrum conſilium inſtitutumque conſiderauerit, plane intelliget hoc Breuiarium non tam eſſe nouum inuentum, quam Breuiarii antiqui, adhibito quodam temperamento, reſtitutionem. Habet igitur hæc precandi ratio tres maximas commoditates. Primam quod precantibus ſimul acquiritur vtriuſque teſtamenti peritia. Secundam quod res eſt expeditiſſima propter ſummam ordinis ſimplicitatem, & nonnullam breuitatem. Tertiam quod hiſtoriæ Sanctorum ſic conſcriptæ ſunt, vt nihil habeant quod graues, & doctas aures offendat. Sicut ergo in hoc Breuiario laborioſum videbitur pleraque omnia ex libro legi, cum multa in alio, quæ propter frequentem repetitionem ediſcuntur, memoriter pronuncientur, compenſet cum hoc labore cognitionem ſacræ Scripturæ, quæ ſic in dies augeſcit, & attentionem animi, quam* DEVS *ante omnia in precantibus requirit (hanc enim maiorem legentibus quam memoriter proferentibus adeſſe neceſſe eſt) & huiuſmodi laborem non modo fructuoſum, ſed etiam ſalutarem iudicabit. Orandum eſt enim, vt Paulus ait, ſpiritu, & mente, nam ſine fructu mens eſt, cuius orat lingua tantum, id eſt qui ſine attentione, ac velut aliud agens precatur, quod vere accidit iis, qui pſalmos memoriter percurrunt. Habes Pater ſanctiſſime inſtituti noſtri rationem, habes formulam Breuiarii. Supereſt vt quemadmodum capiſti aſpires inceptis noſtris, & labori faueas publicæ commoditatis cauſa ſuſcepto. Vale.]*

Huius tamen Breuiarij vſum non obtinuiſſe, XCVIII.
ex eo conſtat, quod Breuiaria Romana ſint ab eo longe diuerſa, & illud ego nunquam vidi: antiquiora tamen Breuiaria Romana non pauca videre potui. Ex ſententia ergo pij & docti viri, quantum mihi videor, poſſe ex ipſius præfatione prædicta colligere, Breuiarium, ſeu formula commu-

communium precum non deberet vnico volumine tota conſtare. Sed libellus non magnus deberet eſſe directorium quoddam precum; qui dietim oſtenderet quid pſallendum, quid canendum; quid legendum, quid orandum ſit, cum ſacra liturgia. Seorſim vero ſacra Biblia vtriuſque teſtamenti prompta eſſe deberent, & pſalterium item ſeorſim; cum hymnis. Seorſim quoque Patrum aliquot ſelectæ homiliæ pro lectione quando non habetur concio: & ſeorſim piæ ſanctorum præſertim martyrum hiſtoriæ. Ac demum ſeorſim variæ ſacræ cantilenæ, pro muſica eſſent habendæ. Tale aliquid audio, ſaltem ex parte, eſſe nunc in eccleſia Anglicana, in qua pſalterium totum Dauidicum ſingulis menſibus abſoluitur, & totum vtrumque teſtamentum, vnico anno continuata lectione percurritur. Vtinam reliquæ etiam eccleſiæ reformatæ certam precandi formulam iuxta antiquitatis directionem, in publicis precibus adhiberent. Neſcio profecto quid ipſis in mentem venerit, quod antiquum precandi morem noluerint retinere, ſed penitus omnem certam precandi formulam abiecerint. Pſalmos duntaxat, nullo ſeruato ordine canunt, & ex ſcripturis vage, quod miniſtro placet, legunt, & in concione ſola totum ferme diuini cultus ritum collocant, abſterrentque plebem puritanam, ne ad certas preces, ſicuti priſtino more peragantur, accedat, ſola concione contenta: Non tales erant antiquæ piæ & catholicæ Synaxes. In quo tamen facile tolerantiam mutuam permitti poſſe non dubito; ſed quod reprehenſibile eſt, profecto reprehendi debet.

XCIX. Lingua vulgari diuina officia publicarum precum peragi debere certe omnis ratio ſuadet; & conſequenter ſacra Biblia eſſent populo vulgariter, ſed recte, & fideliter translata, communicanda, vt innui ſupra capite primo, numero quadrageſimo ſexto, & capite quinto, numero quinquageſimo quarto huius. *Quid enim vtilitatis capiet populus ſi pſallat, ſi precetur, ſi audiat id, quod non intelligit? quomodo reſpondebit*, a *Amen*? Res eſt per ſe clariſſima, nec eget vlteriori probatione. Quid mirum ſi ad diuina officia plebs noſtra non concurrit. niſi eam muſica, vel aliquid peius alliciat, qua aures ſolæ non item animus delectetur, & paſcatur. Lætor plurimum quod noſtra natio Illyrica, etiam ſi Romanæ eccleſiæ addictiſſima, vulgari tamen lingua Sclaua omnia diuina officia habere voluerit; & magna ex parte adhuc eam; etiam in Crouatia, & Dalmatia mordicus retinet.

a 1.Cor.14. 16.

C. Ritus in precationibus, corporis etiam poſitionem reſpicit vt interdum ſtantes, interdum genibus flexis, interdum ſedentes, interdum etiam procedentes aut oremus; aut Deum laudemus. Chriſtus, *b* poſitis genibus, orauit. Sic etiam *c* Stephanus. Publicanus autem Euangelicus ſtans quidem à longe, orabat; Sed *d* percutiebat pectus ſuum. Et de tunſione pectoris, in ſignum pænitentiæ meminit *e* Hieronymus & de illa mentionem ſæpe fecit Auguſtinus, vt vidimus noſtro libro quinto, cap. 7. num. 45. Chryſoſtomus vero de poſitione varia corporis in publicis precibus hæc habet. *f In oratione omnes peræque humi iacemus, omnes peræque conſurgimus.*] *Antiquiſſimæ ſunt memoriæ, vt interdum in precibus Diaconus proclamaret, Flectamus genua.*] Quid ergo malæ ſuſpicionis habuerunt Reformatores, quod genuflexiones, pectoris tunſiones; & ſimiles humilitatis actus procul ab eccleſiis à ſe reformatis ablegarunt? In his profecto genuflexionibus & tunſionibus ego, ne in rudiſſimo quidem aliquo ex vili plebecula fideli ſuperſtitionem vllam offendi, & actus hi ſunt humilitatis, in ſacra Scriptura & Patribus approbati. Non ſunt ergo abiiciendi.

b Luc. 22. 42.
c Act. 7. 59.
d Luc 18. 3
e Hieron. adu. Luciſeq.
f Chryſ. in 1. Cor homil. 18.

CI. De precum temporibus & horis, ac de perſonis non ſum admodum ſolicitus; in primitiua quidem eccleſia non quotidie fiebant ſynaxes communes hoc eſt, fidelium multitudo non quotidie ad ſacra exercitia diuini cultus in vnum conueniebat, vt vidimus ex Iuſtino; ſed diebus Dominicis, vel aliis etiam aliquibus: poſtea quotidiana facta ſunt diuina officia, & ſæpius in eodem die diuerſis horis Deo laudes in eccleſiis perſolutæ. Inde dictæ ſunt horæ canonicæ. Vbi vero refriguit charitas, & feruor fidelium, preces publicæ, quæ communiter à miniſtris, & populo in aliqua ſaltem parte, peragebantur, iam ſolis miniſtris recitandæ fuerunt, & in ſolos miniſtros onus hoc Deum precandi publice, totius eccleſiæ nomine, translatum eſt, vt dicebat ſuperius ille S. Crucis Cardinalis; quia clerici; ac monachi, ab omni temporali negotio abſtracti & ſuppeditata eis per eccleſiam alimonia, liberi facti, pro toto populo ſupplere debuerunt, ita vt quotidie, & ſane ſæpius ordinarie ſepties diuinas laudes celebrarent. De his horis laudum diuinarum, ab ipſa veteri eccleſia inſtitutis ita ſcribit Baſilius: *g Cum autem ad orationem nulla non vitæ pars opportuna habenda ſit, quia tamen datis quibuſdam interuallis ab illa pſalmodiæ genuque flexionis acri contentione nonnunquam eſt interquieſcendum, is eſt maxime horarum modus tenendus, qui à veteribus olim ſanctis viris ad orationem deſcriptus eſt. Etenim Dauid ait: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Quem ſane Paulus quoque & Silas ſecuti reperiuntur; cum in carcere poſiti circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem Propheta, veſpere, mane, & meridie. Quin & ſpiritus ſanctus circiter horam diei tertiam datus fuit, ſicut ex Actis accepimus, quo tempore cum propter variam illam linguarum vim Phariſæi diſcipulos irriderent, negauit Petrus eos ebrios eſſe, quia ea loquerentur, ſi quidem horam illam tertiam fuiſſe. Porro nona Dominicæ paſſionis memoriam refert illius, quæ vitæ noſtræ cauſa ſuſcepta eſt. Verum quoniam idem, hoc eſt, apud eundem Dauid, ſepties in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ: tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam ſepsenarium orationis numerum conficiunt: bipartito diuidenda meridiana oratio eſt, ita videlicet, vt pars vna cibum præcedat, altera ſubſequatur, quo perpetua hæc nobis formula ſit Deum ſepties per ſingulas dierum conuerſiones laudibus celebrandi.*] Atque ita diuini officii antiqua partitio in horas canonicas hæc fuit, vt officium eſſet matutinum cum laudibus, ad horam Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas & Completorium. Sed iam etiam miniſtri, & monachi à mundi negotiis feriari nolentes, ſeptenas illas horas nocturnas, & diurnas, fere omnes ad duo in die tempora reduxerunt, & preces vel matutinas fecerunt, vel veſpertinas, bis tantum in die in eccleſiam conuenientes. An vero ita teneantur miniſtri omnes, & religioſi preces has integras quotidie perſoluere; vt peccent mortaliter ni fecerint, videndum erit alio loco libro octauo ſequenti, vbi de eccleſiaſticis præceptis agetur. De priuatis orandi modis, per numerum præſertim globulorum in Roſariis, nihil aliud obſeruo, niſi poſſe vſum hunc & ſincerum eſſe & ſuperſtitioſum, & facile ab omni ſuperſtitione poſſe purgari, ita vt proficuus ſit futurus.

g Baſil de inſtitutiõ monach.

Quartus ritus eſt circa ſacramentorum, ac præſertim ſacratiſſimę eucharistię præparationẽ & adminiſtrationẽ. Circa baptiſmi ritus, Reformati, vt audio quinque actus eorum quæ Pontificia ſeruat eccleſia, vt ſuperſtitioſos abſtulerunt, videlicet exorciſmos, vnctionem, ſignum crucis in fronte baptizati (quod tamen in Anglicana eccleſia frementibus Puritanis retentũ dicitur) vſum ſalis, & vſum ſaliuæ ad nares, & aures, non ad os baptizandi. Exorciſmos tamen ego inuenio vera traditione confirmatos. Exorciſmum enim ſeu adiurationem, & inſufflationem circa baptizãdos expreſſe vt moris antiqui, ponit Concilium *a* Conſtantinopolitanum I. & Nazianzenus *b* inuehitur in Iulian. quod ritus Baptiſmi, ſufflationes præſertim, irrideret, de quibus etiam agit Areopagita. Cęleſtinus vero Romanus Pont. ante mille & ducentos annos hæc ad Epiſcopos Galliæ ſcribebat. *c Illud quod circa baptizandos in vniuerſo mundo ſancta eccleſia vniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu; cum ſiue paruuli, ſiue iuuenes ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorciſmis, & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur, &c.*] Auguſtinus *d* Baptiſmo exorciſmos præmittendos eſſe agnoſcit. Leo *e baptizandos ait, ſecundum Apoſtolicam regulam, & exorciſmis ſcrutandos, & ieiuniis ſanctificandos, &c.*] Cur ergo ab exorciſmis adeo timẽdum, & cauendum? De vnctione cum ſanctificati olei vſu ad baptiſmi complementum pertinente, ſatis dixi l.5.c.5. vbi vnctionis huius vſum antiquiſſimum ex Patribus confirmaui. Quibus adde Baſilium, *f* qui ex traditione deducit ritum communẽ liniendi oleo baptizatum. De ſigno crucis etiam in baptiſmo adhibendo ſufficientia attuli documenta paulo ſuperius huius cap. n. 85. & ſeqq. De ſaliua demum vetuſtatis teſtimonium nullũ habeo. Ambroſius quidem inter ritus baptiſmi agnoſcit *g* tactum narium, & aurium, & expreſſe ait os non attingi. Saliuæ non meminit, tactus autem ille aurium cum verbo, *epphetha*, ſumitur ex *h* Euangelio, vbi DOMINVS ſaliua vſus eſt, ſed in tangenda muti illius lingua. Poſteriores autem ſcriptores, vt *i* Beda, & *k* Hugo de ſancto Victore, & varij eccleſiarum miniſtrandorum ſacramentorum libri ſaliuæ vſum ponunt in naribus, & auribus tangendis.

a Concil. Conſtant. 1. c. 7. & eſt canon eccleſ. vniuerſ. 170.
b Naz. ora. 4. in Iulia.
c Cæleſtin. ep. 8.
Areop. de eccl. hier. vbi de ſacramento illuſtrationis.
d Aug. de fide & op. c. 6.
e Leo ep. 5.
f Baſil. de Spir. ſanct. c. 27.
g Ambr. de ſacram. l. 1. c. 1.
h Marc. 7. 34.
i Beda in Euang. Dominicæ 12. poſt Trinit.
k Hugo l. 1 de ſacram. c. 18.

CIII. Circa ritum conficiendæ, & adminiſtrandæ Euchariſtiæ non deſunt diſſenſiones: Precibus conficiendam eſſe Euchariſtiã, iam probaui li. 5. c. 6. n. 2. & ſeqq. Preces porro hæ panis, & vini conſecratiuæ variæ in variis Eccleſiis ſemper fuerunt; & eas Græci vocant liturgias, nos miſſam, ſeu canonem miſſæ. In eccleſia ſane Latina antiquiſſima habemus indicia aliquarum inſignium partium noſtri canonis. De præfatione enim, quæ præmittitur verbis illis *ſurſum corda*, meminit *l* Cyprianus & de illis, *Dominus vobiſcum: & cum Spiritu tuo; & Gratias agamus Domino Deo noſtro; Dignum & iuſtum eſt*, non minus in Græca eccleſia, quam in Latina vſu receptis meminit *m* Chryſoſtomus. *n* Ambroſius integrum ferme canonem ponit, illum quo nunc vtitur Romana eccleſia. Imo totius miſſæ ritum; quo ſacra communio celebraretur. Idem facit *o* Cyrillus Hieroſolymitanus. Qua liturgia vtantur reformatę eccleſiæ in euchariſtia præparanda & diſtribuẽda, nondum plene ſcio: Audio quidem Anglicanam eccleſiam ita ſuam liturgiam reformaſſe, vt tamen & præmittat Epiſtolæ & Euangelii lectionem, dieique orationem, quæ dicitur collecta, & Symboli Conſtantinopolitani recitationem, & vel communem, vel ſpecialẽ præfationem; & hymnum Gloria in excelſis Deo. Suumq; adhibeat canonem cum precibus, & verbis illis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt calix*, &c. nihil ferme niſi in verbis, à canone noſtro diſcrepantem, ſanctorum tamen abſtulerit comemorationem. Ego ſane non video, cur illa fugienda ſit comemoratio, nam in noſtro canone ſancti nó inuocantur, ſi inuocatio ſanctorum ſcrupulo carere non videatur. Solam coniunctionem inter eccleſiam militantem, & triumphantem illa comemoratione profitemur; dum dicimus, Communicantes, & memoriam celebrantes B. Mariæ ſemper virginis, &c. quæ eſt reliquia quædam antiquiſſimorum diptychorũ. Canon itaq; noſter facile defendi poteſt, neq; cauſam dat ſufficientem vt miſſa Pontificia, quando fit in gratiam publicæ, vel priuatæ communionis, abijciatur, præſertim ſi paucula verba vel mutẽtur vel auferantur, cum aliqua Miſſalium reformatione. De adoratione euchariſtiæ alias dixi.

l Cypr. ſer. de orat. Dom.
m Chryſ. in 2. Cor. homil. 18.
n Amb. l. 4. de ſacram. c. 4. & 5.
o Cyril. catech. 5. myſtag.

CIV. Aliæ vero à Caluino Reformatæ eccleſiæ ſi ſola concione, & miniſtri adhortatione conficiunt euchariſtiam nullis ſpecialibus adhibitis precibus ſacramenti conſecratoriis, ego plurimum ſuſpicor eos veram euchariſtiam non habere; neque video quam excuſationem poſſint afferre, cur antiquas & aut non accipiant, aut non imitentur in partibus ſaltem eſſentialibus, liturgias, & præſertim Latinæ eccleſiæ antiquiſſimæ. In noſtra Romana liturgia mihi reprehenſibilis eſſe videtur, ac in primis auferenda varietas illa, qua quædam ſecreta murmuratione miniſtri muſſitantur, alia voce alta proferuntur, quod etiam ſupra de precibus monui. Deinde illæ tam multæ cruces quibus oblata ſignantũr, & tot inutiles ac vere mimicæ geſticulationes, tanquam otioſæ, omnino tollendæ mihi videntur. Satis fuerit, ſemel panem & vinum cruce ſignare, id enim priſcam ferre conſuetudinem docui ex Auguſtino ſupra n. 87. Reliqua eſſent deuota recitatione peragenda. Eleuatione tamen illa ſacramenti ad adorationem latriæ penitus ſublata. Chriſti enim corpus pręſens realiter, & ſubſtantialiter in euchariſtia non eſt, niſi in actu communionis, & tunc in receptione ſacramentorum Chriſtus, qui eſt res ſacramenti, adorandus eſt in Spiritu, non ipſum ſacramentum, ſeu materia ſacramenti: celebranda vero eſſet miſſa ad occaſionem duntaxat communionis, vel publicæ, vel paucorum priuatæ, vt monui libro quinto capite 6. num. 146. & ſeqq. Atque hoc pacto miſſa Pontificiis relicta, quoad externum cultum, non poſſet vlli fideli eſſe cauſa offenſionis, ac multo minus ſchiſmatis. Nam quod ſpectat ad ſacrificium propitiatorium, id mentale cum ſit, & in intellectu conſiſtat, poteſt mentem ſuam fidelis ad veram fidem dirigere, & ſacrificii veri rationem in miſſa non, niſi quatenus ipſa eſt ſacrificium veri ſacrificii commemoratiuum, agnoſcere, atque interim pie, & religioſe miſſam ſic correctam frequentare; quæ correctio in miſſalibus libris eſſet omnino neceſſaria. Quod ſi Reformatores religionis miſſam ſic correxiſſent, & non ſuſtuliſſent, reformatio multo latior, & multo acceptior fuiſſet. Nam vt ait Auguſtinus, *p Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate nouitate perturbat.*] Et conſuetudines eccleſiarum antiquitate firmatæ quam maxime fieri poteſt, à prudenti, vt ait ibidem Auguſtinus, & pacifico eccleſiæ filio ſunt ſeruandæ.

p Aug. ep. 118.

CV. Ritus in clauium poteſtate exercenda, in confeſſione primũ, & abſolutione à peccatis, profecto

in Pon-

in Pontificiis eccleſiis eſſet omnino reformandus, & ſic reformatus, tanquam vtiliſſimus in eccleſias Proteſtantium inducendus. Bonus vero confeſſionis auricularis vſus eſt à me abunde lib. 5. c. 7. explicatus: & inde reformatio hæc eſt petenda. Vt ſecrete peccator ſuum peccatum miniſtro claues habenti aperiat, & ante omnia ipſe peccator per miniſtrum ligetur, impoſita ei ſalutari externa pænitentia, etiam ſecreta, ſecreto peragenda (niſi externus aliquis actus pænitentiæ neceſſario requiratur) ea vero rite peracta, per reconciliationem ſoluatur, ſalua ſemper internæ pœnitentiæ neceſſitate. Clauium etiam vſus circa excommunicationem & cenſuras, eo modo regulandus eſt, quo libro 5. cap. 9. regulandum eſſe docui, vt turbationibus, & ſchiſmatibus omnis occaſio præcidatur. De ritibus aliorum ſacramentorum nihil mihi occurrit, niſi confirmationem in fronte, per vſum chriſmatis, nec non ægrotantium vnctionem, tanquam ritus antiquos, licet proprie ſacramenta non ſint, eſſe retinendas. Matrimonium nullis indiget ritibus.

CVI. Ordinationes Epiſcoporum, & presbyterorum, aliorumque miniſtrorum procul dubio cum ſuis ritibus fiunt. Eos noſtrum Romanum Pontificale ſatis multos continet, ſicut & alios circa perſonarum, & rerum benedictiones, ac conſecrationes: puta Abbatum, Abbatiſſarum Monialium, Imperatoris, Regum, Reginarũ, Ducum, &c. Templorum, ſacrorum vaſorum, oleorum, chriſmatis, indumentorum, campanarum, aquæ luſtralis, candelarum, cæreorum, & aliarũ rerum. Quas omnes percurrere & examinare mihi nõ videtur eſſe operæprecium. Aliqui enim ex his ritibus boni ſunt, & antiqui, aut ſaltem nõ mali: Aliqui ocioſi, inutiles, & ſuperflui, aliqui etiã ſuperſtitioſi, & mali, & conſequenter alii retinendi, alii tolerabiles, alii etiam abolendi. Templa aliqua ratione polluta inuenio olim lotione parietum, & exorciſmis fuiſſe recõciliata. Optatus Mileuitanus ad Donatiſt. ait. *a Exorcizaſtis, & lauiſtis ſine cauſa parietes.*] Inter intolerabiles vero ego eſſe cenſeo ritum illum noſtrarum eccleſiarum, quo nos aqua benedicta aſpergimus in ingreſſu & egreſſu templorũ, in cubiculis, &c. vim illius aſperſionis tantam eſſe putantes, & aſſerentes, vt & dæmones abigat, & peccatorum nonnullorum operetur remiſſionẽ, quæ eſt mera * ſuperſtitio, vt monui lib. 5. c. 7. n. 70. Aquam baptiſmalem benedici ſolitam in antiquitate non nego, eamque vim habere animam mundandi, & ſanctificandi; quia ad ſacramẽtum à Chriſto inſtitutum adhibetur. Et de hac aqua baptiſmali loquuntur Patres, quos citat *b* Bellar. pro ſua aqua luſtrali, non de ipſa aqua luſtrali. Benedicere *c* creaturas aliquas, & præſertim cibos, iiſq; ſic benedictis vti cum pietate, & deuotione ad effectus ſpirituales adiuncta oratione, mos eſt in eccleſia antiquus, ac interdum effectum ſecutũ ſcimus, ſed ex opere operantis, nõ ex opere operato, abſq; vllo certo pacto, aut promiſſione diuina. At vero vt remiſſio peccatorum etiam leuiſſimorum tribuatur aſperſioni aquæ benedictæ, & vt ad hunc finem in ſuis vaſis ad hoc deſtinatis iuxta eccleſiarum fores ſemper ſit parata, mihi non videtur vllo modo approbandum, nam neque huius rei in antiquitate vllum habemus indicium. Inuenio duntaxat tempore Chryſoſtomi aquam ante fores eccleſiæ parari ſolitam, ad lauandas manus. *d Quemadmodum*, inquit, *ſolenne eſt vt fontes præſto ſint ante oratoria, vt adoraturi Deũ, manus prius lotas inter precandum attollant. &c.*]

a Optat. con. Parm. l. 2.

* *Vide oſtẽſionem errorum Suarii cap. 2. §. 27.*

b Bellar. de cult. S. l. 3. c. 7.

c 1. Tim 4. 5.

d Chryſ. de verbis Apoſt. Habẽtes, &c. ſer. 3. to. 6.

CVII. Sunt & alij ritus non pauci in Ieiuniis, vigiliis, Feſtorum obſeruatione, & ſimilibus. Hos in ſequentem octauum librum differo: ad eccleſiaſtica enim præcepta pertinent, de quibus ibi mihi ſermo eſt futurus. Cum itaque ritus multi Romanæ eccleſiæ antiqui ſint, & probatiſſimi, toti eccleſiæ catholicæ ſemper fuerunt acceptiſſimi: Alii vero etiam ſi non antiqui, neq; vniuerſales, conſuetudine tamen ſint firmati, quã tollere vtile non ſit, imo ob ſcandalum non ita facile domabilis plebis pernicioſum, ideoq; tolerari debent. quippe neq; de ſe mali, neq; ſaluti animarum contrarij. Pauci demum aut tollendi, aut aliquo prudenti, & facili modo ſunt perpurgandi. Sicque occaſio ſchiſmatis neutiquã vlli fideliũ eſſe debẽt. Quod ſi omnes ritus reformatæ eccleſiæ non retinuerint, ſed multos, etiã bonos & antiquos, bono aliquo, aut non malo zelo abiecerint, à noſtris ſeparari non debẽt quia ritus ſunt res indifferentes. Quod ſi tolleretur ſchiſma, facile eos illæ quoq; reciperent, quos dixit Aug. inſolẽtiſſimæ eſſe inſaniæ reijcere, qua in parte Anglicana eccleſia, vt fertur, nimium aliarũ rigorem in ceremoniis & ritibus abolendis, nõ eſt imitata.

Dogmata fidei eſſentialia, & fundamentalia, ex vtraq; parte eadem ſunt. Neutra pars vlla vera hæreſi eſt contaminata, vt in præcedentibus me demonſtraſſe arbitror. Diſſenſiones circa diſputabilia & nondũ ſufficiẽter definita, aut nec vnquã fortaſſe definibilia, charitatẽ & vnionem abrumpere neque iure poſſunt, neq; debent, cum in his cuiq; liceat in ſuo ſenſu abundare, contraria opinione nõ damnata, vt c. 9. huius lib. probaui. Ritus res indifferentes ſunt, multi boni, & legitimi, pauci moderandi, omnes tolerãdi: Cur igitur Chriſtiana & catholica concordia inter Chriſtianos & catholicos non ſequatur? via ineundæ concordiæ, illa mihi facilis videtur, vt commune eccleſiarum omnium orthodoxarum, quæcunque & in Oriente ſunt, & in Occidente, vinculũ fidei fundamentalis ſtatuatur, per vnius, & eiuſdẽ Symboli, ſeu formulæ, & confeſſionis fidei ſtabilimentum: in controuerſiis omnibus extra talem formulam, nõ fides, ſed peritia theologica exerceatur. Hæc fuit via Regia, hæc firma & conſtans regula concordiæ, & vnitatis in eccleſia catholica perpetuo conſeruandæ. Iren. Symbolo fundamentalium fidei credẽdorum propoſito, in eo inconcuſſam collocat eccleſiam. Ait vero: CVIII.
e Eccleſia enim per vniuerſum orbẽ vſq; ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & diſcipulis eorũ accepit eam fidẽ, quæ eſt in vnum Deum patrem omnipotentẽ, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & in vnum Ieſum Chriſtum filium Dei, incarnatũ pro noſtra ſalute; & in Spiritum S. qui per prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei & aduentum, & eam quæ eſt ex virgine generationẽ, & paſſionem, & reſurrectionem à mortuis, & in carne in cælos aſcenſionem dilecti Ieſu Chriſti Dn. noſtri, & de cælis in gloria Patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuerſa, & reſuſcitandam omnem carnem humani generis, vt Chriſto Ieſu Dn. noſtro & Deo, & Saluatori, & Regi, ſecundum placitum Patris inuiſibilis omne genu curuetur, cæleleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur ei, & iudicium iuſtum in omnibus faciat. Spiritualia quidẽ nequitiæ, & angelos transgreſſos, atq; apoſtatas factos, & impios & iniuſtos, & iniquos, & blaſphemos homines in æternum ignem mittat. Iuſtis autem & æquis & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pænitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet.] Ecce quam breuis, quamq; ſuc-

e Iren. l. 1. c. 3.

cincta ponitur fidei fundamentalis formula, in Apoſtolico ferme ſymbolo tota contenta: Cui peritia Theologica nihil addere, imperitia nihil poſſit detrahere, nam & ſubdit.

CIX. a Ibid. c. 3.

a Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem quemadmodum prædiximus, eccleſia, & quidem in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter credit iis, videlicet quaſi vnam animam habens, & vnum cor, & conſonanter hæc prædicat & docet & tradit, quaſi vnum poſſidens os. Nam & ſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, & tamen virtus traditionis vna & eadem eſt: Et neq; hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ quæ in Hiberis ſunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quæ in Oriente, neq; hæ quæ in Ægypto, neq; hæ quæ in Libya, neq; hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ; ſed ſicut ſol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt, ſic & lumen prædicatio veritatis vbiq; lucet, & illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et neq; qui valde præualet in ſermone, ex iis qui præſunt eccleſiis, alia quam hæc ſunt, dicet. Nemo enim ſuper magiſtrum eſt: neque infirmus in dicendo deminorabit traditionem. Cum enim vna & eadem fides ſit, neq; is qui multum de ea poteſt dicere amplıat, neq; is qui minus, deminorat.] Ac pergit oſtendere ad fidem nihil facere, quod aliqui plus Theologicæ intelligentiæ, aliqui minus habeant: vt vidimus cap. 9. n. 3. huius.

CX. b Tertull. de præſcr.

Tertullianus ſimiliter, formnlam & ipſe, quam vocat Regulam paucis complectitur, & non niſi fundamentalibus, hoc pacto. *Regula autem fidei, vt iam hinc quid credamus profiteatur, illa ſcilicet qua creditur, vnum omnino Deum eſſe, nec alium præter mundi creatorẽ, &c.*] Quæſtiones vero à ratione fidei excludit, vt vidimus eod. cap. 9. n. 4. Sed longe breuius tandem formulam concipit, & in fundamento collocat idem Tertull. vbi ait. *c Regula quidem fidei vna omnino eſt ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & Filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertio die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cælis, ſedentem nunc ad dexterã Patris, venturũ iudicare viuos & mortuos per carnis etiã reſurrectionem.*]

c Idem lib. de virg. veland.

CXI. d Orig. in procem. libror. periarch.

d Origenes Regulam fidei, hoc eſt formulam dedit paulo latiorem, quam tamen totam ex Apoſtolica collegit prædicatione, quæ in eccleſiæ conſeruaretur traditione. Vt vidimus etiam c. 4. n. 15. huius. Athanaſius Symbolum, teſſeramque fidei noſtræ breuiſſimam poſuit, vt ſit *e Conſubſtantialis Trinitas Deus verus, ex Maria genitus homo: qui autem iſtis non aſtipulatur, anathema eſto. Hæc enim ſcripta magni Concilii Nicænſis volunt conſubſtantialem ſcilicet Patri Filium eſſe, & Spiritum vna cum Patre & filio conglorificari: Deum verum Filium Dei incarnatum, paſſum eſſe reſurrexiſſe, in cælum aſcendiſſe, venturum eſſe iudicem viuorum; & mortuorum, cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.*] Item, *f Apoſtolos ſequi potius debemus quam humanas rationes. Chriſtum enim Apoſtoli proficiſcentes ſtatim prædicauerunt, idq; vno ore ſine vllo diſſidio, natum illum ſcilicet in Bethlehem eſſe ex ſemine Dauidis, ſimilemque ſpecie hominibus, & crucifixum pro hominibus ſub Pontio Pilato, eundemq; & filiũ Dei, & hominem dixerunt, eundem ex cælo, eundem de terra, eundem impatibilem, eundem paſſum, & non alium; non duas perſonas, non duas hypoſtaſes, non duas adorationes. Quorſum diſceptationes & verborum pugnæ? vtilitas ipſa conſiſtit in credendo, colendo, & tacitis adorationibus: Agnoſco eum verum è cælo Deum impatibilem, agnoſco eundem ex ſemine Dauidis, quantum ad carnem attinet, hominem è terra patibilem. Non diſquiro cur idem patibilis & impatibilis, aut cur Deus & homo, ne curioſus in inquirendo cur & quomodo excidam à bonis nobis propoſitis.*]

e Atha. ep. ad omnes vbique per Ægypt. &c.

f Idem orat. vnum eſſe Chriſtum.

CXII g Baſil. de vera fide.

Baſilii Symbolum, ſeu formula, & g confeſſio fidei & ipſa tota ad Apoſtolicum ſymbolum arctata eſt, nihil de controuerſiis, nihil de rebus diſputabilibus, & in ſcripturis non clariſſime contentis ab eo apponitur. Auguſtin. eodem breuiſſimo h compendio comprehendit fundamẽtalia fidei noſtræ: *De vnitate diuinæ eſſentiæ, & Trinitate perſonarum, De incarnatione, paſſione, morte, reſurrectione, & aſceſſione Chriſti, De reſurrectione mortuorum, & Iudicio & addit gratiæ neceſſitatem cum libero arbitrio.* Similem formulã, quo ad dogmata, ponit Hormiſda vt vidimus ſup. c. 10. n. 159. huius. Suam etiam ponit i Leo X. quæ paucis additis vel detractis, huic tẽpori eſſet accomodatiſſima. Vt ponãtur omnes articuli fundamẽtales ſub verbis ſimpliciſſimis, prout in ſcripturis, traditione vera, & Cõciliorũ legitimis, & approbatis definitionibus proponũtur, cum explicatione veri ſenſus articuli, vbi verus ſenſus eſt ſufficienter definitus, & explicatus, vbi vero adhuc ſub obſcuritate latet, lateat quouſq; per legitimas regulas erui poſſit. Ponantur vero articuli quoad ipſorum ſimplex QVOD SIT: nihil vero addatur circa ipſorum, QVOMODO SIT: ſi illud neque in ſcriptura, neque in traditione clarum habeatur.

h Aug. de vera relig. c. 8. & de temp. ſer. 191.

i Leo ſer. 5.

CXIII. Igitur confeſſiones illæ longæ, copioſæ, & multarum theologicarum diſputationum deciſionem cõtinentes, pro ſymbolis, regulis, & formulis fidei neq; haberi, recipiue poſſunt, neq; proponi debẽt. Illæ. n. vtcunque ad diſſidia in vna Eccleſia particulari comprimenda nuper per ſingulas ferme eccleſias reformatas cęptæ ſint edi, ſunt tamẽ, & ſemper erunt ſchiſmatum cauſa potiſſima. Quis enim adeo rudis ingenii eſt, qui velit priuatorum doctorum priuatis opinionibus intellectũ ſuum alligare, vbi fidei certitudinem nullam habet? imo vbi pro contraria ſententia probabilitatibus aut vehementioribus, aut certe æque vehemẽtibus abundat: ſeparentur articuli, qui ſunt indubitatæ fidei, & fundamẽtales, in illis ſiſtamus omnes, reliquæ controuerſiæ hinc inde agitentur, pace, & charitate, vnitate; ſeruata: ſi quæ ſint definibiles, per regulas tutas, & legitimas, cõgregatis ſi oporteat Conciliis, definiãtur: quæ vero indefinibiles ſunt ſub opinandi libertate, & ſub ſuis probabilitatibus relinquantur; aliquæ vero etiam penitus reſecẽtur, & ſub venerãdo ſilentio cum ſimplicitate fidei, diuina myſteria ſecreta honorẽtur. Si cõfeſſio Auguſtana pro articulis indubitatis fidei nõ propoſuiſſet tam multa, quæ ad articulos fidei vere nõ pertinent, ſed in Theologicis duntaxat verſantur opinionib. In Cõcilio Tridentino non fuiſſet adeo & tam inutiliter laborandum: neq; Pius 4. ſuam lõgam edidiſſet fidei formulã iuramẽto confirmandam, quæ tot falſos fidei articulos continet. Confeſſio fidei ad paucos fundamẽtales articulos redigi debuiſſet, cætera liberis diſputationibus erant relinquenda, quæcunq; fundamentalibus articulis nõ obeſſent. Satis vnitam eccleſiam cathol. detinent antiqua ſymbola, quæ Trinitatis, & Incarnationis fidem explicitã profiteantur, & ſi volumus addere neceſſitatẽ diuinę gratię cõtra Pelagianos, & Semipelagianos, tantam quanta vſum liberi arbitrij non tollat; iam ſatis erit; & formula fidei fundamentalis vniuerſali vtriuſque partis, h. e. catholicorum, & Proteſtantiũ cõſenſu firmari poteſt, & ſtabiliri, & in reliquis per mutuam tolerantiam ſchiſmata tollenda eſſent, & vnitas eccleſię ſarciẽda. Nihil enim ſiue in dogmatibus, ſiue in ritibus in alterutra parte adeo intolerabile eſſe inuenio, vt propter id ſeparatio facienda ſit, & ſchiſma fouendum.

Vnica

CXIV. Vnica excepta, & ea clara, animique obfirmati hæreſi, vbi catholici inter ſe, etiam in aliqua graui difficultate diſſentiunt, tolerare ſe mutuo debent, ne fiat ſchiſma, iuxta Pauli documentum; *a* *ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Atque hoc ipſum monent paſſim Patres. *b* Irenæus docuit & compulit Victorem Romanum tolerare Quartadecimanos, ne ſequeretur ſchiſma ſi eorum fieret ſeparatio. Cyprianus ſcribit fuiſſe Epiſcopos ipſius anteceſſores, qui mœchos ad pænitentiam eccleſiaſticam admittendos eſſe omnino non putarent; quod etiam cenſuit *c* Tertullianus, & addit Cyprianus; *d* *Non tamen à coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut catholicæ eccleſiæ vnitatem vel duritia, vel cenſura ſua obſtinatione ruperunt, vt quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de eccleſia ſepararetur, manente concordiæ vinculo, & perſeuerante catholicæ eccleſiæ indiuiduo ſacramento, actum ſuum diſponit & dirigit vnuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus.*] Sic ipſe putans cum ſuis nō eſſe approbandum baptiſmum hæreticorū, eos tamē in charitate *e* tolerandos eſſe cenſuit, qui contrarium & ſentirent, & exercerent. Tolerantiam ſuadet Nazianzenus: *f* *Non apud nos ipſos diſtinguemus*, inquit, *quænam ne quærenda quidem omnino ſint, quænam mediocriter, quænam contentioſis hominibus concedenda, & relinquenda, quoque tandem modo ſe habeant, vtpote nullum doctrinæ noſtræ detrimentum afferentia? quænam etiam ratiocinationibus; pro quibus denique acri animo pugnandum ſit, rationibus tamen, non ferro, atque armis? — Exiguum quoddam concedamus, vt quod maius eſt, recipiamus; nimirum concordiam: Cedamus, vt ſuperemus.*] Tolerantiam Baſilius proponit, qua caueatur *g* *ne eccleſiarum Præſides immittant eccleſiis diſſenſiones, ſed eos*, inquit, *qui eadem ſentiunt, omnibus modis ad vnionem compellant: etiamſi quoſdam inuenerint, qui peculiaria quædā diſſidij inter ſe argumenta præferant, ne populum orthodoxum à propoſitis ſuis ſeparent, & in multas partes diuidant. Curandum eſt enim vt paci poſthabeantur omnia.*]

a Eph. 4. 2. 3.
b Euſeb. l. 5 c. 24.
c Tertull. de pudic. c. 1.
d Cypr. l. 4. ep. 2.
e Idem in Concil. Carthag. & Aug. de Bapt. l. 1. c. 8.
f Nazian. orat. 3 de pace.
g Baſil. ep. 51.

CXV. Tolerantiam pluribus commendat Auguſtinus, vbi Donatiſtas cupit à ſchiſmate reuocare, quod ex defectu tolerātiæ incurrerant. *h* *Et obiiciuntur nobis*, inquit, *crimina malorum hominum non noſtra, ſed aliena, & ipſa partim incognita: quæ ſi etiam vera & præſentia videremus, & zizaniis propter frumenta parcentes, pro vnitate toleraremus, non ſolū nulla reprehenſione ſed etiam non parua laude nos dignos duceret, quicunque ſcripturas ſanctas nō corde ſurdus audiret. Tolerat Aaron multitudinem Idolum exigentem & fabricantem, & adorantem. Tolerat Moyſes aduerſus Deum tot millia murmurantia & toties offendentia ſanctum nomen eius. Tolerat Dauid Saulem perſecutorem ſuum, ſceleratis moribus cæleſtia deſerentem, magicis artibus inferna quærentem, occiſum vindicat, Chriſtum etiam Domini propter ſacramentum venerandæ vnctionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, peruerſoſque filios ſuos, quos populus quia tolerare noluit, diuina veritate accuſatus, diuina ſeueritate correptus eſt. Tolerat deinde ipſum populum ſuperbum contemptorem Dei. Tolerat Eſaias in quos tam multa vera crimina iaculatur: Tolerat Hieremias à quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Phariſæos & ſcribas, quales illo tempore fuiſſe ſcriptura teſtatur: Scio me multos prætermiſiſſe, legant qui volunt, legant qui poſſunt eloquia cæleſtia, inuenient omnes Sanctos Dei ſeruos, & amicos ſemper habuiſſe quos in ſuo populo tolerarent, cum quibus tamen illius temporis ſacramenta communicantes, non ſolum non inquinabantur, ſed etiam laudabiliter ſuſtinebant ſtudentes (ſicut ait Apoſtolus) ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: Attendant etiam poſt Domini aduentum, vbi multo plura huius tolerantiæ per totum orbem inueniremus exempla, ſi omnia ſcribi, & in autoritatem redigi potuiſſent, tamen hæc ipſa quæ habemus aduertite. Tolerat ipſe Dominus Iudam Diabolum, furem & venditorem ſuum: ſinit accipere inter innocentes diſcipulos, quod fideles nouerunt precium noſtrum. Tolerant Apoſtoli Pſeudo Apoſtolos; & inter ſua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti. Paulus non ſua quærens, ſed quæ Ieſu Chriſti, cum glorioſiſſima tolerantia conuerſatur. Poſtremo (quod paulo ante commemoraui) diuina voce laudatur ſub Angeli nomine præpoſitus eccleſiæ, quod cum odiſſet malos, eos tamen tentatos, & inuentos pro nomine Domini tolerauit.*] Tolerantia hæc eſt circa malos mores, ſed eodem modo hæc poſſunt ad tolerantiam doctrinæ, & rituum adduci, vbi notiſſima hæreſis non ſit cum pertinacia, & obſtinatione. Sed & in materia magna ex parte dogmatica vbi veritas fidei clariſſime non conſtat, tolerantiam neceſſariam eſſe, idem profitetur Auguſtinus. De Baptiſmi enim quæſtione ait: *i* *In qua tamen ſi aliud alij, & aliud alij adhuc de iſta quæſtione, ſalua pace; ſentirent donec vniuerſali Concilio vnum aliquid eliquatū ſyncerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnitatis. ſicut ſcriptum eſt, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Qua abſente cætera inaniter habentur.*] Et hos omnes licet inter ſe diſſidentes, ait poſtea *k* *Catholicam vnitatem materno ſinu complectis, inuicem onera ſua portantes, & ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: donec alteris eorum, ſi quid aliter ſapiebant, Dominus reuelaret.*]

h Aug. ep. 162. & con. Creſc. l. 3. c. 3.
i Idem de bapt. l. 2. c. 4.
k Ib. l. 2. c. 6.

CXVI. Tolerantiæ defectus ſchiſmata peperit, vt vidimus cap. 10. ſæpe turpiſſima: quando Acacij communicatorum nomina in diptychis tolerare noluerunt tot Romani Pontifices, ex quo ſæuiſſimum ſchiſma Orientem ab Occidente ſeparauit. Et bene monebat Iuſtinianus tunc Comes, vt omiſſis hæreſiarchis, cæteri eorum bona fide communicatores pacem haberent, & inueteratum certamen finiretur. *l* *Vt redimatis*, inquit ad Hormiſdam, *plebem de ſanguine quam Deus noſter regendam commiſit, ac non perſequutionibus, ac cruore, ſed patientia ſacerdotali populum Domino noſtro concilietis. Ne dum volumus animas lucrari, & corpora multorum perdamus, & animas, errores enim diuturnos lenitate clementiaq́ue conuenit emendari. — Ille namq́ue medicus iure laudatur qui veteres ægritudines ita ſanare deproperat, vt ex eis noua vulnera non naſcantur.*] Iuſtini vero Imperatoris adhuc acrior eſt Hormiſdæ data in eodem genere, admonitio: vt tolerentur illi qui mori potius parati ſunt, quam ſuas deſerant, tolerabiles tamen, conſuetudines. *m* *Quid igitur faciamus*, inquit, *huiuſmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens exiſtit, & tormenta in tantum deſpicit, vt amplum ſibi æ feſtiuum iudicet, ſi corpore priuſquam religioſo deſiſtat conſilio? Nobis quidem videtur opus eſſe mollius agendi, & clementius, quæ ſi non in tua ſanctitate iam nec in alio potuerunt inueniri, nam neque ſanguinis, & ſuppliciorum cupidi (quod dictu etiam graue eſt) libellum ſuſcepimus, neq́ue vt paruo diſcrimine remaneant imperfecta concordiæ deſideria. ſed ad prorogandam quo poſſumus ordine coniunctionem membrorum eccleſiæ. Verum itaque præſtantius erit. minorum gratia in totum eſſe nobis adiectas tantas multitudines an conceſſis exiguis, & remiſſis maiora, & omni ratione quærenda corrigi. vt quæ non licuit per omnia ſaltem ex neceſſariis partibus allegentur.* prudentius ſane prudentiſſimi Principis conſilium, quam ſint moderna conſilia in Gallia, Germania, Bohemia, &c. vt ferro, ſanguineque velint Principes non religionem, ſed Romanas non dicam falſitates, & vſurpationes, ſed opiniones ad fidem nihil pertinentes, ſtabilire.

l Inter ep. Hormiſd. poſt ep. 69.
m Ib. poſt ep. 71.

CXVII. Tolerantiam neceſſariam cēſuit ille Gregorius,

quando in ſuâ graui diſſenſione, quam habuit cum Ioanne prius, deinde cum Cyriaco Conſtantinopolitano, ob œcumenici nomen, non adeo in eos incenſus eſt, vt ſe ab eorum conſortio eccleſiaſtico ſepararet, ſed tolerato illo quem putabat eſſe errorem grauiſſimum, in vnitate cum eo permanſit. a *Et quidem*, inquit, *inter nos & ipſum—propter appellationem profani nominis eſt grauis diſcordia, ſed in cauſa fidei tranſmiſſos reſponſales eius exiſtimaui eſſe ſuſcipiendos, ne culpa elationis, quæ in Cōſtantinopolitana eccleſia pene contra omnes ſacerdotes exorta eſt, diſſenſionem fidei, & rixam eccleſiaſtica faceret vnitati.*] Quicunque igitur à ſimili tolerantia abhorrent, illi ab vnione catholica abhorrent, & in ſchiſma ruunt. Si abſit tolerantia, diſſidia in dies fiunt amarulentiora, & talia quæ viam Antichriſto præparent. Nam diuiſionē faciunt irreparabilem: propter quam non minorem cauſam habuiſſet nunc Gregorius Nazianz. quam tunc habuit, dicendi, b *Quonam hæc progredientur? & vbi conſiſtent? Equidē vereor, ne præſens rerum ſtatus ignis illius in expectatione poſiti ſumus quidam ſit, ne hic Antichriſtus ſuperueniat, ac noſtros lapſus & morbos in principatus ſui occaſionem arripiat, nec enim opinor, ſanos adorietur, nec charitate ſeptos & munitos; verū regnū in ſe ipſum prius diuidi oportet, atq; ita fortem eā rationem, quæ in nobis eſt, tentari, & ligari, ac tum vaſa diripi, vobiſq; eadem accidere quæ nunc hoſti noſtro à Chriſto accidere perſpicimus.*]

a Greg. lib. ind.15. p.32.

b Naz. ora. 3. de pace.

CXVIII. Irrepſerant in eccleſiam cathol. fateor non hæreſes ſed abuſus, & errores: ſuperfluitates, & additamenta fidei, atq; ſuperſtitiones: nimia Scholaſticorū curioſitas, & ingeniorum indulgentia, volentium vltra quam par eſt, diuina ſecreta rimari diſſenſionibus viam aperuerunt. Surrexerunt ſępe cōtradictores, ac demum Lutherus, & Caluinus, eorumq; ſocij & aſſeclæ bono ne, an malo zelo, Deus iudicet: effectus certe, ipſorū conatus, aliquos bonos, aliquos etiā malos, & pernicioſos eccleſiæ pepererunt. Bonus effectus fuit, quod veros abuſus aperuerunt; veritates cathol. à ſuperfluis additamētis perpurgarunt. Papatus exorbitantis vſurpationes notas reddiderunt, & ſuperſtitioſos, periculoſoſq; cultus merito auferendos eſſe docuerunt, & ſimilia. Peſſimus effectus fuit, quod vltra merito reformāda euagati, Scholaſticas cōcertationes indefinibiles, ferme definire voluerūt. Et doctrinę in eccleſia cathol. non tanquā fidei articulos continētis, ſed tanquā ſuā tutā, & vtilem probabilitatē habentis iam receptæ, ita contradicere voluerunt, vt illam damnare viderentur, & tanquā hæreticā reprobare. Ex quo ſecutum eſt, vt extrema extremis repellenda eſſe Pontificii cenſuerint, & id, quod, non quidem de fide, ſed vt plurimum probabile eſſet, hæreſes eſſe definiuerint. Atq; in his extremis conſtituti quomodo amplius in vnum coeant, niſi extremitatib. abiectis vtraq; pars ad mediocritatē ſe per mutuā tolerantiā reducat? Et ſane qui priores ad ſuū ſe extremum contra ſocios ſuos receperunt, occaſionemq; eis ad alterū extremum ſe recipiendi prębuerūt, priores etiā à ſuo extremo diſcedere deberēt: quo extremo derelicto, iā multo facilius etiam pars altera ſuū deſereret extremū, & ſic ad mediā facile deueniretur adeo neceſſariā tolerātiā. Illud malū eſt, quod reformatorū iſtorum poſteri, & ſequaces, nullū moderationi in diſſenſionib. ſcholaſticis locū volunt relinquere, quē tamen ipſorum magiſtri relinquendū eſſe cenſuerunt; certè caſu, & libenter, poſtquā ſum in Anglia legi, quæ Caluin. in hoc genere ſcribit illudq; huc addere placuit. Ait vero, c *Hæc quoq; non grauatim agnoſco, nos, ſi quādo iterum recudantur noſtra opera, quæ rudiora erant expolire, mitigare quæ aſperius erant dicta, addere lucē obſcuris, minus preſſa fuſius, & copioſius explicare, munire etiam nouis rationibus: deniq; in quibus offenſionis periculum veremur, moderari etiam, & mitigare. Quorſum enim viueremus, ſi nihil ætas, nihil vſus, nihil aſſidua exercitatio, nihil lectio, nihil meditatio conferret?—Quorſum autem proficeremus, niſi vt fructus inde aliquis ad alios quoq; perueniret?*] Hæc ille, & prudenter quidē. Qui ſi ad noſtra hæc tempora perueniſſet, lōge mitior eſſet quam nunc ſint ipſius diſcipuli, & aſſeclæ; & ſua quoque rigidiora ſcripta, vt hoc loco ſpem dedit, moderaretur, & ſe reduceret ad tolerantiam.

c Calu. de lib. ar. con. Pighium.

Reformatio vtilis eſt & neceſſaria, ſed magna cum cautela facienda, ne ſchiſma, omni deformatione peius & pernicioſius eccleſiā diuidat. Eſſentialis reformatio in paucis conſiſtit, quæ ſine ſchiſmate in ſe quæq; eccleſia, ſiue etiā quiſq; priuatus corrigere poteſt, etiā ſi plurimi corrigi nolint. Quæ n. corrigenda ſunt apud nos maxima ex parte in ſola directione intentionis conſiſtunt, quā intentionē ſolus Deus videt, & vel approbat vel reprobat, & eccleſia non iudicat de occultis. Externa vero ad ritus pertinent; & in his pauciſſima ſunt adeo apud nos deprauata, vt omnino tolli debeāt, quę ſane vbi comode tolli poſſunt, tollātur: vbi vero tolli nō poſſunt ab iis qui ea apud ſe abſtulerunt, illa apud alios tolerentur. Et ſi quis ex reformatis ibi ſit, vbi ſublatæ non ſunt, facile poteſt in his & peccatū vitare, & ſcandalū, vnionemq; ſeruare. Exempli gratia Miſſæ priuatæ Pōtificiæ intereſſe poterit, & durante Miſſa genibus flexis ſuas preces Deo fundere, ſed ſacramentum nō adorare; Miſſa enim ſi paululum corrigatur, & adoratio euchariſtiæ tollatur, poteſt tuto ſubſiſtere, vt docui l.5.c.6.n.246.247. Poteſt etiam corā imagine orare, ſed imagini nullū cultū exhibere, quā non niſi memoriæ gratia inſpiciat. ſic de cæteris ritibus. Et è cōuerſo poteſt Pōtificius inter Proteſtantes degere, eorūq; (ſi ipſi ipſorum culpa vere, & proprie ſchiſmatici nō ſint, qui altare contra altare erexērint) ſacra percipere, conciones audire, & exercitio precum, ac diuini cultus intereſſe. Eorum enim miniſtri legitimi ſunt ordinarie & conſequenter vera & legitima ſacramenta; * Preces publicæ, & liturgiæ ipſorum de ſe alicubi bonæ ſunt, nihil mali in ſe cōtinent; conciones eorum ſunt catholicæ, hæretici enim non ſunt, vt docui: Quis ergo ſcrupulus poteſt noſtros ab his auertere? ſolum ſchiſma tollatur, & ſic ſcrupulus omnis penitus auferetur. CXIX.

* *Vide oſtenſionem errorum Suarii cap.6. §. 82. & §. 99.*

Proh Deus immortalis, quo tandem euaſit peſtifera hæc diſſenſio? Patriæ, domus, bonorū commodorum, vitæq; iacturam faciunt multi, inaniter, ocioſe, abſque vlla neceſſitate, vtinam non etiam abſque vllo ſpirituali lucro. Martyres fiunt, & fortaſſe ex bona fide, & pij animi humana ſuaſione decepti coram Deo vere martyres, ſed certe potius martyres mundi quam Dei ſunt, qui ex vtraq; parte ſub titulo conſcientiæ ſanguinē fruſtra fundunt; quaſi vero fides & religio Romana, & fides ac religio Proteſtantium, ſint duæ fides, & duæ religiones inter ſe penitus cōtrariæ, & earum altera fides ſit Chriſti, altera vero Antichriſti. Vnica eſt fides in fundamētalibus, vnica religio: Perperā quidem & impie faciunt qui ſanguinē fundunt, & gladio, atque igne in aduerſarios ſæuiunt. Sed ſtulte & ocioſe gladio, & igni, aut proſcriptionib. & exiliis ſe ſubdunt, qui poſſunt abſq; vllo conſcientiæ detrimento cum vtriſq; manere, ſola mentis, vt docui, bene directa intētione. Principis ſui voluntati, & mandatis quiſq; ſe accomodet, ne vllū tēporale CXX.

CXXI.

patiatur

patiatur detrimentum: non n. Principes Chriſtiani ſiue Pontificij ſint, ſiue Proteſtantes quicquã p̃cipiũt, ꝙ vere in actu externo malum de ſe ſit, & contra conſcientiã; & ſi quid ſuperſtitioſum ſit; poteſt; vt dixi, vel cõmode & prudẽter vitari, vel recta mẽtis intẽtione à malo liberari. Rideo illos ego qui ingenti incõmodo, & periculo ab vna ad aliam partẽ, ſolius conſcientiæ cauſa, transfugiunt. Illi ſoli prudenter id faciunt, qui de abuſibus, ſuperfluitatibus & erroribus alterutrius partis libere diſſerere, & ſcribere ibi voluñt, vbi impedimentũ nullum inueniãt. Sed priuati priuatã vitam agentes, & ſilentium ſibi circa diſſenſiones imponentes, poſſunt, vt oſtendi, cõmode, & citra periculum in quacunq; ex aduerſis Eccleſiis manere, à ſolo ſchiſmate, intra animi ſui diſpoſitionem, & præparationem, ſibi caueãt; vt licet corpore ab aduerſis, veris tamen, & Catholicis Eccleſiis, ſit aliquis ſeparatus, Spiritum tamẽ & piũ affectum cum illis cõiunctum teneat, neq; illas aut interne, aut externe abominetur; ſolos errores, ſuperfluitates, ſuperſtitiones inexcuſabiles, interne deteſtetur, & externe vel prudenter, & caute euitet, vel recta intentione purificet. Ac interim ſe, ſuis, patria, bonis, & amicis pacifice, & legitime fruatur; nulliſq; ſuperuacaneis ſcrupulis conſciẽtiam ſuam turbari patiatur, cum vtrobiq; in Chriſto vero fundamento ſe bene locatum ſciat, & externum diuinum cultum vtrobiq; legitimum habeat.

CXXI. Quid ergo impedit concordiam? nimia profecto vtriuſq; partis durities? quæ ſi vtrinq; tantillum remittatur, vt non obſtantibus præiudiciis, opinionibus & definitionibus, vere inſufficientibus, circa ea quę fundamentalia fidei non ſunt, ſed ijs omnib. ad tempus ſuſpenſis, & firmato cõmuni fundamentaliũ ſymbolo, vnaq; & cõmuni fidei confeſſione in fundamẽtalibus ſolis formata, ſchiſma in primis tollatur, & vnio, atq; pax in charitate, & Eccleſiaſtica cõmunione redintegretur; atq; interim, dum amice de cõtrouerſiis cõponendis agitatur negotium, per mutuam tolerantiã diſſidia ſopiantur. Super omnia vero neceſſe eſt vt p̃iudicia ex vtraq; parte ſuſpendantur. Stabilita n. fidei cõmuni confeſſione in fundamentalibus, non eſt cur in aliis controuerſiis, aut noſtri vrgeant iã factas definitiones, aut ſuas Eccleſiæ reformatæ confeſſiones, etiã ſi definitiones, aut confeſſiones eſſent veriſſimę. Hęc n. prę iudicia cõcordiæ ſpem omnem ſemper auferent, & ſchiſmata confirmabunt. An non poterat Auguſtinus contra Manicheos ſtare cõſtans, in p̃iudiciis Catholicę Eccleſię? potuit ſane, & merito: ſed ex illis, à Manicheis nõ admiſſis, eos conuincere nõ poterat. Quid ergo? ſic eos alloquitur; *a Vt a. facilius miteſcatis, & non inimico animo vobiſq; pernicioſo mihi aduerſemini, quouis iudice me impetrare à vobis oportet, vt ex vtraq; parte omnis arrogantia deponatur. Nemo noſtrum dicat iam ſe inueniſſe veritatem; ſic eam quæramus, quaſi ab vtriſque neſciatur. Ita enim diligenter, & concorditer quæri poterit ſi nulla temeraria præſumptione inuenta & cognita eſſe credatur: Aut ſi & hoc à vobis impetrare non poſſumus, ſaltem illud concedite, vt vos tanquam incognitos, nunc primum audiam, nunc primum diſcutiam. Iuſtum puto eſſe quod poſtulo, hac ſane lege ſeruata, vt vobiſcum non orem, non conuenticula celebrem, non Manichæi nomen accipiam, ſi non mihi de omnibus rebus ad ſalutem animæ pertinentibus ſine vlla caligine rationem perſpicuam dederitis.*]

a Aug. cõn. Epiſt. fund. cJ.

CXXII. Certamina iam præceſſerant multa ante Auguſtinum cum Manicheis, veritas Catholica fuerat à viris ſanctiſſimis manifeſtata, à tota Eccleſia recepta, & approbata: & tamen Auguſtinus perinde ac ſi nunquam illa amplius diſcuſſa fuiſſet nouum offert certamen; præiudicia ſuæ partis deponit, ſatis iam ab aliis diſcuſſam, & examinatam hęreſim, atq; ab Eccleſia Catholica profligatam ad nouũ examen reuocare nititur, vt nouo conatu inuicta veritas ipſa triumphet. Redintegrat Auguſtinus libenter cum Manicheis diſputationem; quia charitas Dei vrget ipſum, qui tamen erant manifeſtiſſimi, & conuicti hæretici; vt eos ad veritatem conducat: Cur igitur noſter etiã Pontifex, & Pontificij non libẽter ex eadem charitate, in rebus p̃fecto fidei non fundamẽtalibus, ſed ſcholaſticis, & diſputabilibus cum Proteſtantibus nouas non ineant, ſed pacatiores diſputationes: vt ſi tandem ſui ſchiſmatis rationem non reddant ſufficientẽ, penitus, vt peruicaces, & refractarij abiiciantur? Si vero oſtenderint ſe neq; hæreticos eſſe, neq; ſchiſmaticos, & ipſi cõuincantur nullam iuſti ſchiſmatis cauſam habere, vnio, & cõmunio conſequatur. Meminiſſe n. debet ſummus Pontifex, *b* Eccleſiæ ſanctæ manſuetudinem, vt obſeruat Auguſtinus; membra Chriſti diſperſa colligere, nõ, collecta diſpergere. Ad eum etiam illa eiuſdem Auguſtini ſpectat admonitio; *c In huiuſmodi cauſis, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras non huius, aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent, detrahẽdum eſt aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis charitas ſincera ſubueniat.*] Puta ſi coniugatos admittat ſacerdotes; ſi vſum calicis multis concedat nationibus, &c.

b Aug. ep. 48.

c Idem ep. 50.

CXXIII. Neque Proteſtantes ſtatim initio expectent, aut vrgeant omnium abuſuum & errorum Papiſmi extinctionem, ſed & ipſi interim tolerent aliquid in noſtris, caueant tamen ſibi quantum velint. Sicut n. paulatim ſuccreuerunt errores, ita paulatim ſunt euellendi: *d Neq; enim in procliui eſt*, ait Nazianzenus, *religionem cõſuetudine ac tempore longo corroboratam, immutare. Ac vero, vt qua dixi, apertius intelligantur prima mutatio ſublatis ſimulacris victimarum ſacrificia conceſſit. At ſecunda cum victimas ſuſtuliſſet circunciſionem non prohibuit. Deinde vbi abrogationem iam ſemel receperant progreſſu temporis, illud quoq; quod conceſſum obtinuerant ceſſere volũtarii: illi quidem victimas, hi circunciſionem. Hac arte ex gentibus quidem facti ſunt Iudæi, ex Iudæis vero Chriſtiani, nimirum paulatim, & mutatione facta per partes pia quadam vafricie ad Euangelium perducũtur.*] Et Chryſoſtomus, *e Magna* inquit, *vis eſt præoccupatæ opinionis. Scitis n. apud homines nihil eſſe æque validum atq; Tyrannidem veteris conſuetudinis.*] Atq; hinc exaggerat laborẽ Apoſtolorum, qui tamen, adiuuante Chriſto, gẽtes conuerterint ingenti ſane miraculo; in difficultate pene inexpugnabili; ſiquidẽ conſuetudo gẽtes corroborabat, nouitas vero Apoſtolis ſũmopere aduerſabatur. *Nihil n.* inquit, *adeo conturbat animũ etiam ſi id fiat ob aliquod vtile, vt innouare, & peregrinũ, ac externũ aliquid facere; & maxime quando hoc factum fuerit de Dei cultu, religioneq; & opinione.*] Et Auguſtinus *f* fatetur nouitates etiã vtiles ſolere multas afferre turbationes. Non ergo ſtatim omnia q̃ ex vtraq; parte ſunt corrigenda, correctioni ſubdi debent, ſed paulatim agendum. Vt a. neq; conſuetudo inueterata reſiſtat, neq; nouitas turbet, vtraq; pars ad antiquam ſe re-
f .t doctrinam, & Eccleſiæ praxim; & ſtet veteri
p nitiuæ Eccleſiæ puræ cõſuetudini, neq; nouitas
i eputetur ꝙ ſit reparatio abolitæ vetuſtatis. O-
p um fuit Conſilium ſapientiſſimorũ in Galliæ
ho num circa initia reformationis Proteſtãtium:
g Il. , vt eodem tẽpore ſcribit Caſſander, *quærebant Conſilia, quibus Eccleſia ad normã diuinæ ſcripturæ, & Eccleſiæ priſcæ, quam minima fieri poſſet mutatione, & retentis, quoad fieri poſſet, antiquitatis reliquiis conſtitueretur; & vtraque pars, vel certe qui in vtraque parte ſaniores*

d Nazian. de Theolõgia l. 5. ad finem.

e Chryſ. in 1. Cor. ho. 7.

f Aug. ep. 118.

g Caſſander. ep. 37.

ſunt ad Chriſtianam concordiam, & vnionem reducerentur. Huius ſententiæ, inquit, *& animi ſunt Rex Nauarræ, & Regina mater, Epiſcopus Valentinus vir prudentiſſimus, Cancellarius regni Hoſpitalius dictus, optimi quiq; , & præſtantiſſimi ex Regiis Cōſiliariis, & inter eos vir doctiſſimus, & præcipui nominis Paulus Foxius; ex Sorbonicis præcipuus Eſpencæus, & Salignacus Abbas; nec abhorret ab his Cardinalis Lotaringus, vt patet ex amplo, & eruditionis, ac prudentiæ pleno colloquio, quod de præcipuis articulis controuerſis habuit cum viro quodam erudito, & inter ipſum, & Regem Nauarræ ac Reginam matrem tanquam internuncio, qui colloquium illud, ſeu potius diſputationem (nam ſolus fere Cardinalis amplius horam coram eo diſſeruit) ſtatim, quantum memoria complecti potuit, deſcripſit. Regique, ac Reginæ recitauit, cuius exemplum ab ipſo habeo. Inter cætera dicebat, ſe libenter compromittere hanc controuerſiam arbitrio Eccleſiæ priſcæ ſeu Patrum quingentorum à Chriſto annorum, reliquis qui inſecuti ſunt annis haud grauatim renunciaturum.*] Vtinam eadem mens, idem conſilium nunc eſſet ſummi Pontificis, & Cardinalium! Res facillime, vt ſpero, componerentur.

CXXIV. Idem vero Georgius Caſſander vir doctus, Catholicus, pius, ac prudens, hoc ipſum remedium ſchiſmati huic inter Catholicos, & Proteſtantes, quod ego nunc expono, ipſe quoq; [a] *opportunum a cēſuit, imo neceſſarium, vt interim, dum controuerſiæ agitantur, vnuſquiſq; in ſua,* inquit, *fide,* ego dicerem, in ſua opinione, *permittatur; modo omnes recipiant ſcripturam, & ſymbolum Apoſtolicum; ego vero addo etiam alia antiqua ſymbola, imo omnes in vnam fundamentalium omniū confeſſionem formandam conſentiant. eius libellum huic meo libro ad finem adiicicuperem.* Non placuit Caſſandri Conciliatio Bellarmino: eamq; ſic primum repellit: [b] *Non poſſunt Catholici, Lutherani, & Caluiniſtæ eo modo conciliari; nam in ipſo ſymbolo non conuenimus. Exempli gratia; per articulum; Deſcendit ad inferos, diuerſiſſima intelligimus: nos enim credimus Chriſti animam à corpore ſeparatam, ſecundum ſubſtantiam ſuam deſcendiſſe ad Limbum Patrum; hæreticorum alii, volunt deſcendiſſe Chriſtum ad inferos, nihil eſſe aliud, quam ſepultum fuiſſe; alii paſſum dolores inferni. Similiter articulum. Credo ſanctam Eccleſiam; diuerſis modis intelligimus, & illud etiam: ſanctorum communionem; nam de ſingulis Sacramentis ſunt controuerſiæ. Deniq; de illo. Remiſſionem peccatorum maxime diſſentimus.*]

[a] Caſſander libro de officio pii viri.

[b] Bellar. l. 3. de laicis c. 19.

CXXV. Obiectio hæc ſane leuiſſima eſt. Chriſtum enim deſcendiſſe ad inferos, ſit articulus fidei, eum non negant Proteſtantes. Sed qui ſit ſenſus huius articuli in nullo articulo fidei inuenitur. Fide enim nō conſtat, quomodo Chriſtus ad inferos deſcendit, licet conſtaret eum ad inferos deſcendiſſe, de quo aliquid dixi lib. 5. c. 8. n. 122. Non enim certum habemus eam particulam ſymboli Apoſtolici, quæ deſcenſum Chriſti ad inferos fatetur, ſemper in ſymbolo Apoſtolico lectam & recitatam fuiſſe. Certe in Romana Eccleſia, & in Orientalibus, ſuo tempore, deſcenſum hunc ad inferos in ſymbolo Apoſtolorum nequaquam lectum fuiſſe aſſerit [c] Ruffinus: in aliis tamen legebatur. Et ipſe Ruffinus putat idem eſſe deſcendere ad inferna, quod ſepeliri. Athanaſius vero [d] deſcenſum Chriſti ad inferos, intelligit ex epiſtola Petri deſcenſum ſolius verbi, ſed ſine carne, quæ iacebat in ſepulchro, ad prædicandum ibi ſpiritibus incluſis. Rem igitur credimus, modum neſcimus, & de modo poſſunt eſſe variæ opiniones. ſenſus itaq; huius articuli genuinus ne à Bellarmino quidem poteſt vllus certus adeo proponi, & fide credendus, quin liceat ex ſcripturis & Patribus contra eum dubitare. Nam huius articuli verum, & genuinum ſenſum; neq; Apoſtoli tradiderunt, neq; Eccleſia definiuit. Aliqui quidem articuli fundamentales, qui in ſymbolo Apoſtolico ſimpliciter proferuntur, ab hæreticis peruerſo ſenſu fuerunt expoſiti, quorum verum, & genuinum ſenſum contra hæreticos Patres & Concilia ex ipſis Apoſtolorum traditionibus eruerunt, & expreſſe publicarunt; ac propterea ſymbolo Apoſtolico iam addenda ſunt alia legitima ſymbola verum articulorum ſymboli Apoſtolici ſenſum explicantia.

[c] Ruffin. in expoſit. ſymb inter opera Cypriani.

[d] Athan. epiſt. ad Epict.

Quod vero ſpectat ad articulum Eccleſiæ, ille certus eſt, & ab omnibus firma fide credendus, eo ſenſu, quod ſit Eccleſia vna Chriſti, Catholica, & vniuerſalis, vera domus Dei, extra quam nemo ſaluari poſſit. Et hoc Proteſtantium nemo negat. Qualis vero ſit Eccleſia, qui eam conſtituant, quæ ipſius notæ, &c. Omnia ſunt diſputabilia, ad peritiam, nō ad fidem pertinentia. Sanctorum communionem ſatis credit, qui aſſentitur fideles omnes in vna Eccleſia vna communione charitatis, & Sacramentorum eſſe colligatos. Quænam autem ſint vera, & viua membra Eccleſiæ, quæ mortua & putrida, aut falſa: ad articulum fidei non pertinet; ſicut neq; ad fidei articulum ſpectat qui ſit numerus, vis, poteſtas, & qualitas Sacramentorum. Satis eſt ſi baptiſmum, & Euchariſtiam omnes venerentur, iiſque vtantur. Remiſſionem peccatorum dari in Eccleſia nemo Proteſtantium negat, omnes neceſſitatem pænitentiæ agnoſcunt, & clauium poteſtatem. Circa vſum tamen clauium, & circa modum dandæ abſolutionis, & circa neceſſitatem Eccleſiaſticę externæ pænitentiæ, & abſolutionis, articulus fidei nullus eſt, ſed ſolæ adſunt in Eccleſia Theologicæ diſputationes, & in his omnibus diſſenſio ſtare poteſt cum fide, & cum charitate. CXXVI.

Refellit ſecundo Caſſandrum Bellarminus, *quia præter fidem requiritur ſubiectio ad legitimum caput Eccleſiæ à Chriſto inſtitutum, & communicatio cum aliis membris.*] Et hoc eſt maximum obſtaculum, quod vnionem rupit Eccleſiæ, & eam reſarcire vix permittet; nimirum Papatus. Obſtaculum coram hominibus ingens, coram Deo nullum. Caput Eccleſiæ Chriſtus eſt; vnio cum Chriſto capite, & inter ipſius mēbra eſt omnino neceſſaria. Subiectionem vni capiti viſibili nullam ſacra Scriptura, nullam vetus Eccleſia, nullam Patres, nullam priſca concilia agnouerunt. Communio inter Eccleſias particulares ab omnibus vt neceſſaria requiritur; ſubiectio vera, à nemine; niſi illa quam Paulus requirit vt [e] *obediamus Præpoſitis*: id eſt illorum doctrinam in fide, & directionem in via ſalutis ſequamur. Præpoſitis ait, non Præpoſito. Separationem malam eſſe agnoſcant omnes, & ſeparationis culpa in ea parte erit quæ ſine cauſa alteram à ſua communione abiecerit, & anathemate à ſe præſciderit. Si in fide fundamentali plene conuenerimus, vnio omnino ſequetur, & diſruptio ſarcietur. Communicare ſi voluerint nobiſcum Proteſtantes, obedientiam Canonicam, non ſubiectionem Tyrannicam, vt ſpero, non negabūt; niſi furioſi. Puritani à neceſſaria tolerantia noſtrorum abuſuum, & errorum, qui neq; hæreſes neq; Idololatria ſint, omnino velint abhorrere, & cum catharis penitus inſanire. CXXVII.

[e] Heb. 13. 17.

CXXVIII. Refellit tertio, *quia in dogmatis etiam maximi momenti eſt diſſenſio.*] Ego vero nego, & iam probaui in fundamentalibus nullam eſſe diſſenſionem inter Catholicos, & Proteſtantes: Duo affert exempli gratia: Miſſam, & ſanctorum inuocationem. Miſſam illi quatenus ipſis videtur adoratio Euchariſtiæ eſſe Idololatrica, abominātur. In quo eos falli non

dubito.

dubito. Oſtēdi enim formalem idololatriam ibi nō eſſe. Periculum tamen non nego. Ac ideò mutuam tolerantiam tantiſper requiro. Vt & nos illis pmittamus ab adoratione Euchariſtiæ abſtinere, & illi nos permittant ſanctos in ſolum patrocinium inuocare, modo longe diuerſo ab eo quo Deum & Chriſtum inuocamus. Et hæc quidem, ac ſimilia quatenus cōtrouerſa ſunt, dogmata non ſunt. Fundamētale dogma in miſſa, & omnibus credendum eſt, ſacram Euchariſtiam, in qua Chriſti corpus verum, & reale nobis exhibetur, per preces miniſtrorum legitimorum conſecrari, & diſtribui, ineffabili Sacramento, ex Chriſti mandato, & præceptione. Alia circa miſſam, & ſacrificium ſunt diſputabilia. Inuocatio ſanctorum ad ſolos ritus ſpectat. Et procul dubio ſi religioſa, hoc eſt ea quæ ſolum Deum decet, inuocatione inuocentur, erit plane impia, & à fide noſtra remotiſſima. Sed in his facile eſt concordare.

CXXIX. Refellit quarto, *quia Patres docuerunt nos, vt omnia dogmata, etiam ſi minuta videantur, inuiolata ſeruemus, nec propter hæreticos vllo modo immutari patiamur. Sic Arianis nō fuit conceſſa vnius vocula ὁμοούσιον immutatio.*] Reſpondeo: dogmata fidei ſi ſunt clara, & indubitata, etiam ſi leuiſſima, nullo modo eſſe immutanda: Neq; Proteſtantes vllius veri dogmatis immutationem puto, requirunt: immutationem ſi poſcunt, eam in rebus merito mutabilibus poſcent, aut ſaltē adiaphoris. Vocula vero nulla eſt eis donanda, quę ad veram & neceſſariam ſpectet veræ fidei explicationem. Ideoque eos puto nunquam poſtulaturos. Argutia illa Gelaſij de condeſcenſu, plus ſuperbiæ continuit, quam charitatis, vt oſtendi huius libri c. 10. n. 140.

CXXX. Refellit quinto, *quia non poteſt liberum eſſe credere in vno quolibet dogmate, quin eadem ratione liberum eſſe debeat in omnibus, etiam in iis quæ Apoſtolico ſymbolo continentur.*] Reſpondeo, neq; Caſſandrum, neque nos, neq; ipſos Proteſtantes petere, vt liberum ſit credere in vero fidei dogmate quod placet. Dogma ſi clarum eſt in Scriptura, aut ſi traditione ſufficienter explicatum, idem perpetuo apud omnes fideles eſſe debet: ſymbolum vero Apoſtolicum eſſe ſymbolū Apoſtolicum, non eſt dogma fidei, ſed certitudo humanæ euidentiæ, vt docui cap. 1. huius libri. licet articuli in ſymbolo illo contenti ſint articuli fidei, diuinā fide credendi, nō autoritate Eccleſiæ, vt docui cap. 4. huius, ſed autoritate diuinæ Scripturæ, quæ illos articulos omnes habet. Sic inuocatio ſanctorum, ſi vera traditione Apoſtolica quę in Eccleſia conſeruetur, poteſt cōfirmari, quia res ad ritum pertinet, non ad dogma, ideo reprehendi non poteſt, ſed licite, & laudabiliter poſſunt ſancti inuocari; at vero articulum ſeu dogma fidei in hoc nullum cerno.

CXXXI. Refellit ſexto, *quia noua eſt hæc Caſſandri opinio, ac nouitas omnis eſt ſuſpecta.*] Reſpondeo nouum eſſe fortaſſe hoc Caſſandri conſilium, vt per tolerantiam, ſtante Apoſtolico ſymbolo ab vtriſque recepto, fiat vnio, & concordia. At vero nouum non eſt, ſed antiquiſſimum, vt ſtante libertate opinandi, in iis quæ fidei clara aut definita dogmata non ſunt, vnio Eccleſiaſtica conſeruetur.

CXXXII. Refellit ſeptimo; *quia iſta opinio facit veram Eccleſiam omnino occultam, & inuiſibilem; imo ex ſolis adulatoribus, & ſimulatoribus conſtatam.*] Reſpondeo veriſſimum eſſe Caſſandri dictum, ad veram Eccleſiam duo tantum requiri, fidem nimirum integram in Chriſtum; & pacem, atque communionem cum omnibus fidelibus hanc fidem habentibus: vt excludantur infideles hæretici, & ſchiſmatici: quod nos probauimus cap. 10. huius. Cum igitur & Catholici, & Proteſtantes ſint in vera Eccleſia Chriſti, quia vtrique integram fidem in Chriſtum ſeruant cum iiſdem, niſi ſint ſchiſmatici, qui ſchiſmaticus eſſe non vult, communicare tenetur. Ergo illi ſoli, qui cum omnibus pacem habent, ſunt in vera Eccleſia. Atq; adeo ſi Catholici nolunt habere pacem cum Proteſtantibus, illi profecto ſchiſmatici ſunt, & in Eccleſia vera non ſunt: Ita è contra, ſi Proteſtantes nolunt cum Papiſtis, quos vocant, pacē habere. Ex quo ante omnia ſequitur neutros eſſe in vera Eccleſia, quandiu neutri cum alteris volunt Eccleſiaſticam habere communionem, & ſeruare vnitatem. Et hoc eſt horrendum ſchiſma quod deploramus. Quoniam tamen ex vtraq; parte multi ſunt mitioris Spiritus, qui ex corde oderūt ſchiſma, & ſeparationes iſtas vehementer abominantur, paratiq; ſunt cum altera contraria parte cōmunicare, ideo hi ſoli ſunt in vera Eccleſia non ſolū ratione fidei integræ, ſed etiam ratione charitatis mutuæ, & vnionis. Sequitur itaq; etiam illud iā ꝓpter tam ſæuum ſchiſma paucos admodū eſſe illos, qui expreſſe, & notorie ac præſumptiue in vera ſint Eccleſia, & hos etiam occultos eſſe, & in ſecreto latere, dum non audent palam vnionē hanc & profiteri, & prædicare. Sed nō propterea ſequitur Eccleſiam veram occultam eſſe & latere, & in ſolis adulatoribus & ſimulatoribus eā reperiri: Nam licet docti viri optime ſentiētes ſchiſma ex vtraq; parte eſſe iniuſtum ꝓpter humanū timorem aliaue humana conſilia ſententiam ſuam diſſimulent, ſi tamen expreſſe contra conſcientiā in aduerſarios non inſurgant, neq; eos expreſſe vt hæreticos abiiciāt, & abominētur, in Eccleſia manifeſta & non occulta abſq; adulatione, & ſimulatione ſunt: Quia veram integram fidem profitentur, & ſchiſmatis nullum dant ſignum externe; in interno vero, quantū in ipſis eſt, parati ſunt cum omnibus fidelibus communicare, neq; tenentur charitatem, quam corde fouēt, erga omnes fideles ore etiam profiteri, quæ nō eſt ſimulatio peruerſa, ſed prudēs diſſimulatio, pro vt tempus, & opportunitas exigit. Simplices vero, & idiotæ, qui ſunt vtrinq; innumerabiles, à ſuis magiſtris decepti, præſumunt illi bonā fide aduerſarios eſſe hæreticos, ideo ab illis & externe, & interne abhorrent: Hos profecto ignorātia inuincibilis à ſchiſmate excuſat, quod ipſis à Deo non imputatur; in fide vero ſani ſunt, ideo in Eccleſia vera erunt etiam manifeſti ex manifeſta fidei integræ profeſſione, quam ſchiſma bonæ fidei, non vitiat, neque deturpat, ac conſequenter neque tales proiicit è vera Eccleſia. Conſilium itaq; Caſſandri & meum optimum eſt, & Catholicum, neq; Bellarminus potuit, neq; quiſquam alius poterit id ſubuertere.

Dicat itaque cum Auguſtino vtraque pars alteri: CXXXIII.
a *Non in vobis mutamus, in quibus nobiſcum eſtis: In multis enim eſtis nobiſcum. Nam & de talibus dictum eſt.* b *Quoniam in multis erant mecum. Sed ea corrigimus in quibus nobiſcum non eſtis, & ea vos hic accipere volumus, quæ non habetis illic vbi eſtis. Nobiſcum autem eſtis in baptiſmo, in ſymbolo, in cæteris dominicis Sacramentis. In Spiritus autem vnitatis & vinculo pacis, in ipſa denique Catholica Eccleſia nobiſcum non eſtis.*] Et extincto ſchiſmate, efficiat vtraq; vt vtraque ſit in vera Eccleſia. Dicam etiam ipſe cum Auguſtino vtriq; parti; c *Contremiſcāt in vobis viſcera miſericordiæ, & veliſtis aliquando rem diſcuti, inſtando orationibus, & omnia pacifice conferēdo; ne miſera plebes, quæ noſtris honoribus obſequuntur, premant*

a Aug. ep. 48.
b Pſ. 54. 19.
c Idem ep. 147.

nos obſequiis ſuis in iudicio Dei; ſed potius noſtra non ficta charitate nobiſcum reuocata ab erroribus & diſſenſionibus, in veritatis & pacis itinera dirigantur.] Seuerum iudicium Dei expectat Magnates Eccleſiaſticos, & Miniſtros, quorum ductum plebs ſequuntur, niſi depoſitis rigoribus, miti, & benigno Spiritu, quantum in vnoquoq; eſt, pacem hanc promoueant, & concordiam, plenamq; Eccleſiæ vnionem. Totum ergo malum in ſchiſmate colloco; altare contra altare in Chriſti Eccleſia eſt res abominabilis. Præclarius negotium ſuſcipere nemo noſtrum poteſt, quã pacis, & vnionis, ac perfectę cõciliationis. Pro hoc negotio ſi contingeret nobis etiam vitam cum ſanguine fundere, prçclari martyrij laudem apud Deũ, & Eccleſiam mereremur. Scribit enim Dionyſius Alexandrinus, Pater antiquiſſimus ſchiſmatico No-

a Euſeb. l. 6. c. 37.

uatiano; a *Oportuerat omnia incommoda potius ſubijſſe, quam Eccleſiæ Dei diſcidiſſe concordiam. Atq; illud martyrium quod quis perpetitur, ne dirimatur Eccleſiæ conſenſio, non minus certe, ſed multo plus, meo quidem iudicio, habet commendationis, quam illud, quod ſuſcipitur, ne idolis omnino immoletur. Nam in hoc pro vna quiſq; anima ſuffert martyrium, in illo autem pro tota Eccleſia. Iam ergo ſi vel ſuadendo, vel quaſi vi compellendo, fratres ad Eccleſiæ concordiam credere efficias, culpæ magnitudinem correctionis modus facile ſuperabit, Atq; vt illa tibi nullo vitio vertetur, ita hic reuera ponetur in laude. Quod ſi illi adeo contumaces, & animo obſtinati fuerint, vt nihil omnino te poſſe apud illos exiſtimes, tu tamen tuam ipſius animam ſeruato. Te igitur, ſi paci adhæreſcas Eccleſiæ, in Domino exopto valere.*]

CXXXIV. Scio me meo hoc conſilio, meaq; ſententia, qua ab vtraq; parte hæreſim, & omnem legitimam ſchiſmatis cauſam amoueo, vt vtranq; conciliem, neutri ſatisfacturum. Qui vbiq; eſt, nuſquam eſt, dixit mihi aliquis; Mihi vero illud certum eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe vbiq;, ac propterea non dubito eũ qui vbique eſſe recuſet, vere nuſquam eſſe, quia in Eccleſia Catholica is non eſt. Periculoſa res eſt, fateor, inter acriter diſſidentes medium eſſe; abſterrebit periculum hoc ex vtraq; parte multos, qui poſſent vnionem promouere, ne animum tam præclaro operi adiiciant: ſed diuinę res ab humanis, & terrenis conſiliis pendere non debent. Nazianzenus ſimilem ſui temporis ob Arianiſmum diuiſionem deplorans, pacis ipſe curator ſtudioſus ita loquitur,

b Nazian. orat. 3. de pace.

b *At nunc alii perquam miſere ſimul pugnant, & ſimul oppugnantur adeo, vt mundus, qui diuturno labore vix tandẽ & paulatim, nec ſine multorum ſanguine collectus fuerat, in duas iam contrarias partes diſtinctus ſit; quicunque autem paci ſtudent, medioſq; ſe profitentur ab vtriſq; male mulctãtur, vtpote qui vel contemptui ſint, vel etiam bello laceſſantur. A qua parte cum nos quoq; hodierno die ſtemus, qui hæc reprehendimus, ac propterea cathedram certaminis, & inuidiæ plenam accepimus, haud mirandum erit ſi ab vtriſq; conteramur, ac poſt multos labores, & ſudores de medio ſummoueamur, vt ſublato intermedio pariete atq; omni obſtaculo, cominus iam atq; omni animorum impetu ſeſe mutuo conuulnerent. Enimuero hæc ſedare atq; comprimere, maxime quidem Dei fuerit, qui omnia tanquam vinculis quibuſdam conſtringat: deinde autem etiam hominum eorum, qui honeſti amantes & ſtudioſi ſunt, atq; concordiæ bonum cognitũ atq; perſpectum habent, à Trinitate quidem exorſum, cui nihil æque proprium eſt ac naturæ vnitas, & concordia; ab Angelis autem & diuinis virtutibus perceptum, quæ & cũ Deo & ſecum quieta ac pacifica ſunt, progreſſum vero ad res omnes creatas (quarum ornamentum in concordia ſitum eſt) apud nos denique verſatum, quo ad animam quidem per mutuum virtutum comitatum & ſocietatem, quo ad corpus autem, per membrorum aut elementorum inter ſe concinnitatem atq; proportionem, quarum altera pulchritudo, altera ſanitas, & eſt, & appellatur.*] Vtinam eodem Spiritu præcipui quiq; vtriuſq; partis Antagoniſtæ noſtris temporibus imbuerentur: Profecto longe facilius pacem, diuina opitulante gratia, obtinerent, quam potuerit tunc obtineri: quia tunc tolerabilitas tuta non erat, neque pax poterat conciliari, niſi Ariani ſuam ſententiam penitus abiicerent. At nunc vtraque pars in ſuis ſententiis, pro quibus decertatur, eſt citra periculum, aut magnum incommodum, vt iam oſtendi, tolerabilis.

Quod ſi Eccleſiaſtici Proceres de ineunda pace, CXXXV. & concordia Eccleſiaſtica cogitare nolunt, qui maxime deberent, vos iam Principes Chriſtianos interpello omnes, ac prçſertim Monarchas potentiores vtriuſque partis, & celebriores. Veſtrum eſt ſi Chriſtum ſceptrorum veſtrorum Dominum agnoſcitis, ſi Eccleſiam ipſius ſponſam veſtram matrem diligitis, Eccleſiaſticos miniſtros, & fidei duces, pio ſuaſu, vehementiori impulſu, etiam ſuaui coactione eo adigere, vt velint omnino pacem Eccleſiaſticam in tot diſſenſionibus, per neceſſariam mutuã tolerantiam, componere. Prius tamen auditis vere piis, & moderati animi Doctoribus, à quibus intelligatis tolerantiam hanc nihil fidei fundamentali obeſſe. Spero enim Conſilium Caſſandri, Conſiliũ hoc meum à moderatis Theologis vtriuſq; partis ſi diligenter, totum meum Conſilium, cum ijs quibus ad ipſum viam mihi præmuniui peruolutarint approbatum iri. Cura hæc pacis Eccleſiaſticæ ad vos maxime pertinet, Principes religioſiſſimi, vt ſchiſmata hęc tam fœda, tam turpia, tam pernicioſa tollantur, & vnio Eccleſiæ concilietur. Hæ enim religionis vaniſſimæ diſſenſiones turbarum cauſa ſunt ingentium, bella ciuilia inter Chriſtianos excitant, Rempublicam etiam ipſam ciuilem pace, & tranquillitate ſua frui non permittunt; & quod malum omnium temporalium ſumma & coronis eſt, Turcam excitant, vt hoc quod reliquum eſt noſtræ Europæ, in quod vehementer inhiat, totum deuoret, & abſorbeat. Chriſtianorum diſſenſiones fuerunt ſemper Turcarum incremẽta. Pax Eccleſiæ erit pax & robur etiam Reipublicæ. Serio de hac pace cogitate, & agite. Modus ineundæ pacis à me propoſitus, & tutus eſt, & facilis, modo vos etiam ſoli velitis.

* * *

TRACTA-

TRACTATVS GEORGII CASSANDRI DE OFFICIO PII VIRI CIRCA RELIGIONIS DISSIDIVM,

Appendicis loco adiectus, quia veritati hic erutæ & aſſertæ clariſſime ſuffragatur.

NOn ignoro permultos eſſe, qui in hoc miſerabili Eccleſiæ diſſidio, quo fere hodie Chriſtianus orbis colliditur, vehementer angantur animi, & tanquam inter duos ſcopulos natent & remigent: qui cum ſaluti ſuæ conſultum velint, quid fugiant vident, quo autem fugiant, videre nondum potuerunt. Quæ cogitatio ipſa me quoq; iam olim exercuit, & tãquam procella huc illuc impulit, donec tandem portum aliquẽ, in quo acquieſcam, reperiſſe mihi videor. Itaq; quæ mea in hoc perplexiſſimo negotio ſententia ſit, nõ grauabor breuiter & dilucide explicare: tũ vt huius inſtituti & propoſiti mei rationem pietatis & æquitatis ſtudioſis hominibus reddam: tum etiam, vt ijs, qui eadem cogitatione iactantur, exemplum, quod (ſi placet) ſequi poſſint, propoam. Inprimis hoc teſtatum volo, me hanc viam, quam in quæſtionibus & controuerſiis Religionis ſequor, non alia de cauſa ſuſcepiſſe, quam quod tam poſt longam & diligentem inquiſitionem, rectiſſimam & tutiſſimam eſſe iudicem: eamq; ad pacificationem & concordiam conſtituendam, quam accommodatiſſimam eſſe putem. Rogatos autem volo eos, qui in hoc ſcriptum incident, vt quo animo eos fero, qui à me in nonnullis rebus diſſident, modo in fundamentis Religionis noſtræ conſenſio ſit, eodem animo me quoq; ferant alicubi forte ab ijs diſſentientem; quod me à piis & æquis viris impetraturũ confido.

Equidem iam inde ab adoleſcentia conſtitutionum & cęremoniarum Eccleſiaſticarum obſeruantiſſimus fui: ſic tamen, vt natura, vel diuino potius impulſu, omnem ſuperſtitionẽ, quam tum vtcunq; deprehendere videbar, vehementer deteſtatus ſim. Mox itaq;, cum in lectionem ſcriptorum huius ętatis, qui reformationem quãdam & repurgationem ſuperſtitioſorum cultuum & abſurdarum opinionũ promittebant, inciderem, mire illorum inſtitutum placuit: qui tamen ita ſuperſtitiones & abuſiones, q̃ nonnullis cæremoniis Eccleſiaſticis admixtę erant, exoſas haberem, vt ipſam Eccleſiaſticam politiam, quæ his cæremoniis fere conſtat, non ſublatam & euerſam, ſed repurgatam & emendatam eſſe vellem.

Poſteà ætate & iudicio accreſcente, viſi ſunt mihi in his abuſibus & corruptelis notandis & inſectandis nonnulli ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα proſilire: idemq; illis accidere, quod ijs, qui cum putres & corruptas corporis partes præcidere volunt, etiam ſanam partẽ, & quæ ſine corporis graui offenſione & læſione tolli non potuit, inuadunt: nõ paucos etiam ſcabie, vlceribus & vitiis corporis offenſos, ipſius corporis odium concepiſſe, & pro curatoribus, hoſtis & inſectatoris perſonam induiſſe.

Itaq; putaui, mihi & eorũ ſcripta, quos illi vt aduerſarios inuadebant, eadem diligentia perlegẽda, & pari attentione & iudicij ęquitate inter ſe conferenda: in quibus aduerſariis, vt in æſtu contentionum accidit, nonnulla quoq; offendebant. Nam mihi quidem ita videbatur, vt illos odio vitiorum, etiam quæ ſana, aut certe medicabilia erant, præcidenda & remouenda contendiſſe: ita hos contra cæco quodam amore corporis etiam vitiata & morbida, tanquam ſana & bene habentia, tuenda ſuſcepiſſe.

Cum igitur vtrique à regia via, hi quidem in dextram, illi vero in ſiniſtram nonnihil deflexiſſe viderentur, ad ipſam directam regiamq; viam inquirendam mandato diuino me cogi & impelli putabam. Quare vt certius aliquid de hac re cognoſcerem, & certum aliquod firmumq; iudicium de his controuerſiis compararem, ſtatui mihi ab omni partium ſtudio abſtinendum, & perſonarum præiudicium ſeponendum, libertatemq; iudicandi (quæ, niſi exuta partium & perſonarum affectione, conſtare non poteſt) retinendam.

Itaq; mihi iudices & arbitros in hoc difficillimo & arduo negotio adeundos, & conſulendos eſſe putaui: nullumq; firmius & certius iudicium inueniri, quam ſi ipſa Scriptura ſacra, eiuſq; vera & ſana intelligentia proponatur. Satis enim deprehendebam, non nudum ipſum ſcripturarum contextum, ſed ipſarum ſcripturarum intelligentiam in quęſtionibus Religionis diiudicandis adhibendam & cõſulendam. Primo, quia Apoſtoli doctrinam Chriſti, quæ compendio his ſcriptis continetur, multo pluribus verbis, populis, ad quos deſtinati erant, expoſuerunt & explicarunt: tum etiam, quod hæreſes, q̃ mox ab Apoſtolorum è vita exceſſu, extiterunt, cũ pleræq; ſcripturam ipſam iam ab omnibus receptã, negare non poſſent, de intelligentia tantũ Scripturę quęſtionem mouebant. Quare non verbis, q̃ illis cum orthodoxis cõmunia erant, ſed vera intelligẽtia & ſcientia diuinarum literarum confutandi erãt: q̃ intelligentia petenda erat à cõmuni ſenſu & publico teſtimonio omniũ Eccleſiarum, quib. doctrinam à Chriſto acceptam, tanquam depoſitũ quoddam, Apoſtoli cõmendarunt. Nam qui nobis initio verã hanc & germanã eſſe Chriſti & Apoſtolorũ doctrinam, quæ ijs ſcriptis continetur, ſuo teſtimonio approbarunt: ijdem ſane & mentem ipſam & intelligentiam eorundem ſcriptorum, quam ex viua ipſa & ampliſſima Apoſtolorum doctrina acceperant, poſteris tradiderunt. Irenæus lib. 3. cap. 2. & 4. Tertull. de præſcript. hæret.

Atque hæc eſt, quæ Catholica traditio & veritas non ſcripta à nonnullis appellatur. Quanquam in ijs, quæ fidei quæſtiones attingunt, nihil

eſt,

eſt; quod ſcripturis ſacris non aliquo modo contineatur: cum hæc traditio nihil aliud ſit, quam Scripturæ ipſius explicatio & interpretatio; ita vt non inepte dici poſſet, ſcripturam eſſe implicatam quãdam & obſignatam traditionem, traditionem vero eſſe ſcripturam explicatam & reſignatam.

Non inepte igitur Vincentius Lyrinenſis, qui ſub ætatem Auguſtini vixit, cum iam multę & varię hęreſes Eccleſiam vexarant & exercuerant, eum qui ſe aduerſus hæreſes omnes munitum & tutum eſſe velit, hæc duo ſibi proponere debere confirmat: Canonicam auctoritatem, & Catholicam traditionem. Non quod Canonica auctoritas ſufficiat; ſed quod Scripturę verba ab impiis & imperitis hominibus in varias ſententias diſtrahantur. Quare certam aliquam ſententiam conſtituendam, quæ à Catholica traditione petatur. Quæ quidem Catholica traditio tribus notis deprehenditur: Antiquitate, vniuerſitate & conſenſione.

Huius intelligentiæ ex Catholica traditione, id eſt, antiqua, perpetua & vniuerſali conſenſione, neceſſitatem hodie quoq; deprehendimus. Nam exempli cauſa, hæc verba: *In principio erat Verbum:* quin ab Apoſtolis ſcripta ſint, nemo inficiatur, de intellectu autem huius vocis VERBVM, ingens certamẽ eſt: & qui diuerſam ab Eccleſia ſententiam ſequuntur, non minus probabilibus rationibus nituntur: Nos autem ex perpetua hac traditione, & antiquiſſimorum Patrum concordiſſimis ſcriptis, & veterũ Conciliorum grauiſſimis decretis ad nos vſq; propagata, per λόγον, non propoſitum aut διάθεσιν, non ideam quãdam & formam in mẽte diuina, ſed perſonam & ὑπόστασιν ſignificari credimus. Idem accidit in his verbis: *Verbum caro factum eſt: Ego & Pater vnum ſumus:* & multis ſimilibus, quę explicare longum eſſet.

Cum autem quæſtionum Religionis quatuor ſint genera, quarum aliæ diſciplinam & Ceremonias ſpectant: Quod ad prius genus attinet, primũ eam doctrinam vt veram & Catholicam habẽdam eſſe iudico, quæ ſacris literis eſt expreſſa: deinde, quæ ex mente & intelligentia earundem literarum ab ipſis vſq; Apoſtolorum temporibus eſt tradita, & per ſucceſſionem ad nos vſque deriuata: quarum vtramq; pari fidei integritate amplectendam duco. Tertio loco eſt, quæ ab omnibus Eccleſiis, vel maiore certe parte eſt recepta, & probabilibus rationibus è ſacris literis confirmata: hanc quoq; pio cuique ſuſcipiendam exiſtimo, quamuis ingenioſis hominibus rationes occurrere poſſint, quibus probabiliter refutetur. Quarto loco, quæſtionum quoddam genus eſt, quæ neq; tam claris Scripturæ teſtimoniis, neq; tam antiquo & magno conſenſu Eccleſiæ nituntur: tamen poſterioribus temporibus in hac præcipua Occidentali Eccleſiæ parte conſtitutæ & receptæ ſunt: quæ cum diuinis literis manifeſte non repugnent, in earum confutatione neque pugnaciter agendum, neq; ea de cauſa Eccleſiarum pacem perturbandam puto. Quod ſi ſententia aliqua iam omnino recepta & firmata, minus probabilis videatur, de ea tamen non paſſim & odioſe contendendum, ſed cum eruditis & moderatis viris placide inquirendum & diſceptãdum exiſtimo. Quæ autem certorum hominum, quamuis doctorum probabilibus diſputationibus aſſeruntur, ita vt alij aliter de ijs ſentiant, liberam cuique, quid velit, ſequendi poteſtatem eſſe conſtat. Si quæ vero ſententiæ & diuinis literis & veteris Eccleſiæ traditioni aduerſę, & per errorem vel imperitiam, vel etiam ambitionem poſtremis his & corruptiſſimis temporibus inuectæ videntur, eas vt fermentum vitãdas & cauendas non nego: ſic tamen, vt priuato homini temere apud quoſuis de ijs contendendum non putem, vbi certa offenſio, profectus & vtilitatis nulla ſpes. Itaque prudentiam eam Chriſtianam hìc adhibendam, vt non temere & paſſim vbiq; dicas quicquid ſentias; neque tamen vnquam dicas contra quam ſentias: vbi vero gloria Dei, vel proximi vtilitas poſtulat, libere & conſtanter dicas quod ſentias.

De ceremoniis vero, quæ ordinis in Eccleſia cõſeruandi, vel diſciplinæ in populo conſtituendæ cauſa inſtitutæ, vel vſu receptæ ſunt, ita ſtatuo: Ceremonias, quæ à Chriſto ad colligendam noui populi ſocietatem inſtitutæ ſunt, & Sacramenta vocantur; caſte & integre obſeruandas, nihil eorum inſtitutioni tanquam mutilatis & imperfectis addendum, neq; vt ſuperfluis detrahendum. Interim Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus ius poteſtatemq; conceſſam credo, vt pro tempore & vtilitate Eccleſiæ ritus quoſdam & Ceremonias inſtituerent, quibus in publicis Eccleſiæ conuentibus Sacramenta illa diuinitus adminiſtrarentur: tum etiam quibus diſciplina populi tanquam politicis quibuſdam legibus, ſine quibus ſocietas nulla conſiſtere poteſt, regeretur & cõtineretur. Ex ijs autem ritibus & ceremoniis quædam per vniuerſum orbem ſumma conſenſione iam inde ab ipſis Eccleſię initiis obſeruatæ, & ad nos vſque ſunt propagatæ: quarum cum rationes perpetuæ ſint, perpetuam quoq; obſeruãtiam eſſe conuenit. Quare traditionum Apoſtolicarum & conſuetudinum vniuerſalium appellatione commendantur. De ijs aſſentior B. Auguſtino ſcribenti ad Ianuarium: *In obſeruatione Eccleſiaſticarũ conſuetudinum hanc rationem tenendam; ſiquid Scripturæ diuinæ præſcribit auctoritas, non dubitandum eſſe, quin ita facere debeamus, vt legimus. Similiter, ſiquid horum tota per orbem frequentat Eccleſia: hoc quin ita ſit faciendum omnibus ſit diſputare, inſolentiſſima eſſet inſania. Huiuſmodi maiorum conſtitutiones obſeruandas eſſe, ex Apoſtolicis actis diſcimus, Actor. 16. vbi legimus, Paulum & ei adiunctos, non tantum expreſſa Dei mandata oppidatim docuiſſe, verum etiam obſeruari tradidiſſe decreta, quæ ab Apoſtolis & ſenioribus erant ordinata.*

Illud tamen verum eſt, ex ijs, qui olim per vniuerſum fere orbem obſeruabantur, ritibus, quoſdam, aut quia non tantum momenti habere putabantur, aut temporum commutatione vtiles eſſe deſierãt, aut intemperantia populi in abuſionem venerant, paulatim deſuetudine eſſe abrogatos. Nec inficior, alios quoque eiuſdem generis etiam hodie publica auctoritate, modo id quam minimo ſcandalo fiat, abrogari poſſe. Nonnulli quoq; adhuc antiquiſſimi ritus in Eccleſia reliqui ſunt, quorum huc vſque veſtigia, & tanquam lineamenta ſeruantur, quamuis ab ipſo fine & vſu, ad quem initio inſtituti ſunt, nonnihil deflexerint, quos tamen, donec legitima auctoritate aut priſco ſuo fini reſtituantur, aut etiã ex vſu remoueantur; pacis & vnitatis ſtudio obſeruandos exiſtimo. Contra nonnulli ritus olim vniuerſales, & ſumma religione vt Apoſtolicæ traditiones obſeruati, tandem paulatim obſoleuerũt: quos, vt ego quidem exiſtimo, in vſum rurſum reuocari per legitimam auctoritatẽ, quam minima fieri poſſit perturbatione, conueniat.

Sunt & alij quidam ritus certarum Eccleſiarum proprij, ſed longa conſuetudine confirmati, qui per loca terrarum regioneſq; variantur. De ijs regulam à B. Auguſtino præſcriptam tenendam ſentio: *Quod neq; contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, in-*

differenter

differenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum. Item ad Caſulanum: *In iis rebus, de quibus nihil ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. De quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio.* Et poſtea: *Sit ergo,* inquit, *vna fides vniuerſæ, quæ per orbem dilatatur, Eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiam ſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur.* In eandem ſententiam B. Hieronymus ſcripſit Lucinio: *Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim, quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti.*

Non tamen hoc loco prætereundum eſt, quod eidem Ianuario ſcripſit Auguſtinus: *Quæ ſcripturis non continentur, nec in conſiliis ſtatuta, nec vniuerſali conſuetudine confirmata, ſed pro regionum & hominum moribus variantur, oblata facultate reſecanda ſunt, etiamſi fidei non videantur aduerſari; quia religionem, quam Chriſtus liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premunt.*

Illud autem inprimis obſeruandum eſt, in his ritibus & obſeruationibus multis modis vitium accidere poſſe. Vno modo, cum ijs ritibus, quorũ bonꝰ vſus eſſe poteſt, falſa opinio & alienus finis affingitur: quæ opinio cum in animis hominum & non rebus ipſis inſita ſit, recte ſentienti legitimeq; vtenti ꝑiudicare non poteſt. Aliquando ritus ad piũ vſum inſtituti, ſupſtitione populi in abuſum vertũtur: qui abuſus publica auctoritaté tollẽdi, priuata a. cautione vitandi ſunt: bonus a. vſus, ſiquis eſt, retinendus.

Scite dictum eſt à quodam ſcriptore Italico noſtra ætate: *Tanti non debet eſſe vllus abuſus, vt propter ipſũ tollatur bonus vſus.* At magis pro conſeruando bono vſu, corrigendi ſunt abuſus, ſiqui ſint in Eccleſia. Quanquam hæc ſuperſtitio vſq; eo inualeſcere poteſt, vt publica auctoritate rem quoq; ipſam, cui ſuperſtitio adiuncta eſt, è medio tolli cõueniat; vt de æneo ſerpente ab Ezechia rege factum legimus.

Nonnullæ quoque huius generis conſtitutiones ſunt, quæ quamuis exiguum vſum habere videãtur, tamen vnitatis retinendæ & ſcandali vitandi cauſa ſeruandæ ſunt. Aliæ eius generis ſunt, vt cum plerunq; vtiles eſſe poſſint, tamen non raro tempus incidit, vt priuatim earum obſeruatio, vel impoſſibilis vel noxia ſit, vt in ieiuniis & delectu ciborũ haud raro ægrotis & debilibus accidit. Hic à verbis ſtatuti ad mentem inſtitutoris & Eccleſiæ confugiendũ eſſe non dubito. Non diffiteor tamen poſtremis his ſæce temporibus, vna cum ignorantia, auaritia & ambitione, ſuperſtitioſos quoque nonnullos cultus & ritus in Eccleſiam irrepſiſſe, ita vt vitium ipſis rebus inhæreat, ipſorumque obſeruatio fidei integritati officiat. Hos vt publice per eos, quorum in Eccleſia ſumma poteſtas eſt, tollendos, ita priuatim cuiq; vitium agnoſcenti cauendos, neminem inficiaturum puto.

In horum autem rituum dijudicatione dupliciter error accidere poteſt. Primum, ſi nimio odio ſuperſtitionis, ij ritus, qui tolerari, citraq; impietatem ſeruari poſſint, pro noxiis & impiis temere damnentur & abiiciantur. Rurſum, ſi cæco cæremoniarum amore, & inconſiderato Eccleſiaſticę poteſtatis zelo ſuperſtitioſi & impuri ritus pro religioſis & ſanctis defendantur & exigantur. Quæ tamen diiudicatio homini in rebus Eccleſiaſticis vtcunq; verſato, nulloq; partium aut perſonarum ſtudio præpedito, haud ita difficilis erit.

Hæc de doctrina & cæremoniis ſententia mihi poſt Diuini Spiritus implorationem, harumque controuerſiarum ſepoſitis partium ſtudiis ad arbitrium diuinarum literarum & antiquæ perpetuæq; traditionis, quæ in vetuſtis Patrum ſcriptis & Conciliorum antiquorum decretis extat, exploratione, vera, Chriſtiana, Catholicoq; homini, paciſque & Eccleſiaſticæ vnitatis ſtudioſo digna & conueniens viſa eſt.

Cum igitur in hac Eccleſia Occidentali ſiue Romana, in qua nati, & in Chriſto regenerati, cuiuſq; per Baptiſmum (quantum ad externam conuerſationem) ciuis & membra effecti ſumus, profeſſio Chriſtiani nominis, ſcripturarum auctoritas, & doctrina illa Apoſtolica, quod ad capitales Religionis articulos attinet, retineantur, Sacramentaq; vt ſunt à Chriſto inſtituta, ſeruentur, (quamuis in Euchariſtiæ celebratione & diſpenſatione nonnihil vitij videri poſſit) & in multarum cæremoniarum & rituũ obſeruatione priſcę adhuc Eccleſię imago in ea cõſpiciatur: adhæc perpetua Presbyterorum ſeu Epiſcoporum, quamuis multum à priſca integritate degenerãtium, iam inde ab Apoſtolis, ſucceſſione gubernetur: hanc inquam Eccleſiam vt veram Eccleſiam & domum templumq; Dei, magnæq; illius & Catholicę Eccleſię non contemnendum membrũ, non poſſum non amplecti & venerari. Quamuis nõ inficior, eandẽ illã Eccleſiam à priſco ſuo illo decore & ſplendore non parum diuerſam, multiſq; morbis & vitiis deformatam, nonnunquam & gubernatorum tyrannide miſerabiliter preſſam.

Porro, hæc ideo huic externæ ſocietati, quã Romanam vel Occidentalẽ Eccleſiam vocamus, attribuo, quod in ea Dei verbum eiuſq; Sacramenta ſeruentur, & ingens (vt ſpero) electorum multitudo, q reuera Chriſti Eccleſiam & ſponſam conſtituunt, intra eam contineatur; quamuis permulti, ijq; illuſtres in ea ſocietate ſint; imo regnum & gubernationem obtineant, qui ad Chriſti Eccleſiam minime ꝑtinent, atq; adeo Chriſti eiuſq; doctrinę hoſtes sũt, ac tanquam alieni in ea tyrannidem exercent.

Pulchre Auguſtinus, de vnic. baptiſ. lib. 7. cap. 51: *alios ita eſſe in domo Dei, vt ipſi etiam ſint eadẽ domus Dei, quæ dicitur ædificari ſupra petram: alios vero ita dici eſſe in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem pacificæ fructiferæq; iuſtitiæ, ſed ſicut eſſe dicitur palea in frumentũ, &c.* Et ibidem lib. 4. cap. 13. *Sunt,* inquit, *& intus hoſtes Dei, quorum pectora obſedit Spiritus Anti-Chriſti, & tamen gerunt ſpiritualia & diuina, &c.* Quare, quæ in hac Eccleſia, ſanæ & veræ Eccleſiæ Chriſti conſentanea ſunt, religioſe amplector: quę non nihil vitiata, modo non impia, cum tollere non poſſum, pacis cauſa tolero. Si qui autem grauiores morbi ſunt, qui omnino medicatione indigeant, contagionem ita vito, vt tamen corpus ipſum non cum acerbitate inſectandum; ſed ſummo cum animi dolore commiſerandum, & ſi qua fieri poteſt, ei opitulandum eſſe putem.

Interim tamen eos damnare non poſſum, qui in fundamentis Apoſtolicę doctrinæ perſiſtentes, ſtudio ſinceræ Religionis, cum aliqua correctionis indigere, ab eruditis & piis viris admoniti intelligant, in aliqua Eccleſiæ parte, præeunte ſumma auctoritate, accedente communi illius Eccleſiæ conſenſu, in doctrinæ genere aliqua repurgarunt: & cæremonias aliquot etiam vetuſtiores, cũ id populi magna vtilitas & prope neceſſitas exigat, auferendas, aliaſque pietati & diſciplinę conuenientiores ſufficiendas eſſe putant: modo id quam minimo ſcandalo & perturbatione fiat, & communio Spiritus & vinculum pacis cum reliquo Eccleſiæ corpore conſeruetur. Quis enim membro vitio vertat, ſi reliquo cor-

pore laborante, & ſui curam negligente, ipſum ſui curam ſuſcipiat? non vt reliquo corpori inſultet, ſed curandi exemplum præbeat, & ad imitationem inuitet?

Eos igitur, qui in his cœtibus ita verſantur, vt nihil aliud, quam Chriſti gloriam & Eccleſię eius inſtaurationem quærant, totoque animo ad Eccleſiæ pacem & vnitatem incumbant, & cum reliquo Eccleſię corpore, etiamſi quadam rituum & opinionũ diuerſitate diſcrepent, charitatis tamen vinculo colligentur, à Chriſto capite & corpore eius, quod eſt Eccleſia, ſeparare & remouere non poſſum: quãuis à nonnullis, omnem Eccleſiæ inſtaurationem & reformationem vel inconſiderato zelo, vel priuato animi morbo aſpernantibus, vt hæretici, ſchiſmatici, & Eccleſię hoſtes traducantur & condemnentur.

Illos vero probare minime poſſum, qui ita à Romanæ Eccleſiæ abuſibus & corruptelis recedere voluerunt, vt ab ipſa Eccleſia defeciſſe, ſeque ab omni eius conſortio & communione ſeparaſſe videantur. Quare non ad eam medicandam & inſtaurandam, ſed perdendam potius & euertendam, omnia ſua ſtudia conferre videntur. Quemadmodum rurſum in ijs, qui Romanæ Eccleſiæ gubernatores & propugnatores haberi volunt, illud improbandum exiſtimo; quod morbum nullum agnoſcunt: & quod huic rei conſequens eſt, remedia non admittunt: imo de correctione admonentes, & ad curationem exhortantes, operamque ſuam ad id efficiendum offerentes, non modo reiiciunt, & ab Eccleſiæ ſocietate depellunt, verum etiam multis in locis crudeliter interficiendos cenſuerunt: quæ res huic miſerabili ſchiſmati occaſionem dediſſe videtur.

Neque tamen ſatis cauſæ eſt, cur huic cætui Eccleſiæ Catholicæ nomen detrahatur, quod multi, qui eam gubernant, recte monentes perſequantur: neque enim id Eccleſiæ tribuendum eſt, quod falſorum & infidelium gubernatorum vitio committitur. Nam & in Euangelio *ſeruus infidelis ſuper familiã Dei conſtitutus legitur*, & Chriſtus de Hieroſolymitanis queritur, Luc. 13. *quod occid. rint prophetas & lapidauerint eos, qui ad ſe miſſi fuerant*: cuius tamen Eccleſiæ communionem & ante Prophetæ, & Chriſtus ipſe, pijque ætate Chriſti homines (vt Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Ioſephus) non defugerunt.

Neq; errores tum doctrinæ, tum humanarũ traditionum, qui in ea obtinuerunt, ad auferendum Eccleſiæ titulum ſufficiunt: cum in Eccleſia Hieroſolymitana, in Pontificibus & Phariſęis, qui eius gubernationem tenebant, huiuſmodi errores Chriſtus ipſe notarit & reprehenderit; cum à fermento ſcribarum & Phariſęorum cauẽdum monet, & eoſdem ſeuere increpat, *quod irrita faciant mandata Dei propter ſuas traditiones.* nec obſcure eos inſimulat, *quod fruſtra ab ipſis colatur, doctrinam & mandata hominum docentibus* Idem tamen Chriſtus admonet ſuos, vt in cathedra Moyſi ſedentes, id eſt, ſumma auctoritate & poteſtate in Eccleſia Dei ex inſtituto Moyſi fungentes, audiant: recte ex præſcripto diuinę legis monentibus pareant: quamuis opera illorum; doctrinæ, quam profitentur, minime conſentiant.

At dicunt nonnulli, è vera quidem Eccleſia prodiiſſe Papiſtas, quos vocant, ſed per falſas & nouas opiniones & impios cultus ab ea defeciſſe: quare ab ijs tanquam ab Anti-Chriſti Eccleſia & Diaboli ſynagoga quàm longiſſime ſecedendum, nullamque cum ea communionem habendam.

Verum illud mihi vide. Longe aliud eſt à puritate & ſinceritate tum doctrinæ tum morum, qua vetus & primitiua Eccleſia floruit, degeneraſſe: & ab ipſa veteri Eccleſia prorſus defeciſſe. Eccleſia enim ab ipſo fundamento, quod eſt Chriſtus pro nobis mortuus & reſuſcitatus, æſtimanda eſt: cui fundamento ſi poſteri pro auro & argento & lapidibus pretioſis, lignum, fœnum & ſtipulam ſuperſtruxerint, non tamen continuo à fundamento receſſerunt. Et riuulus, tametſi longo curſu, contracto limo & ſordibus, nitorem illum & puritatem, quæ in ipſo fonte, aquaque fonti proxima ſpectantur, coinquinarit & conſpurcarit, non tamen à fonte alienus & ſeiunctus habetur: ſed ibi curandũ, vt pro ligno, fœno & ſtipula, aurum, lapides & gemmę in eodem ædificio, ſuperq; eodem fundamento reponantur: & hic, vt aqua riui quæ potiſſimum è fonte profluxit, ſeruata eadem ſcaturigine quoad fieri poteſt, à limo & ſordibus repurgentur.

Contra autem, quod omnes ij, qui ob reprehenſionem nonnullorum abuſuum initio reiecti, conſcientiæ impulſu in ratione docendi & forma miniſterij aliquid immutarunt, ab Eccleſia defeciſſe dicuntur, & inter hæreticos & ſchiſmaticos numerantur: videndum eſt, quam id recte & iuſte fiat. Eccleſia enim Chriſti caput eſt & corpus; à capite non receditur, niſi per falſam & ſcripturis ſacris diſſentaneam de Chriſto capite doctrinam: à corpore vero, non per quamuis rituum & opinionum diuerſitatem, ſed per ſolam charitatis defectionem.

Quare, vt ante quoq; dixi, qui recta ſententia de Chriſto, capiti iunguntur: & charitatis & pacis vinculo, etiamſi opinionibus quibuſdam & ritibus diſcrepent, reliquo Eccleſię corpori cõnectuntur: nullo modo vt ſchiſmatici & ab Eccleſia alieni habẽdi ſunt, etiamſi ab alia Eccleſiæ parte potẽtiore, & gubernationem obtinente reiecti, & ab eorum ſocietate & communione ſeparati videantur: Neq; enim quæuis reiectio & ſeparatio ſchiſmaticos facit, ſed initia ſeparationis & cauſæ ſpectandæ ſunt: non enim ſeparatio facit ſchiſma, ſed cauſa.

Hæc de ijs tantum loquor; qui hanc ſeparationem inique ferunt, & omnibus votis pacem & cõciliationem deſiderant, & à quibus quadam ex parte externa communione ſeparantur; fidei tamen & charitatis vinculo coniunguntur, & ad omnem cõſenſionem & communionem parati ſunt, quam diuinis inſtitutis & mandatis non aduerſari arbitrantur.

At dicas; perpaucos eſſe hoc animo præditos: Plerique enim ex ijs, qui ſibi ab Euangelio nomen ſumpſerunt, eam partem, quæ vetus Catholicorũ & Romanæ Eccleſiæ nomen retinet, prorſus aſpernantur, omnemq; eius communionem defugiunt; nec vt membrum eiuſdem corporis amore & miſericordia ꝓſequuntur, ſed vt Sathanę & Antichriſti corpus abominantur. Scio id equidem & doleo: & q̃ eiuſmodi ſunt, quomodo à ſchiſmatis nota eximi poſſint, nõ video. Id certe ſcio; Principes aliquot illius partis, atq; adeo ipſum ducẽ, qui primus ad repurgandas ſordes Eccleſiæ facẽ ꝑtuliſſe videtur, lõge aliud nõ vno in loco ſcripſiſſe: ex quib. locis, quãuis id ſit ꝑter breuitatis inſtitutum, vnum & alterũ ſubiiciam. In excuſatione quorũdam articulorum: *Quamuis*, inquit, *heu dolor, Roma peius agatur quam conueniret, tamen nulla cauſa tam grauis eſt, aut erit vnquam qua merito ſe quis ab illa ſeparare debeat: imo quanto peius Romana Eccleſia habet, tanto magis illi & accurrendum & ſuccurrendum fuerit, eiq; magis inhærendum: nam diſceſſionibus nihil proficies. adde, quod Chriſtus propter Diabolũ deſeri non debeat.* Et in diſputatione Lipſienſi: *Nunquam*

Quam mihi placuit, inquit, *nec in æternum placebit quodcunq; ſchiſma. Inique faciunt Bohemi, quod ſe auctoritate propria ſeparant à noſtra vnitate, etiamſi ius diuinum pro eis ſtaret: cum ſupremum ius diuinum ſit charitas, & vnitas Spiritus*. Et alibi: *Bohemorum diſsidium ab Eccleſia Romana nulla poteſt excuſatione defendi quin ſit impium, & contra charitatem. Nam hoc, quod vnice allegant, ſeſe timore Dei & conſcientiæ defeciſſe, ne inter malos ſacerdotes & Pontifices viuerent: hoc eos maxime omnium accuſat. Si enim illi mali ſunt, & tu vera charitate ferueres, non defugeres, ſed etiamſi in extremis malis eſſent, accurreres, fleres, moneres, argueres: nunquid & nos, qui ferimus onera, & fere importabilia monſtra Romanæ curiæ ideo fugimus & diſcedimus? Abſit, abſit. Reprehendimus quidem & deteſtamur, oramus, monemus: ſed non ſcindimus ob hoc vnitatem Spiritus, non inflamur aduerſus eam, ſcientes, quod charitas ſuper omnia eminet*. Idem in reſolutionibus: *Pighardi*, inquit, *noſtri vicini, hæretici, infelix populus, qui fœtore Romano gaudet, ſicut Phariſæus ſuper publicanum, non autem compatitur. Scimus heu noſtrum caſum, & dolemus, non autem ſicut hæretici fugimus, & ſemiuiuum tranſimus, tanquam alienis peccatis pollui timeremus: nos vero, quo miſerius laborat Eccleſia, eo fidelius aſsiſtimus & accurrimus flendo, orando, monendo, obſecrando: ſic enim charitas iubet, alterum alterius onera portare.*

Neque vero neſcio, eum poſtea hanc cantionem longe contrario & acerbiore carmine commutaſſe, ſed importunis & abſurdis quorũdam hominũ aduerſum ſe ſcriptis incitatum atq; commotum, quos diffiteri non poſſumus, huic miſerabili diſtractioni Eccleſiæ magna ex parte occaſionem dediſſe. Quãquam ne poſterioribus quidẽ ſcriptis, cum à Pontificia bulla ferocior factus eſt, Romanam Eccleſiã, in qua Romanus Pontifex imperium tenet, verã eſſe Chriſti Eccleſiam negauit, quamuis eius gubernatores, vt Papam, Cardinales, Epiſcopos, Doctores, nõ eſſe Eccleſiæ mẽbra, ſed tyrãnos & hoſtes ꝓclamet. Ita n. ſcripſit ad lectorem de geſtis Auguſtæ: *Quare ego coram te, Lector, proteſtor, me colere & ſequi Romanam Eccleſiam in omnibus; ſolum illis reſiſto, qui nomine Eccleſiæ Romanæ Babyloniam nobis ſtatuere moliuntur*. Itẽ aduerſus Bullam: *Romanæ Eccleſiæ abunde ſatis eſt gloriæ, partẽ eſſe paruam vniuerſalis Eccleſiæ: curiæ potius Romanæ iſta Bulla eſt, &c.* Et poſt comitia Auguſtana: *Illa*, inquit, *vera Eccleſia Chriſti fundamẽtum & columna veritatis eſt, locus ſacroſanctus, in quo ſtat abominatio: & in hac Eccleſia Deus miraculoſe & potenter ſeruauit Baptiſmum, textum Euangelij, remiſsionem peccatorum, Sacramentum altaris, ordinationem, claues, &c.* Et in Germanico quodã libello, quẽ de fidei ſuę confeſſione ſenex edidit, in quo Romanam Eccleſiam ſeu Papiſticam, vt vocant, horrendis verborum tonitruis ꝑcellit, hæc tamen inter cætera loquitur: *Non ſolum agnoſcimus vos vna nobiſcũ ex vera Eccleſia prodiiſſe, verum etiã dicimus vos in Eccleſia eſſe & manere: imo vero in ea ſedere & regnare, quomodo Paulus dixit, Anti Chriſtum in templo Dei (non in ſtabulo vaccarum) ſeſſurum eſſe: verum de Eccleſia, vel membra Eccleſiæ non eſtis amplius, &c.* Quę non ꝓrſus diſſentanea ſunt illis, quę ſupra ex Auguſtino adduximus. Quo modo vero atrociſſimis dictis conſentiant, in quib. non veram, ſed Papiſticam, nõ Apoſtolicam ſed apoſtaticam Eccleſiam, imo nõ Eccleſiam, ſed Synagogam Satanę, proſtibulum Diaboli, archimeretricẽ, ſcholã inferni (& q̃s omnia illa ꝑclara elogia enumerare poſſit) appellat, nõ video: nec multũ curandũ, neq; mirandũ puto, ſi homo humana paſſus ſit.

Hanc quoq; Ioannis Caluini, qui modo auctoritate apud ſuos Luthero non cedit, de Romana Eccleſia ſententiam fuiſſe, vel ex Epiſtola ad Iacobum Sadoletum conſtat. Ita enim ibi ſcripſit: *At cuius arrogantiæ eſt*, inquies, *iactare, penes vos ſolos eſſe Eccleſiam, & eam adimere orbi vniuerſo? Nos vero, Sadolete, Eccleſias Chriſti eas quibus præſidetis eſſe non negamus: ſed Pontificem Romanum cum toto pſeudo-Epiſcopòrum grege immanes eſſe lupos dicimus, &c.*

Hęc illi. Sed plures horum diſcipuli & ſectatores, ne id quidem admiſſuri videntur, nam ſuperiorib: diebus inſignis quidam & veteranus inter eos, ita diſerte ſcriptum reliquit. *Nos nomen Catholicæ Eccleſiæ optimo iure illis adimimus, nobis autem recte vendicamus.* Verum ego credo permultos in eo cœtu eſſe, quibus hęc poſterior acerbitas tum Lutheri, tum ſectatorum eius, minimè placeat: quique etiam, cum à reliqui corporis ſocietate reiecti ac pulſi videantur, ſocietatem tamen & communionem omnem Chriſtianam cum toto corpore, quam late patet, animo ac voluntate colant; de quibus nobis nunc ſermo eſt.

Eos vero, qui per impiam de Chriſto Eccleſiæ capite & fundamento ſententiam, à Chriſto capite ſeparantur, & falſa perſuaſione ab omni ſocietate & communione aliarum Eccleſiarum abſtinentes, à Chriſti corpore ſe diuellũt: vere hęreticos & ſchiſmaticos dicendos & habendos exiſtimo, neque ad vllam vel externam vel internam Eccleſię ſocietatẽ pertinere puto: vt ſunt varia & multiplicia Anabaptiſtarum genera. Simplices tamen inter hos & ſpecie pietatis in errorem inductos, vt neque in Eccleſiæ ſocietatem admittere, ita nec damnare prorſus auſim, ſed Deo incorrupto iudici & mitiſſimo parenti iudicandos relinquo.

Quicquid igitur in vtraq; hac Eccleſiæ parte, ſiue ea antiquo nomine Catholica, ſiue nuper nato, Euangelica nuncupetur, integrum, ſanum, doctrinæ Euangelicæ & Apoſtolicæ traditioni conſentaneum inuenio, id vt Chriſti Eccleſiæ proprium veneror & amplector: eamq; Eccleſiam, quod in fundamento verę & Apoſtolicæ doctrinæ, quę breuiſſimo illo fidei ſymbolo continetur, cõſiſtat, nec impio ſchiſmate à reliquarum Eccleſiarum communione ſe ſeparet, veram Eccleſiam, veræque Eccleſiæ & Catholicæ Eccleſiæ Chriſti membrum eſſe iudico. Neque id tantum de Occiduis, ſed etiam Orientalibus Eccleſiis, vt Græcorum, eorumque qui ipſorum inſtituta fere ſequuntur, vt Ruthenorum, Syrorum, Æthiopum & Armeniorum ſentio: niſi me ab hac ſententia grauior auctoritas, rationeſq; validiores dimoueant. Neque ad hanc vnitatem Catholicæ Chriſti Eccleſiæ diuellendam & diſtrahendam, ceremoniarum aliquot & quęſtionum diuerſitatem valere puto, modo in fundamento fidei cum Chriſto capite, in ſincera charitate cum corpore eius, quod eſt Eccleſia, communio & ſocietas retineatur.

Inprimis autem odi factionum illa odioſa & è Tartaro vſq; emiſſa nomina; cum hi alios Papiſtas, Anti-Chriſtianos, Satanæ miniſtros, hoſtes doctrinæ Chriſti: illi vero contra, hos hæreticos, ſchiſmaticos, Apoſtatas, Eccleſiæ Chriſti hoſtes appellant, vt quæ nihil aliud, quam exitiali ſchiſmati & miſerabili dilacerationi Eccleſiæ, pabulum & nutrimẽtum ſuppeditant.

Neq; vero ita partium ſtudium vitandum puto, vt vtraq; parte improbata, nouam quãdam, & neutralem (quam vocant) ſectam introducere videar, ſed eam tantum partium addictionem improbandam duco, quæ libertatem & æquitatem iudicandi præpediat; qua videlicet à vitiis & erroribus, quibus neutra pars omnino immunis eſt; conſiderandis & reprehendendis auocetis: & ad ea quoq;, quę

in altera parte recta & ſana ſunt, aſpernanda, eamque hoſtili animo perſequendam compellatis.

Quin potius hæreſibus, quæ ꝑ impia de Chriſto dogmata à capite Chriſto, & nefario ſchiſmate ab eius corpore receſſerunt, dãnatis, in vtraq; hac parte, quæ fundamentum religionis retinet, ita verſandum exiſtimo, vt ſi non per omnia in ritibus & ſententiis conueniatur, charitatis tamen cõmunio firmiter retineatur, & ad plenam quoq; ſolidamque concordiam conſtituendam omni ſtudio cõtendatur. Hoc ego Officium Pij Viri, ſuæq; ſaluti conſultum volentis, his perturbatiſſimis periculorumque pleniſſimis temporibus, eſſe iudico. Quod qui præſtent, eos vere pureq; Catholicos eſſe & dici poſſe arbitror. Namq; religio vera ſinceraque inter duo mala mihi poſita & conſtituta videtur.

Extant enim hodie potiſſimum duo hominum genera, quorum alteri, quod Eccleſiam non paucis maculis reſperſam, & paulatim contractis vitiis deformatam vident, omnem eius ſtatum labefactatum & conuulſum cupiunt: & dogmata Lutheri, non quæ ſanior adhuc & tranquillior, ſed poſtea Bullæ impetu perculſus, irritatior & commotior, aſſeruit, quouis modo confirmanda & defendenda ducunt: id quod à ſuis ſectatoribus (quos habet nec pauciores nec obſcuriores) Caluino quoque accidit, quos fortaſſis recte Anti-Catholicos & Lutheranos ſeu Caluinianos appelles.

Sunt alij ex aduerſo, qui quod non pauca ex ipſa antiquitate adhuc apud ſe reliqua vident, præſentem Eccleſiæ ſtatum, quamuis corruptum, & paulatim ſubortis abuſionibus contaminatum, omnino tamen ſuo loco manere volunt, neque quicquam, quamuis id veterum decretis conſentanee fieri poſſit, immutari patiuntur: Pontificem vero Romanum, quem Papam dicimus, tantum non Deum faciunt, eiuſque auctoritatem non modo ſupra totam Eccleſiam, ſed ſupra ipſam Scripturam Diuinam efferunt, & ſententiam eius diuinis oraculis parem, imo infallibilem fidei regulam cõſtituunt: hos non video cur minus Pſeudo-Catholicos & Papiſtas appellare poſſis.

Inter hos, qui maxime hodie in Eccleſia eminent, tertium quoddam genus hominum, quamuis fere occultum & obſcurum, reperitur: qui cum in alterutra parte verſari cogantur, tamen nulli parti ex animo addicti, quicquid vtrobique rectum & Catholicæ fidei & obſeruationi conſentaneum eſt amplectentes: quæ vero his contraria, & modum mediumque (vt in contentionibus fit) excedentia deprehenduntur, declinantes, veram, ſinceram & diuinis literis Catholicęq; Eccleſiæ traditioni congruentem pacem & concordiam omnibus votis exoptant, & ad eam conciliandam omnem ſuam operam & ſtudium conferre parati ſunt. Atque hoc animo ſi plures in vtraq; parte præditi ſint, facilius & citius pax futura, & concordia coitura ſit. Nam niſi talium hominum conſilium valeat, nulla conciliationis ſpes eſt: & tales ſi audiantur, de pacificatione deſperandum non erit.

Sed, proh dolor, in vtraq; parte plures, ijque potentiores, ita animo comparati videntur, vt hoſtilẽ animum in ſe mutuo induerint, & cum pacem vtrinque optare videantur, eam pacem volunt, non quæ vtraq; parte ſalua, mutua conciliatione & cõfœderatione conſtet, ſed quæ cũ alterius & aduerſę partis oppreſſione & deiectione coniuncta ſit. Videtur enim mihi hęc Eccleſiarum diuiſio perſimilis eſſe diſſenſioni ciuili, in qua pars altera ab ijs, qui Remp. tenent, corruptis legibus, & iniquis ſo conſtitutionibus preſſam queſta, dum cõditiones proponeret, repulſa & damnata, & quaſi ſeceſſionem facere coacta eſt. Hinc Eccleſię, Republica in duas partes diuiſa, creſcente indies diſſenſione, res in atrociſſimum odiũ & quaſi ciuile bellum erupit, ità vt ex his pleriq; iniqua iam petere, illi ne æqua quidem conceſſuri videantur.

Habet autem vtraque pars ſuos propugnatores, qui partis ſuæ ſtudio incitati, quouis modo cauſam ſuam defendere & tueri conantur, & hoſtili animo aduerſam partem inſectantes in ea perdenda & extinguenda omni ſtudio laborant; cum tamen in vtriſque caſtris boni & æqui viri reliqui ſint, qui cõmunis Reip. amantes, ad pacem & concordiam mutuam, & ad priſcas Reipublicæ leges, quibus initio conſtituta fuit, inſtaurationem omnia ſua conſilia & ſtudia conferunt.

Ex quo apparet, duobus modis in vtriſlibet caſtris aliquem verſari poſſe: vno modo, vt vnius partis propugnatorem, & alterius partis infeſtum hoſtem: altero modo, vt interceſſorem & pacificatorem, qui quamuis in alterius partis caſtris maneat, alteram tamen partem vt eiuſdem Reipublicæ membrum amore proſequitur. Quare non ad eius euerſionem, ſed conciliationem potius & confœderationem conſilia ſua refert: Quo fit, vt, qui in aduerſa parte prudentiores & æquiores ſunt, eum non vt hoſtem & inimicum, ſed vt ciuem & amicũ habeant. Fit quidem non raro, vt feruente inter vtroſq; pugna, vtrinq; plagas accipiat, qui tamen, ſi aliquando ſe collegerint, ardorq; ille pugnæ deferbuerit, bene ab eo ſibi conſultum, gratiamq; illi ſe debere fateantur.

Hinc tamen apparet, quam deploranda & periculi plena ſit conditio eorum, qui hanc viam ingredi, ac pacificatorum munus tueri volunt. Nam cum duę hę tanquam factiones vniuerſum pene Europę Chriſtianiſmũ inter ſe partitæ ſint, (quamuis altera in duas quoq; partes, eaſq; fere pares diſſecta ſit) fit, vt pleriſq; in locis, acrioribus illis partium patronis gubernationem tenentibus, vix ęquis his & moderatis hominibus locus detur: imo plerunq; vtriſq; aduerſariorum loco habentur, & exilij, fortunarũ, capitiſq; periculis exponuntur. Ægre enim illi quẽquam in ſua ſocietate admittũt, qui non per omnia illis conſentiat, omniaq; apud ipſos recepta ꝓbet; alteramq; partem vt inimicam hoſtiliter oppugnet: Quãuis alia aliis loca hac in parte mitiora & æquiora ſint, eaq; de cauſa tranquillitate quoq; maiore frui videmus, quibus in locis præclare cum huiuſmodi pacis amantibus viris agitur, ſi vtcunq; quietę ſedes concedantur, qui vt grauiora pericula euadant, leuitatis certe, inconſtantiæ, timiditatis, & adulationis notas vix effugiũt, cũ illis vtriq; parti aduerſari, his vero vtriq; parti aſſentari velle iudicẽtur; ad honores vero, dignitates & opes cõſequendas, aditꝰ fere omnis illis interclusus eſt, quo niſi magnatũ & potentum fauore, quos ſibi fere partes vẽdicarunt, nõ peruenitur, ſed p̄mia ſibi in cęleſti Hieruſalem, ciuitate æternæ perpetuæq; pacis, repoſita eſſe ſciant.

Inanis autem mihi eorum oratio videtur, qui his Religionis diſſidiis ſe à pietatis ſtudio retardari & auocari queruntur. Satis enim ampla pietatis exercẽdæ materia in ijs rebus, quibus in rebus vtrinq; cõuenitur, ꝓpoſita eſt. Nam de fide in Chriſtum mortuũ & reſuſcitatum ꝓ nobis collocanda, & charitate Deo & proximo exhibẽda, cõtrouerſia nulla eſt.

Porro in his duobus capitibus pietatis ſumma conſiſtit. Quid enim eſt aliud pietas, quam officium p̄ſtare Deo? quod officium quid aliud eſt, quam eius obtem-

obtemperare mandatis? Porro *mandata eius*, Apoſtolo teſte, *grauia non ſunt*, videlicet *ex Deo natis & eius Spiritu præditis. Hoc eſt*, inquit, *mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus alter alterum.*

Non igitur pietas ſubtiles arduarum & difficiliū quæſtionum diſceptatores, & curioſos latentium & abditarum rerum inueſtigatores, ſed ſimplices breuiſſimi verbi, hoc eſt, mortui & reſuſcitati Chriſti profeſſores, & fidos voluntatis ſuæ exequutores requirit. *Prope*, inquit Paulus, *eſt verbum in ore tuo. & corde tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quia, ſi conſitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris, &c.* Et idem: *Nemini*, inquit, *quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Et ad Timotheum monet, *non intendendum fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæſtiones exhibent magis quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide, finem autem & complementum totius præcepti eſſe charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.*

Opportuna igitur & obſeruatione digna eſt oratio Irenæi, quæ extat lib. 2. de hæreſibus. *Melius eſt*, inquit, *nihil omnino ſcientem quempiam ne quidem vnam cauſam cuiuslibet eorum quæ facta ſunt, cur factum, & credere Deo, & perſeuerare in eius dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud quærere ad ſcientiam, niſi Ieſum Chriſtum Dei Filium, qui pro nobis crucifixus eſt, quam per quæſtionū ſubtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* Cui & hæc Hilarij ſententia conſentit lib. 10. de Trinitate. *In ſimplicitate fides eſt, in fide iuſtitia eſt, in confeſſione pietas eſt, non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundia genere ſolicitat. In abſoluto nobis ac facili eſt æternitas, Ieſum ſuſcitatū à mortuis per Deum credere, & ipſum eſſe Dominum conſiteri.*

Non eſt igitur, quod quis vel inquietorum hominum contentiones, vel rerum credendarum & faciendarum difficultates & perplexitates ignauiæ & impietati ſuæ prætexat. Sunt quidem nōnullæ quæſtiones, quæ à curioſis & inquietis hominibus excitatæ, etiam doctis & piis viris negotium faciunt. In his ea moderatio adhibenda videtur, vt primum de ijs nihil temere, præſertim quod ſit manifeſto Dei verbo contrarium vel alienum, ſtatuatur: neq; propria ſententia contentioſe & pertinaciter obtrudatur & defendatur, diſſentientes vero non ſuperbe & contumelioſe repellantur.

Atq; vtinam his temporibus audiatur B. Auguſtinus, qui pios quoſdam & religioſos viros, de prædeſtinationis myſterio non ſatis inter ſe conuenientes, his verbis commonefacit: *Nunciatum eſt mihi de vobis, fratres, ab aliquibus, qui in veſtra congregatione ſunt, & ad nos inde venerunt, quod de hac re diſſenſiones in vobis ſunt: Itaq; dilectiſſimi, ne vos perturbet huius quæſtionis obſcuritas, moneo vos primum, vt de his, quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid eſt autem, quo peruenire nondum poteſt veſtræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatem ſeruātes, à Domino vt intelligatis orate; & donec res ipſa perducat ad ea, quæ nondum intelligitis, ibi ambulate, quo peruenire potuiſtis.* Hæc admonet Apoſtolus Paulus, qui cum dixiſſet, nondum ſe eſſe perfectum, paulo poſt ait: *Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus*: id eſt, ita nos eſſe perfectos, vt nōdum ad perfectionem, quæ nobis ſufficit, venerimus: continuoq; ſubiunxit: *Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoq; Deus reuelabit, veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.*

Huic conſilio Auguſtini, imo vero Apoſtoli, ſi quidam obtemperarent, melius & publicæ quieti, & ſuæ tranquillitati conſulerent.

Habet igitur hic pius animus, vbi feruente hoc æſtu contentionum nonnihil acquieſcat: Sed quia difficile eſt, vt non aliquando viros, præſertim literatos, hic æſtus inuoluat, ea cautio & diligentia adhibenda erit, vt neq; præpoſtero pacis & quietis ſtudio, vel nimio periculorū metu veritatem prodant, & conſcientiam lædant, neq; rurſum inſcito veritatis zelo, vel teneræ nimis conſcientiæ prætextu, nō neceſſariis de cauſis, vel publicam pacem vel priuatam quietem perturbent.

Hæc de officio boni pijq; viri, ſed priuati, nulloque publico in Eccleſia munere fungentis, dicta ſint. Eorum vero, qui publicum docendi & res diuinas adminiſtrandi officium tenent, alia ratio eſt: Ad eos enim prætetea pertinet, vt peruerſas opiniones & falſos cultus, ſi quos in ſua parte obtinuiſſe perſpexerint, neq; ignaue diſſimulando alant, neq; importune inſectando confirment: ſed modo prudenter de ijs corrigendis diſpiciant, modo etiam, ſi res ferat, prophetico Spiritu afflati, libere conſtanterque apertas diuinæ legis tranſgreſſiones redarguāt, neq; vllum huius rei cauſa periculum defugiant, exemplo Zachariæ filij Ioiadæ, qui indutus Spiritu Dei populum & Regem palam tranſgreſſionis & defectionis accuſauit, quare Regis Ioæ iuſſu à populo in ipſo templi atrio lapidatus occubuit.

Si quis igitur huiuſmodi munere fungēs ſuæ partis Eccleſiam tyrannide preſſam, eamq; periclitantem inuenerit, non dubium, quin aperte tyrannicis & impiis edictis, quibus aut falſa doctrina, aut impius cultus ſtabilitur, aduerſari, & pro ſuo officio intercedere debeat. Quod ſi ea de cauſa ciuitate, hoc eſt Eccleſiæ eius communione pellatur, non nego, quin ſuis ſe armis, id eſt, diuinis & Eccleſiaſticis ſcriptis aduerſus tyrannorum criminationes & perſequutiones tueri poſſit: Itaq; tyrannidem ipſam, qua Reſp. premitur, non ipſam Rempublicam tyrannide preſſam oppugnabit, quomodo olim Thraſybulus occupata Athenienſium Republica, à tyrannis profugis aliquot ciuibus collectis, tyrannis bellum intulit, non vt Athenienſium ciuitatem, ſuam patriam, euerteret, ſed vt eam in libertatem aſſereret. Quod ſi, vt non raro fit, à tyrannorum factione interimatur, habet exempla prophetarum, vt, quorū imitatur facta, eorum quoq; præmia conſequatur.

Cum autem ſupra de concordiæ & pacis ſtudio nonnulla dixerimus, hoc modo admonendum duximus, in ea concordia & pace concilianda id cauēdum eſſe, ne quæuis tranquillitas & quies, quæ etiā in ſumma ſeruitute & corruptiſſimo Eccleſiæ ſtatu eſſe poſſit, pro Chriſtiana pace ſuſcipiatur. Ea enim demum vera, ſolida & Chriſtiana pax eſt, quæ cum Dei gloria & voluntatis eius obſequutione coniūcta, & ab omni corruptela cæleſtis doctrinæ & diuini cultus ſeiuncta eſt. Quare nequaquam hic quorundam hominum, qui Reipublicæ conſiliis adhibentur, ſtudium probandum eſt, qui rerum ordine inuerſo, humanis diuina, & terrenis cæleſtia cedere volunt, & religione tanquam Lesbia regula, ad præſentem qualemcunq; Reipublicæ ſtatum componendum & tuendum, vtendum cenſent, cum Rempublicam & Eccleſiam deformatam, non ad Religionis normam erigere & conſtituere, ſed Religionem ad Reipublicæ & Eccleſiæ qualemcunq; ſtructuram ſarciendam & fulciendam inflectere & detorquere nituntur, eiq; peruerſo & præpoſtero ſtudio pacis & tranquillitatis publicæ nomen prætexunt, eoq; prætextu ſumpto, omnes ad vitiorū correctionem & legum diuinarum inſtaurationem (ſine quibus vera, ſolida & firma inter Chriſtianos pax & concordia conſtare non poteſt) adhortantes, vt

turbulentos, ſeditioſos & pacis publicæ perturbatores crudeliſſime inſectantur.

Sed de officio Principum & Pontificum, quibus Reipublicæ & Eccleſiæ procuratio & ſumma adminiſtratio commiſſa eſt, nunc non eſt dicendi locus, quorum pleroſque, proh dolor, hodie videmus, in curando hoc exitiali Eccleſiæ diſſipatæ & dilaceratæ morbo, non bona conſilia neq; apta remedia ſequutos. Nam cum à radice & cauſa morbi curatio fieri deberet, eam non modo non euellendam & reſecandam, ſed potius firmandam & ſtabiliendã curarunt, ea tantum quę in pręſens moleſtiam aliquã, quæ tamen ſalutaris eſſe poterat, adferebant, auferre, & è medio tollere ſtatuerunt, & vt delicati ægri ſolent, vera remedia, quod amaroris aliquid adiunctum habeant, aſpernantes, temporariam tantum leuationem adhibere voluerunt. Quo factum eſt, (quod in febricitantibus, aquę potu feruorem morbi lenire volentibus, fieri conſueuit) vt ad tempus nonnihil ęgritudo leuari videatur, ſed poſtea impetu maiore & cruciatu vehementiore recurrat, & periculoſius recrudeſcat. Cuius rei hodie triſte exemplum in ampliſſimo regno videmus, in quo præpoſteræ huius curationis fructus perſpicitur.

Nec obſcurum eſt, quantum momenti in Eccleſiæ morbis ſanandis in eo poſitum ſit, ſi Reges, Principes & magiſtratus, officium ſuum, quod Eccleſiæ Dei debent, & recte intelligerent, & ſedulo exſequerentur. Sed pleriq; omnes conſiliis & cohortationibus male in hac cauſa conſultorum hominum vſi & incitati, nõ ad veram morborum Eccleſiæ curationem, ſed ad partis, cui præſunt, defenſionem, & aduerſariæ partis euerſionem, poteſtatem ſuam conuertunt.

Sunt tamen nonnulli Principes ſummo ſtudio & maxima animi propenſione Eccleſiæ ſuæ procurationi commiſſæ conſultum volentes, qui cum omnino præſentem Eccleſiæ ſtatum correctionis alicuius indigere perſpiciant, in tantis opinionum varietatibus & animorum diſtractionibus, quid potiſſimum ſequantur non vident, & multis grauibuſq; vitiis, quibus vtraq; factio ſcatet, deterriti & debilitati, ab omni prorſus Eccleſię emendatione ſe cohibent, qui fortaſſis eam emendationem cum aliqua vtilitate & ſucceſſu ſuſcipere poſſent, ſi æquiorum hominum, & hanc regiam, quam vtcunque commonſtrauimus, viam ſectantium conſiliis vterentur. Sed his non modo acceſſus ad Principes intercluditur, & auctoritas omnis adimitur, ſed, quoad fieri poteſt contentio, odium, leuitatis & timiditatis criminibus obiectis, vel ſuſpicionibus iniectis, conciliatur.

Sed hæc huius loci non ſunt. Priuati tantum hominis officium indicandum ſuſcepimus, qui tamen non ità priuatæ ſuæ quietis rationem habere debet, vt non pro tempore & conditione ſua in commune conſulat, & in ea conſultatione non rei familiaris conſeruationem, non famam, non opes, non amicitias & cognationes, ſed Deum tantum & conſcientiam ex Dei verbo recte inſtitutam proponat. Quod ſi conſilij ſui nullum vſum eſſe videtur, iuxta Propheticum dictum *in ſilentio & ſpe præſidium* ſibi & arcem collocet, exemplo piorum in Iudæa virorũ, qui Phariſæis & impiis Pontificibus gubernationẽ tenentibus, populoq; tanquam naribus tracto impios duces ſequente, ipſi taciti Scripturæ oraculis inſtituti, & Spiritus ſancti afflatu edocti, redẽptionem Iſraelis expectabant.

Plura quidem & vberiora de hoc argumento dici poſſent, ſed his paucis ſatis multa mihi dixiſſe videor. Dedi enim operam, quantum potui, ne quid prætermitterem, quod ad cauſæ expoſitionem ac confirmationem, & ad obiectorum anticipationẽ & refutationem pertineret. Non ignoro tamen, ab ingenioſis & acribus hominibus multa & ſpecioſa in aduerſam partem dici poſſe; quos ego rogo & moneo cum Apoſtolo, vt ita commoueantur, *ne nimia ira culpam ſibi acceſſant*, & animo tranquillo & pacato *in cubilibus ſuis, rem cum animo ſuo expendant & cogitent.*

Quod ſi omnino contradicendum putent, eundem quem ego animum, id eſt, æquum, moderatũ, amicum & fraternum exhibeant: Nos contra, ſi vita ſuppetat, aut leuioribus obiectis reſpõdebimus; aut etiam meliora docentibus & ſaniora monentibus, libenter obtemperabimus.

DE
REPVBLICA
ECCLESIASTICA

Liber Octauus

deſideratur.

INDEX RERVM ET Verborum memorabilium in hoc VII. Libro comprehenſorum.

Prior numerus Paginam, poſterior paginæ Columnam denotat.

A.

ABBAS *Augienſis* 172.1.
Acacius, Patriarcha Conſtantinopolitanus 176.1.
Acacium ſemper fuiſſe Orthodoxum 177.1.
Actus fidei, eſt actus non ſolum de ſe internus, ſed etiam maxime liber 117.1.
Actus interni non ſunt ſub iuriſdictione coactiua 116.1.
Actus omnis volendi aut nolendi, hoc eſt, ſeu proſecutionis, ſeu fugæ, in adulto habente vſum rationis, an ſit actus ipſius voluntatis humanæ, ſpontaneus, & ab ipſa voluntate elicitus, ac nulla ratione poßit eſſe coactus 210.1.
Actus volitionis quis 211.2.
Actio omnis debetur principali agenti, & non inſtrumento, per quod principale agens agit 213.1.
Actus liberi arbitrij proprius quis 213.2.
Actus ſupernaturales non proportionantur, niſi forma ac principio ſupernaturali, quale non eſt liberum arbitrium 239.2.
Actus ſpirituales credendi in Deum, amandi illum, orandi, ſperandi, &c. Sunt ſecundum ſubſtantiam penitus naturales 239.2.
Actuale peccatum quod 272.1.
Adoratio panis in cœna an idololatricum ſecum ferat reatum 200.1.
Adorationis cultus triplex 282.1.
Agatho, Pontifex, ſextam Synodum directurus, Romana tunc Eccleſia viris eruditis deſtituta, quid egerit 103.1.
Agatho, Pontifex, Conſtantini Pogonati pietatem in concordanda ſexta Synodo generali laudat 119.2.
Alexander, antiſtes Alexandrinus, cum ſuo Concilio hæreſim Arianam damnat 106.2.
Almaynus quid Caietano pro Papæ infallibilitate adducenti aliqua Romanorum teſtimonia reſponderit 86.1.
Ambitio eccleſiaſtica 175.2.
Ambroſius Tobiam vocat Prophetam, & in qua ſignificatione 17.2.
Ambroſius quo ſenſu Traditiones admittat 34.2.
Ambroſii Catharini de inerrabilitate Papæ iudicium quodnam fuerit 86.1. & 2.
Ambroſii de libertate Religionis iudicium 118.2.
Ambroſius explicans illa Chriſti verba: Non eſt meum dare vobis, &c. 250.1.
de Anabaptiſmo quotuplex ſit modus diſputandi 34.2.
Anaſtaſium Imp. Euphemius coronare recuſat 138.2.
Anatolius Aëlanum damnans 106.2.
Anglicana Eccleſia à Deo mirabiliter ſeruata 152.2.
Anima ſanctorum vbi ſint ante reſurrectionem 94.1.
Anthimus, eiuſq; ſcripta, à quo damnati 113.2.
Antiquitas an ſit nota eccleſiæ veræ 195.1.
Apocalypſis Ioannis qua ratione inter Canonicorum librorum numerum admitti poßit 20.1.
Apocalypſis Ioannis, à quo Iohanne ſcripta ſit ibid.
Apoſtoli quomodo ſcriptura vſi ſunt 7.2.
Apoſtolorum eſſe literas, quomodo probetur 8.1.
Apoſtoli quomodo poßint relationes aliorum ſcriptas, approbare vel reprobare 9.2.
Apoſtolicæ traditiones quales 31.
Apoſtolorum traditiones quo ſenſu Ignatius commendauerit Ibid.
Apoſtolos vnitatem & identitatem Filii cum Patre explicaſſe in natura & ſubſtantia, & non in ſola gratiæ & charitatis participatione, an ex Traditione non ſcripta haberi poßit 33.2.
Arauſicani Concilii Canon de voluntate credendi 215.2. *& ſeq.*
Arbitrium liberum 201.2. & 207.2.
Arbitrium liberum cur reformati deprimant. 112.2.
de Arbitrio libero acriter Patres decertarunt 207.2.
Ariana hæreſis à quo primum fuerit damnata 106.2.
Arij librum diſcußit Concilium Nicenum, & damnauit 113.2.
Articuli fidei in quantum ſint articuli fidei 7.1.
Articuli fidei fundamentales quinam 105.1.
Articulorũ fidei fundamentalium fundamentum poſitum à Tertulliano 127.1.
Articulum, qui de fide nõ eſt, negare, non eſt hæreſis 117.1.
Athanaſius oſtendit, Legem & Prophetas à Deo fuiſſe datos, vt ex ipſa lege & Prophetis lumen illud naturæ adhuc melius illuſtraretur 205.1.
Athanaſius Dionyſium Alexandrinum, de hæreſi Ariana anticipata inſimulatum quomodo tueatur 106.1.
Athanaſii de libertate Religionis iudicium 117.2.
Athanaſius de verbi incarnatione ſcribens 128.1.
Athanaſius autoritati Conciliari nõ multum tribuit 43.2.
Anaſtaſius diuinitatem Chriſti contra Samoſatenum quomodo vrgeat 6.1.
Athanaſius quos libros Canoni includat 14.2.
Athanaſius an Traditiones admittat 32.1. & 2. & 33.2. & 34.1.
Athanaſius doctrinæ Patrum Nicænorum totus adhæret pro Filii conſubſtantialitate 43.2.
Athanaſius Nicænam fidem traditionibus potißimum fert acceptam 74.1.
Athanaſii iudicium de Spiritu S. 170.2.
Athanaſius de neceßitate auxilii gratiæ 226.1.
Atticus Conſtantinopolitanus reſtitutionem ſuſpenſæ communionis expetens 136.2.

Auguſti-

Auguſtinus ſecundi ordinis libris qualem autoritatem tribuat 15.2.
Auguſtinus de ſapientia libro quid ſentiat 16.2.
Auguſtinus quo ſenſu traditiones admittat 34.2.
Auguſtini argumentatio contra Manichæos de fide non imperanda 4.1.
Auguſtinus ſcripturas dicit eſſe montes. & quales 6.2.
Auguſtinus autoritatem Eccleſiæ qualem ſtatuat 8.1. qua autoritate commotus Euangelio crediderit ibid.
Auguſtinus, & alij Catholici authores, an excuſari poßint, quod lapſum memoriæ interdum tribuant Euangeliſtis 12.1.
Auguſtinus quotuplicem ſacrarum literarum Canonem viderit 15.2.
Auguſtinus Canonicas ſcripturas vocat etiam illas, quæ ſunt ſecundi ordinis 17.2.
Auguſtinus quomodo agat pro Filij diuinitate 43.2.
Auguſtinus quomodo deſcribat Concilium generale 52.1. & 2.
Auguſtinus plurimi facit, quod Pelagius ſe damnaturum promiſit, quicquid Romana Eccleſia damnaret 82.1.
Auguſtinus contra Iulianum Pelagianum Patrum aciem inſtruit. 100.2.
Auguſtini de libertate Religionis iudicium 119.1.
Auguſtini de tractatione myſteriorum ſententia. 129.2.
Auguſtini obſeruatio optima de ſchiſmatibus. 159.1. & 2.
Auguſtinus gratiæ neceßitatem, & debilitatem naturæ, liberique arbitrii imbecillitatem multo conatu agitat 201.2.
Auguſtinus ſcriptionem in cordibus qualem eſſe putet 204.1.
Auguſtinus vnico breui compendio totam hæreſim Pelagianam comprehendit 208.2.
Auguſtini doctrinæ multi non aſſentiuntur. ibid.
Auguſtinus fide retinendum eſſe liberum arbitrium cenſet 224.1.
Auguſtinus quibus argumentis probet liberum arbitrium 228.1.
Auxilium diuinum, à quo voluntas habet, vt poßit, ſemper omnibus adeſſe. 227.1.

B.

Baptiſmus quod vocetur Salus, vnde habeatur 35.1.
Baptizatorum vnctionem cur neceſſariam duxerit Cyprianus 34.1.
De Baptiſmo paruulorum Carthagine varia Concilia ſunt celebrata 106.2.
Barnabæ & Pauli diſſidium an ſit ſchiſma 156.1.
Baronii ſomnium, ſtatuentis, Petrum ſolum fuiſſe iudicem primarium in rebus fidei definiendis. 80.2.
Baronii opinio de damnata primū hæreſi Pelagiana 106.2.
Baronius conuincitur erroris in Chronologia cōmißi 164.2.
Baronius contra Acacium dimicans 176.1. & 2.
Baſilius an traditiones admittat 32.2.
Baſilii ad Eccleſiæ ancheram refugium 74.1.
Baſilii Seleucienſis conſideratio de ſchiſmatibus. 159.2.
Beda de prædeſtinatione iudicium 250.2.
Bellarminus qualem Sacramentorum inſtitutionem obtrudere conetur 30.1.
Bellarminus quomodo probare conetur, librum ſapientiæ vere eſſe Canonicum 17.2.
Bellarminus quibus ſophiſmatibus neceßitatem traditionū non ſcriptarum fundare conetur 25.2. & 26.1.2.
Bellarmini argumenta, quibus Apocrypha conatur facere Canonica 14.1.
Bellarmini obiectio de libro Iudith in Concilio Nicano in numero ſanctarum ſcripturarum computato, eiuſdemq; ſolutio. 17.1.
Bellarminus cuius autoritate Tobiæ librum eſſe diuinum probare conetur, & quomodo refutetur 17.2.
Bellarminus quomodo conetur probare, libros Macchabæorum eſſe Canonicos 18.2.
Bellarminus an recte dicat, religionem in primis illis antiquis iuſſis conſeruatam ſola traditione. 26.1.
Bellarminus quomodo librum Eccleſiaſtici confirmet eſſe Canonicum 18.1.
Bellarminus quomodo probare audeat, ſcripturam ſolam nō eſſe ſufficientem 26.2. & quomodo refutetur. ibidem & ſeqq.
Bellarmini argumenta quatuor pro traditionibus pugnantia 35.1 & 2.
Bellarmini quinq; regulæ ad veram traditionem confirmandam 36.2.
Prima, eiuſq; diſſolutio. ibid.
Secunda, eiuſq; conuulſio 37.1.
Tertia, eiuſq; refutatio 37.2.
Quarta, eiuſq; deſtructio ibid.
Quinta, eiuſq; eneruatio 38.1.
Bellarmini de Conciliorum autoritate & poteſtate aſſertiones, earundemque refutationes 40.1. & 2 41.1. & 2. & ſeqq.
Bellarmini rationes quatuor pro Conciliorum infallibilitate 45.2.
Bellarmini conditiones quatuor, quæ efficiant Concilium generale 52.2.
Bellarmini & Baronij refugium ad ſomniatam quandam Hoſii per ſedem Apoſtolicam Rom. legationem in cauſa Concilij 55.1.
Bellarmini peßima aſſertio de Eccleſia, eiuſdemq; confutatio 77.1.2.
Bellarmini ſomnia, quod Papa ſit ſupremus iudex controuerſiarum fidei 80.1.
Bellarminus aliquot Patres affert, qui ſtabilitatem Romanæ Eccleſiæ ex petra deducunt 89.1.
Bellarmini conceßiones de inerrabilitate Papæ 90.2.
Bellarminus quomodo excuſet Honorium, hæreticum Monothelitam 91.2.
Bellarminus quomodo Gregorium tertium ab errore defendat 92.1.
Bellarmini doctrina de ſanctorum canonizatione qualis ſit 93.2. & 94.2.
Bellarmini probatio, quod ad Papam ſpectet munus canonizandi ſanctos 95.2.
Bellarmini argumenta pro certitudine ſanctitatis canonizati. 96.1.
Bellarmini conceßio de libris hæreticorum legendis. 115.1. & 2.
Bellarmini argumenta de puniendis capitaliter hæreticis, eorumque ſolutiones 123.1. & 2.
Bellarmini notæ, veræ Chriſti Eccleſiæ quænam ſint. 195.1. & ſeq.
Bellarminus conatur probare, electos Dei non ſolum eſſe electos gratis, ſed etiam abſq; vlla operum præuiſione 256.2.
Bellarmini argumenta pro imaginibus 294.1. & 2.
Bernhardus quomodo liberum arbitrium ſaluet cum gratia neceßitate 232.1.
Bernhardi explicatio dicti Cantic. Canticor. Capite nobis vulpes paruulas, &c. 119.2.
Bernhardus, diuinæ gratiæ acerrimus propugnator 217.2.
Berno, Abbas Augienſis 172.1.
Bibliothecarius Romanæ ſedis duo ſcelera tribuit Anaſtaſio Imperatori 184.2.
Breuiarium Romanum 310.1.

C.

Cæcilianum fuiſſe in Eccleſia Catholica probat Optatus Mileuitanus 157.1.

Cæleſt.

Cæleſtinus, Romanus Epiſcopus, de Neſtorij infelici lapſu loquens 129.1.
Cæleſtini Romani Pontificis Decretale, eiuſque capitula 208.2.
Cæleſtius Pelagianus, eiuſque ſententia in Concil. Epheſino damnata 208.2.
Canonici Lugdunenſes de nouo Feſtum Conceptionis beatæ Mariæ virginis inſtituunt 97. & cur à Bernardo eam ob cauſam reprehenſi Ibid.
Canonum contemptus ſchiſmatis cauſa 161.2.
Canon Auguſtini ſacrarum Scripturarum quotuplex 15.2.
Canon Hebræus, tempore Chriſti, quos libros, vt vere diuinos & canonicos habuerit 12.2.
Canonicorum librorum diſtinctio in Canonicos diuinos, & Canicos non diuinos 15.2.
Canonici libri quinam proprie ſint 16.2. & 17.1.
Canonizatio ſanctorum quando inceperit 94.2. & 95.1.
Canonizatio quantam pecuniam requirat 94.2.
Carolus Magn. varias Synodos collegit 83.
Catharina Senenſis 96.1.
Catholica doctrina quænam ſit 72.2.
Catholicæ nomen eſt nota veræ eccleſiæ 195.1.
Cenſura librorum quomodo inſtituenda 113.1.
Cenſura & iudicium librorum an ad Tribunal inquiſitionis pertineat 113.2.
Cerinthi fabula de regno Chriſti poſt mille annos in deliciis & voluptatibus corporeis 20.1.
Charitas orta ex fide ſolet præcedere vel tempore remiſſionem peccatorum, ſi ſit imperfecta & inchoata: vel ſaltem natura, ſi ſit perfecta, licet ſit ſimul tempore 264.2.
per Charitatem quid intelligatur 264.1.
Chriſtus futura ſchiſmata præuidit 133.2.
Chriſti in cœna realis præſentia 200.1. & 314.2.
Chriſti corporis vbiquitas abſurda eſt, & plane impoſſibilis Ibid.
Chriſti corpori vnio hypoſtatica ſolam diuinam dedit ſubſiſtentiam 200.1.
Chriſti corpus quale fuerit 201.1.
Chriſti deſcenſio ad inferos, an ſit articulus fidei 320.1.
Chriſtus quid ſibi velit, dicens: Ego ſto ad oſtium, & pulſo, &c. 221.2.
Chriſtus ſcripturam Iudæorum perfecte approbauit, eique fidem conciliauit 7.2.
Chriſtum qui in terris mortalem viderunt, & dolentem audierunt, quali cognitione vel fide verba Chriſti audiuerint. 10.2.
Chriſtus loquens an fuerit obiectum fidei Ibid.
Chriſti conceptio quo die contigerit 35.1.
Chriſtus cur in fine potius, quam in principio aduenerit 127.1.
Chriſti gratia an maior ſit, quam fuerit gratia primi hominis 218.2.
Chriſtiani an Iudæis, Turcis, Paganis & talibus ſectis locum dare in ditionibus ſuis poſſint 125.2.
Chryſoſtomi de libertate Religionis iudicium 118.2.
Chryſoſtomus liberum arbitrium acriter propugnauit 226.2.
Chryſoſtomus explicans illud Chriſti: Venite benedicti, &c. 250.1.
Clemens Alexandrinus quomodo vſus ſit Apocalypſi Ioannis 17.2.
Clemens Alexandrinus fatetur ſe à familiaribus ſuis compulſum, vt traditiones, quas à veteribus presbyteris accepiſſet, literis proderet ad poſteritatem 32.1.
Cognitio Dei naturalis quæ 203.1.
Conciliorum prima mentio poſt Apoſtolos, ad hæreſes cognoſcendas, & profligandas 106.2.
Concilium Barenſe quando celebratum 173.1.
Concilia generalia non eſſe tumultuarie & ex abrupto conuocanda 50.1.
in Conciliis quibuſcunque, in quibus de fide agatur, nullum certum perſonarum genus ita locum poſſe prætendere, vt quicunque homo doctus, & in ſacris literis eruditus, excludendus ſit ibid.
Concilia cur Epiſcopi maxime celebrent 50.2.
Concilium Sardicenſe an fuerit œcumenicum 55.2.
Concil. Conſtantinopolitanum primum ibid.
Concil. Epheſinum alterum 57.1.
Concilii Chalced. confirmatio 61.2.
Conciliorum vſus quotuplex in eccleſia fuerit 39.1.
Concilia de quibus tractare ſoleant ibid.
Concilia legitima & in Spiritu ſancto congregata an habeant propriam autoritatem circa ritus, praxim, & diſciplinam eccleſiaſticam iudicare, definire, ſtatuere, & regulas ſeu canones præſcribere 40.2.
Concilia quid circa doctrinam poſſint 40.1.
Conciliis an Scriptura tribuat infallibilitatem 44.2.
Concilium Carthag. III. qualem librorum ſacrorum Canonem recenſuerit 15.2.
Concilia antiqua, quæ illis temporibus facta ſunt, quando Apoſtolorum, & eorum, quos ipſi inſtruxerant, explicationes Scripturæ in eccleſiis puræ conſeruabantur, cur autoritatem obtinuerint 42.2.
Concilia recentiora qualia ſint 43.1.
Concilii Nicæni patres ex quibus Conſubſtantialitatem collegerint & confirmarint 43.2.
Concil. Nicænum an librum Iudith in numero S. Scripturarum computauerit 17.1.
Concil. Nicæni patres quomodo diuinitatem Chriſti vſi rint 24.2.
Concil. etiam generale, ſi deſtituatur aut S. Scripturæ auxilio, aut fidei antiquitatis teſtimonio, an aliquid certi propria auctoritate poſſit ſtatuere 43.1.
Concilium Sardicenſe quam ob cauſam nullius ſit autoritatis 17.2.
Concilium Secundi Tigiſitani, in quo damnatus fuit Cæcilianus 44.2.
Concil. Maximinianenſiũ, in quo damnatus fuit Primianus ibid.
Concilii Toletani ſecundi teſtimonium de Libro Sapientiæ inter Canonicos reputando 17.2. eiuſdemque refutatio ibid.
Concil. Chalcedonenſe 45.1.
Conciliis primis quatuor quare patres tantam autoritatem tribuant 45.1.
Concil. Tolet. quartum excommunicatione eos, qui Apocalypſin Iohan. inter Canonicos libros recipere nolebant, vt reciperent, adegit 20.2.
Concilium ex veritate, non veritas ex Concilio ſumit autoritatem 45.1.
Conciliorum vtilitas quanta 40.1.
Conciliorum autoritas quanta ibid.
ex Conciliis, quantumuis generalibus, ſi eorum propria ſpectetur autoritas, an quiſquam hæreſeos ſiue erroris conuinci poſſit 43.1. & 2.
Concilii nullius definitio tuta habetur in eccleſia, niſi poſt eccleſiæ approbationem, ſaltem tacitam, & quare 45.2.
Concilia generalia, à Papa confirmata, an errare poſſint 40.1.
Concil. ſecundum Epheſinum, & Arminenſe & Chalcedonenſe, in quo errauerint 46.1.
Concil. Conſtantienſis & Baſileenſis error, eiuſdemque palliatio ibid.
Concilia quam poteſtatem habeant 40.1.
Concil. generale repræſentat Eccleſiam vniuerſam, & eius conſenſum habet 41.1.
Concilia, vt Concilia, an habeant poteſtatem definiendi res fidei, & conſequenter verum Scripturarum ſenſum,

veramque

veramque earum intelligentiam exponendi, & quæ ſit hæc poteſtas, & vnde, & qualis, an certa & infallibilis, atque ab omni alio externo vlteriori iudicio independens 40.1.
Concilium an in eccleſia ſit, fuerit, aut futurum ſit, quod de ſe, dum celebratur, poſſit eſſe Eccleſiæ certa & infallibilis regula credendi 46.2.
Concilia prima quatuor generalia quanam fuerint 46.2. & 47.1.
Concilia poſteriora an poſſint eſſe regula fidei 47.1.
Conciliorum neceſſitas in Eccleſia quaenam ſit ibid.
Conciliorum vſus cur debuerit ac debeat eſſe frequens in eccleſia 47.2.
Concilij Conſtantienſis conſtitutio; vt ſingulis decenniis Concilium generale celebraretur 48.2.
Concilia non tantum generalia, ſed & prouincialia cur tantopere exhorreant Papæ ibid.
Concilia indicere & congregare cuius ſit 48.2.
Conciliorum dimiſſio & translatio quibus competat 49.1.
Concilium Arauſicanum qua occaſione celebratum fuerit 49.1. damnauit hæreſim Pelagianam ibid.
Concilium Arelatenſe tertium qua occaſione indictum fuerit 49.1.
Concilium Turonicum primum ib.
in Concilia quinam ſint admittendi ibid.
in Conciliis ius ſuffragij cui ſit dandum 49.2.
Concilium Carthag. ſub Cypriano 51.1.
ad Concil. generale quot Epiſcopi requirantur ib.
Concil. generale quomodo deſcribat Auguſt. 52.1.
Concilij generalis conditiones quot 52.2.
Conciliares perſonæ ſintne in Conciliis conſultores duntaxat, an etiam iudices 54.1.
Conciliaris præſidentia quot munera in ſe includat 54.2.
Concilia confirmare vel reprobare cuius ſit 60.1.
Concilii legitimi conditiones octo, à Theologis Lutheranis requiſitæ 66.2.
Concil. Epheſinum acta conciliaria Synodi Rom. tunc Caleſtino contra Pelagianos approbat 83.1.
Concilii generalis Conſtantienſis conſtitutio 83.2.
Concilii Baſileenſis patrum definitio de inerrabilitate Papæ 86.1.
Concilia Carthagine varia de baptiſmo paruulorum celebrata ſunt 106.2.
Concilium Carthag. IV. quid de ſcriptis hæreticorum ſtatuat 115.1.
Conſtantini Pogonati pietas in concordanda Synodo ſexta generali 119.2.
Cypriani in Anabaptiſmo error 35.1. & 2.
Cyprianus an Traditiones admittat 34.1.
Cypriani ſententia de Libro Sapientiæ, & aliis eius generis 18.1.
Cypriani opinio de libro Eccleſiaſtici quanam fuerit ibid. eiuſdemq; confutatio ibid.
Cyprianus vnde vnctionem baptizatorum neceſſariam eſſe duxerit 34.1.
Cypriani ſententia de Baptiſmo hæreticorum damnata 52.2.
Cyprianus in controuerſia de baptiſmo hæreticorum quem iudicem agnouerit 82.2.
Cyrilli Hieroſolymitani de Traditionibus ſententia qualis fuerit 33.2.
Cyrillus cum ſuo Concilio Epheſino Neſtorium damnat 106.2.
Cyrilli Alexandrini de tractatione myſteriorum ſententia 129.1. & 2.
Cyrillus Alexandrinus; animæ noſtræ à Deo in ipſius creatione, etiam pro ſtatu naturæ iam corruptæ, præclarum lumen infundi cenſet 205.2.
Cyrus quomodo Deum verum agnouerit 203.1. cum non fuerit fidelis ibid.

D.

Damaſcenus quos libros ex Canone excludat 15.2.
Damaſcenus dubias ſcripturas reliquit dubias 17.1.
Danielis Prophetæ additamenta, de hymno puerorum: de Suſanna & ſenibus: de Idolo Bel, & de Dracone, & offa picea, inter quos libros ſint recenſenda 13.2.
Dei motio ſeu influxus, qua voluntas mouetur & applicatur ad opus, recipitur in cauſis ſecundis, ſecundum earum diſpoſitionem 223.2.
Deo accepta omnia ſunt ferenda 215.1.
Deus quando auferat cor lapideum 220.2. & 221.1.
Deus operatur in nobis velle & perficere 221.2.
Deum ſolum eſſe, qui iuſtificat, & non ex vllis noſtris meritis, ſed ex ſolis meritis Chriſti, remiſſionemque peccatorum à Deo dari 267.2.
Deſcenſio Chriſti ad inferos, an ſit articulus fidei 326.1.
Dionyſius Alexandrinus pro Apocalypſi Ioan. aduerſus Cerinthum propugnauit 20.1.
Dionyſius Alexandrinus quid de ſcriptis hæreticorum prohibendis ſentiat 114.2.
Diſsidia inter Eccleſias catholicas faciunt ſchiſma 198.1.2.
Diuiſio gratiæ ſufficientis & efficacis ſtare poteſt abſque liberi arbitrij præiudicio 239.2.
Donatiſtæ quo pacto ſuam ſolam fidem veram fecerint 78.1.
Donatiſtas Africanos cur Cyprianus & Auguſtinus dicant eſſe vere ſchiſmaticos 155.2.
Duratio an ſit nota veræ Eccleſiæ 195.1.

E.

Eccleſia an Scripturis det autoritatem 9.2.
Eccleſia an habeat poteſtatem definiendi in actu ſignato circa libros ſacros 6.2.
Eccleſia quare non poſſit aliorum relationes ſcriptas approbare vel reprobare 9.2.
Eccleſia quomodo homines ad veras & authenticas Scripturas deducat 10.2.
Eccleſiæ vniuerſalitas an ſufficiat ad probandum librum eſſe Canonicum 16.2.
Eccleſia non poteſt facere, vt ſit de fide, quod de fide non eſt 6.2. & 7.1.
Eccleſia quomodo poſſit declarare; quod aliquid fide ſit tenendum 7.1.
Eccleſiæ authoritas an maior ſit, quam Scriptura 9.2.
Eccleſiæ teſtificatio & traditio quomodo Scripturis fidem authenticam conciliet 10.2.
Eccleſia an poſſit eam Scripturam pro canonica agnoſcere, quæ nondum ſit nota, an ſit canonica, nec ne 11.1.
Eccleſia Gallicana an Librum Sapientiæ pro canonico habuerit 18.1.
Eccleſiæ Chriſtianæ dignitatem requirere, vt nouerit ſecreta ſui ſponſi, qua ratione ſit intelligendum 35.2.
Eccleſia an errare non poſſit, neque in credendo, neque in operando 37.1.
Eccleſiæ authoritas an tota formaliter non ſit, niſi in prælatis, ſicut viſus non eſt, niſi in capite 42.2.
Eccleſia in ſuis Conciliis non reſpicit ſuffragiorum numerum, ſed pondus 49.2.
Eccleſia vetus habuit apud ſe omnes fidei definitiones neceſſarias ab ore Apoſtolorum acceptas 69.2.
Eccleſia quatenus ſit columna & fundamentum veritatis ibid.
Eccleſiam veram ac puram, nempe antiquam, poſſe & debere eſſe tutam regulam noſtræ fidei, non poteſtate aliqua iudicatiua & definitiua propriè, ſed atteſtatiua duntaxat; & in actu exercito 71.1.
Eccleſiæ autoritas vnde dependeat 73.1.
Eccleſia vetus eſt inſtar Lydii lapidis 76.2.

Eccleſiam errare non poſſe, quonam ſenſu verum ſit 77.1.

Eccleſiam totam vniuerſalem nullum aliud caput habere, quam Chriſtum 79.2.

Eccleſia Rom. particularis an poßit errare 89.2.

de Eccleſia Rom. particulari quid ſentiendum ſit 90.1.

Eccleſia an pœnam corporalem ſua propria authoritate poßit infligere 122.1.& 2.

Eccleſia an poßit cuiquam conſcientiæ priuatam auferre libertatem 125.1.

Eccleſiæ vnitas vbi conſeruatur, in nomine Chriſti. ibi conſtat Chriſtum probari ex hac vnione, eſſe filium Dei, & à Deo fuiſſe miſſum 133.2.

Eccleſiæ vnitas cur toties in S. libris commendetur 134.1.

Eccleſiæ vnitatis explicatio ex ſimilitudine corporis humani 134.1.

Eccleſiæ vnitatis deſcriptio per nuptias 134.2.

Eccleſiæ vnitatem quomodo canticum canticorum declaret 135.1.

Eccleſiæ vnitatis encomium Ignatii, Tertulliani, Cypriani, &c. 135.1.& 2. Optati Mileuitani 136.1.

Eccleſiæ formale quod ſit 139.2.

Eccleſiæ particulares, quamdiu ſunt inter ſe diſiunctæ, an poßint efficere vnam totalem eccleſiam 143.2.

Eccleſiæ Chriſti veræ notæ quæ ſint 145.2.& 146.1.& ſeqq.

Eccleſiæ non ex factis, ſed ex doctrina & profeßione ſunt cenſendæ 150.2.

Eccleſiæ Chriſti veræ notæ quæ ſint 195.1.& ſeqq.

Eccleſiam illam eſſe veram, in qua profeßio integra fidei & morum fiat 197.2.

Efficacia doctrinæ an ſit nota veræ Chriſti Eccleſiæ 197.1.

Efficaciam gratiæ non pendere ab effectu, & ab aſſenſu, ac cooperatione voluntatis, ſed ab ipſamet gratia 238.1. & 2.

Efficacia gratiæ ſi proueniret ex nobis, & ſolam ſufficientiam haberet gratia illa à Deo, an ſequeretur id, quod principalius eſt in noſtra conuerſione, tribuendum eſſe nobis, id vero quod eſt minus principale, tribuendum eſſe Deo 239.2.

Electi ſecundum propoſitum quinam ſint 255.1.

Electos Dei non ſolum eſſe electos gratis, ſed etiam abſque vlla operum prouiſione, conatur probare Bellarminus 256.2.

Eleemoſyna an remittat peccatum 265.1.

Eliæ pallium mirabilia operatum 288.1.

Epiphanius quos fidei articulos neceſſarios ponat 74.1.

Epiphanius Sapientiam & Eccleſiaſticum cum diuinis ſiue Canonicis libris recenſet 18.1. ſed errare conuincitur ibid.

Epiphanij de Traditionibus ſententia 33.2.

Epiſcoporum ſucceßio ab Apoſtolis an ſit nota veræ Eccleſiæ 195.2.

Epiſcoporum Armeniæ ad Leonem Imp. litera 129.2.

Epiſcopis ex æquo mandatam eſſe à Spiritu S. explicationem & defenſionem fidei 48.1.

Epiſcopi cur maxime celebrent Concilia 50.2.

Epiſcopi Aſiani quantum Victori Romano reſtiterint 82.1.

Epiſtola ad Hebræos inter quos libros ſit computanda 19.2.

Euangelica iuſtificatio neceſſario requirit, & poſtulat in homine illas diſpoſitiones fidei, & pœnitentiæ, & obedientiæ mandatorum, & ſine his Euangelium non iuſtificat, licet propter hæc non iuſtificet 274.2.

Euangeliſtæ quomodo ſcripſerint Euangelia, an ex reuelatione Spiritus S. an vero ex ſenſata notitia 10.2.

Euangeliſtis memoria lapſum aliquando tribuere, an ſit excuſabile 12.1.

Euangelium Lucæ, quomodo probetur eſſe canonicum 9.1.

Euangelium Matthæi quomodo probetur eſſe Canonicum 7.2.

Euangelium Marci Petrus approbauit 9.

Euangelium Iohannis & Matthæi cur non tali egeat approbatione, quali Euangelium Lucæ & Marci 9.2.

Euangelium legere, an idem ſit, quod audire Chriſtum concionantem 10.2.

Euangelium cur ſit virtus 201.2.

Euphemius Anaſtaſium, nouum Imperatorem, ei de hæreſi ſuſpectum, coronare recuſat 178.2.

Euphemius à Gelaſio literas communicatorias ex lege & conſuetudine eccleſiaſtica poſcit ibid.

Euſebius an Traditiones admittat 32.2.

Euſebius Vercellenſis, orientalis Eccleſiæ Ariana peſte laborantis ſtatum miſeratus, in opportunum remedium celebre Alexandriæ cum Athanaſio collegit Concilium 99.2.

Eutyches à Flauiano primum, deinde à Concilio Chalcedonenſi damnatus 106.2.

Eutychetis ſcripta à quo damnata 113.2.

F.

Felix Acacium excommunicat 178.2.

Felicis ſucceſſor Gelaſius 178.2.

Ferrarienſe Concilium in ſchiſmate vniuerſalis eccleſiæ factum 175.1.

à Faſcinationibus non eſſe nobis timendum, ſi noſmet ipſos vel cibum & potum noſtrum ſigno venerabilis crucis Chriſti ſignauerimus 308.1.& 2.

Fatum quos authores habeat 207.2.

Fauſti Epiſtola ad Lucidum, à Synodo Arelatenſi approbata & ſubſcripta 245.1.

Fidem eſſe Dei & Chriſti gloriam, & hominum æternam ſalutem 262.2.

Fidem homini ante omnia ad iuſtificationem eſſe neceſſariã 262.2.& 263.1.

Fidem eſſe donum Dei 221.2.& 241.2.& 261.2.

in Fidei prima potißimum aſſecutione, an gratia Dei ita operetur, vt totum illud velle ſpontaneum humanæ voluntatis in aſſenſu fidei, ſit à voluntate quidem, ſed ex ſolius ductu gratiæ elicitum 210.1.

Fides ſola non facit eccleſiam catholicam 161.2.

Fidem, ſi in ſola ſua pura formalitate ſumatur, non poſſe apprehendere iuſtificationem 263.2.

Fidei fundamentalia ex S. Scriptura, addita ſæpe veteris Eccleſiæ per traditionem Apoſtolicam habita vera dogmatis neceſſarii intelligentia, cui Conciliares definitiones legitime fuerunt ſemper innixæ, haberi omnia certa & indubitata 132.1.

Fidei articulorum fundamentalium fundamentum à Tertulliano poſitum 127.2.

Fidei actus, eſt actus non ſolum de ſe internus, ſed etiam maxime liber 117.2.

Fidei fundamentum & Regulam Tertullianus ponit confeßionem 72.1.

Fidem Nicænam Athanaſius traditionibus potißimum fert acceptam 74.1.

Fidei articulos neceſſarios quos Epiphanius ponat ibid.

Fidei diuinæ articulus non eſt neceſſariò omne id, quod eccleſia tota vetus vbiq; & ſemper tenuit 78.2.

in Fidei rebus proponendis, declarandis, definiendis, iudicium vniuerſale, an Romano Pontifici iure competat 78.1.

Fides an ex perſonis probanda ſit, vel perſona ex fide 82.2.

à Fide deficere per Ellipſin ſeu defectum, aliud eſt, quam officere fidei per exceſſum 90.1.

Fides implicita, qua quis in genere profiteatur ſe credere quod S. Rom. Eccleſia credit, an ſit ſatis ad ſalutẽ 92.2.

Fideles, qui ſe veris fidei regulis interne dirigi non patiuntur, facile in hæreſes incidunt 133.1.

Fideles, qui Scripturam non habeant, an neceſſario traditionibus indigeant 26.1.

Fides an imperari poßit 4.1.

Fides diuina vnde proficiſcatur 21.1.
Fides aliquod dogma, quod in tota Scriptura non eſt, vel actu, vel virtute, an ex ſola traditione non ſcripta defendi poßit 24.1.
Fidei articuli quinam ſint, & qui non ſint 27.2.
in Fidei controuerſiis decidendis qualia ſuffragia requirantur 49.2.
contra Fidem implicitam obiectio Aquinatis 92.2.
Fidei fundamentalium dubia quomodo tollantur 104.2.
Fides catholica an integra inter Catholicos conſeruetur 113.1.
Fide retinendum eſſe liberum arbitrium, cenſet Auguſtinus 224.1.
Firmilianus Cappadox quem iudicem ſupremum in controuerſia de hereticorum baptiſmo agnouerit 82.2.
Flauianus Eutychetem damnans 106.2.
Flauitas, ſucceſſor Acacij 178.1.
Florentinum Concilium 173.2. & 174.1.2. & ſeq.
Florentius Papianus, à Cypriani communione ſuperbus ſe ſeparat 161.1. ob id à Cypriano reprehenditur ibid.
Franciſci Quignonis Cardinalis litera ad Paulum III. 310.2. & 311.1. & ſeq.
Francofurdienſe Concilium 299.2.
Fratres confirmare, quid ſit 79.1.

G.

Gallicana Eccleſia Nicana ſynodo ſeptima generali reſiſtit 301.1.
Gallicani conuentus litera ad Ludouicum 302.1. & 2.
Gelaſius, factus Epiſcopus Romanus, Felicis ſucceſſor 178.2.
Gelaſio Anaſtaſius ſubrogatur 183.1.
Georgius Caſſander quod ſchiſmatis remedium proponat 320.1.
Gerſonius Papa inerrabilitatem reiecit, & quas ob cauſas 86.1.
Gerſonii de propoſitione heretica iudicium 131.2.
Gratia Dei an in prima potiſſimum fidei aſſecutione ita operetur, vt totum illud velle ſpontaneum humanæ voluntatis in aſſenſu fidei ſit à voluntate quidem, ſed ex ſolius ductu gratiæ elicitum, &c. 210.1.
Gratiam operantem quomodo Auguſtinus diſtinguat ab adiuuante 213.2.
Gratiam operantem quomodo idem author explicet per gratias præuenientes ibid.
Gratia adiuuans quæ 213.2.
Gratiam non poſſe, neque debere quenquam neceßitare ad bonum 230.2.
Gratiæ efficaciam non pendere ab effectu, & ab aſſenſu, ac cooperatione voluntatis, ſed ab ipſamet gratia, conatur probare Bellarminus 238.1. & 2.
Gratiæ amißio 202.2.
Gratiæ neceßitatem & debilitatem naturæ, liberique arbitrii imbecillitatem Auguſt. multo conatu agitat 201.2.
Gratiæ nomine quid intelligatur 202.1.
de Gratiæ neceßitate quæſtio prima ib.
Gratiæ neceßitatem quinam Patres agnouerint 207.1. & ſeqq.
Gratiæ neceßitas ex quib. Scripturæ locis colligatur 206.2. & 207.1.
Gratiam ſuperaddi naturæ neceſſe eſt 206.1.
Gratia mouens hominem ad fidem, & adiuuans ad omne opus bonum ſupernaturale, an ita eum moueat & iuuet, vt ipſi ſoli gratia, & fides tota, & opus bonum totum, nihil vero libero arbitrio debeatur 209.2.
Gratias præuenientes, diſponentes, & præparantes, Patres ſæpe reducunt ad gratiam adiuuantem 215.1.
Gratia Chriſti an maior ſit, quam gratia primi hominis 218.2.
Gratiam ordinariam ſufficientem omnibus pro tempore & opportunitate dari, quæ ſi admittatur duntaxat ab homine, fiat efficax 235.1.
Gregorius Nazianzenus, Epiſcopus ſenior, incaute cuidam Arianorum ſententiæ ſubſcribit 158.2. vnde ortum eſt ſchiſma, ſed à filio eius, Gregorio iuniore ſedatum ib.
Gregorii Nazianzeni de libertate Religionis iudicium 118.1.
Gregorii Nazianzeni de cognitione noſtrarum virium loquela 127.2.
Gregorius Nazianzenus quomodo nimium ſubtiles diſputatores vocet 130.2.
Gregorius Pontifex, agit cum Hybernicis in trium capitulorum ſchiſmate 157.2. eiuſdem formula Profeßionis, illis data, qui ex ſchiſmate ad catholicam Eccleſ. reuerterentur ibid.
Gregorius frater Baſilii, Nyſſæ Epiſcopus, Fidem & regenerationem ſpiritualem, incredentis & regenerati ponit libera poteſtate 226.2.

H.

HÆreſis prima & potißima ſchiſmatis eſt cauſa 158.1
Hæreſis crimen eſt mere ſpirituale 124.2.
Hæreſis aperta & notoria quænam ſit 105.1.
Hæreſes & hereticos cognoſcere, ac damnare, eſt Epiſcoporum, non ſolius Papæ 105.1. & 2. & 106.1.
Hæreſis omnis eſt in falſa Scripturarum interpretatione, & diſtorta intelligentia 106.1.
Hæreſis à quibus damnanda ibid.
in Hæreſis cauſa vltimum iudicium eſt penes Concilia ibidem.
Hæreſis Ariana à quo primum fuerit damnata 106.2.
Hæreticos recipere in Eccleſiam pœnitentes, eſſe ſolius Apoſtolicæ ſedis, Baronius inculcat ſæpißime 116.1.
Hæreticorum librorum cenſura & iudicium penes quem conſiſtat 113.1.
Hæreſis damnatum Opus M. Antonii de Dominis à ſupremo Inquiſitionis officio 113.2.
Hæreticos libros, auferre plebi, idiotis & leuioris ingenii hominibus, an bonum ſit, & æquum 114.1.
de Hæreticorum librorum lectione ſiue prohibitione iudicium Dionyſii Alexandrini 114.2.
in Hæreticos veros & ſchiſmaticos legibus & pœnis, etiam interdum capitalibus, inſurgere an Principibus & Magiſtratibus Chriſtianis liceat 120.2. & 121. & ſeqq.
Hæreticos quomodo punierit Theodoſius maior 121.2.
in Hæreticos an eccleſia propria ſua authoritate pœnis corporalibus, & corporalia attingentibus poßit inſurgere 122.1. & 2.
Hæreticos à Principibus eſſe cõpeſcendos, ne noceant 124.1.
Hæretici notis veræ Chriſti eccleſiæ carent 145.2.
Hæretici Eccleſiæ Romanæ communionem non raro expetiuerunt 81.2.
Hæretica an aliqua propoſitio ſit, an catholica, penes quem diiudicandi ſit poteſtas 105.1.
Hæretici quomodo recipiendi 116.2.
in Hæreticum priuatum an præciſe ob ſolam hæreſin pœnis externis inſurgi, & an multitudo hæreticorum iuſtis armis ac iuſto bello peti poßit 124.2.
in Hæreticos inquietos, publicæ pacis perturbatores, ſimplicis plebis ſubuerſores, &c. an capitaliter procedi poßit ib.
Hæreticos eſſe vitandos 158.2.
Hieremiam Deus cognouit, antequam formaretur in vtero 39.1.
Hieremiæ Prophetæ additamentum, Baruch, an inter canonicos libros ſit recenſendum 13.1.2.
Hieronymus primam fidem dicit eſſe liberi arbitrii 214.2.
Hieronymus an Traditiones admittat 34.2.
Hieronymus quem librum nominet vere canonicum 17.1.
Hieronymi opinio de epiſtola Iacobi 19.1.
Hieronymus de electione librorum hæreſibus infectorum quid ſentiat 115.1.
Hieronymus quomodo Parabolam de vinea plantata explicet 224.1.

Hilarius an Traditiones admittat 34.2.
Hilarij de libertate Religionis iudicium 118.2.
Hilarii de compeſcendis Arianis ſententia 125.2.
Hilarii Pictauienſis, Patris antiquiſsimi, dictum de voluntate credendi 215.2.
Hippocratis libros, medici Hippocratis eſſe, quomodo probetur 8.2.
Hominem iuſtificatum totam iuſtitiam, per quam iam dicitur iuſtus, habere à Deo per merum donum gratiæ ſuæ 265.2.
Homini ante omnia fidem ad iuſtificationem eſſe neceſſariam 262.2.& 263.1.
Homini concupiſcentia ad peccatum nullo modo imputata eſt à Deo, niſi poſt legem ſcriptam, & conſequenter non niſi illis, quibus data eſt ipſa lex ſcripta 271.2.
Homo an ſit cauſa ſuæ prædeſtinationis, vt Pelagiani docent 252.2.
Hominis conuerſio prima an tota ſoli diuinæ gratiæ ſit aſſcribenda 210.2.
Hominem per ſuum liberum arbitrium nihil poſſe, ſentit Auguſtinus 211.1.
Hominis prima regeneratio an ſoli Spiritui S. attribuenda 221.1.
in Homine nondum regenerato vniuerſalem eſſe reſiſtentiam ad bonum ſpirituale 222.2.
Hominis lucta contra communes reſiſtentias 223.1.
in Homine vis reſiſtitiua non eſt, ablata per Deum duritie 223.1.
in Homine liberum eſſe arbitrium, etiam ad ſpiritualia bona 223.2.
in Hominem ſine arbitrii libertate cadere contraria non poſſe, neque mutationem, neque alios bonos, alios malos eſſe poſſe 224.1.
Hominem hic in ſtatu huius vitæ non eſſe hominem, quomodo intelligendum ibid.
Hominis iuſtificatio & iuſtitia in quonam conſiſtat 262.2
Honorius hæreticus fuit monothelita, & in Concilio generali damnatus 91.2.
Honorius Imperator ſuperſtitioſos Mathematicorum libros lege data prohibuit 114.1.
Hormiſda de lectione librorum hæreſi infectorum ſententia 115.1.
Hormiſda, Romanus Pontifex, de libris Fauſti requiſitus quid reſponderet ibid.
Hugo de S. Victore quos libros ex Canone excluſerit 15.2.
Humana Conſilia ſunt ſchiſmatis cauſa 160.1.
Humanæ voluntatis reſiſtibilitas quanta ſit, propter libertatem arbitrii 223.1.
Hypognoſtici author ab Auguſtini ſententia haud longe abeſt 209.2.
Hypoſtatica vnio corpori Christi ſolam diuinam dedit ſubſiſtentiam 200.1.

I.

Iandunus à Ioanne XXII. damnatus 107.1.
Ibæ ſcripta à quo damnata 113.2.
Ieiuniorum legem Theophilus Alexandrinus ad Apoſtolicam deducit Traditionem 33.2.
Ieiunia, & aliæ corporis afflictiones, opera ſunt vtiliſsima ad concupiſcentias compeſcendas 276.1.
Ieiunium Sabbathi quale 80.2.
Ignatii de libertate Religionis iudicium 117.1.
Ignatius quo ſenſu traditiones Apoſtolorum commendauerit 31.1.
Ignatius Loyola cur canonizatus 94.2.
Imaginum ſacrarum cultus an licitus 289.1. & ſequentibus.
Imaginum ſacrarum vſus an concedendus ſit 290. 1. & 2.
de Imaginibus & picturis decretum Concilii Elibertini 291.1.
Imaginum adoratio 291.1.
Index librorum prohibitorum & expurgatorum 115.1.
Indulgentias res eſſe vaniſſimas 201.1.
Influxus ſeu motio Dei, qua voluntas mouetur, & applicatur ad opus, recipitur in cauſis ſecundis, ſecundum earum diſpoſitionem 223.2.
Innocentius II. fatetur, hæreſes omnes à Patribus & Conciliis damnatas fuiſſe 107.1
Inquiſitionis tribunal an poteſtatem habeat cenſendi libros 113.2.
Inquiſitionis officium vnde originem ceperit 122.2.
Inquiſitores quales ibid.
Inquiſitores vnde autoritatem ſuam habeant 123.1.
Inuocationem Sanctorum cur reformati repudient 112.2.
Ioannis & Matthæi euangelium cur non tali egeat approbatione, quali Euangelium Lucæ & Marci 9.2.
Ioannis, Conſtantinopolitani Patriarchæ, epiſtola communicatoria ad Hormiſdam 137.1.
Ioannis Nicopolitani litera communicatoria ad Hormiſdam Rom. Pontificem 136.2.& 137.1.
Ioannis XXII. Bulla, qua damnauit Marſilium & Iandunum 107.1.
Ioſephi à Coſta de libertate Religionis iudicium quodnam 120.1.
Ireneus, antequam ex Scripturis hæreticos ſui temporis redarguere conatus eſt, quorſum confugerit 23.1.
Irenæus cum quibus Polycarpi narrationes contulerit 31.2.
Irenæus vnde diſſenſionem inter Orthodoxos eſſe exiſtimet 130.1.
Irenæus libertatem voluntatis humanæ non omnino per peccatum ſublatam fuiſſe, aduerſus ſui temporis hæreticos docet 224.1.
Irenæus contra Manichæos, bonas & malas naturas ſeparantes, pro libero arbitrio pluribus pugnat ibidem.
Irenæus ſuadela, non impulſione nos agi à Christo aſſerit 228.2.
Iudæi an à Principibus Chriſtianis in ſua ditione ſint tolerandi 125.2.
Iulianus Papa, nimia vſus autoritate in actis Synodorum Orientalium iudiciariis reſcindendis, quas turbas excitauerit 176.1.
Iuſtinæ virginis hiſtoria 285.2.& 286.1.
Iuſtinianus Origenis libros ſeuera prohibitione proſcripſit 114.2.
Iuſtinus Martyr an Pelagianus 224.1.
Iuſtificati an poſſint ſuam iuſtitiam amittere, ſiue ad tempus, ſiue etiam finaliter 268.1.
Iuſtitia originalis quæ ſit 218.2.
Iuſtitia & iuſtificatio hominis in quonam conſiſtat 262.2.
Iuſtificationis materia ſiue obiectum quod ibid.
Iuſtificationis finis quis 262.2.
ad Iuſtificationem hominis fidem eſſe neceſſariam 262.2. 263.1.
Iuſtificationem totam dari à Deo gratis, & non eſſe mercedem, quæ merito vllo noſtro, etiam fidei debeatur, ſed eſſe meram gratiam 264.1.
Iuſtitiam in actu iuſtificationis eſſe ipſam charitatem infuſam, donum Spiritus ſancti, quæ in anima inhæreat, cum remiſſione peccatorum, per realem ablationem maculæ & reatus 265.2.
Iuſtificationem noſtram eſſe formalem obedientiam Chriſti, eiuſq; iuſtitiam nobis imputatam ibid.
Iuſtificationem veram non fieri ſine iuſtitia Chriſti interueniente 265.1.
an Iuſtitia illa, per quam poſt iuſtificationem iuſti dicimur, ſit ſola imputatio iuſtitiæ CHRISTI nobis, an vero ſit ali-

ſit aliquid inhærens, quod Deus nos iuſtificando in nobis ponat, &c. 265.2. & 266.1.
in Iuſtificatione peccatum ita remitti, vt nihil amplius iuſtificato noceat, imo neque ſit amplius à Deo ne memorandum quidem 265.1.
Iuſtitia quæ ſit inhærens, & quæ imputata 266.1.
Iuſtificationem, quam lex non poterat dare per ſua opera, iam dari & impleri per Chriſtum in iis, qui ſpiritu iam reguntur, & non pura legis littera 274.1.
Iuſtificatio euangelica neceſſario requirit, & poſtulat in homine illas diſpoſitiones fidei, & pœnitentiæ, & obedientiæ mandatorum 274.2.

L.

Lex quatenus lex, & ſane moralis per opera ipſa legis à peccato vero interno, quod videlicet ſpirituale exitium pariat, neminem vnquam potuit, aut poteſt iuſtificare 274.1.
Leo Imperator à Simplicio petit ſedis Conſtantinopolitanæ euictionem 176.2.
Leonis Epiſtola ad Flauianum de incarnatione celeberrima 83.1. hac publicam auttoritatem non habuit, antequam in generali Concilio Chalcedonenſi diſcuſſa fuerit & approbata ibid.
Leonis Papæ epiſtola dogmatica à quo diſcuſſa & approbata fuerit 113.2.
Leonis Pontificis Romani admonitio de ſcriptis hæreticorum 114.1.
Leonis Pontificis Romani reſiſtentia contra Anatolium 177.1.
Lex ſcripta habet aliquid, cuius preuaricatio non erat ante legem ipſam ſcriptam & promulgatam 271.2.
Lex Imperialis de puniendis hæreticis, quam Auguſtinus laudat 111.2.
Lex Marciani de iiſdem ibid.
Lex Moſaica erat maceries & paries 134.1.
Lex ſcripta Iudæorum tempore Euangelij non erat amplius parallela cum Euangelio 204.1.
Liber Sophronii Hieroſolymitani à quo fuerit diſcuſſus 113.2.
Liberius Rom. Pontifex, an ſe ſupremum eccleſiæ iudicem conſtituerit 83.1.
Liberium Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe Bellarminus non negat 90.2.
Liberum arbitrium quale 215.1.
Liberum arbitrium cur Reformati deprimant 112.2.
Liberum dupliciter 117.1.
Liberum arbitrium qui noſtris temporibus in prima fidei aſſecutione, & in renaſcendo, homini auferunt, quibus rationibus nitantur 209.2.
per Liberum abitrium hominem nihil poſſe ſentit Auguſtinus 211.1.
Liberum arbitrium ſine gratia præueniente non exit in actu ad volendum bonum 213.2.
Liberi ſolius arbitrii eſſe primum bonum velle Hieronymus negare non poteſt, vt tamen hoc ipſum à Gratia dependere oſtendat 214.2.
in Libero arbitrio Pelagiani ponebant naturalem quandam potentiam, per quam ſine vllo quocunque Gratiæ adiumento poſſet primum illum aſſenſum præſtare, velle & credere 216.1.
Liberum arbitrium an ſaluetur poſita irreſiſtibilitate 223.2.
Liberum arbitrium fide retinendum eſſe, cenſet Auguſtinus 224.1.
Libri quidam cur vocentur ſacri 17.2.
Libri Eſther an inter Canonicos recenſendi 13.1.
Liber Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Macchabæorum, an ſint Canonici 14.2.
Libri Hebraici an ad normam Græci alphabethi, vel ad Hebraici ſint numerandi ibi.
Librum Sapientiæ in quo ordine ponat Auguſtinus 15.2.
Librum Sapientiæ quibus fundamentis Bellarm. conatur probare, vere eſſe canonicum 17.2.
Librum Eccleſiaſtici quomodo Bellar. confirmat eſſe Canonicum 18.1.
Libri Macchabæorum cur inter canonicos non ſint reputandi 18.2.
Librorum cenſuræ quomodo ſint inſtituendæ 113.1.
Libros damnare eſt aliud, quam prohibere, ne imprimantur, diuulgentur, habeantur, legantur. ib.
Librum Arij diſcuſſit Concilium Nicenum, & damnauit 113.2.
Librorum cenſura & iudicium an ad Tribunal Inquiſitionis pertineat 113.2.
Libros, qui vere hæretici ſint, auferre plebi, idiotis & leuioris ingenii hominibus, an bonum ſit & laudabile 114.1.
Librorum prohibitio à quo fieri debeat ibid.
Libros Mathematicorum ſuperſtitioſos Honorius & Theodoſius lege data prohibuerunt 114.1.
Lucidi palinodia 246.1.
Lugdunenſe Concilium 175.2.
Lugdunenſes Canonici de nouo feſtum Conceptionis B. Mariæ virginis inſtituunt 97. & cur à Bernardo eam ob cauſam reprehenſi ibid.
Lugdunenſis Synodi articulis ſe conformat Lucidus 246.1.
Lumen Propheticum vera Eccleſiæ nota 151.2.

M.

Macarius ſenior tractans miraculum ſanitatis Cæci clamantis, & mulieris profluuio ſanguinis liberantis 216.1.
Macedonius Orthodoxus Ioanni Alexandrino, hæretico Eutychiano, & Concilii Chalcedonenſis anathematizatori communionem ſuam negat 183.1.
Manetis & Manichæorum error 207.2.
Manichæi quare ſint ridendi 8.1.
Marcellus, Ancyranus Epiſcopus 81.2.
M. Antonii de Dominis opus de Republica Eccleſiaſtica hæreſis damnatum 113.2.
Marci Euangelium Petrus approbauit 9.2.
Marcion hæreticus Apocalypſin Ioan. inter Canonicos libros non reputabat 20.1.
Marſilius à Ioanne XXII. damnatus 197.1.
Matthæi Euangelium Canonicum eſſe quomodo probetur 7.2. & 8.1.
Matthæi & Ioannis ſcriptum Euangelium, cur non tali egeat approbatione, quali Euangelium Marci & Lucæ 9.3.
Mathematicorũ libros ſuperſtitioſos cremandos eſſe Honorius & Theodoſius, lege data, decernunt 114.2.
Melchioris Cani iudicium de Scholaſticis 132.1. & 2.
Meletij ſchiſma 155.2.
Merita cur Reformati nolint 112.2.
Michael Balbus, Imperator Græcus 301.2.
Miraculorum gloria Eccleſiæ nota eſt 151.1.
Miſericordiam Dei ſolam ſufficere, ac efficere, vt velimus etiam noſtra voluntate, non cooperante, ſed parente gratia 211.2.
Miſericordiæ vaſa quænam ſint 262.1.
Monarchia eccleſiaſtica 175.1.
Montaniſtæ Conciliaribus conuentibus ſunt damnati 106.1.
Motio ſeu influxus Dei, quâ voluntas mouetur, & applicatur ad opus, recipitur in cauſis ſecundis, ſecundum earum diſpoſitionem 223.1.
Myſteria diuina, etiam quæ ad ſalutem neceſſario credi debent, non omnia clara ſunt in Scriptura, neq; omnia adeo clare proponuntur, vt nulla adſit obſcuritas 126.1. & 2.

Myſteria noſtra fidei, ad ſalutem neceſſaria, in quotuplici gradu ſint claritatu ibid.
Myſteriorum occultorum exempla 127.1.
in Myſterijs diuinis fidei exactius indagandis, vt illa perfecte intelligantur, non nimium eſſe immorandum, ſed ſobrie illa eſſe tractanda 127.1.

N.

NAbuchedonoſor quomodo verum Deum agnouerit, cum non fuerit fidelis 203.1.
Naturæ humanæ ſumma corruptio, cum totali tum propenſione ad malum, tum repugnantia ad bonum, an ſit admittenda 206.1.
Naturæ ſuperaddi gratiam neceſſe eſt ibid.
Naturalis cognitio Dei qua 203.1.
Naturalis concupiſcentia & inclinatio mala in homine, quæ ex appetitu ſenſitiuo nimium contra rectam rationem, poſt amiſſam iuſtitiam originalem, præualente ſurgit, an à Paulo vocetur peccatum 272.1.
Nazianz. quo ſenſu Traditiones admittat 33.1.& 2.
Nazianzenus quas Synodos deteſtatus fuerit, & qua de cauſa 49.2.
Neceſſitas Gratiæ an ſit expreſſus articulus fidei 201.2.
de neceſſitate Gratiæ quæſtio prima 202.1.
Neceſſitatem Gratiæ quinam Patres agnouerint 207.1. *& ſeq.*
Neſtorius à Cyrillo damnatus 106 2.
Neſtorij ſcripta à quo fuerint damnata 113.2.
Neſtorij libros Theodoſius Imperator lege prohibuit, ne quis illos legere auderet 114.1.
Nicolaus I. queritur, quod contra ſtatuta Patrum ſine ſede Apoſtolica Conſtantinopolitanus Patriarcha Ignatius fuerit per Synodum exautoratus 84.2.
Niniuitæ an fideles fuerint, vel non 204.2.
Nouatiani hæreſis de neganda lapſis pœnitentia, & ob illam conuocata Synodus à Cornelio Papa 50.1.
Nouatiani ſchiſma 155.2.

O.

OBedientia legis moralis ſufficiens, quoad ea, quæ ſub præceptum cadunt, & eſt poßibilis, ac fuit ſemper, cum adiumento diuinæ gratiæ etiam ſub lege 275.1.
Oblationes & orationes S. myſteriorum pro defunctis cur non ſint damnandæ 201 2. *vnde originem ſuam habeant* ibid.
Opera ſuo modo poſſe in homine iuſto aliqua dici, & vocari quodammodo ſupererogatoria 278.2.
Opera legis ceremonialia veram animæ coram Deo iuſtificationem, ſeu veri peccati remißionem, neque diſpoſitiue, neq; effectiue, neq; meritorie, neq; vlla ratione attigerunt 274.2.
Opera bona cur in Scriptura plurimum commendentur 276.1.
Operari velle in nobis Deum, quomodo Hieronymus intelligat 215.2.
Operatio diuina nõ influit immediate in ipſam voluntatis actionem, quando primum illa ex ſe credit, & vult, ſed tantum diſponit voluntatem, & pertinet ad gratiam operantem 213. 2
Operatio gratiæ quid ſit 217.1.
Operum conditio ad promißiones obtinendas eodem modo ſe habet in Lege & Euangelio 274.2.
Opus bonum ab homine ex charitate & diuina gratia factum, etiamſi vix poſſit adeo perfectum eſſe, quin illi aliquid deſit integritatis: in ſuo genere tamen poteſt eſſe ita bonum, vt Deo gratum ſit & acceptum 276.2.
Optati contra Donatiſtas, qui ad ſe venientes ex catholicis rebaptizabant, diſputatio 5.2.
Optati Epiſcopi Mileuitani, de libertate Religionis iudicium 118.1.
Optatus Mileuitanus, quo pacto vnitatem eccleſiæ ponat & exponat 136.1.
Optatus, vt partem Catholicam Africanarum Eccleſiarum veræ catholicæ Eccleſiæ partem eſſe confirmet, quid faciat 136 2.& 157.1.
Optatus Mileuitanus ſeriem ſucceßionum Romanorum Pontificum enumerat 1 9.1.& 2.
Optatus Mileuitanus qua ratione Donatiſtas conuincat eſſe Schiſmaticos, & à Catholica Eccleſia ſeparatos 157 1. *probat, Cæcilianum fuiſſe in Eccleſia Catholica* ibid.
Origenes fatetur, Deum ex praua voluntate humana hunc facere vas in honorem, hunc in contumeliam 215.2.
Origenes quomodo & quo ſenſu traditiones admittat 32.2.
Origenes prædicationem Eccleſiaſticam ponit regulam firmæ fide credendorum 73.2.
Origenis errores damnat Theophil. Alexandrinus 106.2.
Origenis libros Iuſtinianus ſeuera prohibitione prohibuit 114.2.
Origenes cur exiſtimauerit bonum eſſe, vt libri etiam à malis legantur ib.
Origenes quomodo præceptum Leuitici de comedendis vel non comedendis, ſed comburendis carnibus ſacrificij exponat 127.2.
Origenes non minus gratiæ diuinæ, quam liberi arbitrij aſſertor eſt propugnator 215.1.
Origenes quomodo explicet locum illum Pauli, in quo Deum ille aſſerit ex maſſa luti, ſine vlla luti actiua cooperatione, efficere vaſa, aliud in honorem, aliud in contumeliam 215.2.
Origenes animam humanam poſuit inter carnem, & ſpiritum 225.1.
Origenem auxilium gratiæ ſupponere 225.2.

P.

PAlinodia Lucidi 246.1.
Pallium Eliæ mirabilia circa Eliſæum operans 288.1.
Panis adoratio in cœna an ſecum ferat idololatricum aliquem reatum 200.1.
Papa an ſit ſupra concilium 64.1.
Papa an ſit iudex vniuerſalis 79.2.
Papæ iudicium an ſit infallibile, ita vt errare ille in decretis fidei ac declarationibus non poßit 85.1.
Papæ infallibilitas & inerrabilitas an in Scriptura aut ratione fundamentum habeat 89.2.
Papa an ſit Sanctorum Canonizator, & in hoc inerrabilis 93.2.
Papæ quales plerunque canonizent 94 2.
Papam quomodo Bellar. probet habere munus canonizandi Sanctos 95.2.
Papam in Canonizatione non errare Syluester ait 96.2.
Papatus eſt ſchiſmatum cauſa 199.2.
Parmeniani Donatiſtæ de libertate Religionis iudicium 118.1.
Paruuli qui cum baptiſmo decedunt, ſaluantur, & conſequenter ſunt prædeſtinati, non tamen ex vlla præſcientia boni vſus gratiæ, & liberi arbitrii 254.2.
Paſchatis in die Dominica celebratio à quo ſtabilita ſit 37.1.& 106.2.
Patres, ſi ſinguli per ſe ſumantur, poſſe facile in errores incidere, etiam antiquißimos, omnes ſcholaſtici conſentiunt 98.1.
Patrum S. veterum communis intelligentia in expoſitione ſacrarum literarum, an certißimum argumentum Theologo præſtet, ad Theologicas aſſertiones corroborandas 98.2.
Patres non modo ſinguli per ſe in tradenda fidei doctrina erroribus ſunt obnoxii, ſed etiam vniuerſi, & omnes ſimul conſentientes, vbi ex proprio iudicio aliquid promunt 98.1 & 2.
Patres quando teſtes ſunt doctrinæ Apoſtolicæ primitiuæ eccleſiæ traditæ in recta Scripturarum intelligentia, certa & infallibilis eſt eorum doctrina 98.2.
Patres, præſertim antiquos, dum fidem docent, ea duntaxat proferre,

proferre, quæ Apoſtoli prædicarunt, & Eccleſia primitiua tradiderunt, aut quæ clara ex ſcripturis eruerunt, non quæ proprium ſuggereret ingeniũ probatur pluribus teſtimoniis antiquis, & recentioribus 99.1.& 2.100.1.& 2. & ſeqq.
Pauli III. diploma ſuper Breuiarium Romanum 310.2.
Paulini ſchiſma 155.2.
Paulus Samoſatenus, Antiochiæ Patriarcha, variis Conciliis Antiochenis damnatus eſt ac depoſitus 106 2
Pauli & Barnabæ diſſidium an ſit ſchiſma 156.1.
Pauli admonitio de vitandis hæreticis 158. 1
Peccatum in iuſtificatione ita remitti, vt nihil amplius iuſtificato noceat, imo neq; ſit amplius à Deo ne memorandũ quidem 265.2.
Peccatum originale quod in veteri teſtamento per circumciſionem remittebatur, quomodo fæminis 27.1.
Pelagiani fidei naufragium faciunt 209.2.
Pelagius quibus cauſis commotus liberum noſtrum arbitriũ extollat 208.1.
Pelagius à Concilio Dioſpolitano, Milevitano, Carthaginenſi & Arauſicano damnatus 106.2.
Pelagius palinodiam ficte canens à Concilio Palæſtino in cõmunionem receptus 116 2.
Petrus an ſolus fuerit iudex primarius in rebus fidei definiendis 80.2.& 81.1.
Petri priuilegium perſonale 87.1.
Petrus Moggus Eutychianus, & Concilij Chalcedonenſis hoſtis, Epiſcopus ſit Alexandrinus 177.1.
Petri Damiani conſideratio dicti Apoſtolici 119.2.
Phrauitas, Acacij ſucceſſor. 178.1.
Pœnalitates & tribulationes à Deo immiſſæ an remittant peccata, aut ſaltem pœnas peccatis debitas 265.1.
Polycrates quantum Victori Romano reſtiterit 82.1
Pontifex Romanus non eſt Petrus 79.1.
Pontifex an habeat poteſtatem iudicandi controuerſias fidei & morum 79.2.
Pontifex iudicium an ſit certum & infallibile ibid.
Pontificem non ſolum in ſua perſona poſſe eſſe hæreticum, ſed etiam poſſe hæreſin docere, ſi abſq; generali Cõcilio aliquid definiat, & hoc aliquando accidiſſe 86.2.
Pontifices Romani quando cœperint canonizationes facere 94.2.
Pontificij an poſſint Proteſtantes iuſte pro hæreticis habere, quod negent Purgatorium & Indulgentias 201.1.
Porrigere dexteram conantibus, quid ſit 217.1.
Prædeſtinatio Petri, Pauli vel Deiparæ virginis, an ſit æqualis prædeſtinationi latronis in cruce 253.2.
Prædeſtinatio an ſit mere gratuita, an vero aliquo modo pendeat ab homine 240.2
Prædeſtinatio ſpecialis quæ. 246.2.& 247.1.
Prædeſtinatio an ſit gratiæ efficacis præparatio, & mediorum quibus quis ſaluandus ſit 253.1.
Prædeſtinatus an poſſit à gratia finaliter excidere, & ex prædeſtinato fieri reprobus 268.1.
Prædicationem Eccleſiaſticam ponit Origenes regulam firmæ fide credendorum 72.1.
Preces publicæ quotuplici exercitio ſpirituali peractæ ſint 309.1.& 2.
Precum tempora & horæ 313.2.
Principes an poſſint cuiquam conſcientiæ priuatam auferre libertatem. 125.1.
Principes an teneantur publicam cuiq; ſectæ permittere ſuæ religionis, iuxta propriam conſcientiæ libertatem, profeſſionem 125.2.
Priſcilliani cædis author quis fuerit 119.1.
Proceſſio Spiritus ſancti qualis 170.1.& 2.& ſeq.& 199.1
De proceſſione Spiritus ſancti quid Græci ſentiant 171.1.
Proceſſio Spiritus ſancti à Filio, an ſit articulus fidei 171.1. & 2. quinam ex Patribus eandem negauerint ibidem.
Propoſitio an Catholica ſit, vel hæretica, penes quem enunciandi arbitrium conſiſtat 105.1.
Propoſitio Pelagiana: Gratiã Dei noſtris meritis dari 243.2
Proſperi ſententia, Gratiam diuinam eſſe, quod per naturæ lumen poſſit homo ex creaturarum contemplatione ad creatorem peruenire. 206.1.
Proſperi admonitio de aſſertionibus oppoſitis, quæ inueniuntur in ſacra Scriptura 129.2.
Proteſtantes. vide Reformati.
Proteſtantes cur à Catholico-Romanis in multis ſine neceſſitate tantopere diſſideant, & abhorreant 132.2.
Proteſtantium Religionem cur Bellarminus aſſerat eſſe falſam 195.1.
Proteſtantes an poſſint iuſte Pontificios pro hæreticis habere, quod Purgatorium & Indulgentias mordicus retineant 201.1.& 2.
Proteſtantes concedunt opera, quæ ſunt ſub præcepto diuinæ legis, neceſſaria eſſe ad ſalutem ratione obedientiæ 270.2
Prouidentia diuina qualis 252.1.
Purgatorium an ſit 201.1.

R.

Realis præſentia Chriſti in cœna 200.1.
Reformati cur à Catholico-Romanis in multis ſine neceſſitate tantopere diſſideant 132.2.
Reformati cur liberum arbitrium deprimant 112.2.
Reformati cur inuocationem ſanctorum reſpuunt ibid.
Reformati cur merita nolint. ibid.
Reformati & Romani an in fundamentalibus fidei conueniant 112.1.& 2.
Reformati an vllum fidei articulum deſtruant 112.2. vide etiam Proteſtantes.
Regeneratio prima hominis an ſoli Spiritui ſancto attribuatur 221.1.
Reuelare quæcunq; Deus poteſt, an omnia in ſacra Scriptura Eccleſiæ à Deo fuerint reuelata 24.1
Reuelare non eſt facere, vt quis credat, ſed præparare obiectũ credendum 221.2.
Reuelata omnia quomodo neceſſario credenda ſint 21.1.
Reuelatio Abrahamo facta, quod ſemen ipſius maximopere ſit multiplicandum, an ſit articulus fidei 12.1.
Reuelatio rerum diuinarum, ſaluandis neceſſaria, an potuerit aliquando eſſe interna duntaxat per Spiritum S. à creatura ad Creatorem ducentem 21.1.2.& 22.1.
Reuelatio externa & efficacior quando data ſit 22.2.& ſeq.
Reuelata non omnia neceſſaria ſunt ad ſalutem 21.2.
Reuelatio à Deo primo homini magis interne per Spiritum, quam externe per vocem aut ſcripturam facta eſt 21.2.
Ritus in genere conſiderantur, quam ſint varij, quatenus ſeruandi, moderandi, &c. 279.1.& ſeq.
Ritum eſſe in Eccleſia Catholica antiquiſſimum, vt in rerum omnium benedictionibus & conſecrationibus ſignum crucis adſit 308.1.
Ritus Eccleſiaſtici ſunt multi 37.1.
Ritus Paſchatis in die Dominico celebrati à quo fuerit ſtabilitus ibid.
Ritus externi diuini cultus ſunt cauſa ſchiſmatis 167.1.
Ritus circa crucem qualis 306.1.& 2
Ritus in publicis precib. peragendis 308.2.& 309.1.& 2.
Ritus circa Sacramentorum, ac præſertim ſacratiſſimæ Euchariſtiæ præparationem & adminiſtrationem 314.1.
Ritus circa Baptiſmum. ibid.
Ritus Exorciſmi 314.1.
Romani proceres an noua ſua placita de Papatu, de Indulgentiis, de Purgatorio, &c. bona fide proponant 113.1
Ruffinus quid de Baſilio & Gregorio Nazianzeno ſcribat 99.2.

S.

Sacramenta à Chriſto inſtituta non ſunt ſine externo ritu 279.1
Sacramenta quot ſint à Chriſto inſtituta 30.1.
Sacramentorum inſtitutionem qualem obtendere conetur Bellarminus ibid.
Sacramenta ſeptem quando numerari cœperint 30.1.

Sacramenta an efficiant gratiam, & hoc an phyſice inſtrumentaliter, an tanquam conditiones, ad quarum præſentiam Deus concedat gratiam, an alio modo 200.1
Salvianus Maßilienſis de Arianis philoſophans quid ſcribat 112.1.
Sanctitas doctrinæ an ſit nota veræ Eccleſiæ 196.2.
Sanctorum canonizatio quando à Romanis Pontificibus incepta ſit 94.2.& 95.1.
Sanctorum canonizatio conſiſtit propriè penes ſcripturam ſacram 95.1.
Sanctorum inuocationem cur Reformati repudient 112.2
Sanctorum animas beatitudine ſua inchoata cum Chriſto frui in cælis, licet nondum ante reſurrectionem perfecta 281.2.
Sanctorum interceßioni quantum ſit tribuendum 283.2.
Sanctos inuocare vel Angelos, num liceat Chriſtiano 285 2
Sanctorum reliquiæ an venerandæ 288.1.
Sapientiæ librum in quo ordine ponat Auguſtinus 16.2.
Sapiētiæ librum quibus rationibus Bellarminus conetur probare, vere eſſe Canonicum 17.2.
Sapientiarum libri an ante Chriſtum inter Canonicos fuerint reputati 18.2.
Schiſma Luciferianum & Antiochenum quale 162.2.
Schiſma in primitiua Eccleſia Corinthiorum quale 161 1.
Schiſma quid ſit, & in quo conſiſtat 155.1.& 2.
Schiſmata ex quibus cauſis oriantur, & orta ſint 158.1.
Schiſma quàm graue malum ſit 167.1.
Schiſma Græcorum quem ortum, & progreſſum. & quas cauſas habuerit habeatq́ 169.2.& 170.1.
Schiſma inter Proteſtantes & Pontificios 194.1.& ſeq.
Schiſmaticus quis 155.2.
Schiſmatici quinam ſint declarati in Concilio I. Conſtantinopolitano 156.2.
Schiſma Chore, Dathan & Abiron 156.2.
Schiſmatis prima & potißima cauſa quæ. 158.1.
Schiſmatis ſecunda cauſa quæ 158.2.
Schiſmatis tertia cauſa quæ. 160.1.
Schiſmatis quarta cauſa quæ. 161.2
Schiſmatis cauſa quinta 162.1.
Schiſmatis cauſa ſexta & vltima 167.1.
Schiſmatis incommoda quot & quanta ibid. & ſeqq.
Scriptura ſola ſufficiens eſt ad omnia fidei dogmata, præſertim ad ſalutem neceſſaria, Eccleſiæ conſignanda 24.1.
Scriptura ſacra hominis iam fidelis regula eſt credendorum. 4.1.& 2.
Scriptura diuina, canonica, vera quænam ſit, & vnde illa oſtendatur 6.2.
Scripturæ ſacræ priuilegium quale 15.2
Scripturæ ſacræ quanta ſit authoritas & neceßitas 5.1.& 2.
Scriptura an poßit eſſe lapſus alicuius momenti 11.2.& 12.1
Scripturæ autoritas an ſine traditione poßit defendi 9.2.
Scripturæ loco quid primus homo habuerit 21.2.& 22.
Scripturam Canonicam à non Canonica diſcernere, cuius ſit 6.2.
Scriptura Canonica, an fide diuina vel humana certitudine innoteſcat 10.2.
Scriptura Canonica, an ab externo teſtimonio innoteſcat, an vero ab iudicio interno . 10.2.& 11.1.& 2.
Scripturæ Canonicæ veteris teſtamenti quomodo in genere cognoſci poßint 12.2.
Scripturæ num ſint Canonicæ, an Eccleſia diſcernere poßit 7.2.& 8.1.
Scriptura ſacra, diuina, Canonica, perfecte ſtabilita an ſola complectatur prorſus omnia, quæ fide diuina ſint credenda 6.2.& ſeqq.
Scripturam Canonicam noui Teſtamenti diſcernendi regula, quænam ſit 7.2.
Scripturarum non Canonicarum in communi examinatio 12.2.& 13. cum ſeq.
Scriptura vbi obſcura eſt, & inde oriuntur controuerſiæ, quis ſit vltimus iudex ac deciſor controuerſiarum ac definitor 6.2.
Scripturas Bellarminus in quot partes diſtinguat 6.2
Scripturas non plus habere autoritatis, quam fabulas Æſopicas, an verum ſit 9 2.
Scripturis an fides ſit adhibenda propter ſolam Eccleſiæ commendationem 10.1.
Scripturas omnes, veras diuinas reuelationes continentes, eſſe diuinas, & eas eſſe credendum, an ſit articulus fidei ib.2.
Scripturæ Canonicæ autoritatē, quomodo aliqui ex aliis coniecturis fundare velint 11.2.
Scripturæ, quæ continet, an omnia ſimpliciter & abſolute ſint obiectum noſtræ fidei ibid.
Scripturæ Canonicæ & diuinæ, quomodo vel vndenam à non diuinis, nec proprie Canonicis, debeant diſcerni 12.2.
Scripturæ Canonicæ quænam ſint in ſpecie ibid.
Scripturas ſacras propriè Canonicas, & diuinas à non propriè diuinis diſcerni ſola traditioni humana & quali 20.2.
Scriptura ſacra cur non à ſacerdotibus ſolum, ſed a quolibet Chriſtianis legenda. Ibid. & 21.1. & quæ vtilitates exinde proueniant ibid.
Scriptura diuina Canonica, an ſufficiens ſit ad omnia fidei reuelata dogmata Eccleſiæ tradenda, an vero præterea etiā non ſcriptæ Traditiones ſint in Eccleſia neceſſariæ 22.1
Scripturæ diuinæ aliquas partes periſſe, an veriſimile ſit. 24 1
Scriptura an aliquando & aliquandiu non fuerit neceſſaria 26.1.
Scripturæ an Conciliis tribuat infallibilitatem 44.2.
In Scripturarum ſanctarum expoſitione an communis omnium ſanctorum veterum intelligentia certißimum argumentum Theologo præſtet, ad Theologicas aſſertiones corroborandas 98.2.
Scripturæ ſenſus ille verus eſt, ac neceſſario fide credendus, quem Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt, & à Patribus ad Patres per manus traditus incorruptus peruenit 104.2.
Scriptura ſola an ſufficienter ſeparent veram Chriſti Eccleſiam ab hæreticorum & ſchiſmaticorum cœtibus 155.1.
Seuerus Sulpicius cur in Ithacium, Epiſcopum Hiſpanum, inuectus fuerit 119.1.
Signum crucis contra Dæmones eſſe præſidium 308.1.& 2.
Simplicius, Patriarcha Romanus 176.1.
Sophronius, Patriarcha Hieroſolymitanus, ſynodicum ſuum libellum de fide orthodoxa diſcutiendum & examinandū ſubijcit Sergio, Patriarchæ Conſtantinopolitano 83.2
Sophronij Hieroſolymitani liber à quo fuerit diſcuſſus 123.2.
Sotus concedit diſpoſitiones ad iuſtificationem. 264.2. negat tamen eas vlla ratione poſſe vocari merita ibid.
Spes vnde naſcatur 264.2.
Spiritus S. proceßio qualis 170.1.& 2.& ſeq. de Spiritus S. proceßione quid ſenſerint Græci 171.1.& 2.
Spiritus ſancti proceßio à Filio, an ſit articulus fidei ibid. quinam Patres eandem negauerint ibid.& 199 1.
Stephanus Papa, in Cyprianum propter controuerſiam Anabaptiſmi commotus, ſchiſma cauſatur 176.1.
Synodi octauæ generalis authoritas pro cultu imaginum 305.2.
Synodi ſecundæ Epheſinæ turpis error 46.1.
Synodus quinta generalis qua in re correxerit Concilium Chalcedonenſe 46.1.
Synodus Epheſina ſecunda per Concilium Chalcedonenſe correcta 47.1.
Synodus conuocata à Cornelio Papa ob hæreſim Nouatiani 50.1.
Synodus ſeptima in qua diſcutiebatur cauſa imaginum an vniuerſalis dici poßit. ibid. quos præſides habuerit 57.2.
Synodus ſexta quem præſidem habuerit 57.2.
Synodus octaua generalis quam præſidentiā admiſerit 88.1.
Synodus antiquißima Philadelphiæ in Arabia de anima Chriſti docens 106 2.

Synodus

Synodus V. generalis tria capitula Concilij Chalced. damnauit 156.2.
Tabulæ in arca poſitæ, quomodo potuerit probari, quod ſint veræ, genuinæ & originales 7.1.
Taraſius Conſtantinopolitanus 298.1.
Tertullianus nulla ex re magis Dei imaginem in homine lucere cenſet, quam ex libertate arbitrij 225.1.
Tertullianus quo ſenſu traditiones admittat 34.1.
Tertullianus quomodo contra traditionum propugnatores inſurgat 36.1.
Tertullianus quo ſenſu Paulum in tertium cælum raptum, & didiciſſe ſecreta aliqua concedat 36.2.
Tertullianus fidei fundamentum & regulam ponit confeſſionem 72.1.
Tertulliani de libertate Religionis iudicium 117.2.
Tertulliani fundamentum articulorum fundamentalium fidei 127.1.
Theodoretus à Concilio Chalcedonenſi quare fuerit reprahenſus 171.1.
Theodorus Cyri Epiſcopus, proceſſionem Spiritus S. à Filio negauit 171.1
Theodoreti ſcripta à quo damnata 113.2.
Theodoreti de prærogatiua Romanæ Eccleſiæ iudicium quodnam fuerit 89.1.
Theodoretus Cyri Epiſcopus 106.2.
Theodori Mopſueſteni ſcripta à quo damnata 113.2.
Theodoſii aduerſus Arianos iudicium 74.1.
Theodoſii ſenioris, Imperatoris Romani, encomium ob expulſos Eccleſia Arianos 100.1.
Theodoſius ſuperſtitioſos Mathematicorum libros lege data prohibuit 114.1.
Theophylactus de Petro quid ſcribat 88.1.
Theophylactus proceſſionem Spiritus S. à Filio negauit. 171.1.
Theophilus Alexandrinus ieiuniorum legem ad Apoſtolicam deducit traditionem 33.2.
Theophilus Alexandrinus errores Origenis damnat. 106.2.
Theophilus proceſſionem Spiritus ſancti à Filio negauit. 171.1.
Timor ex fide naſcens plurimum ſolet ad iuſtificationem conducere 264.2.
Timotheus hæreticus in locum Macedonij ab Anaſtaſio poſitus 183.1.
Tobias in qua ſignificatione ab Ambroſio vocetur Propheta 17.2.
Tolerantiæ commendatio 317.1.
Tolerantiæ defectus 317.2.
Tractationes dogmaticæ & doctrinales diuerſæ ſunt à practicis & ritualibus 49.2.
Traditio & Eccleſiæ teſtificatio, quomodo fidem ſcripturis authenticam conciliet 10.2.
Traditio Eccleſiæ quibus ſit ſimilis ibid.
Traditiones non ſcriptæ an paris omnino fuerint in Eccleſia authoritatis cum ipſa ſacra Canonica Scriptura 23.2.
Traditiones non ſcriptæ, an poſt datam Eccleſiæ totam ſcripturam Canonicam, adhuc ſint neceſſariæ 24.1.
Traditiones an ſemper fuerint neceſſariæ 26.1.
Traditiones Apoſtolorum quo ſenſu Ignatius commendauerit 31.1
Traditiones quo ſenſu Origenes admittat 32.1
Traditio vera & legitima iam amplius in Eccleſia Catholica nulla datur 24.1.
Traditio de ſe inhabilis eſt & inſufficiens ad dogmata primitiuæ Eccleſiæ ignota, proponenda ibidem.
Traditionum non ſcriptarum neceſſitatem quibus ſophiſmatibus probare nitatur Bellarminus 25.2.
Traditionibus an fideles, qui ſcripturam non habeant, neceſſario indigeant 26.1.
Traditiones an Euſebius admittat 32.1
Traditiones an ad verarum ſcripturarum intelligentiam etiam ſeruierint 24.2.
Traditiones ad quæ ſint neceſſariæ 27.2.
Traditio vera & diuina quomodo deſcribatur 29.2.
Traditiones Apoſtolicæ quales 31.1.
Traditionis an Athanaſius admittat 32.1.
Traditiones quo ſenſu Nazianzenus approbet 33.1. & 2.
Traditiones Iuſtinum, Irenæum, & alios grauiſſimos Patres in errorem millenariorum, & alios induxerunt 37.2.
Traditio ſola, vera, certa & perpetua Eccleſiæ, quæ fuerit vbique & ſemper, diſcernit libros Canonicos à non Canonicis 45.2.
Traditio Apoſtolica eſſe non poteſt, quod ex antiquitate non habetur 89.2.
Trahi à Patre, quid ſit 221.2.
Tranſubſtantiationem eſſe valde abſurdam, & omnino impoſsibilem 200.1.
Tranſubſtantiatio an directè vllam hæreſin in ſe contineat ibid.
Tribulationes & pœnalitates à Deo immiſſæ an remittant peccata, vel ſaltem pœnas peccatis debitas 265.1.
Tyrij & Sydonij Deus poſitiue non negantur illa auxilia, quæ ſi habuiſſent, dicuntur fuiſſe redituri 234.1.

V.

Vaſa miſericordiæ quænam ſint 262.1.
Vbiquitas corporis Chriſti abſurda eſt & impoſsibilis 200.1.
Vbiquitas an hæreſin directè in ſe contineat ibid.
Velle omne, quodcunq; ſit actus humanus, & vitalis immanens, eſt actus proprius & liber ipſius voluntatis, & hoc de ſe, quatenus eſt actus volendi 213.1
Velle primum cur non ſit à nobis, ſecundum Auguſtinum 211.2.
Velle bonum an poſsimus ibid.
Velle & non velle, an ſint contradictoria 117.1.
Velle noſtrum, & noſtrum credere eſt à Deo 211.2.
Verbum diuinum, corpus cum ſuis conditionibus & proprietatibus ſibi vniuit 200.1.
Veritas prior eſt, quam mendacium 27.2.
Victor Romanus prima iecit ſchiſmatis fundamenta 175.2.
Vigilij Romani Pontificis error de duabus in Chriſto naturis damnatis 91.1.
Virginitas perpetua Mariæ. 36.2. *vnde à Baſilio probetur.* 37.2. *at quæ Hieronymi de illo ſit ſententia.* Ibidem.
Virginitas Mariæ perpetua an ſit articulus fidei, & vnde deſumatur 78.2.
Vita æterna ipſa eſſentialis, & gloria, donum eſt merum gratuitum, quod ab æterno Deus iis, quos in filios adoptauit, non tanquam mercedem, ſed tanquam hæreditatem prædeſtinauit, non quia laborarunt, ſed quia in filios ſunt adoptati 277.1.
Vitalianus Scytha, Anaſtaſij Imperatoris magiſter militum, rebellionem excitat, & Thraciam, Scythiam, Myſiam & alias prouincias occupat 183.1. & 2.
Vitaliani pios conatus, infelici exitu miſerabiles, an Baronius rectè ad abyſſum inſcrutabilem iudiciorum diuinorum reducat 184.2.
Vnio hypoſtatica corpori Chriſti ſolam diuinam dedit ſubſiſtentiam 200.1.
Vnio membrorum cum capite, & inter ſe, an ſit nota vera Eccleſiæ 196.2.
Vnio publica Eccleſiaſtica quæ. 161.2.
Vnitas Eccleſiæ vbi conſeruatur, in nomine Chriſti, ibi conſtat Chriſtum probari ex hac vnione, eſſe filium Dei, & à Deo fuiſſe miſſum 133.2.

Vnitatis Eccleſiæ comparatio cum ſimilitudine corporis humani 134.1.
Vnitas Eccleſiæ cur toties in ſacris libris commendetur ibid.
Vnitatis Eccleſiæ explicatio per nuptias 134.2.
Vnitatis Eccleſiæ deſcriptio per columbam caſtiſſimam 135.1
Vnitatis Eccleſiæ encomium Ignatij, Cypriani, Tertulliani, &c. 135.1.& 2.
Vniuerſitas Catholicæ Eccleſiæ ſymbolum 153.1.& 195.2.
Volendi aut nolendi actus omnis, hoc eſt, ſeu proſecutionis, ſeu fugæ, an in adulto, habente vſum rationis, ſit actus ipſius voluntatis humanæ ſpontaneus, & ab ipſa voluntate elicitus, & nulla ratione poſſit eſſe coactus 210.1.
Volitionis actus quis 211.2.
Voluntas humana an in prima hominis conuerſione ad fidem Deo cooperetur 210.2.
Voluntas nondum renati, poſt naturam corruptam, an adeo imbecillis, imo & mortua in peccatis ſit, vt nullas penitus vires habeat ſuas proprias, quibus ſuam poſſit inchoare conuerſionem ibid.
Voluntas hominis poſt lapſum adeo imbecillis & infirma facta eſt, vt ad bonum ſpirituale volendum, & proſequendum ex ſe propriis viribus nullo modo ſe poſſit determinare 212.2.
Voluntas ſi non libere ſe determinet ad actum volendi, vel nolendi, actus ille non erit actus humanus 213.1.
Voluntatem noſtram non elicere actum ex ſe, & actu deliberato liberi arbitrij, ſed ſolum Deum efficere, vt nos ſponte, & non inuiti, aut coacti hunc actum eliciamus 212.1.
Voluntas adiuta gratia an ad ſuam ipſius ſanitatem concurrat 212.2.
Voluntas ſine præuenienti gratia, & diſponente, ne cogitare quidem poteſt ſpirituale bonum, nedum velle & facere 216.1.
Voluntatis ſeu liberi arbitrij verum & liberum actum an neget Auguſtinus 217.1.
Voluntatem cum adiumento gratiæ omne bonum poſſe, ita tamen vt ipſa voluntas etiam ſuis qualibuſcunque viribus, cum adiuncto gratiæ adiumento bonum amplectatur & operetur 212.2.
Voluntatis primum aſſenſum in gratiam communis opinio Patrum fieri vult effectiue per ſolum liberum arbitrium, præueniente gratia præparatum ibid.
à Voluntate hominis bona, qui intentionem cordis ſui dirigat ad iuſtitiam, ſuppoſita tamen gratia præueniente, bona conuerſio initium habet 216.1.
Voluntatis cooperationem qua in re ponat Proſper 217.2.
Voluntatem humanam poſt lapſum eſſe valde imbecillem, & infirmam, viribuſque ſufficientibus propriis extenuatam, non tamen penitus mortuam, neque ab omni bono naturaliter abhorrentem 219.1.
Voluntas vt incipiat bonum, eget gratia præueniente, vt perficiat, eget adiuuante 219.2.
Voluntatis mutatio ex mala in bonum quomodo fiat 220.2.
Voluntatis humanæ reſiſtibilitas propter arbitrij libertatem quanta ſit 223.1.
Voluntatis humanæ libertatem non omnino per peccatum ſublatam fuiſſe, aduerſus ſui temporis hæreticos docet Irenæus 224.2.

X.

XAuerius canonizatus 94.2.

Z.

ZAcharias Pontificis error in aſſertione Antipodum 92.1.
Zeno Imperator cur Ioannem Talaiam tolerauerit 177.1.
Zeno à quo commotus eundem depoſuerit 177.2.

FINIS.

DE REPVBLICA ECCLESIASTICA

LIBER NONVS,

Qui eſt

De bonis temporalibus in Eccleſia.

PROOEMIVM.

INTER humanas diſciplinas Mathematicæ puræ euidentiſſimam habent certitudinem, ex eo maxime quod rem cognoſcāt, in materia quidem poſitam, ſed mente abſtractam, ſeparatam & denudatam à materia: puluis enim rerum corporearum, quæ terris continentur, adeo excæcat oculos humani intellectus, vt vix quicquam certi in illis mentis agitatione aſſequamur. Quæ vero à ſe ipſis omnem prorſus excludunt materiam, vt ſunt ſubſtantiæ abſtractæ, & immateriales, ea maxime & facillime, atque clariſſime à nobis intelligerentur, modo poſſent aliqua ratione ſeipſis ad intellectum noſtrum peruenire: vt propterea Philoſophus a dixerit *ea eſſe natura notiora*; ſicut quę ſenſata ſunt, propter materiæ admiſtionem, non niſi nobis vocauit notiora; qui ſenſu magis ducimur, quam mente & intellectu. I. a Ariſt. 1. phy.

Nube quadam obſident profecto & obfuſcant mentem noſtram ipſa materialia, excæcantq; illam prorſus, ne poſſit proprias exercere operationes; quoties quis illis immerſus eorum pondere nimium ad terram deprimitur, & à pulcherrima hominis propria rerum ſpeculatione retrahitur ac impeditur. Vt merito Crates ille adeo decantatus, in gratiam humanæ tantum Philoſophiæ, *bona omnia hæc ſenſibilia à ſe abiecerit, vt liberior vni vacaret contemplationi.* II.

Noſtra vero Philoſophia, hoc eſt, propria ſacerdotum, Chriſti miniſtrorum in terris, multo magis ab affectu nimio rerum terrenarū abhorret. Oculus enim Eccleſiaſticus adeo purus eſſe debet & perſpicuus, vt quoad fieri poteſt ne leuiſſimum quidem rerum terrenarum puluerem poſſit pati, quin facile vim retundat diuina perſpiciendi. Quod ſi Chriſtus Dominus fideles omnes tam ſerio monuit *vt à b ſpinis cauerent diuitiarum, quibus facile docuit ſemen diuini verbi ſuffocari*, quid dictum putamus nobis, quos ipſius & imitatores eſſe voluit, & adiutores in diuino verbo diſſeminando? An non docuit idem cæleſtis magiſter in genere facilius fore, *c vt Camelus per foramen acus pertranſeat, quam vt Diues in cæleſte Regnum pedem inferat*? Et quomodo miniſtros ſuos, *quos vult* d *ibi eſſe vbi & ipſe eſt*, diuites huius mundi fieri patietur, & opibus terrenis, quæ adeo ingreſſum in cælum præpediunt, nimium abundare? Quoniam igitur omnes fere Chriſti ſacerdotes nimis facile lubenterq; in puluere hoc terreno volutamur; & fortaſſe id ita expedire nobis ſophiſmatis quibuſdam perſuademus, iam videamus qualem Eccleſiam Chriſtus inſtituerit, *opulentam ne & bonis terrenis diffluentem, an vero frugalitate conſpicuam & inſignem*? III. b Luc. 8.14. c Matt. 19. 24. d Io. 12.26.

CONSTAT ETIAM HIC LIBER CAPITIBVS DVODECIM.

Primum erit de parca miniſtrorum Chriſti ſuſtentatione.
Secundum de Decimis.
Tertium de origine beneficiorum.
Quartum de vſu bonorum Eccleſiaſticorum.
Quintum de dominio & adminiſtratione bonorum Eccleſiæ.
Sextum de auaritia & luxu ab Eccleſia expellendis.
Septimum de dominio Clericorum in ſuam portionem redditum Eccleſiaſticorum.
Octauum de Collatore beneficiorum.
Nonum de beneficiatis quinam eſſe debeant.
Decimum de auaritia Romanæ curiæ.
Vndecimum de Penſionibus & Commendis.
Duodecimum de Clericorum teſtamentis, & ſucceſſionibus.

CAPVT

CAPVT. I.

Eccleſiaſticos primitiuæ & veteris Eccleſiæ, ſine terrenis poſſeſſionibus fuiſſe ex liberis oblationibus cum magna frugalitate ſuſtentatos.

Svmma Capitis.

Frugalitas vitæ clericalis habet primum exemplum in Chriſto & in Apoſtolis n. 1. 2. vt ex piorum oblationibus viuant Clerici, quæ in miſſis abunde offerebantur, & ſatis erant ſæpe etiam pauperibus n. 3. 4. 5. 6. 7.

Vſus etiam oblationum erat ſobrius, & clericalis vita à diuitiis & proprietate abhorrebat, vt Patres docent à n. 8. ad n. 16.

Nec actionem iuris olim Clerici pro decimis, aut oblationibus habere voluerunt, potius ex laboribus propriis victum quærebant n. 17.

Paupertas veterum Prælatorum abſq; rerum proprietate obſeruatur, à n. 18. ad n. 23. Hinc titulus patrimonii in ſacris ordinibus reprehenditur n. 24.

Clerici tenebantur patrimonialibus bonis renunciare, n. 25. & hoc Chriſti documentum intendit. à n. 26. ad n. 31.

Obiectiones de proprietate olim clericorum ſoluuntur. n. 32. 33.

I. MORTALIS hæc vita tranſigi non poteſt, niſi plurimis corporis huius terreni, terrenis occurratur neceſſitatibus. An ignorauit hoc ille, *qui a volatilia cæli neq; laborantia, neq; congregantia in horrea paſcit abunde?* Ille qui nullius rei indigus cũ eſſet, factus propter nos homo mortalis, eſuriuit ſępiſſime & ſitiuit: ſudauit & alſit? ſciebat ſe, ſciebat & diſcipulos cibo, potu, & indumentis indigere. Qui tamen erat *b* Dominus terrę & plenitudinis eius, terrenas poſſeſſiones habere noluit. Diſcipulos quoq; ſuos ijſdem carere voluit. Audiuimus illum conquerentem. *c Volucres cæli habere nidos, & vulpes foueas; filium vero hominis non habere vbi reclinet caput ſuum.* Ad mortalem hanc vitam in neceſſariis ſuſtentandam à piis perſonis adiumenta voluit accipere. *Dum enim d iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans Regnum Dei, & duodecim cum illo, mulieres aliquæ, vt Maria Magdalena, Ioanna, Suſanna, & aliæ multæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Quem igitur magis decet imitari in hoc quoque Dominum ſuum, quam eos, qui loco ipſius poſiti, *pro illo e legatione funguntur in terris?* Eodem modo iuſſit initio ſuis Apoſtolis, vt in prima miſſione ex fidelium eleemoſynis vitam tranſigerent. *f Nolite*, inquit, *poßidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam: Dignus enim eſt operarius cibo ſuo.* Hoc præceptum cur non ſemper vigeat etiam apud Apoſtolorum ſucceſſores? Ratio profecto operariorum perpetuo eadem eſt, vt digni ſint cibo ſuo ab ijs accipiendo, pro quibus operantur.

a Matt. 6. 26.
b Pſ. 24. 1.
c Luc. 9. 58.
d Luc. 8. 1. 2.
e 2. Cor. 5. 20.
f Matt. 10. 9.

II. A Chriſto igitur ſic edocti diſcipuli, & ipſi relictis omnibus propriis terrenis fortunæ adiumentis, alienæ ſe pietati pro humanis neceſſitatibus commiſerunt, quos piæ mulieres propriis ſuſtentabant facultatibus. Sic enim Paulus loquitur. *g Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi. ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Docetque pluribus eos, qui miniſterio inſtant verbi, & ſpiritualia tradunt populo, debere omnino ab ipſo populo accipere alimenta. Et Domini inſtitutionem hanc eſſe expreſſam ait idem his verbis. *h Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere. i De Euangelio viuunt*, inquit Proſper, *qui nihil proprium habere volunt, qui nec habent, nec aliquid habere concupiſcunt, non ſuorum ſed communium poſſeſſores. Quid eſt aliud de Euangelio viuere, niſi laborantem inde, vbi laborat, neceſſaria vitæ percipere?* Quamuis ipſe Paulus noluerit hac vti poteſtate, *ne quod*, inquit, *offendiculum demus Euangelio: ſed maluit propriis manibus arte ſua k Scenofactoria ſibi victum l laborando comparare.* Atque ita fideles ipſi præparabant Apoſtolis, & Chriſti miniſtris omnia vitæ neceſſaria, oblationeſq; conferebant: ex quibus tam ipſi Apoſtoli & prædicatores, quam etiam alij, ſuſtentabantur.

g 1. Cor. 9. 5.
h 1. Cor. 9. 14.
i Proſper de vita contempl. l. 2. c. 14. in Concil. Aquiſgr. c. 111.
k Act. 18. 3.
l 1. Cor. 4. 12.

III. Ex facto *m* Abraham, qui poſt victoriam inſignem, qua liberauit Sodomorum Regem & ſocios ac Loth patrem, ab offerente Rege partem exuuiarum, nihil voluit accipere, exceptis paucis cibariis, pulcherrime colligit Cyrillus Alexandrinus, quid deceat Chriſti ſacerdotes. Ait enim *n Quamuis pro hominum qui perierint ſalute ſancti viri bellum gerant ac ſtrenue certent, omnemque laborem ſubeant, à mundo tamen nihil accipiunt, neque terrenas opes colligunt, in quo euitant maxime illam, quæ exiſtere inde ſolet, exprobrationem; Ne dicas*, inquit, *quod ego ditaui Abram. Tantum cibos accipiunt, qui ab iis quos iuuerint ſuppeditantur: o Dignus eſt enim operarius mercede ſua: & iis, qui Euangelium annunciant p ex Euangelio viuere præcepit Chriſtus.* Confirmauit profecto Chriſtus circa ſuos miniſtros id, quod Dominus iuſſerat in veteri teſtamento, *vt tota tribus q Leui, ſacris miniſteriis deputata nullam in terris partem haberet, ſed à reliquis tribubus decimis & oblationibus ac primitiis ſuſtentaretur.* Vnde optime Hieronymus Clerici vitam deſcribens, inter cætera, ait, *r Si autem ego Domini pars ſum, & funiculus ha-*

m Gen. 14. 23.
n Cyril. de adorat. in ſpi. & ver. l. 4. ad fin.
o Luc. 10. 7.
p 1. Cor. 9. 14.
q Num. 18. 20. Deu. 10. 9. Ioſ. 13. 14.
r Hie. ep. 2.

lus hæreditatis eius, nec accipit partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Leuita & ſacerdos viuo de decimis. & altari ſeruiens altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar.

IV. Altaris porro oblationem vocat Hieronymus, quia fidelium oblationes potiſſimum in Miſſa fiebant. Occaſione enim panis & vini in Euchariſtiam ad populi communionem cõſeruandorum (quæ ab ipſis fidelibus offerebantur) nõ modo panem & vinum, quantum ſatis eſſet ad communionẽ fideles ipſi, ſed multo plus, ita vt ad ſuſtentationem etiam ipſorum miniſtrorum, & pauperum abundaret, offerebant: ſicut olim in teſtamento veteri ex ſacrificiis ipſis ſacerdotes *a* victitabant: Adipem n. vel partem aliquam adolebãt, reliquum comedebant. Sane Iſchyrion Diaconus Alexandrinus, inter alia crimina quæ impingit Dioſcoro ſuo Epiſcopo impio, hoc ex probrat. *b Quod frumentum, quod à pijſſimis Imperatoribus Eccleſijs Libyæ (propter ariditatẽ illius prouinciæ, & quia omnino ibi triticum non naſcitur) præſtitum eſt, in primis quidem vt incruenta ex ipſo hoſtia offeratur; deinde vt & peregrini, nec non & prouinciales pauperes aliquod mereantur ſolatium, non permitteret ſuſcipere, ſed venderet, &c.* Innocentius primus ad Decentium Eugubinum ſic reſcribit: *c De nominibus vero recitandis, antequam precem ſacerdos faciat, atq; eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commẽdet, quam ſuperfluum ſit & ipſe pro tua prudentia recognoſces, vt cuius hoſtiam nec dum Deo offeras, eius ante nomen inſinues quamuis illi incognitũ ſit nihil. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, vt inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, vt ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus.* Et quia refrigeſcente charitate oblationes huiuſmodi in deſuetudinem abibant, cogebantur ſancti Patres eas datis interdum Eccleſiaſticis decretis reſtituere & reparare. Concilij Matiſconenſis ſecundi Canon eſt huiuſmodi, *d Decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, vt per has immolationes & peccatorũ ſuorum faſcibus careant & cum Abel, vel ceteris iuſte offerẽtibus promereãtur eſſe conſortes.* In ſynodo quadam Romana ſub Gregorio ſeptimo tale editum eſt decretum; *e Vt omnis Chriſtianus procuret ad miſſarum ſolẽnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam quod Deus per Moyſen dixit, f* Non apparebis in conſpectu meo vacuus. *Etenim in collectis ſanctorum Patrum liquido patet quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex vſu ſanctorũ Patrum debent.* Antiquæ Collectæ noſtrorum miſſalium plurimæ munera populi, & oblationes cõmemorant: & in canone miſſę oramus, tum pro ijs, pro quibus offerimus: tum pro ijs, qui offerunt; id eſt, pro ijs, qui interſunt miſſæ, panẽ & vinũ obtulerũt.

a 1. Reg. 2. 16.

b In actis Concil. Chalced. ad Leonem Papam.

c Innoc. 1. ep. 29.

d Concil. Matiſcon. 2. c. 4.

e Greg. 7. l. 6. poſt ep. 1.

f Exod. 23. 15.

V. Hinc eſt quod Patres Concilij Colonienſis año Domini 1549. ita loquuntur, *g Fuerunt & aliæ primitiarum, decimarum, & liberalium votorum, oblationes, quibus in Eccleſia præter ſacrificia ſpiritualia mactationis vitiorum, gratiarum actionis, laudis & ſeruitutis, quæ diuinæ Maieſtati debetur, ſucceſſerunt etiam rerum temporalium ad vſum miniſterii neceſſariarum oblationes, quas olim in primitiua Eccleſia magnis ſtudiis offerebãt in Miſſa; quo ſuffragiis eiuſcemodi ſacerdotes & Eccleſiæ miniſtros ſuſtentarent. Vnde adeo locupletatæ ſunt initio Eccleſiarum res, etiam perſecutionis tempore, tanta copia, vt poſt ſacerdotum & miniſtrorum alimenta partiti ſint eas in alimenta viduarum, orphanorum, & pauperum; in veſtes item & vaſa miniſterii, ornatum, & fabricam Eccleſiarum; de quibus extant adhuc antiqui Patrum Canones; extant quoq; orationes quas ſecretas appellamus ſub offertorio Miſſæ, quibus oblationes populi Deo commendantur. Qui mos offerendi ſemper fuit in populo fideli retentus ad nouiſſima vſq; hæc iſta ſecula. Verum etſi tam alta originis & ratione tam ſancta ſubnixa iam tota prope abire cœpit in deſuetudinem.*

g Concil. Colon. c. 20.

VI. Atque ex his potiſſimum oblationibus panis & vini Clerus ipſe in primis in *h* communi, vnica & communi menſa alebatur. Imo temporibus adhuc Innocentij tertij *i* Clerici ex communitate bonorũ Eccleſiaſticorum cibariis & veſtibus fruebantur. & quid aliud erant diſtributiones quotidianæ, niſi huiuſmodi bonorum quotidiana ad victum diſpenſatio ijs, qui quotidianis etiam obſequiis, Eccleſiis talibus bonis abundantibus, inſeruiebant? Imo & numerus Cleri ſtatus & præfixus in ſingulis Eccleſiis habebatur, vt non plures miniſtri *k* ordinarentur in ipſis, niſi quot ex piorum oblationibus ordinariis poſſent ſuſtentari. Vbi vero eleemoſynæ & oblationes abundabant, quod Cleri honeſtæ ſuſtentationi ſupererat, etiam in viduas, pupillos, & pauperes, erogabatur: ex quo ſane fiebat, dum prædictæ adhuc ipſæ oblationes adminiſtrabantur, vt piorum fidelium omnes eleemoſynæ in Eccleſiam ad Eccleſiaſticos *l* miniſtros deferrẽtur. Eo n. pauperes omnes confugiebant, & omnibus abunde ſuppetebat; quia vita Clericorum omnium, etiam Epiſcoporum, erat (vt debet) modeſta & humilis, parca & frugalis; ideoq; adminiſtratio eleemoſynarum erat fidelis, & perſpicua; & proinde fidelium diuitum manus largiſſima. Audiamus Ioannem Chryſoſtomum, quid de Eccleſia dicat Antiochena; *m Habens prouentum Eccleſia quot per ſingulos dies viduis ſufficiat quot virginibus, cogita: Nam ad trium millium aſcendit numerum earum Catalogus: & præter has quot carcerum inhabitantibus: quot in xenodochiis laborantibus: ſanis, & peregrinis, corpora habentibus mutilata, altari aſſidentibus, & victus, & veſtitus cauſa ſuppliciter quotidie accedentibus: & nihil tamen de ſubſtantiis diminutum eſt:* Iam n. oblationes etiam prædiorũ & poſſeſſionum fiebant in gratiam tamen ſemper eleemoſynarum, vt dicam inferius. Et Ambroſius, *n Scio pleroſq;* inquit, *ſacerdotes, quo plus contulerunt plus abundaſſe: quoniam quicunq; bonum operarium videt, ipſi confert, quod ille ſuo officio diſpenſet: ſecurus, quod ad pauperem ſua perueniat miſericordia. Nemo enim vult, niſi pauperi proficere ſuam collationem. Nam ſi quem aut immoderatum, aut nimis tenacem diſpenſatorem viderit, vtrunq; deſpiciet; ſi aut ſuperfluis erogationibus diſſipet alieni fructus labores, aut recondat ſacculis.*

h Diſt. 32. c. Præter.

i 12. q. 1. c. dilectiſſimis.

i De verb. ſignif. c. olim de Cle. non reſid. c. de cætero.

k De inſtit. c. Nonam pluresin Eccleſia c. Auctoritate.

l Chryſoſt. hom. 21. in 1. Cor.

m Chryſ. hom. 33 ad pop. Ant.

n Ambroſ. de offic. l. 2. c. 16.

VII. Nolim interim quis putet oblationes illas priores fuiſſe quidpiam firmum & ſtabile, adeo vt repetũdis eſſent obnoxij, qui illas negarent. Ait n. Tertullianus *o modicam vnuſquiſq; ſtipem menſtrua die vel cum velit, & ſi modo poſſit, apponit: Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.* Cum igitur menſtrua eſſet hæc publica collatio, menſtrua etiam erat collationis diuiſio in clerum. De qua eſt illud Cypriani qui Celerinũ & Aurelium confeſſores in numerũ Lectorum adlegerat, eiſq; presbyteralem portionẽ attribuerat. *p Cæterum presbyterii honorem,* inquit ad Clerum, *deſignaſſe nos illis iã ſciatis: vt & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diuiſiones menſurnæ* hoc eſt menſtruæ *æquatis quantitatibus partiantur.* Honorem presbyterij vocat partẽ presbyteralem iuxta illud Pauli. *q Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Quam partem Cyprianus vocat *ſportulas*. Vnde & ij, qui Eccleſiaſticæ partis, hoc eſt talium ſportularum erant participes fratres, ab eodem vocantur *r ſportulantes*. Et quoſdam ſuos Clericos ob abſentiam ab Eccleſia, punit idem Cyprianus ablatione *ſ* menſurnę diuiſionis. At vero in Tertulliano loco eodem paulo ante citato habemus etiam fuiſſe in Eccleſia arcas, in quib. oblationes huiuſmodi, quæ ſupererãt, tanquam

o Tertul. in apol. c. 39.

p Cypr. l. 4. ep. 5.

q 1. Tim. 5. 17.

r Cypr. l. 3. ep. 5.

ſ Idem l. 3. ep. 1.

quam depoſita ſeruarentur, ad pauperum ſuſtentationem.

VIII. Quamuis vero fidelium oblationes copioſiſſimę eſſent in Eccleſiis, ipſi tamen Epiſcopi & Clerici ac viri omnes Eccleſiaſtici, & Eccleſiæ miniſtri, pręter victũ, & veſtitũ, corporaleſq; neceſſitates, & valde ſobrie, nihil aliud ex illis ſibi ſumebant; ſed modeſtam frugalemq; vitam à luxu & vanitatibus ſæculi remotiſſimam agebant, ex ipſa Chriſti, & Apoſtolorum inſtitutione. Vt propterea diuitias quæ eſſent ſupra neceſſitates, Eccleſiaſticos plurimũ dedecere olim Patres ſancti cõſtanter docuerint atq; monuerint: vt aliquid innui huius operis lib. 6. cap. 8. Certe Origenes ſacerdotes Chriſtianos, ſi poſſeſſionibus eſſent opulenti, comparat ſacerdotibus *a* Pharaonis. Ait enim. *b* *Refertur ſane, quod terra ſacerdotum Ægyptiorum non ſit in ſeruitutem redacta Pharaoni, neque cum cæteris Ægyptiis vendiderint ſemetipſos, ſed quod extrinſecus acceperint vel frumenta, vel munera, non à Ioſeph, ſed ab ipſo Pharaone, & propter hoc tanquam familiariores cæteris non vendiderint terram ſuam Pharaoni; ſed per hoc nequiores eſſe cæteris oſtenduntur, qui pro nimia familiaritate, quæ erat eis cum Pharaone, nihil immutationis recipiunt, ſed permanent in mala poſſeſſione; & ſicut iis, qui in fide & ſanctitate profecerunt; dicit Dominus.* *c* Iam non dico vos ſeruos, ſed amicos. *Denique vis ſcire quid interſit inter ſacerdotes Dei, & ſacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit ſacerdotibus ſuis, Dominus autem ſacerdotibus ſuis partem non concedit in terra, ſed dicit eis,* Ego ſum pars veſtra. *Obſeruate ergo, qui hæc legitis, omnes Domini ſacerdotes, & videte quæ ſit differentia ſacerdotum, ne forte qui partem habent in terra, & terrenis cultibus ac ſtudiis vacant, non tam Domini quam Pharaonis ſacerdotes eſſe videantur. Ille eſt enim, qui vult ſacerdotes ſuos habere poſſeſſiones terrarum, & exercere agri, non animæ culturam: ruri non legi operam dare. Chriſtus autem Dominus noſter ſacerdotibus ſuis quid præceperit audiamus,* *d* Qui non abrenunciauerit, *inquit*, omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Contremiſco hæc dicens. Meus enim primo omnium; meus inquam ipſe accuſator exiſto, meas condemnationes loquor; negat Chriſtus ſuum eſſe diſcipulum quem viderit aliquid poſſidentem, & eum qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, & quid agimus? quomodo hæc aut ipſi legimus, aut populis exponimus, qui non ſolum non abrenunciamus his, quæ poſſidemus, ſed & acquirere volumus ea, quæ nunquam habuimus antequam veniremus ad Chriſtum? Nunquid vero, quia nos redarguit conſcientia, tegere & non proferre quæ ſcripta ſunt, poſſumus? nolo duplicati criminis fieri reus: Confiteor hæc palam populo audiente: confiteor hæc ſcripta eſſe, etiamſi nondum impleſſe me noui. Sed ex hoc ſaltem commoniti feſtinemus implere; feſtinemus tranſire à ſacerdotibus Pharaonis, quibus terrena poſſeſſio eſt, ad ſacerdotes Domini, quibus in terra pars non eſt, quibus portio Dominus eſt. Talis enim erat & ille, qui dicebat.* *e* Tanquam egentes, multos autem locupletantes. Vt nihil habentes & omnia poſſidentes. *Paulus hic eſt, qui in talibus gloriatur. Vis audire quid etiam Petrus de ſe ipſo pronunciet. Audite eum cum Ioanne pariter profitentem, & dicentem.* *f* Aurum & argentum non habeo. *Vides ſacerdotum Chriſti diuitias: vides nihil habentes quanta & qualia largiuntur? iſtas opes largiri non poteſt terrena poſſeſſio.* Idem alibi: *g* *Sed citius*, inquit, *hæc referamus ad nos, quibus lex Chriſti, ſi eam ſequamur; nec poſſeſſiones in terra, nec in vrbibus domos habere permittit, & quid dico domos, nec plures tunicas; nec multam concedit poſſidere pecuniam. Habentes enim victum & veſtitum, his contenti ſimus.* Hæc omnia Origenes. Qui quia patrimonium adhuc retinebat, ſe præceptum Chriſti, de omnibus renunciandis nondum impleſſe dolet, & totus cõtremiſcit. Eodem frugalitatis Spiritu etiam ſubſequens Eccleſia per longiora tempora recta, à diuitiis & opulentia abſtinuit.

a Gen. 47. 22.
b Orig. in Geneſ. homil. 16.
c Io. 15. 15.
d Luc. 14. 33.
e 2. Cor. 6. 10.
f Act. 3. 6.
g Idem Orig. homil. 15. in Leuit.

IX. Hilarius, *h* *Renunciandum*, inquit, *eſt ſæculo, omnibuſque rebus eius, vt nobis Deus portio ſit. Cæterum ſi nos ambitio detineat: ſi cura pecuniæ occupet: ſi illecebræ libidinum capiant: ſi negotia rerum familiarium demorentur: portio nobis Dominus non erit, ſecularium curarum atque vitiorum poſſeſſione detentis. Moyſi cum iuſſum eſſet portiones incolatus diſtribuere duodecim gentibus Iſrael, ita de tribu Leuitica præceptum eſt:* Filiis Leui non erit portio; neq; ſors in medio fratrum ſuorum, quia Dominus Deus eſt pars eorum; *Et rurſum ſcriptum meminimus;* Ego Dominus pars eorum. *Nulla ergo Deo ſeruientibus lex data terram eſſe voluit portionem, quia pars eorum Deus eſſet. Meminit & Euangelii prædicator ille Petrus, nullam ſibi eſſe portionem poſſeſſionis humanæ cum oranti alimoniam reſpondit.* Aurum & argẽtum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. *Quid eſt iſtud Petre quod poſſides? Renunciaueras omnibus Deo tuo dicens.* Ecce nos omnia dereliquimus, & ſecuti ſumus te, quid erit nobis? Tantum ille.

h Hilar. in pſ. 118. litera Heth.

X. Gregorius Nazianzenus commendans ſuos ſacerdotes populo, ita loquitur. *i* *Tu quidem mercedem dediſti meis ſermonibus, quam & dediſti. Si vero tibi tribuunt & adducunt pauperes, totum chorum ſacerdotum, chorum Philoſophorum, qui nullis coerceri poteſt vinculis, ſed ſolum corpora poſſidet: atqui nec illa penitus, qui nihil habent, quæ ad Cæſarem pertinent; ſed omnia ad Deum; hymnos, preces, vigilias, lachrymas: opes incomprehenſibiles: mori mundo: viuere Chriſto: carnem exinanire; animam abſtrahere à corpore.*

i Nazian. orat. excuſatoria cur abſtinuerit à functione Eccl.

XI. Hieronymus frequens eſt in ſacerdotum paupertate commendanda: *k* *Quaſi Leuita*, inquit, *& ſacerdos viuo de decimis, & altari ſeruiens altaris oblatione ſuſtentor: habens victum & veſtitum, his contentus ero: & nudam crucem, nudus ſequar. Obſecro itaque te* (alloquitur Nepotianum Clericum) *& repetens iterum iterumque monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ putes; id eſt, ne lucra ſæculi, in Chriſti quæras militia; ne plus habeas, quam quando Clericus eſſe cœpiſti, & dicatur tibi,* *l* Cleri eorum non proderunt eis. Hæc pluribus exaggerat Hieronymus; quia & mos & lex erat, de qua infra, vt non niſi pauperes ad Clericatum aſſumerentur: & ſi quis diues, ac patrimonio pollens id exoptaſſet, diuitias relinquere & patrimonio cedere tenebatur. Vt nimirum panem Chriſti: hoc eſt panem pauperum & oblationes, ſoli pauperes comederent: & is non in luxum, ac delitias, ſed in ſolis & veris neceſſitatibus inſumeretur. Et vbi ab Apoſtolo Paulo formari Principem Eccleſiæ, hoc eſt Epiſcopum, docet: inter alia idem Hieronymus ait; *m* *Epiſcopus qui imitator Apoſtoli eſſe cupit, habens victum & veſtitum, his tantum debet eſſe contentus.* *n* *Qui altari ſeruierint, de altari viuant. Viuant, inquit, non diuites fiant. Vnde &* *o* *æs nobis excutitur de zona, & vna tantum tunica induimur, nec de craſtino cogitamus. Turpis lucri appetitio eſt plus quam de præſentibus cogitare.*] Et alibi: *p* *Eſt autem*, inquit, *vnum Chriſtianorum genus, quod mancipatum diuino officio & deditum contemplationi & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt Clerici, & Deo deuoti, hoc eſt conuerſi.* Κλῆρος *enim Græce, latine ſors, inde huiuſmodi homines vocantur Clerici, id eſt ſorte electi. Omnes enim Deus in ſuos elegit. Hi nanque ſunt Reges, id eſt ſe & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent, & hoc deſignat corona in capite.*

k Hier. ep. 2.
l Hier. 12. 13.
m Hier. in ep. ad Tit. c. 1.
n 1. Cor. 9. 13.
o Matt. 10. 9.
p 12. q. 1. c. duo ſunt.

Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Eccleſiæ, in ſignum Regni, quod in Chriſto expectatur. Ratio vero capitis eſt temporalium omnium depoſitio. Illi enim victu & veſtitu contenti, nullam inter ſe proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Quænam ſint decimæ, quas Hieronymus commemorat, ſequenti cap. videbimus.

XII. De Auguſtino vero illud inter cætera ſcribit Poſſidius. *a Pauperum ſemper memor erat, eiſque inde erogabat, vnde & ſibi ſuiſque omnibus ſecum habitantibus; hoc eſt vel ex redditibus poſſeſſionum Eccleſiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. & dum forte vt aſſolet de poſſeſſionibus ipſis inuidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle ſe ex collationibus plebis Dei viuere, quam illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati. & paratum ſe illis cedere, vt eo modo omnes Dei ſerui & miniſtri viuerent, quo in veteri teſtamento leguntur b altari deſeruientes, de eodem comparticipari, ſed nunquam id laici ſuſcipere voluerunt.* Agnoſcebat ſane vir præſtantiſſimus, Eccleſiæ lumen celeberrimum, miniſtros Chriſti plurimum curam terrenorũ dedecere, & eos, ex Apoſtolica ſaltem inſtitutione, ſi non etiam diuina vel maxime ex quotidianis piorum oblationibus viuere debere. Auguſtini plenum ſenſum circa bona terrena Eccleſiaſticorum inferius videbimus loco opportuniore. Chryſoſtomus, *c Ego*, inquit, *Eccleſiæ præſules audenter dixerim, nil præter victum & veſtitum habere oportere.* Et infra cap. 3. huius libri oſtendam quantopere abhorreat idem Chryſoſtomus ab adminiſtratione ſola temporalium, etiam in gratiam & beneficium pauperum; nedum ab ipſorũ ſollicita, & anxia poſſeſſione. Ambroſius vero ait, *d Cui Deus portio eſt, nihil debet curare niſi Deum, ne alterius impediatur neceſſitatis munere: Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic noſtro officio decerpitur. Hæc enim vera eſt ſacerdotis fuga, abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio chariſſimorũ, vt ſui etiam ſe abneget qui ſeruire Deo geſtit.*

a Poſſid. in vita Aug. c. 22.

b 1. Cor. 9. 13.

c Chryſoſt. hom. 15. in 1. Tim.

d 12. q. 1. c. cui portio.

XIII. Gregorius quoque à veteri illa Eccleſia non Spiritu, ſed tempore ſatis remotus bona temporalia Romanæ Eccleſiæ, tanquam piorum eleemoſynas agnoſcit, iiſque ad ſolas neceſſitates, & non niſi pro laborum meritis ac mercede, ſibi vtendum eſſe docet, & egregie diſſerit, ita ſcribens. *e Conſiderandum eſt, quod vni noſtro operi duæ mercedes debentur; Vna in via, altera in patria, vna quæ nos in labore ſuſtentat, alia quæ nos in reſurrectione remunerat. Merces itaque quæ in præſenti accipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad ſequentem mercedem robuſtius tendatur. Verus ergo quiſque prædicator non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem recipiat, ſed ideo mercedem recipere, vt prædicare ſubſiſtat. Quiſquis nanque ideo prædicat, vt hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna procul dubio mercede ſe priuat: quiſquis vero vel ea, quæ dicit, ideo placere hominibus appetit, vt dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipſe ſed Dominus ametur; vel idcirco terrena ſtipendia in prædicatione conſequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam laſſetur; huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil obſtat in patria, quia ſumptus ſumpſit in via. Sed quid nos (quod tamen ſine dolore dicere non poſſumus) quid nos ô paſtores agimus, qui & mercedem conſequimur, & tamen operarij nequaquam ſumus? Fructus quippe ſanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia minime in prædicatione laboramus. Penſemus cuius damnationis ſit ſine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium viuimus; ſed nunquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in ſtipendium noſtrum ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem, vel orationis ſtudio, vel prædicationis, vt dignum eſt, inſudamus. Vix pro culpa ſua quempiam aperta voce reprehendimus. & adhuc, quod eſt grauius, aliquando ſi perſona in hoc mundo potens ſit, eius forſitan etiam laudamus, ne ſi aduerſemur, per iracundiam vnus ſubtrahat quod impendebat.* Ac pergit oſtendere Gregorius illos ſacerdotes *f peccata populi comedere, qui peccata eorum fouent, à quibus ſtipendia accipiunt:* & ſubdit. *Sed & nos qui ex oblationibus fidelium viuimus, quas illi pro peccatis ſuis obtulerunt, ſi comedimus & tacemus, & eorum procul dubio peccata manducamus.* Papa Romanus erat Gregorius, & ex oblationibus, hoc eſt eleemoſynis liberis, quas ſubtrahere poſſent fideles, neceſſarium duntaxat victum, & hunc pro ſuo labore, ſumebat; non vt ditaretur, nec vt ſuos ditaret; ſed vt in laboribus ſuſtentaretur, ne ex indigentia labores pro Chriſti Eccleſia deſerere cogeretur. Docetque ibidem *g non eſſe comedendos fructus terræ Eccleſiæ abſque pecunia:* hoc eſt abſque prærogatione talenti verbi: alioquin enim vult ad damnationem de Eccleſia ſtipendium ſumi alimentum; quanto magis ad damnationem erit ex Eccleſia diuitias magnas, ſiue ad proprium luxum, ſiue ad purum mundanum faſtum congerere; & pauperum alimenta in *h* vanitates & inſanias falſas conuertere: ſed de hoc plura inferius.

e Greg. homil. 17. in Euang.

f Oſeæ 4. 8.

g Iob 31. 39.

h Pſ. 39. 5.

XIV. Audiamus nunc etiam Bernardum à veteri Eccleſia adhuc longe remotiorem *i Alienis*, inquit, *laboribus locupletantur Clerici; comedunt fructus terræ abſque pecunia.* Alienos labores oblationes intelligit & alibi Hieronymi dictum repetens, conatur auariores Clericos retundere, & non decere eos eſſe diuites oſtendere dicens: *i Sed & presbytero (nempe Hieronymo) cui forſitan derogare timebunt quantum ſanctus eſt, vt liceat ſolita Spiritus libertate, nullis blanditiis palpare neminem, ſed nude nudam promere veritatem. Clericus* (inquit) *qui partem habet in terra, non habebit partem in cælo.* Itemque *Clericus ſi quippiam habuerit propter Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis Dominus pars eius fieri non dignatur.*

i Bernar. in Declamat. vbi quo illa verba, ecce nos reliquimus omnia.

XV. Digna eſt Petri Bleſenſis Bernardo contemporanei, optima admonitio, quæ hic attexatur. Is ita ſcribit ad quendam Epiſcopum. *k Titulus paupertatis glorioſus eſt apud Chriſtum: & quæ Filium Dei decuit, vos dedecere non debuit. Princeps Apoſtolorum & Præſulum dicit: l Aurum & argentum non eſt mihi. Magnus etiam Auguſtinus m teſtamentum nullum fecit, quia vnde faceret, pauper Chriſti, non habuit. Veſtri officij eſt viuere de Euangelio, ſicut conſtituit vobis Dominus; non incedere pompatice in veſtium cultu, in equorum faſtu, in multitudine clientelæ.*

k Bleſ. ep. 147.

l Act. 3. 6.

m Poſſidius in vita Aug.

XVI. Quæ ex antiquitate protuli, ſint nobis radij directi priſtinæ lucis; quæ vero ex recentioribus adduxi ſint quaſi radij reflexi eiuſdẽ lucis. Video poſtea tempora eſſe immutata, Eccleſiaſticoſq; mores, atq; in Eccleſia in hoc genere conſuetudines maximam cepiſſe variationem. Solent, fateor, quæ ſunt iuris duntaxat humani poſitiui vno tempore ſeruari, alio vero, ita requirẽtibus occaſionibus, antiquari. Quod ſi clericalis paupertas non eſt, niſi iuris poſitiui humani, maneat proprietas penes Clericos, & vſum tantũmmodo, atq; abuſum rerum temporaliũ Eccleſiaſticarum moderẽtur. Ego, quæ hac in parte inuenio atq; obſeruo proponã ſimpliciter, quo etiam propendeam innuam interdum; ſed ex iis, quæ à me proponentur, bona cuiuſq; Clerici conſciẽtia iudicet, num proprietas, & abſolutum dominium redditunm Eccleſiaſticorum, decimarum, & oblationum iure humano ſolo poſitiuo ſint cenſenda & regulanda, an potius iure diuino naturali. Si enim ab humano Eccleſiaſtico iure iſta pendent;

tam

iam veterum dicta explicabunt quid eccleſia eo tempore ſeruauerit, non quid perpetuo clericis, circa bona temporalia eccleſiaſtica ſeruandum ſit: ſecus erit, ſi Iuris diuini præſcriptum adſit. Scio non deeſſe ſcholaſticos, vtinam non palpones, nec a *conſuentes puluillos ſub cubitu manuum noſtrarum & ceruicalia ſub capitibus noſtris ad capiendas animas noſtras, qui dicant*, b *Hoſpatres non loqui cum clericis, qui diuitiis bene vtuntur, ſed cum iis qui diuitiis abutuntur: & ſuadere conentur hac eſſe conſilia, non præcepta*, qua de re ex ſequentibus rectum formetur iudicium.

a Ezech. 13. 18
b Tho. 22. q 85. Sixt. Senen. Bibl. l. 6. annot. 221

XVII. Inſtructiones inuenio naſcentis, & adoleſcentis eccleſiæ, per quas ita miniſtri ſuſtentantur ex oblationibus, & eleemoſynis, vt tamen eas autoritatiue exigere non poſſent. Sane Paulus ergà quem erant adeo liberales fideles, *vt ne c oculos quidem proprios ei ſi ſi eſſent negaturi, ſi opus fuiſſet*, maluit tamen vt etiam ſupra alia occaſione notauimus ex d *labore manuum ſuarum viuere*, quam ex oblationibus ipſis, etiam dum abunde poterant ſuppetere: non quod hoc ei non liceret, ſed *ne offendiculum daret euangelio*, & grauiſſima eſt Hierony. admonitio: e *Nunquam*, inquit, *petentes, raro accipiamus rogati: Beatius enim eſt magis dare quam accipere: neſcio enim quomodo etiam ipſe qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſterius veneratur.*] Vnde edocti Patres Concilii Carthaginenſis IV. vel ne & ipſi grauarent fideles, & obicem ponerent Euangelio, vel forte quia oblationes contractiore manu conferrentur, f *Clericus*, inquiunt, *victum, & veſtimentum ſibi artificio, vel agricultura, abſque officii ſui duntaxat detrimento paret.*] Et, *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat.*] Et, *Omnes Clerici qui ad operandum validi ſunt & artificiola, & litteras diſcant.*] Patres quoque Concilii Cabilonenſis ſub Carolo Magno g *Animarū*, inquiunt, *ſalutem inquirere ſacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neque circumueniendi. Oblatio namque ſpontanea eſſe debet, iuxta illud quod ait Scriptura.* h Voluntarie ſacrificabo tibi, *& illud*; i Omnis populus mente deuota obtulerūt donaria Domino. *Eccleſia vero ſancta non ſolum fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, &c.*]

c Gal. 4. 15.
d 1. Cor. 9. 12.
e Hieron. ep. 2.
f Concil. Carthag. 4. c. 51. 52. 53.
g Concil. Cabilon. c. 6.
h Pſ. 53. 8.
i Exo. 35. 21

XVIII. Inuenio etiam temporibus Conſtantini Magni Eccleſiæ miniſtros fuiſſe pauperes, & ex ſolis eleemoſynis eos victitaſſe; Scribit enim Theodoretus, ipſum nempe Conſtantinum ſtatim poſt Concilium Nicænum literas dediſſe ad Prouinciarum præfectos, mandaſſeque, k *Vt certus frumenti numerus Viduis, & iis quæ perpetuam ſeruant virginitatē, quin etiā illis, qui diuinis miniſteriis obeundis cōſecrati ſunt, in ſingulis ciuitatibus quotannis ſuppeditaretur, eumq́ue non tam egentium neceſſitate, quam ſui ipſius magnificentia menſus eſt. Huius congiarij tertia pars adhuc ſuppeditatur: quippe impius tyrannus Iulianus totum penitus abſtulerat ille quidem, ſed qui ei ſucceſſit in Imperio hoc, quod iam ſuppeditatur, donari mādauit. Fames enim quæ tum graſſabatur ſubſidia, quæ talibus tribui conſueuerant, exiguā admodum effecerat. Quod ſi congiarium quod id temporis à Conſtantino donatum erat, triplo maius fuit, quam quod iam datur, facile vnde quiſq́ue, ſi modo voluerit, Imperatorum magnificentiam poterit perſpicere.*] Hucuſque Theodoretus; ex quo habemus etiam illius tempore Eccleſiaſticos ex congiario publico; h. e. ex publicis eleemoſynis ab Imperatoribus ex publico ærario decretis neceſſaria vitæ conquiſiuiſſe.

k Theod. l. 1. c. 11.

XIX. Notiſſimum etiam eſt, adeo pauperes fuiſſe Epiſcopos per plura poſt Chriſtum ſæcula, vt ad Concilia generalia properantes, propriis ſumptibus iter longius non poſſent peragere, ſed l equis, iumentis rhedis, aliiſq́; vecturis, quibus publicus confici ſoleret curſus, conceſſione Principum vterentur. Vt vidimus lib. 6. c. 5 n. 18. & l. 7. c. 3. n. 32. Sed & Theodoretus ipſe, qui de congiario ſcripſit vt modo dicebam, egregie, ex ſuo exemplo Epiſcoporū ſummam deſcribit paupertatē. m *Quod autem*, inquit, *cū tot annis fuerim epiſcopus, non domū poſſederim, non agrū, non obolum, non ſepulchrū, ſed ſpōte electam amplexus ſim paupertatem, & quæ nobis à parentibus obuenerant, poſt illorū mortē ſtatim diſtribuerim, norunt omnes qui in Oriente habitāt.*] Adeoque aſſuetus pauperem vitam ducere, in maxima egeſtate exul, vix Coepiſcoporū admittebat, quæ illi ei eleemoſynæ nomine adiumenta mittebāt. Sic enim ad Vranium Emeſæ Epiſcopum reſcribit. n *Id quidē certo ſcito, ô Domine, quod cum alii Deo dilectiſſimi Epiſcopi eulogias mihi miſerint, illas minime accepi, non quod illos qui eas miſerunt, contempſerim, ſed quia adhuc ab eo neceſſarium victum habemus, qui etiam coruis abundanter illum largitur: tuæ vero pietati nihil tale feci.*] Aliqui ſane o Epiſcopi ne viaticum quidem habebant, quo ad ſuas eccleſias Conſtantinopoli remearent, niſi eis Imperator, ac Imperatrix eleemoſynis opem tuliſſent, immo etiam victui neceſſario dum eſſent in eadem vrbe pro negotiis religionis eleemoſynæ Imperatricis occurrerunt. Et quidam p Epiſcopus eccleſiaſticus adeo pauper fuit, vt niſi ei Gregorius Papa hyemalem veſtem tranſmiſiſſet, frigore fuerit interiturus.

l Euſeb. l. 3 de vita Conſt. c. 6. Sulp. ſacr. hiſt. l. 2. Theod. l. 1. c. 16. Niceph. l. 10. c. 14. Literæ Conſtant. 4. init. 6. Synod.
m Theod. epiſt. 113. apud Baron. to. 6. an. 449. n. 111.
n Theod. ep. 123. apud Baron. Ibid. n. 127.
o Baro. to. 5 an. 401. n. 22. 32.
p Greg. l. 10 ep. 53.

Proprium eccleſiaſticorum ſemper fuit, vt ſine grauiori cura temporalium, vitam degerent, à propriis diuitiis remotiſſimi. q *Ignominia*, inquit *Hieronymus, ſacerdotis eſt, propriis ſtudere diuitiis.*] Et præclare Iudæ proditori comparat Gerſonius virum eccleſiaſticum, r *qui ſpreta* inquit, *parte ſua ditiſſima, egenam auaritiam conſectatur*:] partem vero propriam Clerici dicit eſſe Dominum, iuxta illud ſ *Dominus pars hæreditatis meæ*: Et, t *pars mea Deus in æternum.* Obſeruat vero etiam & illud egregie idem Gerſonius in eodem ſermone. Christum exemplo ſuo docuiſſe non magnipendendam eſſe apud eccleſiaſticos prælatos temporalium curam; ſiquidem talem curam Iudæ reprobo, furi, ſacrilegoque tradiderit, nolueritque huiuſmodi ſollicitudine premi Apoſtolos ſanctiores, qui & ipſi poſtea u Diaconos ab extra ad hoc munus aduocarunt, & illud à ſe abdicarunt. XX.

q Hieron. ep. 2.
r Gerſ. ſer. in cœ. Do. ad eccleſ. Caut.
ſ Pſ. 15. 5.
t Pſ. 72. 26.
u Act. 6. 2.

Pauperes porro & à terrenis opibus remotiſſimos putam eccleſiam ſuos Clericos voluiſſe, vel inde colligo manifeſte, quod neminem in album ſuorum miniſtrorū adſcribere vnquā voluerit, qui vel conditione ipſa pauper & egenus non eſſet, vel volūtate; ita vt ſi quis patrimonio cōmodus eſſet, patrimonio ipſi cedere ipſum oporteret, ſi Clericali militiæ nomen dare cuperet. Audi Hieronymū, x *Quoniam quicquid habent Clerici*, inquit, *pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes, ſuſceptioni peregrinorum, & hoſpitum inuigilare debent.*] Et poſt pauca y *Clericos autem illos conuenit eccleſiæ ſtipendio ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragantur: Qui autem bonis parentum & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperū eſt accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducāt & bibunt.*] Et alibi, z *Procuratores*, inquit, *& diſpēſatores domorū alienarum, atq; villarū, quomodo poſſunt eſſe clerici qui proprias iubentur contēnere facultates?* Proſper etiā fuſius idē docet; Ait n. a *Expedit facultates eccleſiæ poſſideri, & proprias perfectionis amore contemni; non enim propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates,* XXI.

x 16 q. 1 cap. fin.
y 1. q. 2. c. Clericos.
z Hieron. ep. 2.
a Proſp. de vita contemp. l. 2. c. 9 apud Concil. Aquiſg. c. 35.

& ideo quiſquis omnibus quæ habuit dimiſſis, aut venditis, fit rei ſuæ contemptor, cum præpoſitus fuerit factus eccleſiæ, omnium quæ habet eccleſia efficitur diſpenſator.] Affert exẽplum Paulini & Hilarij, qui Clericatum aſſumpturi, omnia ſua etiam ingentia prædia aut parentibus reliquerunt, aut pauperibus erogarunt,
a Luc.14. 33. iuxta illud Chriſti, a *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* Et addit poſtea. *Quod habet eccleſia, cum omnibus nihil habentibus commune habet: nec aliquid inde eis qui ſibi de ſuo ſufficiunt erogat: quando nihil aliud ſit habentibus dare quam*
b Proſp. l.2. c.10. apud Cõcilium Aquiſgra. c.107. *perdere.*] Et rurſus idem: b *Nec illi,* inquit, *qui ſua poſsidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, vnde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis dicit per Prophetam Spiritus ſanctus.* c Peccata populi mei comedunt.
c Oſe 4.8. *Sed ſicut nihil habentes proprium, non peccata ſed alimenta (quibus indigere videntur) ſuſcipiunt, ita poſſeſſores, non alimenta, quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt.*] Et paulo poſt. *Illi quoque, qui velut idonei, nihil ſibi quidem dari velut debitum poſcunt, ſed tamen eccleſiæ ſumptibus viuunt, non eſt meum dicere quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiunt, qui eccleſiam, quam iuuare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſupergrauant.*] Et poſtea: *Si propter hoc non vult ſua quiſque relinquere, vt habeat vnde viuat, vt quid accipit vnde rationem reddat? vt quid peccatis alienis ſua multiplicat?*]
d In eod. Concil. Aquiſgr. c.108. Et poſt hæc: d *Sacerdos,* inquit *fideliter diſpenſat accepta, qui omnia ſua aut parentibus relinquit, aut Pauperibus diſtribuit, aut eccleſiæ rebus adiunxit, & ſe in numero pauperum paupertatis amore conſtituit: ita vt vnde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe tanquam pauper voluntarius viuat. Clerici quoque quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectiſsimæ virtutis vita neceſſaria, ſiue in domibus ſuis, ſiue in congregatione viuentes, accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, ſed cogit viuendi neceſſitas.*] Relinquit tamẽ liberum, vt ſi quis diues vult eſſe Clericus, fiat, ſed ex Eccleſiaſticis bonis nihil ſumat; *Eccleſia enim,* inquit, *non reddit præmium laboranti, ſed præſtat tantum neceſſaria indigenti, vt in futuro præmiũ laboris ſui recipiat. Iſte vero quodãmodo & ipſe ſua relinquit, quando propriis cõtentus rebus, nihil eorum, quæ labori vel ordini ſuo deberi arbitratur, accepit: quia nouit deforme eſſe, vt poſſeſſor de eleemoſynis pauperum paſcatur.*] Immo vero nimium fortaſſe rigidus, Clericos etiam pauperes non ſatis tuto arbitratur
e Ib. c.107. Proſper accipere victum ab eccleſia, e *ſi ſe poſsint,* inquit, *ſuis artificiis aut laborib. expedire, ne præſumant arripere, quod debet debilis & infirmus accipere: ne forte eccleſia, quæ poteſt omni ſolatio deſtitutis neceſſaria miniſtrare ſi omnes etiam nihil indigentes accipiant, gratuita illis quibus debet ſubuenire non valeat.*] Et ſane in more tunc fuiſſe poſitum, vt eccleſiaſtici, ex proprio diuites, eccleſiæ bonis non ſuſtẽtarentur: Habemus etiam in
f Chryſ. de Sacerd. l.3. c.15. Chryſoſt. vbi ait, f *Populum aliquando eligere diuitem in Epiſcopum, vt non indigeat alimentis, ex eccleſiæ prouentibus quæſitis.*]

XXII. Accedat huc Autor ſermonũ ad fratres, in
g Aug. ſer. 52. ad fra. in heremo. Heremo, qui in perſona Auguſtini ſic loquitur. g *Quicunque* (ex meis fratribus) *habet aliquid, aut vendat & eroget, aut donet & commune illud faciat. Eccleſiam habet, per quam Deus nos paſcit: faciant de ſuis rebus quod volunt, dum tamen ſint pauperes, mecum ſimul expectantes miſericordiam Dei.* Et poſt nonnulla: *Nemini tollo Clericatum, nolenti mecum communiter viuere, ſed habet Deum, qui mecum manere vult. Si paratus eſt paſci à Deo per eccleſiam ipſius, non habere debet aliquid proprium; ſed aut erogare pauperibus: aut in commune mittere mecum, qui hoc non vult, habeat libertatem vt videat vtrum habere poſſit felicitatis æternitatem.* Habet ibidem & illud: *Sane etiam hoc nouerit charitas veſtra dixiſſe me fratribus meis qui mecum manent, vt qui unque habet aliquid, aut vendat, & eroget, aut donet & commune illud faciat.*] Conabatur iſte ad priſtinum viuendi modum clerum reducere, ſiquidem iam à ſanctis inſtitutis paſſim clerici deflexerant, ideoque addit: *Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus & eccleſia ſua, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt, non eis aufero Clericatum. Quantum ſit periculum, ante eius oculos poſui, faciat quod vult. Ego ſcio quantum mali ſit profiteri ſanctum aliquid nec implere.* h *Vouete,* inquit, *& reddite Domino Deo veſtro: & melius eſt non vouere, quam vouere & non reddere.* h Pſ.75.
---Clericus duas res profeſſus eſt, & ſanctitatem & clericatum: interius ſanctitatem. Nam Clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit ceruicibus ipſius, cui magis onus eſt quam honor.] Pergitque oſtendere, ſi bona retineat & à ſola eccleſia nolit nutriri, non eſſe niſi dimidium Clericum: hoc eſt illum habiturum Clericatum, ſed ſine ſanctitate. Perfectum vero Clericum habere duo & Clericatum & ſanctitatem, quã ſanctitatem impoſſibilem ordinarie cenſet hic autor, ſi Clericus velit curam terrenorum retinere: curam nimirum etiam ſui patrimonii. Hæc ponderent alij. Certe Auguſtinus ſiue potius Paulinus, lætum in Clericatu tyronem, ſerio monet his verbis: i *Si quid ſane pecunia rei tuæ familiaris habet, cuius te implicari negotio nec oportet nec decet, reuera tribuendum eſt matri, & domeſticis eius. Horum quippe indigentia, ſi pauperibus, vt ſis perfectus, inſtituiſti diſtribuere talia, tibi primum apud te locum obtinere debent.* k *Si quis enim ſuis & maxime domeſticis,* ait Apoſtolus, *non prouidet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Quod ſi dicas ad clericos tantum regulares ea pertinere, qui voto ſe obſtrinxerint paupertatis: accipe quæ pluribus in eandem ſententiam vere diſſerit Auguſt. in lib. de contemptu mundi primis capitibus: vbi ab omnibus clericis omnem aufert proprietatem, infra, num. 30. huius cap. i Aug. ep. 3?. k 1. Tim 5. 8.

Legibus poſitiuis ciuilibus fateor cautum reperimus, ne ad Clericatum aſſumerentur nobiles & diuites, ſed pauperes tantum, & leges ſunt l Conſtantini, quod ſi ſecus factum fuiſſet, Clerici illi etiam ſacerdotes facti, ab onere curiali non erant immunes. Audi Ambroſium, m *Si priuilegium quærat ſacerdos, vt onus Curiale declinet, patria atque auita, & omnium facultatum poſſeſſione cedendum eſt. Quomodo hanc Gentiles ſi haberent, ingrauarent querelam? Quomodo feriat miniſterij ſui emat totius patrimonii ſui damno, & priuatus vniuerſæ commoditatis diſpendio, vſum publici mercetur obſequij? prætendens communis ſalutis excubias, domeſticæ inopiæ ſe mercede ſolatur, quia miniſterium non vendidit, ſed gratiam comparauit.*] XXIII. l C. Theodoſ. de ep. & Cler. l.1. & l.6. m Ambr. ep.31.

Chriſti Domini exemplo, Apoſtolorum inſtitutione, & eccleſiæ ſanctæ exacta ac diutina obſeruatione, ſanctiſſimorumque Patrum ſeuera admonitione, Eccleſiaſtici qui ex eccleſiæ bonis debent nutriri & ſuſtentari, à bonis patrimonialibus auocantur, vt pauperes pauperum vitam tranſigant in eccleſia, Eccleſiaſticis Eleemoſynis, & oblationibus adiuti, pro ſola neceſſitate: nunc vero, proh dolor, ſub Romana quam multi ad ſacros non admittuntur ordines niſi ad titulum patrimonii. Cauent profecto n leges Papales, vt nemo ordinetur, niſi ſufficientem habeat titulum, vel beneficii eccleſiaſtici, vel patrimonii; quoniam nimirum bona eccleſiaſtica quæ ſufficientiſſima eſſent ad copioſiſſimos, non modo Clericorum, ſed etiam pauperum greges alendos, à pauciſſimis opimis prælatis abſorbentur, ac propterea multiplicant illi ſuos clericos ad ſolum titulum patrimonii. Sane vbi eccleſia eſſet pauper, clericus aſſumi poterat XXIV. n Concil. Lateran. ſub Alex. III. par. 1. c.5. Trident. ſeſſ. 21. c.2. de ref.

erat cum ſuo patrimonio, modo inſinuet ipſi eccleſiæ, abſque oblationum participatione? Alioquin piaculum fuit, vt vidimus, aliquem Clericum, & patrimonium retinere, & eccleſiæ bonis frui. De quo paulo poſt: nunc ad noſtra.

XXV. Laudat Hieronymus verum monachum in Paulino, illis verbis: *a Tunicam mutas cum animo, nec pleno marſupio glorioſas ſordes appetis: ſed puris manibus, & candido pectore pauperem te, & ſpiritu & operibus gloriaris.*] Irridet vero monachos diuites, & abundãtes; dum addit; *Nihil eſt enim grande triſti & lurida facie, vel ſimulare, vel oſtentare ieiunia, poſſeſſionum redditibus abundare, & vile iactare palliolum. Crates ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, cum ad philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, nec putauit ſe ſimul poſſe & virtutes & diuitias poſſidere: nos ſuffarcinati auro Chriſtum pauperem ſequimur; & ſub prætextu eleemoſynæ priſtinis opibus incubantes, quomodo poſſumus aliena fideliter diſtribuere, qui noſtra timide reſeruamus? Plenus venter facile de ieiuniis diſputat.*] Loquitur Hieronymus de illis, qui retinentes ſibi ſua patrimonia, monaſticam vitam ſint amplexi; eoſque merito irridet, quia proprietas bonorum, cum profeſſione monaſtica pugnat omnino. Sed eam pugnare etiam cum vita Clericali, ordinaria aliqua ſuadent. Paupertatem enim Clericalem ſuis miniſtris Chriſtus videtur præcepiſſe; at monachalem paupertatem homines voluntarie excogitarunt, paupertas Clericalis, quatenus occupationes temporales aufert, neceſſaria eſt ad prædicationem, & ad alia ſpiritualia miniſteria, monachalis vero tota eſt ad ſolam directa pænitentiam. Propterea quicquid de paupertate monachorum dictum inuenio, id totum nihil minus ad Clericos ſpectare opinor. Cum præſertim monachi ipſi & regulares à Clericis, qui in primitiua eccleſia Apoſtolica fuerunt, vitæ pauperis formam ſumpſerint, eamque ſibi imitandam propoſuerint. Aliam profecto monachiſmi inſtitutionem non agnoſcit *b* Bernardus niſi ab Apoſtolis. Et Hieronymus *c* Clericos vocat Patres monachorum. Sed quam remoti ab ea ſint monachi & regulares plurimi, terrenis bonis etiam in communi opulentiſſimi, dicam poſtea cap. quinto huius libri: videamus iam quid de Clericorum paupertate nobis tradatur. Iure profecto diuino potius quam ſolo humano paupertatem, cum amotione diuitiarum, ac proprietatis, & frugalitatem eſſe Clerico bonæ conſcientiæ neceſſariam, mihi quidem ipſe facile perſuadeo, ita tamen, vt quid ipſe ſentiam, & cur ita ſentiam exponam, aliis vero meliora iudicia integra relinquam. Praxis antiquæ Eccleſiæ, & Patrum dicta à me hactenus recenſita certe plus quã ius humanum explicant: Sed iis addo ante omnia Chriſti Domini factum, ac dictum. Is enim inuitauit iuuenem illum diuitem, non ad Monachatum, ſed potius ad Clericatum: hoc eſt, ad ſui ſequelam corporalem; quam ſtatum perfectionis vocauit dicens *d Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.*] *e Non enim ſequi Chriſtum aliter poſſumus*, inquit Chryſoſtomus de Eccleſiaſticis, *niſi omnis ſæcularis curæ ſimus expertes.*] Per curam vero ſæcularem intelligit bonorum temporalium poſſeſſionẽ, vt ex antecedentibus, & conſequentibus ibidem patet; vbi Eccleſiaſticis dictum illud, *Vade & vende omnia quæ habes*, docet proprie conuenire. Quod optime intellexit Petrus, nam & ſtatim ſubintulit ſuo, & reliquorum Apoſtolorum & Diſcipulorum, h. e. Clericorum, nomine: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Atque vt doceret Chriſtus ſe ſuorum miniſtrorum curam geſturũ, etiam pro neceſſitatibus corporalibus, quos terrena omnia præſidia relinquere volebat, reſpondit Petro; *f Nemo eſt, qui reliquerit domũ, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrẽ, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantũ nunc in tempore hoc, domos & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus: & in ſæculo futuro vitam æternam.*] Atque hoc ſane fuit polliceri ſuis miniſtris perpetuam aſſiſtentiam, curã, & protectionem, etiam circa vitæ neceſſaria, modo relinquerent omnia, & expediti ſoli euangelio operam darent. Sic enim ipſo inſpirante inuenturi erunt fideles erga ſe liberales & promptiſſimos ad vitæ neceſſaria ſuppeditanda. *g Qui enim voluerit pauper fieri*, inquit Chryſoſt. *ſecundum Dei ſermonem, ei omnium domus patent. Nihil enim propter Deum poſſidenti, quiſq; res ſuas elargitur, qui enim parua iniuſte poſſidere vult, cunctorum ſibi oſtia claudit.*] Item, dum explicat verba illa Pauli, *h Sicut egentes, multos autem locupletantes*, ait; *i Nam quidam dicunt diuitias hic apppellari ſpirituales: ego vero dixerim etiam carnales; Etenim & illi locupletes erant nouo quodam modo, habentes omnium domos ſibi apertas: & hoc manifeſtauit per hoc quod poſtea dixit, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes: & quomodo hoc eſt? Immo quomodo contrarium eſt? Nam qui multa poſſidet, nihil habet; qui autem nihil habet, bona omnium poſſidet. Si autem miraris, quomodo eſt quod nihil habens, omnia habet; illum ipſum in medium adducamus qui orbi imperabat* (intelligit Paulum) *& non ſolum diuitiarum illorum, ſed etiam oculorum illorum dominus erat*; *k ſi fieri poſſet* inquit, *oculos veſtros eruiſſetis & dediſſetis mihi.*] Et poſt pauca. *Quem enim vt Angelum ciuitatis ſuſcipiebãt, pro quo oculos erutos dediſſent, pro quo ſuam ceruicẽ ſubieciſſent, quomodo hic non omnia quæ illorum erant poſſidebat?*]

XXVII. Quod aſſerit Chryſ. de Paulo id in omnib. ſemper veriſſimum fuit Apoſtolis, quos *l* piæ etiã mulieres ſuis facultatibus ſuſtentabant, & iugi ſequela fouebant, manibus etiam propriis cibos eis præparantes, & neceſſaria miniſtrantes; Et Chriſti dictum atq; promiſſio firma ſemper in omnibus eius miniſtris & euãgelij prædicatoribus perſeuerauit: & adhuc perſeueraret, niſi nimia & diffidentia & auaritia nos eccleſiaſticos, *vt cum m vxore Lothi retro reſpiceremus*, male peruaſiſſet, & ad terrena lucra, ſub prætextu eccleſiaſtici miniſterii, peſſimi habiti, cõuertiſſet. Quid mirum enim quod manus fidelium ſint contractæ, oblationes ceſſarint, eleemoſynæ exoleuerint, ſi nos ipſi egregie ditati laicis ipſis etiam ditiſſimis inuidiam exciamus? quis miniſtris eccleſiaſticis bona ſua erogabit, ſi bona eccleſiaſtica, quæ ſunt à pijs fidelibus ad hoc donata eccleſiis, vt ipſi miniſtri eccleſiaſtici & pauperes inde alerentur, omnia in paucorum luxum, & pluſquam laicalem ſplendorem cernantur abſorpta? Nõ refriguit charitas Chriſtianorum; ſed illam extinxit auaritia eccleſiaſticorum, vt inferius fuſius oſtendetur. Si iuxta Chriſti præceptum nos omnes eccleſiaſtici, ac præſertim Prælati; *relinquerẽmus omnia propter n regnum Dei & o Euangelium*; nobis etiam domus omnes diuitum eſſent apertæ; & ex promiſſo Chriſti vbique patribus & matribus & fratribus & ſororibus & agris; h. e. alienorum agrorum fructibus abundaremus. Eccleſiaſtico viro olim finis fuit Euangelium, ſuſtentatio vero eccleſiaſtica, medium: nunc finis noſter eſt ſuſtentatio ex bonis eccleſiæ, medium vero, officium eccleſiaſticum.

XXVIII. Plurimũ momenti hactenus poſui in verbis illis Chriſti

Marginal notes: a Hiero. ep. 13. — b Bernard. Apolog. ad Guilielm. Abb. — c Hieron. ep. 10. — d Matt. 19. 21. — e Chryſo. homil. 86. in Matt. — f Mat. 10. 29. — g Chryſ. in 1. Cor. ho. 13. — h 2. Cor. 6. 10. — i Chryſ. in 2. Cor. homil. 12. — k Gal. 4. 15. — l 1. Cor. 9. 5 — m Gen. 19. 26. — n Luc. 18. 29. — o Mat. 10. 29.

a Luc. 14. 33. Chriſti: *a Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* quæ ego, ſicut erga communes Chriſtianos conſilium continere non dubito, ita etiam præceptiua eſſe clericis, hoc eſt Chriſti miniſtris vehementer opinor. Iccirco hic ad finem huius primi capitis ab obiectionibus illa vindicari facile poſſe oſtendo. Vt enim in ipſis b Bellar. l. 2 de monachis c. 13. præceptum non agnoſcat Bellarminus, *b* Dicit cum c Aug. ep. 89. *c* Auguſtino, loqui Dominum de animi præparatione. Sed conſideret quæſo, Auguſtinum diſputare contra quoſdam, qui cum ipſi addicti vitæ perfectiori, hoc eſt, vt ego arbitror, clericali, diuitias reliquiſſent, ad id Chriſtianos omnes diuites teneri, prædicabant, ſi vellent ſalui eſſe. Hunc errorem refellit Auguſtinus & proferentibus illis locum Euangelii iam dictum explicat ille: ſi locus ad omnes Chriſtianos ſit accommodandus, profecto intelligendum eſſe quoad animi præparationem, vt diuites Chriſtiani parati ſint etiam diuitias contemnere, vbi vel ipſis eſſent amittendæ, vel Chriſti fides & ſalus æterna deſerenda. Nam etiam alio d Aug. ep. 38. loco *d* conſiderans diuites Chriſtianos, explicabat locum hunc ita, vt renunciare omnibus, quæ ſua ſunt, idem ſit, quod odiſſe patrem, matrem, vxorem, filios, fratres, ſorores, & animam ſuam. Vbi vero ad Clericum accedit, id eſt ad ipſum lætum, de quo ego ſupra, non permittit ei, vt pecuniam retineat, & cum ſola animi præparatione renunciet, ſed monet, vt actu ipſo illam matri & domeſticis relinquat, & alibi locum eundem de actuali renunciatione explicat aperte, vt patebit inferius num. 36.

XXIX. Loqui porro Dominum de vera & actuali renunciatione poſſeſſionum temporalium, & de diſcipulis ipſius, qui eſſent eius aſſeclæ, vt erant Apoſtoli & miniſtri in Euangelio, ſatis apparet ex ſacro e Matt. 19. 21. textu. Nam iuueni cuidam dixit, *e Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & ſequere me:* certe non dixit, vt venderet in præparatione animi: & Petrus qui optime intellexit Chriſti mentem ſubintulit: *Ecce nos reliquimus omnia*, profecto reliquerunt actu, & non ſola animi præparatione, & dum Chriſtus ſtatim ſubdit, *Bonum eſt ſal, &c.* quis non videt ipſum loqui de renunciatione reali, qua Apoſtoli omnia ſua reliquerunt? Ad Apoſtolos enim & Eccleſiaſti- f Matt. 5. 13. & Mar. 9. 50. cos pertinet, *vt ſint f ſal peculiari quadam ratione*: non ad reliquos: cum ergo ſit neceſſaria renunciatio realis aliquibus diſcipulis, ſine qua diſcipuli Chriſti eſſe nequeunt, qui nam erunt iſti niſi Apoſtoli, & eorum ſucceſſores? Intelligit itaque Chriſtus non poſſe eſſe eius diſcipulum, ex illis qui ipſum ſequuntur corporali ſequela; officio & miniſterio, non ſola imitatione remotiori, qui eſt ipſemet clericatus, niſi is, qui vult eſſe talis diſcipulus, actu ipſo renunciauerit omnibus terrenis poſſeſſionibus, & bonis temporalibus. Eſt ergo conſilium Chriſtiano vt fiat clericus; præceptum vero eſt, *ſerua mandata*, ſi tamen vult eſſe perfectus, & clericatum libere amplectetur, iam meo iudicio, præceptum erit ei, vt renunciet omnibus, quæ poſſidet, & ſi non renunciabit, Chriſti diſcipulus ex illis intimis non erit & conſequenter neque clericus. Ad quos etiam ſolos id potiſſimum ſpectat, quod ait Chriſtus, antequam ad ſequelam ipſius accedant, cogitent bene, *ſicut illi, qui vult turrim ædificare: & ſicut Rex commiſſurus bellum cum alio Rege*: quia vita clericalis plena patientiæ, paupertatis, charitatis, &c. ardua cum ſit, & admodum difficilis, facile contingere poteſt, vt quis retro reſpiciat ac refugiat, quod non eſt de vita communi Chriſtianorum: iccirco præmonentur futuri clerici, vt prius præmeditatis difficultatibus illius vitæ, videant quomodo ſint parati, ad clericatum cum dignitate ſuſtinendum.

Certe Auguſtinus aut quis alius, in euangelio mandata aliqua inuenit ſpecialia, alia communia & inter mandata ſpecialia Canonicorum, Clericorum, & Monachorum propria hæc recenſet; *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ac ſequere me*; Et, *Omnis qui reliquerit domum, &c.* Et. *Vos qui ſecuti eſtis me, &c.* Additque, *g* *Hæc itaque fratres quanto ſingularia, tanto præcipua; quanto acriora, tanto Deo gratiora.* XXX. g Aug. de contem. mund. c. 15.

Dicit iterum Saluator noſter inter cætera, qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: qui dixit omnibus, nihil proprium à ſuis diſcipulis poſſideri voluit: qui quicquam poſſidet in terra, à Chriſti diſciplina remotus eſt. qui autem non eſt diſcipulus Chriſti, quomodo præſumit ſibi ligandi atque ſoluendi poteſtatem? Intendite fratres verba, euangelii, &c.] Et poſt pauca. *Nunquid illi habebant proprium, quibus magiſter indixerat,* h *Nihil tuleritis in via, de quibus Lucas Euangeliſta refert.* i *Erant eis omnia communia? Videte quid Petrus dixerit ad Ieſum,* k *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Qui omnia reliquerant, nihil ſibi retinuerant. Vnde ergo ſibi arrogant ligandi atque ſoluendi poteſtatem, qui in terra præſumunt, poſſidere facultatem? quomodo non erubeſcunt dicere Dn. pars hæreditatis meæ? Vbi eſt illud Apoſtolicum, Quæ conuentio Chriſti ad Belial? qui terrenas poſſeſſiones relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? ſi decimas cum filiis Leui accipiunt, quomodo inter cæteras tribus partem accipient? ſi nominis ſui etymologiam attendunt, cur clerici à ſorte dicti ſunt? niſi quia Dominus eorum ſors, vel hæreditas eſt: Cur ſaltem clericatus ſui ſigna, quib. à laicis diſcernuntur, non perpendunt. Non enim ſine cauſa capita eorum raduntur, & tondentur: ſed perſpicaciſſima & euidentiſſima ratione: Nam his ſignis ſecernuntur à laicorum conuerſatione.*] Et poſt nonnulla. *Per hoc ſignantes,* inquit, *malam terrenarum rerum ſolicitudinem, noſtræ mentis oculos ad Deum cõtemplandum impedire, &c.*] Hæc omnia Auguſtinus ſiue quis alius antiquus Autor. h Luc. 9. i Act. 4. k Matt. 19.

Hic illud etiam moneo, eſſe magnam differentiam inter hoc Chriſti dictum. *l Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; & inter illa, *m Qui percuſſerit te in vna maxilla, porrige alteram; qui te angariauerit, &c.* Hæc enim Auguſtinus merito explicat *n in præparatione animi, potius quam facto ipſo exequenda.* Illud vero iam puto, me oſtendiſſe à Chriſto de facto & reali executione prolatum, vt immerito Bellarminus *o* hoc dictum de renunciatione bonorum cum Auguſtino velit reducere ad animi præparationem, ad quam alia dicta, & non hæc Auguſtinus reducebat. Sicut & facile ei conceſſerim dictum quoque illud, *p Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, poſſe communiter omnibus Chriſtianis inſinuatum intelligi, quoad animi præparationem: Non enim communiter tenemur, & vix poſſumus iſta odiſſe, niſi in præparatione animi. Nihilominus tamen in Clerico puto etiam in actum reducendum, ita vt odium ſit contemptus & abdicatio, quippe qui ſi verus vult eſſe Chriſti miniſter, ad diſſeminandum euangelium per totum mundum teneatur relinquere actu, & parentes, & vxorem, & filios, & agros, & temporalia omnia, adhuc autem & animam; hoc eſt vitam ipſam offerre Domino pro Euangelii prædicatione, & eam libenter, ſi ſit neceſſitas, profundere. Certe Petrum & Apoſtolos deſeruiſſe domos, & filios, & vxores, & parentes, commemorat Chriſtus,* XXXI. l Luc. 14. 33. m Matt. 5. 39. n Aug. ep. 5. o Bellar. l. 1 de Cler. c. 26. & l. 2. de monach. c. 13. p Luc. 14. 26.

a Matt. 19. 27. *ſtus, quando dicente Petro,* a Ecce nos reliquimus omnia; *profecto actu ipſo, ſubintulit Dominus,* & omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem; aut filios, aut agros,&c.] Facile enim poteſt contingere,vt quis poſſit hæc omnia deſerere, & euangelij miniſterium in ſe ſuſcipere.

XXXII. Obijcit præterea nobis idem Bellarminus, primo Scripturam: b *Iubet enim,*inquit, *Apoſtolus eligi Epiſcopum* c *hoſpitalem, & qui domus ſuæ bene præſit, & ſubditos filios habeat; et hæc omnia præſupponunt diuitias proprias:* & d *Philemon ſeruum habuit, & diues erat, & tamen fuit Epiſcopus, vt aſſerunt Hieronymus, & Anſelmus in Epiſtola ad Philemonem.*Secundo Euſebium,e *Conſanguineos quoſdam Domini, & Epiſcopos, poſſeſſores propriarum hæreditatum inducentem.*Tertio *Canonem quadrageſimum Apoſtolorum diſtinguentem inter res Epiſcopi proprias. & non proprias: & confirmat idem ex Concilijs Agathenſ.*can.48. *Hiſpalenſ.*1. can.1.*& Martino Bracarenſ.* can.15. *ſuorum decretorum.* Quarto *Ambroſium Epiſt.*33. *qui offerebat patrimonium ſuum, non patrimonium Chriſti.* Quinto *Auguſtinum ſermon.*1. *de moribus Clericorum, qui permittit Clericos cum proprietate, ſi non voluerint communem vitam.* Sexto *Proſperum,permittentem ſimiliter* lib.2. cap.12. *vt Clericus poſſit ex patrimonio viuere. Addamus nos* ſeptimo *Cyprianum* f *hortos proprios habuiſſe* : *& de* g *propria ſua quantitate pecuniæ, ad redimendos captiuos: &* h *ad inopiam miſerorum ſubleuandam,ſubſidia miſiſſe.* Reſpondeo *ad primum.* Hoſpitalis poteſt eſſe, imo & debet Epiſcopus vtendo ad hoc bonis eccleſiaſticis quorum ipſe eſt diſpenſator, vt infra. Et ſi omnibus fidelibus ſuæ Diœceſis præeſſe debet, eoſque ad bonum ſpirituale inſtruere,cur non proprios filios & familiam? Idem dico de Philemone. *Ad ſecundum*; quanquam in Euſebii loco citato, nihil tale repererim, poterant tamen illi poſſeſſiones illas modicas non amplius vt proprias, ſed vt factas communes adminiſtrare interim, & ex eorum redditibus, ſe & alios pauperes alere. Sane Tertull. presbyter erat, & vxorem habebat, ac conſequenter domum & familiam: nunquid propterea aliquid proprium poſſidebat? dicat ipſe: i *Itaq,,* inquit, *qui animo, animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter vxores.*] Alebantur itaque Eccleſiaſtici & ipſorum familia, ex bonis communibus, & ſi quid proprium habebant, id in commune conferebant. *Ad tertium*: nihil prohibet quominus Eccleſiaſtici poſſint vſui ſui patrimonij cedere, & de dominio commodiori tempore diſponere, ſiue ſtatim aſſumpto Clericatu, ſiue poſt aliquod tempus, ſiue in fine vitæ. Poterant etiam vti propriis cum proprietate, modo ne contingerent bona eccleſiaſtica, iuxta Canonẽ Apoſtolorũ 41. vbi dicitur, *vt Epiſcopus accipiat ex bonis eccleſiæ pro ſua ſuſtentatione, ſi tamen indiget*; & idem habetur in Cõcilio Antiocheno c.25. & concedit Proſper: vt ſupra vidimus n.21. *Ad quartum*, Patrimonium ſuum piis vſibus iam deſtinarat Ambroſius, Ait enim ibidem: *Quanquam omnia quæ mea ſunt, eſſent pauperum.*] Ipſum ergo tanquam Epiſcopus vt cætera eccleſiæ bona adminiſtrabat. *Ad quintum* Auguſtinus Autorne alius, vt docuimus, generaliter, Clericum ſentit teneri ad vitam communem, & abdicationem propriorum: tolerat tamen aliquos poſſeſſores, tum quia Clericatum illis non vult auferre ad vitanda ſcandala, tum quia permitti poterat Clerico proprietas ſuorum bonorum, ſi ipſe eccleſiæ propriis impenſis voluiſſet inſeruire, nihil accipiendo ab eccleſia, vt nunc dicebam. *Ad ſextum* optime dixit Proſper illum, qui de proprio viuit, & ſeruit eccleſię, à bonis Eccleſiaſticis abſtinendo, poſſe merito dici omnia reliquiſſe. *Ad ſeptimum Cyprianus initio ſuæ conuerſionis,* k *Diſtractis rebus ſuis* vt ſcribit Pontius ipſius Diaconus *ad indigentiam pauperum ſuſtentandam tota prædia pretio diſpenſauit.*] *Imo etiam hos ipſos hortos,* vt idem ſcribit, *iam vendiderat, ſed Dei indulgentia* (ab emptore fortaſſe iam facto Chriſtiano) *ſunt reſtituti: quos ſtatim iterum in vſus pauperum vendidiſſet,* ait Pontius, *niſi inuidiam de perſecutione vitaſſet.* Propriam vero pecuniam alibi nominat, ſiue quia ex portione eccleſiaſtica ſibi debita eam ſubtrahebat (ſi tamen diuiſio prouentuum eccleſiaſticorum eo tempore fiebat illa, de qua poſtea canones emerſerunt, vt dicam infr. cap.7.) ſiue potius vt coniicio quia horti illi aliquos ei redditus ſuppeditabant, quos non amplius vt proprios, ſed vt pauperum adminiſtraret, ſiue demum quod propriis laboribus nonnihil acquireret; ſic enim confeſſores Romani ad eum ſcribunt, l *Ecce aliud gaudium noſtrum, quod in officio Epiſcopatus tui, licet interim à fratribus pro temporis conditione extractus es, tamen non defuiſti: quod literis confeſſores frequenter corroboraſti; quod etiam ſumptus neceſſarios de tuis laboribus iuſtis præbuiſti.*]

XXXIII Hoc igitur nos præcipue contendimus olim eccleſiaſticos, ſi voluiſſent bonis eccleſiæ ſuſtentari, debuiſſe cedere ſuis, aut ſi voluiſſent propria retinere, omnino ſolitos fuiſſe ab eccleſiaſticis bonis abſtinere. Et hoc eſt à me ſufficienter, vt arbitror, ex Euangelio, Conciliis & Patribus, probatum. Et hæc conſiderent illi, m qui vtriuſque generis bona permittunt Clerico: quos neque Bellarminus potuit approbare, n *Hi,* inquit, *intelligantur loqui de illis Clericis, qui neque ex patrimonio, neq, ex beneficio, ſufficientem omnino ſuſtentationem habent. Hi enim vtrunque retinere poſſunt, modo ex vtroque nihil accipiant præter ſuſtentationem, &c.*] Et de hoc agam inferius plenè. Hæc iam ſatis ſint, vt pateat duntaxat, Clericos olim ab eccleſiæ oblationibus & eleemoſynis ſuſtentari ſolitos, & à diuitiis fuiſſe remotiſſimos: eos præſertim qui ad euangelizandum eſſent varias regiones peragraturi. Sed fortaſſe alia ratio eſt eccleſiaſticorum miniſtrorum, poſt regionum conuerſionem ad Chriſtum, in ciuitatibus & eccleſiis iam fixe permanentium. & hoc poſtea conſiderabimus in ſequentibus.

Margin notes:
b Bellar. de Cler. l. 1. c.27.
c 1. Tim. 3. 2.
d Philem.
e Euſe. hiſt. l.3. c.19.
f Cypr. l.3. ep.1.
g Ibid. ep.8
h Idem l. 3. ep.24.
i Tertull. Apolog. aduerſ. gen. c.39.
k Pontius in vita Cypr.
l Inter Epiſtol. Cypr. l.5. ep.17.
m Gloſſ. & Turrecrem. in c. Cleric. 1. q.2.
n Bellar. de Cler. l.1. c.27.

CAPVT II.

CAPVT II.

Ius ſoluendarum Decimarum inter Chriſtianos etiam permanere.

SVMMA CAPITIS.

Decimæ ſunt præcipuum ſuſtentationis clericalis fundamentum, earum antiquitas primum commemoratur, & ad ius naturæ quodammodo reducuntur. num.1.2.3. Iudaicarum decimarum obligatio explicatur. n.4.5.

Poſt Chriſtum decimarum obligatio perſeuerauit n.6.

Sint ne de iure diuino indagatur: & primum pro parte negatiua argumenta ponuntur. numer.7. Deinde pro parte affirmatiua Patrum aſſertiones proferuntur. numer. 8. Eſſe eas de iure diuino omnino ſtatuitur, & declaratur, ac confirmatur. num.9.10.11.12. Argumenta contraria ſoluuntur. à n.13. ad n.26.

Documentum quoad praxim exigendarum decimarum, datur oportunum. n.27.

I. NOs Eccleſiaſtici præcipuum noſtræ ſuſtentationis, imo & opulentiæ fundamentum in iure Decimarum exigendarum collocamus: arbitramur quippe, ſi quod debitum eſt fidelis populi ad decimas Deo perſoluendas, id totum ad nos ſolos eccleſiæ miniſtros pertinere. Videndum igitur eſt hoc capite quodnam ac quale ſit ius & debitum decimarũ, alio vero capite de vſu ipſarum & aliorum eccleſiaſticorum prouentuum erit diſſerendum. Antiquiſſimus eſt mos inter Dei fideles decimas Deo perſoluendi: & in S. Scriptura quidẽ primus Abram reuerſus cum victoria, quam de aliquot Regibus, defenſo Sodomæo, & Gomorrhæo, nec non Loth fratris filio, reportarat, ex omnibus ſpoliis ſuæ victoriæ *a Decimas dedit Melchiſedeco Regi Salem, & ſacerdoti Dei altiſſ.* Iacob poſtea Abrahami nepos decimas & ipſe Deo ex voto pollicitus eſt: *b Vouit enim votum dicens: ſi fuerit Deus mecum: —cunctorum quæ dederis mihi, decimas offerã tibi.*] Hic ſane licet videatur Iacob libere ac voluntarie, & non vlla lege, vlloue præcepto diuino adactus cum Deo ex voto paciſci, vt ſi terram illam, in qua peregrinabatur, & in qua tunc dormierat, iuxta ſibi factam promiſſionem, ei aliquando daret & ſemini ipſius: *Terram enim in qua dormis* (dixerat Deus) *tibi dabo, & ſemini tuo*] tunc decimas omniũ quæ ex illa terra eſſent colligẽda ipſe annuatim Deo redderet: Hoc tamen votum non erat de opere ſupererogationis, ex iuſtitia Deo non debito, ſed erat votũ de re debita. Ex diuina enim lege naturali ſcripta in cordibus optime intelligebant priſci illi ſancti, notitiam Dei ex fide habentes, omnia bona etiam temporalia à Deo, non ex debito vllo iuſtitiæ, ſed ex ſola miſericordia, & benignitate hominibus donari, ac propterea ſe teneri partem aliquam Deo tanquam autori omnium bonorum, ac perfecto Domino refundere, & in ipſius ſpecialem cultum inſumere. Hanc vero partem decimam eſſe debere, Deo ſic inſpirante, & in cordibus eorum reuelante, omnino agnoſcebant: Sic Abram ex iis omnibus, quæ diuino beneficio aſſecutus fuerat, decimam Melchiſedeco, tanquam Dei altiſſimi ſacerdoti obtulit: Sic Iacob votum ſuum ad decimam præciſe reduxit, ac poſtea Deus expreſſe decimam ſibi deberi aſſeruit, non quidem titulo promiſſionis, & voti Iacobæi, ſed titulo ſui dominii: Ait enim, *c Omnes decimæ terræ. ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum Domini ſunt, & illi ſanctificantur.*]

a Gen.14. 20. & Hebræor.7.1.
b Gen.28. 20.
c Leuit.27. 30.

II. Ecce videmus à Deo ipſo non ceremonialem, aut iudicialem legem dari ſuo ſpeciali populo Iudæorum, ſed ius ipſius proprium exprimere & declarare: vt quod ante omnem legem ſcriptam, ex ſpeciali inſpiratione Abram ſeruauit cum Melchiſedeco, & Iacob vouit quoad decimam, id omnino ab omnibus Deo, iure ſuo proprio, deberi notum ipſe redderet & manifeſtum. Ipſo vero diuino lumine naturali impreſſum fuiſſe naturæ humanæ, vt parte decima bonorum ſuorum Deo ſupremo Domino tributum ſoluendum eſſe intelligeret, patet non modo ex facto Abrami & Iacobi, ſed etiã ex vſu poſteriore vel inter ipſos gentiles. Nam hi ſi aliquando numina, licet falſa, puta Herculem, vel Apollinem, &c. ex gratitudine beneficiorum aliqua parte vel bello, vel mercatura partorum, recognoſcere voluerunt, eam partem decimam eſſe intellexerunt. Pleni ſunt ſcriptores & noſtri & profani his decimarum gentilium, Herculi præſertim & Apollini ſolui ſolitarum, commemorationibus. Plautus in Sticho, & aliis comœdiis. Cic. de nat. Deo. lib.3. Plutar. in qq. Diony. Halicar. lib.1. Vlp. de pollicit. l.2. §.2. Tertull. Apologet. c.39. Clem. Alex. lib.1. Strom. &c. Gentiles vero potius ex propria naturali ratione decimam numini deberi cognouerunt, quam ex notitia legum Iudaicarum, quam pauciſſimi habuerunt.

III. Videbuntur alicui arbitrariæ fuiſſe huiuſmodi decimationes gentilium; ſed falletur qui ita cenſebit. Non. n. ideo arbitrariũ eſt, quod aliquis facit, quia alii id aut nõ faciunt, aut vix faciunt. Vbi ſane corrupti mores ſunt, & optimę leges datæ contemptui, ſi rarus ſit legum obſeruator, non ille arbitrarie faciet quod lege tenetur facere. Dei veri cognitio inter gentiles fere penitus erat obliterata, & conſequenter qui ignorabant Deum, ignorabant etiam quæ Deo iure naturæ debentur: pauci aliqui Deo deberi decimas agnoſcebant, & qui falſos Deos pro vero Deo colebant, falſis etiam Diis decimas, vero Deo debitas offerebant. Si aliquis ex Anthropophagis naturali rectæ rationi obſequens horreſcat epulas humanæ carnis, & ab illis vnus ſolus inter plurimos abſtineat, hæc profecto in eo non erit arbitraria abſtinentia, ſed lege naturæ debita & neceſſaria.

Quod

IV. Quod ergo Iacob Deo vouit, erat feudum Deo debitum tanquam Domino terræ; & ille optime ſciebat ſibi & poſteritati à Deo dominium duntaxat vtile illius terræ, non directum conceſſum iri, ac proinde merito ſtatuebat pro directo dominio Deo deberi ipſius proprium feudum, quod eſt decima omnium prouentuum; & hoc debitum vouet ſe impleturum. Idem porro debitum eſt penes omnes homines cuiuſcunque nationis ſint, ſed executio huius debiti apparuit in ſola natione Iudæorum, quia diutiſſime in ſola Iudæa ab integra natione notus fuit. Fruſtra vero quis ab infidelibus quæreret decimas, vt partẽ Deo debitã, qui Deum non agnoſcunt, & terræ ſuæ ſe putant plenam habere vtrunq; dominium, tam vtile, quam directũ: cum interim vt dixi, inter gentiles quoq; aliqui interdum hoc debitum agnouerint & ſoluerint, ſed in falſa numina à vero Deo tranſlatum. Deo tamẽ vero ſoluendum eſſe Iacob ſtatuebat, non ad vſum immediatum ipſius Dei, *qui a bonorum noſtrorum non indiget*, ſed ad illum vſum, quem Deus ipſe vellet, & ſignificaret ſibi placiturum, nempe in vſum potiſſimum rei ſacræ miniſtrorum: ab Auo enim ſuo Abrahamo didicerat decimas dandas eſſe Sacerdoti Dei altiſſimi. Quinam autem eſſent Sacerdotes ante legem Moſaicam non eſt adeo certum, id alii inquirant. Noſter Hieronymus *b Primogenitos omnes putat fuiſſe Sacerdotes.* Ait enim Deus ad Aaron, & ad totã tribum Leui, quos iam in miniſtros ſacrorum ſeparauerat, & deputauerat, *c In terra eorum nihil poßidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeßionem, pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.*] Et poſt pauca: *Nihil aliud poßidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vſus eorum, & neceſſaria ſeparaui.*] Addit tamen Deus loquens cum Moyſe: *Præcipe Leuitis atque denuncia: Cum acceperitis à filiis Iſrael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offeres Domino: id eſt decimam partem decimæ, vt reputetur vobis in oblationem primitiuorum, tam de areis, quam de torcularibus, & vniuerſis quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron ſacerdoti, &c.*] Rurſum quod ſpectat ad decimas, ſeu potius ad earum vſum, ait Dominus, *d Ad locum, quem elegerit Dominus Deus noſter, de cunctis tribubus veſtris, vt ponat nomen ſuum ibi, & habites in eo, venietis & offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras, decimas & primitias manuum veſtrarum, & vota atq; donaria, primogenita boum & ouium, & comedetis ibi in conſpectu Domini Dei veſtri, & lætabimini, &c.*] Et poſtea ibidem; *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, & vini, & olei tui, primogenita armentorũ & pecorum, & omnia, quæ voueris, & ſpõte offerre volueris, & primitias manuum tuarum; ſed coram Domino Deo tuo comedes illa in loco, quem elegerit Dn. Deus tuus, tu & filius tuus, & filia tua, & ſeruus, & famuli atq; Leuita, qui manẽt in vrbibus tuis, & lætaberis, & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam. Caue ne derelinquas Leuitem in omni tempore, quo verſaris in terra.*] Et ruſum: *e Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis, qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu Domini Dei tui in loco, quẽ elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur; decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis, & ouibus tuis.*] Hinc Hieron. triplex decimarum genus colligit fuiſſe in veteri lege præceptum: *f* Primam decimam pro Leuitis: Alteram decimam decimæ pro ſacerdotibus; Tertiam decimam ad comedendum, & conuiuia peragenda Hieroſolymis apud templum, ſimul cũ Leuitis: Imo quartum etiã decimę genus cognoſcit merito *g* quæ ſeparatur tertio quoq; anno integra poſt ſeparatas alias præcedentes, pro pauperibus.

a Pſ. 15. 2.
b Hier. ep. ad Euagr.
c Num. 18. 20.
d Deut. 12. 5.
e Deut. 14. 22. & 26. 11
f Hieron. in Ezech. c. 45
g Deut. 14. 28. & 26. 12

V. Vix tamen probabile videtur ad binas illas, & præterea tertio quoque anno ad ternas obligatos fuiſſe filios Iſrael ſeparandas decimas, cum Iacob vnicam decimã fuerit pollicitus; & nimis graue videtur onerare ſingulos, vt integram decimã frumẽti, vini, olei, & aliorũ fructuum ad templum deferrent, vt tantundem prorſus cõſumatur vno aut altero die *h* trium ſolennitatum in anno, in cõuiuiis, & epulis ſacris, cum Leuitis; quantum pro tota tribu Leuitica ſatis eſſet abunde ad ipſius, toto intẽgro anno, ſuſtentationem. Mihi itaq; videtur vnica ſola decima illa præſtare: Nam ſingulis annis ex tota decima nouem partes dabantur Leuitis in ipſis vrbibus, in quibus degebant, ab incolis illius vrbis cæterarũ tribuum; vna vero pars, ipſa videlicet decima decimę, ſimul cum aliis primitiis, votis, & oblationibus, ita ferebatur ad templũ pro ſacerdotibus, vt tamen ex eadem decima decimæ & primitiis ſemper aliquid reſeruarent pro epulis & conuiuiis feſtiuitatum; *Offeretis*, inquit, *decimas & primitias: h. e. ipſas decimas decimarũ, & decimam partẽ ſeparabis de cunctis fructib. & comedes:*] non quidem comedes totam decimã quam ſeparaſti: ipſius enim nouẽ partes dabis Leuitis, decimam vero illius decimæ partem ſimul cum primogenitis armentorũ & ouium, & aliis primitiis comedes in ſacris conuiuiis: neq; totam, quia maior ipſius & primitiarũ pars cedet in vſum ſacerdotũ; tu tamen eris particeps tuæ oblationis. Tertio tamẽ quoquo anno alia erat decima ſeparanda, & domi apud quemq; retinẽda, ad pauperes quoslibet etiã Leuitas, ſæpius reficiendos, & amicabili cõuiuio excipiendos. Itaq; additiones illæ priores videntur potius minuere Leuitarũ decimas, quam augere. Erat enim valde magna pars, vt tribus tertiadecima, & non nimis ampla, haberet partẽ totam decimã totius terræ; quia ergo abundabat, ideo Deus conceſſit quidẽ decimã Leuitis, ſed plurimis impenſis grauatam, in ſacerdotes nimirum, in pauperes & in ſolennitatũ publica cõuiuia. Semper enim Deus in ſuis miniſtris amauit parſimoniam, vt fruſtra noſtri ex capite abundantiæ decimarum Leuiticarũ arguant abundare nos etiã debere, qui altari Chriſti ſeruimus.

h Deut. 14.

VI. Certe vſus decimarũ pro eccleſiaſticis miniſtris etiã poſt Chriſtum Dn. in eccleſia eſt antiquus à primis ferme libertatis eccleſiaſticę temporibus. Mitto cõſtitutiones Apoſtolicas l. 2. c. 21. 31. 38. 39. l. 17. c. 30. l. 8. c. 36. Hiero. Sane, *i Quaſi Leuita*, inquit, *& ſacerdos ex decimis oblationibus viuo.*] Item; *k quod de decimis*, inquit, *& primitiis diximus, quæ olim dabantur à populo ſacerdotibus ac Leuitis, in eccleſia quoq; populis intelligite, quibus præceptum eſt, non ſolum decimas dare & primitias, ſed & vendere omnia, quæ habent; & dare pauperib. & ſequi Dn. Saluatorẽ.*] Item, *l Maxime* inquit, *curandum eſt Clericis, vt de decimis & oblationibus cœnobiis & xenodochiis qualem voluerint & potuerint ſuſtentationem impendant.*] Item, *m Deo, quæ Dei ſunt, reddenda docet, & inter hæc ponit decimas.* Auguſt. ſeu aliquis alius Auguſtini nomine, *n Decimæ*, inquit, *fratres chariſſimi tributa ſunt egentium animarũ. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina ſacerdotib.*] & nonnullis interiectis; *Deus*, inquit, *primitias rerum & decimas dignatur petere, & tu negas auare?*] Item ibid. *Decimam tantum Deus ſibi vendicans, nobis omnia condonauit.*] Item ibid. *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuaſit. &c.*] Itẽ alibi: *o Maiores noſtri*, inquit, *ideo copiis omnib. abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant: modo autẽ quia diſceßit deuotio Domini,*

i Hier. ep. 1.
k Idem in Malach. c. 3
l 16. q. 1. c. ſ.
m Idem in Matt. c. 22.
n Aug. ſer. 219. de temp.
o Idem lib. 50.

mini, acceßit indictio fiſci: Noluimus partiri cũ Deo decimas, modo autem tollitur totum: Hoc tollit fiſcus quod non accepit Chriſtus] Itẽ alibi, a *vnusquiſq; de quali ingenio vel artificio viuit, de ipſo decimam Deo in pauperib. vel in Eccleſiis donet.*] Item ibid. *Deus qui dignatur totum dare, decimam de ſuo dignatur à nobis repetere, non ſibi pro nobis profuturam: ſicut ipſe per Prophetã promiſit, dicens:* b Inferte, *inquit*, omnẽ decimationẽ in horreis meis, & probate me in his, dicit Dn. ſi nõ aperuero vobis fructus quæ poſſidetis ſuper terrã, quod cognoſcitis Deo placere. *Nolite de cuncta ſubſtantia veſtra fraudare decimã, ne vobis nouem partes auferantur. & ſola decima remaneat.*] c Chryſoſt. ex facto Abrahami nos moneri docet ad decimas perſoluẽdas. Ambr. d *Qui Deo non vult reddere decimas quas retinuit, & homini non ſtudet reddere, quod iniuſtè ab eo abſtulit, non timet adhuc Deũ.*] Item, e *Qui fideliter non dedit decimas, emẽdet: quid eſt fideliter decimas dare, niſi vt nec peius, nec minus aliquando Deo offerat, aut de grano ſuo, aut de vino ſuo, aut de fructib. arborũ, aut de pecorib. aut de horto, aut de negotio. aut de ipſa venatione ſua*] In Conc. Matiſconenſi II. circa an. Dn. 566. Patres illi: f *Statuimus*, inquiũt, *& decernimus, vt mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas eccleſiaſticis famulantibus ceremoniis, populus omnis inferat, &c.*] Decimarum obligatio in eccleſia Chriſtiana habetur, præterea in multis Conciliis poſteriorib. in Arelatenſi ſub Carolo Mag. c. 9. In Foroiulienſi ſub eod. c. 14 In Turonenſi 3. c. 46. In Cabilonenſi ſub eod. c. 18. 19. In Meldenſi c. 62. 75. In Valentino tempore Lotharij Imp. c. 10. In Moguntinenſi ſub Arnulpho Rege c. 17. 22. In Metenſi ſub eod. c. 2. In Triburienſi ſub eod. c. 13 14. In Nanetenſi c. 10. In Synodo Rom. ſub Nicol. II. & in pluribus recentioribus. Ex quibus & ex decretis Pontif. habes Canones à Gratiano collectos plurimos, qui decimarum obligationem ſupponunt 16. q. 1. c. 42. 43. 44. 45. 46 47. 55. 56. Item, 16. q. 2. c. 2. 3. 4. Item, 16. q. 7. c. 1. 3. 5. 6. 7. Et qui ſunt toto titulo, extra de decimis.

a Tract. de rectitud. Cath. conuerſ. inter opera Aug. tom. 9.
b Malach. 3 10.
c Chryſo. in Gen. ho. 35.
d Amb. 16. q. 1. c. Nam qui.
e Ibid. q. 7. Quicunq.
f Conc. Matiſc. 2. c. 5.

VII. Solutio ergo Decimarum etiã in eccleſia Chriſtiana, ad beneficium eccleſiaſticorũ per plura poſteriora ſæcula, perpetua eſt & continuata: ſed quo iure illæ ſolutæ fuerint diu, & ſoluãtur nõ facile eſt ſtatuere; *nũ ex debito & iuſtitia, an vero ex ſola charitate & fideliũ liberalitate*. Debitas ſane ex iuſtitia illas non eſſe, ex his videtur poſſe confirmari; quia nimirum Paul. dum quærit eleemoſynas, nunquã decimarũ, earũq; vllius obligationis meminit; ſed g *vnuſquiſq*, ait, *det prout deſtinauit in corde* Et Tertull. ſimiliter dicebat ſup. *neminẽ ad offerendum cogi*. Præceptũ porro diuinũ nullum habemus in Euangelio, aut toto teſtam. nouo. Lex vero vetus Chriſtianos nequaquã obligat in Iudicialib. & ceremonialib. in quantũ illa ceremonialis ſit, & iudicialis, qualis videtur eſſe lex Decimalis, vt poſitiua eſt. h Si vero dicas *decimas præcipi tot Canonib. & legib. eccleſiaſticis, ideoq. eas deberi iure eccleſiaſtico poſitiuo*: reſpondere poſſent fideles ſe hoc nomine non teneri obligatos ex iuſtitia ad decimas: quia per doctrinam noſtrã, traditam libris 5. & 6. eccleſia non poteſt præcipere quicquam circa tẽporalia, niſi princeps temporalis id confirmet: in iure vero ciuili imperiali, ſi adſit aliqua lex præcipiens decimas eccleſiaſticas, illa poteſt etiam tolli, abrogari, immutari, &c. niſi illa ſit præceptiua obſeruationis iuris diuini Hiero. profecto, vt vidimus paulo ante ſimile fecit præceptum dandi decimas, præcepto illi Chriſti; *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperib.* h. e. vt habeatur pro eleemoſynã. Et Auguſt. toto illo ſermone de decimis, quẽ ſupra protuli, obligationem decimarũ exaggerat & amplificat, tanquam obligationẽ eleemoſynarũ: Imo ipſas decimas puras vocat eleemoſynas. Dũ enim i Phariſæi decimabant mentam, anetum, & minutiſſima olera, k docet eſſe quidem eleemoſynam quã Chriſtus etiã approbat dicens: *Hæc oportuit facere, & illa nõ omittere*: ſed nõ eſſe illam eleemoſynam per quam munda ſint omnia: quia illi carebant interna bonitate & charitate. Ita etiã Chryſ. l *Eleemoſyna*, inquit expreſſe, *decima eſt.*] Idem & reliqui Patres faciunt: & ratio ſuadet, quia iure diuino naturali Chriſtianus populus ad nihil amplius tenetur neq; obligatur erga eccleſiaſticos miniſtros, quoad res externas, niſi ad ſummum ad eos in corporalib. neceſſitatibus ſuſtentandos; iuxta illud, m *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquã? quis plantat vineam & de fructibus eius nõ edit? quis paſcit gregẽ & de lacte gregis non manducat? ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnũ eſt ſi carnalia veſtra metamus?* Ad hoc tamen decimæ, maxime integræ, non videntur neceſſariæ. Quis. n. vnquã dicet decimã partẽ omniũ Chriſtianorum eſſe Clericos? Aufer, obſecro, otioſos & prorſus inutiles, ac relinque ſolos vtiles & neceſſarios, & reduc eos ad vitam verã clericalẽ, de qua egi capite præcedenti, & agã inferius: ac videbis etiã millenã partẽ omniũ prouentuum terreſtriũ ſuperabundaturã. Pauperibus vero noſtris ex iuſtitia non deberi decimas patet, quia præter decimas obligatio aliarum eleemoſynarũ in populo Chriſti adhuc manet in ſuo robore naturali; Praxis quoq; eccleſiæ, acta publica, teſtamenta piorũ, & hiſtoriæ plurimæ oſtendunt decimas à laicis quoq; liberaliter donari eccleſiis, & miniſtris, ſeu cœnobiis; imo & laicos iiſdẽ frui, variaſq; earũ fieri in manus laicas infeudationes; varias quoq; ſeruari cõſuetudines, vt alicubi nullæ ſoluantur etiam à Chriſtianis, alicubi non integra decima veniat ad eccleſiã, ſed pars alia minor; ſane Zacharias Papa Bonifacio I. Germanorum nuper conuerſorum Epiſcopo modum præſcribens vnde ſuſtentari debeat cum ſuo Clero, n *Vnum ſolidum ex vnaquaq. domo annuatim ſumere illum poſſe docet.* Quis vero dicat vnamquanq. domum non niſi decem ſolidos prouentuum annuorum habuiſſe? Planum etiã eſt ex actis & hiſtoriis Principes ſæpe de decimis pro ipſorum arbitrio diſpoſuiſſe. Quod ſi ipſæ de iure eſſent diuino, iſta quæ hic recẽſentur, nõ contingerent.

g 2. Cor. 9. 7.
h Alex. 3 p. q. Si M. 3. Aquin. 22 q 88. ar. 1. Bellar. l. 1. de Cler. c. 25
i Matt. 23. 23.
k Aug. in Enchirid. ad Laur. c. 76.
l Chryſ. ho. 74. in Matt.
m 1. Cor. 9. 7.
n Vita Bonif. l. 2. c. 10

VIII. Obligationem tamẽ Iuris diuini in decimis perſoluendis in fidelibus Chriſtianis, videntur paſſim patres docere. Hiero. de bonis Eccleſiaſticis ex decimis habitis ait o *quæ diuini iuris eſſe noſcuntur.*] Aug. *Deo dari decimas toties fatetur ſermone iam citato: & ex debito eas requiri aſſerit*: Concilium Matiſconenſe ſecundum, paulo ante à me productũ, hæc habet. *Leges itaq; Diuinæ conſulentes ſacerdotibus ac miniſtris eccleſiarum, pro hereditaria portione, omni populo præceperunt decimas fructuum ſuorum locis ſacris præſtare, vt nullo labore impeditiores legitime ſpiritualibus poßint vacare miniſteriis: quas legis Chriſtianorum congeries longis temporibus cuſtodiuit intemeratas.* Hæc ante mille annos ſtatuebant patres illi; & decimarũ obligationem illã eandem docẽt perſeuerare, & perſeueraſſe inter Chriſtianos, quæ in populo Iſrael fuerat. Ita Grego. Magnus, p *Sicut*, inquit, *offerre in lege iubemini, fratres chariſsimi decimas rerum, ita et offerre contendite & decimas dierum.*] Gregorius item VII. decimas, quas canonica auctoritate conceſſas dixerat, ad præceptũ tandem iuris veteris deducit, dicens; q *Oportet autẽ cõgruentius nos decimas & primitias, quas iure ſacerdotũ eſſe ſancimus, ab omni populo accipere, quas fideles, Dn. præcipiente, efferunt, iuxta illud vaticiniũ, Malachiæ Prophetæ;* r *Inferte omnẽ decimationẽ in horreũ meũ.* Ad idẽ ius diuinũ veteris legis recipit ſe etiam Paſchalis ſecũdus

o Ib. q. 1. c. ſin.
p Greg. ho. 16. in euang.
q Ib. q. 7. c. Decimas.
r Malach. 3. 10.

dum

a 16.q.1.c. decimas.

dum ait, *a Decimas à populo ſacerdotibus ac Leuitis eſſe reddendas, diuinæ legis ſanxit autoritas, &c.* Eodẽ ſe recipiunt plurima Cõcilia & Canones iam citati, vt decimas iure antiquo diuino Eccleſiaſticis deberi, vel dicant expreſſe, vel ſupponant; quod etiã, vt notiſſimum, ſupponit Almaynus: Ait enim,

b Almay. de poteſt. eccl. & lai. q. 1. c. 8.

b Eccleſiaſtici ex iure diuino habent ius petendi decimas.] Item, *Eccleſiaſtici non ſunt ſubiecti poteſtati laicæ coercitiuæ, quantũ ad res quæ eis competunt iure diuino: puta quantum ad decimas*] Hos ſequitur turba plurima Canoniſtarum; qui ita de iure diuino volunt eſſe decimarum obligationem, vt nulla humana lege, aut poteſtate, aut conſuetudine, poſſit illa tolli, mutari, aut variari. Innoc. in Rub. de decim. Abbas in c. In aliquibus. De decim. Hoſtien. ſumã tit. de decimis §.7. Gloſſ. in c.1. de decim. in 6. Hos alii ſequuntur.

IX. Ego ad obligationẽ iuris diuini naturalis à Deo etiam explicati decimas pertinere non dubito, quia, vt dicebam initio,

c Pſ. 23.1.

c Domini eſt terra, & plenitudo eius: Adhuc igitur ſibi retinet Dominus ſuum dominium directum, & ſolum dominium vtile hominibus conceſſit.

d Gen. 1. 28.

d Dominamini, inquit, *piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtiis terræ:* quia cum iſta ſint vſu conſumptibilia, in his non diſtinguitur vſus à dominio: non tamen dixit, *Dominamini terræ.* Igitur pro directo dominio Deo debetur feudum ex fructibus, & aliis terræ emolumentis: quod ſane feudum in decima cõſiſtit parte, ita Domino inſpirante primis Patribus, ac expreſſe deinde, vt ſupra dicebam, declarante, & præcipiente. Cum itaq; præcepta de decimis non ſint pure iudicialia, neq; ceremonialia pro ſolo populo Iudæorũ: ſed ſint moralia, & iuris diuini naturalis à Deo comprobati, & explicati, illa omnes homines perpetuo obligabunt de iure, quamuis de facto à ſolis fidelibus Dei cognitionẽ habentibus illa ſeruentur. Imo etiã Iudæi de facto ab hac obligatione decimarum liberi ſunt & fuerunt, quoties in captiuitatẽ abducti terræ ſibi conceſſæ vſum non habuerunt. Quod enim de Tobia legimus,

e Tob. 1.6.

illum in captiuitate e omnem decimationem obtuliſſe, id intelligendum eſt ab eo pietatis abundantia, nõ iuſtitiæ obligatione factũ. Dum enim ex illa terra nullos fructus percipiunt, & in captiuitate terras proprias non habeant, cur fœdere grauentur decimarum?

X. Merito itaq; Patres paulo ante producti, & autores ad ius diuinum decimas deduxerunt. Sicut n. Iacob gratitudinis ergo, & in recognitionẽ dominii ſupremi, quod erat Dei, pollicetur decimam omnium fructuum ſibi promiſſæ terræ, cur non inde moueantur Chriſtiani poſſeſſores, vt in titulum diuini ſupremi dominij decimam ſeparent; quam Devs, & tacite prius, & deinde etiam expreſſe ſibi reſeruauit? Huc reſpexit Zacharias Papa, dum reſpondet Bonifacio Germanorum Apoſtolo:

f Vita Bonif. l. 2. c. 10

f De Sclauis quoq;, inquit, *Chriſtianorum terram inhabitantibus, ſi oporteat cenſum accipere, interrogaſti frater. Hoc quidem Concilio non indiget, dum res eſt manifeſta. Si enim ſine tributo ſederint, ipſam quoq; terram quaſi propriam ſibi vendicabunt: ſi vero tributum dederint, norunt Dominatorem eſſe illius terræ.*] Merito igitur Innocentius III. etiam dixit,

g Tua nobis de decimis.

g Deum decimas in ſignum vniuerſalis dominii ſibi reddi præcepiſſe.]

XI. Ac quemadmodũ Iudæos terræ ſterilitate Deus puniebat, ſi decimas, & primitias illi ſubtrahebant: fœcũditate vero ditabat, ſi illi decimas & primitias prompte conferebant;

h Malac. 3. 10.

h Inferte, inquit, *omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea & probate me ſuper hoc dicit Dominus. ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem, vſque ad abundantiam; & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, & non erit ſterilis vinea in agro, &c.* Ita prorſus Chriſtianorũ Deus, qui eſt idem, quiq; recognitionem pro Dominio ſuo etiam nunc poſtulat, vt ipſa dictat natura: & hortatur Scriptura, dicens:

i Prou. 3. 9.

i Honora Deum de tua ſubſtantia, & de primitiis omniũ frugum tuarum da ei, & implebũtur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Si terræ poſſeſſores experiatur Deus manus cõtrahere, & nihil in diuinum cultum cõtribuere, dare ſolet terrã ferream, & cælum æneũ, vt vel ipſa vtilitas mouere debeat ditiores ad particulam aliquam fructuum terræ, ad diuinum cultũ ſeparandũ. Deus enim nunquã putatur ſuo iuri ceſſiſſe, quin pro ſuo dominio velit partem ſuã dominicalẽ, eamq; ſicut olim Leuitis, ſic nunc euangelicis miniſtris deputat & attribuit. Quod Orig. præclare & ſentit & ſcripſit: Ait enim,

k Orig. in lib. Numer. Hom. 12.

k Primitias omnium frugum, omniumq; pecudũ ſacerdotib. lex mandat offerri, ita vt omnis, qui poſſidet agrũ vel vineã, vel oliuetum, vel etiam hortũ, & ſi quid eſt quod exercetur in terris: ſed et ſi quis peculia cuiuſcunq; pecoris nutriat, offerat ex iis Deo omne, quod primum eſt, i.e. ad ſacerdotes deferat. Deo enim offerri dicitur, quod ſacerdotibus datur. Et hoc eſt quod docemur ex lege: quia nemo licite vel legitime vtatur fructib. quos terra produxit, nec animantib. quæ pecudum protulit partus, niſi ex ſingulis quibuſq; Deo primitiæ, i.e. ſacerdotib. offerantur. Hanc ergo legẽ obſeruari etiam ſecundũ literam ſicut & alia nõnulla, neceſſariũ puto. Sunt enim aliquanta legis mandata, quæ etiam N. teſtamenti diſcipuli neceſſaria obſeruatione cuſtodiunt.] Hæc Orig. diſtinguit mox inter ſe hæc, *lex, mandatum, teſtimonium, iuſtificatio, iudicium;* & oſtendit aliqua ex his omnino poſt Chriſtũ ceſſaſſe, ſed fuiſſe vmbrã futurorũ, ita vt literaliter nullo modo ſeruari poſt Chriſtũ poſſent. aliqua ad literã perpetuo ſeruãda: aliqua vero & ad literã adhuc ſeruari, & myſticã etiã & ſpecialẽ habere ſignificationẽ. De mandato igitur primitiarũ & decimarũ quod in tertio hoc reponit genere, hæc habet: *Decet enim & vtile eſt etiã ſacerdotibus euangelii offerri primitias; ita enim & Dn. diſpoſuit, vt qui euangelium annunciant, de Euangelio viuant: & qui altari deſeruiunt, de altari participent, & ſicut hoc dignũ & decẽs eſt: ita è contrario & indecẽs & indignũ exiſtimo, & impiũ, vt is qui Deũ colit, & ingreditur eccleſiã Dei, qui ſcit ſacerdotes & miniſtros aſſiſtere altari, & aut verbo Dei, aut miniſterio eccleſiæ deſeruire, vt de fructib. terræ, quos dat Deus, ſolẽ ſuum producendo, & pluuias ſuas miniſtrando, non offerat primitias ſacerdotibus. Non mihi videtur huiuſmodi anima habere memoriã Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus, quos capit, quos ita recõdit, quaſi alienos à Deo: Si enim à Deo ſibi datos crederet, ſciret vtiq; munerando ſacerdotes, honorare Deum de datis & muneribus ſuis, & adhuc vt amplius hæc obſeruanda etiam ſecundũ literam ipſius Dei vocibus doceantur, addemus adhuc: Dominus dicit in Euangelis,*

l Matt. 23. 23.

l Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentam hic. decimam datis mentæ, & cymini, & anethi, & præteritis ea, quæ maiora ſunt legis, non tamen omitti & hæc, quæ ſecundũ literam deſignantur. Quod ſi dicas quia hæc ad Phariſæos dicebat, nõ ad diſcipulos: audi iterum ipſum dicentẽ ad diſcipulos:

m Matt. 5. 20.

m Niſi abũdauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarũ & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum: Quod ergo vult fieri à Phariſæis, multo magis & maiori cum abundantia vult à diſcipulis impleri. quod autem fieri à diſcipulis non vult nec Phariſæis imperat faciendum.] Et paucis in hanc ſentẽtiam interiectis, addit: *Quomodo ergo abundat iuſtitia veſtra pluſquã Scribarũ & Phariſæorũ ſi illi de fructib. terræ ſuæ guſtare nõ audent priuſquã primitias ſacerdotib. offerant, & Leuitis decimæ ſeparentur, & ego nihil horũ faciẽs fructib. terræ ita abutar, vt ſacerdos neſciat, Leuites ignoret, diuinum altare nõ*

ſentiat?] Et poſtea concludit dicens: *Hac diximus aſſerentes mandatum de primitiis frugum vel pecorum debere etiam ſecundum litteram ſtare?*]

XII. Auguſt. etiam ait: a *Præcidite ergo aliquid, & deputate aliquid fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæſtibus veſtris. Exime aliquam partem redditum tuorum. Decimas vis? Decimas exime, quanquam parum ſit. Dictum eſt enim quia Phariſæi decimas dabāt.* b *Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omniū quæ poſſideo. Et quid ait Dn. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam, &c. Et ille ſuper quem debet abundare iuſtitia tua, decimas dat: tu autē nec milleſimū das. quomodo enim ſuperabis eum, cui non æquaris?*] Quid mirū igitur, ſi paſſim alij Patres & Pontifices, de quibus ſupra, eodē ſpiritu inſtructi decimarū obligationē iure diuino priſco adhuc velint inter Chriſtianos perſeuerare? Vt merito decimarum ſolutio ſit in eccleſia Chriſti antiquiſſima.

a Aug. in Pſ 146. verſic qui exe viri facit. b Luc. 18. 12

XIII. Soluenda vero nobis ſunt ea, quę in contrarium n. 7. adduximus. *Paulus non fecit decimarum mentionē, & Tertull. liberas eſſe oblationes Chriſtianorum profitebatur, ac omnino per primos trecentos eccleſiæ Chriſti annos fortaſſe vix vllius vſus vllaue apparet cōmemoratio decimarum.* Quia nimirum Eccleſia tenella ſub infidelium Principum perſecutione ſua pace non fruebatur, & Chriſtiani ſuis bonis, imo etiam vita ſpoliabantur, vt non haberent vnde decimas ſoluerent: viuebant inter gentiles, pauperem vitam ducentes. Qui vero interdum & alicubi pace fruebantur, & bonis fortunæ abundabant, non decimam tantum, ſed multo plus in adiumentum miniſtrorum & pauperum conferebant: Imo primi Hieroſolymorum Chriſtiani c facultates omnes, quas habebant, ad pedes Apoſtolorum proijciebant, & ad communem omnium fratrū vſum exponebant. Domus Chriſtianorum miniſtris euangelii omnes patebant, & illi ſolo victu, & veſtitu cōtenti nō pecunias accumulabant, non latifundia ſibi & liberis præparabant, ac propterea ſicut decimis non indigebant, ita nec illas exigebant: & ſpontaneę piorum oblationes omnem procul dubio decimam ipſorum Chriſti fidelium ſuperabant. Poſtquam tamen & ambitus, & auaritia vexare cepit eccleſię miniſtros, tunc charitas liberalium oblationum refriguit, & tamen interim ſuſtentandi erant miniſtri, pauperes ſubleuandi, templa ædificanda & ſarcienda, ampliores familiæ ſacerdotum alendæ, idcirco ad ius debitum decimarū fuit confugiendum, cui repoſcendo Prælati eccleſiaſtici imò etiā præcipiendo, vtcunq; ipſorum præcepta valerent, inuigilarunt, & exigendo Principes Chriſtiani ſuam nauarunt operam.

c Act. 2. & 4.

XIV. *Præceptum diuinum de decimis in euangelio, aut toto teſtamento nouo non habetur*: Sed neq; habetur præceptum de cuſtodiendo ſabbatho, & tamen noſtro modo tenemur illud iure diuino cuſtodire. Satis. n. includitur præceptū decimarū in illis Chriſti verbis, d *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*: & in ſpecie de decimis ait Chriſtus, e *Illa oportuit facere, & hæc non omittere.* Et Paulus ait, *Dominum docuiſſe* f *debere euangelij miniſtrum de euangelio viuere.* Quid vero eſt de euangelio viuere, niſi ex decimis à Deo ſuis miniſtris noui etiam teſtamenti deputatis viuere? ſicut V. Teſtamenti miniſtri olim ex iiſdem vixerunt. An non dicit Paulus g *dignum eſſe operarium mercede ſua?* merces porro ex iuſtitia debetur; Ergo ex iuſtitia Chriſtiani miniſtri debēt à populo fideli ſuſtētari; & ſane merces ex iuſtitia debet eſſe aliquā certa, firma, ſtabilis, & vniuerſalis, non arbitraria; neq; potuit vlla firmior & ſtabilior eſſe, quam decimarum, quæ ſub nullius hominis poteſtate ſunt, quia Deo debentur, & à Deo iam miniſtris ſuis pro ipſorum neceſſitatibus & fuerunt olim expreſſæ, & nunc etiā intelliguntur applicatæ, atq; in his Chriſti & Pauli verbis virtualiter continentur.

d Matt 22. 21. e Matt 23. 23. f 1. Cor 9. 15. g 1. Tim. 5. 18.

Lex vetus non obligat Chriſtianos in iudicialibus, & ceremonialibus: Fateor, ſed iā oſtendi decimas ſub præcepto morali & diuino naturali, addita Dei explicatione, contineri: & dicere poſſumus obligationē ſuſtentandi miniſtros, eccleſias, & pauperes, eſſe iuris diuini naturalis: decimam vero, quo ad hanc quantitatis determinationē, eſſe iuris diuini poſitiui, ſed perpetui. Quamuis etiam in natura denarius hic numerus magna habeat fundamenta. Itaq; ſiue canones Eccleſiaſtici, ſiue leges ciuiles, vbi agūt de decimis, nō illas primum præcipiunt, ſed iuris diuini vrgent executionē. XV.

Eleemoſynas vocant decimas S. Patres lato modo: ſed ſunt etiam eleemoſynæ ex iuſtitia debitæ. Sicut enim executores teſtamentorum ex iuſtitia tenentur legata pia teſtantiū adimplere, vbi eleemoſynæ nomine aliquid legatur; ita poſſeſſores terrarum ſunt executores diuinæ inſtitutionis, per quam Deus portiones ſibi debitas in eleemoſynas pauperum, & miniſtrorum vult erogari. XVI.

Decima omnium terræ bonorū nimis magna putatur, ad proportionem paucitatis miniſtrorum, & merito ſane, ſi ſolis miniſtris eccleſiaſticis decimæ totæ deberentur; ſed quia pauperum maxima eſt multitudo, qui neq; terras habent, neq; induſtriam aut artem; vt ſunt ſenes, pupilli, viduę, ægroti, captiui, &c. Et huiuſmodi pauperum cura præcipua eſt apud Deum, de quo dicit Scriptura, h *Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor*: Idcirco Deus non vult miraculo iſtos paſcere, ſed via ordinaria, citra vllius iniuriā, aut incomodum: ac propterea horū etiam ſuſtentationi ſuam portionem dominicalem, i. e. decimā omnium bonorū ſuæ terræ applicauit. Et hoc non male conſiderauit Caietanus, i *qui ex ingenti numero pauperum oſtendit decimas non eſſe exorbitantes*: Imo neque ſunt ſufficientes, ac propterea præcepta de facienda eleemoſyna ſunt opportuna, & neceſſaria. XVII.

h Pſ. 16. 14 i Caiet. 2. 2. q. 87. ar. 1.

Quod ſpectat ad praxim, acta & hiſtorias, nec non infeudationes, & impropriationes, variaſque conſuetudines circa decimas, explicationem habere debet & ſolutionem ex ſequentibus notabilibus. *Notandum eſt primò*: Non omne ius decimarum ſpectare ad hoc ius diuinum pro eccleſiaſticis, & pauperibus: Solent enim Domini terrarum ſuas terras ad perpetuam Emphyteuſim concedere, ſeruata ſibi aliquota parte fructuum, puta quarta, quinta, decima, &c. ſicut k Ioſeph. in Ægypto emit pro Rege terras omnes particularium poſſeſſorum, eaſque iiſdem infeudauit, cum obligatione reſpondendi Regi omnium fructuum quintam partem in perpetuum. Obſeruaui ego alicubi decimas deberi Principi temporali pro ſuo dominio terrarum ad fiſcum deuolutarum. Et hæ decimæ poſſunt & ſolent à laicis donari eccleſiis & miniſtris, taleſque decimas eccleſia poſſidebit non iure diuino, ſed iure humanæ donationis. Interim tamen eædem terræ, de iure, priorem aliam habent obligationem decimæ iuris diuini; quia Domini terrarum quoties diſponunt de ſuis terris, de illis ita diſponunt, vt onus perpetuum annexum habeāt iuris diuini decimarum. Et, ſi aliqui Principes, vel potentes viri extinxerunt decimas iuris diuini, putantes decimas, quas illi iure Emphyteutico exigunt, eſſe illas ipſas decimas iuris diuini, quæ duplices non debent ſolui, hoc erit de facto, non de iure. XVIII.

k Gen. 47.

Notandum ſecundo, propter incommoda exactionum; XIX.

num;

hum,eccleſiam,& eos, qui adminiſtrandarum decimarum ius habent,non raro infeudaſſe laicis,etiã Principibus,vel communitatibus decimas alicuius territorii, vt ita certam pecuniæ ſummam loco decimarũ annuarim illi haberent, quorũ vſibus ſuas decimas Deus conceſſit. Hinc videntur eſſe iuris laici, aut etiam videntur nullæ ſolui, vbi ex communitatis pecunia cõpenſantur,ac interim communitas ab onere decimarũ,ita annuali pecunia redempto,manet immunis, & nullæ in ea decimæ in ſpecie exigantur. Illud tamen vehementer eſt obſeruandum, rerum valorem olim fuiſſe vilem, & exiguam ſolutionẽ fuiſſe iuſtum preciũ: poſtea vero, cum plurimum aucta ſint precia rerũ,teneri in cõſcientia illos, qui antiquas habent infeudationes, etiam ſi perpetuas, aut reſtituere in integrũ ius decimandi eccleſiæ,aut iuſta proportione augere annuum feudum.Nõ enim decimæ ſunt res humanę, quæ humanis ſubſtent cõtractibus, & legibus pręſcriptionum,ac aliis,ſed ſunt ipſæ decimæ in ſpecie iuris diuini,quarum vſurpatio in toto, vel in parte, nullo cõtractu,nulla lege humana poteſt defendi, aut excuſari. Eadem ratione ſi precia rerũ nimium vileſcerent, poſſet ille, qui feudum decimarum habet, eas in ſpecie ſoluere, & non, ſtabilita olim pecunia compenſare.

XX. *Notandum tertio* ob idem incommodum exactionum decimarum,vbi ſe,& ſane perperam,homines deferẽdarum ad miniſtros decimarum onere liberarunt, eccleſiam pluribus in locis conueniſſe cum laicis ſiue priuatis, ſiue Principibus, ſiue cõmunitatibus, vt fieret decimarum cõmutatio in toto vel in parte,in certa prædia,glebaleſq; terras: & hinc factũ eſt,vt alicubi eccleſia nullas habeat decimas, aut minorem partem exigat quam ſit decima. Principes quoq;, aut alii eccleſiarum fundatores dotarunt eccleſias prædiis,manſis, & glebis, ſæpeq; per dictam commutationem effecerunt, vt illius terræ decimæ vel ad nullam, vel ad minorem partem reducerentur,in gratiam colonorum,vt tanto promptius terræ illæ colerentur.

XXI. *Notandum quarto*,potuiſſe & ſolitam fuiſſe eccleſiam, partem aliquam ſuarum decimarum in certis terris exigendarum aſſignare laico alicui eccleſiæ officiali, in ſtipendium & mercedem perſonalem, & temporariam.Quæ tamen decimæ, hac occaſione, vſurpari alicubi potuerunt, & negligentibus, aut conniuentibus Prælatis, tranſire in perpetuum ad hæredes.Sed hoc etiam eſt facti,non iuris;& eſt mera vſurpatio.

XXII. *Notandum quinto*, ad ſuſtentationem religioſæ familiæ monachorum,vel monialium eccleſiam ſæpe decimas aliquarum terrarũ cœnobiis impropriaſſe. Imo Prælati eccleſias quoque parochiales cum ipſarum decimis, manſis, & glebis cœnobiis tradiderunt; quæ cœnobia per vicarios aſſignata ipſis leuiuſcula portione, aut mercede, vel per aliquos ex propriis monachis parochiarum curã gerebant. Hæ impropriationes non ſupponunt dominium Prælatorum in decimas,ſed ſolam diſpenſationem, & adminiſtrationem. Perſonæ enim religioſæ,quandiu vere religioſæ fuerunt, in numero præcipuorum pauperum erant recenſendæ, & ſic Dei decimæ iis tribuebantur, quibus Deus ipſe eas attribuit.Poſtquam vero cœnobitæ luxum amplexi ſunt & pietatem exuerunt, impropriationes illæ omnino ſunt diſſoluendæ,& vel eccleſiis ſuis decimæ reſtituendæ, vel vſibus piis miniſtrorum & vere pauperum,atq; in communi,etiam per Reges & Principes applicandæ. Impropriationes autem illas ſic ſolutas vel fiſco attribuere,vel priuatis laicis donare, aut vendere,nullo modo poſſunt vlli, vel ipſi Principes & Reges.Vt.n.in omnia bona terrena habent iure diuino Reges plenam poteſtatem, prout Reip.bonum poſtulat,ita in decimas nullam aliam habent penitus,niſi, vt tanquam Dei procuratores inuigilent, vt iuxta diuinam diſpoſitionem diuina portio diſtribuatur:h.e.in ſolos eccleſię miniſtros,in ipſas eccleſias,& veros pauperes.Qui autem laici habent verarum eccleſiaſticarum decimarum impropriationes, eas bona & tuta conſcientia non poſſunt retinere, ſed eas tenentur eccleſiæ reſtituere; & Regum acta in hoc eis nihil proſunt.Merito vero Hieronym.& S.Patres, vt oſtendi lib.7.c.7.& melius lib.10.Eos Clericos penitus eximunt à ſubiectione Principum, quo ad bona temporalia, qui non ex Regalibus prædiis & poſſeſſionibus,ſed ex decimis,& oblationibus viuunt, quia in decimas & oblationes,quippe Dei portiones ſpeciales, nullum Reges ius Regium habent. Reges ex bonis terræ ſibi commiſſæ tributa habẽt propria,habent vectigalia,& alia iura Regia: decimæ Dei ſunt,à Regibus penitus immunes. Nec audiendus Bellar.qui ait,*a Deum ſibi decimas à Iudæis exegiſſe titulo Regio, tanquam Regia tributa; quia Deus erat illius gentis Rex ſpecialis.* Erat quidem Deus Rex ſpecialis illius gentis,vt oſtendi ego li.1.c.12.Sed decimas non hoc titulo ſibi reſeruauit, ſed titulo ſui pleni dominii vniuerſalis, vt docui: Nam eadem prorſus decimarum obligatio integra manſit pro ſolis Leuitis & ſacerdotibus, ac pauperibus, etiam quando Iudæi Reges ſpeciales habuerunt. Qui ſane Reges non decimas haſce,vt Regia tributa,ſed alia peculiaria tributa vectigalia, ac reliqua Regalia iura habuerunt. Quicunq; ergo Reges impropriationes huiuſmodi in perſonas priuatas laicorum aut fecerunt, aut iam monaſteriis factas,iis ſolutis, laicis donauerunt, vel vendiderunt, vel elocarunt,contra ius,contra Deum fecerunt,viderint ipſi, certe hinc argumentum duci non poteſt decimas non eſſe iuris diuini. Sicut ſi rex adulteret, vt fecit Dauid cum Betſabee,non propterea ſequitur Reges habere ius & poteſtatem legitimam in ſuorum ſubditorum vxores.Si tamen impropriationes illæ ſint decimarum, pro quibus data fuerit eccleſiis vel annua pecunia in feudum perpetuum, vel facta permutatio in prædia & terras, tunc illæ impropriationes ſub Regum poteſtate eſſe poterunt legitimæ:Non enim amplius decimæ illæ ſunt iuris & dominij diuini ſpecialis quia earum loco eccleſia iuſtam habuit compenſationem.

a *Bellar. de Cler. c. 26.*

Notandum ſexto, terras poſſe eſſe aliquas cultas, XXIII. etiam à Chriſtianis,qui tamen eccleſiam propriam nullam habent,nullum ſacerdotem,ſed ad alienas accedunt eccleſias.Si in his terris iam propria ædificetur eccleſia, & proprius accedat ſacerdos, qui prius nullas ſoluebant decimas,non quod non tenerentur, ſed quod cui ſoluerent non haberent, iam eas ſoluere tenentur, non quidem ædificatori eccleſiæ, ſed ipſi eccleſiæ & miniſtris, etiam pro pauperibus.Ædificator ad ſummum habere poteſt in eam eccleſiam ius patronatus;pars vero decimarum ad ipſum iure nullo debet peruenire. Aliqui enim laici eccleſias in talibus ſuis terris ædificabãt propriis ſumptibus, non ex deuotione & religione,ſed ex auaritia,vt portionem haberent decimarum & oblationum. Quod ſeuere optima ratione prohibetur à *b* Damaſo. Quod autẽ ædificator pro ſuo iure patronatus donet alicui ſacerdoti, quoad vixerit ipſe ſacerdos, eccleſiam cum decimis,hoc

b *10.q.1. cap. Hanc.*

non eſt habere dominium decimarum, ſed ſolam iure humano nominationem & præſentationem ad illam eccleſiam, cuius ſunt decimæ iure diuino.

XXIV. *Notandum ſeptimo*, Noualia ſolere eximi ab obligatione decimarum per aliquod tempus, etiam autoritate Principum; quod nihil derogat iuri diuino. Id enim fit per mitem interpretationem iuris diuini, quando obligatio decimæ nimium grauat colonum, & conſequenter deterret homines à colendis noualibus: Graues enim initio ſunt expenſę, & inutilis tunc labor. Eſt autem operæ precium, vt remittatur rigor decimarum pro duobus vel tribus primis annis, vt inculta fiant fructifera, & poſtea decimas reddant in perpetuum. Quæ ſi inculta maneant nemini quicquam proſunt.

XXV. *Notandum octauo*, Non eſſe inſolitum, vt multæ fiant iuſtæ per laicos vſurpationes decimarum vere Eccleſiaſticarum, & per eccleſiaſticos iniuſtæ ac inualidæ alienationes; de quibus eſt querimonia Gregorij VII. apud *a* Gratianum. Et Synodus quædam Turonenſis ab Alexandro III. habita præcipit, *b Vt quiſquis alicui laico eccleſiam, decimamue conceſſerit, excommunicetur.* In Cõcilio Alemaniæ ſub Honorio III. à Cardinali Portuenſi An. 1225. celebrato ſtatuitur. *c Si fundatores eccleſiarum, vel hæredes ipſorum partem decimarum vel prouentuum earum eccleſiarum, in quibus ius habent patronatus, ſibi retineant ex pacto cum præſentato, anathemate feriantur.*] Patroni ergo laici facile decimas vſurpabant. Vſurparunt ſæpe etiam Principes: *d* Carolus Magnus, victis Saxonibus, cum tributa imponere nimium reluctantibus & libertati aſſuetis non poſſet, decimas vt iuris diuini pro eccleſiaſticis facile obtinuit: ſed eas Regij præfecti Regiis ſumptibus exactas acceperunt, & inde in manibus laicorum manſerunt, & poſtea Pontifices partem decimarum Principibus, quaſi in feudum vel inuiti conceſſerunt: *Malentes*, inquit Crantius, *amittere dimidium, quam totum* Potuit ergo, & poteſt contingere, vt pii viri, etiam Principes, à maioribus ſuis vſurpatas decimas, ſeu iniuſte habitas donent eccleſiis; & tales donationes videbuntur arbitrariæ decimarum in manu laica exiſtentium; cum tamen hæc reuera ſit male-ablatarum decimarum illi, cui debentur, vel alteri eccleſiæ reſtitutio.

a 1. q. 3. cap. Peruenit.
b Apud Auentinũ. l. 6. annal.
c Tomo 3. Concilior.
d Crant. in Metrop. l. 1. c. 2.

XXVI. Iam igitur ex hiis, & ſimilibus conſiderationibus concidunt obiectiones omnes, quę fieri ſolent & poſſunt contra decimas, ne illæ ſint perpetuo iuris diuini. Atque ita valde errauit Ioan. Wicleffus, & turbauit eccleſiam, illo poſito & euulgato articulo, nimirum, *e Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & parochiani poſſunt propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.*] Qui articulus & falſus, & ſcandaloſus eſt. Sunt enim decimæ, vt oſtendi, de iure diuino, & à Deo miniſtris applicatæ, ſiue boni illi ſint, ſiue mali. Quanquam remedium facile eſt, vt mali per Prælatos eijciantur. Si vero Prælati ſint negligentes, tunc per ipſos Parochianos, cum adiutorio præſertim Principis terreni, expellantur, & alij legitime ſubſtituantur; decimæ vero iuſte perſoluantur. Magis errant noſtris diebus Scioli aliqui noſtri Leguleij, puri Grammatici qui cum farcimina quædam ſibi ex hiſtoriis, ex actis tribunalium, & protocollis notariorum, ex variis inter eccleſiaſticos & laicos pro decimis concertationibus, præpararint, ſolent Stentorea voce in eccleſiaſticos debacchari, & eccleſiæ oſores conari, vt laici decimas denegent eccleſiaſticis. Quæ enim illi ex praxi, & hiſtoriis obſeruarunt, ſicut ipſis laudem humanæ eruditionis afferũt, ita inſcitiæ ignominiam ipſis inurunt, dum neque Logicæ præcepta norunt, neque Theologicas veritates deguſtarunt. Vera enim proferunt, & facta proponunt vt plurimum fideliter: ſed quid ex illis factis logice ſequatur, quid concludatur, penitus ignorant neque ſciunt ea ad id, quod maligne prætendunt, applicare, nempe *decimas eſſe liberas: eſſe mera donaria: laicos non poſſe ad eas ſoluendas cogi: & non peccare contra ius diuinum ſi quis eas vel neget, vel defraudet.* Cum tamen ex meis notabilibus hiſce omnis vis ſimilium argumentationum elidatur. Mihi in meo Archiepiſcopatu per ſimiles grammaticaſtros lis pro decimis, dum hæc ſcribo, mota eſt, vt propterea non poſſim non in eos excandeſcere: neque enim tolerare debeo, vt vaniſſimi critici iuri diuino ſuis ineptiis iniuriam faciant, & nos eccleſiaſticos fidelibus reddant exoſos.

e In Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 8. artic. 18.

Debentur profecto decimæ, vt dixi, eccleſiæ miniſtris, non tamen laudo, vt illi ſint nimium moroſi, & rigidi exactores neq; pro rebus temporalibus gladio tam facile vtantur ſpirituali excommunicationis: potius recurrant ad laicos magiſtratus, qui brachio ſæculari exactionem iuſtam decimarum promoueant, & vſurpatarum recuperationem: In qua tamen recuperatione magna vtendum eſt prudentia, quia res hæc eſt maxime confuſa. Verum quidem eſt, terras omnes ad veras & integras omnium fructuum terræ & pecorum decimas teneri perſoluendas, ſed quia per iuſtas infeudationes, & commutationes alicubi ſunt penitus extinctæ, alicubi imminutæ: & alicubi decimæ ſunt vel Regalia, vel iura Emphyteutica laicorum, iam integrę ab omnibus repoſci non poſſunt: & nulla certior iam eſt regula circa decimas, quam locorum conſuetudo longa & præſcripta, vbi alia clara notitia non habetur. Atque ita vbi iam mos eſt nihil ſolui, nihil ſoluatur; vbi non decima, ſed quarta decima, vel viceſima, vel alia pars ſoluitur, eadem ſoluatur: & vbi integra, ibi ſimiliter integra perſoluatur. Exactio vero fiat per eccleſiaſticos modeſte: Dicebat enim, & merito Hieron. *f Nunquam petentes, raro accipiamus rogati Nam melius eſt* inquit idem *non habere quod tribuam, quam imprudenter petere quod recondam.*] Et Auguſtinus, *g Facite*, inquit laicis, *vobis amicos de mammona iniquitatis — Non tacet ipſe, audite vocem eius, Nemo enim à vobis poteſt exigere, niſi forte exactione opus eſt, vt qui vobis in Euangelio ſeruiunt petant à vobis. ſi ad hoc ventum fuerit vt petant, videte ne quod vos à Deo petiſtis fruſtra petatis. Ergo eſtote exactores veſtri, ne aliquid illi, qui in Euangelio ſeruiunt vobis, non dicam petere cogantur. Nam forte nec coacti petent, ſed ne libenter vos arguant: Vnde ſcriptum eſt, h Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.*] Ita Hieronymus & Auguſtinus exactionem ſolicitam rerum temporalium, etiam iure debitarum, Chriſti miniſtros dedecere ſunt arbitrati. Nos vero horum temporum eccleſiaſtici exactores moroſi ſumus & importuni, etiam ſæpe eorum, quæ nobis non debentur. XXVII.

f Hieron. ep. 2.
g Aug. in Pſ. 146.
h Pſ. 40.

De Parochis ſeu eccleſiis, quibus ſunt ſoluendæ decimę, de rebus ſeu lucris quæ decimari debeant, deq; ſimilibus circa decimas difficultatibus conſulantur leges Pontificiæ, ac Iuriſconſulti Canoniſtæ. In his non eſt mihi amplius immorandum. XXVIII.

CAPVT III.

CAPVT III.

Bona temporalia, quæ iam vocantur Beneficia, quomodo ſint ingreſſa in Eccleſiam, quæque fuerit origo Beneficiorum.

Svmma Capitis.

Non eguit Eccleſia beneficiis, quandiu charitas populi Chriſtiani erga Chriſti miniſtros fuit munifica, n.1. Poteſtas tamen in Eccleſia nunquam fuit vlla coactiua, qua miniſtri poſſent cogere fideles ad ſibi vitæ neceſſaria præſtanda. n. 2.

Beneficia ex prædiorum donatorum Eccleſiæ, quæ prius videbantur, retentione, ortum habuerunt. num. 3. 4.

Item ex dotationibus ac fundationibus nouarum Eccleſiarum. n. 5.

Numerus miniſtrorum pro quantitate redditum Eccleſiaſticorum. n. 6. 7.

Beneficium eſt quid neceſſario conſequens ad ordinationem. n. 8. 9. 10.

Poſt ingreſſam proprietatem beneficia nouam propriam faciem acceperunt. n 11.

Proprietas & retentio prædiorum reprehenditur. n. 12. cauſa retentionis cum ſuis incommodis ex Chryſoſtomo aſſertur. n. 13 14. 15. Inde auaritia Eccleſiaſticos per abuſus occupauit. n. 16.

I. OBLATIONIBVS & decimis ſuſtentari debere iure antiquiſſimo miniſtros Eccleſiæ, duobus præcedentibus capitibus iam oſtendi. Chriſtus ipſe & Apoſtoli exemplum nobis præbuerunt, vt ſpiritualia ſeminantes, corporalia hic vitæ huic neceſſaria meteremus. (a Io. 12. 6.) *Chriſtus a loculos habuit*, in quibus piorum eleemoſynæ pro futuris b neceſſitatibus aſſeruabantur; (b Aug. tr. 62. in Io.) & *ante pedes* c *Apoſtolorum ponebantur pecuniæ multæ*, (c Act. 4. 34.) quibus & ipſi, & fideles pauperes, ſuſtentabantur, & abundabant. Hæc enim eſt pietas naturalis in homine, vt ſponte, & abunde, ac libenter ſuppeditet, diues præſertim, neceſſaria eis, qui ſerio ad ipſius commodum & vtilitatem laborant; adeoque laborant, vt pro ipſius commodo omne proprium commodum, & pro ipſius vtilitate omnem propriã vtilitatem contemnant, atq; à neceſſariis etiam vitę ſubſidiis aliunde conquirendis, illius cauſa abſtineant. Hæc pietas ſola etiam, nullo addito aut præcepto, aut impulſu coactiuo ſemper fecit, & adhuc facit, vt abundent temporalia pro neceſſitatibus vitæ, viris ſerio Chriſti Euangelium prædicantibus, & ſpiritualia populis miniſtrantibus. Vt propterea dum Eccleſiaſtici fuerunt, qui eſſe debent, ad nullũ præceptum ſeu oblationum, ſeu decimarum, fuerit confugiẽdum: ne hodie quidem, ſi eſſemus qui eſſe debemus, præcepta huiuſmodi quæreremus: quia pietas ipſa fidelium promptiſſime ad abundãtiam occurreret nobis in temporalibus. Oblationes igitur & decimæ, vt docui, fuerunt prima beneficiorũ fundamenta. His Eccleſiæ abundabant: inde vero Eccleſiarum miniſtri alebantur, ita vt beneficium nihil aliud ſit, quam Eccleſiaſticum bonum tẽporale, pro Eccleſiaſticis hominibus in Eccleſiis laborãtibus ſuſtentandis. & ſane bonum partim ex decimis, partim etiam ex pietate & eleemoſynis fidelium adunatum.

II. Miror profecto d noſtros, qui ſtatim in ipſo initio naſcentis Eccleſiæ conantur in ea poteſtatem quandam coactiuam inuenire, qua Paulus, & cum eo omnes Eccleſiaſtici poſſint cogere fideles ad ſibi alimenta neceſſaria ſubminiſtranda. (d Bell. l. 2. de Monach. c. 45. & contra Paulum Venet. & annal. Barol.) Vbi tantummodo e Paulus commemorat Corinthiis æquitatem naturalem, exemplo militis, & bouis triturantis, (e 1. Cor. 9. 17. 36. 9. 13.) vt ſcirent licuiſſe quidem ipſi Paulo ex ipſorum eleemoſynis & oblationibus viuere, noluiſſe tamẽ, ne offendiculum daret Euangelio; & dum ait ſe poteſtatem habuiſſe viuendi ex ipſorum bonis; idem eſt ac ſi diceret; ſibi id licuiſſe, & merito potuiſſe illorum benignitate & liberalitate frui, quam ſciebat ſibi non defuturam. Inepte igitur poteſtatem hic Pauli faciunt coactiuam. Sicut inepte dixiſſet ibidem Paulus ſe poteſtatem habere circunducendi ſecum mulierem ſororem, ſicut eas circunducebant cæteri Apoſtoli, ſi poteſtatem intelligeremus coactiuam. Nunquid potuit cogere quancunque mulierem, vt eum ad obſequia comitaretur? Significat igitur id ſibi licuiſſe. Nam ſæpiſſime illud poſſe vel non poſſe dicimur, quod nobis licet vel non licet facere. Monuerat profecto Paulus Titum, vt præmitteret f Zenam legis doctorem & Apollo, ſed (f Tit. c. 3. 13.) neceſſario viatico inſtructos, *vt nihil*, inquit, *illis deſit*. Vt autem ſciremus, vndenam Titus potuerit viaticum illis ſubminiſtrare, addit Apoſtolus ſtatim: *Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe, in neceſſariis vſibus, vt non infructuoſi ſint.* Quæ ita explicat ibidem Hieronymus. *Habes*, inquit, *in diſcipulos poteſtatem: doce eos non eſſe infructuoſos, ſed Euangeliſtis & Apoſtolicis virũ, qui bonis operibus ſeruiunt, miniſtrare.* Poteſtatem dixerat Hieronymus, ſed eam ſtatim totam ponit in ſola doctrina. *Doce*, inquit, *eos miniſtrare*, & pergit oſtendere totum id ad liberas ſpectare eleemoſynas, negantes q; tales eleemoſynas cum Paulo vocat *infructuoſos*; & damnat non iniuſtitiæ, ſed duntaxat ſterilitatis.

III. Ac ſicut non deerant tempore Apoſtolorum pij fideles, qui antequam decimæ poſſent exigi, integra g prædia, & ſuas amplas poſſeſſiones vendebant; (g Act. 2. & 4.) & pecuniam ad Apoſtolos deferebant, pro ipſorum Apoſtolorum, & aliorum pauperum ſuſtentatione, ita ſequentibus temporibus multorum eadem liberalitas & pietas ſæpiſſime enituit. Bona tamen intentione, ſed peſſimo euentu aliquando cæperunt Eccleſiaſtici prædia ipſa retinere; vt infra patebit. Quæ, ſi exemplum Apoſtolorum imitari, vt tenebantur,

voluiſſent, vendenda fuiſſent, & ex precio accepto neceſſitatibus ſuis & pauperum occurrère debuiſſent. Dicet aliquis ſub Pio Romano Pontifice, huius nominis primo Eccleſiam iam habuiſſe poſſeſſiones. In ſecunda enim Epiſtola ita ſcribit. *Et prædia diuinis vſibus tradita, quidam humanis applicant vſibus.* Epiſtola tamen eſt apocrypha, nullius fidei, neq; putandum eſt eo tempore Eccleſiam prædia retinuiſſe, cum præſertim Vrbanus & ipſe apocryphus, poſt ea ſcribat: *a Videntes autem ſacerdotes ſummi, & alii, atque Leuitæ, & reliqui fideles, plus vtilitatis poſſe afferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant, Eccleſiis quibus præſidebant Epiſcopi traderent, eo quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus, quam futuris temporibus, plurima & elegantiora poſſent miniſtrare fidelibus, communem fidem ducentibus, quam ex precio eorum; cœperunt prædia, & agros quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum viuere.*] Sed neq; Vrbani tempore potuit Eccleſia prædia poſſediſſe: Nam ante Conſtantinum non videtur cuiquam licuiſſe bona ſua, ſtabilia præſertim, relinquere Eccleſiis, vt mox dicam.

a Epiſt. Decret. Rom. Pont. tom. 1. par. 1. ponitur 12. q. 2. c. videntes.

IV. Fateor tempore Hieronymi Eccleſiam habuiſſe villas, & poſſeſſiones. *b* Viculus enim Maronia dictus ad poſſeſſionem Euagrij Epiſcopi iam erat deuolutus. Auguſtinus *c* Villas in Eccleſia iam videtur, & *d* hæreditates accipiebat, licet aliquas etiam *e* reſpueret. Ambroſius *f* agros Eccleſiæ habebat, & adminiſtrabat. Et poſtea Eccleſiæ prædiis & dominiis etiam temporalibus, inueniuntur paſſim opulentiſſimæ. Initium porro prædiorum poſſidendorum in Eccleſia mihi videtur fuiſſe lex Conſtantini, quæ vniuerſalem tribuit licentiam, *vt g vnuſquiſq; ſanctiſſimo Catholicæ venerabiliq; Concilio decedens bonorum quod optauit, poſſit relinquere.* Non igitur prius licuit bona potiſſimum immobilia Eccleſiis relinquere: quod & fictus, falſuſq; *h* Melchiades profitetur. Hinc patrimonia Petri pro Eccleſia Romana in omnibus pene Chriſtianis Regnis ſatis ampla ſunt parta. In *i* Italia & Sicilia: in *k* Gallia: *l* in Dalmatia. Romani vero vel presbyteri vel ſubdiaconi ad hæc patrimonia colligenda à Papa mittebantur. Erant vero meræ & ſimplices eleemoſynæ à fidelibus collatæ: non autem certi certorum prædiorum ſiue vectigalium redditus; vt ex ipſis Gregorij Epiſtolis, & ex Epiſtola Hadriani Papæ ad Imperatores Conſtantinum & Irenem, ſatis intelligitur. Quod vero Cyprianus vno ferme ſæculo prior quã Conſtantinus, illam legem tulerit, mentionem * faciat fundorum, non eſt noſtræ contrarium poſitioni: ibi enim agit de abuſibus & auaritia Epiſcoporum, qui non pro Eccleſia, ſed pro ſeipſis, & nundinas exercerent, & fundos alienos raperent.

b Hier. de vita Mal. h.
c Aug. tr. 6. in Io. & Ep. 225.
d Poſſid. in vita Aug. c. 23. 24.
e Aug. ad frat. de her. ſer. 52.
f Amb. ora. in Auxen. ep. 32.
g C. de ſacroſ. Eccl. l. 1.
h 12. q. 1. c. futuram.
i Greg. l. 5. Ep 123.
k Idem l. 5. Ep. 105. 152. 153. 154. 155. 157.
l Idem l. 2. ep. 61.
* Cypr. ſer. de lapſis.

V. Oblationes itaque quas initio fideles ad Eccleſiaſticos deferebant, in pane, vt plurimum, vino, & reliquo ad victum neceſſario commeatu, & non nihil in numerata pecunia, poſtea quando iam Eccleſia cœpit prædia retinere, quæ vendenda offerebantur à piis; oblationes fiebant etiam prædiorum integrarumq; villarum: atq; has oblationes immobilium iam vocamus *fundationes beneficiorum* ſeu *dotationes*. Imo quando iam templa ad Synaxes pagendas, in quibus verbum Dei populo fideli & Sacramenta miniſtrantur, cœperunt multiplicari, & paſſim conſtitui, legibus etiam datis Eccleſia voluit, vt nullum templum conſecraretur, niſi illud dotem haberet in certis redditibus ad ipſum templum ſartum tectum conſeruandum, ad luminaria, & ad miniſtrorum ſuſtentationem. Dotes vero huiuſmodi voluerunt Eccleſiaſtici, vt haberent etiam Oratoria, quæ non ad ſynaxes, ſed ad ſolam priuatam priuatorum orationem à fidelibus in ſuis domibus, vel prædiis erigebãtur. Et quod ad earum dotationem ſpectat, eam iam in vſu fuiſſe ſupponit Gelaſius Papa, dum Epiſcopo cuidam Eccleſiam quandam cõſecraturo illud præſcribit; *m Hanc inquit, ex more conuenit dedicare, collata primitus donatione ſolenni, quam miniſtris Eccleſiæ deſtinaſſe ſe præfati muneris teſtatur oblator.* In Aurelianenſi 4. Concilio illud ſtatuitur. *n Si quis in agro ſuo aut habet, aut poſtulat habere Diœceſin, primum & terras ei deputet ſufficienter, & Clericos qui ibidem ſua officia impleant.* Concilium etiam Valentinum tẽpore Lotharij Imperatoris idem ſupponit, vt antiqui moris: Ait enim; *o Item quia Parochiales presbyteri grauiſſime & indigne à ſæcularibus premuntur, nullaq; reuerentia ſacerdotali gradui ab aliquibus ſeruatur, & quia poſſeſſiunculæ vel dotes Baſilicis collatæ irreuerenter auferuntur, duriſſimoq; ſeruitio extenuantur, quod clamor ſacerdotum, & ruina etiam Baſilicarum produnt; placuit vt ipſi presbyteri ſub Epiſcopis, quibus adiutores ſunt, maneant, & ſub matre Eccleſia liberi & quieti officium Eccleſiaſticum exequantur. Dotes vero à fidelibus deſignatæ Baſilicis, ad hoc quod ſtatutum eſt ab eis vendicentur, nullaq; redhibitio cenſus inde à quolibet ſæculari exigatur, ſed quod Canonice tantum ordinatum eſt ſuppleatur. Si quis autem ſæcularium, &c.* Et poſtea. *Sed & ipſi ſæculares & fideles laici, ſi condere voluerint Baſilicas in prædiis ſuis ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, vnam colonicam veſtitam, cum tribus mancipiis, dotationis gratia, eis conferant: moxq; Epiſcoporum iuri, & ſanctæ matri Eccleſiæ eandem Baſilicam ſubmittant. aliter vero nos earum conſecrationem ſciant non impleturos. Illi autem qui dotes Eccleſiarum auferre, dure ſeruitium ab eis exigere, inſuper non metuunt periculum ſacerdotibus intentare, ſi actiones non melioraueri‹n›t, eorum excommunicationi nos addere nouerint deſtructionem penitus talium Baſilicarum; locumq; alium ſub pace meliori ſitum quæſituros, ibiq; pacificam Baſilicam conſecraturos.* Et in Concilio Vormatienſi illud habemus. *p Vnuſquiſque Epiſcopus meminerit, vt non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius, per donationem chartulæ confirmatum accipiat; Nam non leuis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſerui‹t›uri ſunt, tanquam domus priuata conſecretur Eccleſia.* Aurelianenſe etiam quoddam Concilium ita ſtatuit. *q Nemo Eccleſiam ædificet, antequam Epiſcopus ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat, publice atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodũ ſufficiant: & oſtenſa donatione ſic demum ædificet.* Ioannes vero Chryſoſtomus longe ante vehementius ſuos fideles ſuadebat, vt Eccleſias in villis ſuis erigerent, & dotarent. *r Fora, inquit, ac balnea faciunt multi: Eccleſias autem non item: & omnia magis quam has. Ideo oro, ac ſupplico, & gratiam peto, imo & legem pono, vt nullus, qui habet Villam, appareat carere Eccleſia. Ne mihi dixeris, Prope eſt: In vicinia eſt: Magnus eſt ſumptus, non magnum commodum: ſi quid habes inſumendum in pauperes, illuc inſume, melius illuc, quam ibi; educa magiſtrum, educa Diaconum, & ſacerdotalem ordinem: quaſi ducta vxore, vel ſponſa, vel data virgine, ſic erga Eccleſiam affectus es; dotem aſcribe illi, ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur.* Non conſentit Gregorius, vt Eccleſiæ ſiue etiam priuata *ſ* oratoria, imo vero ſingula quoq; *t* altaria in Eccleſiis conſecrentur, niſi de aſſignata dote etiam in portione hæreditatis ædificatoris conſtiterit. Sed & leges laicæ dotationem hanc Eccleſiarum *u* præcipiunt. Secutæ ſunt poſtea plures leges Eccleſiaſticæ c. ſancitum de cenſibus, &c. c. Cum ſicut de conſec. Eccl. &c.

m 16. q. 7. c. piæ mentis.
n Concil. Aurel. 4. c. 33.
o Concil. Valent. c. 9.
p Concil. Vorm. c. 3.
q De conſe. diſt. 1. c. nemo Eccleſiam.
r Chryſ. ho. 18. in Acta Apoſt.
ſ Greg. l. 2. Indic. 9. & lib. 11. ep. 58. & lib. 10. ind. 5. ep. 12. & l. 12. ind. 7. ep. 30. t Idem l. 5. Indic. 14. ep. 50.
u Nouel. 67.

VI. Baſilicarum ſane in vrbibus ædificatores, fundatores

tores & dotatores fuerunt ſæpiſſime magni viri, Principes, Reges, ac Imperatores, qui vere regali; hoc eſt liberaliſſima manu, ſuas ditarunt Baſilicas. Semper tamen pro fabrica, luminaribus, & miniſtris, vt in præcedentibus vidimus Conciliis. Vt propterea in huiuſmodi Baſilicis numerus miniſtrorum ſemper præfixus fuerit, ne vel paucitate ſeruitium Eccleſiæ pateretur, & redditus Eccleſiaſtici alicui fomes eſſent auaritiæ, & proprietatis; vel exceſſu Eccleſiæ ipſæ ad paupertatem redigerentur. Vnde habemus in Rhemenſi ſynodo ſub Carolo Magno. a *Vt in ciuitatibus & Monaſteriis non maior numerus ſeruientium Deo mittatur, quam poſſibilitas eis miniſtrandi fuerit.*] Et in Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludouico pio, ita ſtatuitur. b *Cauendum ſummopere Præpoſitis Eccleſiarum eſt, vt in Eccleſiis ſibi commiſſis. non plures admittant Clericos, quã ratio ſinit. & facultas Eccleſiæ ſuppetit: ne ſi indiſcrete & extraordinarie plures aggregauerint, nec ipſos gubernare, nec cæteris Eccleſiæ neceſſitatibus, vt oportet, valeant adminiculari. Sunt namq; nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numeroſam Clericorũ congregationem volunt habere, cui nec animæ, nec corporis curant ſolatia exhibere. Hi nanque taliter aggregati dum à Prælatis ſtipendia neceſſaria non accipiunt, neque Canonicum ſeruant ordinem, nec diuinis officiis inſiſtunt: Clauſtra ſocietatemq; cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi, & laſciuiæ, gulæ & ebrietati, & cæteris ſuis voluptatibus dediti, quicquid ſibi libitum eſt, licitum faciunt. Proinde Præpoſitis ſolerter prouidendum eſt, vt in hoc negotio modum diſcretionis teneant, ſcilicet vt nec plures quam oportet, & poſſibilitas Eccleſiæ ſuppetit in congregationem admittant; nec eos quos rationabiliter gubernare poſſint, cauſa auaritiæ excludant.* Numerum præfixum ſtabiliuit etiam c Gregorius nonus.

a *Syn. Rhe. c. 27.*
b *Conc. Aquiſg. c. 118.*
c *Transf. miſſa de verb. ſig.*

VII. Propterea Iuſtinianus Imperator, ſui muneris eſſe ratus incommoda huiuſmodi ab Eccleſiis Conſtantinopolitanis amouere, & fatetur dotationem earum à fundatoribus factam numerum præfixum inſpexiſſe; & lege data numerum miniſtrorum ad 3. priſcam reformat fundationis normam: aitque; d *Inueſtigantes igitur illud vndiq; inuenimus, quoniam ſinguli horum, qui ſanctiſſimas Eccleſias ædificauerunt in hac feliciſſima ciuitate; non pro ædificio ſolummodo cogitauerunt, ſed etiam vt expenſas ſufficientes darent à ſe factis venerabilibus domibus & determinarẽt quantos quidem competens eſſet presbyteros per vnamquanq; Eccleſiam, quantoſq; Diaconos, maſculos, & fœminas, & quantos ſubdiaconos, & rurſus Cantores atq; Lectores & Oſtiarios conſtitui: & ſuper hæc etiam oratorij* (hoc eſt pro reparatione) *expenſas definierunt: & redditus proprios dederunt ſufficientes iis quæ à ſe conſtituta ſunt: Si quis autem adiecerit multitudinẽ nequaquam amplius penitus extendi valentes. & quidem permiſerunt vſq; ad multum tempus talia conſeruata: & donec hoc fuit, durauerunt ſanctiſſimarum eleemoſynarum domibus quæ ſufficerent.* Poſtea narrat ex multitudine ordinatorum ad inopiam eſſe redactam Eccleſiam, & prædia ac ſuburbana oppignorata; atq; alienata ad ſoluendum æs alienum, contractum pro alenda nimia multitudine, creditorib. Reducitq; numerũ Eccleſię maioris ad ſexaginta presbyteros: Diaconos 100 Diaconiſſas 40. Subdiaconos 90. Lectores 110. Cãtores 25. Oſtiarios 100. quamuis Chryſoſtomus dũ eſſet Epiſcopus, ex bonis eiuſdem Eccleſiæ, & oblationibus, aleret e *quotidie ordinarios pauperes ad tria millia* preter miniſtros, & alios extraordinarios miſerabiles. Cuius etiam huc illud facit dictum: f *Magna prouiſione opus eſt vt Eccleſiæ facultates neq; redundent, neq; rurſus deſint.*

d *Nouell. 3. in præf.*
e *Chryſ. ho. 33. ad pop. Antioch.*
f *Idem l. 3. de ſacerd.*

VIII. Atq; hæ potiſſimum Eccleſiarum dotationes, cũ additis decimis & oblationibus, origo ſunt & fundamentum remotum omniũ Eccleſiaſticorum beneficiorum. Sane, ſi proprie loqui velimus, beneficium ſunt ipſa ſola bona temporalia, Eccleſiis donata à piis fidelibus ad ipſarum Eccleſiarum reparationem, luminaria, & ornatum, & ad miniſtrorum ſuſtentationem. Hinc eſt illud tritum & notiſſimũ inter Eccleſiaſticos dictum. g *Beneficium datũ propter officium.* Noſtri tamen Canoniſtę vt beneficiũ ipſum faciãt rem ſacram, ex officio ſacro, & eius beneficio ſiue vtili temporali, conflant neſcio quid vnum: & hoc conflatum vocãt *Eccleſiaſticum beneficium.* Ex iiſdem n. bonis Eccleſiaſticis tam redditibus, quã oblationibus & decimis, ſi ſeparetur aliquid pro mercede ſeruientium Eccleſiis, non in officiis ſacris, ſed in rebus mere corporeis, vt ad pulſandas cãpanas, ad villicationem, ad patrocinium temporalium, & ſimilibus, certe Campanarius, Oeconomus, Aduocatus, & ſimiles non dicuntur habere beneficiũ Eccleſiaſticum, ſed ſoli illi, qui ſacro ordine initiati ad ſacra officia & Sacramentorum adminiſtrationem aſſumuntur, & Eccleſiæ bonis ſuſtentantur, vere & proprie iam dicuntur *beneficiati.*

g *De reſcrl. c. fin. in 6.*

IX. Ac merito ſane; præcipuum enim quod ſemper Eccleſia intendit, aſſumẽs homines ad ſacra officia, per Eccleſiaſticos ordines, intendit ipſum officium ſacrum & miniſterium: ac ne aſſumptus propriis ſtipendiis militare cogatur, conſecutiuum eſt, vt ei neceſſaria tribuat alimẽta, iuxta illud. h *Qui altari deſeruiunt cum altari participant, & qui Euangeliũ annunciãt de Euangelio viuant.* Hinc eſt, quod per multa ſæcula in Eccleſia non ſit audita beneficij collatio, aut donatio; ſed ſola ordinatio, i quæ ſine certo titulo fieri neq; poterat neq; debebat. Miniſterium erat certũ cuiuſq; tam Presbyteri quam Diaconi, Lectoris Hypodiaconi, &c. certuſq; locus cuiq; aſſignabatur, in quo obſequia ſua quiſq; præſtare tenebatur. Abſolutas vero ordinationes, hoc eſt factas abſq; vllà deputatione loci ad exercendũ officium ordinis, k *nullas & irritas, voluit eſſe Eccleſia:* vt etiã explicatum eſt in Concilio l Meldenſi & Placẽtino, in quo habetur; m *Decernimus vt ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur: & in qua Eccleſia quis intitulatus eſt, in ea perpetuo perſeueret.* Atq; hæc ita decernit conſona, vt ait, ſanctorum canonum ſtatutis ſanctione. Nam etiam Anacletus quicunq; ille ſit ita ſcripſerat; n *Epiſcopi non in Caſtellis, aut modicis ciuitatibus debent conſtitui, ſed presbyteri per Caſtella & modicas ciuitates, atq; villas debent ab Epiſcopis ordinari & poni, ſinguli tamen per ſingulos titulos ſuos.* Et Concilium Valẽtinum ſub Rege Theodorico iã ſic ſtatuerat. o *Sed nec vllum ſanctorum ſacerdotum quiſpiam ordinet qui localem ſe futurum primitus non ſpopõderit.* Et in Aurelianenſi 5. Patres illi prohibent, *ne ſede aliqua vacãte in ea diœceſi vllus Epiſcopus audeat in ciuitate aut per Parochias ordinare Clericos.* Vbi idem procul dubio eſt ordinare; atq; Eccleſię deputare miniſtrum & aſſignare: Alia enim ordinario eſſe non poterat; niſi velis poſſe quempiam fieri virum & maritum, ſed ſine vxore. Imo adeo alligabatur ordinatus ſuæ Eccleſiæ, in cuius obſequium primũ ordinabatur, vt nulla ratione inde poſſet diſcedere; & leges Eccleſiæ plurimum vetant, ne alia Eccleſia alterius Eccleſiæ Clericum ſuſcipiat; vt eſt canon ſeueriſſimus tertius in Concilio Hiſpalenſi. Ideoq; Hidelbertus Epiſcopus Cænomanenſis, ſuum Subdiaconũ Wilhelmum liberat ab obedientia quam ei debebat, vt poſſet fieri in alia Eccleſia Archidiaconus. Sic enim ſcribit ad Claramontenſem Antiſtitem: p *Gratias igitur Beatitudini veſtræ de collato agens beneficio eundẽ Wilhelmum, vobis & veſtræ commodo Eccleſiæ, ad eam quam conſecratori ſuo debet obedientiam, liberum omnino, & abſolutum dimitto.*

h *1. Cor. 9. 13.*
i *Concil. Chal. can. 6.*
k *Diſt. 70. c. Neminem & c. per tuas de S. mon.*
l *Concil. Melden. c. 52.*
m *Diſt. 70. c. ſanct.*
n *Anacl. ep. 3.*
o *Concil. Valent. c. 6.*
p *Cænoman. ep. 55. in Biblioth. SS. PP. tom. 3.*

X. Originem hanc beneficiorum, atq; idẽ eſſe ordinare

nare & dare beneficium, explicant etiam Celebratores Concilij Colonienſis. a *Quoniam vero*, inquiunt, *primitiuæ Eccleſiæ facies, quod ad inſtitutionem miniſtrorũ attinet, paulatim immutata fuit, nimirum dotatis templis, ſacerdotiiſq; ac certis ſtipendiis miniſtrantibus conſtitutis; viſum ſubinde ſanctis patribus non abſq; multa ratione fuit, ne quiſquam ſine certo titulo, qui illi victum neceſſarium ſuppeditaret, ad maiores quos & ſacros ordines vocamus, ordinaretur; adhibita etiam non leui ſeueritate in Epiſcopos, qui ſecus facere præſumpſiſſent.* Beneficium igitur obtinere nihil aliud eſt, quam alicui ſeruitio Eccleſiaſtico addici, atq; inde ſuſtentationem accipere. Quod etiam in Concilio Agathenſi clare habetur; Sic enim ſtatuit, b *Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterq; deſeruiũt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitii ſui meritum per ordinationem Canonum à ſacerdotibus conſequantur.*

a Concil. Colon. par. 1. c. 2.

b 1. q. 2. c. fi.

XI. Beneficia tamen hæc Eccleſiaſtica tunc proprie, excluſo pene ſacro officio, exorta ſunt, quando non modo prædia & certa vectigalia in Eccleſia ſunt retenta; ſed etiam ea diuiſa ſunt & peculiaribus miniſtris ſeu officiis ſeu ſacerdotiis ſingulariter applicata. Tunc enim inducta turpiſſima & pernicioſiſſima proprietate, quod erat acceſſorium & connexum ſacro officio, factum eſt præcipuum: vt infra pluribus explicabo. Et hoc ipſum iam præcipue quæritur, poſthabito fere officio. Ita vt beneficium bonum, à minus bono, diſcernat, non Eccleſiaſticus ordo, aut munus, & officium, ſed temporalis quæſtus, copia aut inopia, & ad hæc beneficia, hoc eſt commoda & vtilitates opum & pecuniæ, conſeruanda & adaugenda, nunc fere Proceres Eccleſiaſtici omnes corporis & animi vires expromũt. Hinc tot leges & prohibitiones, ne bona Eccleſiaſtica alienentur, niſi in euidentem vtilitatem; vbi Apoſtoli & primitiua Eccleſia agros, & prædia Eccleſiæ oblata omnino alienari, & vendi voluerunt, preciaq; in vſum miniſtrorum & egenorum diſtribuerunt. Eccleſiam quoq; Romanam id aliquando ſeruaſſe ſcribit Theodorus Lector in hæc verba: c *Romanæ Eccleſiæ mos eſſe fertur, vt iura non ſint immota: ſed etiamſi cuipiam contingant, ſtatim vendantur, & precium in tres partes diuidatur; ita vt Eccleſiæ vna, Epiſcopo altera, clero tertia detur: & ſic etiam in reliquis rebus fiat.* Iuſtinianum etiam Imperatorem legi vetuiſſe d *ne bona Eccleſiarum alienari debeant.* Sed certum eſt leges haſce Imperiales non fuiſſe latas pro Clericis contra Eccleſiam, vt nimium illi abundarent, & poſthabitis Eccleſiæ ac pauperum neceſſitatibus in delitiis luxuriarentur; ſed pro Eccleſia contra Clericos, ne ipſi, dilapidatis Eccleſiæ bonis, illam, vel eorum precia in fraudem Eccleſiæ ſibi vſurparent. De his plura infra.

c Theod. lect. in colle. l. 2.

d Nouell. 7. 46. 67. 120.

XII. Contrariæ ſane leges: prior & antiquior, *vt agri & prædia vendantur, ac pretia in vſum miniſtrorum & pauperum diſtribuantur*: poſterior & recentior, *vt prædia retineantur, & ex fructibus ac redditibus neceſſitatibus occurratur.* Vtra fuerit Eccleſiæ vtilior, vſus ipſe & euentus ſatis docuit. Pretia enim rerum in proprietatem vix tranſire poterant, quia ſtatim in iam deſtinatos vſus erogabantur. Prædia vero, cum ſpecioſo titulo Dominij Villarum & colonorum, cum multiplici fructu collecta, facile animos adminiſtrantium peruerterunt, & proprietatem ſtatim inuexerunt. Huc additæ poſtea ſunt tot artes Clericorum ad matronarum hereditates aucupandas; & Auaritia (de qua infra plura) inter Eccleſiaſticos caput erexit ſordidiſſimi, effecitq; vt fideles pij videntes diuitias Eccleſiarum, & opulentiam Clericorum, manus contraherent, & priſtinam liberalitatem abolerent. Dum Clerici in pios vſus collectas, decimas, & oblationes omnes, egregie ac fideliter diſtribuebant, certatim omnes larga manu tribuebant. & quo plus Eccleſia erogabat, plura etiam vndique affluebant: ſed cum in priuatos non vſus tantum, ſed luxum etiam viderunt res pauperum à paucis Clericis conuerti, & abundare, cur non receptui canerent. & à tot largitionibus abſtinerent?

XIII. Non placet Ioanni Chryſoſtomo, quod Eccleſia prædia retineret, & bona temporalia quibus abundabat adminiſtraret. Cur tamen id oneris & moleſtiæ in huiuſmodi adminiſtratione aſſumpſerit, explicat cauſam, eamq; totam in duritiem & crudelitatem Laicorum refundit. Locus eſt pulcherrimus, non pigebit, etiamſi prolixior ſit, integrum referre. Ait enim. e *Agamus igitur pœnitentiam, demus eleemoſynam ab omni auaritiæ tabe purã: & demus non parce, ſed copioſe. Veniat in mentem vobis, octo millia Leuitarum, Iudæos alere ſolitos fuiſſe. & cum his* f *Viduas & parentibus orbos; Præterea muneribus, & tributis ſubiectos militiæ quoq; operam dediſſe: Nunc autem domos, agros, locationes, vehicula, equos, mulos, multaq; alia huiuſmodi propter vos & veſtram crudelitatem Eccleſia poſſidet. oportebat enim hunc Eccleſiæ theſaurum vos retinere, ac Eccleſiam nõ paruos ex noſtra deuotione conſequi fructus. Modo autem duo quædam mala committuntur. Nam & vos quaſi nihil dare debeatis, nihil confertis: & Dei ſacerdotes, à ſacerdotio aliena pertractant. An non enim poterant etiam tempore Apoſtolorum domus & agri ab Eccleſiis poſſideri? Cuius igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? quia id multo melius erat profecto. Nunc vero ſæcularium cura rerum, vobis furentibus, timor noſtros inuaſit patres, ne dum colligere ac nihil ſeminare ſtudeatis, viduarum, orphanorum, & virginum multitudo fame depereat, quare commoti hæc ſibi comparare coacti ſunt. Non libenter ad hanc ſe deformitatem immiſerunt, qui deſiderabant fructus ex noſtra deuotione ſic acquirere, vt orationibus ſolum attendere poſſent. Nunc vero coegiſtis eos eorum, qui ſæcularia gerunt negotia, curam & gubernationem imitari, vnde vniuerſa commiſcentur atq; turbantur. Cum enim & nos eadem ſolicitudine teneamur, quis propitium faciet Deum? Propterea os aperire non poſſumus, quia non melius Eccleſiæ, quam ſæcularia gubernantur. Non audiſtis quia nec quidem has pecunias. quæ abſque labore fuerunt, collectæ, diſtribuerunt Apoſtoli? modo autem in procuratores, diſpẽſatores, caupones redacti Epiſcopi ſunt. imo vero iſtos etiam cura & ſolicitudine ſæcularium rerum ſuperarunt: Cumque oporteat ipſos animarum habere curam noſtrarum, hoc prætermiſſo, illa ſolicite curant, quæ publicanis, quæſtoribus, atque Villicis curanda ſunt: De his quotidie cogitant ac peruigilant. Hoc non fruſtra deploro, ſed vt aliarum rerum mutatio quædam in melius fiat, vt & nos, qui grauem hanc ſeruitutem patimur, miſericordiam conſequamur; & vos fructus & theſauros Eccleſiæ præparetis; ſi autem ita facere non vultis, ecce ante oculos veſtros pauperes ſunt, ex quibus quotquot potuerimus alere, non negligemus: quos vero non poſſumus, vobis dimittemus: quos alite, oro, diligenter, ne in terribili die iudicij illa verba, quæ aduerſum immiſericordes dicentur, audiatis; fameſcentem me vidiſtis & non aluiſtis. Hæc certe inhumanitas nos quoque vobiſcum deriſibiles facit. Orationibus enim, atq; prædicatione, cæteroq; cultu Eccleſiæ prætermiſſo, alii vini, alii frumentorum venditoribus, alii cauponibus per totam vitam colluctantur: Vnde iurgia, contentiones, conuicia, opprobria quotidie oriuntur, & vnicuique ſacerdotum ſæcularibus idonea negotiis impoſita nomina ſunt. Oportet igitur in talia hæc mutari, & inde presbyteros nominari, vnde Apoſtoli leges ſanciebant: à nutritione videlicet inopum, ab eorum qui lædebantur protectione, à diligenti erga peregrinos cura, à patrocinio eorum qui opprimuntur, in orbos parentibus cura, à protegendis*

e Chryſ. ho. 86. in Matt.

f Deut. 14. 29.

gendis viduis, à defendendis virginibus. Hæc officia loco villarum & domorum cura presbyteris distribuere decet. Hæc ornamenta Ecclesiæ sunt; isti conuenientes thesauri, qui & vobis faciliorem vitam, & nobis fructuosiorem præbere possunt: Imo vero nobis quoq; non paruam afferent vtilitatem. Gratia enim Dei centum millia hominum huc conuenire opinor, quorum singuli si vnum panem quotidie offerrẽt paupertati, omnes certe pauperes abundarent: si vnum vnusquisq; obolũ solummodo, nemo penitus indigeret; & non adeo villis & agris intenti essemus, nec tot iurgia & conuicia pateremur. Illud enim Euangelicum, Vade ac vende vniuersa quæ habes, & da pauperibus, & veni ac ſequere me, *opportune nunc ad Ecclesiæ Præsides, propter latas Ecclesiarum possessiones & merito dici potest. Non enim sequi Christum aliter possumus, nisi omnis sæcularis curæ simus expertes. Nunc vero, proh dolor! Vindemiæ ac messi, Dei sacerdotes, & vẽditioni, & emptioni fructuum assistũt; & illi quidem, qui figuram atq; vmbram cultum habebant, quamuis corporalis eis administratio esset commissa, omnium tamen harum rerum erant immunes. Nos vero qui ad penetralia cælorum vocamur, quiq; ad vera sancta sanctorum ingredimur, mercatorum rursus, & cauponum curas suscipimus. Vnde & magna scripturarũ oritur negligentia, ingens in orando segnities, & cæterorum omnium contemptus. Non enim possibile homini est sufficienter studio atq; opera in vtraq; distendi. Quare rogo atq; obsecro multo nobis vndiq; fontis scaturiginem, aream q; atque torcular nostram deuotionem fieri. Sic enim & pauperes facilius eo alentur, & Deus glorificabitur, & vos ad maiora misericordiæ opera progressi æterna vobis bona impetrabitis.* Hæc Chryſoſtomus.

XIV. In eandem ſententiam rurſus idem pater ſuos fideles arguẽs, quod in erogandis eleemoſynis eſſent parciores, ita diſſerit: *a Neq; vllã nobis putemus esse excusationem, quod Ecclesia multa possideat; siquidem cum magnas videris eius diuitiarum facultates, et adscriptos pauperum greges, ægrotantium multitudinem, plurimas erogandi necessitates, considera, scrutare, & inquiras diligentius. Nemo prohibebit sed parati erunt impensarum rationem vobis afferre; tamen excessum fieri nolo cum enim rationes reddamus ostendamusq; non minorem prouentu sumptum esse, sed aliquando etiam maiorem, libenter vos illud interrogarem,* &c. Et poſt nonnulla, *siquidem* ait, *Ecclesia propter insipientiam vestram habere cogitur, quæ nunc habet. vt si secundum Apostolicas leges omnia facerent, prouentum eius esse oporteat studium vestrum, quod & arca certissima vobis esset, & incorruptibilis vobis thesaurus. Verum nunc cum thesaurizetis in terra, & omnia in loculis vestris concludatis, ipsa autem viduarum necessitatibus, in virginum choris, in hospitum aduenientibus, in migrantium miseriis, captiuorum calamitatibus, ægrotantium & vlceratorum ope, & aliis huiusmodi rebus consumere cogatur, quid nam faciendum est? An ne omnes hi expellendi, & tanti portus exaggerandi: & quis nam factis naufragiis sufficeret? quis lamentationibus? quis fletibus? quis vlulatibus vbiq; dispersis? Non igitur simpliciter quicquid in buccam venerit loquamur: & nunc quidem, quod iam dixi, rationes vobis afferre paratus sum.*

a Idem ho. 22. in 1. Cor. & hom. 37. ad pop. Antioch.

XV. Cauſam, cur Eccleſia ſuſceperit prædia Deo oblata, cũranda, refert ipſe, vt vidimus, in Laicorum inhumanitatem, inſipientiam, & puſillanimitatem, qui propriis curis intenti, pauperum obliuiſcerentur, & proprios duntaxat replerent loculos. *Oportebat*, inquit, *Ecclesiasticos agros & thesauros ab ipsis Laicis retineri, & administrari, atque in debitos vsus, ad alendos Christi ministros, & pauperes distribui, et erogari; ne sacerdotes his occupati, à suis spiritualibus ministeriis cessarent.* Sed longe melius fuiſſet (ignoſcat mihi vir ſanctiſſimus) id, quod ipſemet nunc dicebat, vt venderentur agri, & pecunia in pios vſus erogaretur; atq; interim Laici ditiores largitionibus Eccleſias, Eccleſiaſticos, & pauperes pergerent ſuſtentare, & ad Eccleſiam deferre; quæ per ſuos Diaconos & Oeconomos, eleemoſynas ipſas egregie diſtribueret. Timuerunt, *inquit Chrysostomus*, Patres, ne dum Laici ſtuderent colligere quidem ex ſuis prędiis amplos redditus, nihilq; ſeminarent eleemoſynarum, viduæ, orphani, aliiq; egeni fame deperirẽt, ac propterea bona ſtabilia, & redditus certos comparare, *inquit*, ſunt coacti. Illud tamen dixeras (da veniam Ioannes ſanctiſſime) ex detentione prędiorum, & aſſumptione adminiſtrationis eorum, poſtquam ad manus Eccleſiaſticorum peruenerunt, duo maxima mala eſſe exorta; Alterum quod Laici videntes diuitias in Eccleſia, arbitrati fortaſſe illas ſatis eſſe, & ſe conſequẽter ad eleemoſynas non teneri, à contributione earum manus contraxerint: alterum vero quod Eccleſiaſtici, cum maxima deformitate, omiſſis miniſteriis ſpiritualibus ipſorum propriis, ad tractanda temporalia; etiamſi ex charitate & pietate, ſe pene totos cõuerterint. Igitur Laici à cõtributione nõ ceſſaſſent, ſi diuitias in Eccleſia non vidiſſent. Non ergo crudelitas, aut inſipientia laicorum fuit cauſa, vt prædia retinerentur, ſed retentio prędiorum cauſa fuit, vt Laici fierent quodammodo crudeliores. Et ſi prędia in Eccleſia non eſſent, Epiſcopi aut ſacerdotes non fierent villici & caupones: ſed per ſuos inferiores miniſtros Eccleſiarũ, Clericorum, & pauperũ, vt iamdiu fuerat in Eccleſia, curam gererent per oblationes exactiſſimam; ipſi vero interim in propriis ſpiritualibus diſtinerentur exercitiis.

Quid vero diceret Chryſoſtomus his temporibus, quando nos Eccleſiaſtici toti immergimur in curis noſtrorum beneficiorum, hoc eſt bonorum temporalium, non ex charitate ad inſeruiendũ pauperibus, & alimenta inde eis diſtribuenda; ſed ex ſola auaritia, ad nos ipſos, & noſtros ditãdos; ſpretiſque pauperibus, ad delicias nobis comparandas, omnemq; luxum, de quo agam infra, conquirendũ? Profecto non diceret propter crudelitatem laicorũ erga Clericos nos bona temporalia adminiſtranda ad noſtrum & pauperum vſum & beneficium ſuſcepiſſe: ſed diceret propter crudelitatem Eccleſiaſticorum bona pauperum ſibi vſurpantium, & diuitias vndequaq; conquirentium laicos non modo à cõtributionibus abſtinere, ſed etiam quãtum poſſunt eniti vt ditentur bonis Eccleſiaſticis, eaq; ad ſe trahant, Eccleſiasq; expilent. Neq; dicamus ideo Eccleſiam theſaurizare, quia charitas laicorum refriguit; Re vera enim ideo charitas laicorum erga nos Eccleſiaſticos refriguit, quia prius charitas noſtra erga pauperes refriguit. Dicam ingenue quod ſentio, laicos pios optime & laudabiliter facturos, præſertim Principes, ſi bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem ſuſciperent, vt ſupra ſuadebat Chryſoſtomus, & *b* Auguſtinus cupiebat, eamque totam Clericis eriperent; ac inde Eccleſiis, Clero neceſſario, & pauperibus ipſi, ſed fideliter conſulerẽt. Pauperes ſiquidem ab Eccleſiis ſunt iam repulſi; Melius igitur ſub laicorum piorum, ac bene inſtitutis & rectis confraternitatibus eorundem gubernarentur. Procul dubio locupletatio Eccleſiaſticorum imminuit decimas, oblationes & eleemoſynas. Quod ſi careremus diuitiis, redirent antiquæ largitiones; qa etiam nos Eccleſiaſtici eſſemus meliores: & virtutibus conſpicui, Chriſtianorũ liberalitatem erga nos excitaremus. *c Qui enim diuites volunt fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas,* &c. Vſum tamen bonorum Eccleſiaſticorum melius explicemus. XVI.

b Possid. in vita Aug. c. 22.

c 1. Tim. 6. 9.

CAPVT

CAPVT IV.

Qui vſus Eccleſiaſticorum prouentuum eſſe debeant.

Svmma Capitis.

Vſus bonorum Eccleſiaſticorum eſt, vt miniſtri, & pauperes alantur, & Eccleſiæ conſeruentur. n. 1. idque ex Scriptura probatur. n. 2. & Patribus à n. 3. ad n. 12. Et Conciliis n. 13. ſed Nicolaus 1. ab his receſſit. n. 14. Principes etiam ſuis legibus bonum vſum præceperunt, n 15. 16. Ad captiuos etiam redimendos bona Eccleſiaſtica inſeruiunt. n. 17. 18. 19. Admonitio ad Prælatos. n. 20.

I. QVICVNQVE certa prædia, redituſq; certos Eccleſiis donauit, eos profecto ab ordinaria oblationum natura iſthac diſcedere nequaquam voluit: quo ergo oblationes panis, vini, frumenti, pecuniæ, debebant inſeruire, eodem etiam redditus, & prouẽtus prædiorum Eccleſiis oblatorum, omnino inſeruite debuerunt. Iam vero in præcedentibus huius libri capitibus ſæpius commemorati vſum oblationum omnium, ita etiam fundationum & dotationum Eccleſiarum ſemper fuiſſe in Eccleſia nõdum corrupta, vt inde Euchariſtia conficeretur, ſacræ epulæ celebrarentur, miniſtri Eccleſiæ, nec non etiã pauperes fideles alerentur, ipſæq; ſacræ ædes ſartæ tectæ conſeruarentur, luminariaq; Eccleſiæ concinnarentur; Hunc porro vſum, & non alium, in ſana Ecclesia perpetuo obſeruatum fuiſſe, hoc capite fuſius eſt mihi perſequendum.

II. Occurrit mihi in primis Verbum Dei, quo meliorem magiſtrum habere nullo modo poſſumus. In actis Apoſtolorum legimus, oblationes copioſas à fidelibus Hieroſolymis fieri ſolitas: *a adeo vt etiam multi ampla prædia venderent, & precia ante pedes Apoſtolorum reponerent, iiſq; in communi ſimul omnes fideles fratres ſuſtentarentur; & viduarum peculiaris cura habebatur, nec quiſquam egens erat inter illos.* Paulo adhuc ſuperſtite, Eccleſiæ abundabant, ex fidelium procul dubio oblationibus: illæq; & viduis indigentibus, & presbyteris in Vinea Domini laborantibus, erogabantur. Sic enim ſcribit ille, *b ſi quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non grauetur Eccleſia, vt iis quæ veræ viduæ ſunt ſufficiat:* Et ſubdit. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura, Non alligabis os boui trituranti, & dignus eſt operarius mercede ſua.* Ex communibus ergo bonis Eccleſiaſticis Epiſcopi & ſe, & ſuos presbyteros, & pauperes ſuſtentabant. Morem vero hunc Apoſtolicum in totam Eccleſiam tranſiiſſe, ac diu perſeueraſſe, vt bona quæ Eccleſiis conferrentur nullo alio vſu, niſi pro ſolis Eccleſiarum, Eccleſiaſticorum, & pauperum neceſſitatibus conſumerentur, iam facile eſt demonſtrare.

a Act. 2. & 4. & 6.

b 1. Tim. 5. 16.

III. Vrbani primi nomine antiquiſſima quædam Epiſtola Decretalis circunfertur, in qua præclare verus Eccleſiaſticorum reddituum vſus explicatur: Sic enim habet: *Ipſæ enim res, fidelium, oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis vſibus, quam Eccleſiaſticis, & prædictorum Chriſtianorum fratrum, vel indigentium conuerti: quia vota ſunt fidelium, & precia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino tradita. ſi quis autem, quod abſit, ſecus ageret, videat ne damnationem c Ananiæ & Sapphiræ percipiat, & reus ſacrilegii efficiatur.* Et paucis interiectis: *Hæc fratres cariſſimi,* inquit, *valde cauenda ſunt, & timenda: quia res Eccleſiæ, non quaſi propriæ, ſed vt communes, & Domino oblatæ, cum ſummo timore, non in alios, quam in præfatos vſus, ſunt fideliter diſpenſandæ.*] In Epiſtola etiam, quæ ſub Lucij nomine legitur, illud habemus; *d Qui Chriſti pecunias, & Eccleſiæ aufert, fraudat, & rapit, homicida in conſpectu iuſti iudicis eſſe deputabitur. Vnde ſcriptum eſt, qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem facit: qui autem pecunias vel res Eccleſiæ abſtulit, ſacrilegium facit. Vnde & Iudas qui pecuniam fraudauit, quæ vſibus Eccleſiæ, id eſt pauperibus, quos Eccleſia paſcere debet, rapiebat, non ſolum fur, ſed fur, & ſacrilegus factus eſt.*

c Act. 5. 10.

d Lucius Epiſt. 10. 1. par. 1.

IV. Cyprianus ex bonis Eccleſiæ pauperibus adeo ſubueniebat, vt peccatores à turpi lucro retractos, facultatibus Eccleſiæ ſuſtentaret. Ita enim ſcribit ad Eueratium de hiſtrione quodam, qui ad fidem conuerſus, adhuc in turpi arte perſeuerabat: *e Quod ſi penuriam talis, & neceſſitatem paupertatis obtendit, poteſt inter cæteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, huius quoque neceſſitas adiuuari; ſi tamen contentus ſit frugalioribus, & innocentibus cibis.* Et poſt pauca. *Et ideo quantum potes eum à prauitate & dedecore, ad viam innocentiæ, atque ad ſpem vitæ ſuæ reuoca; vt ſit contentus ſumptibus Eccleſiæ, parcioribus quidem ſed ſalutaribus. Quod ſi illic Eccleſia non ſufficit vt laborantibus præſtentur alimenta, poterit ſe ad nos transferre; & hic quod ſibi ad victum & veſtitum neceſſarium fuerit, accipere.* Et presbyteris, atque Diaconis illud mandat. *f Habeatur interim quantum poteſt pauperum cura, ſed qui tamen inconcuſſa fide ſtantes gregem Chriſti non reliquerunt, vt his ad tolerandam penuriam ſumptus per veſtram diligentiam ſuggeratur; ne quod circa fidentes tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Confeſſoribus etiam glorioſis impartiatur cura propenſior.*

e Cypr. lib. 1. epiſt. 10.

f Idem l. 3. ep. 10.

V. Origenes omnium optime negotium noſtrum, & ſane paucis, abſoluit. Diſpenſatorem enim bonorum Eccleſiaſticorum fidelem vult eſſe & prudentem iuxta illud Chriſti. *g Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore?* & ait: *h Conuenire autem in vnum fidelem atque prudentem, vt ſecundum vtrunque det conſeruis ſuis cibum in tempore, rariſſimum eſt. Vt enim in tempore det cibum, neceſſariam habet quis prudentiam; vt autem non adimat cibos in tempore indigentium, opus eſt fide. Non autem eſt importunum monere propter peccata, quæ in hominibus qui videntur credere Chriſto & in diſpenſatoribus Eccleſiarum plerunq; fieri ſoleat; quoniam & ſecundum ſimplicem intellectum multi opus habemus vt fideles ſimus pariter & prudentes, ad diſpenſandos Eccleſiæ redditus. Fideles quidem, vt non deuoremus quæ ſunt*

g Matt. 24. 45.

h Orig. tr. 31. in Matt.

ſunt viduarum, & vt memores ſimus pauperum, & occaſionem accipientes ex eo, quod ſcriptum eſt. a Dominus conſtituit ijs qui Euangelium prædicant, de Euangelio viuere, *amplius quæramus cibo ſimplici, & neceſſariis veſtimentis, vt ne amplius teneamus nobis, quam demus eſurientibus fratribus, & ſitientibus, atque nudis, & eis qui neceſſitatem patiuntur in ſecularibus curis. Prudentes autem, vt vnicuique ſecundum dignitatem vniuſcuiuſque ſubminiſtremus, recordantes quod dictum eſt.* b Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: *non enim ſimpliciter de rebus Eccleſiaſticis dare oportet vt vnum hoc obſeruemus, vt ne qua pauperum ſunt deuoremus, aut furtum faciamus de eis, ſed vt prudenter intelligamus indigentium cauſas, &c.*] Audis plane redditus Eccleſiaſticos eſſe pauperum, & Clericos qui illos diſpenſant, ſibi amplius non poſſe ſumere, occaſione debitorum ſibi ex Euangelio alimentorum, niſi quantum pauper alius debet accipere, victum ſolum, & veſtitum, ac pure neceſſaria.

a 1.Cor.9.15. b Pſal.40.1.

VI. Hieronymus explicans Vaticinium illud Iſaiæ de Tyro; c *Et erunt negotiatio eius, & merces eius ſanctificata Domino: Non condentur, neque reponentur, quia his qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent in ſaturitate, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem.*] d *Ad Chriſtianæ*, inquit, *felicitatis tempus interpretor, quod, poſtquam ædificata eſt, & recepit priſtinum ſtatum, & omnis negociator in antiquam conſuetudinem portuum eius ingreſſus eſt, & mercimonia, & labor eorum Domino deducentur, cernamus in Tyro extructas Chriſti Eccleſias: conſideremus opes omnium quod non reponantur, nec theſaurizentur, ſed dentur iis* e *qui habitant coram Domino, qui e ſeruientes altari participent cum altari. Miniſtrant autem Tyrii non ad diuitias, neque ad cumulandas ſacerdotum opes; ſed ad victus neceſſaria ſupplenda, vt iuxta Apoſtolum* f *habentes victum & veſtitum his contenti ſimus. & nota quod non dixerit, negociationes & merces Tyri ſanctificatas Domino, iis dandas qui habitauerint Hieruſalem, ſicut Iudæi arbitrantur; ſed qui fuerint coram Domino, qui ſeruiunt ei: ſic enim & Dominus conſtituit vt* g *qui Euangelium prædicant, viuant de Euangelio.*

c Iſa.23.18. d Hier.in Iſ.23.in fine. e 1.Cor.9.13. f 1.Tim.6.8. g 1.Cor.9.14.

VII. * Auguſtinus; h ſeu quis alius. *Non ergo habere debemus*, inquit, *temporalia ad poſſidendum; nec ego qui Epiſcopus ſum, habere debeo niſi tantum ad diſpenſandum; quia bona Eccleſiarum patrimonium pauperum ſunt.* Docetque pulcherrime Eccleſiaſticum quencunque, qui pro emolumentis temporalibus Deo ſeruit, & Euangelio, Deo nullo modo ſeruire ſed Mammonæ. Ait enim: i *Qui propter hoc Euangelium prædicat, vt habeat vnde manducet & vnde veſtiatur, ſimul ſe putet, &* k *Deo ſeruire & Mammonæ. Deo quia Euangelium prædicat: & Mammonæ, quia propter iſta neceſſaria prædicat; quod Dominus dicit fieri non poſſe: ac per hoc ille qui propter iſta Euangelium prædicat, non Deo ſed Mammonæ ſeruire conuincitur; & ſi Deus illo ad aliorum profectum, quomodo ipſe neſcit, vtatur.*] Et in libro de vita Heremitica ad ſororem qui putatur eiuſdem Auguſtini ita legimus capite quadrageſimo ſecundo. l *Quæ ſacroſanctis Eccleſiis à fidelibus collata ſunt, Epiſcopi, ſacerdotes, & Clerici diſpenſanda ſuſcipiunt, & non recondenda, non poſſidenda, ſed eroganda. Quicquid habent pauperum eſt, viduarum, & orphanorum, & eorum, qui altari deſeruiunt, vt de altari viuant.*] Idem Eccleſiæ morem explicat fuiſſe, vt in gentiles quoque egentes, & ſupplices ſuas eleemoſynas erogaret.

h Aug.ad fra. de her. ſerm.21. i Aug.de opere monac. c.26. k Matth.6.24. l Aug.10.1. ad fin.

VIII. Proſper. m *Tales ac tanti*, inquit, *viri* (vt Paulinus & Hilarius] *non vt poſſeſſores, ſed vt procuratores, facultates Eccleſiæ poſſidebant. Et idcirco ſcientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum; non eas vendicauerunt in vſus ſuos, vt proprias; ſed vt commendatas, pauperibus diuiſerunt.*] Et paulo poſt. *Quod habet Eccleſia cum omnibus nihil habentibus commune habet.*] Oblationes Proſper vocat *pretia peccatorum*; non modo quia ad obtinendam peccatorum remiſſionem fideles offerunt eleemoſynas, iuxta illud, n *Et peccata tua eleemoſynis redime*; ſed etiam quia pœnitentes oblationibus ſuorum bonorum pœnitentiæ Eccleſiaſticæ relaxationem ſolebant impetrare, cui pœnitentiæ pro peccatis, & diuturnæ ſæpe, & aſperę ſubiiciebantur. Scribit enim Petrus Damiani ad quendam Epiſcopum reprehenſionem, quod terras Eccleſiaſticas diſtraheret, & alienaret; & inter cætera ait, o *Præterea non ignoras, quia cum à pœnitentibus terram accipimus, iuxta menſuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus, ſicut ſcriptum eſt, Diuitiæ hominis redemptio eius. Perpende igitur, & congrua ratione conſidera, quia ſicut illis qui prædia præbent Eccleſiis, pœnitentiæ ſuæ pondera merito leuigantur, ſic ille qui ſubtrabit, ſubeundæ pœnitentiæ digna mole reprimitur.* Quæ pœnitentiæ relaxandæ ratio occaſio fuit turpiſſima clericalis auaritiæ adaugendæ. Atque inde venales illæ indulgentiæ emerſerunt, de quibus iam egi lib. 5.

m Apud. Concil. Aquisg.c.35. n Dan.4.24. o Apud Bar. tom.11.an. 1055.n.6.

IX. Chryſoſtomus, vt vidimus capite præcedenti, numero decimo quarto, paratus erat rationem reddere ſuæ adminiſtrationis bonorum Eccleſiaſticorum; & oſtendere ſumptus in tot pauperes ſuperare prouentum, & nihilominus murmur & maledicta illa à ſtultis patiebatur fidelibus; p *furatur, diripit, deuorat pauperum res; abſorbet ſubſtantias inopum.*] Notum erat igitur omnibus bona Eccleſiaſtica fuiſſe ſubſtantiam inopum, & res pauperum, non propria ſacerdotum, qui tantum eſſent diſpenſatores. Viduas multas & virginum choros Eccleſiaſtica pecunia ali ſolitos habes apud eundem q Chryſoſtomum. & ſi in proprium vſum conuertuntur Eccleſiaſtici redditus, hoc dicit eſſe vſurpare facultates viduis deſtinatas, & addit: *Quæ Eccleſiæ erogantur, continuo ſunt indigentibus diſpertienda. Cæterum in ſubditorum animis ac beneuolentia, Eccleſiæ theſauri collocandi. Enimuero quanta pecuniarum impenſa opus eſſe exiſtimas, tum in excipiendis hoſpitibus, tum in curandis ægrotis?*] Virginum quoque choros Eccleſiaſtica pecunia ali ſolitos ibidem habet Chryſoſtomus.

p Chryſoſt. hom.1.in ep. ad Tit. q Idem l.3. de ſacerd.

X. Agri Eccleſiæ ſub Ambroſio, quibus eſſent vſibus deputati, ſatis explicat ipſe Ambroſius, dum eos non plurimi facit, & permittit Imperatori auferendos, ſi ita velit: *Nam in ipſorum locum, ſi auferrentur;* r *Poteſt*, inquit, *pauperibus collatio populi redundare.*] Et addit: *Aurum quærunt? poſſum dicere, Argentum & aurum non eſt mihi. Sed inuidiam faciunt, quia aurum erogatur; nec ego hanc inuidiam perhorreſco. Habeo ærarios; ærarij mei pauperes CHRISTI ſunt. Hunc noui congregare theſaurum. Vtinam hoc mihi ſemper crimen adſcribant quia aurum pauperibus erogatur.*] Bonos diuites idem Ambro-

r Amb.orat. in Auxen. ep.32.

c ſius

ſius ait. *a Pauperes* CHRISTI *ſuis facultatibus ſuſtinere, qui poſſeſſionibus ſuis non aliter quam rebus pauperum præſint, vt Eccleſiaſticæ vtilitati ſub quadam procuratione famulentur, elaborantes ſinguli pro ſuarum virium portione, vt ad victum atque veſtitum familia Dei neceſſaria conferantur.*] Ad eandem Clericorum ſuſtentationem Eccleſiaſticos redditus inſeruire tradit idem, dum ait; *ſolere Clericis obrepere inimicum, vt dicant in corde.* b *Quid mihi prodeſt in Clero manere, ſubire iniurias, labores perpeti, quaſi non poßit ager meus me paſcere; aut ſi ager deſit, quaſi aliter exercere ſumptum nequeam? Itaque huiuſmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur, quaſi vero hoc ſolum ſit in Clerico, vt ſumptum expediat ſuum, & non vt diuinum ſibi poſt mortem potius ſubſidium locet.*] Totus enim protſus Clerus, & ſuperior, & inferior, Eccleſiæ ſumptibus alebatur.

a Idem ep. 84.
b Idem ep. 17.

XI. Nouerat Pelagius prior, in quo eſſent Romanæ Eccleſiæ opes, dum nondum erant adeo magnæ expendendæ. Monet enim Epiſcopum Arelatenſem vt dicat Placido Collectori. *c Vt quod de penſionibus poſſeßionum Eccleſiæ noſtræ collectum eſt, aut per ſuum hominem, aut per h[ominem] nobis dignetur dirigere portitorem; quia Italiæ prædia ita deſolata ſunt, vt ad recuperationem eorum nemo ſufficiat. Et ſi poßibile eſt vt nobis de ipſis ſolidis ſaga tomentacia quæ pauperibus erogari poſſent, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut ſi quæ aliæ ſpecies in Prouincia ſiunt, quæ pauperibus, vt diximus, erogari debeant, ex inde faciatis comparari, & opportunitate nauis inuenta, dirigite.*]

c Apud Baron. tom. 7. ann. 556. n. 21.

XII. Patrimonium Eccleſiæ Romanæ ſancti Petri, Gregorius vocat res pauperum: Scribit enim ad Protaſium Epiſcopum de Aquis Galliæ: *d Vigilio fratri & Coepiſcopo noſtro dicite, vt penſiones quas prædeceſſor eius per annos plurimos de patrimoniolo noſtro percepit, & apud ſe retinuit, ad nos, quia pauperum res ſunt, ſtudeat declinare. & ne res S. Petri, & pauperum eius, apud ſe retinere debeat admonete.*] Et ad Epiſcopum Panormitanum: *e Mobilia*, inquit, *in tua retineas poteſtate: immobilia autem Eccleſiaſticis redditibus aggregentur, vt multiplicata quantitate, Clericorum tuorum vſibus Deo largiente proficiant.*] Et in reſponſionibus ad Auguſtinum, *f Omne*, inquit, *quod ſupereſt neceßitatibus, in cauſis piis ac religioſis erogandum eſt.*] Loquitur vero de bonis Eccleſiaſticis: Et Adrianus Papa ab Imperatoribus Conſtantino & Irene patrimonia B. Petri repetit, *g vt eidem Dei Eccleſiæ reſtituant, pro luminarium concinnationibus, atque alimoniis pauperum.*] Idem habet *h* Nicolaus primus, & *i* Ioannes octauus. Vtinam nunc etiam noſtri Papæ colligerent patrimonia Eccleſiæ, pro concinnandis tantum luminaribus, & pro alimoniis pauperum. Bone Deus quot turpiſſimi tollerentur abuſus? & quam minor cura ad temporalia ſe extenderet! Zaccharias Papa Bonifacium Epiſcopum ſic monet; *k De cenſu autem Eccleſiarum, id eſt ſolidum de caſata ſuſcipe: & nullam habeas haſitationem, dum ex eo poteris eleemoſynam tribuere, ac in Chriſti Pauperes partim, & opus perficere ſacrarum Eccleſiarum, iuxta Canonum inſtituta.*] Eſt vero Apoſtolica conſtitutio, vt *l Epiſcopus diſpenſet oblationes, decimam, & primitias, quæ occaſione pauperum offeruntur orphanis, viduis & peregrinis gentibus.*]

d Greg. l. 5. ind. 14. ep. 55. & ep. 5.
e Id. l. 11. ep. 49.
f Id. l. 12. ep. 31.
g Adrian. ep. 1. tom. 2.
h Nicol. ep. 2.
i Apud Bar. to. 10. ann. 882. n. 9.
k Zacch. ep. 12. ibid.
l Conſtitut. Apoſt. l. 2. c. 29.

XIII. Concilia ſæpe bonum & legitimum vſum Eccleſiaſticorum prouentuum docuere. Gangrenſe Concilium antiquiſſimum, ſtatim poſt Nicænum celebratum, canonem habet huiuſmodi. *m Si quis dederit vel acceperit oblata, præter Epiſcopum, vel eum qui conſtitutus eſt ab eo ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.*] Antiochenum eodem tempore ſub Iulio celebratum, & approbatum in Trullo in ſexta ſynodo Generali, talem edidit Canonem poſtremum in ordine. *n Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reuerentia, & timore Dei. Participet autem & ipſe quibus indiget ſi tamen indiget, tam in ſuis, quam in fratrum, qui ab eo ſuſcipiuntur neceſſariis vſibus profuturis.*] Et punitur ibidem Epiſcopus, ſi in præiudicium pauperum, redditus Eccleſiaſticos ad ſe ſolum attraxerit. Hunc canonẽ ſequenti capite integrum ex alia traductione, repetemus. In ſynodo Romana ſub Symmacho, Baſilij viri illuſtris Scriptura quædã fuit reiecta, bona quidem, & vtilis iudicata Eccleſię, ſed quę legis Eccleſiaſticæ vim habere non poſſet, ex eo, quod à laico eſſet lata: Hæc Scriptura in reliquo bona & approbata illud habet: *o Iniquũ eſt, & ſacrilegii inſtar, vt quæ vel pro ſalute, vel pro requie animarum ſuarum, vnuſquiſq; venerabili Eccleſiæ, pauperum cauſa, contulerit, aut certe reliquerit, ab his quos hæc maxime ſeruare conuenerat, in aliã naturam transferantur.*] Aurelianenſe primum circa fructus agrorum à Rege Eccleſiæ conceſſorum definit, *p Vt in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis ſacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.*] Turonenſis ſynodus 3. ſub Carolo Magno ita ſtatuit; *q Epiſcopi quidem maximam curam & ſollicitudinem circa pauperes habeant, & res Eccleſiaſticas Eccleſiis oblatas, cauta circumſpectione diſpenſent, quaſi Dei miniſtri, non quaſi turpis lucri ſectatores; illiſque ita vtantur, non vt propriis, ſed vt ſibi ad diſpenſandum commiſſis.*] Item; *r Licitum vt Epiſcopus, præſentibus presbyteris, & Diaconibus, de theſauro Eccleſiæ, ſecundum Canonicam inſtitutionem, iuxta quod indiguerint, erogare.*] Item; *ſ Vt decimæ quæ ſingulis dabuntur Eccleſiis, per conſulta Epiſcoporum, à presbyteris, ad vſum Eccleſiæ & pauperum, ſumma diligentia, diſpenſentur.*] Cabilonenſe ſub eodem ait; *t Eccleſia ſancta, non ſolum fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre. vt debiles pauperes, viduæ, orphani & cæteri neceßitatem patientes à ſancta Eccleſia, tanquam à pia matre, & omnium gubernatrice ſubſidium accipiant, quia res Eccleſiæ, quibus Epiſcopi, non vt propriis, ſed vt commendatis vti debent, precia ſunt peccatorum, patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in communi viuentium.*] Aquiſgranenſe Concilium ſub Ludouico pio illud habet decretum; *u Res Eccleſiæ, ſicut à ſanctis patribus traditur & in ſuperioribus capitulis continetur, vota ſunt fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles nanque fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cœleſtis patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſanctam, locupletem fecerunt Eccleſiã, vt his & miniſtri Chriſti alerentur, & Eccleſia exornaretur, pauperes recrearentur, & captiui pro temporum opportunitate, redimerentur. Quapropter vigilanti ac ſolerti cura prouidendum eſt iis, qui eius facultates adminiſtrant, ne eas in ſuos ſolummodo vſus conuertant, ſed magis iuxta poßibilitatem rerum Chriſto famulantium, immo eorum in quibus Chriſtus paſcitur, & veſtitur, curam gerere penitus non negligant.*] Et poſt nonnulla. *Ergo res Eccleſiæ pauperibus & militibus Chriſti ſtipendiaria debent intelligi, &c.*] In altera ſynodo Aquiſgranenſi ſub Ludouico eodem, ſeuera habetur admonitio in hæc verba: *x Similiter ſcire conuenit Præſulibus, res Eccleſiaſticas, non vt proprias, ſed à Domino*

m Concil. Gangren. can. 8.
n 12. q. 1. c. Epiſcopus.
o Syn. Rom. 3. ſub Symm. c. 3.
p Concil. Aurelian. 1. c. 7.
q Synod. Turon. 3. c. 10.
r Ibid. c. 11.
ſ Ibid. c. 16.
t Concil. Cabilo. c. 6.
u Concil. Aquiſgr. c. 116.
x Syn. Aqu. 2. can. 7. ſub Ludou.

Domino ſibi pro aliorum neceſſitatibus commiſſas: atque iuxta Proſperi documentum, nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, quam vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum: Iccirco ſummopere eſt decertandum, ne aliquis Pontificum, ea quæ Eccleſiaſticis tradita ſunt miniſteriis pro remiſſione peccatorum, aut aliis aptanda officiis, aut pauperibus eroganda, ne aliquis ea propria cupiditate, aut potentum terrore, parentumque procuratione ad alios vſus retorqueat: ne forte quod aliis extat remiſſio peccatorum, ipſis ſit damnationis augmentum; ſed potius ſolerti meditatione indigentibus eas, & Eccleſiaſticis miniſteriis diſtribuant; ne ex inde à Domino velut inutilis diſpenſator damnetur. Verum, quod beatius eſt, deſiderabili voce laudetur, iuxta Euangelicæ parabolæ exemplum;
a Matt. 25. 23.
a *Euge ſerue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Ac rurſum in Aquiſgranenſi ſub Pipino illud ſtatuitur.
b ſyn. Aquiſgr. c. 6.
b *Prouidendum iudicauimus, vt ea quæ à Domino Imperatore, conſenſu Epiſcoporum, ob honorem & amorem Dei, Eccleſiis conceſſa ſunt, non in auaritiam presbyterorum, aut in rapacitatem Epiſcopalium miniſtrorum cedant, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, & in vſus Clericorum, & pauperum deueniant.* Definit octaua ſynodus dicta
c Oct. ſyn. c. 15.
c generalis, *poſſeſſiones Eccleſiaſticas eſſe ad vtilitatem* (in neceſſariis) *Epiſcopi. & ob eſcam pauperum. & peregrinorum ſuſtentationem.* Triburienſe Concilium ſub Arnulpho fatetur.
d Concil. Tribur. c. 13.
d *Decimas & oblationes, ſecundum ſtatuta canonum, in ſuſtentationem pauperum, & reſtaurationem Eccleſiarum proficere.* Et Concilium Nannetenſe;
e Concil. Nannet. c. 10.
e *Nouerint*, inquit, *presbyteri, decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hoſpitum, & peregrinorum eſſe ſtipendia: & non quaſi ſuis, ſed quaſi commendatis vti: de quibus omnibus ſciant ſe rationem poſituros in conſpectu Dei; & niſi eas fideliter pauperibus, & his qui præmiſſi ſunt, adminiſtrauerint, damna paſſuros.*

XIV. Longe ab hoc Eccleſiæ Spiritu diſceſſit primus, vt arbitror, Nicolaus huius nominis Romanus Pōtifex primus, qui audacter nimium, (ſi meus me non fallit zelus) reſtitutionem quandam à Carolo Rege petens Eccleſiaſticarum rerum, vt eæ ad manus Epiſcopi, iuxta Canonicas ſanctiones, redirent, ſubdidit:
f Nicol. Ep. 40.
f *Et ille* (Epiſcopus) *ſecundum timorem Dei, quibus voluerit, & quomodo voluerit, illas diſpenſet.* Placebat ei vt Epiſcopi eſſent Domini redditųum Eccleſiaſticorum, & quibus vellent, etiam propinquis & affinibus, ad abundandum donarent. Certe ſecundum timorem Domini, non quibus voluerint, & quomodo voluerint: ſed egenis tantum, & Clericis, viduis, & peregrinis, iuxta ſacras regulas, debebant illos diſtribuere.

XV. Principes etiam Laici, & verum vſum bonorum Eccleſiaſticorum agnouerunt. & illum ſuis legibus probauerunt, ac præſcripſerunt. Conſtantinus:
g C. de ſacroſ. Ecc. l. 1.
g *Habeat*, inquit, *vnuſquiſq; licentiam, ſanctiſſimo Catholico venerabiliq; Concilio, decedens bonorum quod optauit relinquere.* Concilio, *inquit*, non Epiſcopo, vlliue ſingulari perſonæ Eccleſiaſticæ, hoc eſt, in communitate totius Cleri, vt inde nimirum & ipſe viuat, & pauperibus eroget. Iuſtinianus illud dicit,
h C. eo. l. 42.
h *Qui conſtituerunt vel fundarunt ſanctiſſimas Eccleſias, pro ſua ſalute & communi Republica, reliquerunt illis ſubſtantias, vt per eas debeant ſacra liturgia fieri, & vt in illis à miniſtrātibus piis Clericis Deus colatur.* Idem vero, vt ſuperius docuimus,
i Nouell. 3. in præfat.
i numerum miniſtrantium voluit, cum facultatum quantitate metiri, quas ſciebat ad Cleri totius ſuſtentationem fuiſſe Eccleſiis condonatas; ita tamen, vt quicquid ſupereſſet in pauperes eſſet erogandum. Ait enim.
k Ibid. c. 3.
k *Sicut autem de his expenſam determinauimus, ita congruet pro tempore ſanctiſſimum Patriarcham, & Reuerendiſſimos Oeconomos conſiderare, vt aliæ expenſæ quæ fiunt ex Eccleſiaſticis redditibus, circa pios erogentur actus, & Deo placentes, & illis hæc miniſtrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliunde alimentorum occaſionem. Hoc enim Dominum Deum placat: & non patrociniis, & ſtudiis hominum, Eccleſiaſticas expenſas hominibus locupletibus diſtribuant; ita vt inopes inde neceſſaria non mereantur.* additque comminationes. Fatetur etiam
l Capitul. Franc. l. 2. c. 73.
l Carolus Magnus *ſe noſſe, iuxta ſanctorum patrum traditionem res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, precia peccatorum & patrimonia pauperum.*

Et in Concilio Vormatienſi, ſupplicationem XVI.
quandam populorum exhibitam fuiſſe Carolo Magno legimus in iiſdem Francorum Capitularibus, in qua multa rogant: inter alia ne Clerus militare cogatur: & quadam occaſione ſubdunt:
m Ibid l. 6. c. 283. 286.
m *Scimus enim res Eccleſiæ Deo eſſe ſacratas; ſcimus eas oblationes eſſe fidelium, & precia peccatorum. Quapropter ſi quis eas ab Eccleſiis, quibus à fidelibus collatæ, Deoque ſacratæ ſunt, aufert; procul dubio ſacrilegium committit! Cæcus enim eſt qui iſta non videt. Quiſquis ergo noſtrum ſuas res Eccleſiæ tradit, Domino Deo illas offert, atque dedicat; ſuiſque ſanctis, & non alteri, dicendo talia, & agendo ita: Facit enim ſcripturam de ipſis rebus, quas Deo dare deſiderat; & ipſam ſcripturam coram altari, aut ſupra tenet in manu, dicens eiuſmodi loci ſacerdotibus, atque cuſtodibus: Offero Deo atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur inſertæ, pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum; aut pro quocunque illas Deo delibare voluerunt, ac ſeruiendum ex his Deo in ſacrificiis Miſſarumque ſolenniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, & cæteris diuinis cultibus, atque illius Eccleſiæ vtilitatibus. ſi quis autem eas inde (quod fieri nullatenus credo) abſtulerit, ſub pæna ſacrilegii, ex hoc Domino Deo cui eas offero atq; dedico, ſtrictiſſimas reddat rationes.*

Adde his communibus bonorum Eccleſiaſtico- XVII.
rum vſibus, ſingularem vſum in captiuorum redemptione. De hac enim re Ambroſius egregie diſſerit, & factum ſuum quo vaſa myſtica confregerat, vt captiuos redimeret, optime defendit; aitque inter cætera;
n Ambr. li. 2. off. c. 28.
n *Sane ſi in ſua aliquis deriuat emolumenta, crimen eſt: ſin vero pauperibus erogat, captiuum redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere: vt pauper viuit? Nemo poteſt queri, quia captiui redempti ſunt. Nemo poteſt accuſare quia templum Dei ædificatum eſt. Nemo poteſt indignari quia humandis fidelium reliquiis, ſpatia laxata ſunt: Nemo poteſt dolere quia in ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorum eſt. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.* Conſentit
o 10. q. 2. c. ea enim §. hoc ius.
o conſtitutio noua Leonis & Anthemij Imperatorum, &
p 12. q. 2. c. Apoſtolicos.
p octaua ſynodus; &
q Eadem c. 14. 15. 16.
q Gregorius.

Facto etiam idem comprobauit, Deo gratias Epiſcopus Carthaginen. *qui captiuos Romanos à Genſerico Vandalo abductos, atque in Africam traiectos r diſtractis Eccleſiaſticis vaſis aureis, & argenteis, à miſera captiuitate, redimere ſategit.* XVIII.
r Vict. de perſec. Van. l. 1.
Ioannes item
ſ Anaſt. in eo.
ſ Papa temporibus ſuis *miſit per omnem Dalmatiam ſeu Iſtriam, multas pecunias, propter redemptionē captiuorum, quos deprædati erāt Gentiles.* Et ſane
t Bar. eo. t. an. 641. n. 2.
t Ioannes *fuit eo liberior*, inquit Baronius, *in erogando Eccleſiæ theſaurum, quod haud pridem viderat eum in damnum Romanæ Eccleſiæ fuiſſe ab Honorio congregatum. Sciebat enim inhiare Imperatores, eorumque miniſtros, in bona Eccleſiarum, & ſacrilegas inuaſiones ob eam cauſam ſæpe feciſſe. Vt igitur malum anteuerteret, conſuleretque Romanæ Eccleſiæ indemnitati, illud ſatis vtile exiſtimauit eſſe remedium, ſi, vt ſanctus Laurentius fecit, theſauros Eccleſiæ in pauperes continuo erogaret, nullum tutiorem ſciens eſſe locum ad theſauros recondendos quam pauperum ſinum.* Hæc Baronius: cuius mihi ordinaria in Principes Chriſtianos mordacitas non placet. Nam ſi licet, vt vidimus, Eccleſiæ theſauros in ca-

priuornm redemptionem expendere, cur non licebit eoſdem inſumere, vt, ne in captiuitatem abducantur, efficiatur? Non igitur eſt ſacrilega inuaſio, ſi pius Princeps, occaſione Reip. tuendæ, vbi neceſſitas ita exigit, theſauros etiam Eccleſiæ impendit; cum præſertim temporalia omnia etiam Eccleſiarum ſub poteſtate Principum pro communi bono perpetuo poſita eſſe, libro ſexto iam demonſtrauerim. Sane de Heraclio hæc ſcribit Theophanes, vbi de eius expeditione in Perſas; *a ſumptis autem mutuo venerabilium domorum pecuniis, à penuria coarctatus, accepit etiam Eccleſiæ magnæ multa candelabra, ſimul & vaſa miniſtratoria: quibus conflatis exarari fecit in his nummos aureos, & argenteos plurimos.*] Pietatis vero eiuſdem Heraclij fuit, quod, vt Suidas autor eſt, pecuniam, & aurum, argentum, & gemmas Eccleſiæ, quaſi in compenſationem ablatorum, poſtea remiſerit; & è fiſco annuam pecuniam pendi iuſſerit.

a Apud Baron. tom. 8. an. 623. n. 1.

XIX. Redemptio Richardi Anglorum Regis ex manibus Ducis Auſtriæ, præparata fuit, vt deplorat Petrus Bleſenſis, in Auſtriacum excandeſcens, *b Non de fiſcali ærario, non de theſauru Regalibus, ſed de patrimonio crucifixi, de ſuſtentatione pauperum, de Viduarum lachrymis, de ſubſtantia Religioſorum, de pupillorum alimentis, de dotibus virginum, de Eccleſiarum vtenſilibus, de crucibus, de calicibus conſecratis.*] Et c circunferri in Francia tradit Duarenus, Bonifacij diploma; *quo teſtatur, ac declarat, conſtitutionibus à ſe prius editis ademptam non eſſe facultatem Regi Francorum, pecuniæ collationem Eccleſiaſticis perſonis imperandi, vel inſcio Rom. Pontifice, quoties pro aris & focis pugnandum erit, idque ad patriæ defenſionem neceſſarium videbitur.*] Et bene ſubdit idem Duarenus. *Nam & Eccleſiæ, Eccleſiaſticorumque hominum vtilitas id maxime poſtulat, ne alioqui perforari ſinant nauem, in qua ipſi nauigant.*

b Bleſen. ep. 143.

c Duaren. de ſac. Eccl. miniſt. & beneſ. l 7. c. 10.

Atque hæc pauca de vſu prouentuum Eccleſiaſticorum dicta ſufficiant: Nam in ſequentibus idem vſus melius patebit. Quicquid igitur dicant poſteriores circa vſum redditutim Eccleſiaſticorum, quod ſit contra hæc clariſſima tot ſanctorum patrum & Conciliorum dicta, contraque praxim totius ſanctæ incorruptæ Eccleſiæ, quantumcunque illi & ſanctitatis, & Catholicæ doctrinæ celebre nomen inter nos modernos obtineant, id totum erit tota vanitas; dicam ingenue, & veniam poſco; etiam aſſentatio, fraus, & deceptio, vt propterea ſtulti ſimus nos Prælati, ſi poſtpoſitis his magnis noſtræ vitæ magiſtris, doctrinæ Euangelicæ innitentibus, velimus ſequi riuulos iam turbidos, qui nos non aqua limpida & pura refrigerent vt fontes, ſed veneno inficiant, inebrient & dementent. XXI

Venio ad abuſus.

* * *

CAPVT V.

Abuſus graues occaſione bonorum temporalium, in Eccleſiam irrepſiſſe.

SVMMA CAPITIS.

Bona temporalia prædiorum in Eccleſia detentorum primum incommodum pariunt, quod diſtrahant miniſtros curis indebitis n. 1. Longe peius incommodum eſt hinc ingreſſa auaritia, rapacitas, luxus, & deliciæ, & alia mala cum his connexa, quæ ab Apoſtolo deplorantur, n. 1. item à Patribus paſſim, & bonis Auctoribus, à n 2 ad n. 26.

Abuſus hoſce Eccleſia ſynodis & decretis eſt perpetuo inſectata. n 27 28. 29 30. Idem fecit Ioannes 22. n. 31.

Imo ne pro Eccleſia quidem ipſa theſaurizandum eſt in Eccleſia, tanto minus pro ſe cuiq. n. 32. Sed neque ingentes ſumptus in nimio fulgore ſacrorum templorum à ſanctis approbantur, ſed reprehenduntur. à n. 33 ad n. 37.

Sunt qui pompam Prælatorum defendant, ſed illi corripiuntur. à n. 38 ad n 46.

Principes ſuis legibus auaritiam clericalem; à Hieronymo & Auguſtino reprobatam, merito compreſſerunt. n 47. 48 49 50

Abuſus ſeorſim Monachorum diuitum conſideratur, qui ex labore manuum viuere tenentur, & prædia habere non poſſunt, à n. 51. ad n 65.

Excuſationes eorum ponuntur, & tolluntur à n. 66. ad n 70.

Nec ex mendicitate quidem licet Monacho viuere, quod licet Clerico. n 71.

Vnde ergo tam opulenta monaſteria? n. 72. Imperatores Græci modum in opibus monaſteriorum poſuerunt, & merito. n 73 74. 75.

Etiam ante ditationem Monachi auaritiæ ſordibus inquinati. n. 76. 77. 78. 79. Et poſt ditationem in graues abuſus eruperunt. à n. 80. ad n. 89. Opportunum remedium adhibuit Imperator Alexius. n. 90.

Auaritiam demum Clericorum etiam Baronius agnouit & reprehendit. n. 91. Ita & quidam Galli Epiſcopi n 92.

I. GRAVISSIMVM illud incommodum cenſebat ſuo tempore Ioannes Chryſoſtomus, ad viros Eccleſiaſticos ex terrenis poſſeſſionibus ab Eccleſiis retentis deueniſſe, *a* quod huiuſmodi curis occupari, à proprio munere docendi & euangelizandi, ac reliqua

a Chryſ. ho. 85. in Mat.

qua ſpiritualia tractandi, plurimum auocarentur, ac ferme fierent caupones. Incommodum ſane a Act. 6. 2. ab Apoſtolis etiam reputatum maximum. *a Non eſt æquum,* inquiunt, *nos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Auguſtinus igitur merito dicebat. b Poſſid. in vita Aug. c. 23. *b Malle ſe ex collationibus plebis Dei viuere, quam illarum poſſeſſionum curam vel gubernationem pati.*] Cura hæc propter ſolum etiam Deum, & ex charitate ſuſcepta, vt pauperibus inſeruiatur, ac ne bona pauperum in malum vſum à malis adminiſtratoribus conuertantur, aut ſaltem negligantur, aliena tamen à Dei ſacerdotibus iudicatur. quid vero erit vbi illa & pietatis, & charitatis ornamento deſtituta, fœdiſſima etiam auaritiæ & fraudis nota commaculatur?

II. Abuſus itaque turpiſſimus eſt; dum nos Eccleſiaſtici bona pauperum nobis vſurpamus, & in noſtrum luxum, noſtraſque delicias conuertimus, atque ad ditandos noſtros Eccleſias & pauperes fraudamus, ſoloque temporali lucro ex ſacris miniſteriis conquiſito, inhiamus. Quam vero hæc turpia ſint, quam iniqua, & Deo hominibuſque odibilia, ſalutique animarum noſtrarum aduerſantia, atque perniciosa, fuſius ex ſanctis magiſtris noſtris debeo aperire. Si tamen prius monuero, peſſimum hoc malum auaritiæ adhuc Apoſtolorum temporibus cœpiſſe Chriſti miniſtros turbare, & exagitare. *Erant enim qui* c 1. Tim. 6. 5. *c exiſtimabant quæſtum eſſe pietatem,* vt ait Apoſtolus; d Tit. 1. 11. *d Quique vniuerſas domos ſubuertebant, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.* e Tim. 3. 6. *e Ac domos penetrabant, & captiuas ducebant mulierculas oneratas peccatis.* f 2. Cor. 11. 13. Erant Corinthi *f Pſeudoapoſtoli, & operarij ſubdoli, qui ſeducebant Corinthios.* Paulique continentiam ficte & ex hypocriſi præſeferebant. Vt in quo gloriantur, inquit Paulus, inueniantur ſicut & nos; hoc eſt pauperes, & ne victum quidem ab ipſis Corinthiis accipientes, g Chryſoſt. hom. 24 in 2. Cor. ſed Euangelium gratis prædicantes. *g* Reuera tamen, vt explicat Chryſoſtomus, accipiebant pecunias, ſed clam; Nam propter huiuſmodi operarios doloſos, exprobrat idem Apoſtolus ijſdem Corinthiis: *ſuſtinetis,* inquit, *ſi quis vos deuorat.* Plurimum enim accipiebant, quod eſt deuorare. h Ibid. hom. 23. Et quia *h nihil ſic ædificat ſæculares* vt ait ibidem Chryſoſtomus, *ac non accipere, iccirco ipſe* i 2. Cor. 9. *i Apoſtolus nihil voluit à Corinthiis petere ad vitæ ſuſtentationem, licet poſſet & merito, vt alii, ne hinc Euangelii progreſſus impediretur, quamuis Corinthiis prædicans* k 2. Cor. 11. 9. *k Macedonitarum Eccleſiarum eleemoſynis ſuſtentaretur; & vbi quid ei deficeret, etiam ſuarum l manuum laboribus ſibi & aliis ſubueniebat.* l 1. Cor. 4. 12. & Act. 18. 3. & 2. 20. 34. 1. Theſ. 2. 9. & 2. Theſſal. 3. 8.

III. Si igitur Apoſtolis ipſis adhuc Euangelium prædicantibus, Iudæis atque Gentilibus fideles Chriſti perſequentibus, miniſtri tamen Euangelici Auaritiæ facibus incenſi, terrenis cupiditatibus, cum tanto Eccleſiæ Chriſti ſcandalo, immergebantur, quid mirum ſi poſtea ociosiſſima pace data Eccleſijs, ſub Chriſtianis & liberaliſſimis ac piiſſimis Principibus, opibus ad Eccleſias vndique confluentibus, turpiſſimi abuſus inualuerint? Perſecutionem ſane, quæ dicitur octaua, ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus, Cyprianus in eadem perſecutione glorioſo martyrio coronatus, in malos mores Chriſtianorum, m Cypr. ſer. de lapſis. ſed potiſſimum in turpem Eccleſiaſticorum auaritiam totam refundit. *m Deus,* inquit, *probare familiam ſuam voluit: & quia traditam nobis diuinitus diſciplinam, pax longa corruperat, iacentem fidem, & pene dixerim dormientem cenſura cæleſtis erexit.*] Et narratis aliquot vitiis communibus, ad noſtri ordinis homines accedit, & ait: *Epiſcopi plurimi, quos & ornamento eſſe oportet cæteris & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum ſæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas prouincias oberrantes, negociationis quæſtuoſæ nundinas aucupari: eſurientibus in Eccleſia fratribus, habere argentum largiter, velle fundos inſidioſis fraudibus rapere, vſuris multiplicantibus fœnus augere. quid non perpeti tales pro peccatis eiuſmodi meremur? cum iampridem præmonuerit, ac dixerit cenſura diuina: n ſi dereliquerint* n Pſa. 88. 31. *legem meam, &c.*]

IV. Hilarius explicans quid ſit comedere, ſeu deuorare populum Dei ſicut cibum panis, ait. o Hilar. in Pſ. 52. *o Sed & ſunt comedentes populum Dei vt cibum panis, quibus, vt idem Apoſtolus ait, Deus venter eſt: qui miniſterium deputant ad negotiationem: collationibus ſe plebis, & muneribus ditando, dum conuiuia ſub obtentu Religionis, ſumptuoſa ſectantur, dum apothecas ſuas inutili Religioſorum obſequio diſtendunt: cum conſuetudo ab Apoſtolis neceſſaria huius collationis, ad diuina tantum ſæculo renunciantium, aut per inopiam indigentium, alimoniam, fuerit inſtituta. De quibus ſcriptum eſt. p Comedentes domos viduarum, & oratione* p Matt. 23. 14. *longa orantes.*]

V. Nazianzenus inter alias ſuæ fugæ cauſas, ne præeſſet, illam affert, quia ſuo tempore plures eſſent, qui prælationes aucuparentur, quam qui eſſent regendi, abuſumque maximum recenſet illis verbis. *q Erubui de quibuſdam, quos* q Nazian. in apol. &c. *videbam nihil penitus ad emendationem vitæ ſuæ, nihil acquiſiſſe correctionis ad mores. Quinimo & nequiores effectos immundis, vt dicitur, pedibus irruentes certatim in ſacra, & priuſquam digni haberentur, primo aditu, ac ianuis, ad tribunal continuo tendere, atque ad ſacerdotium feſtinare; & repulſis cæteris, ipſis ſacris altaribus incubare; vt iam non ad formam & exemplar plebi præbendum ordo ille videatur, ſed occaſio quædam in abundantia & ſecuritate viuendi; nec officium ducatur futuro Dei iudicio obnoxium, ſed ſecum quædam & nunquam diſcutienda adminiſtratio putetur.*

VI. Baſilius, *r Periit,* inquit, *auctoritas ſacerdotalis; defecerunt qui paſcunt cum ſcientia ouile Domini, dum* r Baſil. epiſt. 69. *hi qui primos locos ambiunt, Oeconomias pauperum, in proprias voluptates, & munerum diſtributiones, inſumunt; annihilata eſt Canonum ſinceritas, licentia peccandi multa eſt.*] Quod ſi dicas hæc à Baſilio dici in Epiſcopos hæreticos; atqui hoc ipſum ego defleo, quod peſſimi abuſus, hæreticorum proprij, nobis ſint familiares: nos igitur qui ex bonis beneficiorum noſtrorum nundinas facimus; & noſtras pompas ſectamur, ac munerum immanitate ad ſolam ambitionem redditus Eccleſiæ vaniſſime conſumlmus; vel hæretici ſumus, & Canonum contemprores; vel hæreticorum mores induimus.

VII. Ambroſius auaritiam ſacerdotalem ſui temporis arguere non deſtitit: *ſ Nec de ſacerdotibus,* inquit, *ſilendum arbitror, ne noſtra videar diſſimulare delicta:* ſ Ambr. Apol. i. Dauid c. 4. *Aaron ipſe ſummus ſacerdos (quo Duce pariter, ac Moyſe rubrum pede mare tranſiuit populus Hebræorum) rogatus à plebe t vt DEOS ſibi faceret, quos adorarent: aurum popoſuit,* t Exod. 32. 2. *in ignem miſit, & caput Vituli figuratum*

eſt, cui ſunt oblata ſacrificia, quo indicio claruit auri cupiditatem materiam eſſe perfidiæ, & auaritiæ ſtudio ſacrilegia ſolere generari.] Nimirum in prælatis quos Aaroni comparabat & de ſacerdotibus ſe, ait, non ſilere.

VIII. Hieronymus a [a Hier. ep. 2.] Gloria, inquit, Epiſcopi eſt pauperum inopiæ prouidere: ignominia ſacerdotibus eſt propriis ſtudere diuitiis. Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano; qui vix milio, & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam & mella faſtidio: noui & genera, & nomina piſcium, in quo littore concha lecta ſit calleo, ſaporibus auium diſcerno prouincias, & ciborum me raritas, ac nouiſſime, damna ipſa delectant. Erant etiam eiuſdem [b Idem ibi.] tempore Hieronymi ex Clericis b qui paululum pauperibus tribuerent, vt amplius acciperent: & ſub prætextu Eleemoſynæ quærerent diuitias. Quæ magis, inquit, venatio appellanda eſt, quam Eleemoſynæ genus? ſic beſtiæ, ſic aues, ſic capiuntur & piſces. Modica in hamo eſca ponitur, vt matronarum in eo ſucculi protrahantur. Sciat Epiſcopus cui commiſſa eſt Eccleſia, quem diſpenſationi pauperum, curæque præficiat. Melius eſt non habere quod tribuam, quam imprudenter petere quod recondam. Addit ibidem: Procuratores & diſpenſatores domorum alienarum & villarum quomodo poſſunt eſſe Clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico quippiam rapere furtum eſt, Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt: accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis vel cautum eſſe velle, vel timidum; aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere; omnium prædonum crudelitatem ſuperat. ego fame torqueor, & tu iudicas quantum ventri meo ſatis ſit: aut diuide ſtatim quod acceperis, aut ſi timidus diſpenſator es, dimitte largitorem vt ſua ipſe diſtribuat. Nolo ſub occaſione mea ſacculus tuus plenius ſit: nemo mea melius me ſeruare poteſt, optimus diſpenſator eſt qui ſibi nihil reſeruat. Hanc Eccleſiaſticam auaritiam acrius ſugillat alibi. Conſiderans enim Barbarorum irruptiones, & Romanæ ciuitatis ruinas, nec non crudelitatem Epiſcoporum & Clericorum Orientis, vbi ille degebat, in magno pauperum concurſu, ex Occidente à Barbaris afflicto, ait, [c Hier. in proœm. li. 8. in Ezech.] c Cadit mundus, & ceruix erecta non flectitur; Pereunt diuitiæ, & nequaquam ceſſat auaritia: Congregare feſtinant quæ rurſum ab aliis occupentur: aruerunt lachrymæ; pietas omnis ablata eſt: multi qui petant: pauci qui tribuant. Nec erubeſcimus paupertatem vili palliolo præferentes, Craſſi opibus incubare; inque famem & interitum plurimorum noſtros [d Luc. 16. 21.] cuſtodire theſauros, ſecundum illum d diuitem purpuratum, qui vt nihil aliud fecerit (neque enim rapinas eius & iniquitates Scriptura teſtatur) crudelitas eius atque ſuperbia non habebat modum: Lazaro ante fores iacenti ſemineci, ne ea quidem iuſſit dari, quæ canibus proiiciuntur, quanti nunc Lazari iacent, & quanti purpurati diuerſis veſtium coloribus proteguntur, ne in vſum quidem proprium vertentes quæ peritura conſeruant? Hæc vero Hieronymum de Eccleſiaſticis protuliſſe conſtat; Nam vile palliolum ad eos ſolos pertinebat. Et excuſatio quam ſubdit, ſe liberius ex abundantia cordis locutum, quam humilitati ipſius conueniret, ſatis oſtendit id ipſum in Epiſcopos, & magnates Eccleſiaſticos illo dignitate ſuperiores, protuliſſe: quos purpuratos vocat, (quod optime nunc noſtris quadrat purpuratis) quia vile palliolum in non vile; ſed precioſum iam immutatum fuerat, vt ipſemet e conqueritur paulo [e Hieron. c 1.] inferius. Sicut & verba illa Ezecchielis f [f Ezech. 34. 6.] & non erat qui requireret: nobis Eccleſiæ Chriſti paſtoribus idem Hieronymus in eundem Ezecchielis locum applicat; dicens; Et non erat qui requireret, nec qui reduceret, quia deliciis occupati gregis Dominici damna non curant. Et poſt pauca. Quibus expedit vt mola aſinaria alligetur ad collum, quam vt minimum ſcandalizent de populo meo. Et hæc erit pœna eorum maxima, vt vltra non paſcant gregem meum; ne ſub occaſione ouium ſe ipſos paſcant, & opes congregent, & liberabo populum meum de ore eorum. Requiram, inquit, de manu, & liberabo de ore quod auidis faucibus deuoratur. Speluncam vero latronum factam eſſe Eccleſiam deplorat idem: Ex quo g [g Hieron. in Hieron. ep.] Auaritiæ, inquit, facibus Principes (hoc eſt Epiſcopi) inardeſcunt; & Regum quondam opes vile, aut certe non vile palliolum poſſidet. Vnde infert, Ego ego ſum; ego vidi, dicit Dominus: oculi mei contemplati ſunt, quod vos putatis occultum. tenebræ theſaurorum meam non fugiunt conſcientiam. h [h 2. Cor. 8. 9.] Qui cum diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt: Nunc in noſtris diuitiis erubeſcit & dicit; Væ vobis diuitibus qui habetis conſolationem veſtram, &c. Item, i [i Idem Hier. in Sophon. c. 3.] Eccleſiæ, inquit, Principes ſunt ſicut Leones rugientes. Non ambigimus de rugitu Leonum & diſcurſu, quando viderimus Principes eius ita in ſubiectos populos detonare, & voce tyrannica, rabidiſque conuiciis plebem conterere, vt non paſtorem in grege, ſed Leonem inter ouiculas frendere putes. Iudices quoque eius quaſi lupi Arabiæ occidentes veſpere, & nil relinquentes in mane, non aſpicientes ad ortum ſolis, ſed morantes ſemper in tenebris, & poſſeſſiunculas Eccleſiæ, & ea quæ in Dei donaria conferuntur, vertentes in lucrum ſuum, vt non habeant pauperes quod mane comedant: qui quaſi in nocte, & nullo vidente, omnia populantur, & cum Luporum more cuncta diripiant, ne paruos quidem cibos indigentibus derelinquunt. Item, k [k Idem in Matt. c. 28.] Omnes qui ſtipe templi, & iis quæ conferuntur ad vſus Eccleſiæ abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluntatem, ſimiles ſunt ſcribarum & ſacerdotum, redimentium mendacium, & Saluatoris ſanguinem. Item verba illa Iſaiæ. l [l Iſa. 3. 14.] Vos enim depaſti eſtis vineam meam, rapina pauperis in domo veſtra: explicat de nobis Epiſcopis dicens. m [m Hier. in Iſa. c. 3.] Sed & ad noſtros Principes referri poteſt, qui atterunt ſubiectam ſibi plebem, & rapina pauperum in domo eorum eſt, quando replent theſauros ſuos, & Eccleſiæ opibus abutuntur in delicias, publicaſque ſtipes quæ ad ſuſtentationem pauperum datæ ſunt, vel ſibi reſeruant, vel propinquis ſuis diſtribuunt: & alienam inopiam ſuas ſuorumque faciunt eſſe diuitias.] Item, n [n Idem Hier. in Michæam c. 2.] Sed & Eccleſiæ quoque Principes qui deliciis affluunt, & inter epulas atque laſciuias pudicitiam ſeruare ſe credunt, propheticus ſermo deſcribit, quod eiiciendi ſunt de ſpacioſis domibus, lautiſque conuiuiis, & multo labore epulis conquiſitis, & eiiciendi propter malas cogitationes & opera ſua. & ſi vis ſcire quo eiiciendi ſunt, Euangelium lege; o [o Matt. 22. 14.] In tenebras ſcilicet exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium. An non confuſio & ignominia eſt IESVM CHRISTVM crucifixum magiſtrum pauperem & eſurientem fartis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora præferre? ſi in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed conuerſationem quoque & abſtinentiam amplectamur. ſanctum vtique eſt & Apoſtolicum miniſterium, Viduis & pauperibus miniſtrare. p [p Act. 6. 2.] Non oportet; inquiunt,

dimiſſo

dimiſſo verbo Dei, miniſtrare nos menſis. At nunc non dico pauperes, non dico fratres, & qui rurſum inuitare non poſſunt (ex quibus excepta gratia nihil aliud epiſcopalis ſperet manus) ſed militantes, & accinctos gladio, & Iudices, excubantibus ante fores ſuas Centurionibus, & turmis militum, Chriſti ſacerdos inuitat ad prandium. Tota Clerici vrbe diſcurſant, quærunt exhibere Iudicibus quæ illi in Prætoriis ſuis aut inuenire non poſſunt, aut certe inuenta non coemunt. Nec vero arbitrandum quod generaliter ad omnes hæc dirigatur inuectio, ſed quod eos qui tales ſunt, pulſet ſermo propheticus, & comminetur eis ſupplicia, & tenebras ſempiternas, vt qui pudore & verecundia non tenentur, agant pænitentiam ſaltem comminatione pœnarum.] Hæc omnia Hieronymus. Cum itaque ipſius tempore tot iam abuſibus temporalium bonorum Eccleſiaſtici ſordeſcerent, quid mirum ſi idem vir ſanctus illud pronunciauit: *a Eccleſiam, poſtquam ad Chriſtianos principes peruenit potentia quidem & diuitiis maiorem, ſed virtutibus minorem eſſe factam?*

a Hieron. de vita Malchi tom. 1.

IX. Auguſtini, & ſi verba fortaſſe non ſunt, ad ipſius tamen mentem illa prolata non dubito, quæ ſic habent. *b Ego qui Epiſcopus ſum ſumme cauere debeo, ne res pauperum, quas Hipponenſis eccleſia conſeruare videtur, diuitibus dentur: quod bene feci hucuſque. Nam conſanguineos habeo, & nobiles ſe eſſe non erubeſcunt, & ad me Epiſcopum veniunt aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis dicentes. Da nobis aliquid Pater, caro enim tua ſumus. Et tamen Dei gratia, & veſtris orationibus mediantibus, conſanguineum aliquem me ditaſſe non recolo; cariores enim mihi reputo pauperes quam diuites: quia habentes victum & veſtitum fideles omnes contenti eſſe debent, maxime nos Clerici. In cuius rei ſignum capita tonſa & raſa habere debemus, ne diuitiarum capilli occupent mentem ſeruorum Dei.*] Nunc vero optima, & ſuprema etiam ſacerdotia, in ditandis domeſticis & propinquis impenduntur, inſumuntur, profunduntur. O tempora, ô mores!

b Aug. ad frat. in her. ſer. 21.

X. Proſper Aquitanus, *c Noluit Apoſtolus d de Euangelio,* inquit, *viuere ne gloriam ſuæ mercedis amitteret: quid nos qui & propria nolumus amore poſſidendi, non viuendi neceſſitate, relinquere, & accipere inſuper volumus, non vnde viuamus, ſed vnde cenſum noſtrum incrementis damnabilib. augeamus?*] Audis incremẽta hæc eſſe dãnabilia?

c Apud Concil. Aq. c. 111.
d 1. Cor. 9. 12.

XI. Seuerus Sulpitius laudat dictum cuiuſdam ſancti anachoretæ Africani, qui *e aurum quod ei porrigebatur, refugit altiori conſilio proteſtatus Eccleſiam auro non ſtrui, ſed potius deſtrui.* Deſcribit quoque idem Seuerus Sulpitius mores multorum ſui temporis clericorum, hoc pacto. *f Cæterum cum neque opere, neque virtute conſpicuus ſit, ſi quis clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias ſuas, gaudet ſalutationibus, inflatur occurſationibus, ipſe etiam vbiq; diſcurrit: & qui ante pedibus, aut Aſello ire conſueuerat, ſpumante equo ſuperbus inuehitur, parua prius, ac vili cellula contentus habitare, erigit celſa laquearia, conſtruit multa conclauia, ſculpit oſtia, pingit armaria, veſtem reſpuit groſſiorem, indumentum molle deſiderat. Atq; hæc charis viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus, illa vt butyrum rigentem, hæc vt fluentem texat lacernam. Verum hæc deſcribenda mordacius B. viro Hieronymo relinquamus.*]

e Sulpic. Dialog. 1. cap. 1.
f Ibid. c. 14.

XII. Gregorius, *g Sunt nonnulli,* inquit, *qui dum plus terrenam ſubſtantiam, quam oues diligunt, merito nomen paſtoris perdũt. De quibus protinus ſubditur: h Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, &c. Non paſtor, ſed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, ſed ad temporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt, qui locum quidem paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, &c.*

g Gregor. Hom. 14. in Euang.
h Io. 10. 12.

XIII. Beda explicans verba illa: i Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerint, & ſanctificauerint filij Iſrael in cunctis muneribus, & donariis ſuis.] *k Portat nanque,* inquit, *Pontifex iniquitates ſubditorum, id eſt, exportat & aufert, cum aut eos docendo ad pœnitentiam cõmiſſorum prouocat, aut pro pœnitentibus applicando gratiam eis iuſti Iudicis conciliat. Facit autem hoc in muneribus, & donariis, quæ ipſi obtulerunt Domino, & ſanctificauerunt, cum pro fructibus dignis pœnitentiæ, id eſt Eleemoſynis, cæteriſque operibus iuſtitiæ quæ fecerint, pœnitentes à reatu ſcelerum, quæ quondam patrauerunt abſoluit. Hæc quidem ita gerenda inſtitutio diuina, & in habitu Pontificis myſtice figurauit, & in verbis ſacri eloquij manifeſte docuit. Sed longe aliter, proh dolor, quidam præſulum faciunt, qui & donaria ſiue munera accipere imo exigere volunt à populo, & nil pro iniquitatibus eius vt exportentur, & caſtigentur, veniamq; accipiant curant laborare: cum ob hoc ſolum dona temporalia ſumere debeant à ſubditis, quod eos æterna bona prædicando ab errore correxerint, atque ad viam veritatis deduxerint, ad imitationem primorum ſanctæ eccleſiæ doctorum; qui illis à quibus temporalia percipiebant ſubſidia, confidenter aiebant, l ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus?*

i Exod. 28. 12.
k Beda de Tabernac. l. 3. c. 7.
l 1. Cor. 9. 11.

XIV. Bernardus frequens eſt in noſtris abuſibus recenſendis, & deplorandis, non pigebit illum, & ſi fuſior interdum ſit, exſcribere. *m Omnes,* inquit, *quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. Iſta quoque eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpem quæſtum, & tenebrarum negotium tranſiere: nec in his ſalus animarum, ſed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur; propter hoc frequentant eccleſias, miſſas celebrant, pſalmos decantant. Pro Epiſcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatiis, aliiſque dignitatibus, impudenter hodie decertatur. Vt eccleſiarum redditus in ſuperfluitatis & vanitatis vſus diſſipentur. Supereſt vt reueletur homo peccati, &c.*] Item, *n Timeant,* inquit, *Clerici, timeant miniſtri eccleſiæ, qui in terris ſanctorum, quas poſſident, tam iniqua gerunt, vt ſtipendiis quæ ſufficere debeant, minime contenti, ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impie, ſacrilegeque retineant ſibi, & in vſus ſuæ ſuperbiæ, atque luxuriæ victum pauperum conſumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.*]

m Bern. in Pſ. Qui habitat. ſer. 6.
n Idem ſup. Cant. ſer. 23

XV. Redit iterum ad Eccleſiaſticos miniſtros, & ait; *o Omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt: Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus, inde aurum in frænis, in ſellis, & calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent: Inde ſplendidæ menſæ & cibis & ſcyphis, inde comeſſationes & ebrietates. Inde cythara, lyra, & tibia. Inde p redundãtia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Pro huiuſmodi volunt eſſe, & ſunt eccleſiarum Præpoſiti, Decani. Archidiaconi Epiſcopi, Archiepiſcopi.*] Neſcio cur omiſit Patriarchas & Papas. Ac pergit oſtendere flendo: *Nunc eccleſiam merito dicere, q Ecce in pace amaritudo mea amariſſ. Amara,* inquit, *prius in nece martyrum: amarior poſt in conflictu hæreticorum; amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Inteſtina & inſanabilis eſt plaga eccleſiæ. Pax à paganis: Pax ab hæreticis: ſed non profecto à filiis.*] Atque hoc ipſum opus Antichriſti eſſe docet. Habet & r illud idem Bernhardus: *Non omnes ſunt amici Sponſi quos hodie ſponſæ hinc inde aſſiſtere cernis, & qui (vt vulgo aiunt) eam quaſi addextrari videntur. Pauci admodum ſunt qui nõ quæ ſua ſunt quærant, ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo:*

o Idem in Cant. ſer. 33
p Pſ. 143. 13
q Iſa. 38. 17.
r Bernar. in Cant. ſer. 77.

ſuo. Nonne ſi quempiam talium repente eminus procedentem aſpexeris ſponſum potius putabis quam ſponſæ cuſtodem? Vnde vero hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare, non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt defendere, ſed exponere; non eſt inſtituere, ſed proſtituere, non eſt paſcere gregem, ſed
a Pſ. 13. 4. *mactare, & deuorare: dicente de illis Domino;* a *Qui deuorant plebem meam ſicut cibum panis: & quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt. Et in alio Propheta*
b Oſea 4. 8. b *Peccata populi mei comedent, quaſi dicat: peccatorum precia,* hoc eſt, oblationes & eleemoſynas exigunt, & peccantibus debitam ſolicitudinem non impendunt. *Quem dabis mihi de numero præpoſitorum qui non plus inuigilent ſubditorum vacuandis marſupiis, quam vitiis extirpandis? Vbi qui orando flectit iram, qui prædicet annum placabilem Domino? leuiora loquimur, & grauiora grauius manet iudicium. ſine cauſa tamen vel illis, vel his immoramur, quia non audiunt nos. Sed & ſi literis forſitan mandentur iſta quæ dicimus, dedignabuntur legere; aut ſi forte legerint, mihi indignabuntur, quamuis rectius ſibi hoc facerent. Propterea relinquamus iſtos, non inuentores ſponſæ, ſed venditores;*
c Cant. 3. 3. *& inquiramus potius illos, à quibus* c *ſponſa ſe inuentam loquitur. Et quidem illorum iſti ſortiti ſunt miniſterii locum, ſed non zelum, ſucceſſores omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad Cathedram. Vigilarent vtique, ſolicite ſeruantes ab illis inuentam, ſibi creditam.*
d Pſ. 37. 12. *Imo vero euigilarent pro ſemetipſis, nec ſinerent de ſe dici:* d *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. Iuſta omnino querimonia: nec ad vllam iuſtius, quam ad noſtram referenda ætatem. Parum eſt noſtris vigilibus quod non ſeruant nos, niſi & perdant. Alto quippe demerſi obliuionis ſomno, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiſcuntur, vt vel ſuum ipſorum periculum expaueſcant. Inde eſt vt non parcant ſuis, qui non parcunt ſibi, perimentes, pariter, & pereuntes.*

XV. Quid vero illud, dum ait idem Bernardus, e *Hinc*
e Idem Ber. declam. in illud euang. reliq. omnia *eſt quod dotatas & ditatas videmus eccleſias à potentibus & diuitibus huius ſæculi, qui in operibus bonis diuites iuxta Euangelij admonitionem, amicos ſibi facere ſtuduerunt de mammona iniquitatis, à quibus in æterna tabernacula recipiantur: quid ni ſperarent ab his recipi qui claues videntur habere? Sed heu data eſt ipſa prouidentia eorum in occaſionem carnis: & qui ſibi pariter atque aliis in cælo tabernacula æterna parare debuerant, in terra coniungunt domum ad domum, & agrum copulant agro. Quis rapuit ab ore Apoſtolorum temporis huius verbum gratiæ fiduciæ verbum, ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te?* f *Ecce enim vt populus ſic ſacerdos. Si-*
f Iſa. 24. 2. *militer volunt in hoc ſæculo fieri diuites, ſimiliter imo abundantius ſuam hic percipiunt conſolationem: ſimiliter amicis egent & ipſi, vt in aliena ſaltem tabernacula ſuſcipiantur, vtpote propria non habentes. Beati enim pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Cæterum hominibus qui perfectionis obtinent locum, dignitate pollent, autoritate præeminent, funguntur officio, an inter hæc infirmitatis, & imperfectionis quam vſque adeo diffitentur liceat ſaltem ſperare remedium, ipſi hinc quoque ſint iudices. Nam quod minime deceat, manifeſtum eſt: nobis ſane liceat vel audire dicentem* g *ſi ſal infa-*
g Matt. 5. 13 *tuatum fuerit in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra niſi vt mittatur foras & conculcetur.*] Affert mox Dictum Hieronymi h *negantis fore partem in cælo*
h Hier. ep. 2 *Clerico, qui partem habeat in terra:* ſtatimque ſubdit.

Videtur & ſanctus David cauterio graui inurere quoſ- XVI.
dam, ſi ſi viderint quos hæc parabola tangat: i *In labore* (in- i Pſ. 72. 5.
quit) *hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia: Habent enim ſingula quæque genera hominum laboris, aliquid voluptatis, Sed aduertere eſt prudentiam aliquorum* (nos taxat prælatos) *& mirari, quemadmodum nouo inter hæc artificio diſcernentes, & ab inuicem ſequeſtrantes ea, totum quod delectat eligunt & amplectuntur, & quod moleſtum eſt fugiunt & declinant. Cum militibus nempe ſuperbiæ faſtus amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & ſimilia quæque frequentant; aliqui forte & dependentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem, atque gloriam veſtium à muliercula mutuantur. Cauent omnino Loricæ pondus, & inſomnes in caſtris noctes, incertaque diſcrimina præliorum, muliebrem quoque verecundiam & diſciplinam aut ſi quid aliud ſexus ille laboris habere cernitur, declinantes. Sudant agricolæ, putant, fodiuntque, vinitores, & qui inter hæc torpent ocio* (hæc omnia in nos prælatos) *accedente fructuum tempore renouari ſibi horrea iubent, &* k *promptuaria eorum plena: vti-* k Pſ. 143. 13
nam non pia illis, vtinam vel cum illis viuunt tritico, l *bibunt* l Deu. 32. 14
vuæ ſanguinem meraciſſimum: parum eſt: impinguantur & dilatantur adipe frumenti: herbarum viribus peregrinum mutuantur vina ſaporem, & additur oleum camino. Sed conſidera & negociatores; circumeunt mare, & aridam; in labore corporis & periculo vitæ perituras ſibi diuitias congregantes. Dura ſunt hæc, caueant prudentes noſtri; dulces interea capiant ſomnos, ne diu in ſtratu laſciuiant ſuis. Erit tamen inuenire in die feſto graues vaſis aureis & argenteis miniſtrorum dextras, refertas variis opibus manticas, perticas oneratas, & in ſcriniis tam multiplices loculos, vt ſi menſas adhibueris, nummularios putes. Quid fabros aut cæmentarios, cæteroſque huiuſmodi operarios neceſſe eſt numerare? Victum ſibi multo labore quærunt: illi madent deliciis, copiis affluunt otioſi.] Ac pergit. *Cum cœperint reſurgere homines vnuſquiſque in ordine ſuo, vbi putas generatio illa locabitur? Si ad milites forte diuerterint exſufflabunt eos quod minime ſecum laborem aut pericula tolerarint. Sic agricolæ & negotiatores, & ſinguli quique ordines hominum, à ſuis eos ſimiliter arcebunt finibus, vtpote qui in labore hominum non fuerint. Quid igitur reſtat niſi vt quos omnis ordo repellit, pariter & accuſat, cum ſortiantur locum vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat?*] Proſequitur vero idem argumentum fuſe, & oſtendit neque inter Clericos locum iſtos habituros, quia fuerint ex illis, quibus
dicebat Paul. m *Qui non laborat non manducet:* & qui- m 2. Theſ. 3. 10.
bus dicebat Chriſtus, *Paſce oues meas, non mulge, aut tonde.* n 10. 10. 1.
Nam qui aliunde aſcenderit, non Clericus, ſed n *fur eſt, & latro.* Inde vero ſubdit: *ſed nec eorum ſacrilegia recenſemus qui diligunt munera, ſequuntur retributiones, vendunt ſacramenta, iuſtitiam produnt; quorum guttur nec dum traxit ad laqueum; nec dum profe:auit fauces verbum blaſphemiæ, vox ſacrilega, ſermo nequam.* o *Quid vultis* o Mat. 26. 15.
mihi dare & ego vobis eum tradam?

Nec tacuit ibidem optimus Bernardus fures & XVII.
latrones, qui in eccleſiaſtica irrumpunt, aut irrepunt beneficia; pro ſolis bonis & commodis temporalibus. *Huic enim paruulo adhuc* inquit, *aut forſitan nec dum nato; eccleſiaſtica iam beneficia, prouida ſane parentum ſolicitudo parabat. Hunc nos inquiunt illi vel illi tradamus, epiſcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui forte ſeruiuimus vt dicitur de bonis Domini, nec in tot liberos noſtra diuidatur hæreditas. Illum Præpoſitus aut Decanus vt ſibi ſuccederet pluſquam materno educauit affectu, in deliciis enutriens & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, vtpote filius Principis: magis autem ſi ſit Epiſcopi conſobrinus, in quo nimirum eſt tota Epiſcopata progenies. Alius vndique circuit ſedulus explorator, blanditus, obſequit* ibi

ſequitur, ſimulat & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, manibus & pedibus repens, ſi quomodo tandem aliquando ſeſe ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona Domini quæ ſola ex omnibus hodie inueniuntur expoſita. Nimirum peregre profectus eſt, ſed in plenilunio forte, vt ſua diſtricte repetat, rediturus. Quis ea intentione gradus eccleſiaſticos & miniſteria ſanctuarii quærit, imo quæritur (quæri nempe quam quærere ipſe debuerat) vt ſine curis ſæculi in ſanctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & ſuam pariter ac proximorum operetur ſalutem, orationis ſtudio deditus, & verbo prædicationis? Nam ſi eos eo quærit aut tenet animo, eoque intuitu vt huius vitæ habeat neceſſaria; euangelizat vt manducet, & peruerſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur, quam certe dignius, ampliuſque conſentaneum rationi vt pro carnali victu, carnalia magis opera & negotia exerceret, nec fieret inuerſor rerum, aut inhonoraret myſterium ſpirituale? Sed modico eſt natura contenta, nec multi ſola in his neceſſaria quærunt, quippe minori facile ſatis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere ſtudent hominibus, delectari & ſuperbire, & huic ſæculo per omnia con-
a Oſea 8.4. formari.] Atque his applicat illud, a Ipſi regnauerunt & non ex me, Principes extiterunt, & ego non vocaui eos.] Mox addit. Nunc trahit ſua quemque voluptas: & odorem turpis lucri ſectantes, quæſtum æſtimant pietatem, quorum certa eſt damnatio. Inter duodecim Apoſtolos vnus Diabolus fuit. Vtinam, inquit, in duodecim vnus hodie Petrus, vnus qui reliquerit omnia, vnus qui loculis careat inueniatur.

XVIII. Et poſt nonnulla idem hæc ibid. habet. Iam qui per Chriſtum ſibi in ſortem miniſterii huius introiſſe videtur, (nam ſunt qui aliunde aſcendant vt fur & latro) de cætero quemadmodum ei ſeruiat quemadmodum miniſtret, quemadmodum paſcat tripliciter vt prædiximus gregẽ Dn. ſolicita ſecũ examinatione diſcutiat. Indignus enim lacte & lana conuincitur, ſi non paſcit oues. Si nõ vigilat in cuſtodia gregis, iudicium ſibi manducat & veſtit. Væ væ tibi Clerice,
b Reg. 4.14 b mors in olla, mors in olla carnium: mors in huiuſmodi deliciis eſt: non modo quia ſecus introitum poſita eſſe cognoſcitur, ſed ob id maxime quia populi conſtat eſſe peccata quæ comedis, ſumptus eccleſiaſticos grauis habere reputas? cantando (vt aiunt) tibi prouenire videntur. Sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare: peccata enim populi comedis, ac ſi propria minus tibi ſufficere viderentur. Solicitus eſto tanquam redditurus rationem pro eis, gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus; Alioquin tibi ea nouerís imputanda, quæ modo inter delicias comedis, & paruipendis, & diſſimulas tanquam nihil attinentia tibi. O c
c Pſ.35.7. iudiciorum Dei abyſſus multa! O terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum. Fruſtra tunc incipient miſeri dicere montibus, d cadite ſuper nos: & collibus, operite nos.
d Luc. 23. 30. Veniet, veniet ante Tribunal Chriſti, audietur populorum querela grauis, accuſatio dura, quorum vixere ſtipendiis; nec diluere peccata, quibus facti ſunt Duces cæci, fraudulenti mediatores, quid tibi inſipiens deliciæ ſapiunt? quid diuitiæ illæ cæcos delectant oculos, quibus mercaris tam graue iudicium, tam dura temetipſum obligas rationi? Vniuerſa quidem vſque ad quadrantem nouiſſimum
e 1 Tim. 5. 17 exigeris. Sed eſto quis e ſtudioſe & fructuoſe laboret. Dignus plane eſt operarius mercede ſua, vt qui f altario ſer-
f 1 Cor. 9. 13. uit de altario viuat. Viuat, inquam, de altario, vt iuxta eundem Apoſtolum alimenta & quibus tegatur habens his contentus ſit. Tertium et hoc periculum eſt. De altario inquit, viuat, non ſuperbiat, non luxurietur, denique non ditetur; nec contra ſancti cuiuſdam plane dignam omni acceptione ſententiam, ex clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutatis in quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut ſuperfluitate diſpergat. Non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. Sane patrimonia pauperum, facultates Eccleſiarum, & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non vtique Domini, vel poſſeſſores, vltra victum accipiunt & veſtitum. Nec enim ordinauit Deus iis qui Euangelio ſeruiunt de Euangelio quærere, aut habere delicias vel ornatum: ſed viuere (ait Paulus) ex eo, vt videlicet ſint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulæ, aut incentiua libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.] Et poſt pauca. Aut quando poterit neceſſariis eſſe contentus, qui eo animo intrciuit, vt ſtipendia Cleri in vſus voluptatis, curioſitatis & vanitatis, congreget, ſer- g Idẽ Bern. in parab. de Chriſt. & eccl.
uet, expendant? Item alibi, g Omnes ſe ipſos amantes, h quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Ieſu Chriſti, qui i hæreditate ſibi vendicauerint ſanctuarium Dei, & polluerunt h Phil. 2.21
tabernaculum nominis eius, non Deo in eo, ſed voluptatibus & voluptatibus ſuis ſeruientes: quæque Deo oblata vel i Pſ. 82.13.
ſacrata in ſuos vſus vertentes, facientes enim ſibi de nominibus & officiis Religionis nomina, & auctoritates auaritiæ, elationis & vanitatis k tunicam illam charitatis k Io. 19.23.
inconſutilem deſuper textam per totum, purpureumque illud fidei pallium precioſo ſanguine agni tinctum, quibus nuditatem ſponſæ ſponſus operuerat, cæteraque religionis ornamenta reluctanti & reclamanti Eccleſiæ detraxerunt.] Pergitque ibidem deplorare vir ſanctus, eccleſiaſticam diſciplinam in ſolis cœnobiis vix exilem retineri, & nihilominus hanc etiam à ſuis non cuſtodibus, ſed latronibus, vt ipſe loquitur turbari: innuitque, ſuo allegorico ſermone, eccleſiæ magnos Dynaſtas ad ſe rapere cœnobiorum bona in commendas; & ſub prætextu eccleſiaſticæ dignitatis, & pompæ, clauſtralem diſciplinam non tolli, & impediri, hypocriſimque eorum viam Antichriſto iam præparare. Hæc ſunt, addit, hæc ſunt eccleſiæ periculoſa tempora, in quibus in pace facta eſt amaritudo eius amariſſima. Sed tria, væ, abierunt: adhuc reſtat vnum væ; ſcilicet Angelus Sathanæ, in Angelum lucis ſe transfiguraturus, ſeſſurus in Templo Dei, & oſtenſurus ſe tanquam ſit Deus; qui iam myſteria iniquitatis operatur; præcunciis eius iam vndique eccleſiæ ſugillantibus, ecce hic, ecce illic:

Habet & illud alio loco ſcribens ad quendam XIX.
magnum Archiepiſcopum l Sed etſi ego ſileo, ne ponere videar in cælum os meum, clamatur tamen in Eccleſia m l Idem Bern. Ep. 42.
Non in veſte precioſa: clamatur autem ſpecialiter ad feminas, vt erubeſcat in ſe deprehendi Epiſcopus, quod in fragiliori quoque ſexu audierit reprehendi. An forte nulla timetur confuſio, ſi ego ſolus ſubmuſſitare deſidero? Nunquid & ſi ego non loquor, ſua cuique non loquitur conſcientia? quid ſi alius audacior me non quidem de Apoſtolo, vt ego, non de euangelio, non de propheta, non denique quippiam eccleſiaſticum, ſed illud tantum Gentilitium ingerat: m 1. Tim. 2. 9.

n Dicite Pontifices,——
non quidem in ſancto, ſed
——in freno quid facit aurum? n Perſius Satyr. 2.

quam tolerabilius cernitur in ſancto, quam in fræno? Hoc me etiam tacente, etſi non curia Regum; tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, ſed non fames. Fama quidem ſilet, quia non poteſt mundus odiſſe vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, à quo potius o o Pſ. 9. 24.
laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur? Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: Dicite Pontifices in fræno quid facit aurum? Nunquid aurum à freno repellit frigus ſiue eſuriem? Nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis, & nos

etiam

etiam Dei plaſmatio, & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus. Nos ergò fratres veſtri videte quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros, vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de vna prodeũt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clauata quædam corrigiæ, multaque talia tam ſpecioſa coloribus, quam ponderibus precioſa, mulorum dependent ceruicibus, fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes apponitis. Huc accedit quod hæc omnia nec negociationis ſtudio, nec proprio manuum exercitio vobis elaboraſtis; ſed nec iure hæreditario poſſidetis, niſi forte

a Pſ.82.13. & vos in corde veſtro dixeritis. a Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei. & hæc pauperes modo quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur. Nec enim audent aperte cauſari aduerſum vos, quibus interim pro ſua vita neceſſe

b Sap.5.1. habent potius ſupplicare. Cæterum in futuro b ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, ſtan-

c Pſ.67.6. te quippe pro eis c patre orphanorum & iudice viduarum.]

d Idẽ Bern. ep.152. Et ad Innocentium Papam, d Inſolentia, inquit, Clericorum, cuius mater eſt negligentia Epiſcoporum, vbique terram turbat, & moleſtat eccleſiam. Dant Epiſcopi ſanctum canibus, & margaritam porcis; & illi conuerſi conculcant eos, merito quales fouent, tales & ſuſtinent, quos ditant eccleſiæ bonis, non corrigunt eorum mala, maloſque grauati portant. Alienis nimirum laboribus locupletantur

e Pſ.72.7. Clerici, comedunt fructum terræ abſque pecunia; & e prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum, quos proprie, hodieque

f Exod.32.6. reſpicit vetus illa Scriptura: f ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Mens quippe aſſueta delitiis, nec exculta diſciplinæ ſarculo, multas cõtrahit ſordes. Porro ſi inueteratam rubiginem tentes abradere, nec ſummis ſal-

g Deut.32.25. tem digitis contingi patientur, ſed ſicut ſcriptum eſt: g Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit.] Et ad quendam

h Idem Bern.ep.2. Archidiaconum ſcribens, h Conceditur, inquit, tibi vt ſi bene deſeruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris, vt de altario ſuperbias, vt inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia, griſeaq; pellicea à collo & manibus, ornatu purpureo, diuerſificata. Deniq; quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altario retineas, tuum non eſt, rapina eſt, ſacri-

i Idem de conſid.l.4.c.2. legium eſt.] Et de Papa quid ait? i Inter hæc tu Paſtor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate. Oues quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quam ouium paſcua hæc. Scilicet ſic fructitabat Petrus, ſic Paulus ludebat? vides omnem Eccleſiaſticum zelum feruere ſola pro dignitate tuenda, honori totum datur, ſanctitati nihil, aut parum. — De placito Dei vltima mentio eſt, pro iactura ſalutis nulla cunctatio, niſi quod ſublime eſt, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redolet, id iuſtum, &c.]

XX. Inter opera Bernardi, eſt cuiuſdam ſermo ad Paſtores in Synodo congregatos, non contemnendus: in quo ita legimus: Quis obſecro laicorum auidius Clericis quærit temporalia, & ineptius vtitur acquiſitis? Cum tantum factum videant laici in ſupellectili Clericorum, nonne per eos potius inuitantur ad mundum diligendum quam negligendum? Medice cura te ipſum. Si mũdum prædicas contemnendum, contemne tu prius, & ad hoc ef-

k Pſ.67.35. ficacius alios inuitabis. Da k voci tuæ vocem virtutis: conſo-

l Heb.4.12. net vita verbũ, & ſtatim erit in ore tuo l viuus & efficax ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipite. Non ſic profecto eſt, ſed ſicut populus, ſic & ſacerdos, ſicut laicus, ſic & Clericus, vterque capit, vterque diligit mundum; & ea quæ in mundo ſunt: laicus tamen cum labore, Clerici ſine labore volunt poſſidere totum mundum: Communicare volunt cupiditati & ſuperfluitati hominum, ſed non labori:

m Pſ.72.5. peccare volunt, ſed non m flagellari cum hominibus; vnde timendum eſt quod flagellentur cum Dæmonibus: Quomodo ſæculares non expenderent ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe, etiam in præſentia ſacerdotum, quomodo non intenderent vanitatibus & lenociniis huius ſæculi, quomodo non eſſent inſolentes & elati, cum tantum faſtũ, tantam inſolentiam videant Clericorum? Nonne in præſentia eorum irreuerenter abutimini eleemoſynis pauperum? De patrimonio crucis Chriſti non facitis codices in eccleſiis, ſed paſcitis pellices in thalamis veſtris; impinguatis canes, adornatis equos, phalerantes pectora, & capita deaurando, & vere in n capitibus omnium platearum diſper- n Thren.4.1.

ſi ſunt lapides ſanctuarii. Plateæ latæ ſunt, & lata eſt via quæ ducit ad mortem. Lapides ſanctuarii, id eſt ſacerdotes ſunt in capitibus, id eſt, in introitu latarum viarum. Docent enim populos per praua exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum inferni. Dolor capitis in membra redundat.] Et paulo poſt. Apud Prælatos eccleſiæ inualeſcit cupiditas, & charitas refrigeſcit. Et merito clamat eccleſia ſancta hodie, o Ecce in pace o Iſa.38.17

amaritudo mea amariſſima, &c.

Contra eundem Clericorum luxum ſicut Bernardus ſupra n.14. hunc Iſaiæ locum applicauit; ita circa idem tempus Potho Prumienſis exactius adhuc eundem Iſaiæ locum tractauit ita ſcribens. p XXI.

p Potho Prumien. de ſtatu domus Dei l.3. Bibl. SS. PP. tom 9. Quocirca de ſtatu temporis noſtri, in quos fines ſæculorum deuenerunt, eccleſia in verbis cantici lamentando conqueritur. Ecce, inquit, in pace amaritudo mea amariſſima. In prioribus ſæculis, quando perſecutionis ſæuitas catholicam fidem oppugnabat, amara erat amaritudo eccleſiæ. Deinde amarior cum hæretica prauitas doctrinam veritatis peruerſis dogmatibus corrumpere conabatur. Nunc vero quando pax eſſe videtur, quando nec perſecutor manifeſtus ſæuit, neq; hæreticus in verba malitiæ prorumpit, amaritudo amariſſima ſentitur.] Et poſt deſcriptam q Religioſorum q Infra n.87

hypocriſim, & vitam ſcandaloſam; addit: Et hæc quidem amaritudo, quæ vitam animæ, quæ ex fide viuitur, interimit, amarior eſt amaritudine illa quæ mors corporis à perſecutore illa illata guſtatur. At vbi venena hæreticorum antitodo ſalutaris doctrinæ per doctorum ingenia in corpore eccleſiæ, cæleſtis medicina curauit, ſucceſſit amaritudo amariſſima, quæ in his nouiſſimis diebus eccleſiam admodum infeſtare videtur. Eſt enim in omni ordine, in omni profeſſione latens diſciplina fictum, ſancto ſpiritui inimicum, innocentiæ, ac ſimplicitati Chriſtianæ valde contrarium. Hoc eſt nimirum illud r negotium, quod perambulabat in tenebris; r Pſ.90.6.

quod latet intus in ſecreto conſcientiæ, apparet foris in ficta bonæ conuerſationis diſciplina. De his conqueritur eccleſia. Ecce, inquiens, in pace amaritudo mea amariſſima. Ac ſi dicat. Pax quidem mihi eſt à perſecutoribus, qui corpus occidunt, pax ab hæreticis qui animas per doctrinam nequam interimunt: ſed non eſt pax à filiis, & à domeſticis qui mihi ſociantur per exteriorem ſacramentorum communionem; ſed alieni ſunt à Deo per ſimulatam religionem. Ecce in hac amaritudine ſua amariſſima eccleſia gemit, dolens, quia videt fictæ religionis hominibus altaris Chriſti ſacramenta committi, & eorum vſus ſeruire ſtipendia eccleſiarum, quæ vtiq; ſunt patrimonia pauperum, precia animarum. Ordinis Eccleſiaſtici dignitates, non vitæ meritis, ipſæ ſedes Epiſcopales, Abbatiæ, Præpoſituræ, ſed negotio illi quod perambulet in tenebris, tribuuntur. Præſentis temporis felicitas, totaque tranſeuntis felicitatis iucunditas conſpicua, in auro, & argento, in apparatu armorum; in numero militum, in illecebris conuiuiorum, in frequentia miniſtrantium, in lautiſſimis dapibus, & precioſis poculis. In equitatus ornatu, in ſellis & frenis deauratis, in venationibus, in canibus, & accipitribus, omnique ſæculi pompa arridet illi negotio, quod perambulat in tenebris. Omnia hæc illis famulantur, quibus vel ficta ſanctitas, vel generis nobilitas ſuffragatur. Propter hæc eſſe cupiunt Epiſcopi, & eccleſiarum Prælati, vt vt his bonis fruantur, vt deliciis affluant, vt eccleſia Dei magis præſint, quam proſint; vt familiam eccleſiæ ſubiectam

habeant,

habeant, vt Domini rerum ſint; vt quanto eccleſiæ ſunt ditiores, tanto ipſi fiãt clariores. Cum ergo in his regnet ambitio, quantum doctrinam Chriſti verbo & exemplo in omnibus ornare poſſunt? quæ non illis ineſt virtus, veræque religionis, quorũ corda deſerit ſplendor diuinæ illuminationis? Miniſtri Chriſti appellantur, diſpenſatores myſteriorũ Dei exiſtimantur, & tamen ſacramentorum lumen in ſemetipſis extinguere indigne viuendo non verẽtur.] Hæc & alia plura Potho, ante quingentos annos ſcribebat.

XXII. Iiſdem temporibus, Petrus Bleſenſis, calamum etiam ipſe ſuum, nec ineruditum, in huiuſmodi abuſus acuebat.
a Pet. Bleſ. epiſt. 12. *a Quidam*, inquit, *Chriſtum ſequuntur pauperem, vt de Chriſti patrimonio ſuis nepotibus theſaurizent.*] Item ad quendam nuper electum in Epiſcopum.
b Epiſt. 15. *b Hodie*, inquit, *in promotione quorundam prima quæſtio eſt quæ ſit ſumma reddituũ, non quæ ſit conuerſatio ſubiectorũ: Verumtamen Deus non irridetur.* [*Ad honorem vocauit te propter onera, non ad multiplicandum numerum*
c Luc. 1. 77. *familiæ, aut equorũ; non ad dandas parentibus dignitates c ſed ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius.*] Et paulo poſt:
d Matt. 20. 28. *Si te illius diſcipulum profiteris, qui venit, d miniſtrare non miniſtrari, ſic miniſtrabis pauperibus, vt non e vituperetur*
e 2. Cor. 6. 3 *miniſterium tuum; vt patrimonium Chriſti, & pauperum eius, quod tibi commiſſum eſt, in egentium neceſsitates, non in vſus extraordinarios expendatur. Patrimonii huius zelator eſt Dominus, rationem tecũ diſtrictiſſimam poſiturus: & vſq; ad nouiſſimum quadrantem exiget vniuerſa. Sane*
f Pſ. 9. 34. *propter hoc irritauit impius Deum. f dixit enim in corde ſuo, non requiret, ſed certe requiret. Nec te poterunt excuſabilẽ reddere tuæ generoſitatis eminentia, & numeroſitas clientelæ. Si quia filius Comitis, aut conſobrinus Regis es, manu effuſiore teneris expendere, neceſsitas hæc patrimoniũ Chriſti non cõtingit, expenſas quas de rebus mundanis feciſſes alias fortaſsis enormes pro tua generoſitate, debet in rebus eccleſiaſticis Epiſcopalis modeſtia cohibere.*] Et poſtea ibidem. *Illorum* inquit, *Epiſcoporum vitam deteſtabilem reputes, quorum inceſſus erecta ceruice, quorum facies torua, truces oculi, minæ terribiles, dominantes in Clero, non forma facti gregis in populo, quorũ Deus venter eſt, quorum vita in morte ſepulta eſt, mendaces, vaniloqui, & ſuperbi, ſocii furum, non collegæ Petri ſed Simonis, non Chriſti diſcipuli, ſed Neronis. Iſti dum pauperes ſpoliant, dum monaſteria grauant, dum extorquent à Clero, dum in quæſtum trahunt & venalem exponunt iuſtitiam Dei, dum Gieziticam negociationem exercent, theſaurum iræ & mortis ſibi accumulant, cum theſauro pecuniæ; Chriſtum habituri vindicem, quem non timent iudicem.*] Hæc ille quidem, vt turpiſſima, in quocunque Prælato eccleſiaſtico abominatur: neſcio tamen, an Papam noſtrum & Cardinales ſit excepturus, eiſque hæc tanquam licita & honeſta cõceſſurus. Refert in alia epiſtola querelam huiuſmodi cuiuſdam ſui amici contra Epiſcopos;
g Bleſ. ep. 60. *g Purpurata incedit parentela Pontificũ, & elata de Patrimonio crucifixi in ſuperbia & in abuſione ad omnes vitæ ſæcularis illecebras ſe effundit.*] Obiicit tamen ei Petrus, illum breui Epiſcopandum adhuc peiora facturũ, & mores ordinarios epiſcoporũ illius, imo & noſtri temporis, induiturũ. *Certiſsime autem*, inquit, *ſcio, quod ex quo rapieris ad cathedrã, rapietur à corde tuo ſcholaris vitæ memoria; ſubita nepotum pullulabit affectio, de maritandis nepotibus anxie cogitabis, &c.*] Eiuſdem Petri longiorem habes lector, deplorationem circa ſimiles abuſus, epiſt. ipſius 102.

XXIII. Ioannes Gerſonius eccleſiaſticorum auaritiam ſtomachatus ita ſcribit;
h Gerſ. ſer. in can. Dni: ad Eccleſiaſt. caut. par. 2. conſid. 3. 10. 2. *h Si à Iuda ad Eccleſiaſticos huius temporis deuoluamus noſtræ conſiderationis oculos, quot inſpiciemus qui ſub titulo alendi ſuſtẽtandiq; pauperes, redditus vberrimos in loculos beneficiorum reconditos habent? Curant nullos, auferunt ea quæ apportata ſunt, non iam vt dent vxori & filiis, ſed execrando ſacrilegio in obſcæniores vſus vertunt.*] Et poſtea: *Tales nihil magnum, nihil eccleſiaſtico viro dignũ putant, niſi quod lucrũ affert temporaliũ cõmodorũ, in pecuniæ, vel neſcio cuius ſolicitæ iuriſdictionis dilatatione. Profunde apud illos inualuit illud: ſpiritualia ſine temporalib. diu eſſe non poſſunt.* Et illud Horatii.

O ciues ciues quærenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos.——

Prædicante ex aduerſo Ieſu, i Primum quærite regnum i Matt. 6. 33
Dei. Cum propterea Chriſtus, vt exẽplo ſuo doceret, non magnipendendam eſſe apud Eccleſiaſticos Prælatos temporaliũ curam, ipſe Iudam reprobum furem, ſacrilegumq; talibus præfecerit, nolens tali ſolicitudine conteri ſanctiores Apoſtolos. O Deus, o Religio, o fides, o pietas, eloquar, an ſileam? Nunc heu ſpiritualitas omnis, vt animarum cura, confeſſio, vel prædicatio, vel omittitur, vel peſsimis, ſordidis, infidis, dyſcolis, inſciis, paſsim committitur; & à quibus? ab illis qui non tute ſeruanda, traderent talium alicui bona ſua, niſi ſub quotidiana ratione, & quæ bona? non dicam aurum, non argentum, non vaſa pretioſa: dicam, poma; dicam cibaria, vel alia vilia ſua, ſeu ludicra. Iam vilis eſt apud eos, tam nullius pretii animarum perditio, pro quibus mortuus eſt Chriſtus quotidie vigilanter apud eos calculus ponitur de expenſis: de moribus vltima fit quæſtio; vtinam vel vltima: ſed iam nulla.] Idem etiam facit quandam præteritionem k de onere prælatorum per proprietates, tum iuriſdictiones, tum k Gerſ. de vit. ſpir. an. lect. 3.
poſſeſſiones, *quas*, inquit, *imperiti & inexperti, honori, & exonerationi reputant:*] ac pertranſit dicere, quouſque Prælatus teneatur pro talibus tuendis vel agendis iudicialiter contendere, cæteris omiſſis ſpiritualibus exercitiis: quia tamen videbat abuſus plurimos, ſolum ita concludit: *Profecto diuinitus vel ennunciatum eſt, vel ennunciari potuit de talibus l Venenum eſſe effuſum in Eccleſiam Dei.*] quando nimirum l Poſtilla in Bibl.
Conſtantinus ditauit Eccleſias.

Franciſcus Duarenus rem hanc ſapienter conſi- XXIV.
derauit, ac ita ſcripſit *m Puto maiores noſtros ſatis animaduertiſſe, nihil eccleſiæ exitialius, peſtilentiuſq; eſſe,* m Duar. de ſac. Eccl. mini. & ben. l. 2. c. 4.
quam miniſtrorum eius nimiam opulentiam, id quod euentus, qui non modo ſtultorum magiſter eſt, vt ait Liuius, ſed etiam prudentiſsimi nonnunquam & perſpicaciſsimi cuiuſque, ſatis docuit. Vt merito illud è Satyra nunc dici poſſe videatur. n Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, n Iuuen. Saty. 6.
ex quo Paupertas Romana perit. Res enim ipſa loquitur, immenſam Principum quorundam munificentiam, vtcũque pius eſſet affectus eorum, tantum virus in eccleſiam ſparſiſſe, vt ex pixide illa Pandoræ à Poetis decantata, non plus malorum inter homines & calamitatum exiliſſe videatur. Initio ægre admodum hoc datum eſt eccleſiæ, vt prædia poſſeſsioneſque ſibi relictas aut donatas retineret, & ſatis conſtat ex epiſtola Hieronymi ad Nepotianum, legibus Chriſtianorum Principum aliquando prohibitum fuiſſe Clericis, ne hæreditates caperent. Nam vt in omni genere mediocritas illa quam optimus poeta auream vocat, merito commendatur, ita modus facultatum ſummopere hic neceſſarius eſt. Bonifacius martyr aliquando interrogatus an liceret ligneis Calicibus in ſacris vti, ita reſpondiſſe fertur: o Olim aurei ſacerdotes ligneis vaſis; nunc o c. Vaſa. de conſec. diſt. 1.
lignei aureis vtuntur. Haud dubie ſentiens immodicis opibus facile ſacerdotes, & eccleſiarum gubernatores corrumpi. Quæ ratio impulit veteres illos, vt Clericis præter victum neceſſarium, nihil permitterent ex facultatibus eccleſiaſticis ſumere. Nec puto quicquam ſalubrius potuiſſe conſtitui ad cohibendam eorum cupiditatem, & πλεονεξίαν, non quod hæc ad viuum, vt dicitur reſecanda, & ſummo iure cum eis agendum exiſtimem, quod nec Canones exigunt, opinor, ſed quia veriſsimum eſt illud Satyrici poetæ, Nemo ſatis credit tantum delinquere quantum permittes, adeo indulgent ſibi latius ipſi.

Legimus

Legimus in hiſtoria tripartita Epiſcopum quendam Conſtantinopolitanum nomine Chryſanchum, nihil ex introitibus eccleſiaſticis capere ſolitum fuiſſe, niſi Dominico die panes duos. Nec deſunt alia huiuſmodi exempla in ſcriptoribus eccleſiaſticis, ex quibus apparet quænam fuerit veterum de bonis eccleſiaſticis, eorumque vſu & adminiſtratione ſententia. Nec vero diſſimile fuit quorundam Politicorum hominum in Republica iudicium, idque ſatis oſtendit Alexander, qui interrogatus cur Spartani pecunias in ærarium publicum non colligerent. Ne, inquit, earum cuſtodes corrumpantur. Itaque Beneficiarios vſuariis magis, quam vſufructuariis comparandos eſſe, non vno in loco a Panormitanus

a In c. vlt. de pecul. cler. & in Reg. c. cum eſſes de teſt. c. Illud 16. q. 6.

docet. Nec vllum arbitror canonem eſſe cui repugnet hæc ſententia, quamuis ea moribus noſtris recepta non ſit.] Hæc optime Duarenus.

XXV. Et quid quæſo Romanam Remp. olim perdidit, niſi diuitiæ, & ex diuitiis luxus proficiſcens? Audiamus Auguſtinum b *Ex quo enim peſſum ire cœperit Romana Reſp. ſatis liquet, literæ loquuntur ipſorum, longe antequam Chriſti nomen eluxiſſet, in terris dictum eſt à Salluſtio, O vrbem venalem, & mature perituram, ſi emptorem inuenerit!* In libro etiam belli Catilinę ante aduentum vtique Chriſti, idem nobiliſſimus c hiſtoricus eorum, *non tacet quando primum inſueuerit exercitus populi Romani amare, potare, rapere, delubra ſpoliare, ſacra profanaque omnia polluere.* Quando ergo nec hominibus, nec ipſis etiam quos Deos putabant, morum corruptorum & perditorum auaritia, rapacitaſque parcebat, tunc cœpit perire laudabile illud decus, ſaluſque Reip. Quos deinde vitia peſſima ſucceſſus habuerint, & quanto humanarum rerum malo iniquitas illa proſperata ſit, nunc longum eſſet dicere. Audiant Satyricum ſuum garriendo vera dicentem,

b Aug. ep. 5.

c Salluſt.

d Iuuen. Satyr. 6.

d *Seruabat caſtas humilis fortuna Latinas*
Quondam, nec vitiis contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomniq; breues, & vellere Thuſco
Vexatæ, duræque manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & ſtantes collina in turre mariti.
Nunc patimur longæ pacis mala, ſæuior armis
Luxuria incubuit, victumq; vlciſcitur orbem,
Nullum crimen abeſt, facinuſque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.]

Gratulaturque Auguſtinus vitia omnia Romanæ Reipub. ex otio, & opibus enata, à cruce Chriſti extincta fuiſſe, & à cæleſti autoritate; *quæ*, inquit, *voluntariam paupertatem, quæ continentiam, beneuolentiam, iuſtitiam atque concordiam veramq; pietatem perſuaſerit.*] Nos vero deplorare debemus, cum Bernardo ſupra, idem ocium, eaſdemque opes, earumque luxum, Remp. noſtram, hoc eſt ſacroſanctam eccleſiam, nihil minus, imo multo peius corrupiſſe. Nam, vt noſter Chriſtianus poeta cecinit

e Mantuan. de calam. temp.

e ——*Venalia nobis*
Templa, ſacerdotes, altaria, ſacra coronæ,
Ignes, thura, preces, cælum eſt venale, Deuſq;.]

XXVI. Addo his omnibus Theologum noſtrum Ioannem Driedonem, abuſus hoſce noſtros libere, vt decet, detegentem, & arguentem. Ait enim; f *Pauperum neceſſitatibus aut indigentiis imprœſentiarum occurrentibus, miniſter quiſq; eccleſiaſticus tenetur ſubuenire, ex fructibus etiam ſuo vſui ſuæq; fidei commiſſis, ſupra decentem victum & veſtitum ſibi ſuperfluis, neq; enim miniſtrorum eccleſiæ, ſicuti ſupra diximus, eſt ſic theſaurizare, quemadmodũ ſæcularium principũ.—Magnus profecto abuſus Prælatorũ, qui ex preciis fructuum eccleſiaſticorũ (quos oportebat diſpenſari pro occurrentibus pauperum, & aliorum piorum locorum neceſſitatibus) annuis eccleſiarum prouentibus augendis vacant, g copulantes agrum agro, adeo vt, iuxta Iſaiæ vaticinium, deſideriorum ipſorum non ſit finis, areſcentibus paſſim præ penuria tot pauperibus, tot puellis abſque dote remanentibus, tot pupillis, tot viduis, tot orphanis, tot ægrotis & calamitoſis conſtrictis anguſtia famis, atque veſtitus, tot captiuis deductis ab hoſtibus Chriſtianæ fidei in exilium, &c.*] Et poſt pauca, *Temporalia*, inquit, *ſunt eccleſiæ data, non vt miniſtri eccleſiæ Epiſcopi, Abbates, & presbyteri ſint temporalibus cuſtodiendis, aut defendendis, aut ampliandis occupati, neq; vt propter temporalia aſſequenda, quibus ſuſtententur, aut ſacramenta miniſtrent, aut Deũ colant, ſed vt per huiuſmodi temporalia cultus ſuſtentetur diuinus, & vt ipſi miniſtri non ſoliciti de cibo magis libere Deo vacare poſſint. Proinde fini propter quem data ſunt eccleſiæ temporalia, maxime obuiant ſacerdotes Dei, qui neglectis verbi Dei ſtudiis, poſtpoſitiſque ſpiritualibus miniſteriis, ad lucrum Chriſtianæ fidei ordinandis, ſeſe totos implicant negotiis ſæcularibus. Sæcularium ac temporalium rerum adminiſtratio, ſeu diſpenſatio impeditiua eſt ſpiritualis regiminis, neque eccleſiæ, neq; Reipublicæ expedit quod temporalia prædia ex preciis fructuum eccleſiaſticorum pauperibus erogandorum ſic emantur, vt tranſeant in Dominia, vel in adminiſtrationem eorum, apud quos eſt ſufficiens temporalium rerum copia. Neque expedit item Reipublicæ quod paſſim liceat, ex hæreditatis filiis, Eccleſiam hæredem facere, &c.* Hæc Driedo.

f Dried. de libert. Chriſtia. l. 2. c. 3.

g Eſ. 5. 8.

Neq; modo priuati Doctores, veteres ac recen- XXVII.
tes, perpetuo hinc ingemuerunt, ſed eccleſia ipſa frequentibus Synodis & Conciliis: ſtatutis etiã ac decretis tanto malo ire obuiam ſemper, ſed fruſtra, conata eſt. Sane Concilium Antiochenum antiquiſſimum ſub Iulio I. paulo poſt Nicænum I. celebratum, Canonẽ edidit huiuſmodi h *Epiſcopum habere rerum eccleſiaſticarum poteſtatem, ad diſpenſandum omnibus indigentibus, cum omni timore & reuerentia Dei, Ipſum quoque ex eis percipere atq; vti debere, quibus indiget, ſi tamen indiget, vel ad ſuas neceſſarias expenſas, vel fratrũ, qui apud eum hoſpitalitatis gratia commorantur, vt nulla ex parte per inopiam defraudentur, ſecundum Apoſtolum dicentem, i Habentes victum quotidianum, & tegumentum corporis his contenti ſimus, quod ſi his minime contentus, transferat in neceſſitates domeſticas res eccleſiaſticas: vel commoda qualibet eccleſiæ, aut agrorum eccleſiaſticorũ fructus citra conſcientiam presbyterorum apud ſe redigat, & domeſticis ſuis, vel etiam affinibus aut fratribus, aut filiis, earum rerum tribuat poteſtatem, vt per eorum ſecretam diligentiam cæteri eccleſiaſtici lædi videantur, reatum hunc, qui huiuſmodi eſt, apud Synodum Prouinciæ præſtare debebit. quod ſi aliter reprehendantur Epiſcopi vel qui cum ipſis ſunt Presbyteri, quod dicatur hæc quæ ad eccleſiam pertinent, ſiue de agris, ſiue de aliis quibuſcunque eccleſiaſticis cauſis, eos ſibimet vſurpare, pauperes vero neceſſitate & penuria opprimi, atque ex hoc ipſo non ſolum eccleſiaſticæ rationi, verum etiam diſpenſatoribus eius criminatio & reprehenſio augeatur; Hos etiam correptionẽ oportet mereri, quam condecet, ſancta Synodo cognoſcente.*]

h Concil. Antioch. c. 25.

i 1. Tim. 6. 8.

Concilium Chalced. cum iam obſeruaret Epi- XXVIII.
ſcopos ſua abuti autoritate in bonis Eccleſiaſt. adminiſtrandis, ac ſibi vſurpandis, ita ſtatuit; k *Quoniã in quibuſdam eccleſiis (vt rumore comperimus) præter œconomos Epiſcopi facultates eccleſiaſticas tractant, placuit omnem eccleſiam habentem Epiſcopum habere œconomum de Clero proprio, qui diſpenſet res eccleſiaſticas, ſecundum ſententiã Epiſcopi proprii: ita vt eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimoniũ non ſit: & ex hoc diſpergantur eccleſiaſticæ facultates & ſacerdotio maledictionis contumelia procreetur: quod ſi hoc minime fecerit diuinis conſtitutionibus ſubiacebit.*]

k Concil. Chalced. 26.

In Concilio Tolet. IV. ita Patres conquerun- XXIX.
tur, l *Auaritia eſt radix cunctorum malorum, cuius ſitis etiam ſacerdotum mentes obtinet: Multi enim fidelium in* l Conc. Tol. 4. c. 32.

honorē Chriſti & martyrū in Parochijs Epiſcoporū Baſilicas conſtruunt, oblationes ſanctas tribuunt; ſacerdotes hæc auferunt, atque in vſus ſuos conuertunt. Inde eſt quod cultores ſacrorum deficiunt, dum ſtipendia ſua perdunt. Inde labentium Baſilicarum ruinæ non reparantur, quia auaritia ſacerdotali omnia auferuntur. Pro qua re conſtitutum eſt à præſenti Concilio, Epiſcopos ita Diœceſes ſuas regere, vt nihil ex earum iure præſumant auferre, &c.] Et in collectione Martini Bracarenſis habemus canonem Græcarum Synodorū huiuſmodi: *a Si Epiſcopus, vel qui cum eo ſunt presbyteri, aut Diaconi, accuſentur, quia quæ vel ex redditu, vel ex quolibet actu eccleſiæ veniunt, in ſinus ſuos colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiunt; hos corripi oportet, ſecundum quod ordinatum fuerit à ſancto concilio.*]

a Collect. Mart. Bracar. c. 16.

XXX. Patres *b* Concilii Pariſienſis & viderunt abuſus hoſce, & eos ex doctrina ſanctorum reprehenderunt, & contra ipſos ſtatuta decreuerunt, inter cætera, *c Vt quaſcunque res Epiſcopus de facultatibus eccleſiæ, aut ſuo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparauerit, non in propinquorum ſuorum, ſed in Eccleſiæ cui præeſt iura deueniant. Similiter & de presbyteris qui de eccleſiarum rebus quibus præſunt, prædia eo modo emunt, faciendum ſtatuimus, quoniam multos presbyterorum occaſione taliter emptarum rerum, eccleſias, quibus præſunt expoliaſſe, & à ſuo miniſterio multis modis exorbitaſſe, & ſe Diabolo mancipaſſe, multoſque laicorum, inquiunt, ex hoc facto in ſcandalum damnationis & perditionis protraxiſſe agnouimus.*] Merito etiam Patres Concilii Aquiſgranenſis & ſe ipſos, & nos exemplo *d* Ananiæ, & Sapphyræ, ab his abuſibus absterruerunt, dicentes: *e Si enim de propriis ſuis rebus quas ad integrum DEO vouerant, pro eo quod inde aliquid abſtraxerunt, vel fraudati ſunt, tam horribili morte mulctati ſunt, quid putandum eſt de iis qui ea quæ alii obtulerunt DEO auferre præſumant? Hi proculdubio, ſecundum verba Petri Apoſtoli, non hominibus, ſed DEO mentiri conuincuntur.*] Hæc in Conciliis celebrioribus.

b Concil. Pariſ. l. 1. c. 13. 14. 15.
c Ibid. c. 16.
d Act. 5.
e Concil. Aquiſg. ſub Pip. c. 21.

XXXI. Ioannes vigeſimus ſecundus, etiam ipſe optime docuit, ſed neſcio an ita ſe, ſicut alios: Sic ſcribens: *f Attendentes etiam quod licet Tholoſanus epiſcopatus redditibus abundaret immenſis, non tamen ſupererat huc uſque memoria quod ex ſuorum opulentia copioſa redditūum aliquid in eccleſia, vel Diœceſi Tholoſana, perueniſſet in diuini cultus augmentum, imo ſic ex adipe prodierat, & prodibat iniquitas, vt multo iam tempore luxus circa carnis deſideria, euectionum pompa, immenſitas clientela, immoderata diffluxio in parentes, ſumptus enormes, aut vſus extraordinarij ſibi vendicaſſent ibidem, quaſi totum patrimonium crucifixi: & verendum erat ne præſul vnicus Tholoſanus g incraſſatus & dilatatus, & exceſſiuis huiuſmodi opibus altas ſuperbus, periculoſe recalcitrans, Deum factorem derelinqueret, & à ſuo ſalutari recedens, pernicioſum exemplum in ſubditos deriuaret.*]

f Extrauag. ſaluator de presb. dign.
g Deut. 32. 15.

XXXII. Video profecto à viris ſanctis & doctis, nullo modo ſolicitudinem illam in eccleſia probari, qua miniſtri ipſius interdum in theſaurizando non ſibi ipſis, ſed ipſimet eccleſiæ & in gratiam etiam pauperum, ſoliti fuerunt laborare; quanto magis hoc colligendarum & multiplicandarum opum, ad propriam auaritiam, propriumque luxum, eccleſiaſticorum ſtudium erit reprobandum? Epiſcopum ſane pro rerum eccleſiaſticarum conſeruatione Chryſoſtomus, non humanum ſolum, ac patientem eſſe requirit, qui illarum curam ſuſcipiat, *h Verum, inquit, nihilo etiam minus œconomicum eſſe oportet: quandoquidem ſi ipſum hoc abfuerit, rurſum pauperum facultates in idem damnum recidunt. Pridem enim quidam, cui adminiſtrationis huiuſmodi Prouincia demandata fuerat, magnam auri copiam cum collegiſſet, id ipſe quidem haudquaquam deuorauit, ſed neque in indigentium vſum, præter pauca quædam, inſumpſit: maximam autem illius pecuniæ partem terra obrutam aſſeruauit, donec temporis iniquitas ſuperueniens hoſtibus in manum illam totam tradidiſſet.*] Statimque ſubdit. *Magna igitur prouiſione opus eſt, vt Eccleſiæ facultates neque redundent, neque rurſus deſint; ſed quæ eccleſiæ erogantur, continuo indigentibus ſunt diſpertienda: cæterum in ſubditorum animis ac beneuolentia, eccleſiæ theſauri collocandi.*] Et Ambroſius, *i Aurum,* inquit, *Eccleſia habet, non vt ſeruet, ſed erogет, & ſubueniat in neceſſitatibus. quid opus cuſtodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de Templo Domini Aſſyrii ſuſtulerint? Nonne melius conflat ſacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus, cur paſſus es tot inopes fame emori? Et certe habebas aurum vt miniſtrares alimoniam: Cur tot captiui deducti in commercium ſunt, nec redempti? Cur tot ab hoſte occiſi ſunt? Melius fuerat vt vaſa viuentium ſeruares, quam metallorum.*] Dixit etiam idem Ambroſius: *k Habeo ærarios: ærarii mei ſunt pauperes: hunc noui congregare theſaurum.*] Sane ab Honorio Papa theſaurum congregatum, neque Baronius, vt ſupra vidimus, potuit approbare, quem in pauperes merito maluit diſtributum, quam vt à militibus diriperetur. Non abhorruit ab hac ſententia Auguſtinus etiam: Nam *l* quando deerant erogandæ pecuniæ, *Eccleſiæ vaſa frangi atque conflari iubebat, preciumque eorum in vſum diſtrahebat indigentium, cuius aurea eſt ſententia illa: m Non eſt Epiſcopi ſeruare aurum, & reuocare à ſe mendicantis manum.*]

h Chryſoſt. de ſacerd. l. 3.
i Ambr. l. 2. offic. c. 28.
k Idem Ambr. orat. in Auxen. ep 32.
l Poſſid. in vita Aug. c. 24.
m Aug ſer. 49. de diuer. ſiue 52. ad fr. in her.

Video præterea à viris pariter ſanctis & doctis, ne illud quidem laudari & approbari; quod eccleſiæ res, bona & redditus, in nimio templorum, ac ſupellectilis precioſæ ſacræ fulgore impendantur: quanto ægrius & grauius ferent, ſi in luxu nimioque fulgore ſacerdotum, ædiumque ac familiarum ſacerdotalium deperdantur. Audiamus Hilarium, qui ad Epiſcopos, & plebes Arianis non adhæreſcẽtes Epiſtolam quandã ſcribens, ita concludit ad finem. *n Vnum moneo cauete Antichriſtum: male enim vos parietum amor cepit, male eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramini: male ſub his pacis nomen ingeritis. An ne ambiguum eſt in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi & ſyluæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores: In his enim Prophetæ aut manentes, aut demerſi Dei Spiritu prophetabant. Abſiſtite ab Auxentio ſathanæ Angelo, hoſte CHRISTI vaſtato, perdito fidei negatore.*] Auxentius erat Mediolani Epiſcopus Arianus, cui ſucceſſit Ambroſius. Occaſio igitur plebi Mediolanenſi, vt Arianum venenum ab Ariano Epiſcopo biberet, erat templum magnificum, in quo Arianus Epiſcopus ſedebat. Plebi vero graue videbatur ſuum Templum tam amplum & nobile deſerere, vt propterea Hilarius ædificia illa deteſtetur: quæ ſi viliora fuiſſent, plebs catholica Arianum Paſtorem, imo lupum, promptius deſeruiſſet. XXXIII.

n Hilar. cont. Aux. & Arian.

Hieron. *o Multi ædificant,* inquit, *parietes, & columnas eccleſiæ ſubſtruunt; marmora nitent, auro ſplendent laquearia gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorū Chriſti nulla electio eſt. Neque vero mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, menſam, lucernas, thuribula, patellas, ſcyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta, tunc hæc probabantur à Domino, quando ſacerdotes hoſtias immolabant, & ſanguis pecudum erat redemptio peccatorum; quanquam hæc omnia præceſſerint in figura: ſcripta ſunt autem propter nos p in quos fines ſæculorum deuenerunt. Nunc vero cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutum putabimus.* XXXIV.

o Hieron. ep. 2.
p 1. Cor. 10. 11.

a Luc.16.9. b Act.3.6. *bimus. Quid miramur quod Chriſtus vocat a iniquum mammona? quid ſuſpicimus & amamus quod b Petrus ſe non habere glorioſe teſtatur?*] Vide & mirare, ex magni Hieron. ſententia, diuitias & res precioſas, etiam ſacra templa, & ipſa altaria Chriſtiana, dedecere. Neque vult in argumentum Hieroſolymitanum templum ditiſſimum nobis poſſe adduci. *Alioquin ſi tantum literam ſequimur*, inquit, *& in auro atq; diuitiis ſimplex nos delectat hiſtoria, cum auro obſeruemus & cætera: Ducant Pontifices Chriſti, vxores virgines.*] commemoratiſque quibuſdam ritibus Moſaicæ legis, qui eccleſiam Chriſti iam dedecent, concludit. *Aut aurum repudiemus cum cæteris ſuperſtitionibus Iudæorum, aut ſi aurum placet, placeant & Iudæi, quos cum auro aut probare neceſſe eſt aut damnare.*] Et ad Demetriadem virginem hęc ſcribit.

c Hiero. ep. 8. c *Alii ædificent eccleſias, veſtiant parietes marmorum cruſtis; columnarum moles aduehant, earumq; deaurent, precioſum ornatum non ſentientia. ebore argentoq; valuas, & gemmis aurata diſtinguant altaria: non reprehendo: non abnuo: vnuſquiſq; in ſenſu ſuo abundet: melius q; eſt hoc facere, quam repoſitis opibus incubare. Sed tibi aliud propoſitum eſt. Chriſtum veſtire in pauperibus, viſitare in languentibus, &c.*] Factum ſane nō reprehendit abſolute, ſed neq; laudat, niſi quod tales ſumptus pręfert auaritię, talibus tamē ſumptibus longe magis præfert eleemoſynas in pauperes, & in opera miſericordiæ, & Demetriadem diuitē ſuadet vt in his ſuas potius impēdat diuitias, quam in precioſis templorum ornamentis. Et ad Marcellam; d

d Idem ep. 17. *Vbi inſtar palatii priuatorum extructa Baſilica, vt vile corpuſculum hominis pretioſius inambulet, & quaſi mundo quicquam poſſit eſſe ornatius, tecta ſua magis velint aſpicere, quam cælum.*] Erat igitur mos Romæ vt fideles diuites priuatas, & magnificas extruerent eccleſias, in quibus ſepulchrum ſuum, & cadauer in ſepulchro collocarent. Iſtas contemnit Hieronymus, ac pene irridet & humilitatem Bethleemiticę domus laudat Marcellæ, vt illa contemptis ſplendidis Romanis ædibus, eo ſe conferat.

XXXV. Ambroſ. dum vaſa etiam ſacra conflanda eſſe cōtendit pro miſericordiæ operibus, ac præſertim

e Amb. l. 2. offic. c. 28. pro captiuis redimendis, obijcit ſibi illud. e *Quid enim diceres? timui ne templo Dei ornatus deeſſet:* Reſponderet, inquit, *Aurum ſacramenta non quærunt, neq; auro placent quæ auro non emuntur: ornatus ſacramentorum redemptio captiuorum eſt; & vere illa ſunt vaſa precioſa, quæ redimunt animas à morte; Ille verus theſaurus eſt Dn. qui operatur quod ſanguis eius operatus eſt.*] Et de captiuis redemptis ait, *Ecce aurum quod probari poteſt: ecce aurū vtile, ecce aurū Chriſti quod à morte liberat; ecce aurum quo redimitur pudicitia, ſeruatur caſtitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere quam aurum reſeruare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præſtantior eſt, quam ſpecies poculorum.*] Præfert captiuos pauperes, calicibus aureis eccleſiæ.

XXXVI. Anaſtaſius Nicænus in ſuis quæſtionibus in ſacram Scripturam eam inter alias proponit, *Quid magis conferat, offerre pecuniam Eccleſiæ, an pauperibus?*

f Anaſtaſ. Nican q. 13 g Matt. 25. 34. Ac ipſe in primis ita reſpondet: f *Dominus laudans eos qui ſunt à dextris, & dicens, g Venite benedicti Patris mei: nullius alterius rei meminit quam eleemoſynæ in pauperes, & hoſpites. & nudos, & in eos qui ſunt in carcere. Sed ſunt etiam Eccleſiæ, quibus deſunt aliqua vaſa neceſſaria, quibuſque ſunt offerenda ea, quæ deſunt. Qui enim, cum vaſa non deſint; offert opulentis Eccleſiis, neſcit quidnam poſtea fiat iis, quæ illic congeruntur. Multæ enim Eccleſiæ cum inexplebiliter congeſſiſſent, & ea poſtea non recte adminiſtraſſent, vel per negligentiam neglectui habita perierunt, vel à furibus, & barbaris ablata ſunt.*] Hæc ille. Affert deinde ex Chryſoſtomo in Matthæum hæc dicta: *Nam pro eo quidem quod Eccleſias non ornarit nemo vnquam fuit accuſatus; pro eo autem quod pauperum non ſit miſertus, gehennæ & ignis inextinguibilis minæ ſunt intentatæ, & cruciatus cum dæmonibus. Domum ergo ornans, ne deſpicias fratrem, qui affligitur, is enim eſt magis proprie templum, quam illud. Et hæc quidem vaſa precioſa, ac ſplendida, quæ recondantur, poterant accipere & Reges infideles, & Tyranni, & prædones: quæ autem feceris fratri eſurienti, & hoſpiti, qui eſt nudus, ne Diabolus quidem poſſet eripere; ſed ſita erunt in theſauro, quem nemo poterit ſurripere.*] Sed & idem Chryſoſtomus de Eccleſia, quæ erat tempore Apoſtolorum ita diſſerit: h *Illorum Eccleſia talis erat, qualis eſt in cælis: Nihil habens rerum mundanarum: non parietibus non marmoribus, ſed feruore eorum qui conuenerant relucens.*] h Chryſ. in Act. ho. 3.

Walfridus Strabo idem argumentum tractans XXXVII.
ait: i *Hoc autem dicimus non quo ædificantium, & ornantium loca ſancta deuotionem culpemus, ſed quo doceamus eleemoſynam in pauperes huic præferendam. Quia, vt beatus Hieronymus ait, ſuperſtitioſum eſt parietes auro fulgere, Chriſtumque ante ianuas fame, & nuditate torqueri. Ipſe enim ibi nos iubet theſaurizare, vbi neque ærugo, nec tinea demolitur, vbi fures non effodiunt, nec furantur. Et in iudicio veniens non vtrum Eccleſias ædificaſſemus, ſed virum membris eius minimis profuiſſemus inquiſiturus eſt. Hæc quidem ornamenta ſanctum ſæculare Apoſtolus nominat, quia ſunt alia quaſi ſancta cæleſtia, ſicuti ſunt ornamenta animarum. Quæ quo minus apud homines habent ſplendoris, tanto plus apud Dominum habent meriti & mercedis. Legitur enim de beato Gregorio Papa, quod non ſicut alii in extructione Eccleſiarum laborauerit, ſed in doctrina, & eleemoſynarum largitate, quam non ſolum apud ſuos, verum etiam apud longe, & in exteris prouinciis poſitos exercere curauit. Si ergo in condendis, vel ornandis ſacris ædificiis ſumma ſanctitas eſſet, debuerunt earundem ſtudioſiſſimi rerum aliis, qui minus his faciendis inſtiterunt meritorum præeminere diſtantia. Sed quia legimus Moyſen tabernaculi ſtructorem ad aquam contradictionis Dominum offendiſſe, & ideirco ad terram repromiſſionis non perueniſſe; Salomonem quoque poſt ſingularem templi mirabilis extructionem, mulierum ſeductum amore, Domini incurriſſe offenſam, vnde & Regni eatenus vniti potentia à ſemine eius diſciſſa in aliam tribum pernicioſa diuiſione partim conceſſit, intelligimus, & omni poſtpoſita dubietate fatemur, ita conſtructionem ſacrarum ædium ex religioſa deuotione laudandam, vt tamen virtutes, quæ ſunt ſpirituales ſtructuræ, & animarum in quibus DEVS habitat ornamenta perennia, his multum prælatas, quia terrena ornamenta quantalibet formoſitate fingantur ſine virtutibus DEO viluſcunt: Virtutes vero quas & in Angelis ſuis diligit, etiam ſine materiali compoſitione ſemper ſibi placere demonſtrat, dicens per Michæam Prophetam: Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus quærat à te: Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum DEO tuo. Vnde multos ſanctorum, & ante vſum templorum ſanctorum placuiſſe Deo. Alios vero poſtquam Deo per loca diuerſa ſanctuaria ſunt conſtituta, in deſertis, & ſqualentibus locis commorantes, ſcimus omnipotenti Domino ſolis virtutibus militaſſe.*] i Walfrid. de rebus eccl. & item rer. eccl. c. 24.

Bernardus vir pius, & deuotus ipſe quoq; non XXXVIII.
potuit laudare ſumptuoſa ædificia Deo conſecrata:
k *Omitto*, inquit, *oratoriorum immenſas altitudines, immoderatas longitudines, ſuperuacuas latitudines, ſumptuoſas depolitiones, curioſas depictiones: quæ dum* k Bernard. apol. ad Guliel. abb.

orantium

brantium in ſe retorquent aſpectum, impediunt & affectum; & mihi quodammodo repræſentant antiquum ritum Iudaorum.] Huc vero adducit Bernardus illud Perſii. *Dicite Pontifices in ſancto quid facit aurum?* Excuſatque aliquo modo, ſi in Templis Epiſcopalibus hic adſit fulgor, quem tamen ab oratoriis monachorum omnino cenſet excludendum. *Et quidem*, inquit, *alia cauſa eſt Epiſcoporum, alia monachorum. Scimus nanque quod illi ſapientibus & inſipientibus debitores cum ſint carnalis populi deuotionem, quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis.*] Ego tamen neſcio ſit ne excuſatio hæc, an potius ironica ſub amphibologia verbi (*non poſſunt*) accuſatio: ita vt illud, *non poſſunt* quod videtur defectum in populo carnali denotare, impotentiam & defectum latenter innuat ipſorum Epiſcoporũ & Clericorum, qui cum ſpiritu careant, toti facti carnales, ac proinde ſpiritualia non poſſint populo rite miniſtrare: Velint tamen in honore haberi apud populum: ipſum igitur ex pompis & ornamentis externis quærunt, quem ſacerdotalibus virtutibus, quibus carent, non poſſint comparare. Quæ enim ſubdit, vt oſtendat in Monachalibus eccleſiis, ſiue oratoriis non decere fulgorem auri, & precioſorum ornamentorum, ea in vniuerſum militant pro eccleſiis etiam Epiſcoporum: Ait enim; *Quem inquam, ex his fructum requirimus? Stultorum admirationem, an ſimplicium oblectationem? An quoniam commixti ſumus inter gentes, forte a didicimus opera eorum, & ſeruimus adhuc ſculptilibus eorum? & vt aperte loquar, an hoc totum facit auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus, & non requirimus fructum, ſed datum? Si quæris quomodo, miro inquam modo: tali quadam arte ſpargitur æs vt multiplicetur, expenditur vt augeatur, & effuſio copiam parit. Ipſo quippe viſu ſumptuoſarum, ſed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad adorandum. Sic opes opibus hauriuntur, pecunia pecuniam trahit; quia neſcio quo pacto vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis reliquiis ſaginantur oculi, & loculi aperiuntur. Oſtenditur pulcherrima forma ſancti, vel ſanctæ alicuius, & eo creditur ſanctior quo coloratior. Currunt homines ad oſculandum, inuitantur ad donandum; & magis mirantur pulchra, quam venerantur ſacra. Ponuntur dehinc in eccleſia gemmatæ non coronæ, ſed rotæ, circumſeptæ lampadibus; ſed non minus fulgentes inſertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris arbores quaſdam erectas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec minus corruſcantes ſuperpoſitis lucernis, quam ſuis gemmis. Quid putas in his omnibus quæritur? pœnitentium compunctio, an intuentium admiratio?*] Et ſtatim poſthæc exclamat ſpiritu feruentiſſimo: *O vanitas vanitatum, non vanior, quam inanior. Fulget eccleſia in parietibus, & in pauperibus eget, ſuos lapides induit auro, & ſuos filios nudos deſerit. De ſumptibus egenorum ſeruitur oculis diuitum, inueniunt curioſi quo delectentur, & non inueniunt miſeri quo ſuſtententur.*]

a Pſ 105.35.

XXXVIIII. Conſiderabat aliquando etiam Ioannes Gerſonius ſplendorem hunc externum, & pompam ac ſumptus Prælatorum, remque paucis ex ſua ſententia perſtringebat ſcribens: b *Dico autem quod ſtatus iſte magnificus exterior, apud Philoſophos reputatus eſt ſemper de bonis quæ dicuntur indifferentia, &c.* —— *Dico præterea quod Theologia debet illuſtrare rationem Philoſophicam, non econtra: quia quædam ideo iudicarentur recta ex dictamine rationis, non ſic illuſtrata, quæ mala eſſe ex hac illuminatione deprehenduntur. Dico amplius quod ſi in Prælatis omnia concordarent ſtatui illi paupertatis Chriſti & ſuorum Apoſtolorum, perfectior eſſet eorum imitatio, & vtilior, quam ſit magnificus ſtatus præſentium. Dico conſequenter quod quia Reſpublica vel eccleſia non gubernatur per ſpiritum ſicut quidam acute dixit, fuit expediens; præſuppoſita imbecillitate Prælatorum in moribus, quod iſte decor aduentitius in Eccleſia quandoque ſeruaretur: Sicut & nunc apud multos, qui nihil habent in moribus magnificum, vtinam nihil Diabolicum, per quod non dico attraherent plebem ad reuerentiam ſpiritualis dignitatis, ſed funditus euerterent, niſi quodam exteriori ſplendore tenerentur.*] Expedire ait, vt per ſplendorem externum, conſeruetur in populo reuerentia erga ſuos Prælatos: quandoquidem abſente ab eis ſpiritu, & virtutibus, illa tota ſit ruitura. quantum vero & ad quid hoc, quaſi minus malum admittit Gerſon, expediat, ego non percipio. Reuerentia enim quam nobis populus exhibet, ob ſolum ſplendorem externum, eſt reuerentia etiam externa, popularis, plauſibilis, tota vana & ſpiritui nihil proficua, & ſplendor hic, vt dicebat Bernardus, admirationem non deuotionem excitat. Si itaque collapſa iam reuerentia ſpirituali, quæ ad ſpiritualem populi profectum plurimum valet, dum mihi bona prædicanti credit, meque cum reuerentia & deuotione libenter audit: quid ad ſpiritum, quem ſolum eccleſia reſpicit, ſi populus me tanquam diuitem, & in mundo potentem ac honoratum, mundano ſolo honore reuereatur? pereat & hæc reuerentia, ne ex illa, & per illam, populus etiam in errorem inducatur, vt ex carnali etiam carnalior fiat, atque hoc ipſum quod nunc dicit expedire, propterea reiecit & confutauit ipſe Gerſonius alio loco, in quo rem tractat ex profeſſio: vt oſtendam inferius. Accipe interim, quæ Petrus Damiani ſapienter dixit: nimirum: c *Sacerdotii meritum, nõ nitor efficit veſtium, ſed ſpiritualium norma virtutum: & non micantia margarita, vel gemma, ſed mores aurei decent Sacerdotem. Sicut enim vera Sacerdotis humilitas Deum ſibi conciliat, & cætera eius bona commendat, ſic arrogantiæ tumor, & vanitatis ambitio, diuinæ aduerſum ſe indignationis iracundiam prouocat: & contra bonum quod aliquando forſitan operatus eſt, pugnat.*]

b Gerſ.ep. ad Pet.Camerac.

c Apud Baro.tom.11. an.1601. n.50.

Docui libro ſexto, capite 8.num.12.13.& abunde probaui ex Patribus, maxime Hilario & Chryſoſtomo fidem Chriſti, & Religionem noſtram, humanis viribus, externoque nimio apparatu nihil prorſus indigere. Quique ſplendorem hunc eximiũ in Prælatis & Eccleſiis neceſſarium, aut ſaltem vtilem & expedientem arbitrantur, falluntur plurimum: & id docentes nihil aliud efficiunt, ni pallia quædam proferunt, quibus nos miſeri turpitudinem noſtram quoquo modo obtegamus. Excuriamus inter cæteros Sotum, & Bellarminum, & eorum aſſentationes agnoſcamus. Dominicus Sotus ait, d *Nam ſi quis nobis obiiciat, debere omnes in paupertate viuere, profecto nemo eſt qui huic ſententiæ refragaretur, ſi poßibile eſſet vt tantus Clericorum numerus, quantus neceſſarius eſt, decenti ſanctitate polleret: nam tunc citra alium ornatum populo haberetur in precio. At quia id fieri non poteſt, neceſſe eſt conditioni humanæ indulgere: haud enim eſſe omnes poſſunt vt Diuus Martinus, aut Nicolaus: atque adeo ſic ſacerdotes familia & auctoritate honeſtare, vt populus eos non deſpicetur. Sed tanquam præcipuos Reipublicæ colat. Quare nullum eſt indecorum ſi Epiſcopi ceu alii Magnates viuant, & Canonici ſicut alii nobiles, & ſacerdotes velut alii ciues: Etenim documentum huius rei manifeſtum eſt, quod in illis Prouinciis vbi ſacerdotes nimia egeſtate premuntur, vi-* XL.

d Sotus de Iuſt.& Iur. l.9.q.4.ar.1

leſcunt in conſpectu populi: atque inde ſacramenta, & res ſacræ eo inclinant, vbi in opprobrio habentur.] Miram hanc adulationem libenter arripuit Bellarminus, & Sotum ſecutus ita ſcribit. a *Chriſtianus Clerus maioribus laboribus & ſumptibus obnoxius eſt, quam tribus Leuitica erat apud Iudæos: vt omittam dignitatem ſacerdotij noſtri incomparabiliter maiorem, quam ſacerdotii Aaronici: tunc vnum erat Templum, vnus Pontifex, & pauci quidam ſacerdotes ex ſola familia Aaron, qui per vices in templo miniſtrabant, reliqui omnes erãt turba famulorum: At nunc ſunt innumera templa, conſeruanda ſumptibus Eccleſiæ, ſunt etiam plurimi Epiſcopi & Prælati: nec non innumeri ſacerdotes, qui docti eſſe debent, & proinde multum in ſtudiis ex patrimonio ſuo inſumere, & poſtea non per vices, ſed perpetuo eccleſiæ miniſteriis adeſſe. Quos certe honeſte pro ſtatus ſui conditione viuere oportet, ex eccleſia bonis.*] Hæc illi: Vt tandem hinc concludant, merito integram decimam omnium reddituum laicorum ab eccleſiaſticis repoſci, eiſque illam non minori iure deberi, quam olim tribui Leuiticæ deberetur. Exorbitant hæc profecto adeo, vt prudenti cuique ſtomachum faciant ac nauſeam. Tribus Leuitica erat vna ex tredecim, & conſequenter pars tertiadecima totius populi Iſraelitici. Quid mirũ igitur, ſi decimam reliquæ tribus darent Leuitis, quæ partem ipſorum eis debitam poſſiderent? neque enim multo plus accipiebant, quam, ſi partem propriã terræ habuiſſent, ab illa percepiſſent. Nunquid vero partes illæ terræ in b diuiſione fuerunt prorſus æquales? An non fuerunt aliquæ ſatis maiores aliis? Diuiſio enim illa non fuit ad amuſſim Geometrica. Potuit igitur ſors maximam ex omnibus partem Leuitis dare, ſi partem propriam habere debuiſſent. Quandiu vero gentes illæ magnas partes ſuæ terræ retinuerunt, & cum Iudæis ſimul habitauerunt? Hi vero Leuitis nihil dabant, & verum eſt numerum totius populi filiorum Iſrael aptorum ad bellum fuiſſe initio ingreſſus in terram promiſſam, circiter c ſeptingentorum & trium millium, quibus ſi addas fæminas & pueros ac ſenes, futurum numerum circiter mille millium. d Leuitæ vero omnes maſculi cuiuſcunque ætatis fuerunt circiter viginti duo millia, quibus ſi addas mulieres, erunt prope quingenta millia, & conſequenter omnes Leuitæ erant vigeſima circiter pars totius populi reliquarum duodecim tribuum. Decimæ igitur, non quidem totius terræ Chanaam, quæ, vt dixi, diutiſſime fuit in magna parte detenta à Chananæis; ſed partes, & fortaſſe vix dimidiæ, ad Leuitas merito perueniebant, nec nimium poterant abundare, aut excedere redditus, quibus data proportione reliquę tribus fruerentur: calculus vero Bellarmini non ſubſiſtit, quia fæminas Leuitarum prætermiſit. Noſtri vero Clerici, bone Deus, neque millena, nedum vigeſimã ſunt pars totius populi Chriſtiani. Innumeri enim enim pagi ſunt vnico presbytero contenti qui plura continent hominum millia, & ciuitates & oppida multorum millium incolentium illa, vix ternos, quaternoſue habent ſacerdotes: & ſi neceſſitatem ſpectes, ex decem partibus Clericorum ocioſorum, & inutilium; commode abijci poſſent nouem, relictis ſolis vtilibus & neceſſariis, opulentiam ergo nobis nos maximam, non neceſſariam quærimus ſuſtentationem, ſi decimas volumus totas pro nobis ſolis Eccleſiaſticis.

a *Bellar. l. 1 de Cler. c. 25. dubio 4.*
b *Num. 34. & Ioſu. 15. & ſeqq.*
c *Nu. 1. 46.*
d *Nu. 3. 43.*

XLI. Confer obſecro, pie lector, doctrinam tot ſanctiſſimorum Patrum, quos paulo ante recenſui, cum noſtrorum Theologorum recentiorum doctrina, & plane intelliges, nunc potiſſimum eſſe illud tempus quod futurum prædixit Apoſtolus, e *cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt noſtri Eccleſiaſtici. Sed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*] An non eſt prurire auribus, & fabulas euangelio, ſanctis, & Conciliis contrarias, narrare, Epiſcopos debere viuere vt magnates: Canonicos vt nobiles, & ſacerdotes vt ciues? Et ſplendorem externum ſacerdotum efficere, vt populus illos non deſpiceret? & Sacramenta eſſe opprobrio, ſi à pauperibus miniſtrentur ſacerdotibus? & noſtrum ſacerdotium eſſe Aaronico longe dignius, vt propterea longe opulentius, lautius & ſplendidius debeamus viuere? Quis Chriſti Zelator, Euangelii Diſcipulus, ſanctorum alumnus, Eccleſiæ Chriſti filius, non ingemiſcat? Ecce nobis eccleſiam factam totam carnalem, ſynagoga longe carnaliorem. Inter Chriſti miniſtros ſunt ciues opulenti, nobiles opulentiores, & magnates opulentiſſimi. Humanus faſtus, luxus humanus, ſuperbia humana, corruptio peccati tẽtat, titillat, rapit ad ſe Chriſti ſacerdotes: quid faciendum? Neceſſe eſt, inquiunt, conditioni humanæ indulgere. O vocem tartaream! O doctrinam peſtiferam! Sunt ciues re familiari & fortunis auguſti, ſancti non ſunt, patientes non ſunt; commode, immo laute & opipare, immo etiam luxurioſe, vellent viuere: Quid conſulis his Sote? Neceſſe eſt, inquies, conditioni humanæ indulgere: furentur igitur, fraudent, rapiant alienum, vt conditioni humanæ indulgeant. Audiſti ne ſacrilegium eſſe ex bonis pauperum ditari? Si plus accipias quam tua ſimplex neceſſitas poſtulat, pro ſolo victu & veſtitu. Audiſti ne te alienum ſurripere, & pauperes fraudare? Diſce à Chriſto: diſce ab Apoſtolis, diſce à tota Chriſti & incorrupta Eccleſia, & videbis ſplendorem hunc tuum, cui nimium indulges, eſſe à Spiritu Chriſti, & eius eccleſiæ, remotiſſimum, f *Et arma militiæ noſtræ, non eſſe carnalia ſed potentia Deo*; Eccleſiamque ſcias à pauperibus & abiectis fundatam: paupertate & humilitate dilatatam, poſtquam diuitiis externis aucta fuit, *potentia quidem*, vt dicebat Hieronymus, *maiorem ſed virtutibus minorem factam fuiſſe.* Viderit vero Bellarminus, an deceat Eccleſiam Chriſti iudaizare. g *Leuitis*, inquit Chryſoſtomus, *lege conſtituti fuerunt redditus, decima, aurum, primitiæ, vota, & alia plurima. Verum illa lege iſta merito permittebantur, præſentia tantum & terrena quærentibus. Ego eccleſiæ Præſulis audenter dixerim, nil præter victum & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſiderio.*] Et Bernhard. legatus Roman. inſtruit ac monet *vt ſe* h *reuerendos faciant quidem, ſed actu, non faſtu.*] Et doctrina hæc noſtrorum noua, quam ſit contraria putiſſimæ veteri, ſatis eſt iam à me oſtenſum.

e *2. Tim. 4.*
f *2. Cor. 10. 4.*
g *Chryſ. ho. 15. in 1. Timoth.*
h *Bern. de conſid. 4. c. 4.*

XLII. Frugalitatem ſane maximam in Eccleſia vel maxime neceſſariam, agnoſcunt omnes, qui non deſipiunt. Diues ad Chriſtum conuerſus precioſa deponebat indumenta, & plebeium habitum induebat. Difficultas conuerſionis ſic à Cypriano amplificatur: i *Quando parſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit? & qui precioſa veſte conſpicuus in auro atque in purpura fulſit, ad plebeium ſe, & ſimplicem cultum quando deponit?*] Pallium enim fuit olim indicium non modo Clericorum, ſed etiam omnium Chriſtianorum, qui vt oſtenderent vitæ ſuæ frugalitatem, abiecta toga, pallium aſſumebant, proprium k Philoſophorum mundi contemptum profitentium: ex

i *Cypr. l. 2. ep. 2.*
k *Aug. de Ciu. l. 19. c. 6.*

quo

quo etiam vilis & contemptus fiebat. Vnde Hieronymus, *a Nos, inquit, quia ſerica veſte non vtimur, monachi iudicamur: quia ebrij non ſumus nec cachinno ora diſſ luimus continentes vocamur, & triſtes. Si tunica non canduerit,* (pallium enim geſtabant,) *ſtatim illud è triuio, impoſtor, & Græcus eſt.*] hoc eſt Philoſophus & Simulator. *b Indenatum*, inquit Beatus Rhenanus, *quod ſumma apud Gentiles autoritatis viri, relicto Paganiſmo, Chriſtianæ Religioni frequenter nomen dantes, pallio veſtirentur. Iterum alicui forte fortuna obuius factus Ethnicus quiſpiam; Ita ne a toga ad pallium, inquit? nam mira tunc noſtrorum erat & ſimplicitas, & frugalitas. At hodie, commutatis in diuerſum rebus, apud nos non ſolum à pallio ad togas, verum etiam ad Diadema, & ſceptrum emerſerunt; quos tamen vita frugalior ſanctiorque imprimis deceret, veluti puriorem gregis Dominici partem.*] Hæc Rhenanus. Et ſane ex frugalitate, fide & ſpiritualibus virtutibus, non ex vano humano ſplendore Epiſcopum debere ſibi auctoritatem quærere, paucis, ſed aperte, docet Concilium Carthaginenſe quartum. Dum longe melius quam noſtri Theologi, ſtatuit, *c Vt Epiſcopus, vilem ſupellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ autoritatem, fide, & vitæ meritis quærat.*] Talis fuit Martinus Turonenſis: tales priſci omnes Epiſcopi valde pauperes, vt oſtendi hoc libro capite primo. Decretum hoc Carthaginenſe vt ſe latius extenderet, & vniuerſam admoneret Eccleſiam, poſitum eſt in Corpore *d* Iuris Canonici, vt publicæ, & vniuerſalis habeat vim legis. Et nihilominus iam fruſtra, vt cæteræ fere omnes antiquæ, occupat chartas, Adulatores tamen peſſimi non deſunt, qui ſanctiſſimum decretum pene irrideant, vt Papæ, & nobis blandiantur. Ait enim Gloſſa ibidem: *Hoc hodie non tenet; quia modo habent amplas poſſeſſiones.*] Et vt oſtendat hunc canonem merito exoleuiſſe, affert caput, Expedit, 12. quæſt. 1. Atque ita cum maxima, immo, Diabolica fraude, nos decipit: quaſi in illo capitulo Proſper doceat iam expedire, vt Epiſcopi poſſeſſionibus, contra quam Canon ille ſtatuit, fruantur. Vbi tamen, vt ſatis ego ſupra docui, Proſper permittit, non Epiſcopis, aut ſingulis eccleſiaſticis, ſed Eccleſiæ in communi, bona vt communia, ad vſum poſſidere; non vt in proprietatem tranſeant Epiſcoporum; ſed vt Epiſcopi parciſſime ſibi, vt Canon ille præcipit, inde ſumant, reliquum in pauperes diſtribuant.

a Hiero. ad Marcellam epiſt. 23. & ad Furiam ep. 10.

b Rhena. in arg. lib. de pallio Tertull.

c Concil. Carthag. 4. c. 15.

d Diſt. 41. c. Epiſcopus.

XLIII. Pompa hæc mundana, vt Epiſcopi Principum more magna clientela ſtipati incedant, placuit adeo noſtro Baronio, vt Gregorium Magnum ad ſe ſit conatus pertrahere, atque huiuſce vanæ pompæ facere aſtipulatorem. *e Is enim de redarguendo*, inquit, *Paſchaſio Epiſcopo, ad Anthemium Subdiaconum literas dedit in quibus inter alia, quæ correptione digna ipſe Gregorius numerat, illud etiam ad poſtremum reprehendit, cum ait, f Hoc quoque eius culpis adiungitur, quod ita quotidie deiectus cum vno aut duobus Clericis dicitur ad mare deſcendere, vt & apud ſuos in fabula ſit, & extraneis ſit vilis, ac deſpicabilis videatur, vt nihil habere Epiſcopalis vel ingenii vel reuerentiæ videatur.*] Subdit Baronius, *Ex quibus intelligas, non recens eſſe vt Epiſcopi pluribus ſtipati famulis incedant, ſed quam maxime antiquitus cuſtoditum, adeo vt Pontificia cenſeretur reprehenſione dignus, qui cum vno vel duobus Clericis, animi cauſa, ad mare deſcenderet*] Gregor. tamen ne ſomniauit quidem Paſchaſium quicquam contra pompam mundanam, & vanam maieſtatem peccaſſe, quod debito famulorum numero ſtipatus non incederet. Sed Paſchaſii errorem volebat redargui, quod ad mare deſcenderet, nõ animi cauſa, quod fingit Baronius ſatis mala fide, ſed, vt habet ibid. Gregor. ad nauim fabricandam, rebus quæ ad paſtoris curam pertinent prætermiſſis: Vnde quadringentos aut amplius ſolidos iam perdiderat. Et hæc eſt culpa præcipua: cui addebat & aliam, quod deſcendendo ad mare, non vt debuiſſet ſuorũ ſacerdotum & compresbyterorũ choro circundatus; aut alia graui perſona, quæ ipſius cuſtos eſſe poſſet, & actionũ Epiſcopalium teſtis, aſſociatus, ſed vno aut altero Clerico ſecum ducto. Decentiſſimũ enim eſt vt Epiſcopus, ſi domo egreditur, habeat ſecum ſocios graues, ad omnem ſuſpicionem vitandam, qui ſane ſocii non ad Pompam, aut famulitium, aut ſatellitium, ſed ad decorem inſeruiunt & honeſtatẽ. Deſpicabilis vero fit, cum vnus, aut duo viliores Clericuli, illũ comitantur; non quod debito famulorum numero careat, ſed quod ad ſuã cõſuetudinem viles tantum adhibeat Clericos, qui cũ grauiſſimis ſacerdotibus deberet cõuerſari, præſertim quod ille Paſchaſius ad opus vile & mechanicum, epiſcopo indigniſſimũ, cum illo vno aut altero Clerico, accederet. Nam & propterea Gregorius, vbi explicat Antemio, ſuper quibus debeat Paſchaſium corripere & arguere, non ponit famulorum paucitatem, cui modeſtia & humilitas ſacerdotalis non erat ignota.

e Baron. to. 8 an. 603. n. 25.

f Greg. l. 11. ind. 6 ep. 21.

Longe diuerſa in hoc genere à Baronio, & à ſe ipſo & ſenſit & probauit Gerſonius, tractatu longiori, quem, De temperantia in cibis potu & veſtibus Prælatorum inſcripſit. Cuius ſumma eſt, *g Expedientius eſſe, & efficacius, prædicatorem, & Prælatum, declinare ad auſteritatem vitæ, & parcitatem in victu, veſtitu, & famulis, quam ſæcularibus in talibus conformari.* Dicit quidem in ſua concluſione hoc eſſe expedientius, probationes tamen, quas affert, conficiunt eccleſiaſticos omnino ad hoc teneri, & ex neceſſitate ſalutis ad hoc obligari. Affert in primis vitam Chriſti, & exempla Apoſtolorum, ac aliorum ſanctorum. Deinde diſputationem reducit ad tria capita: Vel enim, inquit, pompam in veſtibus, in ferculis, in ſeruitoribus, quærunt Eccleſiaſtici ad placendum Deo, vel vt proficiant proximo: vel ad eccleſiæ honeſtatem & autoritatem. *Non primum* inquit; quia ex Hieronymo non tenera veſtis, ſed munditia mentis facit ornatum Clericorum: Et quia plus placent Deo opera pietatis, in quibus poſſent expendi ea, quæ talis pompa requirit. *Non ſecundum*; quia inquit plus ſcandalizat laicos pompa hæc Clericorum, quam ædificet, plus ad indignationem & murmur & inuidiam eos excitat, quam ad amorem: & plus auget in eis auaritiam & ſuperbiam, quam extinguat: neque poteſt ſacerdos pompaticus verbo & exemplo humilitatem, frugalitatem, & ſobrietatem, aliis perſuadere: Additque Gerſonius: *Porro non habet opus iſta pars allegationibus Scripturarum, vt doceamus pompam eſſe in ſcandalum Laicorum. Interrogetur experientia, & magna voce clamabit. Ita eſt: Nihil verius eſt. Nam vnde fuit tanta Principum & ſæcularium deuotio apud antiquos Eccleſiaſticos pauperes & pannoſos? Vnde tantus honos? tanta reuerentia? tantus cultus? Vtique quia pompas tales nihili pendebant. Idcirco tanquam apud bonos & fideles diſpenſatores, copioſiſſima eis miniſtrabantur diuitiæ: quia poſtquam inſoleſcere, & eis abuti cœperunt, in contraria verſa eſt prior largitio; Dico in direptionem; & contemptum.*] Et poſt nonnulla: *Si vero dicant Eccleſiaſtici, quod talia non agant ad ſuperbiam ſuam vel excellentiam, ſed vt conformentur illis, apud quos viuunt, ne erubeſcant*

XLIV.

g Gerſon.

beſcant niſi ſint honorabiles inter proximos, & alios; ac ne alios ſcandalizent, tanquam ſi ſint auari, vel hypocritice ficti, niſi ſe moribus conforment: Videant, obſecro, ſubdit, *ne contrarientur huic præcepto,* a Nolite conformari huic ſæculo, *dum errores quos corrigere deberent, imitantur. Imitanda potius,* inquit, *eſt humilitas Chriſti; non exhorrenda, nec erubeſcenda vilitas quæ propter eum, in ſui ipſius deiectionem, ſuſtinetur.*] Ad illud vero de ſcandalo & hypocriſi reſpondet: *Si quis ex Prælatis ſibi parce viuat, pompas omnes abiiciens, vel abhorrens, neque theſaurizet pecunias, neque eccleſiaſtica bona in vſus profanos diſſipet, ſed vt tenetur, diſtribuat; ille hypocriſis à ſe crimen facile remouebit.* Docetque ſtatim Eccleſiaſticum, non modo poſſe publice & in aperto eleemoſynas ex bonis Eccleſiaſticis facere, ſed etiam ad hoc teneri ipſum, & obligari: Caueat tamen à vanitate interna, & ſuperbia, iuxta illud Gregorii: *Opus fiat in publico: intentio maneat in occulto. Sunt enim Prælati,* inquit, *in loco conſtituti, non acquirendæ perfectionis, ſed exercendæ.* Ideo iuſſione Apoſtolica prohibetur *b neophytus ordinari, ne in ſuperbiam elatus, &c. Non denique tertium: Dum obiiciunt,* inquit, *iſti pompatici ſacerdotes, non ad ſuperbiam, nec ad excellentiam hoc facimus, ſed vt eccleſia per hoc cum ſuis ſeruitoribus honoretur, & ſic magis honorata creſcat in ſua auctoritate.* Reſpondet: Honor debet dari in teſtimonium virtutis, non propter exteriores diuitias vel ornatum. Sicque populum inducunt in errorem, dum ille ab eis diſcit honorare eccleſiam propter temporalia iſta, & non propter futura bona & ſpiritualia. Alioquin Chriſtus, & eius Apoſtoli, non ſufficienter ornaſſent eccleſiam, & honoraſſent, quando talia in ſe contempſerunt, & aliis ſpernenda ſuaſerunt. Vnde & Iacobus inculpat eos, *qui honorando diuites in annulo aureo, & veſte fulgida, ſpretis pauperibus perſonas accipiunt.* Et Bernardus ad Eugenium, *c Tu Paſtor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate, oues quid capiunt? ſi auderem dicere, Dæmonum magis, quam hominum paſcua hæc. Sic faciebat Petrus? Sic Paulus ſuadebat?* Item: *Petrus neſcitur aliquando proceſſiſſe vel gemmis ornatus, vel ſericis, nec tectus auro, vel vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſeptus miniſtris: abſque hoc tamen credidit ſatis poſſe implere ſalutare mandatum, Paſce oues meas.*] Vrget vlterius contra hos Gerſonius, & ait. *Rurſus ſi viri Eccleſiaſtici talibus vtuntur, pro ſolo honore ſtatus eccleſiaſtici; cur dimittunt tam magnam partem ſacerdotum, & curatorum in ſtatu tam inculto, tam infimo, & plebeio? Immo qua temeritate ipſos ſpoliant, & denudant?* Amplius inquit, *apud Principes & alios laicos plus irridetur hæc pompa, quam in honore vere habeatur: repellitque fulgor hic pauperes, ne accedant ad petendum conſilium, aut confeſſionem faciendam: Vnde murmurant, inuident, detrahunt, quod non facerent ſi illi humiliter ſe gererent. Præterea ſuſtentatio Pomparum fieri nequit abſque multis expenſis, quæ trahunt ſæpe ad quæſtus mercenarios, & rapinas iniuſtas, & fraudes, & curas graues, & querelas ex inſolentiis ſeruitorum, & cætera.*] Et poſtea; *Abyſſus expenſarum, abyſſum inuocat diuitiarum, quo fit vt eueniat illud à pueris decantatum.*

Qui ſua conſumunt, cum deeſt, aliena ſequuntur.

Hinc fraudes, hinc doli, hinc iniuſtitia variæ, &c.] Atque ita egregie probat contra ſe, qui ſupra dixerat iam eccleſiæ iſtas externas pompas expedire: contra Sotum, Bellarminum, & alios, illas nihil honoris, nihil exiſtimationis, nihil auctoritatis propriæ Eccleſiaſticæ afferre: ſed eas & pernicioſas eſſe, & omnino quemcunque eccleſiaſticum, vel Papam ipſum, plurimum dedecere. Adde profanos vſus quoſcunque eccleſiaſticorum eſſe cum rapina & ſacrilegio, vt inferius apparebit.

a Ro.12.2.
b 1.Tim.3.6.
c Bernard. De conſid. l.5.c.3.

XLV. Neque illud poſſum tacitus præterire, ex hoc mundano faſtu, nimiiſque diuitiis, ſchiſmata fere omnia Eccleſiæ Romanæ ſemper contigiſſe; & adhuc longe peiora expectari. Multi enim, & ſane potentiores, cum plurimum ambiant, vt ad tantum perueniant ſplendorem, neceſſe eſt ſchiſmata ebullire. Hiſtoriam texerem, ſi percurrerem ſchiſmata ex ſola hac humanarum facultatum Eccleſiæ Romanæ copia orta. Sat mihi fuerit nunc hominis Ethnici ſcandalum merito ab eo paſſum, in vno ex primis ſchiſmatibus, commemorare. Marcellinus hic eſt, qui ita ſcribit: *d Damaſus & Vrſicinus ſupra modum humanum, ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes ſciſſis ſtudiis, aſperrime conflictabantur, ad vſque mortis, vulnerumque diſcrimina, adminiculis vtriuſque progreſſis: quæ nec corrigere ſufficiens Viuentius, nec mollire, vi magna coactus, ſeceſſit in ſuburbanum: & in concertatione ſuperauerat Damaſus, parte quæ ei fauebat inſtante. Conſtatque in Baſilica Sicenini, vbi ritus Chriſtiani eſt conuenticulum, vno die centum triginta ſeptem cadauera reperta peremptorum, efferatamque diu plebem ægre poſtea delinitam. Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans vrbanarum, huius rei cupidos, ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere; cum id adepti futuri ſint ita ſecuri, vt ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo vt eorum conuiuia regales ſuperent menſas: Qui eſſe poterant beati reuera, ſi magnitudine vrbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam Prouincialium viuerent; quos tenuitas edendi, potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo numini, veriſque eius cultoribus, vt puros commendat & verecundos.*] Et *e* Prætextatus, vt habet Hieronymus, ſolebat ludens Beato Damaſo dicere: *Facite me Romanæ vrbis Epiſcopum, & ero protinus Chriſtianus.*] Dicant nunc mihi noſtri, ex fulgore & pompis externis, eccleſiaſticos Prælatos, ſibi honorem apud populos, & auctoritatem comparare: & tamen homo Gentilis Ammianus, probro ducit noſtris Antiſtitibus, quod humano fulgeant ſplendore: & plurimum laudat ac veneratur, beatoſque reuera appellat, dum modeſti, humiles, & coram mundo abiecti DEO ſeruiunt & Eccleſiæ. quod de ſchiſmate Damaſi ait Marcellinus, hoc de omnibus affirmat Gerſonius, ſeu quis alius, dum ait *f Poſtquam autem in Eccleſia multiplicata ſunt Dominia in temporalibus & ſpiritualibus, inceperunt intruſiones & ſchiſmata in Romana Eccleſia, propter quæ Dominia & poteſtates continue fuerunt odia & rancores inter ſummos Pontifices, Imperatores Romanos, & Dominos temporales.*] Hic eſt fructus diuitiarum in Eccleſiis vere & proprie venenum: vt conſideraui etiam libro ſexto, capite octauo, numero 15.

XLVI. Inter abuſus etiam quos bona temporalia in Eccleſiã inuexerunt, de quibus ſatis multa iam cõmemoraui, non infimum locum tenet turpis, & abominanda Simoniæ frequentiſſimæ labes, & peſtis, meo iudicio, longe turpior, quam fuerit in Simone Mago. *g* Ille enim, vt poteſtatẽ illam admirabilem tradendi Spiritum ſanctũ aliis, per manuum impoſitionem, modo perſpicuo & viſibili, pecuniam exponebat, pro dono quodã & priuilegio ſpirituali,

d Ammian. Marcell. l.27.
e Hiero. ep. 61.
f Gerſ. tr. de Stat. qualis fuerit ſtat. Ec.
g Act.8.

ſpirituali, cæleſti, ac diuino. Nunc vero noſtri Simones exponunt pecuniam pro ſacerdotiis, nõ ad conſequendam vllam cæleſtem & ſpiritualem poteſtatem, ſed ad obtinenda commoda temporalia, ſplendorem humanũ, pompas externas, & diuitias, dominatuſq; temporales, ſacerdotiis ac muneribus Eccleſiaſticis adnexos. Sed de Simoniaca labe plura inferius ſuo loco. Interim occaſione tot abuſuũ ex auaritia prodeuntium, Eccleſiamq; deturpantiũ, libet & illud commemorare, merito antiquos canones (non deſunt etiam recẽtiores ſed hoc tẽpore

a c. cum in Eccleſia de Simon. inutiles) ſerio vetare, *ne pro Sacramentis miniſtrandis, a preciũ ab Eccleſiaſticis exigatur*. Ideoq; improbatur plurimum eorũ mos, qui pro conſecratione Baſilicarũ,

b 1.q.2.c. placuit.c. quam pio. aut pro monaſtica profeſſione, *b* pecuniam ab inuitis extorquent. Reprehendunt etiã & damnant eos qui pro ſepulturis & exequiis pecuniam efflagitãt. Quinquam harum rerum nomine ſi ſponte aliquid offeratur, accipi Canones nõ prohibeant. Idem dico de miſſarum celebratione, de ſacris precibus, & ſimilibus. Iandiu tamen hęc omnia publicis & apertis proſtant nundinationibus, *c ſacrificiq; noſtri tẽporis*,

c Duaren. de min ſt.} Eccl.& benef.l. 7.c. 6. vt loquitur Duarenus, *qui certam Eccleſiam nullã regũt, poſtquam ſacrum peregerint, ſi conſueta merces ipſis non præbeatur, Epiſcopum adire ſolent poſtulantes, non quidẽ aperte vt ſibi preciũ numeretur, ſed vt laudabilis conſuetudo obſeruetur.*] Quod enim ex charitate ſoliti fuerint fideles aliquid his occaſionibus ſponte offerre, & eleemoſynæ nomine donare; hinc iam nos volumus nobis eſſe ius comparatum, vt in iudicio etiam actionem nos iuſtã habere putemus, ad illud exigendum; noſtriq; aſſentatores, de more noſtram auaritiam fouẽtes, & aliquo cauillo honeſtantes, ſubtiles comminiſcuntur diſtinctiunculas, *inter opus ſacrum, & operam corporalẽ perſonæ*, qua illud opus perficitur: hãc vero operam mercede locari aſſerunt, non itẽ opus. Sed illud eſt cõmunius noſtrum effugium, & auaritię ac turpis lucri pallium, *quod laudabilem conſuetudinem in ordinariam obligationem conuertimus. Hoc n. genus expiſcandæ pecuniæ* inquit ibidem Duarenus, *quod à veteribus Canonibus, & maiorum inſtitutis valde alienum eſt, ex*

d c. ad Apoſtolicam de Simon. *Innocentij III. d conſtitutione manauit.*] Qui ſicut prauas exactiones pro exequiis fieri prohibet; ita pias conſuetudines præcipit obſeruari; vt iam ſub hoc præcepto velimus fideles obligari, vt in funeribus mortuorum, Eccleſiaſticos ducentes funus, conſueta mercede recognoſcant.

XLVII. Longe tamen ante Innocentianam conſtitutionem, Clericorum auaritia, in humandis fideliũ Cadaueribus, emolumẽta aliquando exigebat; Cuius rei querelæ ad Iuſtinianũ Imperatorem ſunt delatę:

e Nouel. 59. nimirum vt ipſe fatetur. *e Neq; ſine mercede fieri defunctorum exequias, ſed exigi amare, & inueniri plurima foris nomina & corpora, quæ etiam inuitos exigunt lugentes, & cogunt dare nõ habentes.*] Quem exceſſum corrigit ſua lege Iuſtinianus, laudans Anaſtaſij Imperatoris ordinationem, qui ad conciliandam populi gratiam, dedit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ redditum ſeptuaginta librarum auri, eam ob cauſam, vt ſcilicet exequiæ ſine ſumptu, & gratis in ea ciuitate fierent. Laudabile eſſet etiam vt noſtri Principes exactiones Clericorum, vbi non nihil exorbitant, in hoc genere moderarentur.

XLVIII. Deſinamus igitur mirari, quod Principes pij & Catholici Eccleſiæ primi & præcipui protectores, ac Dei Vicarij & miniſtri, in Eccleſiaſticis etiam rebus dirigendis, vbi Prælati deficiunt, aut excedunt; vt docui lib. 6. cap. 8. manum medicam tanto morbo ſæpius admouerint, certe iuſſu Dei, ac Spiritus ſancti motione. De Valentiniani lege prohibente ne hæreditates laicorum tranſirent ad Eccleſias, ſatis diſputaui lib. 6. de qua ita Hieronymus: *f Prouida* f Hier. ep. 2. *ſeueraq; legis cautio: & tamen nec ſic refrænatur auaritia.*] Quam ſane auaritiam Clericorum, ad aucupandas hæreditates, & legata, quam ſordida eſſet, pulchre deſcribit idem, & ait. *Audio præterea in ſenes, & anus, abſq; liberis, quorundam turpe ſeruitium, ipſi* (Clerici vel Monachi) *apponunt matulam, obſident lectum, purulentiã ſtomachi, & phlegmata pulmonis manu propria ſuſcipiunt: pauent ad introitum medici; trementibuſq; labiis, an commodius habeant ſciſcitantur, & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur: ſimulataq; lætitia mens intrinſecus auara torquetur; Timent enim, ne perdant miniſterium; & viuacem ſenem Mathuſalem annis comparant. ô quanta apud Deum merces, ſi in præſenti precium non ſperarent! quãtis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur! minori labore margaritum Chriſti emi poterat.*] De his etiam illud habet idem: *g Alii nummum addũt nummo, & in marſupium ſuf-* g Hier. ep. 3. *focantes matronarum opes venentur obſequiis.*

Hos quoque Auguſtinus non prætermiſit irre- XLIX.
prehenſos: Illud enim Ioannis Baptiſtæ, *h Contenti* h Luc. 3. 15.
eſtote ſtipendiis veſtris, nobis applicat dicens; *i Nam* i Auguſt. de
& Catholicus Clericus hac ſententia retinetur. Si enim non verb. Dom.
contentus ſtipendiis fuerit, quæ de Altario domino iubente ſerm. 19.
conſequitur, ſed exercet mercimonia, interceſſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negociator magis poteſt videri quam Clericus. Nec dicere poſſumus; Nemo nos inuaſores arguit violentiæ, nullus accuſat: Quaſi non interdum maiorem prædam à Viduabus blandimenta eliciant, quam tormenta. Nec intereſt apud Deum vtrum vi, an circumuentione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pacto teneat alienum.] Ideoque ipſe Auguſtinus hæreditates, in præiudicium filiorum à patribus legatas, nunquam voluit acceptare. Ait enim: *k Quicunque* k Aug. ad
vult exhæredato filio hæredẽ facere Eccleſiam, quærat alterũ, frat. de her.
qui ſuſcipiat, non Auguſtinum: imo Deo propitio nullum in- ſerm. 52.
ueniet.] Ad hoc adducit exemplum Aurelij ſui prædeceſſoris: *Quam laudabile, inquit, factum ſancti & venerandi Epiſcopi Aurelij Carthaginenſis? Quidam enim cum filios non haberet neque ſperaret, res ſuas omnes, retento ſibi vſufructu, donauit Eccleſiæ. Nati ſunt ei filii; & reddidit Epiſcopus, nec opinanti, quæ ille donauerat. In poteſtate habebat Epiſcopus non reddere: ſed iure fori, non iure Poli.*]
Declarauitque. *l Si Monachus, re ſua non vendita, nec* l Idem ep.
per manifeſtam donationem in quempiam tranſlata, more- 19. in vlt.
retur non niſi hæredes eius in eam ſuccederent.] Adeo fuit à ſerm.
Philargyrię vitio alienus; hęreditateſq; laicorum intactas eſſe cupiebat: quas videbat ab auaris Eccleſiaſticis ambiri, expeti, & extorqueri. Ideoq; & Concilium Cabilonenſe ſub Carolo Magno, auaritiam eandem perpetuo pullulantem compeſcere eſt conatum, Decreto huiuſcemodi. *m Imputatur quibuſ-* m Concil.
dam fratribus, eo quod auaritiæ cauſa hominibus perſuade- Cabilon. 2.
ant, vt abrenunciantes ſæculo, res ſuas Eccleſiæ conferant: c. 6.
Quod penitus ab omnium mentibus eradicandum eſt. Animarum etenim ſalutem inquirere ſacerdos, non lucra terrena debet: quoniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neq; circumueniendi.

Contra hos itaq; leges Principum fuerunt, vt di- L.
xi, neceſſariæ. Ac quemadmodum auaritia hæc Eccleſiaſticorum, quantumuis lege primum Valentiniani compreſſa, perpetuo pullulauit, ita ſucceſſiuis temporibus eandem ſuis legibus Principes ſubinde ſuccidere, ſed fruſtra ſunt conati; vt conqueritur Concilium Conſtantienſe; *n Quod nonnullæ,* inquit, n Concil.
ſeculares perſonæ, in poteſtatibus & officiis publicis cõſtitutæ, Conſtantienſe in conc.
Duces, Marchiones, Comites, &c. ſtatuta ſingularia cõdiderant: vtpote quod nulla bona tẽporalia, in vim & poteſtatem fir. conſtit. Frider. &
Eccleſiaſticam transferãtur.] De his legibus, ac vltimo Carolina.
de Veneta, eidem morbo Eccleſiaſticorum merito

occurrentibus, ſatis dixi libr. 6. ad finem capitis 6. earumq; iuſtitiam, honeſtatem, & æquitatem manifeſtaui: quippe quas Eccleſia ipſa antequam in quibuſdam partibus adeo corrumperetur, laudauit, approbauit, & ſeruauit. Illis vero nunc maxime indigemus. Ac ſane libidine potius obtrectandi, quam recti iudicij ratione dixit Baronius, *a Principes illos arbitrio voluntatu potius quam recti iudicij ratione leges illas tuliſſe.*] quas omnino & vtiles, & neceſſarias, ſibi agnouit Eccleſia; vt iam probaui.

a Baron. to. 1. ann. 57. n. 72.

LI. Expoſui hactenus abuſus graues circa bona temporalia Clericorum ſeorſim; ſiue etiam communes Clericis & Monachis: ſeorſim tamen reſtat, vt exponam abuſus eoſdem in Monachis, & Regularibus; quos multo magis dedecet: vt detecto lethali morbo, de ipſo curando cogitemus. Ac illud in primis contendo Monachos, hoc eſt, quoſcunq; Cœnobitas, & clauſtrales, quorum præcipuum inſtitutum non ſit Clericale, de quibus egi libro ſecundo longe magis ad veram paupertatem teneri, quam Clericos: nam ne in communi quidem ex primæua eorum inſtitutione poſſunt diuitias & latifundia poſſidere. Hieronymi certe inſtitutio quam ad Ruſticũ Monachum ſcripſit, & pro lege neceſſario ſeruanda Monachis, in corpore *b* Iuris Canonici eſt poſita, ſic habet. c *Facito aliquid operis, vt te ſemper Diabolus inueniat occupatum.*] *Si Apoſtoli* d *habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in vſus tuos ceſſura non praepares?*] commemoratque varia opera, quæ poſſent à Monacho exerceri. Et ſane ad neceſſariũ vt audis, victum quærendum. Sed etiam illud commodi ex tali opere euenturum commemorat. Quod otium; multorum origo & fons malorum; ſit effugiendum: Vt te Diabolus inquit inueniat occupatum: & addit. *e In deſiderijs eſt omnis ocioſus. Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſq; operis labore ſuſcipiant; non tam propter victus neceſſitatem. quã propter animæ ſalutem; ne vagetur pernicioſis cogitationibus mens, &c.*] Vtrunq; profecto finem includit: & victum neceſſarium, & fugam ocij: ſed pluris adhuc facit poſteriorem vtilitatem, eamq; præferri docet priori, quam tamen non excludit. Vnde & obiectio ni quam potuiſſet facere Ruſticus, *in vibibus eſſe viros Eccleſiaſticos qui bonis fruuntur Eccleſiæ.* Reſpondeo, inquit, breuiter, *meum præſenti opuſculo non de Clericis diſputare, ſed Monachum inſtituere.*] Eandem etiam obiectionem ſoluit Heliodoro Monacho dum ait; *f ſed de hoc gradu pulſus prouocabis ad Clericos. Sed alia Monachorum eſt cauſa, alia Clericorum. Clerici paſcunt oues; Ego paſcor: illi de Altario viuunt, mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero.*] Quod ergo licet Clericis abſq; manuum labore de bonis Eccleſiæ viuere, hoc negat Hieronymus Monacho licere: quem manuum labore vult ſibi victum neceſſarium comparare; & potius penu Eccleſiæ ſuorum laborum fructibus augere, quam ab ipſo aliquid, vt ſibi iure debitum accipere, qui & illud habet: *g Manu quotidie, & proprio ſudore quærimus cibum, ſcientes ab Apoſtolis ſcriptum eſſe, qui autem non operatur, nec manducet.*]

b de conſec. diſt. 5. c. nunquam.
c Hier. ep. 4.
d 1. Cor. 9. 14.
e Prou. 13. 4 ſecundum 70.
f Hier. ep. 1.
g idem ep. 77.

LII. Baſilius Monachorum inſignis pater & inſtructor, ac bona ex parte inſtitutor, hoc idem docet aperte. *h Porro,* inquit, *quærendi victus ſolertia, his qui eiuſcemodi vitæ genere degunt, ea maxime conueniens iudicanda eſt, quæ præſcripta eſt ab Apoſtolo: nimirum, vt manibus laborantes honeſte panem manducent. Porro mercium quaſcunq; hac de cauſa illi confecerint diuidendarum, cura ei demandanda eſt, qui præter ætatis maturitatem, grauitatis etiam, atq; innocentiæ commendationem habeat à vita ſuperiore: qui quidem operam manuum illorum cum rebus ad victus illorum vſum neceſſariis commutet: vt ſic & mandato ſatisfiat, quod victum ſudore laboreq; quærendum præcipit, & honeſtatis decor reprehenſione ac nota omni vacuus, teneatur, cum nulla eos quotidiani victus neceſſitas adigat in publicum prodire.*] Mandatum & præceptum agnoſcit Baſilius, vt Monachi ex labore manuum viuãt: hoc vero eſt ipſa regula Monachorum, quæ Pauli exemplum & documentum pro lege ſumpſit & inſtituto. Male ergo Bellarminus i negat extare præceptum tale poſitiuum: quod extare ſupponit expreſſe Baſilius, nempe regulam ordinariam Monachorum.

h Baſil. de Inſtit. Monach. ſer. 1.
i Bellar. de Monach. lib. 2. c. 42.

LIII. In eandem ſententiam rurſus idem Baſilius ita ſcribit. *k Neq; enim eo conſilio Dominus hominem finxit vt ſegnis ac languens deſideret; ſed contra potius vt eſſet qui ſe in laboribus honeſtis exerceret: quandoquidem & primo in Paradiſo Adæ præcepit vt laboraret, & Paradiſum ipſum cuſtodiret; (& ſi enim his verbis altior quidam adiunctus eſt ſenſus, nihilominus tamen propterea hoc ipſum etiã quod omnibus expoſitum eſt, imitatione ac ſtudio dignum eſt) & tum deinde poſtquam ex eo ille eiectus exulauit, ſententiam tulit, vt pane ſuo in ſudore vultus ſui veſceretur.*] Et paucis interiectis: *ſiquidem præcipiunt diuina oracula, vt laboremus, & corpus actuoſum habeamus; potiuſq; aliorum indigentiis ſubueniamus, quam aliunde ipſi opem expectemus.*] Additq; Scripturæ teſtimonia ex Paulo: *Apud quem,* inquit, *quodam in loco ſic ſcriptum eſt, l Audiuimus inter vos quoſdam inordinate ambulantes, nihil laborantes ſed curioſe agentes. Et ordinis deſertionem laboris deſertionẽ vocat: Non enim,* inquit, *inordinate nos inter vos geſſimus, neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione nocte & die laborantes. Et quod hoc etiam maius eſt:* m *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum erant miniſtrauerunt manus hæ.* Idemq; alio in loco. *n Vt laborantes,* inquit, *panem ſuum manducent.* Et alibi: *o Vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis, & laboretis manibus veſtris.*] Quod enim in Paulo Clericis & liberis fidelibus fuit conſilium; hoc Monachi ſibi pro regula & præcepto aſſumpſerunt.

k Baſil. conſt. Monaſt. c. 4.
l 2. Theſſ. 3. 11.
m Act. 20. 34.
n 2. Theſſ. 3. 12.
o 1. Theſſ. 4. 11.

LIV. Non contentus iam dictis Baſilius ſe ipſum fuſius explicat dicens; *p Cum Dominus noſter Ieſus Chriſtus dicat,* q *Dignus eſt, non ſimpliciter, neq; ſine vlla exceptione quilibet, ſed operarius cibo ſuo; Cumq; Apoſtoli præceptum ſit, qui fatigari & r laborare nos iubet propriis manibus, quod bonum eſt, vt ſit nobis vnde egentibus tribuamus; ſane de hoc quidem dubium eſſe non poteſt, quin ſtudioſe ſit laborandum. Neq; enim cauſa ad inertiam, aut laboris fugã, vita ſecundum pietatem inſtituta, exiſtimari debet, ſed materia potius exercitationis, & maioris laboris, & in rebus difficilibus tolerantiæ: vt nobis quoq; vere liceat dicere; ſ* In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti. *Cum non ad corporis caſtigationem modo vtilis nobis huiuſmodi vitæ ratio ſit, ſed ad charitatem etiam erga proximũ: ſi videlicet de fratribus noſtris iis qui valetudine aduerſa laborent, nec ſſarta per nos Deus vitæ ſubſidia ſubminiſtret, conuenienter exemplo illi quod propoſitum nobis in Actis eſt ab Apoſtolo: ſic enim illi ait;* t Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos. *& alio loco;* u Vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti. *quo ſcilicet digni habeamur quibus illud dicatur;* x Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum ab inſtitutione mundi: Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere. *Verum enim quantum in deſidia mali ſit, ſane nihil attinet memorare: cum Apoſtolus aperte præcipiat,* y Vt qui non laborat, is nec manducet etiam. *Sicut igitur vnicuiq; ad vitæ ſuſtentationem neceſſarius eſt cibus quotidianus, Item nihilominus vnicuiq; in opere faciendo neceſſaria induſtria*

p Baſil. regul. fuſ. diſp. c. 37.
q Matt. 10. 10.
r Eph. 4. 28.
ſ 2. Cor. 11. 27.
t Act. 20. 34.
u Eph. 4. 28.
x Matt. 25. 34.
y 2. Theſſ. 3. 10.

induſtria eſt, neq; enim temere laudis loco poſitum fuit à Salomone. a Et panem ocioſa non comedit. Itemq; ab Apoſtolo de ſe ipſo dictum eſt illud. b Neq; gratis panem accepimus ab aliquo; ſed in labore & fatigatione nocte & die laborantes. Atquitamen licebat ei cum Euangelium prædicaret c de Euangelio viuere ſi voluiſſet; quia Dominus etiam ipſe pigritiam cum malitia cōiunxit, cū dixit, d Serue male, & piger: Idem præterea vir ſapiētia gloria excellens Salomon, non ſolum ex iis, quæ à me memorata ſunt, modo virum gnauum laudat, ſed ignauum etiam caſtigat, illa ex tenuiſſimarum beſtiolarum comparatione, cum dicit; e Vade ad formicam ô piger. Proinde metuere debemus, ne aliquando nobis hoc in die Iudicii obiiciatur, cum qui ad excipiendos labores idoneas nobis vires ſuppeditauerit, is parem quoque illis à nobis in laborando induſtriam repoſcet. Quoniam cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Verum enim quia ſunt nonnulli, qui orationum ſimulatione, pſalmodiæue, neceſſarios in exercendis artificiis labores defugiunt, illud eſt intelligendum, certis quidem aliis quibuſdam in rebus eſſe certam vnicuique temporis maturitatem, vt eſt apud Eccleſiaſtem; f Qui omni negocio ſuum eſſe tempus dicit: orationi vero, & pſalmorum modulationi, ſicut in aliis etiam pleriſque, nullum non eſſe tempus idoneum; ita videlicet, vt vel in eo ipſo dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam (quandocunque id fieri poteſt, aut expedit potius, & ad fidei ædificationem conducit) munere hoc fungi poſſimus. ſin id minus, corde certe pſalmis, & hymnis, & Canticis ſpiritualibus, Deum collaudemus, ſicut ſcriptum eſt; atque ita orationi ſatisfaciamus; interim dum laboramus. gratias agentes Deo, qui ad opera facienda manuum vires nobis ſuppeditauerit: Itemque ad percipiendum artium ſingularum cognitionem, ingenium largitus ſit; materiamque donauerit, tum ex qua inſtrumenta conficerent; tum eam etiam qua artibus his eſſet ſubiecta, quas forte fortuna tunc in manibus habeamus: ſimulque etiam ipſum orantes vt opera manuum noſtrarum dirigantur ad eum finem, vt ipſi placeamus. Hoc modo etiam mentem à futilibus cogitationibus cohibemus; quandocunque videlicet in ſingulis quæ adminiſtramus operibus, conficiendi felicitatem à Deo poſtulamus, & ei gratias agimus, qui ad ea adminiſtranda vires nobis tribuerit, & à propoſito ineundæ gratiæ illius non aberramus, ſicut ante dictum eſt. Etenim niſi hæc ita ſe habeant, qui fieri poteſt vt inter ſe illa concordent, quæ dicta ſunt ab Apoſtolo? Et illud videlicet: g ſine intermiſſione orantes: & illud; h Nocte & die laborantes.] Et de laudabili Monachorum inſtituto, vita, pſalmodia, manuumque labore præclare i diſſerit apologetice, aduerſus Clericos Neocæſarienſes, qui in ipſius inſtituta obmurmurabant.

a Prou. 31. 27.
b 2. Th. 3. 8.
c 1. Cor. 9. 14.
d Matt. 25. 26.
e Prou. 6. 6.
f Eccl. 8. 6.
g Coloſ. 1. 3.
h 2. Theſſ. 3. 8.
i Baſil. ep. 63.

LV. De manuali labore, & ad comparandum victum ſibi & aliis, intelligit Baſilius, vt vidimus, monita Pauli, quibus ſæpius ad labores hortatur: & præceptum vocat tales Pauli monitiones: quia videlicet monaſtica profeſſio id ſibi ſumpſerat pro præcepto: Ac quemadmodū inter Apoſtolos cæteros, & Paulum, fuit illud diſcrimen, quod illi de Euangelio viuerent, & à plebe ſumerent alimenta; Paulus vero vt plurimum proprio labore manuali neceſſaria vitæ lucraretur; Ita Clerici omnes de bonis Eccleſiæ merito nutriuntur. Monachi vero Paulinum ſunt amplexi viuendi morem. quod Auguſtinus etiam peculiari ſtuduit libello cōfirmare. Quæ ſierat ex ipſo Aurelius Epiſcopus Carthaginienſis, k Vtrum filiis & fratribus noſtris Monachis, qui B. Paulo Apoſtolo obedire negligunt, dicenti, l qui non vult operari, non manducet: permittenda ſit iſta licentia.] Ad huius quæſtionis ſolutionem, in primis verū Pauli ſenſum explicat & pbat pluribus, Paulum omnino intelligēdū eſſe de vero opere actuali externo & manuali.

k Aug. de opere Mon. c. 1.
l 2. Theſſ. 3. 10.

Nam quidam illorū de opere ſpirituali Paulum interpretabantur, plantandi, rigandi, ædificandi, fundandi, verbo nimirum prædicationis, &c. Et pro ſe afferebant locum Euangelij, m Nolite ſolicjti eſſe, &c. Alioquin dicebant, Paulus eſſet contrarius Euangelio. Quem locum in vero ſenſu interpretatur de immoderata & ſuperflua ſolicitudine. Deinde poſtquam longa ac neruoſa oratione apertiſſime oſtendit Paulum de vero manuali labore locutum, quādo labores huiuſmodi Dei ſeruis ſuadebat: & vero labore manuali re & actu ipſo Paulum ſibi vt plurimum, & aliis victum comparaſſe, hæc habet; n Sicut ergo non ceſſauit Apoſtolus, imo Spiritus Dei poſſidens & implens & agens cor eius, exhortari fideles, qui haberent huiuſmodi ſubſtantiam; vt nihil deeſſet neceſſitatibus ſeruorum Dei, qui celſiorem ſanctitatis gradum in Eccleſia tenere voluerunt, vt ſpei ſæcularis vincula cuncta præciderent, & animū liberum diuinæ militiæ dedicarent; ſic debent & ipſi præceptis eius obedire, vt compatiantur infirmis, & amore priuatæ rei non illigati, manibus ſuis in communis labore præpoſitis ſuis ſine murmure obtemperare: vt hoc ſuppleatur ex oblationibus bonorum fidelium, quod laborantibus, & aliquid vnde victum tranſigant operantibus, propter infirmitates tamen corporales aliquorū, & propter Eccleſiaſticas occupationes, vel eruditionem doctrinæ ſalutaris, deeſſe putauerint.] Hęc pfecto de Monachis dixit Auguſtinus; quos in numero pauperum Chriſti reponit, dum fidelium oblationes, ex Pauli admonitionibus, ad hos etiam aliquatenus ſuſtentandos vult pertinere: Clericis qdem totus victus, & omnia neceſſaria, ex oblationibus ſuppeditanda erant; Monachi vero vult, vt ex propriis laboribus viuant, ne laicos infirmos, hoc eſt, non adeo promptos in tribuendo, grauarent, quod refugiebat Paulus: & oblationes fidelium ad ſolum ſupplementum Monachis etiam tanquam pauperibus, non tanquam miniſtris inſeruirent; vbi illi nō poſſent ſuis laboribus ſibi ſatis eſſe; nempe vbi aliqui ſint, qui vel ex infirmitate corporis, vel occupationibus Eccleſiaſticis, vel ex delicata complexione, vel ex alia legitima cauſa corporis labores ferre non poſſent: ſicut & Paulus, vbi interdum non potuit manibus laborare, ex magna verbi occupatione, ſupplementum interdum ſumpſit ex oblationibus fidelium: vt ipſe de Macedonibus eſt aliquando gloriatus. Nam de ſalute & conuerſione Corinthiorum ſolicitus, apud ipſos in Euangelio laborans, cum non poſſet victum ſemper manibus lucrari, ait: o Cum eſſem apud vos, & egerem, nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat ſuppleuerunt fratres qui venerunt à Macedonia.]

m Matt. 6. 31.
n Aug. de opere Mona. c. 16.
o 2. Cor. 11. 9.

LVI. Vniuerſaliter itaq; vult omnino Auguſtinus, vt Monachi, ſecluſo graui & legitimo impedimento, omnes ad opera manuū tenerentur: omnemq; ipſis adimit excuſationē, ſicut & fecerat Baſilius; & infra Caſſianus: ſi n. obtenderent orationis & pſalmodię occupationem; docet & orationem, & pſalmodiā, manuali opere non impediri; cum inter laborandū poſſit quiſq; facile & orare, & pſallere; aut ſaltē & orandi, & pſallendi, & laborādi, certas horas alternare: p Ad hoc enim, inquit, & illa bona opera fidelium ſubſidio ſupplendorum neceſſariorum deeſſe non debent; vt horæ quibus ad erudiendum animum ita vacatur, vt illa opera corporalia geri non poſſint, non opprimant egeſtate.] Et addit poſtea; q Si autem alicui ſermo erogandus eſt, & ita occupatur, vt manibus operari non vacet, nunquid hoc omnes in monaſterio poſſunt, venientibus ad ſe ex alio genere vitæ fratribus; vel diuinas lectiones exponere, vel de aliquibus quæſtionibus ſalubriter diſputare? quando ergo non omnes poſſunt, cur ſub hoc obtentu omnes vacare volunt? quanquam etſi omnes poſſent, viciſſim facere deberent,

p Aug. de opere Mona. c. 17.
q Ibid. c. 18.

non ſolum ne cæteri à neceſſariis operibus occuparentur, ſed etiam quia ſufficit vt audientibus pluribus, vnus loquatur. Deinde ipſi Apoſtolo quomodo vacaret operari manibus ſuis, niſi ad erogandum verbum Dei certa tempora conſtitueret?]

LVII. Inter Clericos porro & Monachos magnum debere eſſe diſcrimen, circa vſum oblationum, & Eleemoſynarum, quæ in Eccleſiaſticos conferuntur, aſſerit & explicat idem Auguſtinus. Nam cum Monachi obiicere ſolerent, vel poſſent, Apoſtolos reliquos de Euangelio vixiſſe, ſine opere Manuali; quamuis ſolus Paulus noluerit, illoſq; non peccaſſe; ac propterea ſine errore eos ſe poſſe imitari, ſic reſpondet. a *Iſti fratres noſtri* (Monachi) *temere ſibi arrogant (quantum exiſtimo) quod eiuſmodi habeant poteſtatem. Si enim Euangeliſtæ ſunt, fateor habent: ſi miniſtri altaris, diſpenſatores Sacramentorum, bene ſibi iſtam non arrogant, ſed plane vendicant poteſtatem.*] Cum igitur Monachi ex ſuo inſtituto Clericalia non exerceant, vt docui libro ſecundo, neq; poſſunt in oblationes fidelium vllum ius habere: ac propterea non bonis Eccleſiæ, ſed laborib. propriis debent ordinarie ſuſtentari. Indulget tamen aliquid illis etiam Monachis, qui ex propriis bonis in ſeculo ſine opificio victitarunt; eaſque, conuerſi ad Deum, indigentibus ſunt diſpertiti. b *Solent enim tales*, inquit, *non melius ſicut multi putant; ſed, quod eſt verum, languidius educati, laborem operum corporalium ſuſtinere non poſſunt.*] Horum igitur gratia, & infirmorum, & occupatorum, etiam Hieronymus ſuadebat oblationum diſtributores, hoc eſt Clericos, c vt in monaſteria etiam aliquid erogarent. non vt per indebitas impropriationes abundarent Monachi, & eſſent ocioſi, ſed vt ſuppleretur duntaxat eorum penis neceſſitatibus, vbi labores manuales illorum non poſſent ſufficere. Et in Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludouico cõſultum eſt, & decretum; d *Vt ex bonis Eccleſiæ Monachi ſuſtententur: quia videlicet bona ſua illi iam Eccleſiæ donauerant.* Imo ibidem habemus *magis Monachos quam Canonicos, Eccleſiæ ſubſidiis indigere*: quia illi nihil proprium ſibi reliquerint: Canonici vero eo tempore, vt nunc, & propriis & Eccleſiæ bonis fruebantur.

a Ibid. c. 21.
b Ibid. c. 21.
c 16. q. 1. c. fin.
d Concil. Aquiſgr. c. 115.

LVIII. Sed neq; putemus adeo indulgere Auguſtinum delicatioribus, qui ditiores cum eſſent in ſæculo, non videantur labores ferre poſſe, ijs nunquam aſſueti, vt eos omnino ocioſos eſſe velit: Chriſti enim documentum, *Vade & vende. &c.* nec non Pauli & præceptum & factum, e *Sufficere debuit*, inquit, *ad exemplum derelinquendi priſtinas facultates, & manibus operandi.*] Et paulo poſt addit: *Quamobrem etiam illi qui relicta, vel diſtributa ſiue ampla, ſiue qualicunq; opulenta facultate, inter pauperes Chriſti, pia & ſalubri humilitate numerari voluerint, ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant, quamquam eis tam magnũ animi ſui documentũ afferentibus, & eiuſdem ſocietatis indigentiis de his rebus quas habebant, vel plurimum, vel non parũ conferentibus vices ſuſtentandæ vitæ eorum res ipſa communis, & fraterna charitas debeat; tamen ſi & ipſi aliquid manibus operentur, vt pigris ex vita humiliore, & ob hoc exercitatiore venientibus auferant excuſationem, multo miſericordius agunt, quam cum omnia ſua indigẽtibus diuiſerunt. Quod quidem, ſi nolunt, quis audeat cogere? quibus tamen inuenienda ſunt*, inquit, *opera in monaſterio, etiamſi à corporali functione liberiora, ſed vigilanti adminiſtratione curanda, vt nec ipſi panem ſuum, quoniam iam communis factus eſt, gratis manducent.*] Neque video hactenus ditiores conuerſos, prædia & immobilia monaſteriis tradere ſolitos; ſed eorum precia tantum, & pecuniam in commune impendendam ſecum interdum attuliſſe: Interdum vero illam totam in alia loca pia, alioſq; pauperes erogaſſe, nihil illi monaſterio in quo conuerterentur, reſeruantes. Nam & ſubdit Auguſtinus; *Nec attendendum eſt, in quibus monaſteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus quiſq; id, quod habebat impenderit: omnium enim Chriſtianorum vna Reſpub. eſt.*] Sane Caſſianus eiuſdem tẽporis ſcriptor Monachorum inſtitutũ eſſe aſſerit, f *Vt ne vſibus quidem Cœnobij profutura ſuſcipere à conuerſis pecunias acquieſcant. Primum*, inquit, *ne confidentia huius oblationis inflatus, nequaquam ſe pauperioribus fratribus æquare dignetur: tum ne per hanc elationem nullatenus ad humilitatem Chriſti deſcendens, cum in diſciplina cœnobii non poſſit perdurare, egreſſuſq; exinde ea quæ in principio renunciationis ſuæ, ſpiritali feruore ſuccenſus intulerat, ſtupefactus poſtea, non ſine iniuria monaſterii, ſacrilego Spiritu recipere, atq; exigere molíatur.*] Ex laboribus tamen maxime viuendum Monachis vrget Auguſtinus; & addit Monachos ipſos alloquendo: g *Oſtendite hominibus non vos in ocio facilem victum, ſed per anguſtam, & arctam viam huius propoſiti, Regnum Dei quærere.*] Et paulo poſt. h *Paulus Apoſtolus vobis præcipit, & obſecrat in Domino* i *vt cum ſilentio, id eſt quieti; & obedienter ordinati, operantes, veſtrum panem manducetis.*]

e Aug. de op. Monach. c. 25.
f Caſſian. de Inſtit. Cœnob. l. 4. c. 4.
g Aug. vbi ſupra c. 28.
h Ibid. c. 29.
i 2. Theſſ. 3. 12.

LIX. Vt Monachi ex propriis laboribus maxime viuerent, tantum fuit cordi Auguſtino, vt tandem ad finem propoſitæ quæſtionis, vel ipſos fideles pios & liberales deterrere conetur, ne Monachis, abſque graui neceſſitate, temporalia ſubminiſtrent: Ait enim, k *Sciant ergo etiam cæteri fratres, & filii noſtri, qui fauere talibus* (ocioſis,) *& huiuſmodi præſumptionem per ignorantiam defendere conſuerunt, ſe potiſſimè corrigendos, vt illi corrigi poſſint: non vt infirmentur bene facere: ſane in eo quod ſerui Dei prompte atq; alacriter neceſſaria ſubminiſtrant, non ſolum non reprehendimus, ſed etiam ſuauiſſime amplectimur: ſed ne peruerſa miſericordia magis eorum futuræ vitæ noceant, quam præſenti ſubueniant.*] Peruerſam miſericordiam vocat Auguſtinus tribuere victum Monachis otioſis, & nolentibus laborare, qui poſſunt: ac tales ocioſos Monachos vitæ futuræ detrimentum pati ait, ſi nolint laborare, ſed ocioſi bonis Eccleſiæ nutriri; & inſuper ſcandalum, imo & hæreſim inducant inter fratres, dum labores manuum damnant, & eos contra Euangelium eſſe docere contendunt.

k Aug. de op. Monach. c. 30.

LX. Si vis deniq; compendio audire, quæ ſit tota & propria Monachi profeſſio, circa victum neceſſarium, ex ſententia & doctrina Auguſtini, accipe breue, ſed clariſſimum dictum eius; l *Nemo*, inquit, *quicquam poſſidet proprium; nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea quibus & corpus paſci poſſit, & à Deo mens impediri non poſſit, opus autem ſuum tradunt eis quos Decanos vocant, eo quod ſint denis præpoſiti, vt neminem illorum cura ſui corporis tangat, neq; in cibo, neq; in veſtimento, neq; ſi quid aliud opus eſt, vel quotidianæ neceſſitati, vel mutatæ vt aſſolet valetudini, &c.* Et de Romanis Monachis ait, m *Ne ipſi quidem cuiquam oneroſi ſunt, ſed orientis more, & Pauli Apoſtoli auctoritate, manibus ſuis ſe tranſigunt.*] Et alio loco de Monachis hæc ſcribit; n *Cum lectione illis res eſt; laborant manibus ſuis, inde ſe tranſigunt; non auare aliquid petunt. &c.* Iam de Auguſtino in hac re ſatis. Alios etiam audiamus.

l Aug. de moribus Eccleſiæ Catholicæ l. 1. c. 31.
m Ibid. c. 33.
n Aug. in Pſ. 99.

LXI. Scribit Palladius, plures Monachos ex monaſteriis Nitriæ & Paleſtinæ à Theophilo Alexandrino pulſos, tanquam Origeniſtas, Conſtantinopolim veniſſe, ad conquerendum coram Ioanne Chryſoſtomo Patriarcha Conſtantinopolitano: ijs vero Ioannes manſiones in Eccleſia, quæ Anaſtaſia dicitur, ad requiem tribuit: o *Ipſe quidem neceſſaria victui*, inquit Palladius, *non ſuppeditabat; ſed eis religioſæ mulieres inim-*

o Pallad. in Dial. de vita Io. Chryſ.

rıs miniſtrabant, ipſis quoque ex opere manuum neceſsitates ſuas ex parte ſupplentibus.] Cur Ioannes piiſſimus, & qui magnis opibus Eccleſiæ ſuæ abũdabat, in pauperes Monachos fuit ita illiberalis, qui, vt vidimus, in diſtributione facultatum Eccleſiæ, in pauperes & hoſpites, fuit ſemper munificentiſſimus? quia nimirum ſciebat monaſticam profeſſionem eſſe, vt ex propriis laboribus viuerent. quod & hi opere præſtiterunt.

LXII. Facetum eſt quod ſubdam; ſed noſtrum probat egregie inſtitutum. Legimus in vitis Patrum hoc pacto: *a Quidam peregrinus Pater venit ad Abbatem Syluanum in monte Syna, & vidit quod fratres operarentur, & dixit eis: Quare operamini eſcam quæ perit? Maria autem optimam partem elegit. Tunc ſenex dixit diſcipulo ſuo Zacchariæ Da illi codicem vt legat, & mitte illum in cellulam quæ nihil habet. Hora autem nona circumſpiciebat frater ille viam ſi forte vocaret eum ſenex ad comedendum; poſtquam autem tranſiit hora nona, venit ad ſenem dicens ei; Nunquid hodie non comederunt fratres Abba? Cumque ſenex fateretur; ait ille. Quare me non vocaſti? tunc dixit ei Abbas Syluanus, Tu homo ſpiritualis es, & non habes neceſſe hanc eſcam: nos autem tanquam carnales, opus habemus comedere, ideo operamur: Tu autem optimam partem elegiſti: Legis enim quotidie, & non vis carnalem eſcam accipere. Quod cum audiſſet, cœpit pœnitere, & dicere, indulge mihi Abba. Tunc reſpondit illi Syluanus: Ergo neceſſaria eſt Martha Mariæ. Propter Martham enim & Maria laudatur.*

a Vit. p. t. par. 2. §. 51.

LXIII. Caſſianus; b *Operis*, inquit, *ac ſudoris aſſuetudine ita ſubire compellitur* (Monachus) *vt propriis manibus, iuxta Apoſtoli præceptum, quotidianum victum, vel ſuis vſibus, vel aduenientium neceſſitatibus præparans, & faſtus vitæ præteritæ poſſit, & delitias obliuiſci. & humilitatem cordis contritione laboris acquirere.*] Item; *Vt & orationum aſſiduitas ſtatutis temporibus Deo offeratur & neceſſaria operationis officia conſummatis iuſto moderamine ſpiritalibus obſequiis, nullatenus valeant impediri.*] Ac vt expeditiores eſſent Monachi ad manuum labores re-brachiatoriis eis ex regula vtendum fuiſſe idem docet ad veſtes ſuccingendas: c *Vt ita*, inquit, *conſtrictis brachiis impigri ad omne opus; expeditiq́ reddantur, illud Apoſtoli præceptum ſtudentes omni virtute complere.* d *Quia non ſolum mihi, ſed etiam his qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſtæ:* e *Neq́ gratis panem ab aliquo manducauimus, ſed in labore, & fatigatione nocte, ac die operantes, ne quem veſtrum grauaremus. Si quis non vult operari non manducet.*] Et apud eundem Caſſianum Pammon Abbas, f vbi diſtinguit bonos Monachos à peſſimis Sarabaitis, ſæpius inculcat manuum labores, ad commune beneficium & monaſterij, & pauperum; non ad auaritiam quam Sarabaitæ ſequerẽtur, & proprietatem. Chryſoſtomus quoq; Monachorum vitam pluribus deſcribit, aitq; inter alia, g *Abſolutis orationibus, exorto iam ſole ad opus vertũtur, quo multis pauperibus fructus colligunt.* Item, h *Vt ſileam*, inquit, *quam multa Monachis negotia neceſſario exhibeant tum veſtium confectio tum viæ cura, quippe cum certatim etiam contendant omnia per ſe opera peragere.*] Item, i *Menſa eorum panis, & aqua, altera ex fonte nitido; alter ex iuſtis laboribus.*] Item; k *Orto iam ſole vadunt ad opus quiſq́ ſuum, multum hinc prouentum egentibus cumulantes.*] Antiochus Monachus, ſeptimo poſt Chriſtum ſæculo, ita ſcribebat, l *Prorſus itaq́ conducibile fuerit nobis, vt operi cuipiam manuario commodemus operam, non acediæ ſolum gratia à nobis depellendæ, atq́ in exilium ablegandæ, ſed & vt hinc nobis alimonia ſuppetat, & eadem opera alienæ inopiæ conſulamus.*]

b Caſſian. de inſti. cœnob. l. 2. c. 3. & l. 3. c. 2.
c Idem ibid. l. 1. c. 6.
d Act. 20. 34.
e 2. Theſſ. 3. 8.
f Caſſian. collat. 18. c. 7.
g Chryſ. in Matt. hom. 69.
h Idem de ſacerd. l. 6.
i Idem in Matt. hom. 70.
k Idem ad pop. Antioc. hom. 56.
l Antioch. Monach. de Acedia ho. 16.

LXIV. Planum eſt temporibus Cæleſtini primi Monachos labore manuum, ac præſertim opere rurali victitaſſe. In vno enim Canone Concilij Agathenſis habentur verba huiuſmodi. m *Iniuſtum enim putamus, vt Monachis quotidianum rurale opus facientibus, ſerui eorum libertatis otio potiantur.*] Idem totidem verbis habetur etiam in vno Canone Concilij n Epaunenſis, ſub Gelaſio. o *Pelagius Papa tria propria Monachis attribuit, quietem orationem, & manuum laborem.* In Eccleſiaſticis hiſtoriis celebratur illud cuiuſdam Monachi dictum, p *Monachus qui non operatur, latroni par iudicandus eſt.*] Et Iuſtinianus Imperator. q *Duabus*, inquit, *potiſſimum in rebus operam & diligentiam reponere oportet Monachos: vt aut ſacris vacent ſcripturis; aut quas manuarias vocare ſolẽt artes Monachos decentes meditẽtur, exerceantq́.*] Monaſterij Bancor in Britañia Monachi, ex labore manuum victitabant, vt ſcribit r Beda & Bonifacius martyr, qui Monachorum cœnobium, iuxta vera, & propria eorũ inſtituta formarat, de Monachis illis ita ſcribit ad Zachariam Papam; ſ *Monachos conſtituimus ſub regula S. Patris Benedicti viuentes; viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne, & vino, abſq́ ſicera, & ſeruis, proprio ſuarum manuum labore contentos.*] Bernardus deniq; ad quendã Monachum. t *Ego*, ait, *iam nullam ſuper te vſurpo mihi poteſtatem. conſilium tibi dedi, non præceptum: ſemper vel ſemel in die comedere: fœminarum viſitationes vel colloquia omnino non admittere, tuarum te opere manuum ſuſtentare.*] Et ipſius Monachos rurali labore ſyluas propriis manibus excolendo victum, ſibi comparaſſe, ex ipſius Epiſtola prima quam ad Robertum ſuum nepotem ſcripſit, ſatis conſtat. Et in Epiſtola quadam, quam ſimul cum Hugone Pontiniacenſi idem Bernardus ſcripſiſſe fertur, poniturque poſt Iuonis epiſtolas in meo codice, hæc ad Monachos quoſdam, inter alia, dicuntur: Clericorum eſt altari deſeruire, & de altario viuere: nobis noſtra profeſſio, & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præſcribunt laboribus, & non ex ſanctuario Dei.] Igitur impropriationes decimarum, & Eccleſiarum factæ cœnobiis, & Monachis fuerunt cõtra Monachalia inſtituta. Et S. Franciſcus in ſuo teſtamento vult vt fratrès ſui, ex labore manuum viuant; & quando ille non ſufficit, ex mendicitate.

m Concil. Agath. c. 56.
n Concil. Epaun. c. 8.
o 10. q. 1. c. de præſentia.
p Hiſt. trip. l 8. c. 1.
q Nouel. 133.
r Beda hiſt. Angl. l. 2. c. 2.
ſ Inter epiſt. Zacch. poſt ep. 12.
t Bern. ep. 345.

Propterea qui regulam Benedicti in Ciſtertio reformare ſtuduerunt à rerum terrenarum, prædiorumq; nimiorum abdicatione reformationem incæperunt: vt fecit Abbas Stephanus, cum ſuis fratribus, ſub quo u Bernardus Ciſtertium eſt ingreſſus. Nam. vt compendio narrat Sigebertus, x *Exuti veterẽ hominem, nouum ſe induiſſe gaudebant: & quia nec in regula, nec in vita S. Benedicti eundem doctorem legebant poſſediſſe Eccleſias, vel altaria ſeu oblationes, & ſepulturas, vel decimas aliorum hominum. ſeu furnos, molendina, aut villas, vel ruſticos — ideo hæc omnia abdicauerunt, dicentes, vbi B. Pater Benedictus docet vt Monachus a ſæcularibus actibus ſe faciat alienum, ibi liquido teſtatur hoc non debere verſari in actibus, vel cordibus Monachorum, qui nominis ſui etymologiam hæc fugiendo ſectari debent. Decimas quoq́, aiebant à ſanctis Patribus (qui organa erant Spiritus ſancti, quorumq́ ſtatuta tranſgredi ſacrilegiũ eſt) cõmittere in quatuor partitiones diſtributas, vnam ſcilicet Epiſcopo; alteram presbytero; tertiam hoſpitibus ad illam Eccleſiam veniẽtibus, ſeu viduis, & orphanis, ſiue pauperibus aliunde victum non habentibus; quartam reſtaurationi Eccleſiæ. Et quia in hoc cõputu perſonam Monachi qui terras ſuas poſſidet, vnde, & per ſe, & per pecora ſua laborando viuat nõ reperiebant, idcirco hæc velut aliorum ius iniuſte ſibi vſurpare detrectabãt. Ecce huius ſæculi diuitiis ſpretis cœperunt noſci milites Chriſti cũ paupere Chriſto, pauperes inter ſe tractare, quo ingenio, quoue artificio, ſeu quo exercitio in hac vita ſe hoſpites & pauperes ſuſtinerent!* LXV.

u Villel. in vita Bern.
x Sigeb. in chron. an. 1107.

nientes, quos vt Chriſtum ſuſcipere precipit regula, ſuſtentarent. Tuncq; definierunt ſe conuerſos laicos barbatos, licentia Epiſcopi ſui, ſuſcepturos, eoſq; in vita, & morte, excepto Monachatu, vt ſemetipſos, tractaturos; & homines etiam mercenarios, quia ſine adminiculo iſtorum non intelligebāt ſe plenarie die noctuq; præcepta regulæ poſſe ſeruare: ſuſcepturos quoq; terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & ſyluas, aquaſq; ad faciendos molendinos, ad proprios tamen vſus, & ad piſcationem, & equos pecoraq; diuerſa neceſſitati hominum vtilia ad exercendas agriculturas inſtituiſſent, decreuerunt vt prædicti conuerſi domos illas regerent, non Monachi, quia habitatio Monachorū ſecundū regulam debet eſſe in clauſtro ipſorum: quia etiam B. Benedictum non in ciuitatibus, nec in Caſtellis, aut in villis, ſed in locis à frequentia populi ſemotis cœnobia conſtruxiſſe ſancti viri illi ſciebant, idem ſe æmulari promittebant, & ſicut ille per duodenos Monachos monaſteria conſtructa, adiuncto Patre, diſponebat, ſic ſe facturos confirmabant.] Hucuſq; Sigebertus: ex quo patet, poſt nouam hanc reformationem, agrorum curam, vt haberent in quo opus manuum exercerent, & vnde victum ſibi compararēt, neminiq; eſſent oneroſi, ad Monachos tranſiiſſe; vt inferius etiam obſeruabo.

LXVI. Fatetur Bellarminus, conſuetudinem antiquorū monaſteriorum fuiſſe, vt manibus operarentur proprium cibum Monachi: eos tamen ad id fuiſſe obligatos dicit ex propriis regulis ſuis; quas tales ipſi ex
a *Bellar. de Monach. l. 2. c. 42.* duplici cauſa ſibi conſtituerunt. *a Vna, quia non poterant aliter ſuſtentari*: Nam nec habebant prædia & poſſeſſiones ſibi relictas, vt nunc habent multi Monachi; & eleemoſynas à populo petere nec audebant, cum populo non ſeruirent, nec vllo modo id ſuffeciſſet: Nam vno in loco ſub vno Abbate degebant terna vt minimum hominum millia; vt *b* Au-
b *Aug. de mor. Eccl. l. 1. c. 31.* guſtinus refert. *Altera,* (inquit) *ratio eſt, quia illi Monachi cum non eſſent Clerici ſed Laici omnes, excepto Abbate, non erant ſatis occupati; & ideo ad fugiendum ocium, neceſſarium erat illis laborare*; non tam propter victus neceſſitatem, vt ait Hieronymus ad Ruſticum, quam propter animæ ſalutem. Et affert Seuerum Sulpiciū in vita S. Martini cap. 7. de quodam monaſterio ſic narrantem: *Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medio conferebantur; non emere, aut vendere, vt pleriſq; Monachis moris eſt, quidquam licebat: ars ibi, exceptis ſcriptoribus, nulla habebatur: Cui tamen operi minor ætas deputabatur, maiores orationi vacabāt.*] Subditq; Bellarminus; *Vbi vides ſolos iuniores laboraſſe manibus, eoſq; non ad victum quærendum (nam nihil eis vendere licebat, ſed viuebant bonis quæ attulerant) ſed ad ocium fugiendum. Sed nec primi Monachi ſub Apoſtolis in Hieruſalem; aut in Ægypto operabantur manibus, vt patet Actorum 3. & 4. & ex libro Philonis de vita contemplatiua.*] Hæc Bellarminus.

LXVII. Nihil tamen hic poteſt, contra ea, quæ de hac obligatione operandi iam protuli, obtinere. Regula enim & inſtitutio monaſtica, non ex neceſſitate vlla, ſed ex libera electione hominum, nata eſt: non ad tempus; ſed vt ſit perpetua, & quis neſcit pauperē quemcunq; etiam, neq; Religioſum, neque Monachum, debere manibus operari, ſi vult viuere & nō furari: Iuxta illud Apoſtoli ad fideles omnes, etiam
c *Eph. 4. 28.* laicos, directum; *c qui furabatur iam non furetur, ma-*
d *2. Theſſ. 3. 11.* *gis autem laboret operando manibus ſuis.*] Et illud; *d Audiuimus inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes: iis autem, qui eiuſmodi ſunt denunciamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, vt cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.*] Hæc profecto ad fideles pauperes, quibus iam illud denunciauerat, ſi quis non vult operari, non manducet: volebant enim, vt puto, ex oblationibus omnes viuere ocioſi?

Nam diuitibus ſtatim ſubdit. *Vos autem fratres nolite* e *Gal. 6.*
deficere benefacientes. Et *e Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.*] Nunquid igitur quia hi ex neceſſitate ne furarentur, vel inquiete ambularent, cogebantur manibus operari, dicendi ſunt fuiſſe Monachi, & regulares, ſub aliqua regula viuentes? minime vero. Monachi igitur illi antiquorum monaſteriorum regulā hāc ſibi propria electione ſtatuerunt, ad Pauli, vt docui, imitationem, qui etiam ipſe nō ex neceſſitate vlla, (poterat enim vt reliqui Apoſtoli, *f de* f *1. Cor. 9. 14*
Euangelio viuere) ſed ex propria voluntate & electione, manibus ſuis *g* operando die & nocte, ſibi victū g *2. Theſſ. 3. 8.*
ordinarie quærebat. Et cur priores illi Monachi hāc patiebātur neceſſitatē, ſi potuiſſent, vt poſteriores, bona propria in commune conferre? Nunquid inter tam multos nulli erant, qui, diuitiis propriis contemptis, nudi nudum Chriſtum ſequerentur? Regula igitur illa non erat neceſſitas, ſed voluntaria electio, & obligatio ſponte ſumpta, & ſibi pro lege præſcripta, vt vidimus in præcedentibus. Quod igitur poſtea poſſeſſiones ſibi relictas retinuerint Monachi, profecto à ſua regula longe diſceſſerunt; & Monachiſmum in Clericatum, ne dicam in laicatū, conuerterunt.

Sed neq; aſſentior Bellarmino dum ait; *Illos anti-* LXVIII.
quos Monachos non potuiſſe eleemoſynas à populo petere, vt propterea etiam cogerentur laborare: Oſtendi enim ex Auguſtino, Hieronymo, & aliis, ex oblationibus populi morem fuiſſe vt ſuppleretur defectus Monachorum, ſi quando labores eorum non ſuffeciſſent. Populus enim ſuas oblationes Clero offerebat, pro eorum laboribus ſpiritualibus in *h* mini- h *1. Cor. 9. 11.*
ſtrando ei ſpiritualia; Clerus tamen eaſdem oblationes, quia erant copioſæ, non modo ſibi ſumebat pro neceſſariis, ſed etiam pauperibus, ac præſertim Religioſis & incluſis, diſtribuebat. Tam copioſus vero numerus Monachorum arguit profecto eorū propriam profeſſionem fuiſſe, vt ex propriis laboribus viuerent: alioquin tam multi ad talem vitam Monaſticam non fuiſſent recepti, ſi vel ex eleemoſynis, vel ex poſſeſſionibus & propriis prædiis à fidelibus donatis & relictis, victitare debuiſſent, ſicut neq; aſſentior eidem dum ait, ad vitandum tantum ocium, Monachos: præſertim quia Clerici non erāt niſi ſolus Abbas, laboraſſe: Nam ſiue Clerici eſſent, ſiue non, ocioſi omnino omnes eſſent: Clericatus enim Monachorum ex ipſorum profeſſione erat, reſpectu populi, ocioſiſſimus, nullum enim Clericorum officium, vt docui lib. 2. poterant exercere. Et quod Abbas ſolus eſſet ſacerdos, non reperio: Puto enim, vt oſtendi eodem lib. 2. à quocunq; Monacho, etiam Patre, ſeu Abbate Clericatum fuiſſe remotiſſimum. Et verum quidem eſt, vt ſupra monui, vtilitatem ex laboribus manualibus fuiſſe duplicem, alteram temporalem ad victum: alteram ſpiritualem ad vitandum otium: & hanc præſtantiorem ac præcipuam fuiſſe: illam tamen non excludit Hieronymus loco illo, quam apertiſſime, & ipſe, & alij patres, vt Monachi neceſſariam ex inſtituto, poſuerūt. Et quod affert Bellarminus de Martini monaſterio noſtrum confirmat propoſitum, non infirmat. Aderant enim manuum labores, etſi non multarum & variarum artium, vnius tamen & ſatis lucroſæ librariorum. Sed nihil, inquit, vendebant. Quid ergo lucrabantur? Non vendebant illi quidem ſinguli pro ſua proprietate, qui iam abuſus in pleriſq; monaſteriis inoluerat; vendebantur tamen libri illi per Decanos, vt erat regula eorum, ſupra ex Baſilio & Auguſtino. Nam ſi omnem prorſus ne-

ges

ges venditionem, etiam pro communi vtilitate, negabis eidem monaſterio omnem etiam emptionẽ, ita vt monaſterium ipſum nihil vnquam, ſiue ad victualia, ſiue ad indumenta, ſiue ad alias neceſſitates corporales, & ordinarias emeret. Ait enim Sulpicius: *Non emere, aut vendere, quicquam licebat.* At quî hoc fieri poteſt? Emptio igitur & venditio ibi priuata negatur; emptio vero & venditio pro communi non negatur. Illi vero, quos ex actis Apoſtolorum, & Philone profert Bellarminus, non erant Monachi ſub certa Regula viuentes, vnius certi inſtituti; ſed erant Laici fideles ditiores, qui venditis ſuis facultatibus precia conferebant in communi, & ex communi etiam viuebant. Sed interim eorundem Apoſtolorum tempore pauperes ad fidem conuerſi, & ipſi cogebantur manibus laborare, vt docui in Paulo: indulgentius vero cum diuitibus, & cum infirmis, ac impotentibus agebatur, vt docebat ſupra Auguſtinus.

LXVIIII Multo minus aſſentiendum erit eidem Bellarmino, a *dum contendit* contra tot patrum clariſſimam doctrinam, & firmatiſſimam conſuetudinem antiquorum monaſteriorum, ac regulam certiſſimam Monachiſmi, *Monachos ex bonis patrimonialibus in cõmuni poſſe viuere:* Neq; enim vſus primitiuæ Eccleſiæ ad Monachos & Religioſos ſpectat, vt docui. Neq; antiqua monaſteria id vnquam admiſerunt. *Fruſtra vero* b *ſanctimoniales ex Auguſtino producit.* Non enim earum & Monachorum par ratio. Fœminæ etenim, ſexu ipſo & natura delicatiores, ad manuum labores, vtiles præſertim & ſufficientes ad ſuſtentationem ſunt ineptæ. Vt vita communis potius Clericorum quam Monachorum illas deceat. Fruſtra item ad hoc producit Auguſtinum de vita Clericorum. Quia Clericis non negatur poſſeſſio & vſus p̃diorum in communi: negatur tamen Monachis: neque debet æquiuocare à Clerico etiam regulari, ad Monachum. *Quod etiam profert ex eodem Auguſtino de opere Monachorum,* non eſt ad rem. Quia Auguſtinus, vt vidimus, docet duntaxat multos Monachos ſua bona in pauperes diſtribuiſſe, ſiue etiam Eccleſiis, Collegiiſq; Clericorum donaſſe: nũquam vero docet bona im̃obilia, ac p̃dia ei monaſterio quenquã tradidiſſe, in quo quis fuerit conuerſus, vt inde aleretur. Imo ne abſolute quidem monaſteria Monachorum bona conuerſorum immobilia poſſediſſe docet. *Benedictum fruſtra adducit:* Is enim à vero & p̃prio Monachorum inſtituto nõ parum diſceſſiſſet, ſi voluiſſet prædia ſuorum Monachorum retinere: neq; Chriſti c conſilium, neq; Pauli d exemplum, vt priſci Monachi fuiſſet amplexus. Quare ſi quid retinebat, non prædia, ſed eorum precia, ad ſubleuandam Monachorum egeſtatem in neceſſariis, & ad monaſteria ædificanda, retinebat. Sane Bernardus S. Benedicti regulam & inſtitutum nuper reformatum, vrgens; (nam Ciſtercienſes Benedicti regulam tenent, vt ſæpiſſime fatetur ipſe e Bernardus) prędia certa nulla tenuit, niſi quæ ex incultis ſyluis ipſimet Monachi propriis manibus laborantes, culta faciebant, vt inde proprio ſudore victum quęrerent. Patet hoc aperte in Apologia quam Bernardus ad Guilelmum Abbatem ſcripſit: patet in illa ipſa prima Epiſtola eiuſdem ad Robertum nepotem ex Ciſtercienſi familia dolo & blanditiis ad Cluniacenſes illectum: cui Cluniacenſes inter cætera inſuſurrabant, (vt ibidem habet Bernardus) *manuum laborem eſſe inſaniam; & religionem non eſſe fodere terram, ſyluam excidere, ſtercora comportare.*] Nam quod habet idem in eadem Epiſtola, & affertur à Bellarmino, ad probandum Monachos prædia patrimonialia retinuiſſe; videlicet; *oſtenditur terra quæ pro illo & cum illo dicitur data fuiſſe.*] hoc eſt pro dicto Roberto à patre ipſius, qui illum infantem Cluniacenſibus obtulerat; ad Cluniacenſe monaſterium ſpectat, ſatis diſſolutum, & à vero Monachiſmo iam remotum, vt in illa Apologia fit manifeſtum. Nam longe poſt Benedictum ex Monachiſmo & Clericatu facta fuit mixtura quædam ſatis ſimilis f *ſtatuæ illius pedibus ex ferro & luto confectis: atque* g *immiſſa fuit commiſſura panni rudis, in veſtimentum vetus: & miſſum vinum nouum in vtres veteres.* Sicque mirum non eſt, ſi contrita ſit ſtatua; & ſciſſura peior facta ſit; & vtres diſrupti, vinumque effuſum, & vtres diſperditi. Poſtquam igitur facta eſt mixtio vitæ & profeſſionis Clericalis cum Monachali, diſrupto tamen ac deperdito vero & proprio antiquo Monachiſmo, ditata ſunt monaſteria fere in immenſum. Ex quo ſecuti ſunt abuſus adhuc grauiores, quam in Clericatu vt mox oſtendam.

LXX. Ne mihi igitur proferat h Bellarminus Gregorium monaſteria ditantem; Carolum Magnum; Henricum ſecundum, & cæteros. Si Auguſtinus, ſi apud Hieronymum Paula, ei fauerent, quos nititur patronos ſibi aſciſcere, aliquid obtineret; ſed non fauent, nam de Paula ex ſe addit Bellarminus, quod non habet Hieronymus, eam monaſteria hominum & virginum quæ ædificauerat ſuſtentaſſe. Scribit enim Hieronymus Paulam i *poſt virorum monaſterium quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines in tres turmas monaſteriaque diuiſiſſe.* Innuitque eam monaſteria hæc quatuor ædificaſſe. De ſuſtentatione vero expreſſe ait Hieronymus, ita illas virgines diuiſiſſe, vt in opere & cibo ſeparatæ, pſalmodiis & orationibus iungerentur: & eas pudore & exemplo ad laborem prouocaſſe, non terrore: *& illa,* inquit, *certis horis inſtabant operi diſtributo; & vel ſibi, vel cæteris indumenta faciebant. ſi qua erat in opere pigrior variis eam modis aggrediebatur.*] Hæc habet Hieronymus, qui & alibi, vt ſupra vidimus, vehementer irridet k Monachum, cum certa bonorum poſſeſſione Deo ſeruientem. Neque abnuo tamen virginibus hiſce Paulam non parum commeatus ad earum alimenta ſubminiſtraſſe: de viris tamen illis nihil tale habemus in Hieronymo, ſed iam diſcrimen poſui inter Monachos & ſanctimoniales: de quibus etiam plura libro ſecundo. Atqui tametſi illa viris etiam aliquid erogaſſet dietim, vt erogabat (quod valde probabile videtur) virginibus, hæc erat mera & ſimplex eleemoſyna quotidiana, & oblatio, & ad ſupplementum neceſſitatis; non erant firmi & ordinarij vlli redditus & prouentus: quos Monachis iam negauimus. vt propterea non poſſit ſubſiſtere aſſertio Bellarmini; Licere Monachis, viuere ex rebus ſponte oblatis & donatis. ſiue id intelligat de prædiis & poſſeſſionibus; ſiue de collectis & oblationibus; niſi ad ſupplementum, vt iam eſt à me explicatum. Auguſtinus vero l *paſſeres nidificare,* ait, *in cedris,* hoc eſt ſeruos Dei à diuitibus habere monaſteria, Eccleſias, hortos, villas, & per ſeruos Dei intelligit maxime Clericos, & Clericorum monaſteria, non Monachorum. Niſi & ipſi aliquid poſſiderent ad ſupplementum pro occupatis, & infirmis, ac impotentibus.

LXXI. Quæret quiſpiam, *num vero Monacho liceat viuere ex mendicatione?* Reſponſio eſt in promptu ex iam dictis à me, & explicatis: Monachum verum qui non ſit in numero Clericorum, in ſua mendicatione, neque poſſe neque debere ſuæ vitæ ſubſidium collocare. Cum enim Paulinæ vitæ ſit profeſſor;

a Bellar. de Monach. l. 2. c. 43.
b Aug. ep. 109.
c Matt. 19. 21.
d 1. Cor 9.
e Bern. ep. 1.
f Daniel. 2. 33.
g Matt. 9. 16.
h Bellar. de Monach. l. 2. c. 44.
i Hier. ep. 27.
k Hier. ep. 13.
l Aug in pſ. 103. concione 3.

feſſor, qui ex oblationibus fidelium eorumq; eleemoſynis noluit ſe ſuſtētare, ſed ex propriarum manuum labore (niſi interdum & raro in ſupplementum quid acciperet) quis non videt à profeſſione & regula ſua Monachum diſceſſurum, ſi ex ordinaria mendicatione (excepto raro caſu neceſſitatis & ſupplementi) velit viuere? Noſtri profectò Hermaphroditi Religioſi mendicantes, hoc eſt, neque veri Clerici, neque veri Monachi; ſed vtrunque imperfectè; ac perfectè Pſeudoclerici & Pſeudomonachi; ſi perfecti eſſēt Clerici ſub Regula, & ſub Epiſcopo ſuo, cum veris Clericalibus officiis, & exercitiis Deo & Eccleſiæ ſeruientes; atq; ex communibus Eccleſiæ bonis & oblationibus ſufficienter non poſſent ſuſtentari, mēdicationem tanquā Clericorum propriam, non poſſem eis negare: Poteſtatem enim habet Clericus *vt de a Euangelio viuat; & vbi ſeminat ſpiritualia ibi metat carnalia*, ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem. Vt immeritò à quibuſdam *b* ſtatus mendicantium voluntariorum reprehendatur & damnetur. Clericus enim, qui propriis ſtipēdiis non vult militare (neq; enim tenetur, poteſt autem ſi velit, & patrimonio commodus ſit) relicto patrimonio, ſicut Euangelio ſeruit, ita de Euangelio debet viuere, & ex decimis, atque oblationibus ſuſtentari. Iam igitur Euangeliſta, ſi ei fideles, quibus euangelizat ſponte non præbent neceſſaria, neque decimas ſoluunt, aut ſi ſoluunt, illæ ab aliis ſunt vſurpatæ, profectò poteſtatem habet, vt ait Paulus, carnalia ab illis petere, quibus ipſe dat ſpiritualia; & hoc eſt quoddam mendicare. Non enim tenetur labore manuum viuere, licet hoc ei eſſet laudabilius ad Pauli imitationem. Ponit vero Bellarminus rigorem iuſtitiæ inter populum fidelem, & Paſtorem ordinarium, ita vt hic illum cogere poſſit ad alimenta ſibi miniſtranda; id tamen ego in præcedentibus probare non potui, præſertim de liberis oblationibus; ſed ne decimas quidem debet Chriſti miniſter ab inuitis vi extorquere, licet ad eas ſoluendas Deo, in ſuſtentationem miniſtrorū, & pauperum, teneantur; cogere enim detrectantes eſt Magiſtratus: quæ coactio niſi fiat, profectò miniſter licitè poterit liberas petere oblationes, quod eſt mendicare. Cum tamen noſtri hi mendicantes Religioſi iam ſint innumerabiles, & multo plus Monachi quam Clerici, neque velint, vt tenentur Monachi laborare; immo maxima eorum pars, ne domi pro ſuæ conditionis neceſſitate laboret, in clauſtra hæc mendicantium ſeſe condunt, vt ocium foueant; & ex alienis laboribus, viuant ne, an deliciis affluant? eos ex mendicitate tuta conſcientia non poſſe viuere, liberè profiteor. Hi enim tam anxij ſunt, tam illiberales, tam importuni in mendicando, ne dicam in extorquendo & decipiendo, vt illi maxima ex parte ocioſiſſimi, vtinam non etiam vitioſiſſimi *c incraſſentur, impinguentur, dilatentur*. Veri autem Chriſti miniſtri, quorum ille panis proprius eſt, fame pene pereunt, dum *d panis proprius filiorum* ab his rapitur potius, quam colligitur; & filij ieiuni & egentes plurimi ex inopia coguntur turpia lucra cogitare. Horum tamen mendicantium, & aliorum Monachorum abuſus graues (ſalua ſemper bona bonorum exiſtimatione) non multo poſt aperientur.

a 1. Cor. 9. 14.

b Apud Bel. de Monach. l. 2. c. 45.

c Deut. 32. 15.

d Matt. 15. 26.

LXXII. Oſtendi Monachorum veram profeſſionem excludere non modo proprietatem ſingulorum, quā etiam à Clericis ſuo modo excluſimus, & vlterius excludemus, ſed etiam bonorum quorumcunque in communi poſſeſſionem: eoſque teneri ordinarie ex labore manuum victum quærere. *Obiicies tamen iam multas opes quam à multis iam ſeculis plurima poſſident Monachorum monaſteria.* Reſpondeo vix mihi credibile videri tantam mutationem; cum manifeſta profeſſionis & Regulæ monaſticæ depreſſione, & conculcatione, imo & extinctione, repente factam eſſe: aut quempiam ex Monachorum patribus, ſtatim in tam amplas diuitias, contra ipſam regulam, & profeſſionem, conſenſiſſe, cum totali veri Monachiſmi abolitione. Duas ego quidem mihi rimulas videor obſeruare, quæ paulatim ingentes opum fluctus, cum graui Monachatus naufragio, in nauim ipſam Monachiſmi poſtea fatiſcentem, admiſerunt. *Altera fuit omiſſio ſeruandæ regulæ Paulinæ*, vt haberent Monachi in quo opus manuum ſuarum exercerent, vt ſupra in reformatione Ciſtercij Sigebertus referebat. Nam inter ipſa manuum opera cum & vtilis ſit plurimum, & regulis commendata, *e* agrorum cultura; cumque Monachi vt plurimum in locis deſertis ſua cœnobia collocarent, facile obtinuerunt montes, & valles, ac ſyluas, locaque inculta, vt in ipſis propriis manibus excolendis, & ocium fugerent, & victum pararent ſibi neceſſarium. Inde vero paulatim ſua prædia dilatarunt; & colonis laicis ac famulis ea excolenda tradiderunt: ipſi vero ocioſi inde abundare cæperunt, & frumento, vino, atque oleo, pecudibuſque, & armentis ditati, ad maximas opes; quibus iam perfruuntur peruenerunt, ac in populatas ciuitates ad delicias ſeſe inuexerunt. *Altera fuit, Clericatus*: Poſtquam enim, abiecto re ipſa, licet non nomine, Monachatu; Clericatum, hoc eſt ſacros ordines, ſacraque Clericorum officia ſunt amplexi, & decimas, & oblationes, & donationes Eccleſiaſticas Clericorum proprias, facile; dormientibus Epiſcopis & Clericis, apprehenderunt. Nec immerito ſane. Vbi enim Clerici & ipſi Clericalibus poſthabitis officiis eorum propriis, totos ſe deliciis, & opibus mundanis tradiderunt, mercenarij vero Monachi, & mendicantes, Clericorum munia, præſertim verbum Dei, & vtinam Dei, prædicandi, ac Sacramenta miniſtrandi populo, ad ſe attraxerunt: commoda etiam & emolumenta Euangelij à Clericis ad ſe auocarunt. Quæ ſane Clericatus officia prædicandi, docendi, confeſſiones audiendi, ſacras ſynaxes peragendi, effecerunt vt facile viri pij, piæque matronæ, ſua bona; nec minima, Religioſis huiuſmodi, ac præſertim noſtris diebus Societati IESV donarent, & Collegia eidem ſubſtruerent; ac dotarent: Quamuis inſtitutum illud noſtrorum Ieſuitarum multo fructuoſius, mundoque charius futurum eſſet, ſi veram Clericorum primitiuæ Eccleſiæ vitam cum profiteatur, & inter mendicantes ſocij illi cenſeri velint; domos profeſſas multiplicarent, Collegia vero imminuerent; Collegia enim ſcholaſticorum prædia habent, & redditus non exiguos. Domus vero profeſſæ ex oblationibus viuunt duntaxat, & eleemoſynis. Non placet igitur mundo, vt in vnaquaque Prouincia ſatis late patenti, vix vnica domus profeſſa reperiatur, collegia vero plurima: nam vnicum potius Collegium in vnaquaque Prouincia ſatis eſſe videtur ad ſeminarium ſcholarium, qui totius Prouinciæ profeſſi ſint futuri. Et vix locus minimus eſſet qui non libenter domum profeſſam ædificaret. Collegia vero non ſine maximis impendiis inſtituuntur: vt merito quiſque ſuſpicetur eos, nomine quidem mendicantes, re vera tamen prædiuites, propria commoda,

e 17. q. 4. c. In oratoriis.

commoda, non ſalutem animarum quærere. Poſſent profecto in domibus etiam profeſſis ſcholas, ad iuuentutis inſtitutionem aperire; atque interim ex eleemoſynis viuere; ſi fortaſſe non tam commode & laute, certe ſufficienter & Apoſtolice. Accipiant obſecro à me Patres optimi ipſorum alumno documentum hoc non contemnendum, idq; æqui boniq; conſulant.

LXXIII. Nimiam hanc Monachorum præſertim ditationem, orientales Imperatores vt debuerunt ęgre tulerunt; & legibus etiam datis occurrere voluerunt. Sane Nicephorus Phocas *a* Donationes monaſteriis atque templis relictas à quibuſdam piis Imperatoribus prorſus aboleuit; lege etiam lata, *ne Eccleſiæ immobilium locupletarentur bonis: cauſatus Epiſcopos male prodigere ea, quæ pauperibus darentur, interim militibus deficientibus.*] Non placuit multis lex hæc Nicephori: Vnde & ſucceſſor eius Baſilius iunior, eam queſtus eſt multorum malorum cauſam fuiſſe: quam & *b* ſuſtulit ac reuocauit. Sed legem eandem Manuel Commenus, & piam, & prudentem laudauit poſtea, atque innouauit, ſublata Baſilij reuocatione. Et verum Monaſticum inſtitutum veramque profeſſionem agnoſcens, Monachos ſuos quos in nouo quodam ab ſe ædificato monaſterio collocauit, voluit omnino prædiis, & poſſeſſionibus carere. Et quia iam labor manuum in tot opimis monaſteriis exoleuerat, ita indulſit humanæ miſeriæ, vt mallerit ex publico ærario quotidianis eleemoſynis illos ſuſtentare; quam vt poſſeſſiones & prædia poſſiderent. Ita enim ſcribit Nicetas Choniata. *c Monaſterium in Ponti faucibus loco qui Cataſcepe dicitur, Archiducis Michaelis nomine, extruxit: In quo celeberrimos quoſque & præſtantiſſimos Monachos collocauit: ea ratione vt ſolitariam & quietam vitam, ſine vlla ſolicitudine, poſſent degere. Cum enim Monachos poſſeſſionibus & negociis turbatos, & tranquillitate animi, & Dei cultu excidere intelligeret, nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones, quas nec eorum profeſſio admittit, aſſignauit: ſed ex fiſco tantum pendi iuſſit, quantum ad victum & cultum opus eſſet. Videtur nimirum immodicam cupiditatem ſtruendi monaſteria improbaſſe, & exemplum prodere poſteris voluiſſe, quo pacto templa condenda, & quæ viuendi ratio Eremitis pauperibus, & à terrenis rebus ſe abſtrahentibus proponenda ſit. Tantum autem abfuit, vt eorum inſtitutum laudaret, qui monaſticam vitam profeſſi, & opibus affluunt, & multitudine curarum magis diſtrahuntur, quam ij qui huius vitæ deliciis occupantur, vt ſanctionem Nicephori Phocæ, fortiſſimi & cordatiſſimi Imperatoris olim abolitam, de non augendis monaſteriorum latifundiis, quaſi poſtliminio reuocarit: neque patrem, auum, cæteroſque cognatos ſuos omnes, qui monaſteriis ampliſſima prædia donarant, incuſare deſtiterit: non quod de ſuis opibus Deo aliquid conſecraſſent, ſed quod rem bonam male adminiſtraſſent. Nam cum Monachis habitationes in abditis & deſertis locis, in antris, & montium cacuminibus aſſignandæ eſſent; & Conſtantinopolis tanquam ſyrenum cantus vitanda; glorioſa ductos mente ſtata ſua ſepulcra, & vario marmore exornata ijs qui templa ingrediantur ſpectanda propoſuiſſe, & mortuos quoque coronari ſe & hilari, ſplendidoque vultu conſpici voluiſſe, & in foro ac triuiis monaſteria ædificaſſe; & ibi nullo cum delectu virtutis, velut in cauea, concluſiſſe eos, qui Monachos, non vltra tonſum capillum, & mutatum habitum, promiſſamque barbam, exprimerent. His igitur de cauſis ſiue vt monaſticam ſanctimoniam nutantem: ac potius humi fere proſtratam fulciret, ſiue metuens ne ea ipſe facere diceretur, quæ reprehenderet, rationem à ſuis maioribus diuerſam ſit ſecutus.*] Videlicet fundando ſuum monaſterium abſque prædiis & poſſeſſionibus, vlliſue certis redditibus: ſed cum ſola ex publico fiſco eleemoſyna, & in locis ſolitariis.

a Conſtitut. Imp. in Niceph. Phoc. c. 4.

b Ibid in Baſilio Porphyrog. c. 1.

c Nicet. in Manuel. l. 7.

Sed vbi agitur de Religioſa frugalitate, ac de LXXIV. opum contemptu, id totum ad impietatem noſter Baronius de more trahit: & quod ſummopere laudare deberet, id, quia temporalem Eccleſiaſticorum fælicitatem (quam pene ſolam iam quærimus) labefactat, reprehendere audet ac vituperare. *d Atque hiſce coloribus*, inquit, *Manuel turpitudinem facti honeſtare curauit. Sed poſtea vexatione eruditus, dum contra ipſum Siculus ingentem paraſſet claſſem, primum omnium diuinum ſibi numen conciliare laborauit, quod à ſe*, inquit, *grauiter offenſum recenti delicto illo quo grauiſſimam totius Imperij ſui Eccleſiis perſecutionem indixerat, male ſibi conſcius, ſatis intelligebat.*] Crimen vero quod adeo exulceraſſet conſcientiam Imperatoris, ait Baronius eſſe factum hoc quod Nicetas narrabat.

d Baron. to. 12. an. 1148.

Ita ne, bone Baroni, perſecutio Eccleſiæ LXXV. eſt, ſubtrahere illi temporalia, & Monachos atque etiam Clericos ad propriam redigere profeſſionem? Delictum ne erit, & crimen conſcientiam exulcerans, monaſterium ædificare, & iuxta veram monachiſmi regulam non illi prædia tribuere; & ad luxum, aut ſaltem ad temporalium curas euitandas loco poſſeſſionum, certas eleemoſynas ei attribuere? *Delictum & crimen*, inquit, *eſt Nicephori legem reſtituere.* At vero Nicetas fortiſſimum & cordatiſſimum vocat Imperatorem Nicephorum, in ea lege condenda. *Sed ipſemet Manuel*, inquit Baronius, *delicti in hoc conſcius, diuinum numen placare voluit, aurea Bulla triplici emiſſa, illi legi contraria, quibus bona immobilia Eccleſiis, & monaſteriis confirmauit: medicatricemque illam præcipuam appellauit, qua vulnus Eccleſiis inflictum ſanaretur.*] Sed fallitur, aut nos fallit Baronius. Medicatrix enim illa Bulla, iura Eccleſiarum circa immobilia, quę aliquo titulo, etſi non pleno, eo tempore poſſiderentur, ſed aliqua ex parte claudicarent, confirmat, & ſupplet defectum omnem, ne aliqui, ac præſertim fiſcus, poſſet huiuſmodi poſſeſſionem imobilium Eccleſijs turbare. Neque vero hanc medicatricem, & alias duas, Manuel adhibuit, contra vllum proprium crimen, aut delictum, quod nullum in ſe, ac merito, cognouit; ſed voluit Eccleſias & monaſteria firmius poſſidere immobilia quæ iam poſſiderent: ita tamen vt monaſterium S. Michaelis ſine prædiis, ſicut inſtitutum ab eo fuit, remaneret: nuſquam enim habemus illum ei prædia vlla aſſignaſſe, etiam poſt editam medicatricem: & vt inpoſterum iuxta legem Nicephori Phocæ, neque Eccleſiæ, neque monaſteria alia immobilia acquirerent; ſed hactenus habitis, & ab eo firmatis, eſſent contenta. Et quod Nicetas ait Manuelem Nicephori legem de non augendis latifundiis monaſteriorum innouaſſe; hæc ipſa innouatio & inſtauratio huius legis, cum abrogatione Baſilianæ abolitionis, habetur in his ipſis Bullis aureis medicatricibus. Et quam Baronius citat tanquam abolitoriam illius quam Nicetas narrat à Manuele innouatam, & poſtliminio reſtitutam, quæ incipit, *Imperialis mea ſublimitas*: Illa ipſa eſt in qua ponitur hæc Nicephorianæ legis confirmatio. Poſtquam enim Manuel ea Bulla monaſteriis bona immobilia quæ iam poſſiderent cõfirmauit, ſupplendo defectus ſi quos poſſeſſionum tituli paterentur, addit; *e Nec enim licentiam habebunt*

e Conſt. Imp. in Man. c. 9.

Monaſteria augere, & amplificare ea quæ ab ipſis hodie poßidentur.] Atq; hæc ipſa eſt lex Nicephori. Vbi igitur delicti & criminis recognitio? vbi proprii criminis meditatio? ſunt ordinaria Baronij commẽta. Aliud enim eſt confirmare Eccleſiis bona immobilia quæ iam habent, etiã quæ in titulo clauditant: aliud vero prohibere ne poſthac acquiſitione aliorum immobilium augeantur. Vtrunq; præſtitit ſuis illis aureis bullis Manuel Commenus. Sed Baronio ad ꝓbanda quæcunq; ipſe vellet, ſuæ piæ meditationes ſufficiunt; quamuis in re ipſa contrarium euidenter appareat.

LXXVI. Antequam opibus cõmunibus abundarent monaſteria, auaritia Monachos facile ad proprietatem trahebat. a *Vidi ego quoſdam*, inquit Hieronymus, *qui poſtquam renunciauere ſæculo, veſtimentis duntaxat & vocis profeßione non rebus, nihil de priſtina conuerſatione mutarunt: res familiaris magis aucta quam imminuta: eadem miniſteria ſeruulorum, idem apparatus conuiuij; in vitro & patella fictili, aurum comeditur; & inter turbas & examina miniſtrorum, nomen ſibi vendicant ſolitarij.*] Et paulo poſt addit: *Pleriq; artibus & negotiationibus priſtinis carere non poſſunt; mutatiſq; nominibus inſtitorum, eadem exercent commercia, non victum & veſtitum, quod Apoſtolus præcipit, ſed maiora quam ſæculi homines emolumenta ſpectantes. Et prius quidem ab ædilibus quos ἀγορανόμους Græci appellant vendentium coercebatur rabies, nec erat impune peccatum: Nunc autem ſub Religionis titulo exercentur iniuſta compendia, & honor nominis Chriſtiani fraudem magis facit, quam patitur. quodq; pudet dicere, ſed neceſſe eſt vt ſaltem ſic ad noſtrum erubeſcamus dedecus: publice extendentes manus pannis aurum tegimus: & contra omnium opinionem, plenis ſacculis morimur diuites, qui quaſi pauperes viximus.*] Habet & illud idem Hieronymus; b *Alij nũmum addant nummo, & in marſupium ſuffocantes, matronarum opes venentur obſequiis: ſint ditiores Monachi, quam fuerant ſæculares: poßideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete Diabolo non habuerant: & ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos.*]

a Hier. ep. 4.

b Hier. ep. 1.

LXXVII. Peiora vidit, & obſeruauit Auguſtinus: c *Callidißimus*, inquit, *hoſtis tam multos Hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaq; diſpoſuit, circumeuntes Prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes. Alij membra martyrum, ſi tamen martyrum venditant: alii fimbrias & phylacteria ſua magnificant: alii parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel illa Regione ſe audiſſe viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ precium ſanctitatis.*] Hodiernas vero ſycophantias noſtrorum Regularium quis poſſet enumerare?

c Aug. de opere Monac. c. 28.

LXXVIII. Impoſtorem Monachum habemus apud Proſperum, d qui ſigna curationum ſe operari fatebatur: & circa cæcos, & claudos phantaſticos quoſdam agebat luſus; *eoq;*, inquit, *oleo neſcio cuius mortui oſſa liniebat.*] Sed nihil efficiebat; decipiebat tantum homines profecto ad lucrũ. Deplorat Saluianus quoque Maſſilienſis, ante mille annos, Religioſorum ſui temporis abuſus intolerandos. Peccatores multos inter Chriſtianos eſſe lugebat, multa flagitia cõmittentes: e *Atq; hoc*, inquit, *laici tantummodo? non quidam eorum Clericorum ſæculares? non multa etiam Religioſi: imo ſub ſpecie Religionis, vitiis ſæcularibus mancipati: qui ſcil. poſt veterum flagitiorũ probroſa crimina, titulo ſanctitatis ſibimet inſcripto, nõ cõuerſatione alii, ſed profeßione, nomen tantum demutauere, nõ victum: & ſummam diuini cultus, habitum magis quam actum exiſtimantes, veſtẽ tantummodo exuere, non mentem. Vnde illi homines inuidia criminoſos putant; qui cum pænitentiam quaſi egiſſe dicantur, ſicut mores priſtinos, ita etiam habitum non relinquũt. Nam taliter ferme omnia agunt, vt eos non tam putes antea pænitentiam criminum agere, quam poſtea ipſius pænitentiæ pænitere: nec tam prius pænituiſſe quod male vixerint, quam poſtea quod ſe promiſerint bene victuros. Sciunt me verum loqui: & teſtimonium mihi etiam conſcientia ſua dicunt; cũ multi alii, tum præcipui illi nouorum bonorum Religioſi ambitores: & poſt acceptum pænitentiæ nomen, ampliſſimæ ac prius non habitæ poteſtatis emptores, adeo non ſæculares tantum, ſed plus etiam quam ſæculares eſſe voluerunt, vt non ſufficeret eis quod ante fuerunt, niſi plus eſſent quam fuiſſent. Quomodo igitur tales iſtos pænitentiam ſe egiſſe non pænitet, ſicut etiam illos de conuerſione ac Deo aliquid cogitaſſe, qui à coniugibus propriis abſtinentes, à rerum alienarum peruaſione ſe non abſtinuerunt: & cum profiteantur continentiã corporum, in incontinentiam debacchantur animorũ. Noui prorſus conuerſionis genus, licita non faciũt; illicita committunt. Temperant à concubitu, & non temperant à rapina? Quid agis ſtulta perſuaſio? peccata interdixit Deus, nõ matrimonia: non conueniunt veſtris ſtudiis facta veſtra: non debetis eſſe amici criminum, qui dicitis vos affectores eſſe virtutum: præpoſterum eſt quod agitis: non eſt conuerſio, ſed auerſio: qui iampridem (vt fama eſt) opus etiam honeſti matrimonii reliquiſtis, tandem à ſcelere ceſſate.*] Huc uſq; Saluianus.

d Proſper de promiſ. & prædi. Dei dimi. temp. c. 6.

e Saluian. de prouid. l. 5.

Quos vero auaritia, hoc eſt commoditas lucri ſub prætextu Religionis, & ſanctimoniæ ad monaſticam vitam non impulit; eos plurimos (bonis non detraho) ſegnities & inertia, atque genio indulgendi deſiderium inuitauit. Audi Auguſtinum: f *Nunc autem veniunt plerunque ad hanc profeßionem ſeruitutis Dei, & ex conditione ſeruili, vel etiam liberti, vel propter hoc à Dominis liberati, ſiue liberandi, & ex vita ruſticana, & ex opificum exercitatione & plebeio labore, tanto vtique felicius quanto fortius educati: qui ſi non admittantur, graue peccatum eſt. Multi enim ex eo numero vere magni & imitandi extiterunt. nam propterea & g infirma mundi elegit Deus vt confunderet fortia: & ſtulta mundi elegit vt confunderet ſapientes: & ignobilia mundi & ea quæ non ſunt tanquam ſint, vt ea quæ ſunt euacuentur; vt non glorietur omnis caro coram Deo. Hæc itaque ſancta & pia cogitatio facit vt etiam tales admittantur, qui nullum afferunt mutatæ in melius vitæ documentum, neque enim apparet vtrum ex propoſito ſeruitutis Dei venerint, an vitam inopem & laborioſam fugientes, vacui paſci atque veſtiri voluerunt, & inſuper honorari ab eis, à quibus contemni, conterique conſueuerant.*] Si tunc quando ſatis anguſti erant Monachi, & ex laboribus vt plurimum propriis ſuſtentabantur, adhuc tamen confluebant multi, vt alienis laboribus, ipſi ocioſi & inertes, ac vilis conditionis homines, alerentur, veſtirentur, & inſuper vilitate depoſita, honorarentur; quid putas fieri nunc, vbi opes immenſę abundant, & lautiſſimus exhibetur victus, ac veſtitus inſignis? vbi etiam nobilibus abundamus pauperibus, *qui* h *fodere non valent, & mendicare erubeſcunt*? an putas ad Dei ſeruitutem eos accedere, an vero ad proprię vitæ temporalia tantum commoda percipienda? vt mirum non ſit ſi iam Monachi huiuſmodi, ne veſtigium quidem minimũ veri retineant Monachiſmi. Dicat obſecro Monachorum optimus Bernardus, cuius tẽpore corruptio iam Monachiſmum paſſim inuaſerat & occupauerat, q̃d ſentiat de vero Monacho: & deſcribat minute Falſum Monachum, in diuitiis ac deliciis enutritum. Ordo ſane Ciſterciẽſis, cuius ipſe in Claraualle Abbas erat, vera Monaſtica obſeruãtia fulgebat, in vera paupertate, vitaq; Paulina: ſed Cluniacenſes à Monachali regula plurimũ deflexerant. Contigerat autem, vt moris eſt, vt aliquis interdum ex Ciſtercienſibus detraxerit Cluniacenſibus, tanquam nonnihil diſſolutis: audiueratq; Bernar-

LXXIX.

f Aug. de opere Monac. c. 22.

g 1. Cor. 1. 27.

h Luc. 16. 3.

Bernardus Abbatis Gulielmi querimoniam quod ipſius Monachi detraherent ordini Cluniacenſi, eique plurimum derogarent, ſcripſit itaque Bernardus Apologiam ad Gulielmum: in ea vero primum arguit corripitque acrius ſuos Monachos, quod & ſuperbiam ſapiat aliis ordinibus quantuncunque remiſſis inſultare, & charitatem diſrumpat: & quod potiores ſint virtutes internæ animi, quam ſolæ externæ afflictationes corporis: atque hoc argumentum egregie tractat. Inde vero correptionem ſuam conuertit in Monachos Cluniacenſes diſſolutos, quorum vitam à Monachatu remotiſſimam, qualis eſt nunc in noſtris plurimis Monachis, totam deſcribit graphice: neque pigebit hic ipſam diſceptationem magna ex parte appouere. Ita enim inuehitur.

LXXX. a *Dicitur, & veraciter creditur, ſanctos patres illam vitam inſtituiſſe, vt in ea plures ſaluarentur, vſque ad infirmos regula temperaſſe rigorem, non regulam deſtruxiſſe. Abſit autem, vt credam tantas eos, quantas video in pleriſque monaſteriis, vanitates, ac ſuperfluitates præcepiſſe, vel conceſſiſſe. Miror etenim vnde inter Monachos tanta intemperantia in commeſſationibus & potationibus, in veſtimentis & lectiſterniis, & equitaturis, & conſtruendis ædificiis inoleſcere potuit, quatenus vbi hæc ſtudioſius, voluptuoſius, atque effuſius fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur Religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. Econtra remiſſio diſcretio dicitur; effuſio liberalitas; loquacitas affabilitas; cachinnatio iucunditas; mollities veſtimentorum, & equorum faſtus honeſtas; lectorum ſuperfluus cultus, munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus charitas appellatur. Iſta charitas deſtruit charitatem, hæc diſcretio diſcretionem confundit. Talis miſericordia crudelitate plena eſt, qua videlicet ita corpori ſeruitur, vt anima iuguletur. quæ enim charitas eſt carnem diligere, & Spiritum negligere? quæue diſcretio totum dare corpori & animæ nihil? qualis vero miſericordia ancillam reficere, & dominam interficere?*] Et infra.

a Bernar. Apolog. ad Gulie. Abb.

LXXXI. *Sub hac tamen abuſione iam fere vbique ſic pro ordine tenentur, fere iam ita ab omnibus ſine querela atque irreprehenſibiliter obſeruantur, quanquam diſſimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tanquam non vtentes vtuntur, & ideo aut cum nulla offenſa, aut cum minima. Aliquanti quippe hæc agunt ex ſimplicitate, aliquanti ex charitate, aliquanti ex neceſſitate. Quidam nanque ſimpliciter iſta tenent, quoniam ſic eis præcipitur, parati aliter agere, ſi aliter præciperetur. Quidam autem ne diſcorditer viuant ab eis cum quibus habitant, ſectantes in his non ſuam libidinem, ſed aliorum pacem. Alii vero quia reſiſtere non valent multitudini contradicentium, qui hæc vtique tanquam pro ordine libera voce defendunt, & quotiens iſti aliqua, prout ratio dictat, reſtringere vel mutare incipiunt, illi mox tota eis auctoritate reſiſtunt. Quis in principio cum ordo cœpit monaſticus ad tantam crederet Monachos inertiam deuenire? O quantum diſtamus ab iis, qui in diebus Antonii extitere Monachi? ſi quidem illi cum ſe inuicem per tempus ex charitate reuiſerent, tanta ab inuicem auiditate panem animarum percipiebant, vt corporis cibum penitus obliti, diem plerunque totum, ieiunis ventribus, ſed non mentibus, tranſigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inſeruiebatur. Hæc ſumma diſcretio cum amplius ſumebat quæ maior erat. Hæc denique vera charitas vbi animæ quarum charitate Chriſtus mortuus eſt, tanta ſollicitudine refocillabantur. b Nobis autem conuenientibus in vnum, vt verbis Apoſtoli vtar, iam non eſt Dominicam cœnam manducare. Panem quippe cœleſtem nemo eſt qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus modum neſcias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro ſolis carnibus à quibus abſtinetur, grandia piſcium corpora duplicantur, cumque prioribus fueris ſatiatus, ſi ſecundos attigeris videberis tibi nec dum guſtaſſe piſces. Tanta quippe accuratione & arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouiſſima, nec ſatietas minuat appetitum. Palatum quippe dum nouellis ſeducitur condimentis, paulatim diſſueſcere cognita, & ad ſuccos extraneos, veluti adhuc ieiunum, auide renouatur in deſideria. Venter quidem dum neſcit, oneratur, ſed varietas tollit faſtidium. Quia enim puras vt eas natura creauit epulas faſtidimus, dum alia aliis multifarie permiſcentur, & ſpretis naturalibus quos Deus indidit rebus, quibuſdam adulterinis gula prouocatur ſaporibus: tranſitur nimirum meta neceſſitatis, ſed necdum delectatio ſuperatur. Quis enim dicere ſufficit quot modis, vt cætera taceam, ſola oua verſantur, & vexantur: quanto ſtudio euertuntur, ſubuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc aſſa, nunc farſa, nunc mixtim, nunc ſigillatim, apponuntur? Vt quid autem hæc omnia niſi vt ſoli faſtidio conſulatur? Ipſa deinde qualitas rerum talis de foris apparere curatur, vt non minus aſpectus, quam guſtus delectetur: & cum iam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicet, necdum tamen curioſitas ſatiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum ſaporibus, illiciuntur, infelix ſtomachus, cui nec colores lucent, nec ſapores demulcent, dum omnia ſuſcipere cogitur, oppreſſus magis obruitur, quam reficitur.*

b 1. Cor. 11. 20.

Iam vero de aquæ potu quid dicam, quando ne vllo quidem pacto vinum aquatum admittitur? omnes nimirum ex quo Monachi ſumus, infirmos ſtomachos habemus, & tam neceſſarium c Apoſtoli de vtendo vino conſilium merito non negligimus: modico tamen quod ille præmiſit neſcio cur prætermiſſo, & vtinam vel ſolo, cum etiam purum eſt, contenti eſſemus. Pudet dicere. ſed magis pudeat actitari: etſi pudet audire, non pudeat emendari. Videas vno prandio ter, vel quater ſemiplenum calicem reportari, quatenus diuerſis vinis magis odoratis, quam potatis, nec tam hauſtis quam attactis, ſagaci probatione & celeri cognitione vnum tandem è pluribus, quod fortius ſit, eligatur. quale eſt autem illud quod nonnulla monaſteria ex more obſeruare dicuntur, in magnis videlicet feſtis, vina delibuta melle, pigmentorum reſperſa pulueribus, in conuentu bibere? nunquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem ſtomachi? ego vero ad nihil aliud valere video, niſi vt vel amplius bibatur vel delectabilius. Sed cum venæ fuerint vino ingurgitatæ, toto in capite palpitantes, ſic ſurgenti à menſa, quid aliud libet niſi dormire? ſi autem ad vigilias ſurgere indigeſtum cogis, non cantum, ſed planctum potius extorquebis. LXXXII.

c 1. Tim. 5. 23.

Cum vero ad lectum deuenero, requiſitus incommodum plango non crapulæ peccatum, ſed quod manducare non queo. Ridiculum vero (ſi tamen verum eſt) quod relatum eſt mihi à pluribus qui hæc ſe pro certo ſcire dicebant, reticendum eſſe non arbitror. Aiunt enim incolumes & validos iuuenes, conuentum ſolere deſerere: in domo ſe infirmorum, qui nõ ſunt infirmi collocare: carnium eſui (qui vix ægrotis duntaxat, & omnino debilibus, ex regulæ diſcretione pro virium reparatione, conceditur) non quidem corporis infirmantis ruinas reficere pro incommodo, ſed carnis luxuriantis curam perficere in deſiderio. Rogo quæ eſt hæc ſecuritas, inter frendentium vndique hoſtium fulgurantes haſtas, & circumuolantia ſpicula, tanquam finito iam bello, & triumphato aduerſario proiicere arma, & aut prandiis incubare longioribus, aut nudum molli volutari in lectulo? quid hoc ignauiæ eſt o boni milites.] Et poſt nonnulla. *Ad diſcernendum deinde inter ſanos & male habentes, baculos in manibus portare* LXXXIII.

iubentur ægrotantes, plane neceſſarios, vt quam pallor in vultu, macieſq; non indicat. baculus ſuſtentans, mentiatur inualetudinem.

Lxxxiv. *Ridendas an lugendas dixerim huiuſmodi ineptias? ſic Macharius vixit? ſic Baſilius docuit? ſic Antonius inſtituit? ſic Patres in Ægypto conuerſati ſunt? ſic denique ſancti Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos ſe ſui vtique ordinis principes & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri cenſuerunt? ſed hi omnes ſi ſancti, immo quia ſancti fuerunt à ſancto Apoſtolo non diſſenſerunt, qui nimirum ita loquitur.* a 1.Tim.6.8. *a Habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus. Nobis autem eſt pro victu ſatietas, nec veſtitum appetimus, ſed ornatum. Quæritur ad induendum non quod vtilius, ſed quod ſubtilius inuenitur, non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat: non denique, iuxta regulam, quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtius, immo vanius, oſtentari. Heu me miſerum qualemcunque Monachum cur adhuc viuo, videre ad id deueniſſe ordinem noſtrum, ordinem ſcilicet qui primus fuit in Eccleſia, immo à quo cœpit Eccleſia, quo nullus in terra ſimilior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei qui in cœlis eſt Hieruſalem mater noſtra, ſiue ob decorem caſtitatis, ſiue propter charitatis ardorem: cuius Apoſtoli inſtitutores; cuius hi quos Paulus tam ſæpe ſanctos appellat, inchoatores extiterunt? & quidem inter illos cum nihil quod ſuum eſſet quiſpiam retinuiſſet,* b Act.4.35. *b diuidebatur, vt ſcriptum eſt, ſingulis prout cuique opus erat: non igitur quod quiſque pueriliter geſtire poterat. Sane vbi tantum quod opus erat accipiebatur, ibi nihil procul dubio otioſum admittebatur; quanto magis nihil curioſum? quanto magis nihil ſuperbum? quod inquit opus erat, hoc eſt quantum ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret. Putaſne ibi cuiquam Galabrunum, aut Iſembrunum quærebatur ad induendum? cuiquam ducentorum ſolidorum mula parabatur ad equitandum? putaſne, inquam, cuiuſpiam ibi lectuli opertorium cattinum, aut diſcolor barricanus, operiebat, vbi ſingulis diuidebatur tantum prout cuique opus erat? non illic arbitror valde curatum fuiſſe de precio, de colore, de cultu veſtimentorum, vbi tam indefeſſum inerat ſtudium in concordia morum, animorum cohærentia, profectuq; virtutum.*

Lxxxv. *Multitudinis, inquit, credentium erat cor vnum, & anima vna. Vbi nunc illud vnanimitatis exercitium? fuſi ſumus exterius, & de Regno Dei quod intra nos eſt, relictis veris ac perennibus bonis, foris quærimus vanam conſolationem de vanitatibus & inſaniis falſis: ac iam Religionis antiquæ non ſolum virtutem amiſimus, ſed nec ſpeciem retinemus. Ecce enim habitus noſter (quod & dolens dico) qui humilitatis eſſe ſolebat inſigne, à Monachis temporis noſtri in ſignum geſtatur ſuperbiæ. Vix iam in noſtris prouinciis inuenimus, quo veſtiri dignemur. Miles & Monachus ex eodem panno partiuntur ſibi cucullam, & chlamydem. quiuis de ſæculo, quantumlibet honoratus, etiamſi Rex, etiamſi Imperator ille fuerit, non tamen noſtra horrebit indumenta, ſi ſuo ſibi modo præparata fuerint, & aptata. Cæterum in habitu, inquis, non eſt Religio, ſed in corde. Bene, at tu quando cucullam empturus luſtras vrbes, fora circuis, percurris nundinas, domos ſcrutaris negotiatorum, cunctam euertis ſingulorum ſupellectilem, ingentes explicas cumulos pannorum, attrectas digitis, admoues oculis, ſolis opponis radio? quicquid groſſum, quicquid pallidum occurrerit, reſpuis; ſi quid autem ſui puritate ac nitore placuerit, illud mox, quantolibet precio, ſatagis tibi retinere. Rogo te ex corde facis hæc, an ſimpliciter? cum denique contra regulam non quod vilius occurrerit, ſed ſtudioſiſſime quæris quod quia rarius inuenitur precioſius emitur: ignorans facis hæc, an ex induſtria? ex cordis theſauro ſine dubio procedit quicquid foris apparet vitioſum: vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt. Mollia indumenta animi mollitiem indicant: non tanto curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus, &c.* ---Et paulo poſt.

Dicam, dicam, præſumptuoſus dicar, ſed verum dicam, Lxxxvi. *quomodo lux mundi obtenebrata eſt? quomodo ſal terræ infatuatum eſt? quorum nobis vita via vitæ debuit eſſe, dum exemplum in ſuis actibus oſtendunt, ſuperbia cæci facti ſunt, duces cæcorum. Quod enim, vt cætera taceam, ſpecimen humilitatis eſt cum tanta pompa & equitatu incedere, tantis hominum crinitorum ſtipari obſequiis, quatenus duobus Epiſcopis, vnius Abbatis multitudo ſufficiat? mentior ſi non vidi Abbatem ſexaginta equos, & eo amplius in ſuo ducere comitatu. Dicas ſi videas eos tranſeuntes, non patres eſſe monaſteriorum, ſed Dominos Caſtellorum: non rectores animarum, ſed Principes Prouinciarum. Tum deinde geſtari iubentur mappulæ, ſcyphi, baccini, candelabra, & manticæ ſuffarcinatæ, non ſtramentis, ſed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à ſua quiſpiam domo recedit, niſi cum tota ſupellectili ſua, tanquam ſit iturus ad exercitum, vel tranſiturus per deſertum, vbi nō valeant inueniri neceſſaria.*] Ac nonnullis interiectis de pompis orationum & Eccleſiarum, quæ ego ſupra retuli, alia occaſione, mox addit hæc: *Cæterum in Clauſtris coram legentibus fratribus quid facit illa ridicula monſtruoſitas, mira quædam deformis formoſitas, ac formoſa deformitas? quid ibi immundæ ſimiæ? quid feri leones? quid monſtruoſi centauri? quid ſemihomines? quid maculoſæ tigrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas ſub vno capite multa corpora, & rurſus in vno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda ſerpentis, illinc in piſce caput quadrupedis: ibi beſtia præfert equum, capram trahens retro dimidiam, hic cornutum animal equum geſtat poſterius. Tam multa denique, tamq; mira diuerſarum formarum vbiq; varietas apparet, vt magis legere libeat in marmoribus, quam in codicibus totumq; diem occupare ſingula iſta mirando, quam in lege Dei meditando. Pro Deo ſi non pudet ineptiarum, cur vel non piget expenſarum?*]

Hæc omnia Bernardus; qui alio loco etiam eandem Monachorum, præſertim Abbatum, ſugillat vanitatem, ita ſcribens: Lxxxvii. *c Ecce vt taceas ſæculares, quot, quantos videmus ordinum diuerſorum Prælatos, quos bona ſine dubio ſcimus intentione nudos nudum Chriſtum fuiſſe ſecutos: & tamen inuiti ad Prælaturas licet attrahantur; nō poſt longum tempus, ſed ſtatim corrumpunt intentionem, truncum vitiant, commutant propoſitum; vt Prælaturis ad quas inuiti venerunt libenter inhæreant, præeſſe cupientes potius quam prodeſſe: lautioribus ferculis & exquiſitis voluptati ventris, potius quam vtilitati, vel diuinæ voluntati deſeruiunt: nonnunquam etiam pecunias congregare dicuntur, nō vt ſpiritualibus filiis neceſſaria; ſed vt carnalibus nepotulis, & amicis, ſuperflue aliquid largiantur.*] c Ber. tract. de paſſ. Do. c.21. In eoſdem diſſolutos Monachos eodem ferme tempore, ſic Potho Prumienſis declamabat. *d Eſt moleſtiſſimum hypocritarum genus intra domeſticos parietes incluſum, cum amicis, & domeſticis Dei habitans, ſolo habitu exteriore mundi contemptum præferens, monaſticæ conuerſationi ſe ingerens; quod eo acrius membris Chriſti nocet, quo minus vitari poteſt. Et re vera hæc eſt amaritudo amariſſima, quando pax quidem eſt in perſecutoribus, & hæreticis qui aperte ſæuiunt, ſed non eſt pax à domeſticis qui intus ſunt: qui religioſorum quidem numero admixti ſunt, ſed veram religionem exeuntes e doloſe agunt in conſpectu Dei, vt inueniatur iniquitas eorum ad odium. Cum enim omni virtute interius ſint deſtituti, ſola imagine ſanctitatis exterius nitidi, intuentium oculos fallūt; quia nimirum gloriam quæ ab hominibus eſt quærunt. Iam f myſterium iniquitatis in his operatur, donec caput illorum Antichriſtus adueniat, cuius g aduentus eſt ſecundum operationem Sathanæ.*] d Potho Prum. de domo Dei l.3. e Pſ. 35.3. f 2.Theſ.2.7. g Ibid.9.

Monachorum auaritiam, & ſegnitiem, ſiue noſtrorum Mendicantium, agnouit optime Gerſonius, eāq; paucis, ſed ſentiſate perſtrinxit, ita ſcribēs; h Centi- Lxxxviii. h Gerſſon. in Alc. De. coram Alt. ...reſt ee.

vt eſt profeſſos paupertatem, ita vt nec in priuato, nec in communi ſibi quicquam reſeruarint; aut ad Prælaturas niſibus ſummis aſpirare, aut ſi hoc non audeant, ad beneficiorum minorum, quod eſt inuſitatius, commendas currere: non veritos, ne cum vxore Loth retroſpicientes, in ſalis effigiem redigantur: neque ſatis memores Ananiæ & Saphyræ. Mirum eſt non alios æque feſtinare ditari, hi quorum profeſſio vetat ditari. Cur enim aſſidue pulſant aures Apoſtolicas, quatenus noua priuilegia valeant extorquere? ſi hoc vt publice proficiant, magis quam vt marſupia repleant, ſplendide viuant, paupertatem quam vouerunt exuant, ipſi viderint; quanquam multa me experientia magiſtra docuerit, nolim tamen iudicare.]

LXXXIX. Quid quod peſſima hæc auaritia, non modo Epiſcopos, ſed etiam monachorum patres, eo etiam deduxit ſæpius, vt ex ipſa nouorum monachorum tonſuratione & habitu, nundinas facerent, & turpe lucrum ſectarentur? Vt legibus Synodalibus aliquando compeſcendi fuerint. Ita enim ſtatuit Synodus Moguntinenſis; a *Vt Epiſcopi, ſiue Abbates, qui non in fructum animarum, ſed in auaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumueniendo totonderunt, & res eorum tali perſuaſione ſurripuerunt, pænitentia Canonica, vt poſte turpis lucri ſectatores, ſubiaceant: Hi vero qui illecti comam depoſuerunt, in eo quod ceperunt perſeuerare cogantur, res vero eorum hæredibus reddantur.*]

a *Ib. q. 7. c. Conſtituit & Concil. Cabilon. 2. c. 7.*

XC. Poſſem hic ego quoque excurrere in abuſus plurimos noſtrorum, ſiue monachorum ſiue mendicantium, ex auaritia & bonis temporalibus enatos; ſed ne videar maledicus abſtineo: ſatis ſit eos à ſanctis Patribus, & viris doctis ac piis fere omnes audiſſe & ſi qui ſunt præterea illi iam lippis & tonſoribus ſunt notiſſimi. Illud duntaxat addo, prudens ac pium ſimul conſilium, bono ac pio Principe digniſſimum, Imperatorem Alexium Commenum priorem iniiſſe, à noſtris Principibus cum maxima laude & vtilitate imitandum. Id vero fuit, vt monachi diuites ex opibus quæ neceſſitatibus ipſorum ſupereſſent, pauperes laicos, ſiue etiam miſeros Epiſcopos, qui proprium thronum amiſerint, alendos ſuſciperent, prout eis à Patriarcha Conſtantinopolitano iniungeretur. b *Si autem,* inquit, *accedit laicorum quiſpiam, qui eſt omnino inops & pauper, ad ſanctiſſimum meum Dominum: vel ex Antiſtitibus qui ſuos thronos perdiderunt, & ſunt inopes, & voluerit ſtatuere, vt is victum capiat è ditiori aliquo monaſterio; hoc recte faciet, non ſupra facultates numeri eorum qui ſunt ordinati: Monachi enim qui ſunt intus debent præferri cæteris omnibus ad ea quæ ſunt ſibi neceſſaria capienda.*] Vtinam Chriſtiani Principes ad reformationem monaſteriorum ditiſſimorum manum medicam admouerent. Monachi enim ſimplices, qui numerum faciunt, fruges conſumere nati, ſatis parce viuunt: & ordinis aliqua extrinſeca obſeruantia in in his conſeruatur: magnates vero ipſorum & ſatrapæ pauci, ingentes opes, & Crœſi diuitias adminiſtrantes, iniecta ſua parte ſatis bona in os Lupæ ipſi impinguantur & dilatantur, & cum pompis à Bernardo deſcriptis viuunt. Quam melius eſſet etiam ſatrapas iſtos in ordinem redigere, aſſignatiſque eis neceſſariis & modeſtis alimentis, numeroque diminuto, quod ſupereſt vel in egenos præſertim Nobiliores, vel in Reip. communiſque boni vſus conuertere. Iniiciet ſpero Deus mentem hanc aliquando noſtris principibus, vt eorum opera ex innumerabilibus pſeudomonachis, monachorumque laruis, ſaltem aliquos veros monachos habeamus.

b *Conſtit. Imperatoris in Alexio c. 10.*

XCI. Dixi de abuſibus ex bonis tẽporalibus eccleſiæ, ac oſtendi ſanctiones eccleſiaſticas, imo ipſaſmet Apoſtolicas traditiones, circa vſum oblationum & bonorum eccleſiaſticorum iam penitus exoleuiſſe, eaſque contemptui haberi: hoc vero ipſum deplorauit etiam Baronius: cui interdum lux clara effulſit: licet ſæpius dilexerit magis tenebras quam lucem: Verba ipſius ſunt. c *Hæc autem in Eccleſia Dei inoleuiſſe iam ſuperius deploratum eſt* (loquitur de bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatione) *dolemus rem tantam negligi, vel inuolucro aliorum prætextuum prætermitti. Vnde mihi facile perſuadeo, hac potiſſimum cauſa Dei Eccleſiam aſſiduis atteri malis: Etenim* d *propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* e *Cognoui enim (dicam cum Propheta) quia faciet Dominus iudicium inopis & vindictam pauperum.*] Hæc ille.

c *Baro. tom. ſexto an. 494. n. 25.*
d *Pſ. 11. 6.*
e *Pſ. 139. 13.*

XCII. Ad noſtrum verò documentum ſimul ac terrorem his addo verba etiam Epiſcoporum aliquot Galliæ, ad Regem Ludouicum ita inter alia ſcribentium. f *Sed & ſacri Canones, Spiritu S. dictante, eos qui facultates eccleſiaſticas diripiunt, & res eccleſiaſticas indebite ſibi vſurpant, Iudæ traditori Chriſti ſimiles computant. Et ſancti qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, Diuino iudicio, tanquam necatores pauperum ab eccleſiæ liminibus, & cæleſtis regni ſecludunt. De quibus ſacrilegis in prophetico pſalmo dictum eſt:* g *Qui dixerunt, Hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, & ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes; ita perſequeris illos in tempeſtate tua & in ira tua turbabis eos: Imple facies eorum ignominia.*] Quæ multo magis quam in laicos vſurpatores quadrant in eccleſiaſticos proprietarios, & bonorum eccleſiaſticorum auidos deuoratores. Ac propterea expediens probabiliter cenſet Gerſonius, h ſi eccleſia abiiceret iſtas iuriſdictiones ſaltem in magna parte, & bona temporalia: *quæ,* inquit, *reddiderunt eccleſiam totam brutalem & carnalem, & nihil fere ſapientem de his quæ Dei ſunt, erga ſalutem animarum: non ex ſe quidem, ſed abutentium vitio.*] Hæc de abuſibus tam Clericorum quam Monachorum. Dicam ſeorſim capite nono de abuſibus Romanæ Curiæ. Videamus nunc ſub cuius poteſtate ſint bona Eccleſiarum.

f *Apud Baron. tom. 9. an. 858. n. 32.*
g *Pſ. 82. 13.*
h *Gerſon. de Concil. generali vnius obed.*

CAPVT VI.

Penes quem ſit bonorum Eccleſiaſticorum Dominium & Adminiſtratio.

SVMMA CAPITIS.

Quæſtio de dominio bonorum temporalium Eccleſiaſticorum proponitur n.1. Auguſtinus quid in hoc genere ſenſerit, & docuerit. n 2.3.4.

Dominii variæ acceptiones præſertim in fidei commiſſis num. 5.6.7. & in rebus vſu conſumptibilibus. n 8.9.10.

Dominium bonorum Eccleſiaſticorum eſt penes eccleſiam. n.11.12. Vſus tamen ad ſolos indigentes reſtringitur. n 13.

Principibus ſuum dominium reſeruatur. n.14. Sed Papæ negatur. n.15.

De bonis Franciſcanorum concertatio tota ponitur, & dirimitur. n.16.17.18.19.

Proprietas Chriſti & Apoſtolorum in bona, quibus alebantur. n 20.

Adminiſtratio bonorum eccleſiæ penes Epiſcopos præcipua. n.21. ad à n 26.

Dictum Leonis decimi reiicitur, & Gregorii locus explicatur. n.27.

Oeconomi tamen Epiſcopis adiungendi, n 28.29.30.

Alienatio bonorum eccleſiaſticorum ex cauſa licet, & eſt in Epiſcoporum poteſtate: immerito vero Papæ ad ſe ſolos eam poteſtatem attraxerunt, à n 31. ad fin. cap.

I. *a Caietan. 22.q.3.ar.8 b Nauar. tract. de reddit. eccl. q.1. monit. 40. & Sarmient. eod. tract. par.1. c.1. & par.4 c.6.* CERTANT plurimum noſtri ſiue *a* Scholaſtici, ſiue *b* Canoniſtæ ſuper Dominio rerum eccleſiaſticarum. Alij pauperes faciunt Dominos: alij Clericos: alij eccleſiam vniuerſalem; alij eccleſias particulares: alij Epiſcopos; alij Papam; alij Chriſtum. Hanc ego controuerſiam antequam aggrediar, ponam quid ſenſerit Auguſtinus de hoc Dominio. Mox ex ipſo, & fundamentis à me præcedentibus capitibus præiactis, facillime & clariſſime vt ſpero ſoluam hanc de Dominio quæſtionem.

II. *c Auguſt. tract 6. in Ioan.* Conquerebantur aliquando Donatiſtæ Eccleſiaſtici, ablatas ſibi eſſe ab Eccleſiaſticis Catholicis, Villas & fundos, quos ipſorum Eccleſiæ iam poſſederant. Eorum querelæ ſunt huiuſmodi, *c Villas noſtras tulerunt; Fundos noſtros tulerunt.*] proferebantque teſtamenta hominum, *Ecce,* inquiunt, *vbi Caius eis donauit fundum Eccleſiæ, cui præerat Fauſtinus.*] Interrogat Auguſtinus: *Cuius Epiſcopus erat Fauſtinus? Eccleſiæ? Quid eſt Eccleſia? Eccleſiæ dixi, cui præerat Fauſtinus. Sed non Eccleſiæ præerat Fauſtinus; ſed parti præerat. Columba autem Eccleſia eſt. Quid clamas? non deuorabimus Villas: columba illas habeat. Quæratur quæ ſit columba, & ipſa habeat: nam noſtis fratres mei, quia Villæ iſtæ non ſunt Auguſtini.*] In hac Auguſtini reſponſione, ſeu ratiocinatione, illum ego ſenſum, ni fallor, inuenio. Caius quidam, qui eccleſiaſticum fundũ colebat, ceſſerat eundẽ fundũ Donatiſtis. Eripuerunt eũ illis Catholici, lege etiã Imperiali, quę Hæreticos ſiue Schiſmaticos, eccleſiaſticas terras poſſidere vetabat, vt habebat ibidem Auguſtinus. Ereptionem hanc vt iuſtam defendit Auguſtinus. & docet fundos Eccleſiæ donatos, non eſſe vllius Eccleſiæ particularis, ſed totius Eccleſiæ catholicæ & vniuerſalis: Nam Eccleſia particularis poteſt contingere, vt non ſit columba: hoc eſt, vera Catholica, quod iam contigerat Eccleſiis Donatiſtarum. Cum ergo fundi illi veræ Eccleſiæ catholicæ donati, erepti fuerint eccleſiis falſis, quæ nõ eſſent columba, vt à vera catholica Eccleſia, veraque columba poſſiderentur, quæcunque illa eſſet, iuſtitia ſeruatur, quia quando donati ſunt à pijs fidelibus, non illi particulari Eccleſiæ ſunt donati, ſed eccleſiæ. Particularis enim Eccleſia, cuius Epiſcopus erat Fauſtinus, non eſt Eccleſia, ſed pars eccleſiæ: at fundi illi erant Eccleſiæ, nõ partis eccleſiæ. Quæratur ergo vera eccleſia, & ſi fundi ſunt in illa, in quacunque ipſius parte ſint, iuſte ab illa poſſidebantur: atque ita ſi vna particularis eccleſia, in qua ſunt fundi, ceſſat eſſe columba, fundi debent tranſire ad aliam, quæ ſit columba. *quia non huic eccleſiæ, ſed eccleſiæ ſunt donati.* Quicunque igitur donat particulari eccleſiæ fundum, puta Carthaginenſi, vel Hipponenſi, &c. Is ex mente Auguſtini non donat illum eccleſiæ illi, quia eſt Carthaginenſis vel Hipponenſis ſed quia eſt eccleſia; ac propterea, ſi non ſit amplius eccleſia, fundus non erit ipſius, ſed alterius, quæ ſit vera eccleſia & columba. Hanc vero eſſe mentem Auguſtini ſatis cõfirmo ex alio ipſius loco.

III. *d Aug. de oper. monach. c.25.* Docebat monachos debere manibus laborare ad victum ſibi comparandum: *d* ſi tamen aliqui ditiores relicta, vel diſtributa opulenta facultate, inter pauperes Chriſti, pia & ſalubri humilitate numerari voluerint, ſi corpore valerent, non cogit quidem illos, ſed plurimum cupit vt & ipſi laborent, quamuis ex donatis Monaſterio & iam factis communibus, par ſit, vt ipſi vel maxime ſuſtententur. *Nec attendendum eſt* inquit, *in quibus monaſteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus quiſque id quod habebat impenderit: omnium enim Chriſtianorum vna Reſpublica eſt. Etideo quiſquis Chriſtianis neceſſaria vbilibet erogauerit, vndecunque etiam ipſe quod ſibi neceſſarium eſt accipit, de Chriſti bonis accepit? qui & vbicunque ipſe talibus dedit, quis niſi Chriſtus accepit?* Si quis igitur in Africa ſua bona in pauperes diſtribuit, & pauper Chriſto ſeruiat, is in Italia, & vbique ius habet, ex bonis eccleſiaſticis viuendi: quia ſubſtantias ſuas non eccleſiæ Africanæ, ſed eccleſię donauit: Eccleſia autem vna & eadem eſt vbique. Neque turberis

ſi primo

ñ primo loco eccleſiam totam fecit donata accipere: hic vero omnia Chriſto donari, & à Chriſto accipi aſſerat, nam in Auguſtino præſertim, Chriſtus & eccleſia, non ſunt duo, neque res diuerſæ. ſed res vna & vnum corpus: Eccleſia membra, Chriſtus caput: & a *Chriſtum totum dicit eſſe eccleſiam cum Chriſto, corpus cum capite.*

a Aug. de vnit. eccl. c.4.

IV. Si quod ergo dominiũ in bona eccleſiis donata, quæcunque illa ſint ſiue ſtabilia, ſiue mobilia, agnouit Auguſt. illud certe voluit eſſe penes columbam; h.e. penes totam veram Chriſti eccleſiam, ſeu penes Chriſtum Dominum; quia qui eccleſiæ donat, id facit amore & intuitu Chriſti, & eccleſia ſimul cum Chriſto, vt dixi, ſunt vnicũ corpus myſticum, membra cum capite. Ac merito ſane Auguſt. dominium hoc ponit in eccleſia, quia communiſſima intentio donantium eſt, vt eccleſia Chriſti inde proficiat, & ad totius eccleſiæ bonum, ac commodum bona temporalia donata pertineãt, ac inſeruiant. Nec male ſe Auguſt. recipit ad totã eccleſiam vniuerſalẽ, non ad particularem, in caſu tamẽ ſolius defectionis, quia particularis deficere poteſt, ita vt non ſit amplius Chriſti, ſed ſathanæ; at vniuerſalis nunquã poteſt deficere: & qui donat, donat Chriſto in gratiam eccleſiæ, & non ſynagogæ ſathanæ. Conſentiunt fere omnes tam b Theologi, quam c Canoniſtæ melioris notæ: ſed Auguſt. vnus nobis inſtar omnium eſſe deberet.

b Ca. ri 22. q.4 3 er.8. c Nauar. de redit. eccl. q.1 mon.40.

V. Obſerua tamen in dominio multas latere æquiuocationes, multas difficultates, & perplexitates, quas tamen Iuriſtæ pepererunt; & ſunt nominales potius quam reales & metaphyſicæ, quam phyſicę. Ego vero, vt rem breuiter abſoluã, & aditum mihi amplũ ad præſentẽ quæſtionẽ aperiam; Dominiũ conſidero in via phyſica & naturali, non in grammaticali, aut metaphyſica, aut legali. Non cõſidero, ſit ne dominiũ idẽ quod ius, neq; ſit ne relatio an res poſſeſſa, an poſſeſſor. Ego Dominiũ verum & propriũ phyſice intelligo alicuius in rem aliquã, quando is poteſt de illa re iure diſponere pro ſuo arbitrio, eaq; libere vti quomodocunq; placuerit; nimirũ tam ad ſuum, quam ad alienũ comodum, illa frui, illam vſufructuare, vendere, donare, permutare, alienare, etiã ad vſus profanos, negligere, diſtrahere, dilapidare, abijcere, diſperdere, cõſumere, & alio modo illa ſiue vti, ſiue abuti, vt placuerit; abſque vlla alicuius iniuria, quantum eſt ex parte iuſtitiæ: excluſis nunc aliis virtutibus, debitis legib. aut obligationibus. Quicunq; igitur iure ſuo nõ poteſt rẽ pro libito diſtrahere, tã bono, quã malo vſu, tam pio & ſacro, quã profano; etiam ſi velit illam totã, abſq; vllius beneficio perdere, illum ego verum & propriũ dominiũ in illã habere nunquã cõceſſero.

VI. Solet tamẽ inter homines, iure præſertim ciuili, dari dominiũ quoddam reſtrictum, & conditionatum; vt quis rẽ tanquã dominus poſſideat, ea tamẽ conditione, vt integrã ſeruet; teneaturq; ſuo tempore illam integram alteri conſignare. quale dominiũ dant Legiſtæ fideicomiſſariis, & vſufructuariis: quia alioqui res huiuſmodi domino carere viderentur, quod eſt abſurdum. Ego tamen dominiũ in his non niſi æquiuoce intelligo; adeſt enim nomen dominij: ſed res ipſa & poteſtas veri dominii nulla adeſt. Sunt enim bona fideicomiſſa vere & proprie bona cuiuſdã cõmunitatis. qualia ſunt multa in natura: aliqua totius humanę naturę: alia alterius ſtrictioris & anguſtioris cõmunitatis. Aer enim, aqua, maris & fluminum, viæ publicæ, fora & fortaſſe tẽpla, aues, feræ, piſces, &c. antequã capiantur. Horũ enim fere omniũ dominiũ verũ eſt penes totã naturam humanã, iuxta illud; d *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. e Dominamini piſcibus, &c.* Quemadmodum igitur homo quiſq; habet vſum ſimplicẽ aeris, quẽ ſpirat, & in quo locum occupat, & nõ dominiũ, ita fideicomiſſarius vsũ ſolũ ſeu vſumfructũ habet boni fidei ſuę comiſſi, nõ dominiũ. Et ſi perpetua atq; nunquã deſitura ſit ſanguinis ſucceſſio, bonũ hoc in perpetuũ carebit vero domino particulari; ſicut in perpetuum aer illo caret. Si vero tandẽ ſucceſſio ſanguinis in vno vltimo ſtet, vlterius nõ progreſſura, ille iam vltimus ſit verus, & proprius rei fidei commiſſæ dominus: quod eſt per accidens.

d Pſ. 8 7. e Gen. 1.28

VII. *Sed neq; ſequitur, rem hanc poſſe à quoquã occupari: ſiquidẽ vero domino carere videatur*: Nam neq; ſequitur, aut publicas vias, aut fora, aut templa, aut flumina, &c. eſſe occupãtis, quia ſicut dominiũ horũ eſt penes totam naturã humanam, ita vt penes particulares eſſe nõ poſſit, ita bonum fideicomiſſum habet pro vero domino totam illam poſteritatem, & deſcendentiam particularẽ, vt propterea nullus particularis, etiã ex illa deſcendentia, niſi ſit vltimus, poſſit illud occupare. Atq; in his fideicomiſſis bonis, quamuis in particularẽ nullũ transferatur dominiũ à primo domino illa fidei cõmittente, transfertur tamẽ verũ, & propriũ atq; plenum dominiũ in totam illam poſteritatem ſimul ſumptam. Ac proinde ſi poſſent ſimul eſſe omnes quotquot ſunt ex illo deſcenſuri, illi profecto vnitim poſſent de illo bono libere diſponere, & in illud plenum dominium exercere, vt patet, quia vltimus ſucceſſor, cum totam in ſe ſolo claudat poſteritatem, ſit pleniſſime dominus.

VIII. Obſerua itẽ in rebus, quæ ſunt ſui vſu conſumptibiles, f *dominium, & vſum nõ eſſe diſtincta, ita vt poſſit eſſe ſeorſim dominiũ & ſeorſim eiuſdẽ rei vſus.* Qui enim mihi egeno donat panem, vel alium cibũ, vt ipſum comedam, vſus ipſe ſolus dum illum ego conſumo comedendo, aufert donatori totum dominium in illum panẽ, quamuis ea ſolã conditione mihi illum donauerit, vt ipſius ſolum vſum haberem. Atq; in his vſu cõſumptibilibus, quorũ vſus ſolus donatur à Domino, fruſtra quæritur dominiũ, quia neq; eſt apud dominũ qui donauit, res. n. conſumpta cum non ſit amplius, in eam nemo habet dominiũ neq; apud illũ cui donata eſt, quia ſolus vſus ei datus eſt, ac propterea pauper cui diues donat panẽ pro ſolo vſu, i.e. vt comedat, neq; intendit transferre in eum cum vſu etiã dominiũ plenũ, quod ipſe habebat in illũ panẽ, non poteſt illum vendere; & ſi panẽ illum venderet, & non ad ſuccurrendũ ſibi in ſuis neceſſitatibus, ſed ad negotiandũ, vel ludendũ, vel fornicandũ, &c iſte reuera, dum relicto vſu dominiũ arripit, quod in ipſum tranſlatum nõ eſt, rem iniuſtã facit, & fraudat ac furatur, ſi rem cõſiderare velimus cum rigore & diues ille iuſte poſſet repetere ab illo paupere ſuum panẽ, ſiquidem vſum tantum ipſius ei conceſſerat, nõ verũ dominium; & quamuis ſi vſu fuiſſet panis ille conſumptus, etiam dominiũ diues amiſiſſet, id tamen fuiſſet ex accidenti, & ex neceſſariã quadam ſequela, quia res conſumpta non eſt amplius in eſſe: dum autem panis ille manet in eſſe, vel in ſe, vel in ſuo æquiualente, diutius dominium in illum perſeuerat. Planum hoc facile ſit ex Religioſis cum vera paupertate in communi viuentibus, abdicata prorſus omni proprietate. g Hi enim habent ſolum vſum rerum, quibus ſiue aluntur, ſiue veſtiuntur, dominium non habent: Iccirco neq; veſtes poſſunt vendere, neq; cibos, aut donare, aut quocunq; modo alienare, citra crimen proprietatis, & furti: Quia ſolum vſum habent, & nullũ dominium: & in rigore tenentur commu-

f Extrauag. ad con. 1 torem. de verbor. ſign.

g Nauar. de red. eccl. q.1. mon.10. & Sotus de Iuſt. & iur. l.4. q.1 ar.1.

communitati reſtituere, quicquid lucri inde conſequerentur. Idem eſt in ſeruis.

IX. Quæcunque igitur olim donabantur Eccleſiæ, quia ad ſolum vſum donabantur, vſu conſumptibilia eſſe cenſebantur; etiamſi de ſuo genere illa eſſent vſu etiam ſubſiſtentia, vt ſuntpræ

a Act. 4.34 dia, & poſſeſſiones. *Has enim a vendebant domini earum, & precia ante pedes Apoſtolorum ponebant*, vt illa ſtatim pro neceſſitatibus fidelium vſu conſumerentur. Neque ego vllum obſeruo diſcrimen, ſi Dominus poſſeſſionis, ipſe illam vendat, & precium donet Eccleſiæ, vt vſu conſumptibile; an vero poſſeſſionem ipſam donet, ſeu potius conſignet eccleſiæ, ad hoc vt ipſa eccleſia illam vendat, & pretium vſu conſumat. Quamuis enim venditio ſupponat dominium, Eccleſia tamen non vendidiſſet tanquam domina rei venditæ; ſed eam, nomine & auctoritate domini, rem ſuam eccleſiæ ea conditione conſignantis, vt illa ſtatim vendatur, & precium vſu conſumatur, tanquam ipſius procuratrix & executrix, vendidiſſet ac diſtraxiſſet. Ac proinde neque Dominus ſuum Dominium in Eccleſiam tranſtuliſſet: niſi eo modo quo dominium rerum vſu conſumptibilium, vt cum rei conſumptione etiam ipſum conſumatur, aliquo modo transferri intelligitur) neque eccleſia verum dominium acquiſiuiſſet.

X. Cœpit poſtea eccleſia prædia ipſa retinere: & quod Apoſtoli, Apoſtolicique viri nunquam facere voluerunt, iam paulatim introductum, factumque eſt in eccleſiis: profecto contra Apoſtolicam, hoc eſt à Chriſto, & ſpiritu ipſius habitam inſtitutionem: vnde etiam tot mala in eccleſiam irrepſerunt: vt lib. 6. cap. 8. & hoc lib. 9. cap. 5. præcedenti conſideraui. Ac proinde Principes pij, ac viri potentes, bona quidem fide, & bona intentione, ſed quæ peſſimum ſit ſortita effectum, eccleſias fundarunt, dotarunt, & ditarunt. Proculdubio abſolute & libere bona eis donantes, non amplius vt vſu conſumptibilia; ſed expreſſe etiam vt retinerentur; & poſſeſſiones ipſæ ac prædia conſeruarentur. Iam igitur poſtquam retinere cœpit eccleſia huiuſmodi poſſeſſiones, negare non poſſum eccleſiæ dominium in hæc bona, quorum dominium verum transferri video, donantium volũtate, in ipſam eccleſiam. Et dum dico in eccleſiam, intelligo cum Auguſtino non Epiſcopos, non Prælatos alios, nõ ſacerdotum Collegia, non Eccleſiaſticos ſolos, ſed totum cœtum fidelium: primum quidem & immediate particularium Eccleſiarum. Ac profecto à dominis donantibus dominium in totam eccleſiam aliquam particularem; hoc eſt in ipſum totum fidelium cœtum illius eccleſiæ transferri planum eſt: quia intentio eorum omnium eſt vt bona hæc vſui communiſſimo eccleſiaſtico inſeruiant, vt oſtendi cap. 4. & in eccleſiaſticis hominibus eccleſia ipſa nunquam cognouit aliam poteſtatem, quam meræ & ſimplicis adminiſtrationis, vt oſtendam cap. 8.

XI. Bona itaque hæc eccleſiaſtica ſunt bona communitatis, & dominium ipſorum eſt penes totam communitatem illam particularem, quatenus eſt communitas ſpiritualis, & eccleſiaſtica, non temporalis: & non ſunt fidei commiſſa, ſed ſimpliciter

b Caiet. 2.2. q. 43. ar. 8. & Opuſc. pro. c. 9. ad 1. communia vt bene explicat *b* Caietanus, quæ tamen tota communitas, tam diuitum quam pauperum ſimul ſumpta, vt facit vnicum corpus vnius eccleſiæ, ſeu potius vnicum membrum totius eccleſiæ, quæ eſt vna & vniuerſalis, ita eſt prima & immediata domina ſuorum bonorum, vt, citra caſum vniuerſalis totius eccleſiæ neceſſitatis, licet illa pars tantum ſit & membrum, vera tamen & abſolute domina ſit vnaquæque ſuæ partis bonorum: & vniuerſalis eccleſia dominium particulare exercere non poteſt in bona particularium eccleſiarũ, niſi in ſola neceſſitate, aut magna opportunitate totius eccleſiæ vniuerſalis. Quia eccleſia vniuerſalis nõ habet niſi dominiũ vniuerſale, particulares vero habent dominium particulare. Exempli gratia, ſi tota eccleſia vniuerſalis, in aliquo Concilio vniuerſali ſtatueret bello defendere, & tueri aliquas Eccleſias per infideles oppreſſas, poſſet ſingulis eccleſiis præcipere expenſarum contributionem, etiam per alicuius prædij, aut poſſeſſionis alienationem. Poteſt ſimiliter Eccleſia vniuerſalis corrigere eccleſias particulares circa vſum vel abuſum ſuorum bonorum: legeque vniuerſali eundem vſum moderari: & ſimilia.

Dominium porro hoc, ſiue particulare particularis communitatis, ſiue vniuerſale totius eccleſiæ in bona temporalia, non eſt ſummum illud, & abſolutiſſimum dominium, quale deſcripſi ſupra n. 5. Sed eſt dominium in aliqua parte conditionatum; nimirum; vt non poſſit eccleſia bona hæc diſtrahere, extra bonum vſum pium ac eccleſiaſticum, nec dilapidare: non enim poteſt hæc bona aut hoſtibus fidei, ad oppugnandam fidem donare, aut inde lupanaria erigere; & ſimilibus turpibus ac profanis vſibus, etiam alioquin de ſe non illicitis, neque prohibitis, applicare. Et hoc reſtringit non pauca ipſius Dominia: nam abſolutum dominium etiam hæc omnia poteſt, quantum eſt ex parte dominij: & ſi aliis legibus quis ab his actibus dominij cohibeatur, & reprimatur, poterit quidem contra has leges peccare ſi fecerit, contra iuſtitiam tamen non peccabit, dum ſua, & non aliena re abutitur, actu aliũde malo ſeu prohibito Eccleſia vero his actibus; ſi ad profana tantum re ſibi donata vteretur, nullo prorſus pio vſu, neque ſaltem reductiue & mediate adhibito, ea tunc rem alienam, non ſuam diſtraheret; & re aliena, non ſua vteretur. Vt ſi prædium donaret hiſtrioni, propter ſolam voluptatem vanam, quam percipiunt fideles ex illius profana arte. peccaret non modo peccato ſcandali, aliove ſimili, ſed etiam contra iuſtitiam: quia rem ſuam non donaret, ſed alienam, contra voluntatem Domini; cuius intentio, quando Eccleſiæ donauit, fuit transferre in eccleſiam dominium conditionatum, ad ſolos bonos & pios vſus; non ad mere & ſimpliciter profanos vt conſtat toto cap. 4. huius libri: bona enim eccleſiæ donata, perpetuo à ſanctis Patribus vocantur patrimonia pauperum, & eorum vſus in eccleſia eſt determinatiſſimus, non liber. Si vero donauerit prædium illud eccleſia eidem hiſtrioni, ad hoc vt ceſſet à mala & turpi obſcœnaque arte, ne corrumpat bonos mores fidelium, etiamſi ad profanum vſum tranſeat illud prædium, (nam ille hiſtrio homo laicus eſt, in re vlla pia ac ſacra nunquam inſeruiturus, imo etiam ponamus illum diuitem, & non egentem) adhuc tamen donatio hæc vſum pium continebit, & eccleſiaſticum, ſaltem mediate, & reductiue, licet ad eleemoſynam reduci non poſſit, quia redimitur ſalus multarum animarum, quas ille arte illa ſua hiſtrionica perdebat. Hinc fit vt Dominium eccleſiæ ſit pene abſolutum: quia vix credibile putatur eccleſiam ad abuſos illos profanos ſimpliciter vnquam peruenturam, ad quos ſolos dominium ipſi omnino negandum puto, vt explica-

caui,& paulo poſt vbi agam de poteſtate alienandi bona eccleſiæ, vlterius explicabo.

XIII. Ponimus vero in eccleſia, hoc eſt in tota communitate ſiue particulari particulate, ſiue vniuerſali vniuerſale dominiũ diſpoſitiuum, vſum tamen horum bonorũ ſubſiſtentium non eſſe communitatis, niſi in ſolis egentibus, ex dictis à nobis c.4 facile conſtat. In communitate tamen tota, ius eſt etiam vtendi iſtis bonis, ſeu eorum fructibus, quatenus quoties quiſque ex illa ad inopiam venerit, ex his debeat adiumẽta accipere, & ei de iure hæc adiumenta debẽtur, dummodo primo loco eccleſiæ, & earum miniſtri ſuſtẽtentur. Atque hinc eſt quod bona hæc patrimonia pauperũ paſſim vocentur & huc reſpexerunt illi, qui dominium bonorum eccleſiaſticorum penes pauperes repoſuerunt: quia licet totus integer fidelium cœtus ſit horum bonorum dominus, quoad poſſeſſionẽ, quoad vſum tamen illa ſolà pars huius cœtus his bonis fruitur, quæ pauper eſt, & indigens: nam & miniſtri vt his fruantur, pauperes eſſe debent vt docui cap.1.

XIV. Hæc tamen omnia, quæ dixi de dominio eccleſiæ intelligi debent citra præiudicium dominij publici proprij Principum, in omnia bona terrena & temporalia exceptis decimis, vt docui in præcedẽtibus. Ille enim Ambroſius qui dixit, *a Agros eccleſiæ, ſi vult Imperator tollat; poteſtatem enim habet vindicandorum:* dixit etiam, *b Nihil eccleſia ſibi niſi fidẽ poſſidet: hos redditus præbet, hos fructus: Poſſeſſio eccleſiæ ſumptus eſt egenorum.*] Dominium enim verum Ambroſius in Principe potius agnoſcebat: cuius beneficio, vſum duntaxat agrorum ad alimenta pauperũ, ad beneplacitum Principis retinebat. Nihil, *inquit*, eccleſia poſſidet, niſi fidem. Vera enim dominia fidei tantũ ẽſt, quæ eſt ipſius propria, & nulli ſubſtat poteſtati temporali: non ſic agri. Ideoque eccleſiam agrorũ veram & plenam dominam Ambroſius non agnoſcebat. Addo vero, præter hoc publicum dominij ius, Principes etiam maximam habere circa bona eccleſiaſtica temporalia autoritatẽ: Quia totũ ſuum populum repræſentant, & ſunt naturales eiuſdem populi, ac vniuerſales ordinarii protectores, & procuratores. Cum itaq; dominium horum bonorum ſit penes totum populũ fidelẽ, vt nunc traditũ eſt, n.10 11. neque poſſit populus iuſte à quoquam (excepta cauſa publica) hoc dominio ſpoliari: ſicut populi eſt bona hæc conſeruare, quippe ſua, & eorum bonæ adminiſtrationi inuigilare, ita Princeps vice ſui populi hoc idem ius habet pleniſſimũ. Vnde ſi malam videt adminiſtrationem, cum populus non poſſit facile congregari, & de hac re tota communitas vix poſſit tractare, ſane ipſe, qui illius plene vices gerit poteſt, & debet occurrere, & malam corrigere adminiſtrationem.

a Ambr. orat. in Auxent. ep.32.
b idem ep. 31.

XV. Sileant itaque illi Canoniſtæ, c qui Papam faciunt abſolutum dominum omnium bonorum eccleſiaſticorum; Nam neq; Papa id prætendit, quod nimia adulatio ei tribuit, neque ratio iam explicata ſuadet, neq; d Theologi id tolerare poſſunt, neq; e Canones ipſi, & f Canoniſtæ meliores, quia ſolã adminiſtrationem, & diſpenſationem iuſtam Papæ tribuunt, de qua nos inf. c.8. diſputabimus. *Sed dices, Si dominium harum rerum eſt penes Chriſtum, cur Papa eius Vicarius non exercebit nomine & vice Chriſti tale dominium?* Reſpõdeo, Chriſtum vt Deum eſſe dominum vniuerſi, & poſſe dare atque auferre dominia omnia publica & priuata laica & eccleſiaſtica vt libet. In hac tamen poteſtate diuina non habet Vicarium in terris; ſed in ſola poteſtate regendi eccleſiã in ſpiritualibus vt docui lib.6, c.1. Chriſtus vero vt homo & caput eccleſiæ, loquendo de dominio nõ vniuerſali & diuino, ſed de particulari & humano, aſſequitur quidẽ dominiũ, ſed ſimul cum eccleſia, quæ ipſius nomine, & in ipſius honorem atq; cultũ ad vſum tantum piũ accipit bona quæ offeruntur. Vicarij itaq; Chriſti nihil amplius habent niſi vſum eundẽ, & ſolam adminiſtrationem, atq; diſpenſationẽ. Et, ſi Epiſcopi, vel Oeconomi alij q; beneficiati ius habent litigandi, & actionẽ contra vſurpatores, id non ſignificat dominium, ſed procurationem & tutelã. Quamuis & in hoc eccleſiaſtici non parũ peccent, ſi omiſſis exercitiis ſpiritualib. ad hæc temporalia cõſeruanda nimium operæ collocent. Sane Gregor. anxietatem ad conſeruanda temporalia in Epiſcopo plurimum g reprehendit.

c Felin. in c. qua eccleſiarum de Conſtit.
d Aquin. cum Caiet. 2.2. q.100. ar.1. ad 7
e 12. q 2 6. non liceat.
f Nauar. de ſpol. ... § 2.

g Greg. l.7. in dict.3. ep.8.

XVI. Ex his etiã ſedari facile poterunt magnæ dimicationes, quæ aliquando eccleſiã non parum turbarunt, circa dominium veſtium, cibariorũ, & ſupellectilis mendicantium Franciſcanorũ, quorum regula reſpuit quodcunq; etiam in cõmuni dominium. Cõtrouerſia vero hæc à Theologis ſuſcitata, ad Rom. Pontifices peruenit, atque inter ipſos diu agitata eſt; non ſine diſſidiis, & turbis amarioribus. Nicolaus enim III. data publica conſtitutione, ſtatuit, decreuit, ac definiuit, *h ſummã dicti ordinis paupertatem, excluſa omni prorſus proprietate rerum, nõ modo in particulari à ſingulis, ſed etiam in communi ab vniuerſis fratribus, eſſe laudabilem, bonã & approbandam:* Non deerant etenim, qui illud vitæ genus indiſcretum, temerariũ, & reprobandum omnino ducerent, ac cõtra ipſum ordinẽ plurimum murmurarent; cui ad cõgruã i ſuſtentationẽ redditus aut poſſeſſiones (vt loquitur Gregor. X.) habere profeſſio ſiue regula quælibet, interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas. Horum k oppugnatores fuerunt olim Guliel. de ſancto amore: Gyraldus de Abbatis Villa, Armacanus, Wicleffus, & alii. Quod ſane inſtitutum, ſi Clericorum ſit, & nõ monachorũ, merito approbari poſſe ego ſupra docui. Eſt enim Apoſtolicũ inſtitutũ, vt dierim viuant Chriſti miniſtri ex decimis, & piorũ oblationibus; Nam & Chriſtus Dn. talem vitam duxit, qui ſolo vſu neceſſariorũ excepto, nihil proprii vnquã poſſedit, ſiue in particulari, ſiue in communi. *l Filius hominis,* inquit, *non habet, vbi reclinet caput ſuum:* hoc eſt non habet domum propriam, ſed vtitur alienis hoſpitiis: quia & *m mulieres miniſtrabant ei de facultatibus ſuis:* Inter has vero etiam n mater ipſius, quæ vocatur Maria Iacobi, numeratur; vt libro ſecundo explicaui. Sed cum dicat Chriſtus, ſe non habere vbi reclinet caput ſuum, colligo ipſum noluiſſe proprietatem etiam bonorum maternorum, ſed ab eà illa accepiſſe eleemoſynæ nomine, ſicut & ab aliis illis mulieribus ſuſtentationis ſuæ adiumenta. Quod vero haberet penes ſuos diſcipulos loculos, nullum arguit verum dominium, neque in communi, quia ſolum vſum habebat illarum pecuniarum, quas ad ſolum ſuſtentationis vſum in communi accipiebat. Sane Hieronymus, & paupertatem Chriſti magnam colligit ex eo, quod non habuerit vnde o didrachmum ſolueret, vt miraculo piſcis ei vtendum fuerit: & pecuniam communem, quæ erat in loculis, propriam facere illum noluiſſe. *p Rem enim pauperum*, inquit Hieronymus, *in vſus ſuos conuertere nefas putauit.* In vſu vero conſumptibilibus dominium non poſſe verum quæri, aut aſſignari, iam docui. Ex quo patet vanam & prorſus ocioſam eſſe diſputationem de voto paupertatis Apoſtolorum: vt inf. n.20.

h c. Exiit de Verb. ſignif. in 6.
i c. Religionum de religioſis domib. in 6. § conſi-ma-r. 5.
k Apud Bellar. de monachis l 2. c.45.
l Luc. 9.58.
m Luc. 8.3.
n Ioan. 1.1. Matth. 27. 56. Mar. 15. 40.
o Matt. 17. 27.
p Hier. in Matt. c. 17.

Nicolaus

XVII. Nicolaus itaque merito approbat tale mendicantium (dummodo ſint veri miniſtri Chriſti & Euangelij) inſtitutum. Quo approbato addit definitionem illius dubii: ſi inſtitutum hoc omne à ſe dominium abdicat, etiam in communi; cuiuſnam illud erit quoad res familiares, vtenſilia, libros, & alia huiuſmodi? Aitque; *Non eſſe perſonam, in quam loco Dei congruentius harum rerum Dominium illarum donator & oblator (ſi ſecus non exprimat) intentione ſua transferat, quam ſit ſedes Apoſtolica, vel perſona Romani Pontificis, Chriſti vicarii, qui pater eſt omnium, & fratrum minorum nihilominus ſpecialiter: ne talium*, inquit, *rerum ſub incerto videatur eſſe dominium.*] Atque hinc definit & ſtatuit, hæc omnia, quoad dominium, ad Romanam Eccleſiam pertinere. Pecuniam vero ſi qua offerretur, (ſiquidem pecuniam omnem regula illa reſpuit) ad dominium offerentium perpetuo ſpectare. Domorum etiam, quas inhabitant, dominium, eos perpetuo retinere, qui domos illas conceſſerunt, vel ædificarunt, exceptis eccleſiis, & cœmeterijs. idem ferme confirmauit poſtea etiam *a* Clemens V. Contra hos Pontifices poſtea ſurrexit Ioannes XXII. & tribus *b* conſtitutionbus eos in hoc oppugnauit: concedens non ſolum vſum, ſed etiam dominium rerum vſu conſumptibilium ipſi ordini: nolens pro ſe, aut pro Romana eccleſia, in huiuſmodi vtenſilia, & ſupellectilem vllum habere dominium. Imo ſi quod haberet, illud totum à ſe atque à ſua ſede abdicat, ac ipſi ordini cedit, putat enim in talibus nō poſſe dominium ab vſu ſeparari.

a Clemen. Exiui de Paradiſo, de Relig. do.
b Extrauag. Ad conditorem. Cum inter nonnullos. & Quia quorundam de verb. ſign.

XVIII. Concertationes tamen huiuſmodi ex iis, quæ ſunt à me nunc poſita & declarata, tolli poſſunt facile, & componi. Nam vſu conſumptibilia ſunt, non modo quæ ſtatim vnico vſu conſumuntur, vt panis, vinum, pecunia, & ſimilia, ſed etiam alia quæ longiori vſu adhuc ſubſiſtunt, vt veſtes, libri, vtenſilia, ac reliqua domeſtica ſupellex. In his igitur nō eſt cur quiſquam dominium ſeparet ab vſu; nam vſu ipſo & res conſumitur vel ſtatim, vel paulatim, & ſimul ipſius dominium. Eſt vero per accidens quod aliquæ ex his rebus diu durent, vtputa patinæ ſtanneæ, ollæ æreæ, ahena, dolia lapidea, & ſimilia: ſemper enim inter res ſuapte natura vſu conſumptibiles reponentur. Et ſic horum nullum erit verum dominium in ordine Franciſcano; Hæc enim vſui ſunt, non certis indiuiduis, cum proprietate eorum, ſed ordini ipſi, hoc eſt ſucceſſiue etiam in infinitum, ſi res infinito duraret tempore, Religioſis ipſis, continuata ſucceſſione. Domus etiam, & Eccleſiæ, cum poſſint & ipſæ inter bona vſu conſumptibilia, eadem ratione, reponi, nec in illis verum dominium ab vſu videtur ſeparandum. Quod ſi tamen velis, & domos & eccleſias & vtenſilia lapidea, vel ænea, aliaque durabilia, inter res ſubſiſtentes, & vſu nequaquam conſumptibiles numerare, cum illa ſint Franciſcanis donata, vel ex donationibus coempta, & præparata, intuitu Chriſti eccleſię, cum Franciſcani conuentus, hoc eſt communitas illa illius Religionis, ſe omni abdicet vero dominio, harum rerum dominium erit penes reliquam illorum locorum eccleſiam; hoc eſt penes totam illam eccleſiaſticam communitatem: ita dico de pecunia. Cum enim illa Religio ne vſum quidem numeratæ pecuniæ admittat, pecunia illa ad reliquam pertinebit, de iure, illius loci eccleſiam: & conſequenter per eccleſiaſticos adminiſtratores illius eccleſiæ, vſu vero eccleſiaſtico, iuxta donantium intentionem, eſſet conſumenda. Ac proinde Nicolaus, abſque vllo legitimo fundamento, Dominium ad ſedem ſuam Apoſtolicam trahebat: ſingulæ enim Eccleſiæ Dominium acquirunt in omnia bona, quę à piis fidelibus, intuitu eccleſiæ donantur. Et eccleſia vniuerſalis, quæ non eſt Eccleſia Romana, vt ſuis locis docui, habet dominium duntaxat vniuerſale; quo, in certis tantum vniuerſalibus cauſis, poteſt vti.

XIX. Quando itaque Nicolaus negabat dominium in hæc bona Franciſcanis, negabat merito verum dominiū, quod penes illos nō eſt, ſi ab vſu ſeparetur; ſed penes totam illam eccleſiam particularem vbi illi degunt. Ioannes vero XXII. quando concedebat ipſi Religioni dominiū, concedebat illud, non verum, & ab vſu diſtinctum, ſed ſimul cum vſu, & vſui coniunctum: Cenſebat enim hæc bona omnia, ſuapte natura, eſſe vſu cōſumptibilia: quod non poteſt omnino impugnari: omnia enim vtenſilia, & domus etiam ipſæ, tandem vſu conſumuntur. In eo tamen Nicolaus nō bene ſentiebat, quod nudum & merum vſum, quem vocat facti, concedebat Franciſcanis: hoc eſt, vt res illas non poſſent vendere, donare, permutare, &c. Sed tāquam meri & ſimplices vſuarij illis vti deberent. Melius vero Ioannes XXII. hos omnes actus Religioni illi, etiamſi dominium verum à ſe abdicet Regula illa, concedebat: quos actus, citra verum Dominium, fieri poſſe cognoſcebat, ſolo vſu quem vocant iuris. In quo ſane vſu, neque ipſe agnoſco verum Dominium: quia vſus etiam ſimplex prout à vero dominio diſtinguitur, late patet: Poſſum enim ego meum panē donare egeno alicui pro ſolo vſu, vt ſtatim illum comedat, & conſumat, nullumque prorſus ne minimū quidem in eum transferre dominium erga dictum panem, niſi illud, quod ab vſu non diſtinguitur, ſed ſimul in ipſo vſu conſumitur & perit: & hunc vocant, *vſum facti*, quem olim concedebat Nicolaus Franciſcanis. Poſſum etiam donare panem meum illi egeno, vt, ſi vult, poſſit etiam illum vendere, & ex precio ſuis aliis neceſſitatibus occurrere, alioque modo de illo, vt libet, diſponere, & alios actus dominij in illo pane exercere, & hunc vocant, *Vſum iuris*. Ac ne ſic quidem vere & proprie panis ille exit ex natura rei vſu conſumptibilis; ſed quia multiplex vſus ipſius eſſe poteſt, vſus iuris ſe extendit ad omnem ſimpliciter vſum, vbi vſus facti ad vnicum reſtringitur. Ac proinde omnes illi actus, vendendi, permutandi, pro precio vel ſtipendio dandi, mutuandi, &c. ſunt meri vſus, quibus res illa conſumitur, & non procedunt à vero dominio, aut ſi tandem adeſt dominium aliquod imperfectum, & conditionatum, de quo ſupr. n 12. merito Ioannes XXII. actus hoſce quaſi dominij, regulæ Franciſcanorum concedebat, abſque præiudicio perfectiſſimæ illius, quam profitetur, paupertatis, qua Dominium quodcunque, etiam in cōmuni, ab illa religione abdicatur. Vſus enim ille iuris non eſt ſine dominio aliquo imperfecto; Verum tamen dominium & abſolutum in hoc vſu non reperitur; Quia tandem mobilia illa ſunt ſemper vſu, ſiue facti, ſiue iuris, conſumptibilia.

XX. Hinc etiam facile ſoluitur difficultas, *An ſit hæreticum negare Chriſto & Apoſtolis omne prorſus rerum dominium, tam in priuato quam in communi; qua nimis anxium habuit eundem c Ioannem XXII.* Quæſtionem vero hanc ego puto de facto, non de iure excitari. Quis enim & cur neget, & Chriſtum, & Apoſtolos fuiſſe capaces dominii rerum, cuius quicunque homo, præſertim liber, ſua natura capax eſt? neque vlla neceſſitate cogimur votum paupertatis in

c Extrau. Cum inter nonnullos. & Quia quorundam.

Christo vel Apoſtolis excogitare: nam abſque voto ipſi per ſe impedimenta omnia liberæ prædicationis ſponte & voluntarie remouebant. De facto vero planum eſt, Chriſtum Dominum ſimul cum ſuis Apoſtolis in communi *a loculos habuiſſe, in quibus, quæ mittebantur, portabantur:* tane pro communi vſu ipſorum & etiam pro aliorum pauperũ ſubuentione. Vnde & ipſi Apoſtoli, auditis illis verbis à Chriſto Iudæ œconomo communi dictis; *b Quod facis, fac citius,* putabant eiuſum eſſe, *Emit ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis vt aliquid daret.*] Et Hieron. vt vidimus ſupr n. 16. pecuniam quæ in his loculis erat, rem vocat pauperum, quam in alios particulares vſus conuertere Chriſtus ipſe nefas putauerit. Erant igitur illa omnia vſu cõſumptibilia: neq; in his dominium extat vllum verum ab vſu ſeparatum: Vſus tamen erat amplius, & iuris, & non reſtrictus ad vſum ſolum facti: In quo vſu iuris aderat etiam dominium aliquod conditionatum, & imperfectũ, quod ſummæ paupertati non repugnat, quia tandem vſus hic omnis in ijs ſiſtit quæ ſunt vſu conſumptibilia. Si itaq; verum, & perfectum dominium in Chriſto & Apoſtolis poſuit Ioannes 22. Hæreſiſq; contrariam aſſertionem condemnauit, merito habuit Theologos multos contradictores, & ipſius definitionis impugnatores, vt ipſemet c fatetur: Pecuniæ etenim illius, ſi ab vſu ſepares eius dominium, id erat penes eccleſiæ communitatem ad vſum pauperum, vt Hieronym. aſſerebat; Tale n. dominium Chriſtus, & Apoſtoli à ſe prorſus abdicarunt. Quod ſi hoc dũtaxat qualecunq; conditionatum, & imperfectum dominiũ in vſu iuris poſitum in Chriſto & Apoſtolis ſtabiliuit, definitio ipſius reprehendi iure non poteſt. Et hæc eſt vera ſolutio harum difficultatum, quibus d inuoluti noſtri curant plurimum, neque ſibi ipſis poſſunt ſatisfacere.

a Io. 12. 6.
b Io. 13. 29.
c Extrauag. Quia nonnulli. 8.
d Nauar. de re... Eccleſ. q. 1. mo. 15.

XXI. Dominium itaque plenum (non tamen ad profana) rerum omnium eccleſiaſticarum, ſiue immobilium, ſiue etiã mobilium ſubſiſtentium, & quarũ ſubſtantia perſeuerat, vſuq; ſtatim non conſumuntur, eſt penes eccleſiã, & in tota fidelium communitate, & conſequenter ſicut omnia alia bona communia temporalia, debent ſub alicuius certa cura eſſe. Iam igitur quærimus penes quẽ debeat eſſe horum cõmunium eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratio: ac proinde inquirendũ eſt, cuinã eccleſia ipſa initio à Chriſto per Apoſtolos erecta, imo & cõtinuatis temporibus dederit, ſaltem tacite detq; horum bonorum regimen & adminiſtrationem. Ac ſtatim nobis occurrit prima facies primæ eccleſiæ Apoſtolicæ Hieroſolymitanæ: quæ prima, tanquã eccleſia vna, & particularis, eſt in mundo formata, & cõſtituta; proculdubio exẽplar cæterarũ omniũ, poſt illam fundatarum, quod enim in ea Apoſtoli omnes ſimul cõiuncti, cum proprio ipſius Epiſcopo Iacobo, & cum reliquis presbyteris, circa regimen eccleſiaſticũ ſtatuerunt, id profectò illius inſtructione ſtatuerunt, qui dixerat eis; *e Ego mitto promiſſum Patris mei in vos: Vos autem ſedete hic in ciuitate, quoad uſq; induamini virtute ex alto.* Et, *f Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Qui ergo ab Apoſtolorũ diſcedit inſtructione, ab illis data eccleſiæ; is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus merito eſt dicendus. Legimus itaque in Actis Apoſtolorum, cum primum cæperunt fideles bona ſua temporalia ad eccleſiã deferre, vt ſimul omnes in cõmuni viuerent, eos *g ad pedes Apoſtolorum pretia ſuorum agrorũ à ſe venditorum in gratiam totius eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis expoſuiſſe,* vt ipſi Apoſtoli curam & adminiſtrationem talium ſuſciperent; quam & ipſi ſuſceperunt; Eorum enim & iudicio, & opera ſingulis, prout cuiq; opus erat. Vnde & aiunt ipſi, *h Non eſt æquũ nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Miniſtrabant ergo illi ipſi, ad quorum pedes oblationes ponebantur, vt ſub ipſorum poteſtate eſſet earũ diſtributio. Sed id cum ipſis impedimento eſſet ad verbũ Dei prædicandum, voluerunt curam hanc miniſtrandi temporalia in diaconos, tunc primum ad hoc ab ipſis electos, & inſtitutos, deferri: ita tamen, vt ipſi Apoſtoli, vt præcipui adminiſtratores modum diuidẽdi præſcriberent: Diaconi vero eſſent executores, & oblationum acceptatores, ac cuſtodes, & mox diuiſores. Hanc primam temporalium adminiſtrationẽ ſecuta eſt poſtea perpetuo eccleſia per multa ſæcula: nam eorundem Apoſtolorũ adhuc temporibus Epiſcopi curam præcipuam in hac rerum diſpenſatione exercebant: Illud enim Paulus Timotheo Epiſcopo præſcribit, *i Vt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina:* & loquitur de copioſioribus k alimentis. (Parce enim ſubminiſtrabantur) vt curaret abundantius ſubueniri ijs presbyteris, qui magis in presbyterali officio laborarent. Apoſtolis vero in omni officio ſucceſſiſſe Epiſcopos planum eſt.

e Luc. 24. 49.
f Io. 16. 13.
g Act. 2. & 4.
h Act. 6. 2.
i 1. Tim. 5. 17.
k Chryſoſt. hom. 5. in 1. Tim.

Apoſtolorum vt fertur Canon eſt, *l omnium rerum eccleſiaſticarum Epiſcopus curam gerat, & eas adminiſtret, tanquam Deo intuente. Ne liceat autem ex eis aliquid ſibi vendicare, vel propriis cognatis quæ Dei ſunt largiri. Si autem ſunt pauperes, vt pauperibus ſuppeditet: ſed non eorum prætextu vendat quæ ſunt Eccleſiæ.*] Hunc Canonem vti Canonem Apoſtolicum citat ſeptima m Synodus generalis. Inter Apoſtolorum qui dicuntur Canones, alius etiam ponitur his verbis; *n Præcipimus vt in poteſtate ſua Epiſcopus eccleſiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere: ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per presbyteros & diaconos, & cum timore, omniq; ſolicitudine miniſtrentur. Ex ijs autem quibus indiget, ſi tamen indiget, ad ſuas neceſſitates, & ad peregrinorum fratrum vſus, ipſe percipiat, vt nihil ei poſſit omnino deeſſe. Lex enim Dei præcipit, vt qui altari deſeruiunt, de altari paſcantur, quia nec miles ſtipendiis propriis contra hoſtes arma ſuſtulit.*] Iidem etiam Apoſtoli in conſtitutionibus, quas Clemẽs dicitur ſcripſiſſe, ita loquuntur. *o Epiſcopi imitatores Chriſti vos eſſe oportet, mites quietos,—non inanes ſumptus facientes, non delicatos, non ſumptuoſos, non tanquam alienis, ſed tanquam propriis Dei donis vtentes, tãquam bonos diſpenſatores factos, tanquam eos, à quibus Dominus rationem eſt poſtulaturus.— Quæ ex decimis & primitiis ſecundum mandatum Dei dantur, vt Dei homo Epiſcopus conſumat: voluntaria quæ occaſione pauperum offeruntur, recte diſpenſet orphanis, viduis, afflictis, & peregrinis egentibus, vt qui habet Deum harum rerum rationem ab eo repoſcentem, qui hanc diſpenſationem illi commiſit.*

XXII.
l Canon. Apoſtolor. 39.
m Septima Synod. gen. c. 12.
n Can. Apoſt. 41.
o Conſtit. Apoſt. l. 2. c. 28. 29.

XXIII. Concilia vero ſæpiſſime eandem præcipuam adminiſtrationem Epiſcopis vel contulerunt, vel ab Apoſtolis etiam collatam agnouerunt & repetierunt; Gangrenſe adhuc ſub Syluestro, vel paulo poſt: *p Si quis dederit,* inquit, *vel acceperit oblata, præter Epiſcopum, vel eum, qui conſtitutus eſt ab eo, ad diſpenſandam miſericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema ſit.*] Antiochenum ſub Iulio ita ſtatuit, *q Quæcunq; res eccleſiæ ſunt, bene debent cum omni diligentia & bona fide ſeruari: illa ſcilicet fide quæ Deo ſeruatur omnia prouidenti, atque iudicanti: eaſq; gubernari & diſpenſari oportet cum iudicio & poteſtate Epiſcopi, cui totius plebis animæ videntur eſſe commiſſæ.* Item, *r Epiſcopus*

p Concil. Gangr. can. 8.
q Concil. Antioch. c. 24.
r Idem c. 25.

pus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem, ad diſpen-
ſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reuerentia,
& timore Dei. Participet autem & ipſe, quibus indiget, ſi
tamen indiget, tam in ſuis, quam in fratrum, qui ab eo ſu-
ſcipiuntur, neceſſariis vſibus profuturis.] Aurelianenſe
a Concil. Aurel.1. c.17. primum: a *De his, quæ Parochiis in terris, vineis, manci-
piis, atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquo-
rum Canonum ſtatuta ſeruentur, vt omnia in Epiſcopi po-
teſtate conſiſtant.*] Aruernēſe vt eſt decerptum ex co-
b 12 Concil. poſt C8. cil. Aruer. dice antiquo librorum ibid. ex lib.3.c.14. b *Licitum
ſit*, inquit *Epiſcopis præſentibus, presbyteris & diaconis, de
theſauro Eccleſiæ familiæ, & pauperibus eius eccleſiæ, ſecun-
dum canonicam inſtitutionem, iuxta quod indiguerint,
erogare.*] Toletanum quartum, c *Nouerint iuxta ca-*
c Concil. Tol. 4. can. 32. *nonum inſtituta, ſicut eccleſiam, ita & dotem eius ad ordi-
nationē Epiſcopi pertinere.*] Aurelianenſe quartum, d
d Concil. Aurel.4. c.5. *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus col-
latæ fuerint Baſilicis in ciuitatibus conſtitutis, ad pote-
ſtatem Epiſcopi redigantur, & in eius ſit arbitrio quid ad
reparationem Baſilicæ, aut obſeruantium ibi ſubſtantiam
deputetur.*] Cabilonenſe ſecundum, e *Decretum eſt,*
e 10.q.1.c. Decretum eſt. *vt omnes Eccleſiæ cum dotibus ſuis, & decimis, & omni-
bus ſuis, in Epiſcopi poteſtate conſiſtant, atque ad ordina-
tionem ſuam ſemper pertineant.*] Moguntinum ſub
f Concil. Mogunt. c.8 Carolo Magno, f *Vt Epiſcopi poteſtatem habeant res
eccleſiaſticas prouidere, regere, gubernare, atque diſpenſa-
re, ſecundum Canonum autoritatem volumus.*] Turo-
g Concil. Turon.3. c.10. nenſis tertia Synodus ſub eodem g *Epiſcopi quidem
maximam curam & ſollicitudinem circa pauperes ha-
beant, & res eccleſiaſticas eccleſiis collatas tanta circum-
ſpectione diſpenſent, quaſi Dei miniſtri, non quaſi turpis
lucri ſectatores: illiſque ita vtantur non vt propriis, ſed
vt ſibi ad diſpenſandum commiſſis.*] Aquiſgranenſe al-
terum ſub Ludouico Imperatore, à me ſupra ca-
pite quarto prolatum, *Epiſcopum cognoſcit verum ac
proprium rerum eccleſiaſticarum diſpenſatorem; à Domi-
noque res ipſas Epiſcopo commiſſas aſſerit.* Moguntina
Synodus ſub Rabano repetit Canonem prioris
Synodi modo recenſitum, & addit alium nimi-
h Syn. Mog. c.7.10. rum: h *Volumus, vt decimæ, quæ ſingulis dantur eccle-
ſiis, per conſulta Epiſcoporum, à presbyteris, ad vſus eccle-
ſiæ & pauperum, ſumma diligentia, diſpenſentur.*] Vor-
matienſe Concilium eos redarguit eccleſiarum
fundatores & dotatores, qui putabant eas non eſ-
i Concil. Vormat. 6. ſe ſub Epiſcopi poteſtate; & ita concludit. i *Ergo
omnia, ſecundum conſtitutionem antiquam, iura eccleſia-
rum, ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant.*]
k 16.q.1. c. Nulli. In Concilio Leonis quarti illud habemus. k *Epiſco-
pus cum optimus ſit perſpector ita proſpiciat, vt vniuerſæ ſibi
oues commiſſæ à ſe maxime alantur, atque in neceſſitatibus
adiuuentur.*] Faſtidio & mihi & lectori ſim, ſi velim
omnia cócilia perquirere, & enumerare, ac referre.

XXIV. Romani Pontifices priſci, Epiſcopos rerum ec-
cleſiaſticarum, veros, & proprios, ac primarios ad-
miniſtratores agnouerunt. Vrbanus, quicunque il-
l 12.q.1.c. Videntes. le ſit, l *Ipſæ vero res*, inquit, *in ditione ſingularum Paro-
chiarum Epiſcoporum, qui locum tenent Apoſtolorum, erant
& ſunt vſq; adhuc, & futuris ſemper debent eſſe tempori-
bus.*] Sed ei moderni Romani Pontifices non ſub-
ſcribunt. Gelaſius tamen redditus omnes eccleſia-
m 12.q 2.c. Vulterana ſticos iubet ad Epiſcopum loci deferri: m *Ita*, in-
quit, *vt penſiones annuas ad Pontificem deferatis: cui pri-
uilegia ſua integra conuenit omni ratione ſeruari, vt eius
n 16.q.3.c. Præſulum. diſpenſatione portiones proueniant conſuetæ.*] Item, n
*Præſulum noſtrorum autoritas emanauit, vt facultates ec-
cleſiæ, Epiſcopi ad regendum habeant poteſtatem.*] At nunc
priuilegia noſtra omnia, omniſque prioris Eccle-
ſiæ autoritas, peſſum ierunt; & ſunt à Romanis Pō-
o 16 q.7.c. Nullus. tificibus cóculcatæ. Calixtus o *Nullus*, inquit, *omni-
no Archidiaconus, aut Archipresbyter, ſiue Præpoſitus,
vel Diaconus animarum curam, vel præbendas eccleſiæ,
ſine iudicio; vel conſenſu Epiſcopi, alicui tribuat, imo ſicut
ſanctis Canonibus conſtitutum eſt, animarum cura, &
pecuniarum eccleſiaſticarum diſpenſatio, in Epiſcopi iu-
dicio & poteſtate permaneat. Si quis vero contra hoc fa-
cere, aut poteſtatem quæ ad Epiſcopum pertinet, ſibi ven-
dicare præſumpſerit, ab eccleſiæ liminibus arceatur.*] Nico-
laus II. p *Præcipimus*, ait, *vt decimæ, & primitiæ, ſeu ob-* p 16.q.1 c. Præcip.
*lationes viuorum & mortuorū eccleſiis Dei fideliter reddan-
tur à Laicis: Et vt in diſpoſitione Epiſcoporum ſint: quas qui
retinuerint, à S. Eccleſiæ cōmunione ſeparentur.*] Gregor.
VII. poſtquam decimas dari præcepit, ſubinfert; q q 16.q.1. Decimas
*Has vero decimas ſub manu Epiſcopi fore cēſemus; vt ille qui
cæteris præeſt, omnib. iuſte diſtribuat.* Quid vero Patres? Primo.

Cyprianus gratulatus fratribus, qui non erant XXV.
paſſi ſe à ſchiſmatico Feliciſſimo, ſeduci, ſed ei re-
ſtiterant: r *Vt cum eccleſia matre*, inquit, *remane-* r Cypr l.5.
rent: & ſtipendia eius, Epiſcopo diſpenſante, percipe- ep.7.
rent.] Auguſtinus, *Bona eccleſiaſtica*, s *ſi pauperum*, in- s Aug. ep.50
quit, *compauperes ſumus, & noſtra ſunt, & illorum: Si* ad Boniſ.
*autem priuatim quæ nobis ſufficienter poſſidemus, non ſunt
illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodam-
modo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damna-
bili vendicamus.*] Se procuratorem fatetur paupe-
rum, quia bona eorum vſibus deſtinata, admini-
ſtrat. Et alibi. t *Inde paſco*, inquit, *vnde paſcor, mini-* t Aug. l. 50. hom.25.
*ſter ſum, paterfamilias non ſum; inde vobis appono, vn-
de & ego viuo. De theſauro Domini, de epulis illius pa-
tris familias, qui propter nos u pauper factus eſt, cum diues* u 2.Cor 8,9
eſſet, vt eius paupertate nos ditaremur.] Etſi enim de pa-
ne ſpirituali verbi metaphorice loquitur, ex offi-
cio tamen ipſius diſtribuendi etiam panem cor-
poralem, ſumit exemplum & metaphoram, quia
Epiſcopus ex bonis communibus, quæ ſunt Chri-
ſti, hoc eſt eccleſiæ, & paſcitur ipſe, & pauperes
paſcit. Eſtque miniſter ſ unis, hoc eſt adminiſtra-
tor, ſeu procurator, non paterfamilias, nec Domi-
nus. Et in libro de vita Heremitica, vt vidimus
ſupra capite quarto, numero octauo huius libri;
*Epiſcopos dicit, & ſacerdotes, ac clericos, oblationes fide-
lium diſpenſandas ſuſcipere, & non recondendas, ſed ero-
gandas.* Proſper, x *Non propria ſunt*, inquit, *ſed com-* x 12 q 2.c.
munes Eccleſiæ facultates: & ideo quiſquis omnibus quæ Expedit.
*habuit dimiſſis aut venditis, fit rei ſuæ contemptor, cum
præpoſitus factus fuerit eccleſiæ, omnium quæ habet eccleſia
efficitur diſpenſator.*] Cyril. Alex. maximā cenſuit in-
iuriam fieri omnibus Epiſcopis, qui ſunt vbiq; ter-
rarum ſiqui Epiſcopi ab aliquo Epiſcopo diſpenſa-
tionis ſuę rationem exigant, y *Vnuſquiſq; enim noſtrū*, y Cyrill.
inquit, *dabit ſuorū malorum rationē cōmuni Iudici. Vaſa* ep. ...
enim precioſa, & poſſeſſiones immobiles oportet ſeruari Ec- ca.
*cleſiis; Epiſcopis autem qui tunc temporis diuinū ſacerdotiū
adminiſtrant incidentium ſumptuum diſpenſationē ſecure
credi.*] Ambr. & tot alij ſancti, niſi habuiſſent plenā
poteſtatem circa bonorū eccleſiaſticorū ſuę quiſq;
eccleſiæ adminiſtrationem, non cōflaſſent vaſa ec-
cleſiaſtica, eaq; in captiuorū redemptionē, aliaſue
egentiū neceſſitates diſtraxiſſent. Chryſo. vt patuit
cap. præced. maxime anxiam curā ſuſtinuit in hac
bonorū eccleſiæ adminiſtratione, & propter nimiā
occupationē, ſummopere cupiebat, vt laici hanc ſu-
ſciperent curam & adminiſtrationē, quo Epiſcopus
expeditior eſſet ad Epiſcopalia, h.e. ſpiritualia mu-
nera exercēda. Tunc vero hæc iam cura nobis Epi-
ſcopis eſt dulciſſima, & præ illa cæteras omnes cu-
ras Epiſcopales contemnimus, & abijcimus, vt in
illā vnā incumbamus: & non quidem vt inde pau-
peribus & noſtro Clero proſpectū velimus, ſed vt
nos abundemus, cum pompis & luxu viuamus, no-
bis & noſtris theſaurizemus, galeros purpureos ve-
nemur, & quę ſunt noſtra nō quæ Ieſu Chriſti, opi-
bus eccleſiaſticis adiuti quæramus,

XXVI. Epiſcopi igitur ſunt veri & proprii eccleſiaſtico rum bonorum adminiſtratores, cum pleniſſima ab eccleſiis ipſis conceſſa autoritate & poteſtate, ad vſus eccleſiaſticos iam explicatos: quam autoritatē & poteſtatem ex ipſamet adhuc Apoſtolica traditione, ſatis clare, vt arbitror, deduxi. Eam enim oſtendi in Apoſtolis cœpiſſe, & in ipſorum ſucceſſoribus perpetuo, abſq; vlla interruptione, iam inde ab Apoſtolorum temporibus vſque ad mille & plus annos perſeueraſſe. Adeo vt ſi non cum S. Scriptura, ſaltem cum certiſſima Apoſtolorum traditione pugnet, ſi quis ſublata hac Epiſcopi poteſtate & adminiſtratione, à quocunq; ſingulari homine independenti, eam ad ſe trahat, ſibiq; vſurpet. Poſſunt quidem de mala adminiſtratione epiſcopi vel à Synodis, vel à Metropolitanis ſuis, ac Primatibus, & Patriarchis & à Principibus regionum corripi, obiurgari, & puniri; & fortaſſe etiam, ſi incorrigibiles ſint, ita q; abutantur poteſtate, ſine ſpe emendationis, vſu talis poteſtatis priuari, ſed ſine grauiſſima cauſa, & ea egregie cognita, atque contra ſingulos errantes ventilata, mera erit tyrannis, contra Chriſtum & eccleſiam vt oſtendi, & infra fuſius diſputabo, adminiſtrationem hanc plenam & abſolutam Epiſcopis eripere, eaque vel in parte vel in toto velle eos ſpoliare.

XXVII. Neſciò itaque qua ratione defendi poſſit id, quod aſſerit Leo X. Concilio Lateranenſi, vt ipſe dicit, approbante, dum ait: *a Et cum fructuum Eccleſiarum Cathedralium & Metropolitanarum, Monaſteriorumque & aliorum quorumcunque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio & adminiſtratio ad nos, & Romanum pontificem pro tempore exiſtentem, & illos etiam qui eiuſmodi eccleſias, monaſteria, & beneficia iure & canonice obtinent, ſolum pertineant.—Statuimus, &c.*] Adiungit ſe Epiſcopis & beneficiariis: ſed quo iure prorſus ignoro: planeque cerno Epiſcopos in ſua quoſque Diœceſi, vt præcipuos plenariam habere dictorum redditum diſpoſitionem, & adminiſtrationem. Et hoc iam reddidi maniſeſtiſſimum. Niſi quis mihi Gregorium proferat de terris quibuſdam eccleſiaſticis *b* diſponentem. Sed illæ terræ erant ſpecialis iuris Romanæ eccleſiæ. De hac tamen poteſtate Papæ infra plura. Habes interim vnde rideas, & irrideas Innocentij ineptias, *c* Papam facientis primarium, & ſolum rerum omnium eccleſiaſticarum Adminiſtratorem: Reliquos vero non niſi ab eo habere, vt eccleſiaſtica bona adminiſtrent.

a Bulla re-formationis Cur. in Concil. Later. Seſſ. 9.

b Greg. l. 10. ep. 51.

c Apud Nauar. de ſpol. Cler. §. 10.

XXVIII. Sunt profecto Epiſcopi præcipui rerum eccleſiaſticarum adminiſtratores, non tamen ipſi per ſe immediate curam hanc debent exercere: *Non enim æquum eſt d nos derelinquere verbū Dei & miniſtrare menſis*: Et, *e qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Et merito Chryſoſtomus tantopere *f* abhorrebat à tali cura, qui tametſi haberet œconomos, & miniſtros, adhuc, tamē multas ex hac cura moleſtias ſibi quotidie ſorbendas eſſe animaduertebat. Vt tamen incommodum hoc, imo & periculum Epiſcoporum leuius eſſet, & regimen ſpirituale minus pateretur, eccleſia ab Apoſtolis edocta id remedij adhibendū cenſuit, vt per alios miniſtros cura temporalium, quoad opus & executionē, atq; cuſtodiam, actualemq; diſtributionem gereretur. Huc enim potiſſimum diaconorū officium inſtitutū fuiſſe docui l. 2. c. 4. Et epiſcopi ſæpiſſime monentur, vt ſuos habeant diſpenſatores. Hiero. ita monet; *g Sciat Epiſcopus cui commiſſa eſt eccleſia quem diſpenſationi pauperum curæq; præficiat.*] In Chalcedonenſi Concilio Canon eſt huiuſmodi, *h Quia in quibuſdam eccleſiis (ſicut ad nos peruenit) ſine œconomo Epiſcopi res eccleſiaſticas tractant, placuit omnes eccleſias Epiſcopos habentes, habere œconomū de proprio clero, qui gubernet eccleſiæ res, cum arbitrio ſui Epiſcopi, vt non ſine teſtimonio ſit gubernatio ipſarum rerum eccleſiaſticarum, & ex hoc deueniat diſpergi eiuſdem res eccleſiæ, & ſacerdotali dignitati obtrectatio generetur. Si vero quis non obſeruauerit hæc, diuinis ſubiaceat regulis.*] Spalenſe 2. propoſito ſibi Chalcedonenſi modo dicto decreto, addit: *i Si quis autem Epiſcopus poſt hac eccleſiaſticam rem, aut per laicalem procurationem adminiſtrandam elegerit, aut ſine teſtimonio œconomi gubernandam crediderit, vere vt contemptor Canonum, & fraudator eccleſiaſticarum rerum non ſolum in Chriſto de rebus pauperum iudicabitur reus, ſed etiam Concilio manebit obnoxius.*] Toletanum quartum idem præſcribit dicens: *k Eos quos œconomos Græci vocāt, hoc eſt, qui vice Epiſcoporum res Eccleſiaſticas tractant, ſicut ſancta Synodus Chalcedonenſis inſtituit, omnes Epiſcopos de proprio Clero ad regendas eccleſias habere oportet: quis autem deinceps contempſerit, obnoxius eiuſdem magni Concilii erit.*] Martinus Bracarenſis in ſua collectione, illud habet. *l Si autem res eccleſiaſticas Epiſcopus in ſuas voluntates vſurpare voluerit, & loca eccleſiæ, & fructus agrorum, non cum presbyterorum vel diaconorum conſilio contaminauerit, aut fratribus vel filiis vel quibuſcunque propinquis ſuis dederit poteſtatem, vt per eos latenter lædantur res eccleſiæ, hunc oportet obnoxium eſſe Concilio.*] In ſeptima Synodo generali poſitus eſt Canon huiuſmodi. *m Cum omnes diuinos Canones ſeruare teneamur, eum quoque qui iubet œconomos eſſe in eccleſiis illæſum omnino ſeruare debemus. Et ſi quidem vnuſquiſque Metropolitanus in ſua Eccleſia Oeconomum conſtituit, bene habet, ſin minus, Conſtantinopolitano Epiſcopo propria autoritate licebit œconomum in ſua Eccleſia præficere. Similiter & Metropolitanis, ſi qui eis ſubſunt Epiſcopi nolint in ſua Eccleſia œconomos conſtituere. Hoc ipſum autem ſeruari etiam in monaſteriis oportet.*] Iam vero antea Concilium Valentinum conſtituerat, *n Vt ſede Epiſcopali vacante, Metropolitanus, extra œconomum deputaret, qui Clericis ſtipendia diſpenſaret, & bona adminiſtraret, futuro Epiſcopo rationem redditurus.* Quod habet etiam *o* Gregorius, qui & mandat alibi, *p Vt Epiſcopus compellatur ſuæ Eccleſiæ œconomum (quem Vicedominum, & Maiorem domus vocat) inſtituere; datque poteſtatē Clero vt ſi Epiſcopus id negligat, ipſe prouideat.* Atque idem Gregorius *q* Anatolium diaconum, ſuum Vicedominum fecerat; cuius arbitrio Epiſcopium commiſerat diſponendum.

d Act. 6. 2.

e Eccl. 13. 1.

f Hoc lib. cap. 3. n. 13. 14.

g Hieron. ep. 2.

h Concil. Chalced. c. 26.

i Concil. Spalen. 2. c. 9.

k Concil. Tolet. 4. c. 47.

l Collect. Mart. Bracar. c. 16.

m 7. Synod. gen. can. 11.

n Concil. Valent. ſub Theoderico c. 2.

o Greg. l. 2. Ind. 11. ep. 22.

p Idem l. 9. ep. 66.

q Idem l. 1. ep. 11.

XXIX. Huc etiam facit præclara Bernardi admonitio Eugenio Papæ data, *r Vnus, inquit, omnibus facienda iniungat, & vni omnes reſpondeant. Tu illi habeas fidem, vacans tibi, & eccleſiæ Dei. Si quis minus aut fidelis inueniatur, aut prudens, fideli potius committendum, ſane è duobus tutius hoc, quanquam ſi idoneus non reperitur, & ſi minus fidelem ſuſtinere potius conſulo, quam te immergere labyrintho huic. Memēto ſaluatorem Iudā Oeconomum habuiſſe. Quid Epiſcopo turpius, quam incumbere ſupellectili, & ſubſtantiolæ ſuæ ſcrutari omnia, ſciſcitari de ſingulis, morderi ſuſpicionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam eiuſmodi ſcrutantium quotidie omnem ſubſtantiam ſuam, numerantium ſingula, de minutis, & quadrantibus, exigentium rationem. Non ita ille ſ Aegyptius, qui Ioſepho omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo ſua. Erubeſcat Chriſtianus, Chriſtiano ſua non credens. Homo ſine fide fidem tamen habuit ſeruo, ſuper omnia bona ſua conſtituens eum, & hic erat alienigena. Mira res, ſatis ſuperque ad manum habeat quibus ani-*

r Bern. de conſid. l. 4. c. 6.

ſ Gen. 39. 8.

mas credant, & cui ſuas committant ſacculatulas, non inueniunt? Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis, curam gerant. Sed vt liquido datur intelligi, patientius ſerimus Chriſti iacturam, quam noſtram, quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & continua dominici gregis detrimenta neſcimus; de pretio eſcarum, & numero panum, cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt; rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.—— Quæſo tu qui alios doces, doce te ipſum, ſi tamen iam non docuiſti, pluris te habere quam tua, tranſitoria iſta quæ ſtare tibi nullo pacto queunt, fac vt à te tranſeant, non per te. Riuus qua fluit cauat terram, ſic diſcurſus temporalium conſcientiam rodit. Si poteſt torrens in agros excurrere ſine læſione ſatorum, & tu te iſta ſine vulnere mentis poſſe tractare confidito. Omnimodis conſulo, ſtudeas auertere à te concurſum horum, multa neſcias, plurima diſſimules, nonnulla obliuiſcaris.] Sic ille ſane præclare.

XXX. Inſtruit vero Oeconomos Ambroſius his verbis; *a Plurima autem genera liberalitatis ſunt; non ſolum quotidiano ſumptu egentibus, quo vitam ſuam ſuſtinere poſſint diſponere, ac diſpenſare alimoniam: Verum etiam iis qui publice egere verecundantur, conſulere ac ſubuenire, quatenus communis egenorum alimonia non exhauriatur. De eo enim loquor qui præeſt alicui muneri, vt ſi officium ſacerdotis gerat, aut diſpenſatoris. vt de his ſuggerat Epiſcopo.*] Non putent igitur Oeconomi ſe eſſe præcipuos diſpenſatores, & liberos, qui pro ſuæ voluntatis arbitrio poſſint diſtribuenda diſtribuere, ſunt enim Epiſcoporum miniſtri, & ad nutum, ac diſpoſitionem ipſorum debent bona diſpenſare. Qui ſane Oeconomi cum ex ordine eccleſiaſtico ſumi debeant, vt Chalcedonenſe Concilium ſtatuebat, plerunque ex diaconis aſſumuntur. Hinc illud Origenis, *b Diaconi, qui non bene tractant eccleſiaſticarum pecuniarum menſas, ſed ſemper de eis fraudant, & ipſas quas diſpenſant non ſecundum iuſtitiam diſpenſant, & diuites fiunt de rebus pauperum, ipſi ſunt nummularii, pecuniarum menſas habentes, quas* CHRISTVS *euertit, & cætera*] Sed interdum etiam ex presbyteris, vt modo vidimus in Ambroſio, & legimus in Concilio Agathenſi *c Clerici*, inquit; *qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitii ſui meritum, per ordinationem Canonum à ſacerdotibus conſequantur.*] Iuſtinianus quoque Imperator Oeconomos Eccleſiarum inſtruit: *d Congruet*, inquit, *pro tempore ſanctiſſimum Patriarcham, & Reuerendiſſimos Oeconomos conſiderare, vt aliæ expenſæ quæ fiunt ex eccleſiaſticis redditibus circa pios erogentur vſus, & Deo placentes, & illis hæc miniſtrentur qui pro veritate egent, & non habent aliunde alimentorum occaſionem. Hæc enim Dominum Deum placat; & non patrociniis & ſtudiis hominum eccleſiaſticas expenſas hominibus locupletibus diſtribuant, vt inde inopes neceſſaria non mereantur.*] Intimatque ſtatim Oeconomis præter diuinum iudicium etiam ex propriis reſtitutionem.

a Ambr. offic. l. 2. c. 15.

b Orig. ho. 10. in Mat.

c 1. q. 2. c. Clerici.

d Nouella 3. c. 3.

XXXI. Adminiſtratorem bonorum eccleſiæ proprium & abſolutum cum plena autoritate fecimus Epiſcopum quenque in ſua diœceſi, ex quo ſequitur ipſum etiam habere plenam eodem iure, quo adminiſtratio hæc ad eum peruenit, poteſtatem, de rebus ipſis ſiue mobilibus, ſiue immobilibus nomine ſuæ Eccleſiæ diſponendi, ad bonum tamen vſum, quem iam capite 40. deſcripſi, & non ad abuſum. Quare eadem bona alienare, hoc eſt, vendere, permutare, donare, impignorare, &c. poterit Epiſcopus, dummodo inde eccleſiaſticus vſus eorundem bonorum, ſiue preciorum inde habitorum, iuxta ipſius piam prudentiam, emergat; neque in hoc (modo ne delinquat abuſu) poſſunt ei à quoquam manus ligari. Hanc enim ex Apoſtolica traditione cùm habeat, vt docui, poteſtatem; quis eam poterit impedire, ſeu ipſi auferre? Vt propterea e Polychronius Epiſcopus Hieroſolymitanus, ob Simoniacam labem de throno à Synodis deturbatus, in eundem thronum fuerit honorificentiſſime, iudicio Sixti III. & Valentiniani Auguſti, ac Synodi Romanæ reſtitutus: quia nimirum poſſeſſiones eccleſiaſticas, quæ ei in ipſius priuatione & deiectione ad vitam fuerant conceſſæ, vendiderat, atque in vſum pauperum erogarat. Itaque quod ei accuſatorum ipſius iudicio & aduiſu putabatur pœnas longe aucturum, id eum à priori pœna abſolutum, integra dignum effecit reſtitutione, quia rem maxime laudabilem, & eccleſiæ propriam geſſiſſe agnitus eſt, dum bona eccleſiæ ſibi ad vitam neceſſaria, in pauperum erogauit ſuſtentationem. Et quamuis acta hæc f Baronius non potuerit approbare, paſſim tamen admittuntur, & ſaltem factum hoc, etiam ſi confictum eſſet, ab omnibus laudatur, à nemine reprobatur. Atque hanc ipſam poteſtatem alienandi, quænam illa, & quatenus ab eccleſia conceſſa, reſtricta, vel moderationi ſubiecta ſit, eſt mihi iam explicandum.

e Sixti Synod. act.

f Baro. to. 5. an. 433. n. 5.

Incommodum ſane cenſuerunt Apoſtoli, vt ipſi, XXXII. ita etiam eorum ſucceſſores, relicta verbi Dei prædicatione, in temporalibus occuparentur, & curam manualem gererent diſtributionis oblationum: eccleſia vero poſtmodum non modo incommodum hoc in epiſcopis ſuis vidit, ſed etiam periculoſum prætereà eſſe cenſuit, ſi epiſcopi ſoli bonorum eccleſiæ haberent adminiſtrationem, vt vidimus, ne & ipſos auaritia iugularet, & clerus atque pauperes debitis ſibi ſubſidiis fraudarentur: at propterea œconomos eis cenſuit omnino eſſe addendos, vt iã explicaui. Quoniam tamen pro illa poteſtate quam epiſcopis iam tradidimus, etiam diſtrahendi & vendendi, atque alienandi, ad bonum vſum, bona eccleſiæ, ſiue mobilia, ſiue imobilia, facile obrepere poterat abuſus, ne Epiſcopus, vt nunc fit paſſim, propria ſola ſuorumue commoda huiuſmodi alienationibus, in graue Cleri, Eccleſiarum, & pauperum præiudiciũ ſectaretur, eadem Eccleſia ſolos Oeconomos ad remediũ non eſſe ſatis perſpiciens, illud addidit: vt ſi quando Epiſcopus rem aliquam, non vſu ordinario conſumendam, ſed alienandam eſſe pro neceſſitate, maioriue bono, cenſuerit, faciat id quidem, quandoquidem in ipſius poteſtate id ſtatũ ſit, ſed tamen ſemper adhibeat, vel Synodi epiſcopalis, vel ſaltem ſui Metropolitani, vel Cleri Concilium, & ſequatur aſſenſum. Ita enim ſtatuit primum omnium, quod obſeruare potuerim, Concilium vnicum Carthaginenſe, valde antiquum *g Similiter placuit, vt presbyteri, præter ſuorum Epiſcoporum ſententiam non vendant rem Eccleſiæ, in qua conſecrantur: quemadmodum neque Epiſcopis liceat prædia Eccleſiæ vendere, inſciente Synodo, vel propriis presbyteris. Ergo niſi adſit neceſſitas, neque Epiſcopo liceat de titulo eccleſiaſticæ matricis.*] Concilium poſtea quartum Carthaginenſe circa annum Domini 400. cui videtur interfuiſſe Auguſtinus, *h Irrita*, inquit, *erit donatio Epiſcoporum vel venditio, vel commutatio rei eccleſiaſticæ, abſque conniuentia & ſubſcriptione Clericorum.*] Paulo poſt Epiſcopi iidem Africani voluerunt haberi etiam conſenſum Synodi Prouincialis. Ita enim in Concilio quinto Carthaginenſi ſtatuerunt, *i Placuit etiam vt rem Eccleſiæ*

g Synodo vnge..., ad cap. Nullus 12. q. 2.

h C. Carthag. 4. c. 32. habetur 12. q. 2. c. ſine exceptione, & de his quæ fiunt à Prælat. ſine conſenſu. c. ...

i Conc. 5. Carth. c. 4.

nemo vendat, quodſi aliqua neceſſitas cogit hanc inſinuandam eſſe Primati Prouinciæ ipſius, vt cum ſtatuto numero Epiſcoporum, vtrum faciendum ſit, arbitretur. Quodſi tanta vrget neceſſitas eccleſiæ, vt non poſſit ante Primatem conſulere, ſaltem poſt factum curioſitatem habeat, & vicinis Epiſcopis hoc ante indicare, & ad Concilium referre cas ſuæ Eccleſiæ neceſſitatet. Quod ſi non fecerit reus Concilii venditor teneatur.]

XXXIII. Concilium ſane Agathenſe vicinum Carthaginenſi præcedenti, idem ſtatuit, priſcum Canonem
a Concil. innouãdo. Ait enim: *a Caſellas, vel mancipiola eccleſiæ,*
Agathen. *Epiſcopi (ſicut priſca Canonum præcepit auctoritas,) vel va-*
c.7. *ſa miniſterij, quaſi commendata fideli Præpoſito, iu integro eccleſiæ iure poſſideãt, id eſt, vt neq; vendere, neque per quoſcunq; contractus res vnde pauperes viuunt, alienare præſumant.*] Addit tamen: *Quod ſi neceſſitas certa compulerit, aut pro eccleſiæ augmento, aut neceſſitate, aut vtilitate vel vſufructu, vel indirecta venditione, aliquid diſtrahatur, apud duos vel tres Comprouinciales, vel vicinos Epiſcopos, cauſa; qua neceſſeſit vendi, primitus comprobetur, vt habita diſcuſſione ſacerdotali, eorum præſcriptione quæ facta fuerit venditio, roboretur: aliter facta venditio, vel tranſactio non valebit.*] Seruorum tamen eccleſiæ manumiſſionem, & donationem eis factam, ad certam moderatam quantitatem, etiam ſtabilium eccleſiaſticorum, nec non alienationem rerum minuſcularum, rata habet idem canon, etiamſi nullius conſilium vel aſſenſum Epiſcopus expetierit. Huiuſmodi igitur cautelæ, vt alienatio non fiat à ſolo Epiſcopo cum priſcis Canonibus dicantur impoſitæ; habemus ſtatim ab initio, cum primum eccleſia cœpit ſtabilia retinere, appoſitas fuiſſe, ad retinendos Epiſcopos in officio ne prætextu boni & neceſſarij vſus, ſe ipſos, vel ſuos ditarent, & in ſuã proprietatem bona eccleſiaſtica vſurparent, vt vidimus in Canone vnici Concilij Carthaginenſis n. præcedenti. Et quia Epiſcopi ſolebant terras eccleſiaſticas Clericis ipſis diſtribuere, & colendas tradere, quaſi in Emphyteuſim, quæ Precariæ dicuntur, in vita ipſorum Clericorum, impoſito ſæpe etiam Canone Eccleſiæ ſoluendo, iccirco hoc ipſum Concilium Agathenſe, & ſæpe alia, alienationem Clericis hiſce inhibuerunt, vt poſt eorum mortem, ſiue ad libitum Epiſcopi agri illi repeti poſſent, neque ex eccleſia egrederentur. Huc ſpectant huius Concilii Canones 22. 26. 49. 53. 54 59. quos fere
b 12.q.2. omnes Gratianus in ſuum tranſtulit *b* decretum. Et quamuis obliget Concilium hoc Epiſcopum, vt ſine conſilio & conſenſu ſynodi, ſeu aliquorum Epiſcoporum vicinorum, non alienet, libertatem ta-
c 12.q.2.c. men integram ei relinquit Canon 45. circa *c* terru-
terrulas. las, & vincolas, vt ſolus & per ſe, iuxta ſuam ordinariam poteſtatem, de ipſis diſponat. Intellige ad vſum tantum eccleſiaſticum, & non ad ſuam proprietatem, aut alium abuſum.

XXXIV. Sed & Græcorum orientales antiquæ Synodi, de alienatione bonorum idem præſcripſerunt: ex quibus Martinus Bracarenſis huiuſmodi collegit
d Collect. canonem: *d Si quis Epiſcopus, nulla eccleſiaſticæ rationis*
Mart. Brac. *neceſſitate compulſus, inſcio Clero, aut vbi forte non eſt pre-*
c.14. *ſbyter, de rebus eccleſiaſticis aliquid præſumpſerit vẽdere; & res ipſas eccleſiæ propria reſtaurare cogatur; & in iudicio Epiſcoporum deiiciatur auditus, & tanquam furti, aut latrocinii reus, ſuo priuetur honore.*] Epaunenſe præterea Concilium tempore Gelaſij, vetat Archipresbyteris & Abbaribus, ne vendant res eccleſiaſticas: *e*
e Concil. *Vt quicquid,* inquit, *ſine Epiſcoporum notitia venditum*
Epaun. c. 8. *fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi reuocetur.*] Ad Epiſcopi igitur voluntatem totam reducit vendendi res eccleſiaſticas poteſtatem, quamuis & de Epiſcopis hoc pacto ſtatuunt, *f Nullus Epiſcopus de rebus Eccleſiæ* f Ib.c.12.
ſuæ, ſine conſcientia metropolitani ſui, vendendi aliquid habeat poteſtatem: vtili tamen omnibus permutatione commiſſa.] Non aufertur hic vlla poteſtas Epiſcopo, ſed cautela additur, vt ſupra explicaui: & in commutationibus plena ei relinquitur, & abſoluta poteſtas. Sicut & poſtea in Concilio Lugdunenſi IV. quod ait, *g Non licet Epiſcopo vel Abbati terram vnius ec-* g De rebus
cleſiæ vertere ad aliam, quamuis ambæ in eius ſint poteſtate; eccl al en.
tamen ſi commutare voluerit terras earum, cum conſenſu c. Non licet.
ambarum partium faciat.]

Baſil. patricius, Regis Odoacris præfectus Prætorio, in eandem ſententiam Romæ vacante ſede XXXV.
Pontificali poſt Simplicium, congregata ſynodo Epiſcoporum, legem propoſuit, quæ Romanis Pontificibus prædiorum illius eccleſiæ alienationem inhibebat. Eam poſtea legem in ſe quidem bonam, ſed quæ cum non poſſet inter eccleſiaſticas leges cenſeri, quippe à laica lata poteſtate, vt libro ſexto *h* diſputaui, Symmachus in ſynodo Ro- h Sup. lib. 6.
mana, quæ ſub eo dicitur tertia, abrogauit. Et ni- cap.7. n.39.
hilominus ſtatim ipſe alienationem eandem Ro- 40.
manis Pontificibus inhibuit, eiuſmodi dato Canone: *i Sancimus, vt nulli Apoſtolicæ ſedis Præſuli à præ-* i Syn. Rom.3.
ſenti die (donec diſponente Domino Catholicæ fidei manſe- ſub Symma.
rit doctrina ſalutaris) liceat prædium ruſticum, quantæcunq; fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, ſub perpetua alienatione, vel cõmutatione ad cuiuslibet iura transferri: nec cuiuſquam excuſentur neceſſitatis obtentu, quippe cum non ſit perſonale quod loquimur: nec aliquis Clericorũ vel laicorum ſub hac occaſione accepta tueatur. Sed nec in vſufructuario iure aliquibus dare liceat, nec data retinere, præter Clericos & captiuos, atque peregrinos, ne mala tractationis miniſtretur occaſio, cum liberalitati illi alia itinera reſeruentur.] Eandem mox prohibitionem facit *k* presbyteris titularibus Romanis: *l* pœnaſque k Ibid. c.6.
apponit anathematis: & alienationes contra hoc l Ib. c.7.
præceptum factas, nullas declarat irritas & inanes: *m* Domorum tamen alienationem, quia ſine gra- m Ib. c.5.
uibus expenſis ſuſtentari nequeunt, in ſua prohibitione non includi declarauit. Atque vt hoc præceptum Romanos Pontifices in perpetuum obligaret, Canones hi in corpore iuris Canonici in Gratiani *n* Decreto ſunt repoſiti. Aduerte tamen Sym- n 12.q.2.c.
machum hanc prohibitionem ſolis Romanis Pon- Non liceat
tificibus & Clericis feciſſe, neque voluiſſe vt ad re- Papa.
liquas Romanæ metropolis Prouincias extenderetur. Habet enim cap. 6. hæc verba, *Cuius, Decreti Romanæ ciuitatis ſacerdotes volumus religioni nexibus deuinciri.*] Et addit in fine. *Huius autem conſtitutionis legem in Apoſtolica tantum volumus ſede ſeruari; Vniuerſis eccleſiis per Prouincias ſecundum animarum conſiderationem, quem propoſito religionis conuenire rectores earum viderint, more ſeruato.*] Fraudulenter igitur Gratianus Symmachi explicationem, ad contrarium ſenſum peruertit, vt canonem de ſingulari & particulari, faceret vniuerſalem. Symmachi Canonem ſecuti Patres Concilij Baſileenſis, *o* inhibuerunt Roma- o Concil.
nis Pontificibus, ne ciuitatem Auinionenſem alie- Baſileenſ.
narent. Ita & *Concilium Conſtantienſe p arctauit liber-* ſeſſ.27.
tatem Papæ, ne poſſet ſolus facere prorogationem, ſeu nouam p Concil.
connexionem Vicariatuum, Gubernationum, ſeu admini- Conſtant.
ſtrationum de Regnis, Prouinciis ciuitatibus, terris, caſtris, in confir-
& locis Romanæ eccleſiæ, niſi de conſilio & aſſenſu collegij mat. conſti.
Dominorum Cardinalium, eorum ſcrutatis votis, vel ſal- Imper. pro
tem per duas partes dicti Collegii, cum ipſorum ſubſcriptio- libert. eccl.
ne, in literis Apoſtolicis ſuper his expediendis: aliter nulla ſint in fin.
ipſo iure, &c.]

Canoniſtæ, vt video, paſſim ex hoc Canone XXXVI.
Symmachi in decreto authẽticato, abſque vlla ex-

 ceptione,

a Nauar. Comment. in c. Non liceat.

ceptione, *a* priuant Papā poteſtate res ſuæ eccleſiæ alienandi, cum tamen decretum hoc Symmachi nihil plus faciat, quam reliqua ante ipſum à me recenſita, imo & minus. Ea vero, iuxta meas iam datas explicationes, nulli Epiſcopo ſuam auferunt in hoc poteſtatem, ſed cautelas apponūt, vt ſine cauſa, & per abuſus, bona eccleſiaſtica non alienentur. Symmachus vero cum relinquat Epiſcopo poteſtatem alienandi in beneficium Clericorum, captiuorum, & peregrinorū; imo etiam *b* monaſteriorū, ſaltem quoad vſufructum, quis nō videt prohiberi tantum dilapidationem bonorū, & abuſum? Poteſtatem vero exercendi verum dominium, ſecluſo omni vſu vero eccleſiaſtico, ego iam & Papæ abſtuli, & reliquis Epiſcopis, & toti eccleſiæ vniuerſali, vt eſt ſupra explicatum. Si tamen Papa vellet vendere prædium ſuæ eccleſiæ, vt inde ſpirituali alicui occurrat neceſſitati, nemo prohibet: & ex vi huius Symmachiani decreti, poteſt etiam ſolus, vel ſynodo, vel Clericis inconſultis: quod tamen ſolus non poteſt ſi vim ſpectes Canonum anteriorum: quibus etiam Papa obligatur, vt oſtendo lib. 8. præcedente: quandocunque à tota ſunt Eccleſia recepti.

b Symma. ep. 3. 10. 1. epiſtolarum Decre. ſum. Pont.

XXXVII In Concilio Aurelianenſi III. eiuſmodi habetur prohibitio: *c Abbatibus, presbyteris, cæteriſque miniſtris de rebus eccleſiaſticis, vel ſacro miniſterio alienare vel obligare, abſque permiſſu & ſubſcriptione Epiſcopi ſui, nil liceat; Quod qui præſumpſerit, regradetur, communione conceſſa, & quod temere præſumptum aut alienatum eſt, ordinatione Epiſcopi reuocetur.*] Hic, vt vides, alienatio ad ſolius Epiſcopi reducitur poteſtatem: Cui, tanquam Procuratori ſuo eam concedit eccleſia. Præterea Concilium Aruernenſe ſic ſtatuit; *d Licitum ſit Epiſcopis, præſentibus Presbyteris & Diaconibus, de theſauro eccleſiæ familiæ & pauperibus eiuſdem eccleſiæ, ſecundum Canonicā inſtitutionem, iuxta quod indiguerint, erogare.*] Vt docuimus feciſſe Ambroſium, & alios: & habes ſupra, hoc libro cap. 4. num. 17. 18. Rurſum Aurelianenſe Concilium 4. *e Si quid*, inquit, *Abbatibus, aut ſacris Monaſteriis, aut Parochiis, pro Dei fuerit contemplatione collatum, in ſua proprietate, hoc Abbates vel presbyteri minime reuocabunt, nec alienare, quod cunctis fratribus debetur, quacunque occaſione præſumant. Quibus ſi fuerit neceſſarium vt ſtatuta conuellant, non aliter valeat, niſi Epiſcopi ſui ſubſcriptione firmatum.*] Hic rurſus Aurelianenſes Epiſcopi ad ſolius Epiſcopi poteſtatem recurrendum docent, ſi inferiores cenſeant aliquid ex bonis eccleſiaſticis legitime alienandum & ſolos Epiſcopos omnium bonorum eccleſiaſticorum, etiam Regularium in ſua quoſq; Diœceſi, agnoſcunt veros & abſolutos adminiſtratores: cum poteſtate etiā ex cauſa alienandi. Toletan Concilium tertium, facta prius Epiſcopis generali prohibitione alienādi addit: *f Si quid vero, quod vtilitatem non grauet eccleſiæ, pro ſuffragio monachorum, vel eccleſiarum ad ſuam parochiam pertinentium dederint firmum maneat. Peregrinorum, vel Clericorum, & egenorum neceſſitati, ſaluo iure eccleſiæ, præſtare permittātur pro tē, o e quæ potuerint.* Imo ſi Epiſcopus voluerit in aliqua ſuarū eccleſiarum fundare monaſteriū monachorum, & illud ex bonis eccleſiæ ſuæ, ſi illa non patiatur in neceſſariis, dotare, id Patres illi laudant & confirmant, quod olim iam *g* Hieronymus laudarat, & approbarat. Quamuis poſtea Toletanum Conciliū nouum in ſua Prouincia reſtrinxerit hanc poteſtatem fundandi monaſteria, ad *h* quinquageſimam partem bonorum eccleſiæ principalis: & ad centeſimam ſi Epiſcopus vellet fundare eccleſiam ſine monachis, ad ſuas tantummodo magnificandas ſepulturas. Quod ſi etiam ſuam *i* tertiam decimarum & oblationum partem, ſuæ vel alteri eccleſiæ donare velit Epiſcopus, idem Concilium id ratum, & firmum habet. Carranza in ſua Epitome hoc loco ait: *Nota quod bin nulla ſit mentio conſanguineorum, ſed tantum Eccleſiarum ipſius.*] Quartum vero eiuſdem Metropolis Toletanæ Cōcilium, *k* remunerationes quas faciant Epiſcopi benemeritis de eccleſia, donatione prædioli, laudat & confirmat; ea tamen conditione, vt ſine Synodi prouincialis notitia id non fiat.

c Conc. Aurel. 3. c. 23.

d Ex Cod. 16. ad fin. Concil. Aruer. 10. 2.

e Concil. Aurel. 4. c. 11.

f Conc. Tol. 3. c. 3 4.

g lib 3. 1. c. fin.

h Concil. Tolet. 9. c. 5.

i Ib. c. 8.

k Conc. Tol. 4. c. 36.

Precarias concedere nonne perpetuo fuit Epiſcoporum? & quamuis in precariis ſolus vſusfructus concedatur, nihilominus tamen in his etiam nō leuis cōtrahitur alienatio, faciliime enim tranſeunt in perpetuam emphyteuſim. Et ſane quoties dicunt Canones hactenus à me producti, & ſtatim producendi, liberam poteſtatem relinqui Epiſcopis; vt poſſint bona ſtabilia eccleſiæ facienda concedere clericis, & monachis, profecto ſemper intelligitur de precariis. Et quamuis ſtatutum in eccleſia videatur, vt precariæ de *l* quinquennio renouentur in quinquennium, loquendo tamē de precariis eccleſiaſticis, *m* non propterea erat liberum concedenti, illas, elapſo vno quocunque quinquennio reuocare, & ſic erant ad vitam perpetuæ. *n* Concedebantur tamen vel ei qui ſui fundi dominium transferebat in Eccleſiam retento vſufructu, addito ei altero fundo illi æquali eccleſiaſtico, ad vitam; aut ſi ſe priuabat ſtatim ſuo fundo, quem donabat eccleſiæ, dabatur ei precario triplex fundus eccleſiaſticus, ad fruendum in vita, vel Clerico, aut etiam laico benemerito, iuxta ipſius merita, & facultates eccleſiæ, ad vſufructum tantum: & hæc conceſſio illas habet adnexas conditiones in Concilio Toletano ſexto. *o Vt qui precariam accipit, profeſſionem ſcribat, ſe illud prædium precario ab eccleſia poſſidere, ad eandem reuerſurum; & vt quæcunque ille acceperit, debeat vtiliter laborare, & non negligere, vt id ſemper vtile redeat ad Eccleſiam*; Quoties igitur Epiſcopus cupit ſtipendium eccleſiaſticum certum, cum fundo, alicui benemerito eccleſiæ concedere, Canon hic Toletanus docet id fieri non debere, niſi per precariam. XXXVIII.

l 10. q. 2. c. Precariæ 2.

m de preca. c. Precarià.

n 10. q. 2. c. Precaria decimo.

o Conc. Tolet. 6. c. 5. habetur 12. q. 2. c. Sæpe ſit.

Quid vero prohibet quominus Epiſcopus, ſi habeat fundum eccleſiaſticum inutilem, & incultum, illum det precario gnauo alicui & induſtrio viro, præſertim Clerico, vt vtilem faciat, & eo ad vitam fruatur? Fallitur vero Baronius, dum in his cōceſſionibus prædiorum, quæ canonibus permittuntur, vt fiant Clericis, ponit *p* originem beneficiorum. Precariæ enim non ſunt beneficia; nam etiam laicis conceduntur, vt patet ſequenti Canone ſeptimæ Synodi. Et Clerici tenentur fundos illos colere, quod non eſt in beneficiis; & profeſſionem illam ſcribunt, quæ non ſcribitur pro beneficiis, & de quinquennio in quinquennium renouantur, non ita beneficia; precariæ etiam dantur ex gratitudine, in recognitionem & remunerationem ſeruitii, potiſſimum temporalis, aut operæ præſtitæ temporalis: ſiue etiam pro vtilitate Eccleſiæ vt *q* fundus inutilis reddatur ei vtilis: At vero beneficium datur propter officium ſpirituale, hoc eſt pro ſuſtentatione laborantium in eccleſia ſpiritualiter: vt qui altario ſeruiunt de altario viuant, ad quod precariæ nihil ſeruiunt. Beneficiorum vero origo eſt illa quā ego tradidi hoc libro capite tertio, tradamque clarius capite proxime ſequenti. Nec putes, lector, XXXIX.

p Baron. to. 6 an. 502. n. 36.

q Dorotheus eccleſ. abbas c. Ad Aures.

impoſ-

importunam hic eſſe digreſſionem de precariis: cum enim precariæ alienandi poteſtatem non paruam ſupponant in Epiſcopis, Concilium ſextum Toletanum ſerie temporum præcedentibus à me productis Conciliis annexum, Canone ſuo de precariis hunc ſibi locum neceſſario vendicabat. Pergamus ad alias alienationum prohibitiones.

XL. a 7. ſyn. gen. c. 12. In ſeptima ſynodo generali, quæ fuit ſecunda Nicæna, ſic ſtatuitur. a *Si quis Epiſcopus, vel monaſterii Præfectus inuentus fuerit ex Epiſcopatus vel monaſterii agris—alienare—nullius ſit momenti traditio, vt ſanctorũ Apoſtolorum vult Canon, qui dicit, omnium rerum Eccleſiaſticarũ Epiſcopus curam gerat, & ea adminiſtret tanquam Deo intuente:—ſin autem detrimentum afferre tentetur, nec quicquam ex agro emolumenti percipi, ne ſic quidem magiſtratibus aut Principibus qui ſunt in eo loco dei prædium, ſed Clericis, vel agricolis &c.*] Hic porro Canon non omnem abſolute prohibet alienationem, ſed vetat, ne fiat in manus Principum, vel publici magiſtratus. Et tamen concedit Emphyteuſes expreſſe, dummodo non fiant in eaſdem Principum manus.

XLI. b Concil. Pariſ. l. 2. c. 17. Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario, b in memoriam reducit antiquos Canones, quibus præcipitur, vt alienatio non fiat etſi neceſſitas ingruerit, inconſulto primate, in maioribus vero neceſſitatibus, inconſultis Epiſcopis, qui ſint teſtes veræ neceſſitatis, nequaquam fiat. & ad verbũ poſtea ſtatutum Symmachi repetit, & inculcat: non tanquam præceptiuum omnibus, ſed tanquam inſtructiuum.

XLII. In Concilio apud ſanctum Medardum, poſtremus Canon ſic habet. *Poſtremo, quod à quibuſdam conſeruabatur, præfixum eſt generaliter ab omnibus cuſtodiendum, ne vlla res Eccleſiaſticæ abſque Regis conniuentia commutentur.*] De Principum poteſtate in bona temporalia Eccleſiaſtica fuſè diſputabo libro decimo ſequenti. Et vbicunq; Canones Eccleſiaſtici antiquiores; videntur etiam contra Reges aliquid de bonis temporalibus Eccleſiaſticis ſtatuere, illi de expreſſo Principum illorũ cõſenſu facti ſunt, imo nemo melius cohibere poteſt Epiſcoporũ, pſertim magnorũ, auaritiam, & rapacitatẽ, dum de patrimonio Chriſti volunt ſe, ſuoſq; ditare, & illo abuti, quam Principes præcipui Eccleſiæ protectores. Vt propterea Iuſtinianus, vt dicam inferius, etiam ipſe ſuis legibus ſæcularibus, alienationes has malas & illegitimas cohibendas cenſuerit.

XLIII. c Concil. Valent. c. 20. 21. Concilium Valentinum, tempore Lotharij; c *theſaurum Eccleſiæ præcipit cuſtodire, nec quicquã*, inquit, *ex eo, niſi iuxta inſtitutionem Canonicam fieri præſumatur.*] Solum profecto abuſum vetat; & ne abſq; nota & certa vtilitate, vel neceſſitate Eccleſiaſtica, teſtimonio Cleri videlicet, vel Epiſcoporum approbando, vt volunt Canones, alienetur. Et addit; *Vt de commutationibus rerum Eccleſiaſticarum diligentiſſima adhibeatur cura, vt vel iuxta interdictum & obteſtationem ſacrorum Canonum nullatenus fiant, vel certe fraudulentia & nequitia quorundam in hac re ita coerceatur, & amputetur, vt Eccleſia Dei ſuis prædiis & facultatibus tam impudenter & dolenter minime ſpolietur. Quia cum ipſa res Eccleſiarum à piis, & fidelibus Deo oblatæ, iuxta antiquorum patrum ſententiam, nihil ſint aliud, niſi vota fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum: ſi eas fideliter & integre Eccleſiaſticis vſibus non defendimus, in eos qui obtulerunt, & in Deum cui oblatæ ſunt, grauiſſimo nos reatu implicamus.* Audis nihil aliud curari, niſi vt res Eccleſiaſticæ, excluſa fraudulentia, & nequitia; ſolis Eccleſiaſticis vſibus ſeruiant.

XLIV. d De rebus Eccleſ. alie. c. nulli. Ex Concilio apud Syluan ponitur in iure canonico canon talis; d *Nulli liceat alienare rem immobilem Eccleſiæ ſuæ, ſiue agrum, ſiue ruſticum mancipium, neq; ſpecialis hypothecæ titulo obligare.*] Sed generale hoc decretum intelligendum eſt cũ illa exceptione, vt habet ibidem gloſſa; Niſi pro vtilitate Eccleſiæ. Igitur illegitima ſola alienatio prohibetur, nõ legitima & iuridica. Eodem pacto intelligendum etiam eſt generale reſcriptum Innocentij tertij, quo ait, e *Poſſeſſiones ad menſam tuam, vel Capituli pertinentes, alienare non debes.*] e c. Poſſeſſiones eo.

XLV. f 12. q. 2. c. Apoſtolicos. Octaua ſynodus Generalis definiuit, f *Neminẽ prorſus Epiſcoporum vendere, vel vtcunq; alienare debere cimelia, & vaſa ſacrata, excepta cauſa olim ab antiquis canonibus ordinata; videlicet pro redemptione captiuorum;* (Et cur non pro aliis etiam neceſſitatibus pauperum?) *ſed nec tradere ſalaria Eccleſiarũ in emphyteutica pacta, nec alias ruſticas poſſeſſiones venundare, ac per hoc Eccleſiaſticos redditus lædere, quos ad propriam vtilitatem, & ob eſcã pauperum, & peregrinorũ ſuſtentationẽ, eſſe decernimus. Omnẽ vero Eccleſiaſticarum rerum poteſtatem habentem* (hoc eſt Epiſcopum) *& has meliorare ac dilatare put oportuerit, Eccleſiaſtica loca quæ per redditus fiunt, & inſuper propriã rerum diſpoſitionem diſtribuere, ac cõmittere, ſeu cõferre quibuſcunq; voluerit & iudicauerit, iuxta propriam poteſtatem ac dominatum. Quiſquis autem apparuerit poſt hanc definitionẽ noſtram contrarium quid huic ſanctæ, ac vniuerſali ſynodo agere, deponatur vt præuaricator diuinarũ legũ & præceptorum; caſſata videlicet omnino quæ facta eſt—venditione, vel emphyteutica traditione, vel alia qualibet alienatione—Qui vero emerit aut perceperit aliquid—& non reſtituerit Eccleſiæ—ſit anathema, vſq; dum fecerit, &c.—ſi autem Epiſcopus cõuictus fuerit conſtruxiſſe monaſterium de redditibus Eccleſiaſticis, tradat ipſum eidem Eccleſiæ monaſterium.*] Itaque tota prohibitio huius canonis eſt, ne fiat alienatio in caſibus à iure non conceſſis, nam illam poſſe fieri ab Epiſcopo in caſibus certis, & neceſſitatibus opportunis, præcedentes canones, & Patrũ doctrina, à me in præcedentib. allata, ſatis manifeſtãt: Et Gratianus g ipſe ſtatim poſt hunc canonẽ ſubdit ex Gregorio teſtimonia, licitã alienationẽ aſſerente, in captiuorum præſertim redemptionem. Ambroſius tamen *in trib. caſibus dixit licere Epiſcopo vaſa Eccleſiæ confringere & h diſtrahere; in pauperũ alimoniam; in captiuorũ redemptionẽ, & in Eccleſiarum ac cæmeteriorũ ædificationẽ.* Nos vero addimus quancunq; aliam neceſſitatẽ, veram tamen & Eccleſiaſticam: quæ, ne fraudẽ poſſit facere, toties ſtatutũ eſt, vt Epiſcopus, Cleri, aliorũue Epiſcoporũ, aut Metropolitani iudiciũ expectet. Et has ſolas fraudes Canones omnes hactenus producti nituntur euitare: non tamẽ Epiſcopis aut auferunt, aut minuunt poteſtatẽ, q̃ in ſolis veris & Eccleſiaſticis neceſſitatib. locũ habet, obſerua igitur Eccleſiã Chriſti per tot ſæcula, pericula qdem abuſuũ circa adminiſtrationem bonorũ temporaliũ, imo & abuſus ipſos vidiſſe, ac de remedio ſæpius ſtatuiſſe, nunquã tamen pro remedio poſuit vt Romanus Epiſcopus ſolus alienationes faceret in tota Eccleſia vniuerſali, aut cui ipſe vellet cõmitteret. Vel, vt Epiſcopi omnes iudiciũ & cõſenſum ipſius expectarẽt. Iam vero quid Romana ſedes Apoſtolica in hoc genere circa Epiſcoporũ poteſtatẽ in alienationib. variis temporibus ſenſerit & ſtatuerit, videamus.

g 12. q. 2. c. 14. 15. 16.

h 12. q. 2. c. aurum.

XLVI. Hilarium Papam inuenio ego primum qui de hac alienatione aliquid ſtatuerit. In Epiſtola enim quã ad Gallos Epiſcopos ſcripſit, hæc habet: i *Simul etiam ſuper hoc vniuerſam fraternitatem volumus eſſe commonitam, ne prædia quæ, neque deſerta, neq; damnoſa ſunt, & ad Eccleſiam pertinent, ex quibus plurimorum conſueuerit neceſſitatibus ſubueniri, aliquo iure in alterum transferantur, niſi prius apud Concilium alienationis ipſius cauſa doceatur, vt quid fieri debeat communi omnium deli-*

i Apud Baron. tom. 6. ann. 462. n. 10.

beratione tractetur.] Hic ſane ad ſe non aduocat alienationis cognitionem; nec ſibi reſeruat licentiam ad alienationem concedendam. Sed aliud etiam eiuſdem Papæ decretum hac de re agnoſcunt Patres Concilij Meldenſis; Aiunt enim; *a Vt commutationes rerum Eccleſiaſticarum valde caueantur, & ſubtiliſſime ſi aliquo modo fieri debeat, inſpiciantur. Quæ autem inconſulte ſunt facta, iuxta Decretum Canonicum Papæ Hilarij, quæ illicite deceſſor Epiſcopus admiſerit, vel ab aliis illicite commiſſa ſunt., ab eo qui ſucceſſor eſt, emendentur.*

a Concil. Melden. c. 23.

XLVII. Cæſarius Arelatenſis Archiepiſcopus, pro pauperum beneficio, cupiebat prædia aliqua iuris Eccleſiæ Romanæ ad vſum pauperum ſuæ Diœceſis transferri; eaque ab Agapeto petiit, is vero reſpondet, ſe libenter ei gratificaturum; *b Sed reuocant nos,* inquit, *veneranda Patrum manifeſtiſſima constituta, quibus ſpecialiter prohibemur prædia iuris Eccleſiæ, cui nos omnipotens Dominus præeſſe conſtituit, quolibet titulo, ad aliena iura transferre. Quam rem veſtræ quoq; ſapientiæ credimus eſſe gratiſſimam, quod in nullo, contra priſcæ definitionis conſtituta, vel regulas, pro qualibet occaſione, vel ſub cuiuſcunq; perſonæ reſpectu venire præſumimus, ne tenacitatis ſtudio, aut ſæcularis vtilitatis cauſa hæc facere nos credatis. Sed diuini conſiderationè iudicij, neceſſe nobis eſt, quicquid ſancta ſynodalis decreuit auctoritas, inuiolabiliter cuſtodire.*] Ac ſtatim ſubdit Canones Symmachi, in tertia Romana ſynodo editos, qui quoniam ad ſolum Romanum Pontificem, & Clerum pertinét, planũ eſt Cæſarium petiiſſe bona aliqua Romanæ Eccleſię. Nam Canon Symmachi, nihil Arelatenſi Epiſcopo oberat, neq; ei obſtabat: obſtabat tamen Papę Romano, ne ſuæ Eccleſiæ prædia alienaret; vt ſupra vidimus. Sed neq; ipſi Romano Pontifici obſtabat, quia, vt iam docui, ſola dilapidatio prohibetur, nõ alienatio in pauperum beneficium. Agapetus igitur vel negationem ſuam prætextu Canonis honeſtare voluit; vel rigidus nimium, & ſcrupuloſus fuit Canonum obſeruator, & interpres. Sed iandiu caremus Pontificibus Canonum obſeruatoribus. Iam Canones Romæ etiam antiquiſſimi & Eccleſiæ maxime neceſſarij, pedibus teruntur & conculcantur.

b Apud Baron. tom. 7. an. 535. n. 11.

XLVIII. Gregorius Magnus; *c Res, inquit, in Epiſcopatu acquiſitas, ſacerdotibus nulla eſt alienandi licentia.*] Profecto intelligit in alios vſus, quam in Eccleſiaſticos. Ipſe enim *d* Theodoro ſuo Conſiliario, vt bene merito, in remunerationem obſequiorum, donat puerum vnum ex mancipiis Eccleſię. &, vt ſupra vidimus, in caſibus *e* conceſſis, vt legitimas admittit alienationes. Et Epiſcopo Panormitano *f* licentiam concedit permutandi quædam ſtabilia, quæ Romæ erant iuris Eccleſiæ Panormitanæ. Epiſcopus enim ille, & cum ſuo Clero id iam deliberarat, & Papam vti ſuum primatem, iuxta Canonum Decreta, conſuluerat. Ipſe vero Papa licentiam concedit; hoc eſt cauſam approbat, & alienationi legitimæ tunc locum eſſe declarat.

c 12. q. 2. c. Res.
d c. Eccleſiaſticis ea.
e ex. c. 14. 15. 16.
f Greg. l. 11. ep. 58.

XLIX. Victor *g* ſecundus, in plenario Concilio Florentiæ celebrato, vt refert Petrus Damiani, cui ſimul & Henricus Imperator interfuit: *Ne Epiſcopi prædia Eccleſiæ diſtrahant,* ſub excommunicationis cenſura prohibuit. diſtractionem nimirum prohibuit illegitimam & inconceſſam; non eam quę legitima eſt, & iure conceſſa. nam & ibidem Petrus Damiani reprehendit illum Epiſcopum tanquam in vſus proprios bona pauperum male conuertentem.

g Apud Baron. to. 11. an. 1055. n. 2.

L. Ex Gregorio tamen ſeptimo, acerrimo iurium Eccleſiaſticorum propugnatore, vel maxime cupio nos diſcere quid poſſint Epiſcopi in ſua adminiſtratione, circa alienationes, & quid non poſſint. Is igitur in quadam ſua ſynodo Romæ congregata, Decreta huiuſmodi edidit; *b Vt omnes Epiſcopi firmamentum faciant, ne prædia Eccleſiaſtica vendant. Vt nulli Epiſcopi prædia Eccleſiæ in beneficium tribuant, ſine conſenſu Papæ ſi de ſua ſunt conſecratione. Cæteri autem, ſine conſenſu Archiepiſcopi ſui, & fratrum ſuorum, hoc idem non præſumant. ſi autem præſumpſerint ab officio ſuo ſuſpendantur, & quod venditum eſt, vel datum in beneficium, Eccleſiæ reddatur, omnino euacuata omni venditione, vel in beneficium traditione. Vt omnes Epiſcopi artes literarum in ſuis Eccleſiis doceri faciant & ornamenta Eccleſiæ, ſine certa vtilitate, aut graui neceſſitate, nullo modo nulloq; ingenio, Eccleſiis ſubtrahant, ne periculum ſacrilegij quod abſit incurrant.*] Nihil igitur amplius præcipit Gregorius, quam præceptum in antiquis Canonibus fuerit. & dare in beneficium intelligit remunerationes illas, quæ per precarias fieri ſolent, arbitrio Epiſcoporum ſolum itaq; abuſum, ſolamq; appropriationem, ſeu dilapidationem prohibet: relinquit vero in caſibus iure conceſſis liberam ordinariam poteſtatem Epiſcopis, etiam in rerum alienatione: cum ſola appoſita cautela, vt cauſa alienationis, tanquam legitima à Clero, & Metropolitano cognoſcatur, & approbetur; ad fraudes Epiſcoporum euitandas. Et mirum illud quod ſibi hanc cognitionem cauſæ, & approbationem non reſeruauit, niſi reſpectu illorum Epiſcoporum qui ad eius pertinent conſecrationem; id eſt qui ſunt ſub Romana Metropoli, prout Roma eſt peculiaris ſuæ Prouinciæ peculiaris Metropolis. Reliquis per mundum Archiepiſcopis ſuam in hoc integram ſeruat autoritatem, nec illam audet vſurpare. Et tamen hic eſt Gregorius ille, qui iura prætenſa Papalia, contra totius pene mundi Chriſtiani Potentatus, intacta mordicus voluit defendere, & conſeruare.

b Greg. 3. l. 5. poſt ep. 14.

LI. Alexander tertius, *i* Alienationes quaſdam ſiue per Abbatiſſam ſuo conuentu ſciéte nec contradicente, ſiue per *k* Epiſcopum, ſuo capitulo reclamante primum quidem, deinde ratas habente, factas, firmas eſſe declarauit. Antiquos enim Canones ſibi omnino ſequendos ſtatuerat. Et quia *l* Clericis inconſultis quidam Epiſcopus donationem fecerat; ex hoc capite illas nullas & irritas idem pronunciauit. Quod etiam fecit *m* Iuo Carnotenſis, Canonum collector & doctrina Canonica excellens. Idem etiam *n* Alexander Emphyteuſes perpetuas in fundis incultis laudat.

i De his quæ ſunt à Prel. c. Continebat.
k Cap. cum nos. ex.
l De donat. c. Fraternitatem.
m Iuo ep. 110.
n De reb. Eccl. alie. c. ad aures.

LII. Cæleſtinus tertius Rauennati Epiſcopo ita reſcribit; *o Poſſeſſiones, quæ Eccleſiæ tuæ minus ſunt vtiles, pro aliis vtilioribus, de fratrum tuorum & ſanioris partis conſilio & aſſenſu alienandi ſeu commutandi liberam concedimus facultatem.*] Atq; hoc concedere facultatem nihil aliud eſt, quam declarare id ei, ſeruata illa conditione, licere: & ſe pro iure ſui primatus ſpecialis, cui immediate ſubeſt Archiepiſcopus Rauennas, ad Papæ ſpectans conſecrationem, id approbare, quod Capitulum approbarit. *p* Locationem etiam perpetuam factam per quoſdam Canonicos, ex eo tantum capite reuocandam cenſet, quod inconſultis aliis fratribus facta fuerit. Alioquin, ſi conſulti fuiſſent, illam probaturus.

o De reb. Eccl. alie. c. ve ſup.
p Cap. ad audient. ex.

LIII. Innocentius tertius *q* alienationes cum Cleri notitia & conſenſu factas etiam ipſe, iuxta veterem Canonem Concilij quarti Carthaginenſis ſupra à me citati, laudauit & approbauit. Idem ſimiliter *r* admittit Epiſcopalem poteſtatem ordinariam in fundandis monaſteriis, ac dotandis, moderatione ſeruata. Idem etiam *ſ* reuocat & annullat alienationes quaſdam per regulares factas, Epiſcopo non requi-

q De his quæ à Prel. cum Apoſt.
r De donat. c. Apoſtolica & c. Paſtoralis & de Relig. dom. c. Monaſterium.
ſ Inno. l. 1. ep. 416.

requiſito: ac præcipit ne amplius ſine licentia Epiſcopi id faciant, ſacris Canonibus innitendo. Idem quoq; Innocentius declarat Epiſcopo Neapolitano, qui ad ipſius Papæ, vt loquitur ſupra Gregorius 7. pertinet conſecrationem, ei licere ſecundum inſtituta Canonica de conſilio ſuorum Clericorum poſſeſſiones minus vtiles ſuæ Eccleſiæ vendere, vt inde eiuſdem Eccleſiæ debita poſſit ſoluere. Ac demum idem *b* alienationes feudorum Eccleſiæ per Laicos factas irritas reddit & nullas, non quod abſque Romanæ ſedis, ſed quia duntaxat ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarũ conſenſu, factæ fuerint.

a Ibid. ep. 417.

b Cap. cum laicis de reb. Eccl. ali.

LIV. Innocentius 4. ſimiliter, *c* alienationem quandam decimarum reuocat, ex eo tantum defectu, quod ſede vacante, abſq; ſuo Epiſcopo, & abſq; tractatu ſolenni, hoc eſt irrequiſito Clero, & Primate, fuerit peracta.

c c. Dudum. in 6.

LV. Gregorius 10. in Concilio generali Lugdunenſi videtur prima facie *d* prim⁹ appoſuiſſe conditionẽ, vt alienatio etiam à iure permiſſa, non fiat ſine ſpeciali Papæ licentia. Sed reuera conſtitutio illa nihil tale intendit. Solum n. prohibet ne Prælati ſubmittant, ſeu ſupponant Eccleſias ſuas, earumq; bona & iura cuiquam perſonæ Laicæ, abſq; ſui Capituli cõſenſu, & Papæ licentia. ſolebant enim, ad vitandas quaſdam militũ moleſtias, villas & prædia ſubiicere alicui potẽti nobili, vt ipſius gratia, veneratione, & timore, milites recederent. Ne igitur Prælati tales ſubiectiones profiteãtur, fit inhibitio; ac p modum exceptionis, inquit Gregorius, ſe non intelligere, vt Prælati non concedant bona ipſa, vel iura in Emphyteuſim, ſeu alias alienando in forma & caſibus à iure permiſſis, ſed ait ſe prohibere ſubiectiones illas, &c. Itaq; Gregorius confirmat etiam ipſe alienationes Prælatorum, prout de iure.

d De reb. Eccl. alie. c. hoc conſultiſſime in 6.

LVI. Clemens V. *e* Regularibus prohibet ne redditus, iura, aut poſſeſſiones alicui ad vitam cõcedant; *niſi,* inquit, *neceſſitas, aut vtilitas monaſterij, Eccleſiæ, Prioratus, adminiſtrationis id expoſcat, conuentus ſui, aut ſi conuentum non habeat, Prælati proprii aſſenſu ad hoc nihilominus accedente.*] Itaq; ne Clemens quidem quicquam noui ſtatuit, imo expreſſe *f* laudat vniones quas faciat Epiſcopus cum conſenſu capituli, dum vnã Eccleſiam alteri Eccleſiæ, vel præbendæ, aut Religioſo loco donat. Prohibet tamen vniones per Epiſcopum ſuæ propriæ menſæ, aut menſæ capitulari faciendas. Poſt Clementem ex Romanis Pontificibus ſolum Paulum ſecundum habemus, qui de hac alienatione ſtatuere voluerit. De hoc inferius.

e Clem. monaſteriorum de reb. Eccl. alien.

f Clemen. ſi vna ac.

LVII. Sed Principes etiam Laici, poſtquã viderunt abuſus horrendos in Eccleſiis, in bonis Eccleſiaſticis male tractandis, ac peſſime vſurpandis, vt Eccleſias ſeruarent indemnes, legibus ſuis aliqui proſpicere voluerunt. *g* Leo ſane primus Imperator alienationem rerum imobilium Eccleſiæ maioris Conſtantinopolitanæ, Patriarchæ & Oeconomo ꝓhibuit ſub certis pœnis. *h* Anaſtaſius etiam Imperator eandem prohibitionẽ fecit omnib. Epiſcopis & œconomis qui ſub Patriarcha Conſtantinopolitano eſſent cõſtituti. At vero Iuſtinianus leges Leonis & Anaſtaſij extẽdit, declarauit, ampliauit, correxit, vt ipſe teſtatur, ac perfecit: & ſuã legem ꝓhibentem Epiſcopis & œconomis alienationes omnes bonorũ imobilium Eccleſiaſticorũ, ꝓpoſuit vniuerſo tũ Orienti, tum Occidenti: quos vero ipſe amplectatur ſua lege audi; *i* *Dicimus n. & eos, qui in Oriente & qui in Illyrico, inſuper & Ægypto, & in Lycaonia, atq; in Lycia, & eos qui in Africana Prouincia ſunt, & cõplexiue dicẽdo p omnes quacunq; noſtra ſunt terra, nec non in Occidente ſunt Deo amabiles Epiſcopos, ab ipſa ſenior Roma, vſq; ad oceanum, conſiſtentium ſanctiſſimarũ orthodoxarum Eccleſiarum.*] Cõpellitur etiam omnia loca pia, hoſpitalia, monaſteria, &c. ꝓhibetq; omnem alienationem, nimirum venditionem, cõmutationem, Emphyteuſim, hypothecã, &c. Mox ponit exceptiones, pœnas, & pulcherrimas declarationes, circa optimã adminiſtrationem. Vbi illud obſerua Imperatorẽ explicite incluſiſſe in ſua lege cũ Romanum Pontificẽ, eumq; pariter cũ aliis Epiſcopis ſuæ legis pœnis ſubieciſſe. Atq; hæc lex Imperialis, nõ ad fouendã Eccleſiaſticorũ auaritiã, luxumue eorũ nutriendũ, ſed ad inopum, & Eccleſiarũ ſuſtentationẽ conſeruandã; & dilapidationes atq; fraudulentas appropriationes Eccleſiaſticorum, vt ipſemet *k* fatetur euitandas à pio Principe lata, plus potuit ad coercendos rerũ Eccleſiaſticarũ adminiſtratores, q̃ leges omnes Eccleſiaſticæ pcedẽtes. Adeo vt, data hac lege, Antiſtites ne In caſib. qdem iure Canonico pmiſſis auderẽt, etiã ſeruatis ſolẽnitatibus ſeu conditionib. Canonicis, etiã in euidentẽ vtilitatẽ Eccleſiarũ, qcquam imobiliũ alienare. Sed ſi neceſſitas id exigeret, ad Imperatorẽ ꝓ licentia & diſpenſatione ſibi recurrẽdum eſſe, omnino cenſebant. Patet hoc de ſancta Reſurrectionis Eccleſia Hieroſolymitana, *l* q̃ ꝓ huiuſmodi licẽtia rogare oportuit Imperatorẽ, eamq; impetrauit. Ac pŏſtmodũ ad ſoluẽda debita Eccleſiarũ, ac fiſco ſatisfaciendũ *m* pmiſit idẽ Iuſtinianus à ſe ꝓhibitas alienationes, ſeruatis tamẽ Canonicis ſtatutis, vt adſit cõſenſus Epiſcopi, Cleri, & Metropolitani. *n* Cõmutationes pterea, & Emphyteuſes ppetuas pmittit vt inter ſe liceãt Eccleſiis. *o* Legẽ eandẽ poſtea, cũ omnib. ſecutis declarationib. ad vnicã reduxit legẽ, q̃ exceptiones ponit, & cõditiones explicat Eccleſiaſticæ Emphyteuſis, ac hypothecæ, & aliorum contractuum. Quanta vero cum veneratione Eccleſia leges has, & alias Iuſtiniani plurimas in rebus Eccleſiaſticis ſuſceperit, dixi lib. 6 cap. 6.

g Cod. de ſa. eccleſ. lege iubemus. & [illegible] 10 q. 2. c. [illegible]

h [illegible] Iuſtinian. [illegible] l. 3. in præfat.

i Nouel. 7. c. 1.

k Nouel. 46. in præf.

l Nouel. 40.

m Noue. 46.

n Noue. 55.

o Nou. 120.

Inter Venetæ Religioſiſſimæ Reipublicæ vetera LVIII. ſtatuta, piiſſimũ eſt illud à Senatu anno 1412 die 27. Octob. editum; videlicet: *p* *Cũ ſupra omnia vera conſcientia hominũ eſſe debeat ad curã diuini cultus, & bonũ & vtile Eccleſiarũ, & ſicut manifeſte videtur, per nonnullos prælatos, Epiſcopos, Abbates, Plebanos, & alios Clericos ſæpenumero pignorantur, venduntur, aut dantur per aliũ modũ res Eccleſiarũ videlicet calices, cruces, libri. & aliæ Argentaria, vel pertinentia Eccleſiarũ, cum damno & detrimento Eccleſiarum & vetuſtudia terra noſtra. Vadit pars, quod quicunq; præſtauerit pecuniã & acceperit pignus, ac nomine pignoris de cætero aliquas res Eccleſiarũ cadat in facto de libris viginti quinq; pro centenario eius quod conceſſerit, aut exburſauerit, & vlterius perdat totam pecuniam, quam cõceſſiſſet ſuper talibus pignoribus & Prælatis, Epiſcopis, Abbatibus non debeat dari aliquis fauor, nec auxilium, imo potius procedere & prouidere contra ipſos qui pignoraſſent, ſecundum quod videbitur prouidendum. Et ſi per aliquam perſonam nomine prædictorum foret pignoratum aliquid de prædictis cadat in illam & tandem pœnam, ad quam caderet ille qui pignoraret. Præterea quia pignorantur ſiue dantur quotidie ad affictum multæ poſſeſſiones & terrena, per miniſtratores monaſteriorum, vel Eccleſiarum, ad magnũ tempus, & cum damno & iactura Eccleſiarũ, aut venduntur & obligantur diuerſis modis, ordinetur quod impoſterũ poſſeſſiones, & terrena per miniſtratores monaſteriorũ vel Eccleſiarũ non poſſint vllo modo vel ingenio ſeu forma dari ad affictũ, vltra quã per tres annos, & niſi cũ conſenſu Procuratorum Eccleſiarũ, vel monaſteriorũ; ſub tali pœna, quod tale pactũ non valeat, ſed cadat qui accepiſſet ad affictũ per ſe, vel per aliam mediã perſonam, poſſeſſionem ac terrenũ, de libris quingentis in ſuis propriis bonis, ſaluo ſi affictarentur perſonis villarum, quæ acciperent pro laborando perſonaliter ipſas poſſeſſiones aut terrena, & hoc poſſit fieri ſolum per tempus ab annis quinque infra. Et inſuper non poſſint poſſeſſiones tales, vel*

p Conſul. ex auth. conſ. 27.

terrena

terrena vendi, translatari, alienari, aut donari nisi, ... con- silio & deliberatione huius Con... ... gatorum. Et intelli- gantur hæc in Venetiis, & in quacunque terris, & ... com- muni Venetiarum &c.] Atq; hoc ſtatutum in Veneto Imperio, multo magis conſeruat bona Eccleſiarum, quam quæcunque aliæ leges Eccleſiaſticæ. Ad Eccleſiaſtica tamen ſtatuta de alienationibus redeamus.

LIX. Hoc ipſo Veneto Edicto inſtructus Venetus Paulus ſecundus, & Iuſtinianum imitatus, primus in Ec-
a Extraua. ambitioſæ. T. clesia *a* alienationes omnes tam mobilium omniũ precioſorum, quam immobilium, etiam locationes vltra triennium, abſq; Papæ licentia & conſenſu omnino fieri viſus eſt prohibuiſſe: ſola excepta emphyteuſi de bonis, quæ ſolita ſint ab antiquo in Emphyteuſim concedi, & cum euidenti vtilitate. excepit etiam ab hac prohibitione fructus, qui ſeruari ſeruando non poſſint: Alienationesq; & locationes prædictas nullas declarat: & pænas graues imponit. Quoniam tamen quædam verba huius Paulinę exceptiua dum ait *præterquam in caſibus à iure permiſſis*, ambiguum ſenſum faciunt, & Canoniſtæ alij hanc exceptionem generalem eſſe volunt ad omnes alienationes, alij vero ſpecialem in ſola Emphyteuſi, iccirco parum negotij poteſt nobis hęc Bulla faceſſere. Ac ne & ipſa ſit ſingularis, & grauiori ſubiiciatur cenſuræ, optimum fuerit exceptionem illam in
b Nauar. c. non. de alien. rer. Eccl. & in manuali c. 27. n. 150. ſenſu generali accipere, vt eam *b* Nauarrus, vir maximę autoritatis, & Canonum peritiſſimus accepit. nam ſi voluit Paulus (vt illum velle *c* alij conten-
c Steph. Quaran. in ſum. Bull. V. Alienatio. dunt) Epiſcopis omnem auferre poteſtatem, vt, etiam occurrente caſu neceſſitatis, etiam vbi iura permittunt, etiam ſeruatis iuris communis ſolemnitatibus, hoc eſt, cõſenſus Cleri Metropolitani, ſynodi abſq; Papæ conſenſu & licentia non poſſint quicquam alienare, clamor contra ipſum totius Eccleſię poterit merito excitari. Nam ſi Gregorius 7. vt vidimus, non eſt auſus, ob tot Canonum reuerentiam, ad ſe trahere, vt Epiſcopi omnes in alienationibus ſuum teneantur expetere, & expectare conſenſum, niſi ſoli ipſius Prouinciales, cur Paulus Epiſcoporũ aut Metropolitanorum poteſtatem, poſt mille ac quingentos ferme poſt Chriſtum annos, arctare voluit, & ad ſe trahere, ſeu potius vſurpare? & vnde illi tanta autoritas? Cur tot ſanctiſſima Concilia, totque ſanctiſſimos etiam ſuos præceſſores, & Canones in Eccleſia maxime ſtabilitos, ipſe ſolus velit cõtemnere? Vbinam Eccleſia quæ eſt vera domina dedit hanc Papæ poteſtatem? Ne igitur tantus Pontifex ſuæ exiſtimationi parum conſuluiſſe videatur, & grauiores patiatur inuectiuas, omnino dicamus, ne ipſum quidem aliud præcepiſſe, quam præcedétia in ſe contineant ſtatuta: Et obligationem illam requirendi Papalis conſenſus ab eo oppoſitam ita debere intelligi, vt primum Epiſcopi Romanę prouinciæ, & conſecrationis conſenſum illum à Papa tanquam à proximo ſuo, & immediato Primate, iuxta veteres Canones obtinere teneantur. Deinde, vt reliqui Epiſcopi extra Romanam Prouinciam, ſi interdum velint ex cauſa legitima aliquid alienare, non expectato, neq; requiſito Metropolitani conſenſu; tunc, ſi habeant Cleri & Papę conſenſum, id eis eſſe ſatis, qui ſuppleat pro Metropolitano; vt
d Quara. n. 7. tradunt Doctores, Abb. Dec. & alij à *d* Quaranta citati. Addo vero Nauarrum, & alios cum ipſo, in hac bulla non vllam vim agnoſcere, in eo in quo vel iura priora conuellat, vel addat quid nouum. Illam enim fere paſſim in hoc negant eſſe receptam. Ait
e Nauar. in man. c. 27. n. 150. enim Nauarrus. *e Hæc Extrauagans non vetat alienationem in caſibus permiſſis à iure: & in nihilo fuit recepta iuxta Syluest. V. alienatio q. 13. Caiet. V. excom. ca. 75. & conſuetudo valet contra illam —— & credimus nullibi omnino eſſe receptam.*] Hæc Nauarrus. Cur ergo miratur idem *f* quod nullus Autor Claſſicus ante ipſum, f Nauar. de alien. n. hanc Paulinam extrauagantem allegauerit?

LX. Ex ſtylo tamen, & praxi Romanæ curiæ, Bulla hæc maximi ſupponitur vigoris: ipſius enim curiæ plurimum intereſt vt hæc bulla, in ea parte in qua Papæ conſenſus requiritur, exactiſſime in toto mundo obſeruetur: Tum ad monarchiam illam Eccleſiaſticam conformandam; tum vero etiam maxime, ad ingens lucrum conſequendum. Si enim Papa vellet duntaxat conſuli, vt Epiſcopi ex eo, tanquam oraculo infallibili agnoſcant, num cauſa alienandi ſit bona & ſufficiens, tolerabile eſſet: ſed conſenſum accipi ab illa curia volunt Pontifices, vt illa Breuia, *ſi in euid. vtilit.*; ſatis magno ſoluto precio petamus, & accipiamus. Profecto priſci etiam Canones ad euitandas fraudes Epiſcoporum noluerunt inſcio Clero & Metropolitano fieri alienationes, quia ſi Clerus & Metropolitanus viderint iuſtam non ſubeſſe cauſam alienandi, impedient alienationes: At ſi Roma conſulatur, ibi nec cauſam quidem diſcutiunt, imo neq; ad notitiam Papæ res deducitur, ſed Cancellaria, inſcio etiam Papa, quotquot licentiæ, *ſi in euidentem* petantur à quoquam, modo moneta taxata excurrat, omnes ſtatim obtinentur. *Sed*, inquiunt, *commiſſiones dantur à Papa vt cauſæ queratur*: Quorſum ergo Roma conſulitur? ſine talibus profecto commiſſionibus iam ſatis Canonibus prouiſum eſt, vt alienationes à Clero, Archiepiſcopo, & ſynodo, ſi opus fuerit, examinentur. Nihil ergo prorſus in his Roma pręſtat, ſolam igitur quęrit pecuniam. Ex quo ſtultam noſtram admiror ſimplicitatem, qui nemine cogente, imo nec Bulla quidem, vt oſtendi, Paulina, nihilominus tamen noſtra ſpõte plurimi ex nobis, noſtrates ipſos priuamus poteſtate, eamque ſtolidiſſime, cum nec tenemur in hoc, nec debemus, ſubijcimus. quam tamen ex traditione Apoſtolica, vt docui, noſtram propriam eſſe ſatis agnoſcimus.

Vrgent tamen *g* aliqui, & obligationem hanc LXI.
g Nauar. de alien. n. 11. & ſeqq. & Quar. in ſum. Bull. V. alienatio. 6. quærendi Papalis aſſenſus reducunt ad vim iuramenti, quod ab Epiſcopis & Abbatibus præſtatur Papæ in ipſorum conſecratione. In quo dicimus: *h Poſſeſſiones vero ad menſam meam pertinentes, non vendam, neq; donabo, neq; impignorabo, nec de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice.*] Hoc tamen iu- h Pontifica. le Roman. conſec. Epi. ramentum, quia totum Bullæ Paulinæ innititur, vt conſtat (nam etiam pænis huius Bullæ ſubdit ſeipſe, qui iurat: Ait enim, *Et ſi ad aliquam alienationem deuenero pænas in quadam ſuper hoc edita conſtitutione contentas, eo ipſo incurrere volo*) dubium non eſt, Bullam hãc intelligi Paulinam, profecto nihil amplius poteſt intendere, niſi quod hæc intendit conſtitutio. Cum vero conſtitutio ipſa permittat caſus in iure conceſſos, quis non videt iuramentum hoc obligare iurãtem, vt non alienet extra caſus à iure conceſſos, niſi cum Papæ licentia? ſed dices. A Iure conceduntur omnes caſus, in quibus adhibetur vſus bonus Eccleſiaſticus, modo non fiat cum dilapidatione, abuſu, aut appropriatione: In his vero abuſibus quid prodeſt, aut ad quid requiritur Papæ conſenſus? Reſpondeo, Paulum ſecundum, quando hanc ſcribebat conſtitutionem, & Pontifices Romanos quando illud iuramentum formabant, ac priſco *i* iura- i Deho. in. rea. c. ego N. mento hæc quæ modo recenſuimus addebant, Canoniſtarum ineptiis deluſos, putaſſe (quod iam omnes Papæ pene de fide tenent) Papam ſolum eſſe

a Quæran. n. 7.

a Dominatum plenum & abſolutum omnium bonorum Eccleſiaſticorum; ac propterea noluiſſe vt Epiſcopi verum dominium in bona Eccleſię exercerẽt, ſed omnem bonum vſum, etiam cum alienatione illis cum omnibus veteribus Canonibus reliquiſſe. Quod ſi interdum vellent per modum Dominij procedere, id Papa inconſulto ne faciant, etiam Clero conſcio, omnino cauerunt. Quot enim infeudationes quotidie videmus fieri bonorum Eccleſiaſticorum, ad ſolum Laicorum, & propinquorum commodum, & opulẽtiam, cũ grauiſſimo Eccleſiæ, Clericorum, & pauperum præiudicio ac detrimento? quia tamen de licentia Papæ fiunt, obtento, *ſi in euidentem*; omnia ſalua à ſtultis putantur. Sed Deus nõ irridetur. Nonne Iulius tertius conceſſit publica ſua conſtitutione, vt b *Curiales poſſent teſtamento diſponere de ſuis ſpoliis Eccleſiaſticis in quencunq;, etiã affines, & diuites, & ſine paupertatis intuitu & in loca pia, & non pia; & in proprios ſpurios, &c.* Ad ſimiles ergo alienationes peſtiferas, volunt ſuam requiri licentiam.

b Bulla incip. cupientes apud Nauar. de ſpol. Cler. §. 5.

LXII. Iurauerat ſane Epiſcopus Neapolitanus aliquãdo, ſe poſſeſſiones Eccleſiæ non venditurum: venit occaſio neceſſitatis: ex religione iuramenti recurrit ad Innocentium tertium, Innocentius vero ſic reſcribit, c *Nos igitur attendentes quod huiuſmodi Sacramẽmenta ſint ob fauorem Eccleſiaſticum introducta, nec in eorum debent retorqueri læſionem, vt ſecundum inſtituta Canonica de conſilio tuorum vendere valeas—indulgemus.*] Hæc ſane eſt declaratio & explicatio illius iuramenti, vt non intelligatur includere caſus neceſſitatis & vtilitatis Eccleſiæ. ſed ſolos caſus in quibus alienatio ſit contra bonum Eccleſiæ; ad ſolum bonum priuatorum, extra meritum cum Eccleſia, quam alienationem Papa, ſi eſſet Dominus abſolutus poſſet legitime concedere; non poteſt tamen, quia nõ eſt Dominus, vt iam probaui.

c Innoc. tertius l. 2. ep. 437.

LXIII. Poſſum etiam dicere iuramentum illud, in quodam errore fundari, videlicet, Paulum abſolute prohibere, etiam licitas de iure alienationes, ne fiant abſq; ipſius conſenſu. Quam tamen prohibitionem iam probaui in Paulina non eſſe: & ſi eſſet, nulla eſſet, iniuſta, & inualida, quia priuaret ſine cauſa Epiſcopos ſua libertate & poteſtate, quam ab Apoſtolis traditam conſenſu Eccleſię habẽt, circa plenam Eccleſiaſticæ rei adminiſtrationem, & tot Conciliis atq; Canonibus ſtabilitam. Iuramentum itaq; iniuſtum erit, & iniuſte requiritur in hoc ſenſu à Prælatis. Illi vero quando iurant, ſemper habent virtualem intentionem, non iurandi quicquam, quod ſit iniuſtum, ac ſibi pręiudiciale. Et ita in hoc iuramento relinquetur iurari tantum circa illegitimas & illicitas alienationes. In hoc itaq; iuramento iurantis intentio bona & legitima, non requirentis mala & iniuſta, eſt inſpicienda. quia d *iuramentum nunquam debet eſſe vinculum iniquitatis*. Concludo itaq; Paulinam hanc nihil amplius præcipere, quam cæteri omnes Canones iam producti, ac Decretales præcipiant. Ex quo ſequitur integram & intactam adhuc manere Epiſcoporum poteſtatem iam explicatam, circa bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationẽ.

d C. p. quanto de iureiur. & c. 1. eo. in 6.

Scio equidem poſtremis temporibus Paulum Quartum aliqua adhuc circa has alienationes conſtituiſſe: ſed quia Pius quartus ea ad viam iuris communis reduxit in ſua Bulla, quæ incipit, *Prouida*, multi ſolam Pauli ſecundi conſtitutionem pro vltima & exactiſſima regula alienationum ſequendam eſſe contendunt: Cum tamen etiam ipſe ſolum ius commune tandem contineat, vt probaui. Iura omnia hactenus à me fuſe producta, ſint regula toti Eccleſiæ circa rerum Eccleſiaſticarum alienationes: vbi tamen leges piæ laicæ aliquid vlterius præcipiũt, illis omnino ſtandum erit. Et ſi iſtæ alienationem quancunq;, etiam iure Eccleſiaſtico Epiſcopis conceſſam prohibent, ab illa etiam erit abſtinendum. Vbi vero neceſſitas illam exigit, ad Principem erit recurrendum, vt voluit Iuſtinianus in toto Imperio, & volunt Domini Veneti in ſua ditione, & fortaſſe alij etiam Principes Chriſtiani in ſuis. Cum enim Principes ſemper retineant ſuum dominium publicum in omnia bona temporalia, præſertim ſtabilia, vt oſtendo libro decimo, Eccleſia vero etiam ipſa ſuum qualecunq; dominium acquirat potiſſimum etiam Dono & priuilegio Principum, ſtare ſemper debet Eccleſia in illis Principum diſpoſitioni. LXIV.

Quod ſi mihi obiicias *ſolennem illam Pij V.* e *conſtitutionem, qua poſt Victoriam naualem aduerſus Turcas anno Domini 1571. obtentam, ad eandem victoriam melius proſequendam inſignes conceßit ad annum fieri, per vniuerſam Eccleſiam, alienationes iurium Eccleſiaſticorum, per Cõmiſſarios ſpeciales ab eo ad hoc deputatos, vt inde vis ingens pecuniæ colligeretur*, Reſpondeo hic afferri factũ, non ius, legitimam quidem cauſam alienationum video affuiſſe, alienatores tamen debuerunt eſſe Epiſcopi omnes, pro ſua quiſq; Diœceſi, Papa id & vrgente, & monente: aut Concilium in vnoquoq; Regno vniuerſale. Bona enim hæc cum ſint Eccleſiæ, vt iam docui n. 10. 11. ab vniuerſali etiam Eccleſia pro cauſa vniuerſali debent alienari. Tacitus tamen, & virtualis, ac interpretatiuus conſenſus omnium Eccleſiarum & Epiſcoporum, cum nullus reclamarit, & qui tacet confirmat, alienationes illas vt validæ eſſent effecit. Sed non eſt è re publica Eccleſiaſtica, vt tantam ſibi aſſumat Papa autoritatem: Poſſet enim iuſtis de cauſis animum ſuum mouentibus, alia ſimili conſtitutione, per ſibi fidos Cõmiſſarios Eccleſias omnes ſuis bonis denudare, & inde innumerabilem pecuniæ aceruum ſibi ac ſuis colligere, & bella fortaſſe etiam iniuſta cõtra Chriſtianos Principes ſuſcitare. Quare & Epiſcoporum eſt, & Principum etiam, tanquam præcipuorum Eccleſiarum Protectorum, aduerſus huiuſmodi Bullas, ſi forte aliæ prodirent, inuigilare, & eas vel promouere ſi iuſtæ ſint, vel ſi ſecus, impedire. LXV.

e Bulla in. etſi benedictus. apud Nauar. de ſpol. Cler. §. 17.

CAPVT

CAPVT VII.

Clericos non eſſe Dominos reddituum Eccleſiaſticorum ipſis in beneficium aſſignatorum.

SVMMA CAPITIS.

Inducitur quæſtio n. 1. Ad eius explicationem tria præmittuntur; Primum vitam Clericorum debere eſſe communem à n. 2. ad n. 7. Secundo proprietatem pugnare cum profeſſione Clericali à n. 8. ad n. 13. Tertio diuiſiones generales bonorum Eccleſiæ magna diſcuſſione indigere à num. 14. ad n. 30.

Appropriatio beneficiorum facta Clericis poſt diuiſionem, illegitima eſt, & nihil authentica à n. 31. ad n. 34.

Diuiſio illa nihil iuris dat Clericis vltra merum vſum, neq; inducit illa proprietatem à n. 35. ad n. 40. Obiectiones diluuntur à n. 41 ad n. 47.

Indulgetur aliquid Prælatis, & Beneficiariis, citra veram proprietatem num. 48 49. 50. Pia admonitio num. 51.

I. ARGVMENTVM in hoc capite tractandum ſatis amplum eſſe ſolet, & libros integros iam repleuit; quoniam tamen ſex præcedentibus capitibus ipſius ſunt iacta fundamenta, & abunde explicata, non erit hic nimia prolixitas neceſſaria. In eo porro conueniunt omnes noſtri Theologi, imo & Canoniſtæ; peccare grauiter Clericos, & ſane peccato mortali, ſi redditus ſuorum beneficiorum, qui eis poſt ipſorum neceſſariam ſuſtentationem, ſuperfluunt, male inſumant, iiſq; ad proprium luxum abutantur. Sed an contra iuſtitiam peccent, ita vt reſtitutioni ſint obnoxij, quia aliena bona, hoc eſt pauperum prodegerunt, inter ſe noſtri Doctores non conſentiũt. Sunt n. qui cenſeant Beneficiatos nõ eſſe dominos, ſed vſufructuarios, etiam fructuum, quos ex ſuis beneficiis recipiunt, & poſt vſum ſibi neceſſariorum, reliquos teneri, ex iuſtitia in pauperes, & opera pia diſtribuere: quod ſi non fecerint contra iuſtitiam peccare; & tanquam alienę rei dilapidatores, ad reſtitutionem obligari. Sunt etiam, qui dominos faciãt plenos omnium fructuum ipſis aſſignatorum, nõ minus quam laici ſint domini fructuum ſuæ hæreditatis; ita vt malo ipſorum vſu peccare poſſint, ad nullam tamen reſtitutionem teneantur, quia Dominus rei nemini facit iniuriam, ſi illam prodigat. Vt hanc ego abſoluam quæſtionem, præter ea quæ hactenus iam ſunt à me fuſe tractata, & explicata, ac probata, adhuc ponam aliqua, nimirum, vitam cõmunem eſſe Clericorum maxime propriam; a Clericis omnem veram proprietatem eſſe excludendã; & diuiſionem non mutare naturam bonorum, & reddituum Eccleſiaſticorũ; tum vero rem quam potero breuiſſime abſoluam.

II. Vitam Clericorum communem eſſe debere, docet in primis Chriſtus Dominus, & Apoſtoli. Quæ enim eis offerebantur, ea *communibus a loculis*, ſub Iudæ adminiſtratione, in communem vſum aſſeruabantur: & quia ex illis Iudas aliquid ſibi ſoli detrahebat; ideo *fur appellatur*: In eam enim pecuniam, etiamſi ipſe quoque ius haberet, tanquam in communem, propriam tamen facere nullo modo poterat. ſimiliter Apoſtoli in primitiua Eccleſia Hieroſolymitana, ſimul cum ſocus, quos ſibi aſciuerant, ex maſſa *b* oblationum viuebant m[illegible] modo ipſi & presbyteri, hoc eſt omnes Clerici, ſed & etiam Laici multi, vt eſt in actis Apoſtolorũ. Et prima Diaconorum *c* inſtitutio quid aliud oſtẽdit, niſi vitam communem omnium ſacroſancti Euangelij miniſtrorum, quibus ipſi Diaconi ex communibus oblationibus neceſſaria miniſtrarent, vt illi expediti verbo inſtarent, nec à verbi prædicatione, occaſione victus ſibi neceſſarij præparandi, diſtraherentur? *Quid etiam eſt eos, qui d altari ſeruiunt de altari, & qui prædicant Euangelium de Euangelio debere viuere*, niſi oblationes expectare, quæ Altari & Eccleſiæ offerebantur, vt ex eis omnes in Eccleſia laborantes, tanquam ex communi maſſa alerentur. & duo ſiue probatu capite præcedenti bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratorem præcipuum eſſe Epiſcopum, & poſt eum œconomos, manifeſte conuincitur, bona omnia Eccleſiaſtica fuiſſe communia, in vnico cumulo, in vnaquaque Eccleſia; ex quibus ab Epiſcopis per œconomos fieret toti Clero diſtributio, & pauperibus. & hæc communitas diu fuit in Eccleſia, antequam ad diuiſionem deueniſſet.

a Io. 12. 6. & 13. 29.

b Act. 2. & 4. 32

c Act. 6.

d 1. Cor. 9. 13.

III. Vnde Clemens ita ſcribere Iacobo, & Hieroſolymitanis fratribus non male inducitur; *e Communis vita, fratres, omnibus neceſſaria eſt, & maxime iis qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt. & vitam Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum imitari volunt.*] Et quidam Vrbanus, *f ſcimus*, inquit, *vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Chriſtianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maxime inter eos qui in ſortẽ Domini ſunt electi, id eſt Clericos, ſicut in actibus legitur Apoſtolorum.*] Notum etiam eſt quantopere laborant *g* Auguſtinus, vt Clericos ſuos omnes ad communem vitam reduceret; hoc eſt, vt ſimul omnes & domicilio, & menſa communi, vterentur, ita vt aliquando etiam ſtatuerit Clericatum auferre eis, qui nollent vitam huiuſmodi ſuſcipere: quanuis eos deinde tolerandos eſſe cenſuerit. Et quanuis communi contubernio, & menſa illi non vterentur, non puto tamen ſub Auguſtino Clericos beneficia ſua ſeorſim habuiſſe, ſed adhuc ex communi maſſa communium bonorum neceſſaria vitæ ab Epiſcopo, ſeu œconomis accepiſſe, itaque vita vere communis erat omnium Clericorum: non qualis eſt Regularium, & cœnobi-

e Clem. ep. 5.

f Vrban. ep. un.

g Aug. ad frat. in her. ſerm. 52.

cœnobitarum, ſed vt quiſque domi ſuæ eſſet, victum tamen & veſtitum ex communibus bonis Eccleſiæ, quiſque acciperet, vt ex Proſpero paulo inferius patebit.

IV. Antiquus fuit mos in Eccleſia, vt Clerici iuniores ſimul omnes loco ad hoc deputato & alerentur vita communi, & inſtruerentur: ſic enim legimus in Concilio quarto Toletano, circa tempora Honorij primi ſexto Chriſti ſæculo; *a Prona eſt omnis ætas ab adoleſcentia in malum; nihil enim incertius, quam vita adoleſcentium: ob hoc conſtituendum oportuit, vt ſi qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur, vt lubricæ ætatis annos, non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant: deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant. Quod ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, ſacerdotali tutela foueantur; vt & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſultauerint monaſterijs deputentur, vt vagantes animi, & ſuperbi, ſeueriori regula diſtringantur.*] Idem ferme habemus ex ſtatuto *b* Eugenij 2. & Leonis 4.

a Conc. Tol. 4. c. 23.

b 12. q. 2. c. neceſſaria.

V. Eandem vitam communem Clericorum, quam Auguſtinus in ſuo Clero cupiebat, inuenio in Turonenſi Prouincia tempore Caroli magni, ſynodo ita ſtatuente, innouatam, *c Canonici*, inquit, *& Clerici ciuitatum, qui in Epiſcopiis conuerſantur, conſiderauimus vt in clauſtris habitantes, ſimul omnes in vno dormitorio dormiant, ſimulq; in vno reficiantur Refectorio, quo facilius poſſint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conuerſatione ſua admoneri, & doceri. Victum & veſtimentum, iuxta facultatem Epiſcopi, accipiant, ne paupertatis occaſione compulſi, per diuerſa vagari, ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur, dimiſſoq; Eccleſiaſtico officio, incipiant indiſciplinate viuere, & propriis deſeruire voluptatibus.*] Hæc ſane prudentiſſime. Et Concilium Cabilonenſe eodem tempore. *d Res*, inquit, *Eccleſiæ, quibus Epiſcopi non vt propriis, ſed vt commendatariis vti debent, precia ſunt peccatorum patrimonia pauperum, ſtipendia fratrum in communi viuentium.*] Nondum igitur ibi facta fuerat vlla diuiſio, aut beneficiorum ſeparatio. Et in Moguntiaco eodem tempore factus eſt Canon qui ait; *e In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decreuimus, vt Canonici Clerici canonice viuant, obſeruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta ſanctorum Patrum, & nihil ſine licentia Epiſcopi ſui, vel magiſtri eorum compoſiti agere præſumant, in vnoquoque Epiſcopatu. Vt ſimul manducent, & dormiant, vbi his facultas id faciendi ſuppetit, vel qui de rebus Eccleſiaſticis ſtipendia accipiunt; & in clauſtro maneant & ſingulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad menſam vero ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones ſuis magiſtris exhibeant.*] Hanc puto fuiſſe diſciplinam Clericorum adoleſcentium eandem, quam præceperat Concilium 4. Toletanum: qualem nunc imitantur *f* ſeminaria. Vocantur autem Clerici Canonici, hoc eſt Regulares, & ſub Regulis Eccleſiaſticis viuentes. Regulæ autem Eccleſiaſticæ ſunt vt viuant in cõmuni abſq; vlla rerum proprietate, & diſciplinam ſeruent Eccleſiaſticam. Tales eſſe debent omnes qui nunc Canonici vocantur. Et ſi nolunt Clauſtraliter viuere, ſeruent tamen regulas Eccleſiaſticas, circa frugalitatem & diſciplinam. quamuis in multis adhuc Eccleſiis Canonici ſimul viuant, pene Clauſtraliter, cum perfecta vita communi. Imo & vocantur Canonici Regulares. Loquor de ijs, qui proprij Epiſcopi ſunt Clerus, ſed Clerus Regularis. Nam Canonicos ſeu Clericos regulares ab Epiſcopis ſeparatos, & Epiſcopis locorum, in quibus illi degũt, nullam præbentes obedientiam aut ſubiectionem, nõ ego Canonicos, quales Eccleſia me docet ſe habere, ſed pſeudocanonicos & pſeudoclericos potius appellarim, vt dicam lib. 10. ac poſtremo, ſequenti. Et vbi in Decretalibus ſæpe inuenimus Abbatem, non Monachorũ ſed Clericorum ſæcularium, cognoſcimus vitam communem ibi eſſe vel fuiſſe Canonicorum, ſeu Clericorum, in clauſtris Canonicis, hoc eſt ſub vera Eccleſiaſtica & Clericali regula degentium, quibus ab Epiſcopo Abbas præficeretur, vt eorum vitam clauſtralem, & domeſticam regeret diſciplinam.

c Syn. Turo. c. 23.

d Concil. Cabilo. c. 6.

e Concil. Mogun. c. 9.

f Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 18.

VI. Proſperum hunc audiamus, *g Epiſcopus*, inquit, *vnde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe, tanquam pauper voluntarius, viuat: Clerici quoque quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis, vita neceſſaria, ſiue in domibus ſuis, ſiue in congregatione viuentes, accipiant: quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, ſed cogit viuendi neceſſitas.*] Et Greg. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ita ſcripſit: *h Sed quia tua fraternitas monaſterij regulis erudita ſeorſim fieri non debet à Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, quæ nuper, auctore Deo, ad fidem perducta eſt, hanc debet conuerſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit preſbyteris noſtris, in quibus nullus eorum ex iis quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia.*] Vita itaque communis eſt inter Clericos, ſiue clauſtraliter viuant in congregatione, ſiue ſeparatim quiſque in domo ſua, hoc parum intereſt. Bona enim Eccleſiaſtica vtroq; modo ſunt communia: & nemo adhuc ſuam ſeparatim agnoſcit, in prædiis portionem; ſed dietim aut menſtruatim accipit quiſq; ex communi cumulo victum neceſſarium: vt fit hodie fere paſſim in diſtributionibus quæ vocantur quotidianæ. Atque in his beneficia nulla apparent ſeparata.

g Proſp. de vit. contem. l. 2. c. 11. in Concil. Aquiſgr. c. 108.

h Apud Bedam hiſt. Angl. l. 4. c. 27. habetur 12. q. 1. c. quia.

VII. Neque putet quis vitam hanc communem Clericorum, etiam ſtrictiorem, hoc eſt clauſtralem, poſtea exoleuiſſe: nam tempore Nicolai ſecundi, iam poſt milleſimum à fundata Chriſti Eccleſia annum; & Alexandri item ſecundi eam repetitam & innouatam reperio: Ait enim Nicolaus in ſynodo quadam Romana, *i Et præcipientes ſtatuimus, vt ij prædictorum ordinum, qui eidem prædeceſſori noſtro obedientes caſtitatem ſeruauerunt, iuxta Eccleſias quibus ordinati ſunt, ſicut oportet Religioſos Clericos, ſimul manducent, & dormiant: & quicquid eis ab Eccleſiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, vt ad Apoſtolicam, communem ſcilicet vitam, ſummopere peruenire ſtudeant.*] Hæc eadem repetit *k* Alexander II. Iam de proprietate.

i Syn. Rom. ſub Nico. 2. diſt. 32. c. præter.

k Diſt. 32. c. præter.

VIII. *Proprietatem* porro cum profeſſione Clericali maxime pugnare, docent ante omnia illa quæ de paupertate Clericorum, & amotione proprietatis pluribus diſſerui ſupra capite primo; & præſertim quod Chriſtus aperte definierit eum, qui non renunciat actu omnibus quæ poſſidet, non poſſe eſſe ipſius diſcipulum. nimirum ex illis quos ipſe ad ſuam admittat ſequelam; hoc eſt Clericum; & ne patrimonium quidem, ſaltem ſimul cum bonis Eccleſiæ, poſſe à Clericis retineri. Quod ſi proprietas bonorum vere propriorum Clerico non permittitur, quomodo permittetur ei proprietas in bona aliena, aut ſaltem communia? Præterea proprietatem hanc eſſe à Clerico omnino remouendam, docent & illa quæ protuli ſupra capite quarto de vſu; & capite quinto de abuſu bonorum Eccleſiæ: quæcunque nimirum nos inſtruunt, bona Eccleſiaſtica in ſolos vſus noſtros, & ſane moderatos, pro ſolo victu ac veſtitu, & pauperum eſſe inſumenda: & in

proprietatem nullo pacto conuerti poſſe: ſacrilegiumque eſſe, ſi quis, ſolo excepto vſu neceſſario, illa ſibi, ſuiſue vſurpet, ſiue is ſit Epiſcopus, ſiue Papa, ſiue œconomus, ſiue quicunque Clericus, ita vt ex communibus faciat vere propria. Vnde optime

a Hier. ep. 2. Hieronymus; *a Amico*, inquit, *quippiam rapere furtum eſt; Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt: accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis, vel cautum eſſe velle, vel timidum; aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat.*] Qui vero præter ſibi neceſſaria, ex redditibus Eccleſiaſticis ſibi reliquum retinet, & appropriat, vt id profundat, vel in alios vſus quam Eccleſiæ proprios conuertat, is profecto ſubtrahit quod eſurientibus ſit erogandum. Proprietas igitur hæc merum ſacrilegium eſt, & ſcelus, quod prædonum ſuperat crudelitatem: quando ex bonis adhuc communibus, qui ea adminiſtrat, ſibi præter neceſſaria, & iure debita, aliquid notabile vſurpat.

IX. Proprietatem intelligo, non illam quæ in rerum vſu, quæ ſint vſu conſumptibiles, poſſit aliquo modo haberi, in quibus, vt iam docui ſupra ad initium capitis ſexti præcedentis num. 8. dominium ab vſu non ſeparatur: ſed proprietatem veram accipio, in qua verum quis habeat dominium. nam ſerui & Religioſi, alijq; ſimiles; aliquo modo habent proprietatem panis quem comedunt, & veſtium quas geſtant; dominium tamen non habent, quia neq; illũ panem, neq; indumenta poſſunt vendere, donare, alienare, &c. quorum ſolum vſum habent, vt iam explicaui. Itaq; illam proprietatem in bona Eccleſiaſtica, quæ verum dominium quale deſcripſi cap. 6. præcedenti n. 5. includit, Clericis omnibus nego, & totam aufero: tale enim pleniſſimũ dominium ne in Eccleſia quidẽ tota potui admittere: ad vſus enim ſimpliciter profanos ſua bona illam non poſſe iure conuertere arbitror me demõſtraſſe ſupra c. 6. n. 12. multo minus poterunt particulares Eccleſiaſtici tale abſolutiſſimum dominium in illa bona exercere, quæ ab ipſa Eccleſia ipſis tanquam vſu conſumptibilia pro ſolo vſu, & pro ſola ſuſtentatione tribuuntur. De dominio vero imperfecto illo, & conditionato, quod vſum iuris aliqui vocabant, nimirum cũ poteſtate donandi, vendendi, &c. ad vſum tamen legitimum, & conceſſum, hoc eſt pium, & ab Eccleſiaſtico vſu non alienum, etiam ſi in nepotum, aut liberorum legitimorum cõmodum nõ loquor. Tale n. dominium quia vix à nudo vſu, aut à ſimplici rei diſpenſatione diſcedit, per ſolam adminiſtrationẽ vt probabitur Eccleſiæ nihil obeſt, cum veram non inducat in adminiſtratore proprietatem: quam proprietatem ſola habet Eccleſię communitas, & nunquam eam in ſuos transfert adminiſtratores, aut in alios quos ipſa nutrit, & ſuſtentat in ſolis neceſſariis; quibus ad ſolum vſum res concedit, vt iam demonſtrabo.

X. Patres ſiquidem & Concilia tantopere proprietatem Clericorum ſunt abominati, vt pro Clerico non habuerint eum, qui non contẽtus ſua honeſta ſuſtentatione, ex bonis communibus Eccleſiæ, ex ijſdem proprium habere voluerit. Hieronymi illud

b 12. q. 1. c. duo ſunt. putatur dictum: *b In Clericis raſio capitis eſt temporalium omnium depoſitio illi enim victu & veſtitu contenti, nullam inter ſe proprietatem habentes debent habere omnia communia.*] Auguſtini monitum illud generale fertur:

c Aug. ſer 37. ad frat. de her. *c Memento quod pauperem vitam ſacerdos gerere debet: & ideo ſi ſuperbiam habet, ſi magno beneficio gaudet, præter victum & veſtitum, quod ſupereſt. pauperibus dare nõ differat; quia omnia pauperum ſunt.*] Proſper Aquitanus, poſtquam adduxit exemplum Paulini & Hilarij, qui amplà ſua patrimonia dimiſerunt, quando Eccleſiaſticum miniſterium ſuſceperunt, addit: *d Vnde datur intelligi, quod tales ac tanti viri, qui volentes fieri Chriſti diſcipuli renunciauerant omnibus quæ habebant, non vt poſſeſſores, ſed vt procuratores, facultates Eccleſiæ poſſidebant Et ideirco ſcientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ niſi vota fidelium — nec eas vendicauerunt in vſus ſuos vt proprias, ſed vt commendatas pauperibus diuiſerunt.*] Et paulo poſt, *Quod habet Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus commune habet: nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, erogat; quando nihil aliud ſit habentibus dare, quam perdere.*] Sed dicas obſecro, Proſper *Si ſacerdos ſibi non de ſuo, ſed de Eccleſiaſtico ſufficit. erogabitne et adhuc plus Eccleſia*: Reſpondet nihilo minus; *Habenti dare, nihil aliud eſt, quam perdere.*] Et quicquid eſt in Eccleſia vltra id quo ſuorum miniſtrorum ſubuenit neceſſitatibus, id totum profecto ait eſt commune cum omnibus qui nihil habent: ſi commune, ergo nullius proprium. Chryſoſtomus Iudæ præcipitium vitio proprietatis tribuit; *e Sic*, inquit,

d In Concil. Aquiſgr. c. 35.

Iuda maximum proditionis malum concreuit: niſi enim putaſſet paruum eſſe pecuniam inopum ſubripere, in tantam proteruitatem non veniſſet.] Gregorius inſtruens Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, ſupra numero ſexto, proprietatem à Clerico omnem auferebat. Eugenius ſecundus. *f Res Eccleſiæ*, inquit, *non quaſi propriæ, ſed vt communes, & Deo incoblatæ cum ſummo timore, non in alios. quam in præfatos vſus. ſunt fideliter diſpenſandæ.*] Et Gratianus, poſt allatas aliquot auctoritates, concludit his verbis. *g His omnibus auctoritatibus claret, quod Clericis nullo modo licet habere quid proprium: quod ſi habuerint, non Clerici erunt.*

e Chryſ. ho. 87 in Matt.

f 12 q. 1 c. Res.

g 12. q. 1 c. habebat.

XI. In Conciliis vero idem ſæpius inculcatur. Nonne eſt generalis illa Regula. *h Vt Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis. non tanquã proprijs vtatur.*] Ac profecto, ſi vltra ea quæ in proprias inſumit neceſſitates, velit adhuc vel aſſeruare, vel extra Eccleſiaſticos vſus expendere; quo modo tunc non vtitur rebus Eccleſiæ tanquam proprijs? Concilium Pariſienſe proponit; *i Quod nulli ſacerdotum liceat res Deo dicatas, ſibiq; commiſſas. vtpote proprias, tractare, & ad multifarios ſecundum libitum ſuum eas vſus retorquere: ſed potius, ſecundum Canonicam auctoritatem, ſanctorumq; Patrum dicta & exẽpla adminiſtrare vel diſpenſare, ea quæ ſequuntur, inquit, perſpicue manifeſtant: datoq; exẽplo primitiuæ Eccleſiæ ex actu Apoſtolorum, addit: quoniam qui ſtipem Eccleſiæ, iuxta documentum B. Hieronymi in ſuos conuerſit vſus, ſcriba eſt & Phariſæus, ſimiliſque Iudæ perdito &c.*] Et ad finem ita concludit. *Quicunque ergo eas ad proprios vſus, terrenoſque honores, & delectationes retorquet, quanti ſit diſcriminis, quantaque tranſgreſſionis aperte animaduerti poteſt.*] Et in octaua ſynodo generali hæc verba reperies; *k Si enim vnumquemque Epiſcoporum Eccleſiæ propriæ rebus cum multa parcitate vti, & nullatenus in proprias vtilitates importune, ac ſine ratione diſperdere, vel conſumere redditus Eccleſiaſticos ſacri Canones decernunt, qua putas impietate minime putabitur indignus, qui aliis Epiſcopis commiſſas Eccleſias grauare, vel ambire, ac per hoc ſacrilegij crimen incidere non formidat?*]

h Concil. Carthag. 4. c. 31. & Cabilon. 1. c. 6.

i Concil. Pariſ. l. 1. c. 15. 18.

k Oct. ſyn. gen. act. 9.

XII. Obiiciet mihi quiſpiam cum Gratiano. *l Cum ergo in Concilio Agathenſi, & Martini, & Canonibus Apoſtolorum, dicatur ſint manifeſta res propriæ Epiſcopi: cumque iiſdem Canonibus, & in Concilio Antiocheno præcipiatur, vt Epiſcopus participet res Eccleſiæ. ſi tamen indiget, nonne patenter oſtenditur quod Epiſcopus habeat libere propria? Dicendo enim ſi indiget rebus Eccleſiæ, notat eum habere propria, quæ fortaſſe ſuis neceſſitatibus non ſufficiunt.*

l 12. q. 1. præcipue.

Quomodo

Quomodo ergo Clericus, ſi proprium habere voluerit, Clericus non erit?] Dubium mox ita ſoluit Gratianus: *ſed notandum eſt*, inquit, *Epiſcopos Orientales vxores habere & filios: quoſdam autem ex noſtris partibus cum in laicatu, ſiue in minoribus ordinibus conſtituti habeant vxores & filios ſine morte vxoris interueniente ſiue continentia pari voto ſeruata ad ſacros ordines accedere: His omnibus conceditur habere propria, ad ſuos & ſuorum vſus: qui autem ab infantia ſacræ militiæ traditi ſunt, nullo modo eis permittitur habere propria, quia nulla eſt eis excuſatio proprietatis: niſi forte retinendo ſua, à ſumptibus Eccleſiæ abſtineant: quod fieri poſſe Proſper teſtatur.*] Itaq; & Canones illi; & Gratianus; cõcedunt ſaltem aliquib. Clericis proprietatẽ.

XIII. Hæc tamen ingenioſa ſubtilitas Gratiani, nullo nixa fundamento omnino eſt repudiãda: *quia*, vt ait Gloſſa ibidem, *Gratianus pro ſuo arbitrio hoc dixit*: id eſt abſq; vlla probatione, ſed eſt merum ipſius cõmentum. Omnes enim Clerici ſiue coniugati, ſiue non, à proprietate vera arcentur. Canones vero illi qui in Epiſcopo interdum ſeparant bona propria à bonis Eccleſię, conſiderant illos Epiſcopos qui dominio ſui patrimonij, ſed ſine vſu, in gratiã nepotũ pupillorum retento, de ſolis Eccleſiæ bonis ſuſtentantur, & ſibi cõficiunt vtenſilia. In his igitur ſi moriantur, ſeparanda ſunt vtenſilia Eccleſiaſtica pecunia parta, ab vtenſilibus patrimonialibus: & ipſe teſtari poteſt de bonis propriis, hoc eſt patrimonialibus, quorum dominiũ ſolum retinuit abſque vſu: aliove modo quam per Eccleſiam acquiſitis: de partis vero per Eccleſiam, negatur ei teſtamentalis diſpoſitio vt videbimus cap. 12. Aliis tamen Epiſcopis concedunt Canones aliqui Eccleſiaſticam ſuſtentationem ſi indigent; quia, vt oſtendi in ſuperiorib. ex Tertulliano, viuebant pleriq; ex bonis patrimonialibus, non vti propriis. ſed vti cõmunibus, & Eccleſiæ iam donatis: Alij vero ex proprio tantum patrimonio, vel propria induſtria & laboribus, vel donationibus abſq; intuitu Eccleſiæ ſuſtentabãtur, cum proprietate illorũ, ſed à bonis Eccleſiaſticis omnino, vel in parte, prout ſatis, vel non ſatis eſſet patrimonium, abſtinebant. Quod cum Proſpero & cõcedit Gratianus, & ego ſuperius concedi poſſe cõmonſtraui: quæ vera Clericalis proprietas non eſt; ſiquidem nihil de patrimonio Chriſti & pauperum iſte attingit. Proprietas vero ab illo Clerico eſt remouenda, qui vult Eccleſiaſticis bonis ſuſtentari. De his plura capite poſtremo.

XIV. Vidimus proprietatem Clericum quencunque, ſed maxime Clericorum caput Epiſcopũ, dedecere: ac propterea toties ab Eccleſia Epiſcopos moneri, vt ſciant ſe eſſe meros *a miniſtros Chriſti, & diſpenſatores*, non modo *myſteriorũ Dei, & verbi Euangelici*; ſed et iam miniſteriorũ, & rerum temporaliũ, nõ earũ dominos. Nam etiã in his diſpenſandis, quæritur vt fidelis quis inueniatur. Ideoq; ſępiſſime admonẽtur, vt nihil ſibi retineant, aut male profundant, ſed ſint velut Procuratores rerũ alienarũ: & ſibi non niſi pura neceſſaria ſumant. ſed ſub prætextu neceſſariorũ, & occaſione adminiſtrationis, re vera ipſis debitæ, peſſima illa corruptio naturæ noſtræ, ad temporalia cõmoda nimium inhiantis, excluſis œconomis (quod opportunũ adhibuerant Concilia remediũ) paulatim cœperunt Epiſcopi ſoli dominari, & bona omnia tẽporalia totius ſuæ Eccleſiæ in tota diœceſi pro ipſorum arbitrio, non ſeruata lege iuſtitiæ diſtributiuæ, parce ac leuiſſime ſuo Clero miniſtrare; pauperibus vero ipſis debitã opem fortaſſe ſubtrahere. Qua de re vehementer queritur Hieronymus, ſiue alius auctor tractatus de ſeptem ordinibus Eccleſię. cuius querimoniam audiamus.

a 1. Cor. 4. 1.

XV. b *Diaconorum ordini tantum per dominum fuit conceſſum, vt ille ſolus ſacerdos in templo totum agere, & implere videatur.—Nunc autem ex quo in Eccleſiis, ſicut in Romano Imperio, creuit auaritia, periit lex de ſacerdote, & viſio de propheta. ſinguli quique per potentiam Epiſcopalis nominis, quam ſibi illicite abſque Eccleſia vendicarunt, totum quod Leuitarum eſt, in vſus ſuos redigunt; nec hoc ſibi quod ſcriptum eſt vendicant, ſed cunctis auferunt vniuerſa. Mendicat infelix Clericus in plateis, & ciuili operi mancipatus, publicam à quolibet depoſcit alimoniam. Et quidem ex eo deſpicitur cunctis ſacerdotale officium, dum miſericordia deſolatus iuſte putatur ad hanc ignominiam deueniſſe.*] Et infra; *ſolus incubat bonis, ſolus miniſterio vtitur, ſolus vniuerſa ſibi vendicat, ſolus partes inuadit alienas, ſolus occidit vniuerſos, &c.*] Vſurpationem hanc bonorum, & deplorandam proprietatem in Epiſcopis exaggerant Patres voce flebili ſæpiſſime, vt vidimus ſupra capite quinto: eaque occaſio fuit, vt diuiſio quædam reddituum Eccleſiaſticorum generalis, in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus præſcriberetur: ne Epiſcopi totum ſibi raperent, aut contra æquitatem diſpenſarent, ſed ipſi ſuam partem haberent; Clerici item, & Eccleſia, & pauperes ſuam, atque ita iam accedamus ad diuiſiones.

b Diſtinct. 93. c. Diaconi.

XVI. Diuiſionem porro variis modis variæ Eccleſiæ fecerunt, variaque tempora immutarunt. Inter Concilia ſane Catholica, ponitur ſynodus quædam Romana, à Syluestro Papa ſtatim poſt primum Nicænum celebrata: quæ ſitne plenæ auctoritatis, an apocrypha, mihi incertum eſt. In ea tamen inuenire eſt Canonem huiuſmodi à Sylueſtro, vt dicitur, ſancitum. c *Commoneo autem veſtrum conſortes monimentum, de redditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant; & quod primam partem exigat Eccleſia, vnam partem Pontifici cum fratribus releuandis, dimidiam Eccleſiis, dimidiam presbyteris & diaconibus, cum omni Clero vel peregrinis. conſtituit hunc ordinem, vt ſi quis de Clero vel presbyteris vniuerſi loci, quod commune eſt tranſire de hoc mundo. & ſi neminem de ſua generoſitate haberet conſortem, quicquid paupertas eius haberet, conferret Eccleſiæ, & exinde quatuor partes fierent ſicut dictum eſt.*]

c Syn. Ro. 2. ſub Sylu. c. 4.

XVII. Aurelianenſe Concilium primum. d *Antiquos*, inquit, *Canones relegentes, priora ſtatuta credimus renouanda, vt de his quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Epiſcopus ſibi vendicet; & medietatem ſibi diſpenſandam ſecundum gradus Clerus accipiat; tam de prædiis propriis, quam de omni commoditate, in Epiſcoporum poteſtate durantibus.*] Item. *De iis quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquorum Canonum ſtatuta ſeruentur, vt omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant. de iis tamen quæ in altario accreſcerent, tertia fideliter Epiſcopis deferatur, duæ Clericis. Decima autem ſecundum quoſdam ſingulis annis tertia pars, aut in tertio tota; ſed tamen nos ſequentes Romanos, ſingulis annis quartam partem, aut in quarto anno totam Epiſcopi recipiant.*] Ex hoc Concilio habes, Epiſcopos non modo adminiſtraſſe temporalia ſuarum Eccleſiarum Cathedralium ſeu matricum, ſed etiam reliquarum Eccleſiarum totius diœceſis. Et obſerua, nullam hic admitti proprietatem, ſed ſolam adminiſtrationẽ: conſtituitur enim, vt Epiſcopus diſpenſet vnam medietatem, alteram Clerus. Idem enim eſt in priore canone (ſibi vendicet) quod in poſteriore (in poteſtate conſiſtunt) hoc eſt ad diſpenſandum, & diſtribuendum. Et videtur hoc Concilium potius alleuiationem Epiſcopi inſpexiſſe, quam infidelitatem: vt non ſolus labore & cura diſpenſationum grauaretur.

d Concil. Aurel. 1. c. 16. 17.

XVIII. Toletanum quartum, enumeratis auaritiæ abuſibus, ſubdit; e *Pro qua re conſtitutum eſt à præſenti*

e Concil. Tol. 4. c. 32.

Concilio, Epiſcopos ita Diœceſes ſuas regere, vt nihil ex earum iure præſumant auferre, ſed iuxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de decimis, tributis, ac frugibus, tertiam conſequantur. Quod ſi amplius quidpiam ab eis præſumptum extiterit, per Concilium reſtauretur.] Neque hęc tertia pars donatur Epiſcopo, vt ipſius ſit Dominus, hanc enim poteſtatem non habet vllum Concilium ne generaliſſimum quidē, vt iam probaui, dominium nimirum verum in Eccleſia nullum eſſe; ſed vſum & diſpenſationem. ſed ad diſpenſandum Epiſcopo tertia relinquitur: duæ vero tertiæ ad diſpenſandum item Clero aſſignantur. Ex alio neſcio quo Toletano, ponit Gratianus

a 12. q. 2. c. ſancimus. huiuſmodi Canonem. a *Confirmamus, vt ſi Epiſcopi à Laicis aliqua accipiant dona, ſtatim in quatuor diuidant partes: Ita vt prima pars, ſecundum Apoſtolorum præcepta, titulorum nec non cæmiteriorum reſtaurationibus diligenter attribuatur, ſecunda Clericis, tertia cunctis pauperibus; quarta vero aduenis.*] Supponit enim Epiſcopum prius ex tota maſſa ſibi neceſſaria accipere: tum vero præſcribit reliquam diuiſionem. Ac difficile eſt mihi aſſentiri ex Apoſtolorum præcepto huiuſmodi fieri diuiſiones. Quia ad longum tempus inuenio Epiſcopos, abſque his certarum partium diuiſionibus, totam maſſam, pro varietate indigentię, diſpenſaſſe: neque de his diuiſionibus ante Simplicium obſeruare potui authenticam mentionem.

XIX. Bracarenſis Prouinciæ Patres in priori Concilio

b Concil. Bracar. 1. c. 25. hæc inter alia ſtatuunt. b *Placuit, vt de rebus Eccleſiaſticis tres æquæ fiant portiones: id eſt vna Epiſcopi, alia Clericorum, tertia in reparatione, vel in luminariis Eccleſiæ: de qua parte ſiue Archipresbyter, ſiue Archidiaconus illam adminiſtrans Epiſcopo faciat rationem.*] In poſteriori vero

c Concil. Bracar. 2. c. 2. aliquid amplius habent, nimirum, c *Placuit, vt nullus Epiſcoporum per ſuas diœceſes ambulans, præter honorem Cathedræ ſuæ. id eſt ſolidos duos, aliquid aliud per Eccleſias tollat. neq; tertiam partem ex quacunq; oblatione populi in Eccleſiis Parochialibus requirat; ſed illa tertia pars pro luminaribus Eccleſiæ, vel reparatione ſeruetur, & ſingulis annis Epiſcopo inde ratio fiat. Nam ſi tertiam partem illam Epiſcopus tollat, lumen, & ſartas tecta abſtulit Eccleſiæ.*]

XX. Vormatienſe: d *De redditu vero Eccleſiæ, & de ob-*

d Concil. Vorma. c. 7. *latione fidelium, quatuor fiant portiones: quarum vnam ſibi retineat Epiſcopus, alterã Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis nouerit reſeruandam.*]

XXI. Triburienſe ſub Arnulpho; e *Quatuor fieri par-*

e Concil. Tribur. c. 13. *tes iuxta Canones iudicamus, de decimis & oblationibus fidelium, vt vna ſit Epiſcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta reſtaurationi Eccleſiarum ſeruetur; ſicut in Epiſtola Gelaſii Papæ cap. 27. legitur.*] Hæc huius Concilij verba (*Vna ſit Epiſcopi*) vix poſſunt ad diſpenſationem trahi, ſed proprietatē videntur importare. Nec mirum, eſt enim ſermo de decimis & oblationibus, quæ ſolent eſſe valde exiguæ, neque ſufficientes ad ſupplendas horum quibus aſſignantur neceſſitates. ſit igitur ſua pars quarta Epiſcopo; hoc eſt accipiat totam, & pro ſua ſuſtentatione totam conſumat. in quo non eſt proprietas, ſed vſus; ita de aliis.

XXII. Nannetenſe etiam de ſolis decimis & oblationibus loquens monet, eas eſſe pauperum & hoſpitum & peregrinorum ſtipendia, ſacerdotibus com-

f Concil. Nannete. c. 10. mendatas ad diſpenſandum: & ſubdit; f *Qualiter vero diſpenſari debeant, Canones ſancti inſtituunt: ſcilicet vt quatuor partes inde fiant: vna ad fabricam Eccleſiæ releuandam, altera pauperibus diſtribuenda, tertia presbytero cum ſuis Clericis habenda, quarta Epiſcopo reſeruanda, vt quicquid exinde iuſſerit, prudenti conſilio fiat.*] Hi vero volunt illam partem, quæ dicitur Epiſcopo aſſignata, non ei tradi in proprietatem, ſed eius ſubiici diſpēſationi, vt illa iuxta ipſius conſilium & iuſſionem diſpenſetur.

Emeritenſe ait, g *Priſcis quidem Canonibus erat decretum, vt Epiſcopus de Parochianis Eccleſiis tertiam conſe-* XXIII. g 10. q. 3. c. Priſcis.
queretur, cui ſua pleniſſime ſufficere poſſunt. Placuit huic ſancto Concilio, vt nullus Prouinciæ Luſitanæ Epiſcopus ſententiæ huius terminum excedat, nec à qualibet Parochiana Eccleſia tertiam auferre præſumat, ſed quæ exinde conſequi poterat totum in reparatione ipſarum Baſilicarum proficiat.] Poſſet intelligi Canon de tertia parte, quæ debetur fabricæ, vt eam Epiſcopus non tollat, ſed quia ponitur ratio abundantiæ qua iam Epiſcopi exuberabant, potius intelligendus eſt de tertia parte quæ ipſis Epiſcopis per veteres Canones debebatur. Quod etiam innuunt illa verba (quæ exinde conſequi poterat) non poterat autem conſequi partem fabricæ, ſtante iam facta diuiſione. Obſeruo hunc Canonem etiam manifeſte de proprietate, nō de diſpenſatione loqui: quia nimirum iam aſſignabatur Epiſcopis portio propria pro eorum ſuſtentatione & aliquanto opulentior: ac propterea ſuperflua eis ſubtrahebantur, & in bonum vſum conuertebantur.

Tarraconenſe, h *Decreuimus*, inquit, *vt antiquæ* XXIV.
conſuetudinis ordo ſeruetur, & annuis vicibus ab Epiſcopo h 10. q. 1. c.
Diœceſes viſitentur. & ſi qua forte Baſilica fuerit reperta Decreuimus.
deſtituta, ordinatione eius reparari præcipiatur, quia tertia pars ex omnibus, per antiquam traditionem, vt accipiatur ab Epiſcopis, nouimus eſſe ſtatutum.]

Toletanum 16. decernit atque inſtituit; i *Vt* XXV.
tertias, quas antiqui Canones de Parochiis ſuis habendas E- i 10. q. 1. c.
piſcopis cenſuerunt, ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epi- Vas.
ſcopis diruta Eccleſiæ reparentur. ſin vero eas maluerint cedere, ab earundem Eccleſiarum cultoribus, ſub cura & ſollicitudine ſui Pontificis, reparatio eiſdem eſt adhibenda Baſilicis.] Et addit; *ſi Eccleſia non indigeat reparatione, liberũ ſit Epiſcopis ſuas tertias ab illis Eccleſiis accipere.*] Quod ego intelligo, ſiue ad vſum proprium ſi indigent, ſiue ad diſpenſandum pie, ſi non indigent. Atq; hæc concilia nunc ſufficiant quoad rerum Eccleſiaſticarum diuiſiones. Quid vero de iiſdem diuiſionibus Romani Pontifices ſtatuerint, paucis percurramus.

Poſt Sylueſtrum incertę fidei ſupra citatum, Sim- XXVI.
plicium ego obſeruaui primum de hoc ſtatuentem k Simpl. ep. 2.
his verbis. k *De redditibus Eccleſiæ, vel oblatione fidelium ſolo Epiſcopo ex his vna portio remittatur, duæ Eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ miniſtrentur, vltima inter ſe Clericis pro ſingulorum meritis diuidatur.* Et infra: *Cui etiam hoc ſpecialiter præcipimus imminere, vt tres illas portiones, quas per triennium dicitur ſibi tantummodo vendicaſſe, reſtituat.*] Hic erat Gaudentius Epiſcopus Aufinienſis, de pluribus delictis conuictus: Et ſane conſtat eum ſibi ſolitum omnes fere redditus Eccleſiæ appropriare fruendos, non diſpenſandos. Igitur dum Papa ei quartam partem concedit, non ad diſpenſandum eam concedit, ſed vt ad proprios ipſius vſus illi ſoli inſeruiat. facit ergo Dominum illius partis. Quoniam vero in Eccleſia nulla eſt poteſtas quæ poſſit hoc dominium conferre, vt docui & docebo, omnino cenſendum eſt facta quadam craſſiori computatione, quartam illam partem totam fuiſſe neceſſariam ad Epiſcopi illius ſuſtentationem. aut ſi maior fuit, dabatur ei cum honore & onere, vt videlicet in ea parte Epiſcopus quæ iuris eſſent exerceret; nimirum partem ſibi & proprius

legitimus

legitimis vſibus applicaret; ſuperfluum vero, iuxta
conſcientiam, & iura, diſpenſaret. Interim vero a-
lias tres partes à periculo vſurpationis liberabat
Simplicius. Et ſi in illa vna Epiſcopus ille aliquid in-
debite vſurpaſſet, id fuiſſet minus malum, & dictus
Epiſcopus rationem Deo erat daturus.

XXVII. Gelaſius, a *Nec cuiquam Clerico pro portione ſua ali-*
a 12 q. 2. c. vobis. *quod ſolum Eccleſiæ putetis eſſe deputandum: ſed omnis pen-*
ſionis ſummam ex omnibus prædiis ad Antiſtitem deferatis:
& quatuor portiones, vel de fidelium oblatione; vel de hac
fiant modis omnibus penſione ita vt vnam ſibi tollat An-
tiſtes; aliam Clericis pro ſuo iudicio & electione diſpertiat;
tertiam pauperibus, ſub omni conſcientia faciat erogari;
fabricis vero quartam, quæ competit ad ordinationem Pon-
tificis decernimus eſſe penſandam. Si quid forte ſub annua
remanebit expenſa, electo idoneo ab vtraque parte cuſtode,
tradatur enthecis, vt ſi maior emerſerit fabrica, ſit ſubſi-
dio: quod ex diuerſi temporis diligentia poterit cuſtodiri:
aut certe ematur poſſeßio, quæ vtilitates reſpiciat commu-
b c. Vlteran. ea. *nes.*] Item; b *Epiſcopi diſpenſatione portiones proueniant*
conſueta; ita vt portionem quartam quæ ad eos pertinet. ſua
pontifex ordinatione diſtribuat prout cuiuſque locum me-
ritumque cognoſcit, pariter etiam ex fidelium oblatione fa-
ciendum eſt vt Clericis quartam eroget: fabricarum etiam
portio, Epiſcopo ſciente & diſponente, veſtra erogatione
c c. conceſſo. eo. *pendatur.*] Item; c *Redditus & oblationes fidelium, in*
quatuor partes diuidat; quarum vnam ipſe ſibi retineat; al-
teram Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat:
fabricis tertiam; quartam pauperibus, & peregrinis.] I-
d c. Quatuor. ea. tem; d *Quatuor autem tam de redditu quam de oblatio-*
ne fidelium, prout cuiuslibet Eccleſia facultas admittit,
(ſicut dudum eſt rationabiliter decretum) conuenit fieri
portiones: quarum ſit vna Pontificis, altera Clericorum, ter-
tia pauperum, quarta fabricis applicanda.]

XXVIII. Gregorius, e *Cognoſcimus*, inquit, *de redditibus*
e Greg. l. 3. ind. 12. ep. 11. *Eccleſiæ nouiter acquiſitis, Canonicam diſpoſitionem quar-*
tarum minime prouenire; ſed Epiſcopos locorum diſtribuere
tantummodo quartam antiquorum redditruum, nunc vero
quæſita ſuis vſibus retinere, &c.] Mandatque tam de
veteribus, quam de nouis, quartam debere ſepara-
ri. Idem in reſponſionibus ad Auguſtinum Anglo-
f 12. q. 2. c. mos eſt. rum Epiſcopum ait. f *Vt de omni ſtipendio quod acce-*
dit, quatuor fieri debeant portiones, vna videlicet Epiſcopo
& familiæ eius propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem, alia
Clero, tertia vero pauperibus, quarta Eccleſiis reparandis.]
g Greg. l. 4. ind. 13. ep. 42. Idem cuidam Viſitatori pro Epiſcopo, g *Quicquid*
de redditibus Eccleſiæ ipſius acceſſerit, quatuor iuxta conſue-
tudinem oportet fieri portiones, vnam ſcilicet quæ Clero præ-
benda ſit, aliam quæ pauperibus: de reliquis autem duabus
partibus, tres fieri volumus, vnam ſartis tectis profuturam,
aliam pro ſuſtentatione ſua Caſtorio proprio Epiſcopo diri-
gendam, reliquam tibimet retinendam.]

XXIX. Gregorius 2. h *De redditu*, inquit, *Eccleſiæ, vel ob-*
h Greg. 2. ep. 3. *latione fidelium, quatuor faciat portiones Epiſcopus Boni-*
facius, quarum vnam ipſe ſibi retineat, alteram Clericis pro
officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperi-
bus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis nouerit re-
ſeruandam.]

XXX. Quibuſnam in rebus expendendi ſint redditus
Eccleſiaſtici, & oblationes, ſatis expoſui cap. 4. plu-
rimæ enim ſunt. Hi tamen qui expenſas regulare,
& Epiſcoporum adminiſtrationes moderati volue-
runt, vt vidimus, vt plurimum ad quatuor capita
expenſas omnes reduxerunt, nimirum ad Epiſco-
pi ſuſtentationem, Cleri alimoniam, pauperum le-
uamen, & Eccleſiæ reparationem. Ac merito ſane:
his enim quatuor capitibus includitur quicquid
Eccleſiæ bonis ſolet & poteſt adiuuari. Epiſcopo
vero, quamuis ſi ea ſpectes quæ de frugalitate &
paupertate docui capite primo, nimis magna vi-
deatur eſſe quarta pars omnium bonorum Eccle-
ſiaſticorum totius diœceſis, ea tamen nimia non e-
rit, dum ſpectes obligationem Epiſcopi eſſe vt ful-
geat hoſpitalitate, ad quod etiam aliquo eget fa-
mulitio; præterquam quod naturalem etiam fami-
liam potuerit habere vxoris, & liberorum; & con-
ſequenter etiam famulorum, & pediſſequarum:
quam totam familiam Epiſcopus, qui ſe totum de-
dicauit miniſteriis Eccleſiæ, & ab ſe etiam patrimo-
nium abdicauit, ex bonis Eccleſiæ, merito poterat
& debebat alere & ſuſtentare. Quod ſi quid ſuper-
eſſet, id nihilominus in pauperes erogare teneba-
tur: ſeu in alia pia opera expendere. Idem di-
co de Clero: cuius quarta pars in multis Eccle-
ſiis (ſi partes æquales fuerint) vix, puto, ei ad ſola ne-
ceſſaria ſatis eſſe potuerit: pauperum vero, captiuo-
rum, peregrinorum, ægrotorum, &c. neceſſitates, à
quacunque maxima parte tolli non poſſe arbitror,
ac propterea ſuperfluant quantum velis cæteræ par
tes, erit ſemper locus inter pauperes, quo ſuperflua
illa infundantur. ſicut & Eccleſiæ pars, ſi ſumptuo-
ſas iam ſpectes ſubſtructiones, ſi vaſa aurea, argen-
tea, ſi tabulas, ſi marmora, ſi ſericum, ſi byſſum, ſi
precioſam ſupellectilem, ſi cereos, ſi lampades, ſi
famulos, æditouos, campanarios, &c. maxime quæ-
cunque fuerit, minimam illam eſſe oportet. Sed
longe melius Patres, vt iam i oſtendi, eſſe putaue- i Supra cap. 5. n. 33. & ſeqq.
runt, ſi pompæ Eccleſiarum minuerentur, & pau-
peres magis ſubleuarẽtur. Partes ego illas omnino
æquales eſſe oportuiſſe cenſeo, nõ proportionales,
vt aliquis poſſet cogitare. Nam ſi proportionales
debuerunt eſſe, fruſtra remedium diuiſionis Eccle-
ſia præcepiſſet: in poteſtate enim Epiſcoporum re-
linquebatur vt partes minores vel maiores facerent
pro ſuo arbitratu. Et ſic neq; iniuſtæ diſtributioni,
neq; iuſtis querelis fraudatorum occurſum fuiſſet:
& id ex infra dicendis clarius patebit. Moneo dun-
taxat aliquando in Romana Eccleſia illũ vſum fuiſ-
ſe, vt etiam immobilia quæ ei donabantur, iuxta Ec
cleſiæ primitiuæ morem, venderentur, & precia illa
tripartito diſtribuerentur, Epiſcopo, Eccleſiæ &
Clero, ſi Theodoro lectori credimus, vt ſupra cap.
3. n. 11. huius libri retulimus; nec omnino ipſa ſtabi-
lia retinerentur.

His iam poſitis de vita communi, de proprietate, XXXI.
& de diuiſione, ad propoſitum huius capitis præ-
cipuum argumentum iam propius accedo. Qui no-
bis Prælatis nimium applaudunt, & noſtras cupi-
unt fouere pompas, auaritiam nutrire, ambitioni
arridere, & luxum, obducta larua cuiuſdam decen-
tiæ & honeſtatis, obumbrare, ij dicunt, antequam
facta fuerit hæc diuiſio, Epiſcopos, qui ſoli, aut ſal-
tem præcipui erant, vt vidimus, rerũ Eccleſiæ admi-
niſtratores, non potuiſſe vltra ſibi neceſſaria ex cõ-
munibus bonis quicquam amplius aſſumere, vt in-
numeris pene iam ego probaui documentis, & con-
ſequenter contra iuſtitiam illos tunc peccaſſe, qui
vlterius aliquid in proprios, aut ſuorum vſus pro-
fanos, ex maſſa communi vſurparint: & conſequen
ter tunc furtum rapinamque fuiſſe, ac proinde ob-
ligatos ad reſtitutionem. Atque hoc omnes conce-
dunt melioris notæ Theologi atque Canoniſtæ, ſo-
lis illis adulatoribus exceptis, qui Domino Papæ
abſolutum Dominium in res vniuerſæ Eccleſiæ
perperam tradiderunt; quos iam ſatis confutaui-
mus.

Iam vero facta diuiſione prædiorum, conſtitu- XXXII.
tiſque inde certis præbendis, ac beneficiis, aſſigna-
taque cuique, non modo in vniuerſali, ſed etiam in
ſingulari ſua portione, omnino k volunt vnum- k Serm. de reddit. Eccl.

 quem-

a Sot. de iuſt. & iu. l. 10. q. 4. ar. 3 concl. 6. quemque fieri Dominum ſuorum redditiuum eo modo, quo Domini ſunt fructuum omnes vſufructuarij. Ego tamen in primis neſcio quando, quomodo, & à quo, & qua auctoritate facta ſit diuiſio hæc ſingularis prębendarum in ſingulis Eccleſiis, in quibus ſit aliquis numerus Clericorum. Ex hactenus enim à me productis Conciliis, Canonibus, & Decretis (produxi autem omnia quotquot inueni, de diuiſionibus ſtatuentia) nondum habemus hāc ſingillatim factam prædiorum diſſectionem in prębendas; ſed habemus duntaxat fructuum & prouentum ex ipſis prædiis collectorum, nec non oblationum ac decimarum in illas partes genericas diuiſionem. Quæ diuiſio nullam profecto ponit varietatem ab eo quod prius erat: nam quantitatem potius iſta decreta determinant diuiſionis per Epiſcopum faciendæ, quam modum varient: Neq; quicquam Epiſcopis derogatur in poteſtate quam habent vt veri, & proprii adminiſtratores: neque eis ſubtrahitur vlla bonorum pars quæ adhuc ſub eorum adminiſtratione non perſiſtat. Quamuis enim Eccleſia dominiū habeat in hæc bona, ex quo etiam poſſit ſuos adminiſtratores corrigere, dirigere, moderari, &c. imo ſi placet etiam in totum deijcere, & mutare, vnde & Chryſoſtomus ſupra cap. 3. n. 13. cupiebat laicos aſſumere hanc adminiſtrationem, in reuerentiam tamen Apoſtolorum, & tot ſanctiſſimorum canonū qui Epiſcopis hoc munus, vt omnis ratio dictat perpetuo demandarunt, ſicut nunquam hactenus fecit, ita neq; arbitror nunquā facturam. Modus itaq; tantum Epiſcopis ſeruandus ab Eccleſia præſcribitur, non aufertur adminiſtratio, vt videlicet non ſit liberum Epiſcopo plus conſumere in fabrica, quam in pauperes, ſeu plus in ſe, aut in Clero vltra neceſſitatem eleuando, quā in pauperibus ſubleuandis. Sicut itaq; pauperes, dum quarta pars ipſis diſtribuitur, non fiunt plus Domini, quam prius, ita neq; Clerus, neq; Epiſcopus, neque Eccleſia: ſolus enim vſus, vt toties docui, non dominium datur hiſce diuiſionibus, & diſpenſationibus. Diuiſionem autem prædiorum nullam inuenio, cum aſſignatione ad ſingula capita Epiſcopi & Cleri, imo inuenio diuiſionem hanc in præbendas prohiberi. dicebat enim ſupra Gelaſius: a *Nec cuiquam Clerico, pro portione ſua, aliquod ſolum Eccleſiæ putetis eſſe deputandum.*] & gratis ibidem Gloſſa ait; *Hic prohiberi præbendarum diuiſionem, quia Clerici fuerunt ſuſpecti; ſed vbi non ſunt ſuſpecti bene poſſe diuidi.* Hoc ſuo tantum arbitrio dicit. Lex vero generalis non reſpicit accidentia mutabilia. & quid facit ad hoc ſuſpicio? nonne Clericus ſiue ſit ſuſpectus, ſiue non, debet ab Eccleſia ſuſtentari? & ſi Eccleſia ei debet alimenta ex maſſa communi, dum communis eſt, cur non poſſunt eidem etiam in præbenda aſſignari? & ſuſpectis non ne poſſunt & ſolent ſuccedere boni? b Gratianus ſane quia proprietatem à Clerico eſſe alieniſſimam videbat, hinc probabat præbendas nō poſſe inſtitui, vt ex illis annuos redditus quiſq; ſibi ſpecialiter vindicet. quoniam tamen iam diuiſas eſſe paſſim cernebat, hoc alio modo ſaluare & excuſare non potuit, niſi quod præbendæ ipſæ præbendatis, in ſolam adminiſtrationem aſſignentur, vt iuxta naturam bonorum Eccleſiaſticorum inde ſibi prius ſumant neceſſaria: c *ſi qua vero* inquit, *ſuis neceſſitatibus ſuperſunt, in communes vſus Eccleſiæ expendant.*] Diuiſio itaque hæc præbendarum, verè illegitima, & contra canones facta, & proprietatis peſſimæ inductiua, nihil prodeſt præbendato; neque verè facit beneficium (eo ſenſu quo nunc accipitur beneficium, cum dominio in redditus) ſed cura Epiſcopi transfertur (quo iure neſcio) in Canonicum pro illa particula, cum eadem tamen obligatione, quam ante diuiſionem habebat Epiſcopus. Volue, & reuolue ſcripta Eccleſiaſtica, nunquam inuenies diuiſionem hanc præbendarum, & beneficiorum, ſeparatorum, ab Eccleſia factam eſſe, vel vllam legitimam habere inſtitutionem.

a 12. q. 2. c. vobis.

b 12. q. 1. c. illi autem § de rebus.

c 12. q. 1. c. nulli § ſi ergo.

Dices, *Si præbendæ non ſunt vera, neque legitima beneficia, erunt ſaltem beneficia Eccleſiæ illæ, ſeu capellæ quæ peculiarem habent dotem, ac bona peculiaria ipſis a fundatoribus aſſignata; quæ bona cum ſint de ſe ab aliis bonis matricis Eccleſiæ ſeparata, conſtituunt beneficium per ſe, ita vt Rector talis Eccleſiæ iam habeat bona ſeparata ipſi attributa.* XXXIII. Reſpondeo primo, ex omnibus bonis Eccleſiaſticis totius diœceſis, (cuiuſcunque Eccleſiæ ſeu Capellæ illa ſint) iure vero Eccleſiaſtico fieri vnam maſſam, cuius totius maſſæ Epiſcopus iure antiquo communiſſimo, eſt adminiſtrator, & diſpenſator: & in vnaquaq; Eccleſia ſuæ diœceſis Epiſcopus habet ſuam partem, vt vidimus ſupra in Conciliis, Aurelianenſi, Bracarenſi, Emeritenſi, Toleten. 16 &c. & ipſius Epiſcopi eſt illa etiā bona, factis quatuor partibus, diſpenſare: ita vt poſt Epiſcopum, vnam partem habeat Rector illius Eccleſiæ, tertiam ipſa Eccleſia, quartam pauperes. Quod enim dicitur de Parochialibus, intelligendum omnino eſt de cæteris quibuſcunque, cum omnium ſit vna & eadem ratio. Quod ſi velis iam Epiſcopos, neſcio, quo iure, eſſe ſpoliatos hac participatione, & Rectorem in illa ſuccedere Epiſcopo, tunc cura tota Epiſcopi recidet in Rectorem, qui ſi canonice vult regere illam Eccleſiam, tenetur eaſdem partes facere, ſibi vnam, & tres alias, vt de iure; d ſoluto Cathedratico Epiſcopo.

d 10. q. 3. c. pleriq.

Vrgebit quis, ac proferet Epiſtolam ſecundam Dionyſij Papæ ad Seuerum Epiſcopum, vbi ait, e ſe nuper Romæ Eccleſias ſingulas ſingulis presbyteris dediſſe, eiſq; parochias, & Cœmeteria diuiſiſſe, & vnicuique ius proprium habere ſtatuiſſe, ita videlicet vt nullus alterius Parochæ terras, terminos, aut ius inuadat. Idemque faciendum per prouinciam Cordubenſem conſultus reſcribit. XXXIV. Reſpondeo officiorum diſtinctionem hinc ad ſummum haberi, non beneficiorum. Quia Epiſcopus per ſuos presbyteros, vt dixi, munera Eccleſiarum omnium ſuæ diœceſis implebat; bona tamen earum ad vnicum cumulum redigebantur, & ab Epiſcopo diſtribuebantur; & ſic non erant vera beneficia, vt nunc beneficium appellatur. Sed & hoc ipſum quod ex Dionyſio Papa profertur confictum eſt multis temporibus poſt Dionyſium. Epiſtola enim illa apocrypha eſt, & nullius autoritatis: nam & Concilia ſupra citata, in quibus adhuc regimen etiam parochialium Eccleſiarum pendet ab Epiſcopo, ſunt multo Dionyſio poſteriora. Quinimo etiam ipſa Dionyſij Epiſtola, ſi veriſſima eſſet, nondum ſeparat beneficia ab vniuerſali Epiſcopi regimine, quia continet & ipſa officiorum non beneficiorum ſtabilimenta. Vt videlicet presbyter quiſque non vagus & incertus, ſed idem & certus ſuam Eccleſiam regeret, cum aſſignatis ſuæ parochiæ limitibus, fortaſſe tunc primum diſtinctis; nec vnus in alterius paræcia munera Eccleſiaſtica exerceret. Hinc tamen non habemus presbyterum quemque ſuæ Eccleſiæ bona, & emolumenta ſeorſim accepiſſe in eaque plenum ius adminiſtrationis (excluſa Epiſcopi adminiſtratione) exercuiſſe. Potuerunt enim, vt tandiu factum eſt per Eccleſias, Parochi illi & diuiſas paræcias habere, &

e 13. q. 1. c. 1

interim

interim ex comuni maſſa, iuxta Epiſcopi diſtributionem, viuere & ſuſtentari. Scio reſcriptum fuiſſe [a Sym. ep. 3.] Cæſario Arelatenſi à Symmacho Papa, *a* Poſſeſſiones quas vnuſquiſque eccleſiæ proprio dedit, aut reliquit arbitrio alienandas quibuslibet titulis, aut diſtractionibus, vel ſub quocunque argumento, non eſſe: niſi forſitan, inquit, *aut Clericis honorum meritis, aut monaſteriis, religionis intuitu, aut certe peregrinis ſi neceſſitas largiri ſuaſerit, ſic tamen, vt hæc ipſa, non perpetuo ſed temporaliter perfruantur.*] Et ſic apparet initium aliquod beneficiorum, vbi extraordinarie, in recognitionem optime de eccleſia meritorum clericorum, vſusfructus alicuius eccleſiaſtici prædii, ad tempus illis concederetur.

XXXV. Diſtinguit quidem *b* Driedo bona præſertim [b Dried. de libert. Chriſt. l. 2. c. 4.] fructifera & habilia Eccleſiis data, in tria genera: quędã dicit eſſe propter Deum collata vel aſſignata clericis vel monachis ad ſuſtentationem. Alia relicta Epiſcopo, vti patri communi, pro ſuſtentatione pauperum, reparatione eccleſiæ, &c. alia demũ donata eccleſiis ſub certo onere, cum pacto & conditione talium orationum, Miſſarum, &c. Addit *c* [c Sot. de iuſt. & iu. l. 10. q. 4. ar. 3.] Sotus quartum genus, ex decimis. De primo genere, ait Driedo, illos qui talibus bonis ſuſtentantur teneri ex gratitudine orare pro fundatoribus, &c. Sed ſi non orent, non obligari ad reſtitutionem. & hoc merito quidẽ. Verum ſi epiſcopus vſurpet ſibi ex parte debita clericis, aut contra; vel ſi tam epiſcopo quam clericis abundat & ſuperfluit id quod ſic eis eſt donatum, quid? nihil ad hoc Diedo. In 2. genere, ſi epiſcopus defraudet, & non impendat iuxta mẽtem, & voluntatem donantis, ſed ſibi vſurpet, obligat eum ad reſtitutionem. In tertio genere beneficiatum facit dominũ abſolutum fructuum, modò impleat conditiones impoſitas. Meo tamen iudicio diſtinctiones iſtę nullę ſunt; nam, vt probaui, omnia quæ dantur eccleſiis, ad vnicam ſpectant maſſam: ſicut bona omnia particularium eccleſiarũ faciunt vnicum cumulum vniuerſalẽ totius eccleſiæ vniuerſalis, vt docebat Auguſt. *d* ſupra. [d Sup. c. 8. n. 2.] Ita bona plurium eccleſiarum eiuſdẽ diœceſis, conſtituunt vnicam maſſam in ſolidũ illius eccleſiæ particularis matricis. Ad epiſcopũ vero ſpectat, vt ex tota maſſa prouideatur omnib. eccleſiaſticis neceſſitatib. tum cleri, tum pauperũ, tum baſilicarum: atq; vt in primis conditiones fundatorũ, ſiue benefactorũ impleantur, quare omnia illa tria genera, etiam cum quarto decimarum, faciunt vnicam maſſam in ſolidum. Et intentio præcipua, vt ſupra docui, donantium eſt, vt eccleſia inde adiuuetur, & diuina miniſteria, diuinuſq; cultus promoueatur, & ſatis fit virtuali huic intentioni præcipuæ donantis, quam etiam eccleſia habet recipiendo, tametſi ex cauſa interdum omitterentur illæ Miſſæ, vel Pſalmodiæ: dummodo redditus illi ab eccleſia in aliquo maiori bono expendantur. Itaque ſola obligatio reſtitutionis erit in omnibus illis generibus, quando fructus illi in profanos vſus, & non pios conſumuntur, is enim qui ita conſumit, ſuppleat quantum velit ſuis miſſis vel orationibus, ſemper fraudabit intentionem donantis, & eccleſiæ; neque vllam habet probabilitatem, intentionem donantis eſſe, vt presbyter beneficatus prouentu mille aureorum, dummodo dicat Miſſam quotidie, & officium legat, poſſit, vltra propriam ſuſtentationem, illis prouentibus concubinas alere, aleis ludere, quotidiè in cauponis inebriari, & ſimilia facinora committere. *e* [e Ambr. offic. l. 2. c. 16.] *Nemo enim*, inquit Ambroſius, *vult niſi pauperi proficere ſuam collationem.*]

XXXVI. Non habemus profecto excuſationem vllam, etiam poſita quacunque diuiſione tanquam legitima, & ſeparatione beneficiorum, à cumulo totarũ matricũ eccleſiarũ, quid facit diuiſio? nunquid poteſt illa immutare naturã bonorũ eccleſiaſticorũ? profecto illa ſunt eadem quæ ſemper fuerunt, vt ſolo vſu, & ſane pio, ac eccleſiaſtico, nobis eccleſiaſticis inſeruiant; dominium verum illarum in eccleſia ſola eſt communitate: proprietas vera in eccleſiaſticis nulla eſt; vera & propria paupertas in clerico ab eccleſia ſuſtentato, neceſſaria eſt: hæc omnia iam abunde probaui. Diuiſio cũ appropriatione in eccleſia nunquam facta eſt, ſed neque fieri debet. Quis enim poteſt iuſte eripere pauperi & dare diuiti? nonne hoc eſt ſacrilegium, & rapina iniuſtiſſima? Si mihi des ex bonis eccleſiæ plus quam mihi eſt neceſſarium, tu vis non modo me ſuſtentare vt laborantem pro euangelio, ſed etiam ditare, vt poſſim luxuriari, & quod datum eſt eccleſiæ ad ipſius iuuamen, & Chriſti obſequium, vt expediti curis temporalibus nos miniſtri in ſola ſpiritualia potiſſimum ſerio incumbamus, iam fit ei in dedecus, opprobrium & ruinam; & non tollit, ſed ponit impedimentum ad ſpiritualia ſeminanda. Ego prædicator Euangelij ab eccleſia ſumebam paratam in dies alimoniam, ne illam quærendo diſtraherer & diſtinerer, tu mihi obtrudis prædia & abundantiam, vt in illis curandis occupatus, & eorum *adipe ac pinguedine f impinguatus*, dere- [f Deut. 32. 15.] linquerem Euangelium, & recalcitratem. Atque hæc neceſſario ſequuntur, ſi diuiſio hæc dat dominium in fructus & proprietatem. Atque interim eripis pauperi quicquid mihi tribuis vltra meam frugalem ſuſtentationem. Nam præmium, & mercedem condignam ex diuina promiſſione in alia vita expecto.

Merito itaque etiam Papæ aufertur poteſtas (licet in ipſo eſſet illa cum plenitudine) tales diuiſiones faciendi, aut donandi beneficiato fructus beneficii, cum totali proprietate, & dominio in illos. XXXVII.
Ait enim Caietanus: *g Nec putes propterea quod Papa habet plenitudinem poteſtatis eccleſiaſticæ ob hoc poſſit de bonis Eccleſiæ diſponere, ſicut poteſt Eccleſia, quoniam plenitudo poteſtatis eccleſiaſticæ ipſius Papæ intelligitur in ſpiritualibus tantum.*] [g Caiet. 22. q. 43. ar. 8.] Et poſt pauca; *Vnde ita tenentur ad reſtitutionem qui à Papa bona eccleſiæ pro libito Papæ habuerunt, vt ditentur, exaltentur, & magnificentur, ſicut qui ab aliis Prælatis ſimilia eccleſiæ bona acceperunt.*] Hæc optime ſane Caietanus. Cum enim dominium bonorum temporalium eccleſiaſticorũ ſit tantummodo in communitate eccleſiæ, vt ſupra poſuimus capite ſexto, numero 10. 11. & Prælati quicunque non ſint niſi puri adminiſtratores, non poſſunt illi, etiam Papa, verum dominii actum exercere. Actus vero veriſſimi dominij eſt ſi ad profana res conſumatur extra vſus eccleſiaſticos, qui ſoli adminiſtratoribus, etiam cũ alienatione ſunt conceſſi, vt tradidi cap 6. numero 31. & ſequentib. Merito ergo dixit Caietanus ad reſtitutionem teneri eos qui à Papa & Prælatis habuerunt bona eccleſiaſtica, vt ditentur, exaltentur & magnificẽtur. Quod eſt ea habuiſſe non titulo ſibi debitę ab eccleſia neceſſarię ſuſtẽtationis, vel alio iuſto titulo, quo liceat adminiſtratori res eccleſiæ etiã cum alienatione diſpẽſare & dominiũ illud conditionarum exercere. Ego vero conſequenter ad explicata capite præcedenti de dominio addo illos ad reſtitutionem teneri, etiamſi (dato eo quod puto eſſe impoſſibile) id habuerint ab ipſa comunitate Eccleſię, vt ditentur tantummodo, exaltentur, & magnificentur. Quia ne Eccleſia

quidem eſt domina illa pleniſſima: & donationes omnes factas eccleſiæ inuenimus conditionatas cap. 6. præcedenti n. 12.

XXXVIII. Papalem vero donationem non facere tutos in conſcientia illos, qui ab eo Eccleſiaſtica bona cum proprietate vera habuerunt, confirmat etiam In-
a c. Cum ad monaſterium de ſtat. monac. nocentij III. decretalis, quæ ſic aperte definit. *a Nec æſtimet Abbas quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare; quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere.*] Et verum dicit: Monachus enim cum proprietate, non eſt amplius monachus, ſi ei indulgeas proprietatem, ſicut & nuptias, ſtatim illum exmonachum feciſti. Et nulla poteſtas eſt in terris quæ poſſit facere vt monachus, retento monachatu eſſentiali, habeat proprietatem. Idem prorſus neceſſe eſt dicat Innocentius etiam de Clerico: iam enim oſtendi non minus eſſentiale eſſe clerico vt careat proprietate, ſi velit ali ab Eccleſia, quam ſit monacho paupertas eſſentialis. Imo Clerici vinculũ in hoc genere puto arctius quam monachi: nam Chriſti inſtitutione, clericus debet renunciare omnibus quæ poſſidet, ſi vult eſſe clericus, & ab eccleſia ſuſtentari: monachalis vero regula non ex immediata Chriſti inſtitutione ſed hominum, id vitæ genus eſt amplexa, vt docui lib. 2. cap. 12. Et eccleſia ſine monachis facile poteſt
b Cypr. l. 4. ep. 9. ſubſiſtere, ſine clericis non poteſt. *b Eccleſia enim*, vt ait Cyprianus, *eſt plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens.*] Et Hieronymus. *c Eccleſia*, inquit, *non*
c Hieron. Dial. adu. Lucif. ante fin. *eſt, quæ non habeat ſacerdotem.*] Clericos ſane, ego puto in nullo differre à monachis etiam Franciſcanis, quo ad excluſionem proprietatis niſi quod clerici in communi poſſint retinere prædia (atque vtinam hoc legitime, certe non ex primæua eccleſiæ fundatione) ſecus Franciſcani. Sed & aliud diſcrimen pono inter monachos & clericos, quoad proprietatem quod monachus non modo non poteſt ſibi eccleſiaſtica bona appropriare, ſed ne vlla alia quidem, cuiuſcunque generis: at vero clerico eccleſiam non grauanti, illi tamen inſeruienti, permitti poteſt proprietas bonorum, extra eccleſiam poſitorum: proprietas tamen in bonis eccleſiaſticis nihilo ſecius abdicanda eſt à clerico, quam à monacho, multo magis, non ratione voti, ſed generis vitæ, & profeſſionis.

XXXIX. Dicant mihi obſecro illi, qui diuiſionibus ſe tuentur, cur facta eſt diuiſio? Duas tantum cauſas poſſunt afferre, vnam vt Epiſcopus leuaretur in parte labore diſpenſationis, alteram & præcipuam vt tolleretur Epiſcopis commoditas vſurpationum; & conſequenter præciderentur occaſiones rixarum, & murmurationum longe peiorum, quã
d Act. 6. 1. fuerunt in primitiua eccleſia, *quãdo d factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.*] Ac ne ipſi Epiſcopi nimis ditarentur, & eccleſiam fraudarent, plus ſumendo ſibi, quam neceſſitas poſtularet. Sane ſi diuiſio facta eſt ob priorem cauſam, partes omnes quatuor, à quocunque diuidantur, eadem lege diuidi, & diſpenſari debent, qua Epiſcopi ſoli illas, dum vnicum fecerunt cumulum, diſpenſabant. Si ob poſteriorem, profecto admiſſa proprietate, quam iſti prætendunt ex diuiſione oriri, incidimus in Scyllam, cupiẽtes vitare Carybdim. Prius enim; data quacunque vſurpatione, Epiſcopi vix fortaſſe decimam partem totius maſſæ ſibi applicabant, nam vellent, nollent, cogebantur totum clerum alere etiamſi fortaſſe parcius, & eccleſias ſartas, tectas conſeruare, & vtenſilibus ac luminaribus adornare, & hoſpites recipere, & pauperibus erogare, &c. Iam vero facti domini abſoluti integræ prius dimidiæ, deinde tertiæ, demum quartæ partis, quis non videt & longe ditiores fieri, & multo plus defraudare? atque vbi prius non licebat eis, niſi victum & veſtitum honeſtum ex bonis eccleſiæ quæ adminiſtrabant ſibi, & familiæ ſuæ deſumere, & reliqua omnia erant alio diſpertienda; iam vero poteſtas ipſis augetur, vt liceat multo plus ſumere quam neceſſitas exigat, neque quicquam erogare de ſuperfluis teneantur. Non eſt igitur facta diuiſio, ſeu præbendarum erectio, vt vlla proprietas vllumue dominium inducatur: ſed ſemper intelligitur facta, ita vt maneat eadem obligatio in diſpenſando, oſtendam vero capite poſtremo huius libri, eccleſiaſticos, ſecundum iura & vetera, & e noua, non poſſe teſtari de rebus per eccleſiam acquiſitis, ſiue ſit peculium, ſiue ager emptus, ſiue e c. Relatũ 2 de teſtamentis.
aliud, ſed omnium horum hæredem eſſe eccleſiam, quomodo ergo dicemus beneficiatum eſſe dominum abſolutum fructuum, ſi de illis non poteſt diſponere? Quicquid ex ipſis vſu conſumpſit legitimo, id bene conſumpſit, quicquid ſupereſt, id adhuc eſt eccleſiæ, quia bonum eſt eccleſiaſticum, & ad communitatem redit.

Vlterius dicant etiam, an putent in his diuiſio- XL.
nibus eccleſiam ſe dominio illo, quod habebat in omnia huiuſmodi bona, abdicaſſe, & illud in beneficiarios tranſtuliſſe? Id ego neminem aſſerturum arbitror. Donatores enim ſemper Eccleſiæ, & non beneficiariis niſi vſum ſua donare intendunt, & ſi eccleſia in Epiſcopos, quos perpetuos habuit adminiſtratores ex ipſa etiam Apoſtolorum inſtitutione, nunquam tranſtulit dominium, ſed nudam & ſolam adminiſtrationem, vt probaui capite præcedenti quis dicat, per has diuiſiones illam in beneficiarios quoſcunque, etiam epiſcopis inferiores, dominium ſuum tranſtuliſſe, ſeque eo in totum penitus priuaſſe? Per has igitur diuiſiones eccleſia ad ſummum multiplicat adminiſtratores, non facit tamen ſui loco dominos. Quanquam, ne hanc quidem multiplicationem ſim paulo poſt, vt ab eccleſia factam, conceſſurus. Quin imo, cum ne eccleſia quidem ipſa habeat liberum dominium in hæc bona, ſed conditionatum, vt ſæpius iam explicaui, vt ei non liceat bona hæc dilapidare, nec in profanos vſus conuertere, certe beneficiarij maius dominium non poſſunt habere, quam habuerit eccleſia, à qua ſola illi hoc dominium ſe ſuſcepiſſe poſſunt affirmare. Cum itaque eccleſia ius non habeat vtendi his bonis, niſi vſu pio & eccleſiaſtico, hoc eſt, in ſolos egenos & miniſtros, & non niſi quantum neceſſitas ſola cuiuſque poſtulat: beneficiarij etiam maius non poſſunt hoc ius habere. Nam & quando prædium commune diuiditur, ſi illud habet annexum onus legati pij, vel eſt hypothecatum pro debito, vel alio modo grauatum, non puto poſſe negari, etiam poſt diuiſionem, pro rata partes eiuſdem ſecum neceſſario ferre onera omnia & grauamina. Prædia vero eccleſiaſtica ante diuiſionem erant obligata, vt quicquid ex eorum fructibus ſupereſſet eccleſiaſticorum miniſtrorum parcæ ſuſtentationi in pauperes erogaretur, iuxta illud Gregorij, *f Omne quod ſupereſt neceſſitati-* f Greg. l. 11.
bus, in cauſis pijs & religioſis erogandum eſt.] Et Bernar- ep. 31.
di: *g Superflua quibus egeni ſuſtentandi forent, impie ſacri-* g Bernar. in
legeq; retinent ſibi.] Vt merito Gratianus, vt ſuperius cantic. 14.
vidimus, etiam poſt factam diuiſionem & præbendarum erectionem, adhuc obliget beneficiatos &

præben-

præbendatos, ad erogandum pauperibus, quicquid ipſorum honeſtæ & modeſtæ ſuſtentationi ſuperfuerit. Et hanc obligationem ponit ex iuſtitia, quia bona illa *a* agnoſcit perpetuo eſſe bona communitatis, & non propria beneficiati: & lex illa generalis quæ ante diuiſionem præſcribit, *b* Vt ſi præter victum & veſtitum neceſſarium aliquid ſuperſit Epiſcopo, id alienare tanquam dominus non poſſit, ſed egentibus erogare debeat; proculdubio tota conuenit etiam cuicunq; beneficato poſt diuiſionem. Et Gregor. *c* quartam partem Epiſcopi adhuc obligat hoſpitalitati & pauperum ſuſceptioni. Et Auguſtinus dicebat de Epiſcopis, *d Si pauperum compauperes ſumus, & noſtra ſunt* bona eccleſiaſtica *& illorum. Si autem priuatim quæ nobis ſufficiant poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus.*] Quis vero auſus eſt bona communia facere priuata ſecundum partes, ſi Auguſtinus, etiam id quod pro ſolis neceſſitatibus Epiſcopi ſumunt, non vult eſſe proprium Epiſcopi, ſed pauperum, hoc eſt Epiſcopum ſibi ex bonis communibus aliquid impertiri tanquam pauperi, & in illo ipſo quod ipſe eſt conſumpturus, nullum agnoſcit ſuum dominium, nullam proprietatem; quia illud accipit non vt Epiſcopus, ſed vt pauper, putaſne Auguſtinum conſenſurum vt maxima pars prædiorum eccleſiaſticorum ad priuatum & proprium ſolum vſum tranſeat Epiſcoporum, aliorumue beneficiatorum?

a 12. q. 1. c. Nulli §. ſi ergo.
b 10. q. 2. c. Epiſcopus.
c 12. q. 2. c. Mos eſt.
d Aug. ep. 50. ad Boniſ.

XLI. Dices cum Soto, *Cur ergo facta eſt diuiſio? certe ſi illa non dat dominium, fruſtranea erit: facta ergo videtur vt certa eſſet ſua cuique portio, nec Epiſcoporum fraudi locus eſſet, & plus iuſto caperent.*] Atque hoc mihi mirabile videtur, quomodo ex diuiſione hac Epiſcopis omnibus ſua iuſta portio aſſignatur, non plus, non minus, quam ſit iuſtum: An omnes eccleſiæ diuitijs æque pollent? Æqua ergo & iuſta portio erit ac ſufficiens, neque exuberans epiſcopi Caprulani, ſi quartam partem accipiat bonorum Caprulanæ eccleſiæ, perindeque erit iuſta, atque iuſta eſt quarta pars Epiſcopi Toletani. Iſte pro ſua quarta parte habet, vt dicitur, vltra quinquaginta millia aureorum in anno; ille vero ne trecentos quidem. An non omnes Epiſcopi in dignitate ſunt æquales? an non omnes æque homines? an non eadem ſingulorum corporalis neceſſitas & indigentia? an non omnium natura æque paucis contenta? an non omnes eiuſdem Chriſti eccleſiæ æque miniſtri? An non omnes æque canonicis ſubſtant regulis? Quis ergo ſanæ mentis aſſerat quartam eſſe certam & iuſtam cuiuſque portionem? & quartam ſeparatā impedire ne epiſcopi plus iuſto accipiant? quot enim ſunt qui in ſua quarta tantum accipiūt, quantum decem, viginti, & quinquaginta, & plures Epiſcopos poſſet alere abundanter, iuxta eccleſiaſticas ſanctiones? & plurimi ſunt Epiſcopi qui ſtipe ſane emendicata, ſi non etiam lucro turpi, ob egeſtatem coguntur miſeram vitam ſuſtentare. Reſpondeo itaq; errorem eſſe comuniſſimum noſtrorū ſcholaſticorū, (& ſane miror non parum) dum putant diuiſionē factam eſſe in eccleſia, ad hoc vt ſubtrahantur tres partes redditũu eccleſiaſticorū, imo vero etiam ipſorum prædiorū ab adminiſtratione Epiſcoporum, ne poſſent amplius eos fraudare, in quorū vſum debent expendi. Quod tamen eſſe perquam falſum docent canones pene omnes, aut ſaltem præcipui quos ſupra recenſui de diuiſionibus hiſce aliquid ſtatuentes. Illi enim Epiſcopis adminiſtrationem non auferunt, vt iam monui, ſed præcipiunt in quota debeant ipſos redditus diſtribuere, vt videlicet, factis quatuor æquis portionibus totius comunis cumuli fructuū, reddituū, oblationū decimarum, &c. ſibi vnam ſolam quartam Epiſcopus retineat: vt ex illa, ſibi ante omnia, de neceſſariis prouideat; ſi quid vero ſuperſit, diſtribuat ille pro ſui libito, eccleſiaſtica tamē diſtributione, h. e. ad pias tantum cauſas, quaſcunq; illi placuerit. Etſi tota quarta pars ei nō ſit ſatis pro ipſius honeſta & frugali ſuſtētatione, ante omnia; ex tota maſſa, ſibi plene prouideat, tū vero reliquū totū in tres æquas partes diſpertiatur, & ſingulas diſpenſet ipſe: vnam totam clero, aliam pauperibus, vnam vero ipſe expendat in eccleſiæ luminaria & ornamenta.

Sed eſto concedatur nunc, eccleſiam ipſam tres partes ab adminiſtratione epiſcopi omnino ſeparaſſe, & eas in clerum, eccleſiam & pauperes tranſtuliſſe, (quod fortaſſe comoditatis gratia, ſi non & auaritiæ ſoli epiſcopi fecerunt, vt ſe moleſtia cleri interdum inſatiabilis liberarent, & quod ſibi reſeruabant, liberius ſibi ſolis, vt iam faciunt, poſſiderent) & potuiſſe ac debuiſſe facere: vbi conſtat diuiſionem hanc, dum inopinato emergerent beneficia, factā eſſe cum vera quartarum diſſectione, & non niſi quartam epiſcopis attributam? Concedatur etiam id factum; vt ſublatis tribus partibus ab epiſcopi adminiſtratione, ne fraudaret, quarta ipſi relinqueretur, tunc enim dicam, non tam quartam epiſcopo attribui, quam tres partes ei adimi, vt ſaltem hæ tres abſq; vllo periculo ad clerum, templa, & pauperes tuto peruenirēt: Et, ſi epiſcopus vellet fraudē comittere, eā in ſola ad ſumum quarta parte, h. e. in eo, in quo illa neceſſitates ipſius ſuperat, exerceret Cæterum conſcientiæ ipſius relinqueretur, vt ne in illa quidem ſibi accipiat, quod ei non debetur; Ac propterea, vt ſupra eſt videre, *Patres Concilij Nannetenſis, quartam partem decimarum, & oblationum ibi copioſarum aſſignant Epiſcopo, non vt proprium, ſed vt quicquid exinde iuſſerit, prudenti conſilio fiat.*] Quæ verba ſecum ſolam important diſpenſationem; & ſupponunt adhuc partem illam in manibus ſubſiſtere œconomorum, qui ad iuſſionem Epiſcopi illam debeant diſpenſare, neceſſitatibus Epiſcopi inde prius occurrendo. Et ex Auguſtino, Gregorio, & Gratiano, paulo ante oſtendi, Epiſcopum, etiam poſt aſſignationem ſuæ quartæ, teneri ad eam, ſi quid ſuperſit, diſtribuendam. XLII.

Quod dixi de Epiſcopo, idem prorſus dicendum eſt de clero & fabrica: Vt ſi quarta pars cleri ſuperat ipſius indigentiam, quicquid ſingulis, poſt diuiſionem illius quartæ partis in ſingulos, ſupereſt, id totum eſt in pios vſus conuertendum. Neque enim ſequendam puto Caietani nimiam religionem, *e* qui ſuperflua Epiſcopi, aut alterius beneficiati, vult ſtatim in quatuor partes rurſus ſubdiuidi debere, & diſtribui: ſatis enim eſt ſi in quoſcunq; pios vſus illa expendantur. Sic etiam Eccleſia, ſi nō eget reparatione, neq; ſupellectili neceſſaria; aut ſi quid ei inde ſupereſt, id omnino ad pios vſus tranſire debet: nam ſumptus magni in eccleſiis, à ſanctis non approbantur. De quarta pauperum parte non eſt cūr hoc caueamus; pauperes enim latiſſime patent: & nunquam tam diues eſt eccleſia, vt poſſit quarta hæc pars ſufficere, nedum ex ea quicquam ſupereſſe; vt tradit ſupra *f* Chryſoſtomus: imo licet pauperibus ſit iā tota quarta pars diſtributa, quicquid reliquis tribus ſuperfluit, totum id in ipſos potiſſimum eſt elargiendum. XLIII.

e Caiet. 2. 2. q. 185. ar. 7.
f Chryſ. ho. 86. in Mat. & ho. 21. in 1. Cor. & ho. 37. ad pop. Antioc.

XLIV. Obiicit præterea Sotus, *iniquum eſſe, ſi epiſcopis ab*

Eccleſia

Eccleſia ſtipendia non decernantur iuſta, qua in omni Republica magiſtratibus ita deputantur, vt ſint eorum domini. Sed hæc obiectio nimium carnem ſapit. Et cui potiſſimum nunc dicit Deus, *a* Egó ero merces tua magna nimis? & cur clericus dicit *b* pars mea Deus in æternum? *c Verus prædicator*, inquit Gregorius, *non ideo prædicare debet vt in hoc tempore mercedem recipiat: ſed ideo mercedem recipere* (hoc eſt ſolam ſuſtentationem) *vt prædicare ſubſiſtat.*] Et Proſper; *d Eccleſia non reddit præmium laboranti, ſed præſtat tantum neceſſaria indigenti, vt in futuro præmium laboris ſui recipiat.* Et Auguſtinus; *e Qui pro emolumentis temporalibus Deo ſeruit & Euangelio, non Deo, ſed Mammonæ ſeruire conuincitur.*]

a Gen.15.1. b Pſ.72.26. c Greg.ho. 17.in Euangel. d In Conc. Aquiſg. c.108. e Aug.de oper.mon. c.26.

XLV. Obijcit vlterius Sotus; obligari non poſſe Epiſcopum ad reſtitutionem, ſi ſuperflua in profanos vſus abſumat; quia ſi hoc anno in hoc peccauit, ſequentibus vero annis ſola neceſſaria ſumat, vnde reſtituet? O nodum inſolubilem. Quærimuſne factum, an ius? ſtatuamus quid ſit de iure; hoc eſt peccetur ne in materia iuſtitiæ, factum vero pendebit à poſſibilitate, & quoties obligamus aliquem ad reſtitutionem, explicamus ei quid iuris: ſed ſemper reſtitutionem ipſam actualem poſſibilitate alligamus.

XLVI. Eſt & illa Soti obiectio, quam ipſe vehementiſſimam putat: quod certa regula conſtitui non poſſit, quantum ſit Epiſcopo neceſſarium, pro ſua decenti ſuſtentatione, *Nam neque id pendet*, inquit, *à quantitate diuitiarum eccleſiaſticarum, neq; à dignitate Eccleſiarum, neque ab ipſo ſtatu epiſcopali: quis enim poſſet ſumptus quos Epiſcopus facere poſſit admetiri? quod ſi ad prudentiam boni viri recurreris, opinionum ſurget magna varietas: & conſtituta certa ſumma, ſi parcius viuat, & ſibi ipſi ſubtrahat, certè dominus erit ſuperflui; quia iam dominus erat quantitatis pro neceſſitate eius illi ſtabilita & aſſignatæ.*] Atque hic longos facit calculos, & implicitas ſupputationes. Vno verbo reſpondeo, Epiſcopus quicunque ille ſit, ſumat pro ſe ſola neceſſaria, quæ parciſſime viuenti, vt canones præcipiunt, poſſint ſufficere. Quicquid ſupereſt, ſiue viuat parcius, ſiue paulo lautius, modo ne excedat limites ſacerdotalis modeſtiæ Chriſti miniſtri proprios, reliquum totum in pios vſus diſpenſet. Atque hæc eſt regula certiſſima, neq; vlla indiget calculatione. Sed contra hanc regulam ſic inſtat Sotus. Ex hac ſequitur, Epiſcopum reſpectu ſuorum bonorum nihil aliud eſſe, quam conuiuam ſedentem ad alienam mēſam, cui tantum comedere licet, quantum libuerit; ſed nihil amplius percipere, vt aſportetur. *Quod profectò*, inquit, *neſcio quis quantum ad rigorem iuſtitiæ concesſerit: Nam de officio miſericordiæ nihil modo loquimur. Porro enim ſi eccleſia cum bona in quatuor partes diuiſit hoc facere cogitaſſet, non illam præſtitiſſet prudentiam, quam certum eſt inſtinctu Spiritus ſancti habuiſſe: nam legem iuſtitiæ, quæ conſtitutiſſima eſſe debet, in ambiguo reliquiſſet, vtpote in humano arbitrio, quod maxime eſt variabile.* Hæc Sotus, qui ſi legiſſet omnia, quæ de paupertate, ꝓprietate, parſimonia, vita cōmuni ſcripſerunt patres, & concilia, ſanctiq; Pontifices ſtatuerunt, quæque magna ex parte ego in hoc libro hactenus protuli & mox producam ipſe prius obſeruaſſet, non fuiſſet ei viſum durum, epiſcopos re vera ſimillimos facere conuiuis. Nam & nobiles ſiue *f* Theologi ſiue *g* Canoniſtæ, Epiſcopos faciunt vſuarios tantum, & nō propriè *h* vſufructuarios: quia neque de fructibus ipſis, ſolo excepto vſu pio, poſſunt pro libito ſuæ voluntatis diſponere. Iuſtitiæ vero lex ab eccleſia ſtatui neque debuit neque potuit circa præciſam ſummam, quia *i* lex iuſto non eſt poſita. Et ſi per tot ſæcula abſque vlla certa lege epiſcopi pro ſuæ conſcientiæ dictamine totum aceruum bonorum ſuarum eccleſiarum adminiſtrarunt, ſubtractis eis, ſi vis, tribus partibus, quarta adhuc eis priſco iure relicta eſt, ipſorum diſcretione adminiſtranda.

f Gerſon.de temp.& veſtit.prælat. ad fin. g Duare.de eccl.min. ac benef. l.2. c.4. h Gloſ.in c. Duo ſunt 12. q.1. ver. Proprietatem. i 1.Tim.1. 9.

Sed neque deſunt regulæ plurimæ, quæ Epiſcopos cumulatiſſime, atque ad amuſſim pene poſſunt inſtruere, quo minus à iuſtitiæ tramite, in redditibus ſuarum eccleſiarum ipſorum adminiſtrationi relictis diſpenſandis, ne latum quidem vnguem, poſſint diſcedere. Conſulant Patres, conſulant Concilia, conſulant pios Doctores antiquiores, & erunt inſtructiſſimi. Conſtitutiones quæ dicuntur Apoſtolorum in primis illud habent. *k Sufficientem habeat victum & veſtitum Epiſcopus, vſui & dignitati accommodatum: non vtatur dominicis rebus, tanquam alienis, ſed moderate; dignus eſt enim mercenarius mercede ſua. Delicatus ne eſto, ne leuis ſed tantum expetat quæ faciunt ad conſeruandam naturam.*] Origenes de Epiſcopis ait, *l Ne quæramus amplius cibo ſimplici, & neceſſariis veſtimentis.*] Hieronymus monet Epiſcopum, *m Vt habens victum & veſtitum, his contentus ſit.* Et optimus diſpenſator eſt, qui ſibi nihil reſeruat, qui etiam obſeruauit verba illa Pauli, *n Diſcant autem noſtri bonis operibus præeſſe in neceſſariis vſibus & non infructuoſi ſint*, monere fideles, vt ſuis obſequiis miniſtros Euangelij alerent quidem, ſed non ditarent. *o Diſcant*, inquit ille, *miniſtrare, & miniſtrare non in quibuſcunque cauſis, ſed in neceſſariis vſibus: Habentes quippe victum & veſtimentum his contenti ſimus; & qui altario ſeruiunt de altario viuant: & qui participes ſpiritualium noſtrorum facti ſunt, debent nobis ſua participare carnalia.*] *p* Et, *Præter victum & veſtitum*, inquit, *& manifeſtas neceſſitates nihil cuiq; tribuas, ne filiorum panem canes comedant.*] Vides itaque non niſi neceſſaria vitæ ab eccleſia nobis eſſe ſumenda, quippe quorum maxime propria ſit frugalitas. Proſper; *q Accipere volumus, non vnde viuamus, ſed vnde cenſum noſtrum incrementis damnabilibus augeamus.*] Chryſoſtomus eccleſiæ Præſules audenter monet; *r Nil præter victum & veſtitum eos habere oportere.* Gregorius *ſ Quotidianum ſtipendium victus dicit Epiſcopus accipere: & non niſi pro laboribus.* Bernardus; *t Viuat*, inquit, *operarius de altario, vt iuxta eundem Apoſtolum alimenta, & quibus tegatur habens, his contentus ſit.* Et, *Sacrilega pauperibus crudelitate ſurripitur, quicquid ſibi miniſtri vltra victum accipiunt, & veſtitum.* Et, *ſint contenti alimenta corporis non irritamenta gulæ, aut incentiua libidinis, & quibus tegantur non quibus ornentur accipere.* Et, *u Modico eſt natura contenta, nec multi ſola in his neceſſaria quærunt.* Et, *x Quicquid, præter neceſſarium victum ac ſimplicem veſtitum, de altario retines, tuum nō eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt.*] Concilium Antiochenum, *y Habentes victum quotidianum & tegumentum corporis his contenti ſimus.* Et aliud, *z Si præter victum & veſtitum ſuperſit aliquid Epiſcopo, debet id in pauperes erogare.* Et aliud, *Epiſcopus cum multa parcitate debet rebus eccleſiæ vti, & nullatenus in proprias vtilitates importune diſperdere.*] Chryſanthus ille Epiſcopus, vt eſt in tripartita, nihil ex eccleſiæ ſuæ redditibus capere ſolitus fuit, niſi dominico die panes duos. Fatetur Aquinas, neque vllus negat, *a Non fuiſſe ante diuiſionem Epiſcopis aliam poteſtatem, quam victum & veſtitum honeſtum ſibi deſumendi.* Quis vero illam auxit? Nemo ſane potuit, aut debuit vt iam demonſtraui. Gerſonius vbi ſupra; *Quid ſunt*, inquit, *viri Eccleſiaſtici, niſi quidam Eleemoſynarii bonorum eccleſiaſticorum, & ipſorum quidem non domini* (& tamen loquitur poſt diuiſiones) *Sed diſpenſatores, in quibus hoc ſolum pro ſe & ſuis habent, quo*

XLVII.

k Conſtit. Apoſt.l.2. c.29. l Orig. tract. 31. in Matt. m Hiero.ep. 2. & 10 ep. n 1 Tit.c.1. & 12.q.2 c. Duo ſunt. & in Iſa. 5 & ſe. o Tit 3.8. Hiero.in ep.ad Tit. c.3. p Idem ep. 14. q In Concil. Aquiſg. c.111. r Chryſ.ho. 15.in 1. Tim. ſ Greg.ho. 17. in Euang. t Bern in Pſal.Qui hab ſer.6. u Idem de clemin.ad... relig. x Ep.ad Indian. y Concil. Antioch. c.25. z 1.10.q.2. 1. Epiſcopus a Aquinas q 185.ar. 7.& Gerſ. lib.6.c.12.

contentarri eos mandat Apoſtolus, alimenta ſcilicet, & quibus tegantur.]

XLVIII. Atque vt & ego aliquid mihi indulgeam, non ſum adeo rigidus, vt Epiſcopum velim, inſtar meri ſerui, aut vilis mercenarij, mendici pene vitam agere. Volo itaque Epiſcopum tantum ſumere, & ſeponere, vt ipſe, præter victum circa crapulam, veſtimenta habeat honeſta, non pompoſa, neque nimium precioſa, iuxta temporum varietatem commoda & opportuna. Famulos neceſſarios tantum, non ad pompam, & nudam clientelam, ſed qui hoſpitibus recipiendis, & bene tractandis ſint opportuni. Mulum ſiue equum viliorem, non militarem, ſiue etiam rhedam, pro itinere longiore, vbi præſertim magnæ ſunt ciuitates. Bibliothecam, & vtenſilia modeſta, etiam nonnulla argentea. Vbi tamẽ adſunt clerici opportuni, famulitiũ, volo ſibi ex illis cõficiat, non ad ſordida miniſteria, ſed ſint ipſius lectores, Bibliothecarii, amanuenſes, *a* cubicularii, hoſpitalarij, &c. Hos n. iam nutrit eccleſia: atque inde non exigui ſumptus euitantur. [*a Greg. l. 4. ep. 44.*] Seponat itaq; ſingulis annis ex fructibus Epiſcopus, & ita alij beneficiati cum proportione, quantum ad hæc omnia, & alia ſimilia nouerit poſſe abunde ſufficere; imo etiam nonnihil amplius, ſi ad finem anni omnia ſunt bono vſu conſumpta; bene, ſi vero adhuc aliquid supereſt, in pia opera id expendat: atque ita nunquam propriam vulnerabit conſcientiam, neque timeat, ſuis etiam propinquis (maxime vxori, & liberis, vbi coniugati ſunt miniſtri) ſi veri pauperes in ſuo ſtatu ſint, aliquid præparare, aut elargiri; *b De pauperibus*, inquit Hieronymus, *non diuitibus, nõ propinquis, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem, ſiue ille ſacerdos ſit, ſiue cognatus & affinis; nihil in illo aliud conſideres, quam paupertatem.*] [*b Hier. ep. 8*] Pauperem verum ego intelligo, qui in proprio ſtatu ſuo in quo natus eſt vt decenter illum ſuſtineat; indiget. Hic leuandus erit, non ditandus, non ad nimium altiorem conditionem eleuandus.

XLIX. *Indigeo* inquis, *gubernatione, cibum potumq; ſi præbet Eccleſia & veſtitum, quis me infirmum, valetudinarium, ſenem, egrotum, ſubleuabit?* Reſpondet Hieronymus, *c Aegrotanti tibi quilibet ſanctus frater aſſiſtat, & germana vel mater, aut probatæ qualibet apud omnes fidei. Quod ſi huiuſcemodi non fuerint conſanguinitatis, caſtimoniæq; perſonæ, multas anus nutrit eccleſia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant miniſtrando, vt infirmitas quoq; tua fructum habeat eleemoſynæ.*] [*c Hier. ep. 2.*] Bernard. etiam quædam admonitio huic plurimum videtur poſſe quadrare: ex qua diſcamus veram eccleſiaſtici hominis frugalitatem, & parſimoniã; quæ tamen neceſſarias non auferat commoditates: *d An non poſſet*, inquit, *eodem vaſculo & aqua manibus vergi, & vinum bibi? an non poſſet ardens lucere lucerna, niſi in candelabro aureo, vel argenteo? An non poſſet dormiri niſi ſuper varium ſtratum, aut ſub peregrino coopertorio? An non vnus aliquis miniſter poſſet & iumentum ligare, & ad menſam ſeruire, & lectulum præparare?*] [*d Bern. in Apol. ad Gul. Abb.*] Sed & ſi aliquando maiores velimus commoditates, non puto nos nimium à Deo corripiendos. Iam enim miniſtri euangelici cũ ſinguli teneantur reſidere, & non circumcurſare, rigore illo Apoſtolico non obligantur, vt relinquãt domos, agros, vxores, filios, &c. poſſunt ergo commodius viuere, non tamen ocioſe, nec delicioſe, ſed profecto citra illam iam à me reprobatam proprietatem, ſolo vſu, etiam ampliori, contenti.

Et qui legitimos liberos habent, inſtruant eos potius, pro conditione, vel virtutibus, vel artibus quibus poſſint ſe ſuſtentare, quam prædiis, & pecuniis: neque eos ſupra conditionem propriam euehant.

L. Ille ſolus, & quidem ſatis eminens & cõſpicuus ſcopulus ſola noſtri naufragij cauſa circa vſum vel abuſum eccleſiaſticorum redditium eſt euitandus, ne illos in vſus vllos profanos, qui vere & proprie ac proxime non ſint pij, impendamus: Ne theſaurizemus: ne agrum agro pro laicis noſtris nimium ditandis copulemus: ne pompas vanas ſectemur, ne munera ad occupandas dignitates ambitioſe multiplicemus: & ſimilia caueamus, ac ſalua res erit, qui enim ad iſta non inhiat, facile neceſſarijs ſolis erit contentus, & ſuperflua in pios vſus erogabit: ad quod beneficiarius quiſq; vt hactenus probaui, non modo ex charitate religioſa, ſed etiam ex iuſtitia omnino tenetur. Quod ſi illa profane expendat, non modo vſu turpi & inhoneſto, ſed etiam vſu alias de ſe non malo, non tamen pio, puta ſi inde filij vel conſanguinei non dico indigentes iuuentur, ſed ditentur, vel curiæ profuſis muneribus litetur, vel ambitioſa pompa quæratur, vel ſimilia agantur, ex dictis & probatis neceſſario ſequitur, horum bonorum ſuperfluorum conſumptores beneficiarios, quicunq; illi ſint, præter peccatum mortale furti & ſacrilegii; etiam ad reſtitutionem, quandiu poſſunt, faciendam eſſe obnoxios. Neque ſoli iniqui diſpenſatores, tanquã alienæ rei dilapidatores, vt reſtituant male conſumpta ſunt obligandi, ſed etiam illi ad quos res eccleſiaſtica illegitima donatione peruenit, domini ipſius legitimi nunquam eſſe poſſunt; non plus quam illi qui rem furto ſublatam à fure dono acceperunt, ac proinde reſtitutioni ſimiliter niſi donator reſtituerit, paratusue ſit, ex propriis, non ex eccleſiaſticis bonis erunt obnoxij, vt optime ſentiũt. *e* Caietanus, & *f* Nauarrus. [*e Caiet. 22. q. 43. ar. 8.* *f Nauar. de re id. eccl. q. 2. mon. 26.*]

LI. Moueant hæc omnia Catholicos eccleſiaſticos; quicunque bonorum eccleſiaſticorum copia abundant, vt ſibi oportune conſulant, neque Syrenum cantus audiant ad interitum: *Syrenas* Sotum & ſarmentum præcipuas agnoſcant, audiant potius in huius hoc fine cap. & niſi lapidei ſint contremiſcant, Iſidori Peluſiotæ patris antiquiſſimi piam admonitionem: *g In altero*, inquit, *ſeculo pronunciabitur contra eum*, (loquitur de Epiſcopis) *à Iudice incorrupto, in illo horribili Tribunali, cum clamabunt eſurientes his vocibus: Nos quidem vix cibos ad neceſſitatem naturæ ab hoc accepimus, hic vero deliciis perfluens, & opes congerens, reliqua in honores ſplendidos inſumpſit: Nudi dicent durior hic & difficilior quam hyems nobis fuit: Aegroti, Grauior ipſa ægritudine extitit. Pupilli; Nullum patrocinium ab eo tulimus: Vidua, Non attulit nobis conſolationem: Incluſi in carcere, Non ſtillauit in nos lacbrymam compaſſionis: Calamitoſi, Non porrexit nobis manum ſubleuationis: &, vt ſummatim dicam, tum omnes quorum eſt Epiſcopus ordinatus, in eum clamauerint, quid exiſtimas facturum eſſe iudicem incorruptum? An non grauiter puniet quem nec honor fecit meliorem? omnibus ſane liquet ita fore. Si quis verò non credit, pronunciationem ſententiæ in Euangelio legere poteſt: h Diuidet*, inquit, *eum, & partem eius cum infidelibus ponet.*] [*g Iſ. Peluſ. Epiſc. ad Pallad. Diac.* *h Luc. 12. 46.*]

Hactenus Iſidor. Nos caueamus.

CAPVT VIII.

CAPVT VIII.

Cum ſacro ordine beneficium ab Epiſcopo conferri.

SVMMA CAPITIS.

De Collatore quæſtio inducitur.n.1.

Collatio beneficii pendet ex ordinatione, itaque Epiſcopi ſunt veri collatores n 2.3.4. Traditio Apoſtolica id habet.n.5.6.& Patres conſentiunt, ac Concilia, nec non ipſi priſci Romani Pontifices à n.5. ad n.10.

Quomodo capitula Canonicorum conferunt? n.11 12.

Papa non eſt Collator extra ſuam diæceſim, niſi per varias ſurreptiones, quibus tandem venerunt ad iniuſtas reſeruationes.à n.13 ad n.27.

Contra reſeruationes Papales & gratias exſpectatiuas tumultuatum eſt in eccleſia, & in Conciliis, & contra eas Pragmatica ſanctio in Regno Galliæ.à n 28.ad n 34.

Vſurpat etiam Papa vniones, permutationes, & varias deuolutiones electionum, & collationum.n.35.36.37.Cum graui iniuria Eiſcoporum.n.38.

I. *a Duar.de minist.eccl.& benef.l.2.c.4.* BENEFICII Eccleſiaſtici nomine iam intelligimus, vt definit Duarenus, *a Rem eccleſiaſticam, præſertim immobilem & fructiferam, quæ ſacerdoti, vel Clerico, ob ſacrum miniſterium vtenda in perpetuum conceditur.*] Quemadmodum igitur beneficia hoc ſenſu ſumpta, furtiue, & per poſticum in eccleſiam ſunt ingreſſa; vt capite præcedenti num.32.33. eſt oſtenſum, quia præbendarum erectionem ac diuiſionem hanc quam in beneficiis iam cernimus, non modo legitime factam inuenire non potuimus, ſed etiam legitime eam fieri non potuiſſe, contra continuas eccleſiæ conſuetudines & ſanctiones, iam conuicimus; ita profecto Collatoris ſeu Donatoris beneficiorum nomen inſolitum in eccleſia, & per mille à Chriſto & vltra annos prorſus inauditum, in eandem eccleſiam furtiue irrepſiſſe, & ſpurio aliquo inceſtuoſoquè partu exortum eſſe non dubitamus.

II. Epiſcopum ſane quenque in ſua Diœceſi generalem verum & proprium, iure pene diuino, aut ſaltem ipſa Apoſtolica traditione, & perpetuo eccleſiæ vſu, continuatiſque decretis iam fecimus rerum omnium eccleſiaſticarum adminiſtratorem, & diſpenſatorem. Collatorem tamen beneficiorum neque Epiſcopum, neque alium quenquam, per dictum tempus obſeruare quiuimus, niſi collatorem dicam Epiſcopum, quando per precarias prædium aliquod tribuat Clerico, vt iam explicaui. Atqui in hoc non reperies rationem beneficij eccleſiaſtici ſed beneficij tantum profani; Nam etiam laico precariæ concedi ſolent: & pro ſacro miniſterio nunquam dantur. Inuenies profecto paſſim, Epiſcopum dare *b* eccleſiam: Inuenies *c* presbyteros per Caſtella ac modicas Ciuitates atque Villas, ab Epiſcopis debere ordinari, & poni, ac intitulari. Sed à quoquam conferri beneficium, ſeu donari non inuenies. Ordinatio ſane, non ſolam & nudam ſignificat ſacri ordinis collationem, ſed ſimul etiam fere ſemper in eccleſia pura ſignificat deputationem ad certum certæ eccleſiæ ſacrum ſeruitium, & miniſterium. Abſolutas enim ordinationes, hoc eſt ſacri ordinis, præſertim presbyteratus conceſſionem, ſine deputatione ad certam eccleſiã, ſemper eſt abominata eccleſia, vt iã vidimus & probauimus ſupra cap.3.num.9.10. ordinare, eſſe miniſtrum ſuæ eccleſiæ deputare. Vnde & Gregorius *d* locum cui ſeruiendo in ſpiritualibus presbyter ſoleat deputari, vocat presbyteratum, ac ipſam deputationem ſeu aſſignationem vocat ordinationem, & hanc ad epiſcopum ſpectare ſupponit. Atq; hęc eſt collatio quam quęrimus, quę vt melius pateat accipe quæſo lector, hæc pauca loca.

b 16.q.7.c. Inuentum.
c Diſt.80. c.Epiſcopi.
d 7 q.1.c. Præſentium

III. Toletanum Concilium quartum. *e Quando, inquit, presbyteri in Parochiis ordinantur, libellum officialem à ſuo ſacerdote accipiant, vt ad eccleſias ſibi deputatas inſtructi ſuccedant.*] Ita & Arelatenſis quarta Synodus ſub Carolo: *f Quando, ait, presbyteri ab Epiſcopis in parochiis ordinantur, neceſſe eſt, vt ab Epiſcopis diligenter inſtructi eccleſias ſibi deputatas accipiant.*] Ita & in Concilio Moguntino ſub Rabano punitur ille, *g Qui alium presbyterum legitime ad eccleſiam ordinatum expulerit* Audis igitur in ordinatione Parochorum adeſſe etiam deputationem: ac intelligis ordinationem includere deputationem, & conſequenter collationem. *Hinc nata ſunt illa theſes,* inquit Duarenus. *h Qui poteſt ordinare, poteſt beneficium conferre; qui poteſt ordinari, poteſt beneficium capere.* Et contra, *Qui non poteſt ordinare non poteſt beneficium conferre, & qui non poteſt ordinari non poteſt beneficium capere.*]

e Diſt.34.c. Quanas.
f Syn.4. Arelat.c.4.
g Concil. Mogunt. ſub Rabano c.12.
h Duar. de miniſt.eccl. & benef.l.2. c.3. ex gloſ. c.Si eo tempore de reſcrip.in 6 & gloſ.c.de Ila diſt.32.

IV. Iam igitur quis non videt ex duplici capite Epiſcopos eſſe veros & proprios cuiuſcunque beneficii eccleſiaſtici ſuarum Diœceſum Collatores? nimirum ex vtraque parte ex qua iam conflatur beneficium, temporali, & ſpirituali. Docui enim abunde temporalia bona omnium Eccleſiarum vnius Diœceſis eſſe perpetuo ſub adminiſtratione Epiſcopi illius Diœceſis. Spiritualia vero munera & officia, ſimul cum ſpirituali per ordinationes poteſtate omnia ad Epiſcopi pertinent gubernationem. *i In Epiſcopo enim, ait Ambroſius, omnium ordinationum dignitas eſt. caput eſt enim cæterorum membrorum.*] Quod ſtatim multis teſtimoniis confirmabo. Aſſumpto etenim ab Epiſcopo quocunque in clerum vnius eccleſiæ, & eo in albo clericorum aſcripto, ex neceſſaria ſequela conſequebatur, vt ille ex bonis eccleſiaſticis, Epiſcopi diſtributione, ſuſtentari deberet, iuxta illud Concilij Agathenſis; *k Clerici etiam omnes qui eccleſiæ fideliter vigilanterq; deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum, vel ordinationem canonum à ſacerdotibus con-*

i Ambr.in ep.1.ad Cor.c.1.
k 12.q.2.c. Clerici

bus conſequantur.] Qui igitur ordinat, ille etiam victum tribuit. Quẽ ſane victum, etiam dum ex communi aceruo ſingulis ex clero, ſiue cathedralis, ſiue Parochiarum, & aliarum ſimplicium eccleſiarum, per Epiſcopum diſtribuebatur, præbendæ nomine vocari ſolitum inuenio, à præbendo, quia id ei pro ipſius ſuſtentatione præbebatur. Vrbanus enim ſecundus *a* Canonicum præbendarium vocat illum, qui eſt titulatus, hoc eſt aſcriptus in numerum certum & *b* præfixum illius eccleſiæ Clericorum. Huiuſmodi vero Canonici quia participabant de bonis communibus illius eccleſiæ, ex quibus victus illis præbebatur, vocantur præbendarij. Atque hi Clerici hos pacto titulati, & certæ eccleſiæ in prima ipſorũ ordinatione aſcripti, in ea perpetuo manere tenebantur; neque poterant in alia eccleſia, ab alioue Epiſcopo ſuſcipi. Qua de re eſt canon tertius Concilij Spalenſis, tempore Honorij primi. Vagis vero & mercenariis Presbyteris; ſiue conductitiis, & pro tempore aſſumptis eccleſiæ committi non debebant. Eugenii enim II. Canon 11. ex Concilio Rhemenſi talis eſt. *c Præcipimus ne conductitiis presbyteris eccleſiæ committantur.*]

a diſt. 70. c. Sanctorum.
b N. nel. 3.
c 10. 3. con. ci. de. ret. Eug. 3.

V. Ab Epiſcopis porro dari & committi eccleſias, & eccleſiaſtica omnia munera, proculdubio cum debita miniſtris eccleſiaſticis ſuſtentatione, ſicut ratio ex ordinandi & adminiſtrandi poteſtate petita omnino conuincit, ita eccleſiæ perpetua teſtimonia, & vſus ab ipſis Apoſtolorum temporibus certus; & nunquam per quadringentos ſupra mille annos interruptus confirmant apertiſſime.

VI. Apoſtolis ſane dictum eſt à Chriſto Domino: *d Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Pater vero miſit Chriſtum cum poteſtate vt ipſe Apoſtolos deligeret, & miniſtros, quibus curam eccleſiæ committeret: Igitur vt docui libro 2. cap. 2. etiam Apoſtoli, tradita ſibi poteſtate ſocios adlegendi, cum eadem poteſtate epiſcopos conſtituerunt. Ita eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, vbi erant Apoſtoli, *e* Barnabam Antiochiam miſerunt, cuius opera appoſita eſt multa turba Domino. Ita Saulus & Barnabas, diſſeminato inter gentes Euangelio, *f* conſtituerunt per ſingulas eccleſias presbyteros. Ita Paulus *g* ordinauit Epiſcopum Timotheum, & per ipſum varias confirmabat *h* Eccleſias. Titum ſimiliter fecit idem Paulus Cretæ Epiſcopum, eique tradidit poteſtatem, vt per illam Inſulam alios ipſe miniſtros cõſtitueret: *i Reliqui te Cretæ* inquit, *vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.*]

d Io. 20, 21.
e Act. 11. 22.
f Act. 14. 23.
g 1. Tim. 4. 14.
h Act. 17. & 19.
i Tit. 1. 5.

VII. Ab Apoſtolis edocta eccleſia, idem perpetuò ſeruauit. Anacletus enim, ſeu quicunq; ille ſit (certe apud nos Romanos magnæ eſt autoritatis) cum dixiſſet epiſcopos ab epiſcopis ordinari, ſubdit; *k Reliqui vero ſacerdotes à proprio ordinentur Epiſcopo: ſimiliter & Diaconi, &c.* Dionyſius Seuero Epiſcopo eam dat inſtructionem, vt ſicut ipſe Romæ fecerat, ille etiam per Cordubenſem faciat Prouinciam: nimirum vt eccleſiæ ſingulæ ab ipſo Epiſcopo ſingulis darentur presbyteris; Parochiæq; & Cœmeteria inter illos diuiderentur. Initio enim ſicut omnes presbyteri totius vnius Diœceſis ex vnica maſſa in ſolidum victitabant, Epiſcopo illam diſpenſante; ita etiam in ſolidum eodem diſponente in eccleſiis pluribus eccleſiaſtica miniſteria exercebant: Inſtitutione vero Dionyſij (licet epiſtola hæc vt prius dixi, ſide vacillet) certus vnicuiq; eccleſię, extra matricem & cathedralem aſſignatus fuit presbyter & Rector in perpetuum: cui ſi quis dicat etiam redditus certos attributos, & ex cumulo ſeparatos vt huc beneficiorum inſtitutionem reducat, id ego ſtatim negabo. quia iam probaui redditus eccleſiaſticos diutiſſime in vnico cumulo ſub Epiſcopi adminiſtratione perſeueraſſe; potuerunt ergo ſingulis eccleſiis certi presbyteri & clerici ab Epiſcopo deputari, atque interim ex maſſa illa adhuc communi ſuſtentari:

k Anacl. ep. 2.

VIII. Hieronymus abuſum quendam ſui temporis, quando ſæpe vxorati viri ad epiſcopatus gradum aſcendebant, tribuit vitio Epiſcoporum, qui tales in numerum prius reponerent clericorum; nam ex clero ſemper Epiſcopus deligebatur: & ait, *l Interdum hoc & Pontificum vitio accidit, qui non meliores, ſed argutiores in clerum colligunt, & ſimpliciores quoſque atque innocentes inhabiles putant: vel affinibus & cognatis, quaſi terrenæ militiæ officia largiuntur; ſiuè diuitum obediunt iuſſioni: quodq; his peius eſt, illis clericatus donãt gradum, quorum ſunt obſequiis deliniti.*] Itaque officia omnia, omneſque gradus eccleſiaſticos, Epiſcopi diſtribuunt. Et Proſper de epiſcopis ait, *m Ipſi etiam diſpenſatores Regni domus: quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus, & officia ſingulorum.*]

l Hieron. adu. Iouin. l. 1.
m Apud Concil. Pariſ. ſub Lud. l. 3. c. 9.

IX. Antiochenum Concilium, *n Vnuſquiſque*, inquit; *Epiſcopus habeat ſuæ Diœceſis poteſtatem; ad hanc gubernandam, ſecundum competentem ſibi reuerentiam, ad prouidendum toti regioni, quæ ſub ipſius eſt ciuitate, vt etiam ordinet ei presbyteros & Diaconos, &c.*] *o* Arauſicanum: *Omnis Eccleſiæ gubernatio ad eum,* (Epiſcopum) *in cuius ciuitatis territorio eccleſia ſurrexerit, pertinebit.*] Aurelianenſe primum, *Omnes Baſilicæ—placuit, ſecundum priorum canonum regulam, vt in eius Epiſcopi poteſtate conſiſtant, in cuius territorio poſitæ ſunt.*] Innouat & repetit hunc canonem Synodus Colonienſis ſub Carolo Craſſo, canone quarto: Aurelianenſe item quartum *q* prohibet, ne Domini prædiorum, ſi oratoria ædificent in prædijs, peregrinos clericos in ea intromittant, ſed Epiſcopi habeant approbationem. Et Toletanum tertium de ijſdem oratoriis loquens, decernit: *r Vt omnia, ſecundum conſtitutionem antiquam, ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem pertineant.*] Idem repetit eiuſdem prouinciæ quartum Concilium canone 34. Et Moguntinum ſub Arnulfo canone quarto, & Valentinum ſub Lothario canone nono. Arelatenſis quarta Synodus, de qua paulo ſuperius; Presbyteri ab epiſcopis in Parochiis ordinantur, & eccleſias ſibi deputatas accipiunt. Cabilonenſe Concilium ſub Carolo; *ſ Omnes Eccleſiæ—in Epiſcopi poteſtate conſiſtant, atque ad ordinationem ſuam ſemper pertineant.*] Item, *t Canonica regula ſeruata, nullus abſque conſenſu Epiſcopi cuilibet presbytero Eccleſiam det.*] Imo & addit à ſolo Epiſcopo, & non niſi graui culpa, eum poſſe eccleſia ſpoliari. Idem ferme habet Moguntinum ſub Rabano; *u Ne quis cuilibet presbytero præſumat dare eccleſiam, ſine licentia & conſenſu Epiſcopi ſui.*] Meldenſe, *x Vt titulos cardinales in vrbibus vel ſuburbijs conſtitutos, Epiſcopi canonice & honeſte, ſine retractatione ordinent, & diſponant.*] Triburienſe ſub Arnulfo; *y Hanc autem habeant autoritatem Epiſcopi, vt in nullis Eccleſiis nec conſtituantur presbyteri, nec expellantur, illis inconſultis, & non conſentientibus.*] Hæc pauca Concilia collegi, ſed ſunt etiam plura his omnino conſentientia: Romanos Pontifices conſulamus.

n Concil. Antioch. c. 9.
o Concil. Arauſican. c. 10.
p 16. q. 7. c. Omnes.
q Concil. Aurel. 4. c. 7.
r Concil. Tol. 3. c. 19.
ſ 10. q. 1. c. Decretum.
t 16. q. 7. c. Innimenm.
u Concil. Mogunt. c. 12.
x Concil. Melden. c. 54.
y Concil. Tribur. c. 32.

X. Zacharias Papa ad Pipinum & Epiſcopos dediſſe fertur reſcriptum ad multa capita interrogationum: *z Decimumquintum*, inquit; *caput, pro eo quod interrogatum eſt de laicis qui eccleſias in ſuis proprietati-*

z Apud Baro. to. 9. an. 744. n. 23.

hi bus

bus conſtituunt, qui ipſas debeat regere aut gubernare. A ſanctis Patribus ita ſtatutum eſt, ea in præceptis Apoſtolicis ſic continetur, iuxta petitionis imploratum, vt ſi in quolibet fundo cuiuſcunque iuris oratorium, ſiue baſilica fuerit conſtituta, pro eius deuotione, in honorem cuiuſcunque ſancti, in cuius Epiſcopi Parochia fuerit fundatum oratorium, percepta primitus donatione legitima, id eſt præſtante tot, geſtiſque municipalibus alligata, prædictum oratorium per Miſſas publicas ſolemniter conſecrabis, ita vt in eodem loco nec futuris temporibus baptiſteria conſtruantur, nec presbyter conſtituatur Cardinalis, ſed & ſi miſſas ibi facere maluerit, ab Epiſcopo nouerit presbyterum poſtulandum, quatenus nihil à quolibet alio ſacerdote vllatenus reſiſtatur, niſi ab Epiſcopo fuerit ordinatus.] Leo

a 10.q.1.c. Regenda.

quartus, *a Regenda eſt vnaquæque Parochia ſub prouiſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes, vel cæteros clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit, cui iure pertinere videtur.*] Gregorius ſeptimus in Synodo; *b Dignum eſt vt* Epiſcopus *ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra eiuſdem Epiſcopatus gratis diſtribuat.*] Membra vero hæc nominauerat præbendas, Archidiaconatus, præpoſituras, & alia officia Eccleſiaſtica. Noluit dicere beneficia, ſed officia; ſciebat enim beneficium eſſe propter officium: & eum qui dat officium, dare etiam beneficium. Vrbanus ſecundus, in Synodo apud Melfiam ita fertur ſtatuiſſe; *c Epiſcopus omnia ſui Epiſcopatus membra, videlicet Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanias, vel alias Præpoſituras Eccleſiæ, ſiue Canonicas, gratis abſque omni venalitate diſponat: præbendas etiam quæ Canonicatus dicuntur, ſine venalitate diſtribuat.*] Itẽ, *d In Parochialibus eccleſiis presbyteri per epiſcopos inſtituantur: qui eis reſpondeant de animarum cura & iis quæ ad Epiſcopum pertinent.*] Paſchalis ſecundus, *e In poteſtatem proprij Epiſcopi eccleſiæ reducantur, & ab ipſo, ſicut ſacris Canonibus cautum eſt, ordinentur: Alioquin & Eccleſia ipſa & Clerici earundem diuinis deſtituantur officiis.*] Alexander tertius; *f Eccleſias Diœceſis ad Epiſcopi ordinationem pertinere aſſerit.*]

b Greg.7.l. 6 poſt ep.5.

c Apud Baro.to.11.an. 1090.n.3.

d 16.q.2.c. Sane.

e 16.q.7.c. Sicut.

f De renunciat.c. Admonet. & de ætat. & qual. præfic. c. ex ratione

Innocentius tertius admittit, de iure communi *g* inſtitutionem perſonarũ & cuſtodiam eccleſiarum vacantium, ad Epiſcopos pertinere. Aſſerit quoque vniuerſaliter ad *h* Epiſcopi officium tam inſtitutionẽ, quam deſtitutionem ſacerdotum pertinere, idemq; in ſuis decretalibus edicit & ſupponit ſæpius, & ex decretis Eugenii; *i* omnia loca pia per ſolicitudinem Epiſcoporũ debent ordinari: Et Clemẽs V. *k* officio Epiſcopali fatetur curã præficiendorũ cõpetere. Pleni ſunt hac de re lib.6. Decretaliũ, ita vt ius cõmune, imo cõmuniſſimum, abſq; vlla cõtrouerſia, epiſcopos velit eſſe ordinarios, veros, proprios, ac legitimos beneficiorũ omniũ ſuæ diœceſis collatores. De Epiſcopatuum collatione, h.e. de electione, confirmatione, cõſecratione Epiſcoporum, hic ſeorſim nihil dico: tractatum enim integrum iam poſui lib.3. De Principũ ſimiliter poteſtate in electionibus & inueſtituris dixi multa l. 6. c.7 à n. 55. & de eorundem poteſtate vniuerſali in omnia bona eccleſię temporalia lib. vlt. diſputabo. De laicorum aliorumue priuatorũ iure patronatus in beneficia eccleſiaſtica non eſt cur differam; illi enim veri collatores non ſunt, ſed epiſcopus, ea tamen conditione, vt non poſſit patronatus beneficiũ conferre, inſcio, inconſulto, & non cõſentiente patrono: atq; vt ipſius conſenſum habeat, expectat vt ipſe perſonam nominet, & præſentet: Inſtitutio vero nominati tota eſt ab epiſcopo. Moneo duntaxat, leue admodum eſſe Innocentij 3. dictũ, dum ait: *l* Non eſſe tantam communionẽ inter Epiſcopum & capellas, atque monaſteria, & alia pia loca, quanta eſt inter epiſcopum & ſuam cathedralem: Cui, inquit, *eſt ſpirituali coniugio copulatus.*] quicquid enim ſpirituale eſt in tota diœceſi, id ad vnicam & eandem epiſcopi pertinet ſponſam eccleſiam; & omnes eccleſię eiuſdem diœceſis faciunt vnicam eccleſiam cuius ſponſus eſt Epiſcopus.

g De inſtit. c. Cum veniſſent.

h De haret. c. Cum ex iniuncto.

i De Relig. dom. c. De Xenodochiis.

k Clem. cum Eccleſ. de ætat. & qual. præficiend.

l c. Requiſiſti de teſta.

XI. Dices, *Nonne & in Decretalibus & in vſu videmus, & obſeruamus, Capitula Canonicorum conferre beneficia? nam in c. Eam te: de præcipe expreſſe ſupponitur Canonicorum Capitulum ſolere nouos canonicos recipere, & eis præbendam aſſignare. Et c. Cum eccleſia. de Elect. conſtat id Thuſcia generalem conſuetudinem ſeruatam, vt in Cathedralibus eccleſiis ſolum capitulum, irrequiſito Epiſcopo, eligendi canonicos habeat facultatem. Idem conſtat de Capitulo Bituricenſi: c. Conſtitutus. de Reſcript. & de alio c. Capitulum eo. & de alio c. Propoſuit. de conceſſione præben. & paſſim alia. Imo non ſolum in receptione Canonicorum, ſed etiam in collatione dignitatum extra illam eccleſiam poſitarum, capitula aliqua legimus autoritatem exercuiſſe: vt de cap. Eboracenſi conferente Archidiaconatum Richmundiæ, habemus in c. Conſtitutus de teſt. & atteſt.*

XII. Reſpondeo: Manifeſte quidem in Decretalibus, & in vſu ac conſuetudine id apparere quomodo tamen capitula, inſcio præſertim & inconſulto epiſcopo id faciant, feceruntue, non apparet. Et quoniam vſus hic iuri communi, & Apoſtolicæ traditioni, & ſanctionibus canonicis, & conſuetudini atque vſui eccleſiæ vetuſtioris ab Apoſtolis vltra annos mille, eſt contrarius, non dubito ex vſurpatione collationes huiuſmodi ad capitula canonicorũ tranſiiſſe. Si enim vera eſt illa theſis, quæ ſane eſt veriſſima. Qui nõ poteſt ordinare, non poteſt beneficium conferre, quomodo Canonici cõferent? Itaque, ſi meæ aliquid valent coniecturæ, dicendum videtur, Vſurpationis huius occaſionem fuiſſe, quod Epiſcopi, vt debent, ſui cleri conſilium libenter expeterent & acciperent in ſuis eccleſiis regendis & gubernandis: ac præſertim in miniſtris eccleſiæ deligendis, aut deſignandis, vt docui libro ſecundo iuxta illud Ignatij: *m Omnes Epiſcopum ſequimini, vt Chriſtus patrem; & presbyterorum collegium vt Apoſtoli: ſine Epiſcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant.*] Presbyterorum collegium reſpectu Epiſcopi, vult eſſe ſicut fuerunt Apoſtoli reſpectu Chriſti: & ſicut Chriſtus opera ſuorum Apoſtolorum vſus eſt in fundanda & regenda eccleſia, ita Epiſcopus vti debet opera ſuorum presbyterorum. Cum itaque Epiſcopi dum vellent aliquem ad Clerum ſuum adlegere, id oneris demandabant ſuis presbyteris, vt perſonas adlegendas cognoſcerent, experirentur, & approbarent, eique offerrent, ac præſentarent: Hinc paulatim factum eſſe arbitror, vt totam collationem illi, dormientibus interdum Epiſcopis alicubi arripuerint: præſertim poſtquam ſeparatis prædiis, præbendæ canonicales ſunt erectæ, & ab adminiſtratione Epiſcopi omnino ſeparatæ. Hic igitur etiam inter tot alios abuſus eccleſiæ noſtræ reponatur. Laudo priſcum morem, vt Archidiaconus nomine totius Cleri canonici, ordinandos Epiſcopo repræſentet, *n* & petatque vt ordinentur quos ipſe cum reliquo clero iam idoneos repererit, & ſit expertus, ne fucus fiat epiſcopo, qui ſolus vitã omniũ non poteſt notã habere; ſed non laudo quod inuito etiam epiſcopo capitulum velit quenquã in cleri canonici numerũ recipere, & retinere. Et ſane Epiſcoporum nimiã facilitatem in illis ordinandis, qui nondũ ſunt ordinati, admiror: vbi deberent ordinationẽ negare ei, qui

m Ignat. ep. ad Smyrn.

n a Pontif. Rom. in ordinat. Diac. & Presb.

qui in Clerum, ipſis inuitis, aut inſciis ſit admiſſus. Sede profecto epiſcopali vacante cum capitulum epiſcopo immediate in regimine ſuccedat, vt docui lib. 2. cap. 9. nu 10. Mirum non eſt, quod etiam tunc beneficia conferat, hoc eſt perſonas eligat, & deputet, ac ordinari à Metropolitano, vel viciniore epiſcopo faciat, vt habemus caſum expreſſum in * Decreto: In quo caſu Gelaſius admittit Cleri electionem, & mandat ordinari electum. Et ex hoc rui: Honorij III. ** Decretalis, nititur enim expreſſe falſitati: Imo quamuis etiam in iure cautum non eſſet; vt capitulum ſuccedat Epiſcopo in beneficiorum collatione, adhuc tamen Decretalis Honorij ſtare non poſſet, quia ſufficit vel in iure ſcripto, vel etiam in iure primæuæ inſtitutionis à Chriſto, collegium presbyterorum ex officio eis à Chriſto iniuncto poteſtatem habere vniuerſalem circa ſuæ regimen eccleſiæ, vt docui libro ſecundo, dum Eccleſia illa caret Epiſcopo: Nam ſub poteſtate vniuerſali clauditur etiam collatio beneficiorum. Perperam igitur iam à Canoniſtis capitulo, ſede vacante, negatur poteſtas beneficia conferendi. Aliam etiam occaſionem huius malæ conſuetudinis videor obſeruare; nimirum quod factis iam illis præbendarum ſeparationibus, & conſtituta per ſe ſeorſim menſa capitulari, vbi illa fuerit opulentior, aucta præſertim vel nouis beneficiorum vnionibus, vel etiam laicorum, ſiue ipſorummet presbyterorum legatis piis, voluerint Canonici adiutores ſibi alios presbyteros non canonicos aduocare; vt eorum onera plura ferrent in miniſteriis eccleſiæ perficiendis; eiſque ſuarum præbendarum, ſeu menſæ capitularis communis portionem aliquam aſſignarunt; quæ fuit nouorum quędam erectio beneficiorum; atque nouos hoſce beneficiarios à ſe inſtitutos & erectos voluerint ipſi eligere, & Clero adſcribere, quæ ſane occaſio, ſicut merito poteſt & debet dare capitulo ius quoddam patronatus, vt ipſorum Canonicorum ſit perſonas eligere & præſentare, ita confirmatio, imo & inſtitutio abſoluta, & ordinatio ad Epiſcopum ſpectare debet. Vt ſemper Epiſcopus ſit ſolus ſuæ eccleſiæ caput, ſoluſque omnium miniſtrorum ſuæ eccleſiæ deputator, ordinator, & inſtitutor. Maxima tamen occaſio huius vſurpationis fuit, quod Epiſcopi expreſſe concederent Archidiaconis, ſeu etiam capitulo canonicorum, electiones, imo & collationes, per modum delegationis, aut abſolute: inde vero ius ſe acquiſiuiſſe & præſcripſiſſe prætenderunt, vt expreſſum habes in *a* Decretalibus.

* *Diſt 24. c. Presbyteri. & gloſ. ibid.*
** *Ne ſede vac. c. Illa.*
a c. Cum veniſſent. de inſtitut.

XIII. Longe grauior eſt obiectio, quod Romanus Pontifex nō epiſcopatuum modo, ſed etiam quorumcunque aliorum beneficiorum, in quacunque Chriſtianorum Diœceſi exiſtant, pro ſuæ voluntatis arbitrio iam vult eſſe Collator, etiam inuito quocunque Epiſcopo, & renitente. Et ſane quod ſpectat ad epiſcopatus, libro tertio iam expediui: Nunc poteſtas hæc Papalis, ac legatorum, circa alia beneficia nobis eſt examinanda, & quia, vt vidimus, etiam Romani Pontifices per mille & vltra annos in Epiſcopis plenam poteſtatem ad beneficia conferenda agnouerunt: videndum eſt quo pacto hanc ad ſe illi attraxerint poteſtatem: & iurene id facere potuerint eſt inquirendum. Sane Clemēs III. ſiue IV. primus omnium, quos ego obſeruare potuerim, libere & aperte, ore rotundo affirmat, Romanos Pontifices de iure eſſe plenarios omniū beneficiorū eccleſiaſticorum collatores: Ait enim, *b* *licet eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere, ita quod non ſolum ipſa cum vacant, poteſt de iure conferre, verum etiam ius in ipſis tribuere vacaturis: collationem tamen, &c.*] Specialem facit reſeruationē beneficiorum in Curia Romana decedētium. Bonifacius 8. hunc ſecutus: *c* *Cum enim*, inquit, *iure communi omnes eccleſiæ per orbem diffuſæ, ad Romanam eccleſiam pertineant, &c.*] Et, Clemens V. *d* *Salua tamen*, inquit, *Romani Pontificis poteſtate, ad quem eccleſiarum perſonatuum, dignitatum, aliorumq; beneficiorū eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio, ex ſua poteſtatis plenitudine, noſcitur pertinere.* Hanc tamen poteſtatis plenitudinem nondum aut bene fundatam aut probatam potuimus reperire, & dū dicunt ſe hanc de iure, & iure communi habere, in tātum verū hoc aut falſum erit quod de ſe ipſis aſſerunt, in quantū iura canonica id eis tribuunt vel non tribuunt. Gerſonius profecto non auſus negare Papæ poteſtatem in res eccleſiæ; & collationes, eam tamen expreſſe negauit Papæ diuino iure, aut Chriſti conceſſione competere; ſed totam à iure ſolo Canonico profectam pronunciat: *e* *Poteſtas*, inquit, *hæc, per canonicas inſtitutiones, quæ ſunt humanæ, & variabiles, robur habet.*] Nos vero omnia ferme iura, quæ ad beneficiorum adminiſtrationem & collationem poſſunt ſpectare, produximus, nullumque vel minimum vidimus quod huius Papalis mentionem faciat cum tanta plenitudine poteſtatis, ſed omnia iura ſolos Epiſcopos faciant veros & legitimos beneficiorum collatores, vt adhuc melius in ſequentibus confirmabo.

b c. licz. [illegible] *præb. & dignit. in 6.*
c c. Si Papa. de Priu. in 6
d Clement. Si duobus. Vt lit. pend.
e Gerſ. lib. de vita ſpirit. an. lect. 3.

XIV. Cupiebam in Gloſſis ſaltem videre quomodo hæc Pontificum dicta aſſertioneſq; tanti momenti, ab ijs, tanquam iuri conſonę prolatæ, ad iura canonica reducantur. Atque Gloſſam prioris Clemētis, vidi, ad c. omnes diſt. 22. pro dicto Papali tuendo recurriſſe. In quo ſane capitulo Nicol. II. Mirabilē quandam facit propoſitionem, & Euangelio & Apoſtolis, Apoſtoliciſq; traditionibus, ſacriſq; œcumenicis concilijs, ac Patribus, omnibuſq; hiſtoriis vt probaui l. 1. 2. & 3. contrariā: ea vero eſt huiuſmodi; *Eccleſiam Ro. omnes, ſiue Patriarchij cuiuslibet apices, ſiue metropoleon primatus, atq; Epiſcopatuū cathedras, vel Eccleſiarum cuiuslibet ordinis dignitates inſtituiſſe.*] Aliquid tale ſomniauit de Petro *f* Guliel. Occam. Et Almainus hanc Petri poteſtatem reducit ad illa Chriſti verba, paſce oues meas. Eos ego ſatis ſuis locis confutaui. Alii vero ſimplices, h. e. rudes Canoniſtæ, partim ex Theologiæ inſcitia, partim ex ſpiritu aſſentationis *g* conati ſunt alia etiā iura huc attrahere, & per ſummam vim flectere puta, c. Propoſuit de conceſſ. præben. quia Innocent. III. ibi ait, ſe nolle, contra canonum ſtatuta, inueſtituras de vacaturis approbare, aut facere, *qui ſecundum plenitudinem poteſtatis*, inquit, *de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare.* Et Gelaſium, vel inuitum trahunt; vbi ille ait, *h* *Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, ſedes beati Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi; vtpote quæ de omni eccleſia fas habeat iudicandi*] Nicolaum quoque primum adducunt pronunciantem, *i* *Per principalem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli poteſtatem, ius habemus, nō ſolum monachos, verum etiam quoslibet clericos, de quacunq; diœceſi, cum neceſſe fuerit, ad nos conuocare; atq; eccleſiaſticis exigentibus opportunitatibus, inuitare.*] Proferunt etiam Gregorium, *k* omnium appellationes ad ſuam ſedem admittentem, & plenitudinem poteſtatis aſſerentem. Item Leonem Magnum; *l* Legato cuidam ſuo iraſcentem, quod in ferendo quodam iu-

f Hoc opere l. 2. c. 1. n. 9.
g Apud Gyg. de Penſ. q. 6. n. 1. & q. 10 n. 3.
h 9. q. 3. c. Cuncta.
i 1. q. 1. c. Per principalem.
k 2 q. 6. c. Decreto.
l 3 q 6. c. Multum ſtupeo.

dicio criminali, non expectarit ipſius decretum, & plenitudinem poteſtatis etiam ipſum aſſerentem. Poſſunt etiam tot priuilegia proferre, quibus Romani Pontifices Eccleſias & clericos ac monachos eximunt ab Epiſcoporum iuriſdictione: quam po-
a 9.q.3.c. conqueſtus. teſtatem in ſua ſede recognoſcit, a Nicolaus primus.

XV. Iura tamen antiquioris eccleſiæ nulla habent, nullos conciliorum canones proferunt, etiam ipſimet Romani Pontifices priores nouis & poſterioribus in hoc aduerſantur. Duodecim ſæculis integris hæc Papalis poteſtas in Chriſti eccleſia eſt inaudita. Monſtrum hoc ipſi ſoli pauciſſimi, quos nominaui, Pontifices, duo Clementes, & Bonifacius, ſibi ipſis pepererunt & poteſtatem, quam eis neque Chriſtus, neque eccleſia vnquam tradidit, ſoli de repente ſibi confinxerunt, & vſurparunt, vt patebit manifeſte ex dicendis. Atq; hoc ſolo monſtro armati quidam Iuriſconſulti, parum ſapientes, Papam fecerunt Dominum abſolutũ omnium beneficiorum, & ex hoc falſo dominio, à nobiſque ſatis iam reprobato, collatorem præcipuum, cum plenitudine poteſtatis, eundem effecerunt. Certe Innocentius cum tribus illis eiuſdem farinæ Pontifex de ſumma ſua poteſtate etiam ſupra canones ſæpius gloriatur, de quo egi lib. 8. ſed tantam poteſtatem in collatione beneficiorum in ſe nõ agnouit, aut ſaltem, vt inferius oſtendam, illam non putauit eſſe exercendam. Fruſtra ergo Canoniſtæ hunc ſibi nunc adducunt patronum. Gelaſius de ſola iudiciaria poteſtate loquitur, de qua diſputaui ipſe libro proxime præcedenti. Poteſtas illa Nicolai, Gregorij & Leonis, ad collationes non poteſt, niſi cum maxima violentia, extendi. Priuilegia vero illa exemptionem & immunitatem, libro poſtremo hunc ſtatim ſubſequente, à nobis ponderabuntur, & tanquam non ſubſiſtentia reijcientur.

XVI. Nihilominus tamẽ inſurgent & dicent, Poteſtas hęc ſummi Pontificis in collationibus, Vnionibus, Permutationib. & Reſeruationib. atq; expectatiuis, clarior eſt & manifeſtior, vſq; quotidiano patentior, quam vt pluribus indigeat probationibus.] Atque hoc ipſum, fateor nemo poteſt inficiari. Sed talem ego poteſtatem cum notham omnino, illegitimamque, tot expoſitis certiſſimis documentis eſſe cernam, habeamque exploratam, cur de ipſius vſurpatione non vehementer ſuſpicer? imo ſuſpicari omnino cogor, & velim nolim plane compellor. Ac ne ſuſpicio videatur eſſe temeraria, pluribus totũ in hoc genere progreſſum placet perſcrutari.

XVII. Antiquiſſimum ab ipſis Apoſtolorum tempori-
b Lib.3.c.3. bus morem in eccleſia, libro tertio & ſexto, b ob-
& lib.6.c.7. ſeruaui, vt Epiſcopi & ſacerdotes, de plebis etiam, & laicorum conſenſu eligerentur, ac docui locum tumultuariæ plebis Principes merito aſſumpſiſſe. Atque hinc primos in eccleſia tumultus, circa haſce miniſtrorum eccleſiaſticorum inſtitutiones, exortos commemoraui, quia ambitioſi laicorum ope ſuffulti, ſæpe in eccleſiaſticas dignitates irrepebant, imò irrumpebant. Quare eccleſia, datis legibus, frequenter laicos omnes à conceſſione eccleſiarum abſterrere, & amouere eſt conata, vt habes fuſe ſupra libro 6. cap. 7. poſt nu. 33. Euitabat enim, ne ſacra miniſteria viderentur à perſonis laicis conferri. Vt tamen illa non conferrentur ab Epiſcopis, abſque ſuo etiam laicorum conſenſu & approbatione, id non refugit. Poſtquam vero ditatæ ſunt eccleſiæ bonis temporalibus, imo vero etiam regalibus, & iuriſdictionibus ac feudis ſæcularibus, etiam peculiares inueſtituras Principes ſibi reſeruarunt, vt eodem lib. 6. cap. 7. abunde diſputaui: atque rurſum huiuſmodi inueſtituræ rixas grauiſſimas Gregorio 7. primo excitante, nouarum perturbationum occaſionem in eccleſia præbuerunt. Sed iam oſtendi inueſtituras laicorum ad ſola ſe temporalia extendiſſe, &, ad ſummum conſenſum in electum, & approbationem adiunctam habuiſſe, nunquam vero laicos ſacri miniſterij collationem, aut tentaſſe, aut ambiuiſſe. Veram enim & propriam beneficij eccleſiaſtici collationem intelligimus, vbi quis ad ſacrum miniſterium applicatur, cui conſequenter neceſſaria vitæ ſtipendia ex bonis eccleſiaſticis adiunguntur. Ab hac ergo collatione laicos fuiſſe & eſſe remotiſſimos, vel ipſimet etiam beneficiorum patroni ac fundatores ſciunt, & concedunt, ſemperque ſciuerunt, ac conceſſerunt. Sed Papæ poſt Gregorium 7. ab omni prorſus cura temporalium etiam, & in Regalia, iure Vaſallagij, Principes amouere ac ſpoliare ſæpius ſunt conati, vt ſe dominos temporalium facerent abſolutos. Prætextum vero habebant laicis non licere ſe ſacris rebus immiſcere & ſacros miniſtros eccleſiis deputare. Res tamen ex ſententia non ſucceſſit.

Poteſtas porro hæc collatiua Domini Papæ extra ipſius propriam Rom. Diœceſim, inde videtur XVIII.
primum ortum habuiſſe quod certis occaſionibus clerici à ſuis eccleſiis in quibus primum ordinati eſſent, vel recedentes, vel expulſi, Rom. eccleſiam, tanquam toto orbe celeberrimam, nomineque ac dignitate primam, adiutricem expoſcerent, vt autoritate ipſius commendarentur propriis, vel aliis epiſcopis, & tantæ autoritatis commendatione, vel proprium in ſua recuperarent, vel alium in aliena eccleſia locum conſequerentur. Cumq; Roma eſſet totius Imperij caput, eoq; propterea omnium Nationum concurſus fieret, plurimiq; in papali curia ſolerent variis officiis occupari, neq; poſſet Papa omnibus, ac præſertim exteris, cum præiudicio propriorum clericorum in ipſa Rom. eccleſia prouidere, vt aliquo pacto eis ſeruitia præſtita compẽſaret, libenter eos, & frequentiſſime, epiſcopis per Prouincias varias commendabat initio, vt eos in numerum clericorum reciperent, & receptos de more ſuſtentarent. Id ego in Gregorio Magno primum obſeruaui: is enim Felicem quendam Diaconum excuſat, quod in hæreſim (ob quam fortaſſe ex ſua eccleſia abiectus fuerat) non inciderit, epiſcopoq; Syracuſano commendat, his verbis; c *Imbecillitati* c Greg. l. 3. Ind. 12. ep. 14.
eius, atque neceßitatibus conſulentes maximeque ſuſtentationi eius pietatis intuitu, prouidentes, in tua eccleſia Syracuſana eum prædidimus cardinandum; ſiue vt officium Diaconatus expleat, ſeu certe vt ſola eiuſdem officij, pro ſuſtentanda paupertate ſua, commoda conſequatur, in tua fraternitatis volumus hoc pendere iudicio. Quod hortamur vt tua fraternitas implere feſtinet: commendantes etiam perſonam eius, quatenus nullis eum patiaris moleſtiis aut neceßitatibus ſubiacere, ne vel noſtra commendationis intuitu eius tramites neglexiſſe, vel minus exhibuiſſe, quam tuus exigit ordo pauperibus: quia & nos ei annuum quid de noſtra eccleſia dari fecimus, vt eiuſdem operis, quod te hortamur exhibere, participes eſſe poßimus.

Commendatio itaque ſola hęc eſt, ſed vehemẽs XIX.
quam cupiebat Gregorius efficacem fore; & cenſebat non potuiſſe illam ab eo Epiſcopo negligi, ſed debuiſſe omnino ad effectũ perduci. Si tamẽ Gregorius in ſe poteſtatem collatiuam agnouiſſet, non commen-

commendatione, ſed Bullis inſtructum Felicem, aut ſaltem mandato gratiæ expectatiuæ, Syracuſas tranſmiſiſſet. Ordinis tamen epiſcopalis fatetur eſſe, vt pauperibus clericis de ſuſtentatione prouideat. Nam & eodem modo commendat alium Epiſcopo Fanenſi; ita ſcribens; *a Quia igitur Ioannes Religioſus præſentium lator, recepta ratione, ad vnitatem S. Eccleſiæ, ab errore Hiſtricorum, Deo miſerante, conuerſus eſt, ea propter fraternitatem veſtram hortari prauidimus, vt eum ſalua ratione habere debeat in omnibus commendatum, atque ſuo fauore protegere. Cui etiam ne poſſit poſt conuerſionem alicui neceſſitati ſuccumbere, aliquid de eccleſia illi prauidimus annu ſingulis conſulendum. Quia ergo veſtra ſanctitati ſe ſummopere petijt commendari, providendum vobis pro veſtra mercede eſt, vt, ſicut diximus, veſtris in omnibus ſolatiis fulciatur.*] Vbi itaque legimus eundem Gregorium *b* Eccleſię cuidam in aliena Diœceſi vacanti presbyterum deputaſſe, præcipereque Epiſcopo vt ei emolumenta dictæ eccleſiæ attribuat, nihil aliud debemus intelligere, niſi vehementem illam commendationem, quam quia certus erat apud illum Epiſcopum (Romanæ metropolis vt arbitror ſuffraganeum) omnino effectum habituram, ea verborum forma vtitur, qua videtur ipſe conferre, non commendare, (placuit profecto non ſemel etiam Gregorio dominium aliquod ſupra eccleſiam) alioquin exemplum nullum habebat, nullumque canonem, quo ei abſoluta collatio liceret, qui alias ſola & ſimplici vſus eſt commendatione. Neque vnico illo facto libenter faciam Gregorium alieni iuris inuaſorem, qui, vt inferius reddam manifeſtum, intacta ſemper voluit epiſcopalia ſeruari priuilegia, niſi dicamus propter negligentiam ordinarij, ipſum, vt Metropolitanum & Patriarcham ei eccleſiæ, ne diutius vacaret, prouidere voluiſſe: ipſum enim conſueuiſſe negligentiam ſuorum ſuffraganeorum ſupplere habemus ipſius teſtimonium, libr. 4. Ind. 13. ep. 4. & collationes Epiſcoporum merito interdum deuolui ad ſuperiores oſtendam inferius.

a Idem lib. 5. Ind. 14. ep. 47.

b Idem l. 2. ep. 10.

XX. Commendationes huiuſmodi plurimas in aliorum, poſt Gregorium, Romanorum Pontificum epiſtolis decretalibus obſeruare per ſe quiſque poteſt: mihi ad euitandum lectoris faſtidium, ſat erit vnicum Innocentium tertium proferre, is igitur ad Epiſcopum Mediolanenſem hæc ſcribit: *c Sane, ſi velles etiam, diffiteri non poſſis, quantum dilectus filius Henricus Subdiaconus noſter, pro te tam apud ſedem Apoſtolicam, quam alias fideliter laborauerit, & deuote, pro quo tanto confidentius preces noſtras, pro ipſo tibi duximus porrigendas.---Inde eſt, quod cum ſicut audiuimus, Cancellaria dignitas per annum & vltra iam in eccleſia Mediolanenſi vacauerit, licet iuriſdictio conferendi eam ad nos, iuxta Lateranenſis ſtatuta Concilij, pleno iure ſit deuoluta, cum nec per te infra ſex menſes, nec per Mediolanenſe Capitulum infra ſex alios fuerit ordinata, Nos tamen tibi tanquam fratri chariſſimo deferre volentes, deuotionem tuam rogamus affectuoſius, & monemus, per Apoſtolica tibi ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus eidem Subdiacono---dictam Cancellariam, ſine cuiuslibet difficultatis obſtaculo, tam noſtrarum precum intuitu, quam ipſius meritorum & probitatis obtentu, non differas aſſignare, ita vt---in noſtrarum exauditione precum, tua probare potuimus deuotionis affectum.*] Quamuis igitur Innocentius etiam præceptum appoſuerit, & mox irritum fore declaret, ſi quid aliter Epiſcopus diſpoſuerit, potiſſimum tamen agit precibus, vbi deuolutio, & ſane iuſta adeſſe putabatur. Durum ſiquidem ei videbatur Epiſcopum ſua ordinaria poteſtate ſpoliare, quamuis nihil obtinere tunc potuerit, deſendent-

c Innoc. 3. l. 1. ep. 121.

Epiſcopo *d* Cancellariam non eſſe beneficium eccleſiaſticum. Eodem modo poſt ſimilem deuolutionem rogat Epiſcopum & Capitulum Iauriſinum, *e* vt Præpoſituram dent cuidam ipſius Subdiacono, quæ per duodecim iam annos vacabat: additque præceptum, & irritationem ſi ſecus fecerint; & executorem, qui, ſi ipſi nollent, faceret Diacono illi inueſtituram, ipſe tamen à collatione abſtinuit, ad quam merito, vt infra patebit, poterat deuenire. Maluiſſet etenim vt & Epiſcopi ſuam exercerent poteſtatem, & ipſe nihilominus voti ſui, circa perſonas comendatas, compos fieret, quamuis aliquando de plenitudine ſuæ poteſtatis Aimericum quendam ſuæ Cancellariæ officialem, *f* omni conſilio, & auxilio deſtitutum, de præbenda quadam eccleſiæ Pictauienſis tunc vacante inueſtiuit.

d Ib. ep. 368

e Ib. ep. 337.

f Innoc. 3. l. 1. ep. 91.

A commendatione itaque ſimplici, quam vidimus in Gregorio, ad commendationem & preces, cum adiuncto præcepto, & irritatione contrarij, factus eſt tranſitus, & interdum ad liberam collationem: quæ tamen admodum rara fuit & quia rara ideo etiam tolerata, inde vero ad præceptum & mandatum ordinatium de prouidendo in vacaturis, quæ fuerunt gratiæ expectatiuarum: quarum plenę ſunt decretales: De reſcrip. De conceſſ. præb. & ſub aliis tit. In his porro expectatiuarum mandatis ac præceptis ipſi Pontifices non erant collatores, ſed potius precatores, & comendantes, ſub præcepto tamen: Collatores vero erant ordinarii; non abſque præiudicio tamen & grauamine: nam etiam ipſimet Pontifices fatentur ſe huiuſmodi mandatis de prouidendo grauare eccleſias, & ordinarios collatores; vt habemus c. mandatum c. literis c. Abbatem, de reſcrip. & c. Præſenti de off. leg in 6. Vnde & ſæpiſſime huiuſmodi mandata ab ordinariis collatoribus ſatis renitentibus *g* & tergiuerſantibus ſunt eluſa. Audiamus quæſo quid ſcribat Stephanus Tornacenſis Lucio Papæ de quodam Clerico. *h Scripſit pro eo*, inquit, fel. record. *Pater Alexander* Secundus *Decano & Canonicis ſancti Aniani Aurelianenſis. Scripſiſtis & vos primo & ſecundo: Sed neq; preces, neq; præceptum veſtrum, quamuis tres præbenda vacarent, voluerunt audire.*] Ideoque demum à precibus, commendationibus, præceptis & mandatis, ad vim apertam eſt deuentum, datis executoribus qui cogerent: & ſi ne cogi quidem ad Papæ voluntatem exequendam in collationibus beneficiorum ſe paterentur collatores, ipſi executores conferrent. Neque tamen interim apparet in quo poteſtas hæc Papæ, ſub tanta plenitudine, legitime ſit fundata, vbi in contrarium eſt ratio, ac inſtitutio & traditio Apoſtolica, & innumerabiles canones eccleſiaſtici, ac perpetua eccleſiæ praxis. Iuriſtæ eam fundant in dicto illo Nicolai, diſt. 22. c. omnes, qui aſſerit à Papa Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos ſuam habere inſtitutionem. Quod cum ſit falſiſſimum, vt iam docui plenitudo hæc poteſtatis in huiuſmodi mandatis & præceptis tota corruit, ſublato ei fundamento. Ac riſu potius quam conſideratione dignū eſt quod quædam gloſſa Canonica ſomnians ait; Nimirum, Merito quaſdam collationes deuolui ad Papam: *i Nam*, inquit, *res de facili reuertitur ad ſuam naturam; vnde in principio eccleſiæ ſolus Papa conferebat Epiſcopatus, & alias dignitates maiores, & Epiſcopi conferebant omnia alia inferiora beneficia.*] Vides magnam inſcitiam, cum magna audacia. Hæc enim ſunt falſiſſima, & mera ſomnia.

XXI.

g c. Propoſuit de conceſſ. præb. c. ex ore de his quæ ſiunt à ma. par. ca. & c.

h Tornac. ep. 109.

i Gloſ. in c. Quanquā de elect. in 6

Cardinalis tamen Alliacenſis ex vnitate totius XXII.

Eccleſiæ vniuerſalis ſub vno capite, qui eſt Papa, arguit eidem incumbere curam Eccleſiæ generalis. a *Ideo*, inquit, *ipſe eſt vniuerſalis diſpenſator, tanquam ſupremum membrum eccleſiæ omnium eccleſiaſticorum bonorum ſpiritualium & temporalium.*] Monarchiam tamen hanc, quam ſupponit iſte Cardinalis, iam ſuſtulimus. Et licet eſſet Papa ſupremus Epiſcopus, ſolus tamen non eſt, vt ait b Bernardus. Cum igitur Epiſcopi ſint iure diuino Apoſtolorum ſucceſſores, & non Vicarij aut legati Papæ, vt probaui li. 2. habent etiam quiſq; in ſua eccleſia plenam autoritatem, eccleſiaſtica bona tam ſpiritualia, quã temporalia diſpenſandi, quod traditione etiam Apoſtolica, & eccleſiæ perpetuo vſu, perpetuiſq; ſanctionibus iam confirmaui, feciq; Epiſcopos primarios quidem & non delegatos eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratores. Sit igitur Papa quantumuis eccleſiæ caput, dummodo Epiſcopi ſuam autoritatem habeant primariam propriam, immediate à Chriſto, & non delegatam, profecto Papa non poterit eorum turbare iuriſdictionem, & poteſtatem: quamuis poſſet circa vſum ſuæ poteſtatis Epiſcopos, ſi errarent, corrigere, & moderari, ſed de his etiam alias.

a *Alliac. lib. de eccl. & Cardinal. auct. par. 2.*

b *De conſid. l. 2. 4.*

XXIII. Ioan. vero Gerſonius ſentire videtur reſeruationes haſce ſedis Apoſtolicæ, eo tantũ reſpectare, & ad inuentas, atq; excogitatas, vt inde Papa, pro ſui magni gradus ſuſtentatione colligeret adiumenta, quaſi vero per mille & ducentos annos, antequam hæc noua pecuniarum fodina aperiretur, Papæ nõ fuerint Papæ, aut non poſſint frugalius viuere, & à ſuis nimium ditandis, ad terrenoſque Principatus eleuandis abſtinere; aut deſint aliæ viæ legitimæ ſubſidia ab eccleſijs petendi, ſicut optime Gerſon. ipſe ibid. obſeruauit, dicens. c *Ratio poſtulat, nec negamus, vt Domino Papæ, & ſuis Cardinalibus fiat ſufficiens prouiſio de bonis eccleſiæ.— Sed hæc prouiſio nonne poterat adimpleri abſq; hoc quod neceſſe ſit ex toto ius ordinariorum caſſari, vel ſuſpendi? profecto ſic.*]

c *Gerſ. de Concil. gen. vnius obed.*

XXIV. Maximas ſane inuexerant huiuſmodi expectatiuæ in eccleſiam turbationes, adeo vt Concilium Baſileenſe, poſt enumerata plurima mala, quæ inde ſequerentur, tandem ſtatuerit: d *Vt Romanus Pontifex qui pro tempore fuerit, eas deinceps Gratias expectatiuas, aut Nominationes, nullo modo, nullaue ex cauſa concedat, cum ipſe præ cæteris, ne ſit tantorum occaſio malorum, abſtinere debeat.* Hanc expectatiuarũ ſublationem Pragmatica ſanctio in Francia ſtatim ſtabiliuit, totiuſque eccleſiæ clamor tandem effecit e vt expectatiuæ ipſæ è medio tollerentur, quæ ab omnibus iniuſtiſſimæ ſunt putatæ. Ordinariis enim, vt inquit Baſileenſe Concilium, collatoribus ſuũ miniſterium ſubtrahitur, & confunditur ordo eccleſiaſticus, dum vnicuique ſua iuriſdictio non ſeruatur. Romaniq; Pontifices, dum officia inferiorum nimium ſibi vendicant, à maioribus & magis fructuoſis operibus vniuerſale bonum concernentibus retrahuntur. Et Gerſon. inter alios abuſus poteſtatis Papalis hunc etiam circa collationes reponit: f *Quid*, inquit, *de beneficiorum quorumcunq; etiam minorum collationibus, & ſignationibus manu Papæ?*] Itẽ, g *Ecce quid ſibi vult etiam quod modo potius omnes Epiſcopi Prælati & Parochiales ſacerdotes p Papã conſtituũtur, quã eligantur perſonæ notæ & aptiores de patria, vt non præferantur eccleſiis homines extranei, in moribus, & linguis, & conſuetudinibus?*] Itẽ, h *Poſſe Papam mala & inexpedientia facere, quis diceret eſſe poſſe? quis crederet hoc à Chriſto collatum extitiſſe? Porro de iſtis temporalibus adminiſtrationibus eccleſiarum, poſſeſſionum, iurium beneficiorum, & ſimilium, Chriſtus per ſe ipſum immediate nullatenus ſe intromiſit, nec ordinare curauit, &c.*]

d *Concil. Baſil. ſeſſ. 31.*

e *Concil. Trid. ſeſſ. 24 c. 19.*

f *Gerſ. de poteſt. eccl. conſid. 8.*

g *Idem declarat. defect. viror. eccl. n. 62.*

h *Idem de Concil gen. vnius obed. verſ. fin.*

XXV. Nicolaus Cuſanus Cardinalis, in Concilio Baſileenſi, & ipſe reformationis Romanæ cupidiſſimus, æquitatis non vanitatis amator, zelo nitoris eccleſiæ, non auaritiæ ambitioniſque facibus exæſtuans Imperatori ſuadebat inter alia, vt autor eſſet correctionis Curiæ, ne tam infames in ea fierent beneficiorum mercaturæ. i *Scimus*, inquit, *quod ad Romanam Curiam etiam minima cauſa beneficiorum ita crebriter deferuntur vbi maxima ſolum tractari deberent. Sic enim propter gratias expectatiuas, aut vſurpatas collationes* (nota ex ore vnius qui vel iam erat, vel poſtea fuit Cardinalis vſurpatas eſſe Papales collationes) *beneficiorum & propter lites omnis ſudor etiam parentum per filios ad Curiam defertur. & nihil reportatur, niſi quod primum in Prouincia habebatur; puta beneficiolum, forte à propriis parentibus dotatum.— modis omnibus reformanda hæc ſunt.*] Hæc Cuſanus.

i *Cuſa. de concord. Cath. l. 3. c. 40.*

XXVI. Ceſſarunt igitur Gratiæ expectatiuarum nomine tenus, nam earum loco ſucceſſerunt Coadiutoriæ ſine cauſa cum futura ſucceſſione; quæ ſunt ipſiſſimæ gratiæ expectatiuarum; & nihilominus Reſeruationes ſunt etiam auctæ per regulas ſaltem cancellariæ, quæ multo magis adhuc eripiũt ſuã ordinariis collatorib. poteſtaté, quã expectatiuæ, etiam cum reſeruationibus aliquot, eripiebant. A commendationibus igitur, & mandatis commendationes corroborantibus, proceſſum eſt ad reſeruationes, quæ & ipſæ paulatim excreuerunt, nullo tamen prorſus vt videmus legitimo nixæ fundamento. Factum ſane Innocentij tertij, quo nepotem quendam cuiuſdam ſui Subdiaconi, k apud ſedem Apoſtolicam defuncti, de patrui ſui præbenda in Eccleſia Cremonenſi, facta ei libera collatione, prouidit, occaſionem dedit Clementi tertio, alias quarto, vt præmiſſa declaratione ſuæ ſupremæ in beneficia poteſtatis, primam fecerit beneficiorum generalem reſeruationem: l Qua voluit vt beneficia omnia in Curia vacantia ſemper ad liberam Papæ collationem pertinerent; eamque ex illo vnico Innocentij exemplo dicit eſſe antiquam conſuetudinem. Quam reſeruationem Bonifacius octauus mox innouauit, m & extra Curiam ad loca propinqua dilatauit, eandem reſeruationem declarauit poſtea & ampliauit n Ioannes vigeſimus ſecundus. Reſeruatio generalis Cathedralium nulla apparet, ſpecialem tamen aliquam interdum à ſua poteſtate pendere ſupponit o Bonifacius octauus.

XXVII. Præbendam ſpecialem Eccleſiæ Lexou. primo vacaturam idem Bonifacius, ad fauorem cuiuſdam à ſe commendati, ſuæ donationi p reſeruauit. Clemens vero quintus, q Beneficia maiora & minora in Prouincia Burdegalenſi ſuæ diſpoſitioni reſeruauit.

Reſeruatio altera generalis facta eſt à Ioanne 22. r omnium beneficiorum, quæ vacarent ex pluralitate non omiſſa. Tertia generalis Reſeruatio eſt Benedicti 12. ſ qui omnia curialium beneficia ſedi Apoſtolicæ reſeruauit, cum irritatione generali, ſi à quoquam alio conferrentur. Fructus etiam ſede vacante collecti ſunt à Ioanne XXII. t cameræ Apoſtolicæ reſeruati de quibus infra: u Eccleſias Patriarchales Orientis ſedi Romanæ reſeruauit Benedictus XI. quandiu ſchiſmaticorũ aut infidelium ſubſunt ditioni. Legati quoq; à latere in Prouinciis ſuæ Legationis ſolebant facere ſibi reſeruationes & ſpeciales & generales. Et quia interdum excedebant, Bonifacius octauus eos compeſcuit, vt x nõ poſſent Cathedrales, vel regulares, vel Collegiatas, vel primas dignitates maiores poſt Epiſco-

k *De accuſ. c. Attendentes, l. 2. Innocentij ſo ... de præb. & dign. in 6.*

l *m Cap. Præſenti eod. in 6. & c. ... de conſuetud. in 6.*

n *Extrau. Ex debito de elect. in com.*

o *c. Si eo de elect. in 6.*

p *c. Dudum de præb. & dig. in 6.*

q *Extrauag. Et ſi de præb. & dig. in com.*

r *Extrau. execrabilis de præb. & dig.*

ſ *Extrau. ad regimen in com. de præb. & dig.*

t *& Prim. c. nulla que ... Capit. præſentis.*

u *Extrau. Poſtulaſti Cam. eodem...*

x *Extrau. ... S. Romana de elect. in com.*

c. Dudum ... de pr. lib. ... in 6.

Epiſcopos, ſi electioni ſubſtent, reſeruare. Regulæ tamen Cancellariæ poſtea tantas fecerunt reſeruationes, vt præter iam poſitas generales, ad collationem Papæ reducantur, *a* Cathedrales omnes, ac monaſteria, & omnia beneficia q̃ vacent Epiſcopali ſede vacante; primę item omnes iam dictæ dignitates, omnia beneficia Cardinalium, & eorum familiarium, collectorum, & ſubcollectorum, cubiculariorum, curſorum, titulorũ Cardinalium abſentiã; ac generaliſſime quæcunq; alia beneficia vbiq; terrarũ in octo anni menſib. vacantia, vel ex gratia cõceſſa alternatiua Epiſcopis; vt ad ſummum ſex certis menſibus vacantia ab ipſis conferantur, ſi ipſi ſint illorum ordinarij collatores, & reſideant. Sed prætereà quæcunq; conferantur ab ordinariis, non ſeruata forma Concilij Tridentini; *b* ad ſedem trahuntur Apoſtolicam, vt ab ea conferantur. *c* Pius IV. reſeruauit beneficia omnia quæ vacent ex collatione ſimoniaca ob confidentiam. Pius V. reſeruauit oĩa beneficia propter crimen hæreſis & ſedibus Epiſcopalibus vacantia. Gregorius XIII. reſeruauit beneficia omnia quæ dentur perſonis; propter genus, vel ſuſpiciones hæreſis, prohibitis.

a Regul. Cancel. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

b Reg. Cancel. 1.

c In 7. l. 3. ti. de Reſeru. Item tit. de benef. colla. & impetr.

XXVIII. Cæperant iam Romani Pontifices ante Concilium Baſileēſe etiam reſeruationes ſuas per iſtas regulas dilatare, præter illas, quę in corpore iuris, hoc eſt in 6. Decretalium, & in extrauagantibus continentur, quæ non ſunt niſi tres generales: morientiũ in curia: non dimittentium pluralitatē: & curialiũ. Atq; vt eos ſicut in expectatiuis, ita etiam in reſeruationibus idem Concilium compeſceret, hoc pacto ſtatuit; *d Reſeruationes etiam particulares quæcunque fuerint beneficiorum vacaturorum, tam per Romanos Pontifices, quam per Legatos ſedis Apoſtolicæ, de cætero nullæ ſint ipſo facto.*] Indulget tamen Concilium paululum ſūmo Pontifici: Vnum nimirum beneficium poſſit reſeruare, vbi ſunt decem; & duo vbi ſunt quinquaginta: Reſeruationibus etiam, quæ ſunt in corpore iuris, perſeuerantibus. quamuis expreſſe in eodem Concilio habeatur *e* beneficia de iure communi à Papa nulla, extra diœceſim propriam Romanā conferri, niſi ſola vi reſeruationum. Hoc Baſileenſe decretum Reſeruationes prohibens & annullās, cum multis aliis, auide arripuit & complexa eſt Eccleſia Gallicana: Habito enim conuentũ generali Bituricenſi, decreto vniuerſali omnium ordinum Eccleſiaſticorum & Laicorum, approbante & ſubſcribente Rege Carolo 7. formata eſt Pragmatica ſanctio, ac mordicus in eo Regno detenta, ꝓtecta, & vſu conſtanti executioni mandata, per quā Gallicana Eccleſia in antiquam libertatem aſſereretur. *f* Fuitq; publicata de more anno Domini 1438. ſed & Ludouicus ſanctus ducentis & amplius annis antea in ſua Pragmatica poſuerat huiuſmodi decreta, *g vt Eccleſiarum Regni noſtri Prælati, patroni, & beneficiorũ collatores, ius ſuum plenum habeāt, & vniuſq; ſua Iuriſdictio ſeruetur. Item; Eccleſiæ Cathedrales & aliæ Regni noſtri, liberas electiones, & earum effectum integraliter habeāt. Itē; Promotiones, Collationes, Prouiſiones, & Diſpēſationes Prælaturarũ, Dignitatum, & aliorũ quorumcunq; beneficiorũ, & officiorum Regni noſtri, ſecundũ diſpoſitionem, ordinationem, & determinationem iuris communis, ſacrorū Eccleſiæ Dei Canonum, atq; inſtitutorum antiquorum ſanctorũ Patrum fieri volumus pariter & ordinamus: Datum Pariſiis Anno Domini Milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo.*

d Concil. Baſil. ſeſſ. 23. 31.

e Concil. Baſil. ſeſſ. 12.

f Defenſio curiæ Pariſ. apud Duar. in fin. tract. de min. & benef. Eccl. n. 6.

g Ad fin. Pragm. Caroli & in Bibl. SS. PP. to. 6.

XXIX. Pragmatica Caroli ſeptimi vſu recepta in eo Regno ac confirmata, anxios vehementer habuit Romanos Pontifices, propter ſublatas expectatiuas; ſed multo magis, propter Reſeruationes impeditas, ex quibus ingens vis pecuniæ ad Pontificē quotannis ex eo Regno perueniebat. Ideoq; omnes enixe laborarunt, ſi quo modo poſſent eam vel abrogare, vel ſaltem moderari.

XXX. Itaq; Pius II. maxima animi omniumque virium ſuarum contentione cum Ludouico vndecimo egit, vt Pragmaticam aboleri pateretur: extorſitque ab eo literas abrogatorias, quæ habentur in Concilio Lateranenſi ſub Iulio, ſeſſione 4. Regnum tamē ſe oppoſuit, ideoq; *h re infecta*, vt ait Duarenus, *Pontifici ĩ nuncij, atq; interpretes, abire coacti ſunt.*] Tūc enim oblatus eſt Ludouico libellus ille defenſionis, quē nobis Duarenus communicauit: *Et Panormitanus*, vt inquit idem, *libellum dedit, quo Pragmaticam aduerſus Pontificios tanquam legitimam, & maxime neceſſariam tuebatur.*

h Duare. de min. Eccl. & benef. l. 5. c. 11.

XXXI. Sixtus poſthæc 4. moderationem aliquam excogitauit, & data bulla publicauit, in qua *i* ordinariis Collatoribus Regni Franciæ ſex menſes liberos relinquit ad conferendum; retinetq; ſibi facultatem concedendi ſex gratias expectatiuas, item beneficia Cardinalium & familiariũ eorundem in eo Regno exiſtentium, ad certum tempus, ſibi reſeruat. Circa ꝓmonendos dat præcepta. Primas inſtantias in cauſis beneficialibus in Regno firmat. De cauſis in curia pendentibus diſponit. Taxaſq; ſeruandas præcipit. eamque conſtitutionem vim habituram declarat, ſi Rex eam ſub ſtatuto temporis termino acceptet, & Regio diplomate confirmet; alioquin caſſam & irritam futuram. Rex vero & Regnum eam acceptare noluerunt. *k Bonorum enim*, vt loquitur Duarenus, *omnium conſenſu, quibus Romanæ artes non ſuperincognitæ erant, confeſtim exploſa reiectaq; eſt.*]

i Extrauag. vnica ſub tit. de Reg. & pace in com.

k Duar. ubi ſup.

XXXII. Iulius II. & ipſe in Concilio Lateranenſi *l* abrogationem hanc tentauit, & publicauit; ſed nihilominus nihil effecit, nec eius abrogationi Rex, aut Eccleſia Gallicana *m* ceſſit. Tandem igitur Leo X. nactus opportunitatem, cum Franciſco Rege ad Conuenta ſeu Concordata deuenit: in quibus, etſi Pragmatica integre ſublata non ſit, ea tamen in multis vel abrogata, vel immutata, vel imminuta eſt, vel moderationem accepit. Habes contenta hæc, ſeu Concordata, in Concilio Lateranæ ſub Leone, ſeſ. 11. ſed quod ſpectat ad rem noſtram, quam tractamus, expectatiuarum gratiæ, & Reſeruationes omnes generales, tribus illis exceptis, quæ ſunt in corpore iuris, vti ſtatuta Baſileenſia præceperunt & Pragmatica continebat, ſunt ſublatæ in eo Regno, & abolitæ, etiam per dicta concordata. Papa enim nullas expectationes poteſt in eo Regno concedere (quas Concilium Tridentinum deinde, vt ſupra monui omnino & vniuerſaliter ſuppreſſit) Neque vllas poteſt reſeruationes facere, neque Regulæ Cancellariæ, quoad Reſeruationes, in eo Regno locum habent. *Volumus quoque* (habent Leonis concordata) *& ordinamus, quod in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ, ac ſpeciales vel generales Reſeruationes ad vacatura beneficia, per nos & ſedem prædictam non fiant: & ſi de facto per importunitatem, aut alias à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & ſede prædicta emanauerint, illas irritas & inanes eſſe decernimus.*] Retinet tamen poteſtatem Papa circa collationem Canonicatus, vt poſſit creare Canonicum ad obtinendam dignitatem, non ad conſequendam præbendam vacaturam. Sed cum hæc retentio non ſit ex vi Reſeruationis, aut inhibitionis ne ordinarij collatores conferant, non intelligo in quo caſu ſit Papa collaturus: niſi forte velit præuentionis habere beneficium, ſeu potius commendare. Præſcribitque Leo, quibus

l Seſſ. 4. ſub Iulio.

m Leo X. in concordatis inſerto in Conc. Later. ſ. 11.

nam debeant conferri beneficia per ordinarios Collatores; graduatis enim loca reſeruantur Sed hæ conditiones nihil derogant iuri Collatorum.

XXXIII. Sed cur, quæſo, Romana Eccleſia, poſt tot diſſenſiones, & concertationes in Regno Franciæ collationum & reſeruationum prætenſarum ſponte ſe iure ſpoliauit, imo ſpoliari paſſa eſt, niſi quia Baſileenſe decretum iuſtum tandem agnouit, quo ſolo Gallica Eccleſia nitebatur; quodque ius Epiſcoporum ab Apoſtolis, & Eccleſia vniuerſa habitum, aduerſus Romanas vſurpationes cenſuit eſſe ſtabiliendum, & poſtliminio, eo vnde iam vi Romana exularat, reuocandum? ſi enim collationes beneficiorum ad Papam ſpectarent, nunquam ſuo iuri cedere Papa debuiſſet: & ſi vis ei adhiberetur, nec poſſet vllo pacto à vi ſe defendere, tolerare factum poſſet, ius tamen integrum retinere mordicus deberet. ſapienter tamen, imo & iuſte, atque ex debito fecit, quod male vſurpata reſtituerit. Sed cur hoc cum reliquis etiam Eccleſiis, quas adhuc captiuas multas retinet, non facit? quia illæ non reſiſtunt, neque ius proprium aduerſus iniuſtos occupatores tuentur, aut poſſunt tueri. Vna enim, & eadem ratio eſt in omnibus Eccleſiis, quæ in Gallicana. Eam Rex, & Regnum in libertatem vindicarunt: Alias ſui Reges & Principes opprimi, ac conculcari & permittunt, & volunt. non ergo iure ſed violentia res hæc circa beneficiorum collationes & tot reſeruationes agitur. & expreſſe Duarenus fatetur, Papam *a* iure occupationis beneficia largiri. *Et* b *poſteriores, inquit, Pontifices ſeſe intra hos fines non continuerunt: ſed velut Domini, Regeſq; omnia pro poteſtate agere, ac vniuerſalis Eccleſiæ gubernationem ſibi arrogare non dubitarunt.*]

a Duare. de ſac. min. Eccl. & benef. l. 5 c. 10.
b Idem ibi. l. 3. c. 1.

XXXIV. Hinc eſt quod multæ Eccleſiæ extra Gallias poſitæ, & cum Romana Eccleſia communionem habentes, vt maximæ quæque, imo puto omnes in Germania, ſua adhuc libertate in collationibus potiuntur, neque tot reſeruationibus parent curiæ Romanæ. Imo temporibus adhuc Clementis 7. non obſtantibus quibuſdam concordatis inter ſedem Apoſtolicam & Germanicas Eccleſias, reſeruationes Romanæ in illis locum non habebant, vt Clemens ipſe *c* conqueritur. In Anglia quoque ſub Richardo ſecundo Rege Catholicæ Romanæ fidei cultore, publicorum ordinum decretum emanauit, *d* quo cauetur, *ne quis beneficium à Pontifice Romano impetraret; qui ſecus faxit, extra Regis fidem & tutelam cenſeretur.*] Quod ſi Eccleſiæ nunc liberæ dicantur Priuilegia ſpecialia à Papa poſtea obtinuiſſe, ſcias hæc Priuilegia nihil aliud eſſe, niſi ceſſionem vſurpationis, ſimilem ceſſioni factæ in concordatis Gallicanis: vt vbi Reſeruationes retinere ac tueri non poſſunt, Eccleſiis ſua iura, contra violentos vſurpatores, Principum præſertim ſuorum ope adiutis conſtanter defendentibus, ibi donare cogantur Romani Pontifices id, quod vendere nequeunt, aut ſuſtinere. Quod ſi omnes Epiſcopi, Regulis illis Cancellariis poſthabitis, ſuas facerent collationes, & à Principibus ſuis illud tantum impetrarent, vt à vi ipſorum liberi, ſua iura exerceant & tueantur, omnes facile iugum hoc intolerabile excuteremus. cum præſertim regulæ illæ tot reſeruationibus plenæ non ſint publicæ Pontificiæ conſtitutiones, (neque enim audent publicas ad hoc edere ſanctiones) ſed priuatæ officialium Cancellariæ inſtructiones, & cum termino vitæ Pontificis illas præſcribentis ſuam vitam etiam & totum robur terminant, & amittunt, vt fatentur *e* Canoniſtæ. Nos igitur ſponte noſtra, quia volumus, non quia tenemur, aut cogimur, nobis ipſis iugum noſtrum aggrauamus.

c In 7. l. 1. tit. 11. c. 6.
d Præfat. Reg. Iacobi pag. 42.
e Panor. in proem. tranq.

XXXV. Tot reſeruationibus, & ſane vſurpatis, non contenta Romana curia, vniones etiam beneficiorum & permutationes, ad ſe ſolam traxit. Profecto cum iam ſit à me demonſtratum, & tot Eccleſiaſticis ſanctionibus confirmatum, penes Epiſcopos eſſe curam vniuerſam plenam omnium rerum Eccleſiaſticarum, tam ſpiritualium, quam temporalium, ſuarum Diœceſum, planum eſt, ſi Epiſcopus viderit ad diuinum cultum & ſalutem animarum expedire, vt vna Eccleſia vniatur alteri, vel plures, id in ipſius poteſtate, ac præſertim cum fratrum ſuorum Coepiſcoporum ſynodali conſilio, totum ſitum eſſe. Et praxis ipſa Eccleſiaſtica antiquior ita docet. Nam in Concilio Toletano 16. ſtatutum eſt, f *Vt Eccleſia, quæ vſque ad decem habuerit mancipia, ſuper ſe habeat ſacerdotem: quæ vero minus decem mancipia habuerit, aliis coniungatur Eccleſiis.*] Quod ſi dicas, *id ad Papam pertinere, quia Gregorius duas Cathedrales* g *vniuit non ſemel*: Reſpondeo id feciſſe ratione primatus ſuæ Prouinciæ: idem enim poſſent etiam nunc Metropolitani: præſertim in conuentu prouinciali. Niſi velis vniones has Cathedralium, ad maiores cauſas pertinere; quæ ad ſupremum Pontificem videntur eſſe deferendæ. de quibus iam egi libro octauo. Certe minores Eccleſias eiuſdem Diœceſis ab Epiſcopo vniri poſſe, expreſſe definit Cæleſtinus tertius, dum ait: *h Sicut vnire Epiſcopatus, atque poteſtati ſubijcere alienæ, ad ſummum Pontificem pertinere dignoſcitur; ita Epiſcopi eſt Eccleſiarum ſuæ Diœceſis vnio, & ſubiectio earundem.*] Quod ait de Epiſcopatu, ſi loquitur de quocunque, cuiuſcunque Prouinciæ, ne videatur Papa ſibiipſi priuilegia & facultates conficere, dicendus eſt id ad maiores cauſas reduxiſſe. Conciliis enim hanc facultatem, non puto Cæleſtinum negaturum fuiſſe. Clemens etiam V. *i* Vniones Eccleſiarum minorum ad Epiſcopos ſpectare declarauit, præſertim vbi Capituli conſenſus accederet. quod etiam Concilium *k* Tridentinum non negauit.

f 10. q. 3. c. vnio.
g 16. q. 1. c. & temporis c. poſtquam.
h De excel. Prælat. c. ſicut.
i Clemen. ſi vna de reb. Eccl. non alien.
k Concil. Trid. ſeſſ. 21. c. 5. ſeſſ. 23. c. 18. ſeſſ. 24. c. 13. 15.

XXXVI. Permutationes beneficiorum iam & ipſas omnes Romana curia ad ſe vult pertinere, & tamen eadem ratione Epiſcopi in illis plenam habent poteſtatem. Si enim poteſt Epiſcopus vnus alterius Epiſcopi Clericum, Epiſcopo ipſo conſentiente, ad miniſterium ſuæ Eccleſiæ admittere, cur non poterit etiam Clericum cum Clerico permutare? & ſi poteſt Clericum cum Clerico permutare, nonne neceſſario ſequitur vt vterque Clericus in illa Eccleſia, ad quam permutatione facta acceſſit, habeat ſuſtentationem? quanto magis id poteſt, quando vterque Clericus eſt ex numero ſuorum Clericorum? & plenam diſpoſitionem ſuarum Eccleſiarum omnium habere Epiſcopum ſatis eſt oſtenſum. quapropter Innocentius tertius, *l* permutationes eiuſmodi per Epiſcopos factas, legitimas eſſe agnouit. Ita etiam *m* Bonifacius VIII. & *n* Clemens V.

l De excep. c. cum venerabilis.
m De rerum permut. c. ſi cui in 6.
n Clem. vt conceſſio.

XXXVII. Deuolutiones præterea non paucas collationis beneficiorum, Eccleſiaſtica Romana iura continent. Siquidem Alexander tertius in Concilio Lateranenſi, ætatem promouendorum ad dignitates *o* præſcripſit, promotoſque ante ætatem priuat conceſſa dignitate; Epiſcopos ſimiliter priuat poteſtate ordinandi alios in locum iam dictorum, ac transfert, deuolutione quadam, collationem, ſeu ordina-

o De ætat. c. cum in cunctis.

ordinationem illam in Capitulum; aut, diſcordante capitulo, in Metropolitanum. Alia deuolutio eſt, quando electores eligunt indignum; *a* tunc electio deuoluitur ad ſuperiorem. Tertia deuolutio ad proximum ſuperiorem eſt, *b* quando ordinarius collator ſeu elector, ex negligentia differt collationem vel electionem infra tres menſes, ne Eccleſia paſtore viduata diutius patiatur. Generalis tamen deuolutio ponitur in Concilio Lateranenſi; *c Vt minora beneficia infra ſex menſes conferantur, ne diu vacent: ſi autem Epiſcopus, vbi ad eum ſpectat, conferre diſtulerit, per capitulum ordinetur: quod ſi ad capitulum pertinuerit Epiſcopus ordinet: & quando omnes neglexerint, deuolutio fit ad Metropolitanum.*] Neſcio tamen quo pacto, per hoc Lateranenſe Decretum, elapſis primis ſex menſibus, Papa velit ad ipſum collationem deuolui, non expectatis gradibus prædictis. Antiquæ ſane ſanctorum Patrum ſanctiones *d* vltra tres menſes Eccleſiam vacare prohibuerunt; quod etiam affirmat Gregorius *e* & obſeruat. Hinc ego iuſtam omnino pœnam ordinariorum eſſe arbitror, vt tam noxia negligentia euitetur, dum ſuperior ad prouidendum Eccleſię properat, ad ipſum iuſta facta deuolutione, nam etiam oſtendi libro ſecundo poſſe ex cauſis vnumquenq. Epiſcopũ rerum Eccleſiaſticarũ curam in aliena etiã diœceſi ſuſcipere; vt Chriſti Eccleſia, ac diuinus cultus, & animarum ſalus damna non patiatur. Deuolutiones itaq; collationis beneficiorum maxime ex cauſa negligentiæ, non poſſum reprehendere. Reſeruationes tamen maxima cum Epiſcoporum iniuria fieri non eſt dubium, ac propterea non poſſum non illas cum tota Eccleſia Catholica abominari. Cum præſertim tam turpis iniuriæ adhuc turpior parens ſit ſola auaritia, vt alio capite commonſtrabo.

a c. Bona memoria eo. & gloſſ. ibid. *b c. Ne pro. de dele. c. licet de ſuppl. negl. Præl. c. inter. de exceſſ. Præl. c. quanquam de elect. in 6. c. ſi compromiſſarius eo. in 6. Cle. quia de ſup. negl. Præl.* *c Nulla c. quia c. dilectus de conceſſ. preb.* *d Diſt. 63. c. obeuntibus.* *e Diſt. 50. c. poſtquam.*

Vtinam ſanctiſſimus tunc ſedens & regnans Romanus Pontifex, aut aliquis ex ipſius ſucceſſoribus tandem aliquando ſeria cogitatione hæc aduertat, & conſideret, Magnam illam Apoſtolicam ſedem Epiſcopos in ſua propria auctoritate totis viribus ſemper nixam eſſe conſeruare. Quæ tandem mutatio hæc? *f Pritiilegia Eccleſiarum* (inquit Anacletus) *iuſſu Saluatoris intemerata, & inuiolata ſancti Apoſtoli omnibus decreuere manere temporibus.*] Sixtus primus; *g Ab hac, inquit, ſancta ſede, à ſanctis Apoſtolis tueri, defendi, & liberari Epiſcopi iuſſi ſunt; vt ſicut eorum diſpoſitione ordinante Domino primitus ſunt inſtituti, ſic huius ſanctæ ſedis protectione futuris temporibus ſint ab omnibus peruerſitatibus ſemper liberi.*] Gregorius IV. indignum valde cenſet, *h ſi fratres Epiſcopos, quos tueri,* inquit, *& adiuuare pro viribus debemus, fœdare contagione permittamus.*] *i Videant quæſo iſta* (dicam cum Petro Bleſenſi) *& iudicent qui iudicant orbem terræ; ne inde emanare videantur iniuriæ, vnde iura ſumuntur.*] Et qui nos maxime omnium, iuxta hæc præſcripta, tueri debet, videat ne ipſe maxime omnium nos opprimat & conculcet. XXXVIII.

f 25. q. 2. c. Priuilegia. *g Sixt. 1. ep. 2.* *h Greg. 4. ep. 1.* *i Bleſ. ep. 68.*

CAPVT IX.

Auaritiam Romanæ curiæ omnia iura peruertere.

Svmma Capitis.

Vſurpatas per reſeruationes beneficiorum collationes variis velis obtegit curia Romana, n. 1. 2. 3. quod tamen auaritiæ potiſſimum eſt tribuendum. n. 4.

Caruit aliquando Romana Eccleſia hoc vitio, fuitque valde in piis operibus liberalis, numer. 5. 6. 7. 8. Poſtea tamen auaritiæ ſordibus eſt polluta. & in hac pollutione per plura iam ſæcula nimium ſordeſcit, & à Catholicis ſcriptoribus ſugillatur à n. 9. vſq. ad n. 47.

Artes Romanæ auaritiæ, & officinæ ſummatim percenſentur n. 48. præcipue tamen exercentur in Bullis, & Annatis, à n. 49. ad n. 64.

Simonia in exigendis annatis adeſt manifeſta, à num. 65. ad num. 68. & defenſiones annatarum tolluntur à n. 69. ad n. 73 Vereque & proprie eſſe ſimoniacas pluribus confirmatur, à num. 64 ad num. 81.

Fundamenta contraria ſubruuntur, & obiectiones ſoluuntur à n. 83 ad n. 97.

Eccleſia ſemper reſtitit annatis, & reformationem earum tentauit à n. 98. ad n. 102. ſed Romana curia ſemper reſtitit n. 103.

Neceſſitatem reformationis dictæ curiæ Romanæ circa auaritiam, & indebitas ac ſimoniacas exactiones optime ex Concilio Baſileenſi docuit Pragmatica Francica, à numer. 104. ad numer. 108.

Principes auaritiæ Eccleſiaſticorum vindices, producuntur, vt de remedio cogitetur à n. 109. vſq. ad finem capitis.

1. Novvm aliquid erat; atque omnino inuſitatum, imo ſacris Canonibus, & totius ſanctæ Chriſti Eccleſiæ conſenſioni contrarium, atque ſingulis per mundum Eccleſiis, ipſarumque Epiſcopis graue & iniurium, vt vnicus Romanus Pontifex, ablata ipſis Epiſcopis plena facultate ſuas regendi atque gubernandi Eccleſias, *a* in quibus eos non Papa, ſed Spiritus ſanctus, teſte Paulo, poſuit vt regerent, de beneficiis fere omnibus totius Chriſtianitatis vellet diſponere. Debuerunt igitur Romani, ne tanta nouitas omnino violenta

a Act. 20. 28.

violenta & tyrannica videretur, aliquid honeſtæ cauſę, quare id facerent, prętexere. Non dico etiam parati eſſe, ſi quis interrogaret Dominum Papam in qua poteſtate hæc facis? reſpondere, & ſatisfacere. Sane Benedictus XII. in ſua illa beneficiorum, quæ curiales poſſiderent, reſeruatione, eam ſe facere propterea profitetur, a Extrauag. ad regimen. *a vt per ipſius diligentiam ſtudium, ad quarumlibet Eccleſiarum & monaſteriorum regimina, & alia beneficia Eccleſiaſtica---viri aſſumantur idonei.*] Atque hæc eſt cura Epiſcoporum, vt ſinguli in ſuis Eccleſiis, Clerum proprium ordinent, & idoneos aſciſcant miniſtros. Nam & propterea à puerili incipiunt ætate Clericorum, qui educati in ea Eccleſia apti ad maiora ſuis temporibus fiant miniſteria. Et ſequenti capite docebo, promouendos omnes, ex proprio Clero eſſe aſſumendos, atq; loci originarios. Papa igitur vel exteros ibi, vel proprios locorum collocabit: ſi exteros, iniuriam grauem facit proprio Clero, in quo idonei multi adſunt, qui & illis Eccleſiis diu fideliter inſeruierunt: ſi proprios, quis melius idoneos diſcernet ab indignis, Papa ne qui eos nunquam vidit aut cognouit; an proprius Epiſcopus, qui ſingulos ex ſuo Clero habet notiſſimos? Imo peſſimi quiq; ex Clero mores non corrigunt præſertim ditiores, quia promotionem ſuam, non ab Epiſcopo, qui eos indignos nunquam promoueret, ſed in curia ſperãt; imo certi ſunt, modo habeant pecuniam pro Bullis & Annatis, ac pro longinquo itinere, & donariis, velit nolit Epiſcopus, bonis & idoneis poſthabitis, impetraturos. De perſonis vero ad Epiſcopatus promouendis, dixi lib. 3. Hunc tamen eſſe vanum auaritiæ colorem ſatis conſpicuum faciunt Regulæ Cancellariæ, b Reg. Cancel. 2. 3. quæ *b* Cathedrales, & Abbatiales Eccleſias, non omnes, reſeruant, ſed illas tantum quę valorem ducentorum florenorum auri excedunt: Dignitates vero maiores, quæ valorem excedunt decem florenorum. In ditioribus ergo Eccleſiis maior cura eſt adhibenda, vt idonei ſint earum miniſtri: at in pauperiorib. cura hęc eſt contemnenda: & propterea etiam indigni, ac minus idonei permittentur ad gradus Eccleſiaſticos aſcendere, quia bonis temporalibus non redũdant. O præclarum Eccleſiæ Chriſti regimen.

II. Alteram ſuarum reſeruationum obtendunt cauſam Romani Pontifices; c Reg. Cancell. 8. *c* Vt pauperibus Clericis, & aliis benemeritis perſonis poſſint prouidere. ſed ego eodem modo oppono, vt in cauſa ſuperiori; exteros nimirum, quantumuis pauperes, & de Romana Eccleſia optime meritos non eſſe, cum graui iniuria & damno propriorũ, in alienas Eccleſias intrudendos: proprios vero qui ſint veri pauperes, & melius de ſuis Eccleſiis meriti, optime nouerunt Epiſcopi, quos Papæ prorſus ignorant. Et ſi tãta charitas mouet Papam erga pauperes, cur ab eis & annatas cum tanto rigore, & bullarum ſtipẽdia, ne dicam precia, repoſcit? quot miſeri pauperculi, ne triennio quidem, aut etiam ſæpiſſime quadriennio, poſſunt ex beneficiolo tantum accipere, quantum in eo Romæ obtinendo expenderunt; ac ſæpe cum totius inopis domus & familiæ extrema ruina, & ſi pauperum cum cura mouet, cur ſæpius diuites exteros promouet, etiam ſuos Cardinales, aut Curiales ad beneficia, præſertim ſimplicia alicuius Eccleſiæ, in qua multi honeſti & optimi Clerici ex paupertate fame pereunt? eſt igitur etiam hoc auaritiæ & ambitionis purum velamen, & inuolucrum.

III. Tertiam Reſeruationum cauſam, vt modeſte loqueretur, ſupra innuit nobis Gerſonius: vt videlicet per huiuſmodi Reſeruationes, Domino Papæ, & ſuis Cardinalibus ſufficiens fiat de bonis Eccleſiaſticis prouiſio. Sed præterquam quod hoc fieri non debet (vt idem Gerſonius opponebat) cum tanta ordinariorum iniuria, nulla æquitas, nulla ratio ſuadet, vt alij eſuriant, & alij ebrij ſint: imo vt vnus pene ſolus, cum ſuis nepotibus ſit ebrioſſimus, alij vero quibus panem aufert fame enecentur. Habet Eccleſia Romana vnde egregie poſſit Papa, cum ſua modeſta familia ſuſtentari, inquantum Papa eſt, & perſona Eccleſiaſtica, nam inquantum Princeps eſt etiam temporalis, non debet bonis Eccleſiaſticis, quæ pauperum ſunt, vt docui, mundanas ſuas pompas, & temporalia dominia ſuſtentare. Cardinales vero ipſius, ſint illi, quos prima Eccleſiæ Romanæ inſtitutio dedit illi, nimirum Eccleſiæ Lateranenſis Capitulum, & cæteri Romanæ ciuitatis Parochi, ac titulati, qui iam à propriis Eccleſiis ſufficienter ſuſtentantur; Induat illos purpura; & cum illis Conſiſtorium faciat: & ita habebit ſuum vetum, & proprium Clerum non ad pompam tantum, aduentitium, cum reliquarum Eccleſiarum oppreſſione & ruina, & cum totius mundi ſcandalo immenſo. Optime ſane dicebat Bleſenſis ad nobilem quendam Clericum ſcribens: *d* ſi quia filius comitis, aut cõ- d Pet. Bleſ. Ep. 15. ſobrinus Regis es, manu effuſiore teneris expendere, neceſſitas hęc patrimonium Chriſti non contingit. Expenſas quas de rebus mundanis feciſſes alias fortaſſis enormes pro tua generoſitate, debet in rebus Eccleſiaſticis Epiſcopalis modeſtia cohibere.]

IV. Sola itaq; & nuda, vt ingenue fatear & libere, auaritia harum iniquarum reſeruationum cum tot aliis mirabilibus, ſed tamen turpiſſimis pecunię extorquendę artibus, cauſa vnica relinquitur & ſingularis, vt opes immenſæ ac diuitiæ vndiq; corrodantur, congregentur, accumulentur, non ad diuinum cultum, aut pauperum ſuſtentationem, ſed ad humanum faſtum & luxum, atq; ad terrena dominia conquirenda, cæteraq; humana conſilia exequenda. Multa mihi in hoc genere dicenda occurrunt, abſtineo tamen ob magnam reuerentiam erga ſanctam ſedem, ne os in cælum dicar poſuiſſe: malo vt alij maioris zeli, maioriſq; autoritatis viri, & ſane in Eccleſia Catholica & Romana non contemnendi, in Romanæ curiæ abuſus immenſos ex ſola auaritia natos, vt par eſt, inuehantur. Quis ſcit ſi forte attenta aure audiantur? & inde correctionis ac emendationis ſpes aliqua affulgeat? & tandiu exoptatæ reformationis effectus aliquis Eccleſiam tandem conſoletur?

V. Fuit aliquando, fuit Eccleſia Romana parens & nutrix cæterarum, & tantum abeſt vt antequam corrumperetur aliarum Eccleſiarum bona auide expetierit, vt ſuis potius propriis bonis illis egentibus opitularetur, pietate, & liberalitate vere inſignis, quę ipſius liberalitas olim clariſſimo ſplendore coruſcauit: De qua Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus antiquus, & celeberrimus illud memoriæ prodidit, ſcribens ad Soterem, & Romanos; *e* e Apud Euſeb. hiſt. l. 4. c. 23. *Apud vos ũ à primis temporibus hic mos iam inueterauit, vt omnes fratres variis affeceritis beneficiis, & Eccleſiis permultis, quæ in quaq; ciuitate ſunt, vitæ mitteretis ſubſidia. Sic plane non ſolum egentium ſubleuatis inopiam, verum etiam fratribus qui ſunt ad metalla damnati opem fertis, ſicq; per ea beneficentiæ ſubſidia, quæ iam à primis Eccleſiæ veſtræ iactis fundamentis paſſim mittere conſueuiſtis, cum ſitis Romani Romanorum conſuetudinem à patribus traditam ſedulo obſeruatis. Quam quidem certe beatus Soter veſter Epiſcopus & hactenus cuſtodiuit diligenter, & in modum ſuo propenſo ſtudio adauxit, idq; non modo in*

VI.

de in ſanctos reficiendos opes delegatas benigne ſubminiſtrando, verum etiam fratres ad ipſum aduentantes tanquam Pater indulgens, & clemens in liberos, beato, ac pio ſermone, ad virtutem cohortando.] Mater profecto dum eſſet vegeta, ac iuuenis ad filios, & filias vberrime nutriendos vbera plena dilatabat; iam vero effæta, ſenioq; confecta à filiis, & filiabus lac repoſcit, & alimenta, quibus tamen licet ampliſſimis nequit ſatiari. Vidiſti Lector, quamnam conſuetudinem Romana Eccleſia à Patribus traditam habuerit circa bona temporalia; audiſti opes Eccleſiæ in ſanctos reficiendos eſſe delegatas; tu nunc confer Eccleſiam Romanam, cum Romana Eccleſia, imo curia, & obſtupeſce: ego interim digito compeſco labrum, & alia profero teſtimonia Eccleſiæ veteris Romanæ eximiam attollentia, & piam, ac ſacram liberalitatem.

VI. Sedente Cornelio in eadem Romana ſede, Eccleſia illa largitate ſua ſolita plurimos paſcebat. Nam, vt idem Cornelius *a* ſcribit ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, in Romana Eccleſia erant presbyteri quadraginta ſex, Diaconi ſeptem, Subdiaconi ſeptem, Acoluthi 42. Exorciſtæ, & Lectores vna cum Oſtiariis 52. viduæ, & alij morbo, atq; egeſtate afflictati mille & quingenti, quos omnes Eccleſia ipſa ſuſtentabat.

a Apud Euſeb. l. 6. c. 35.

VII. Martinus Papa huius nominis primus, dum Cõſtantinopoli de ipſo quæſtio haberetur, optime ſanctiſſimum Eccleſiæ Romanæ morem expoſuit, quem ſeruaret illa erga hoſpites. Interrogatus enim à Demoſthene reſcriptore de Pyrrhi Epiſcopi Romam aduentu, his verbis, *b Veniente Pyrrho Romam, quomodo eum ſuſcepit ſanctus vir Theodorus prædeceſſor tuus Papa, vti Epiſcopum? Reſpondit quomodo non haberet eum ſuſcipere, & honorare vtpote Epiſcopum? Reſpondens Demoſthenes dixit, vnde autem ſumebat ea quæ ad vſum ſui corporis erant neceſſaria? Dixit beatus manifeſte, de Patriarchio Romano. Ait concertator; qualis panis dabatur ei? Reſpondit honorabilis vir: vos Domini mei neſcitis Eccleſiam Romanam. Dico enim vobis quia quiſquis venit illuc miſerabilis homo hoſpitari, omnia ad vſum præbentur ei, & nullum immunem ſuis donis S. Petrus repellit venientium illuc; ſed panis mundiſſimus, & vina diuerſa dantur, non ſolum ei, ſed hominibus ei pertinentibus. Si ergo miſerabilibus hominibus hæc fiunt, qui venit honorabilis ſicut Epiſcopus quales ſumptus habet ſuſcipere?*] Nunc vero diuites Epiſcopi ſua flumina in illud mare infundunt, vt gratiam curiæ aucupentur, & purpuram conſequantur, ſuas vero expilant, extenuant, & ad maciem miſerabilem reducunt Eccleſias. Pauperiores vero quibus datum non eſt ad illam purpuram aſpirare, ſi negocia habent, vel viſitare coguntur limina, in cauponis, vel conductitiis hoſpitiis publicis cum reliqua multitudine debent ſatis indigne commorari; aut pro exiguo prandiolo famulitio alicuius Cardinalis ſe adiungere. In *c* iuramẽto fidelitatis, quod repoſcitur à nobis in noſtra ad Eccleſias promotione, hoſpitalitas includitur Romanorum legatorum: nobis vero Romam adeuntibus nulla rependitur hoſpitalitas, quę tamen olim fuit, vt vidimus, longe inſignis.

b Inter ep. Mart. ep. 11.

c c. Ego N. de iureiur.

VIII. Gregorius ſui muneris eſſe profitetur remittere conſuetudines quæ Eccleſiis grauamen noſcuntur inducere: *Nec illuc*, inquit, nempe ad Romanam Eccleſiam *aliquam cogantur inferre, vnde ſibi inferenda debeant potius expectare,--nobis de cætero nequid tranſmittere debeat inhibemus: Et quoniam non delectamur xeniis palmacianas quas tua direxit fraternitas, cum gratiarũ actione ſuſcepimus; ſed eas, ne quod exinde potuiſſes ſentire diſpendium, digno fecimus pretio venundari, & id fraternitati tuæ tranſmiſimus ſigillatim.*] Hæc Gregórius ad Epiſcopũ Meſſanenſem. Inter maximas vero laudes poſteriorum Pontificum de Innocentio tertio legimus *d* q̄ præter alias pietatis expenſas, & ſane maximas, vt de hoſpitali S. Spiritus erecto, & abundantiſſime dotato, de calicibus argenteis in ſingulas Eccleſias vrbis diſtributis, de pecunia occulta in verecundos pauperes erogata, vltra octo millia etiam pauperum pane quotidie ſuſtentarit.

d Antonin. chron. 3. p. tit. 19. c. 1. init.

IX. O quantum poſtea mutata ab illa. Commemorent alij, ego mutus ſilebo, & plorans audiam alios. Dicat primus Otho tertius Imperator, quales Romanos Pontifices illorum temporum obſeruarit. *e Romanam* inquit, *Eccleſiam, matrem omnium Eccleſiarum eſſe teſtamur: ſed incuria, & inſcientia Pontificum ſua claritatis titulos obfuſcaſſe. nam non ſolum quæ extra vrbẽ eſſe videbantur vendiderunt, & quibuſdam colluuiis à lare heredi ſancti Petri alienauerunt, ſed, quod abſque dolore non dicimus, ſi quid in hac noſtra vrbe Regia habuerunt, vt maiori licentia euagarentur, omnibus, iudicante pecunia, in commune dederunt: & ſanctum Petrum, & S Paulum, ipſa quoque altaria ſpoliauerunt. Confuſis vero Papatico legibus & iam abiecta Eccleſia Romana, in tantum quidam Pontificum creuerunt, vt maximam partem Imperij noſtri Apoſtolatui ſuo coniungerent. Iam non quærentes quæ & quanta ſuis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria varietate effuderunt, ſed ſua propria, vtpote ab illis ipſis dilapidata dimittentes, quaſi culpam ſuam in Imperium noſtrum retorquentes ad aliena, id eſt noſtra, & noſtri Imperij maxime migrauerunt. Hæc enim ſunt commẽta ab illis ipſis inuenta, quibus Ioannes Diaconus cognomento digitorum muccius præceptum aureis literis ſcripſit, ſub titulo magni Conſtantini, longi mendacij tempora finxit, &c.*] De hoc Othonis diplomate egi ego lib. 6. cap. 8. n. 53. Dicat & Gerbertus eiuſdem Ottonis magiſter, quo pacto Romæ Eccleſiaſtica negotia tractabantur. *f Roma*, inquit, *nunc temporis venalis expoſita ad nummorũ quantitatem iudicia trutinat.*]

e Decret. collect. Sylu. 2. in fine epiſtolarum Gerberti.

f Apud Baron. to. 10. an. 992. n. 20.

X. Longinus rerum Polonicarum hiſtoricus narrat deprædationem factam à Duce Bohemorum, ſuaſu Epiſcopi Pragenſis, in Eccleſia Gneſnenſi, & ſentẽtiam à Papa Benedicto 9. (qui puer 12. annorũ factus eſt Romanus Pontifex) in Bohemos latam, vt reſtituerent ablata, ſub comminata excomunicatione; eamq; totam ſubuerſam, & ſacrilegium defenſum, beneficio largitionum. Verba Lõgini ſunt; *g Pleroſq; Cardinalium nuncij Bohemorum adeunt, pluribuſq; largitionibus & promiſſis illos ſollicitant, vt ſuis Conſiliis, & ſuffragiis decretum Apoſtolicum de reſtituendis ſanctuariis Eccleſiæ Gneſnenſi reſcindãt aut- -ſuſpendant. Ineſcati Cardinales pretiis, & precibus, captam in ſacrilegium, Principemq; ſeueritatem, & ipſi remittunt, & Pontifici remittendam perſuadent.*

g Apud Baron. to. 11. an. 1039. n. 5.

XI. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Cardinalium, & curiæ Romanæ vitã peroſus, cum ferre non poſſet amplius Eccleſiæ illius pditos mores, Eccleſiaſticis maxime indignos, Cardinalitiam dignitatem, & Epiſcopatum tãdem deponendum eſſe duxit; & ſecedendũ, atq; ad ſuam cellã redeũdum. Is in ſuæ ſeceſſionis excuſationem illud inter alia attexuit. *h Quotidie Regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale conuiuiũ & vnde refrigerari debuerãt indigentes; rubentium tabularũ reficiant geſtatores: & cũ Epiſcopus diſpenſator promptus debeat eſſe pauperũ, ad eorũ menſam affluentibus delicijs alieni ructant; cum & illi, quorũ eſt tota ſubſtantia, procul excluſi famis inopia contabeſcant. Inter hæc omnia porro mala & illud excedit, & Diabolicam propemodũ videtur æquare nequitiam quia prædia in militiam profligatis, omniumq; poſſeſſiones terrarum, inſuper & decima, ac plebes adduntur in beneficiis ſæcularibus. Quæ profecto liberalitas inhoneſta, & indigentibus adimit vnde viuant, & Diœceſanos deterret, vt decimas non perſoluant. Vna res ſcilicet & illis ſubtrahit corporale ſubſidium; & iſtis periculum prouidet animarum.*

h Apud Baron. to. 11. an. 1061. n. 41.

XII. Idem Petrus, dum videret auaritiam in ſede Petri dominari, luſit ſerio huiuſmodi Epigrammate, ad Alexandrum ſecundum ſummum Pont.

a Apud eundem ibid. n. 47. a *Sedis Apoſtolicæ qui vult retinere vigorem,*
Æqua libret rigide, pondera iuſtitiæ.
Iuris enim pariles neſcit ſuſpendere lances,
Quem fauor inflectit, ſpes vel auara trahit.
Muneribus plenæ qui laxat ora crumenæ,
Iuſtitia vacuam perdit inops animam:
Cæli Roma ſeras tenet, & regit orbis habenas:
His ſi plura velit, Tartara ſola petit.]

Et in quadam Epiſtola ad Firminum Epiſcopum, quia cernebat ipſum etiam Papatum Romę eſſe venalem ſuos quoſdam flebiles rithmos recenſet huiuſmodi; b Pet. Dam. ep. 7. in Bibl. SS. PP. to. 3. b *Heu ſedes Apoſtolica, vrbis olim gloria; Nunc proh dolor efficeris Officina Simonis; Terunt incudem mallei, Nummi ſunt Tartarei; iuſto Dei iudicio fit iſta conditio, vt quiſquis ſedem Apoſtolicam ſemel comparat, redimere nõ deſinat, donec malepereat.*] Atq; ad Cardinales Epiſcopos, poſt abiectum Cardinalatum ſuum ſalutiferas dedit literas, plenas optimis admonitionibus, aduerſus eorũ corruptos mores; in quib. inter cætera c Ibid. n. 48. hæc habet: c *Inter omnes itaq; vitiorũ circunfrementiũ acies, inter denſiſſimas iaculorũ ingruentiũ more grandinum tẽpeſtates aduerſus auaritiã, vobis eſt attentius vigilandũ.*] Monetq; pcipue ne munera accipiant: & addit aliqua de ſimoniaca labe, de qua nos paulo inferi⁹. Ac deſcripto quodã ſatis ſordido Cardinali Epiſcopo, d Ibid. n. 49. ad munera nimis pcliui addit. d *Porro a. qui eiuſmodi ſunt, non ea ad hoc cõquirunt, vt inopiã, & indigentiã naturæ neceſſitatum ſuſtentaculis fulciant, ſed vt vnitæ dapibus lances, indica pigmenta redoleant: vt in cryſtallinis vaſculis adulterata melle vina flaueſcant. Ad hoc certe ditari cupiũt, vt quocunq; deueniũt, præſto cubiculũ operoſis & mirabiliter textis cortinarum phaleris induant, ſicq; parietes domus ab oculis intuentiũ, tanquã ſplendidũ cadauer obuoluant. Mox etiã tapetis pdigioſas imagines præferentib. ſedilia ſternunt; peripetaſmata laquearib. ne qd occiduũ delabatur, opponũt.* pergitq; deſcribere põpas clientelarũ, & famulitij nec nõ veſtimentorũ cubiliũq; ornamẽta: & addit.

XIII. *Hoc ergo modo cum ſobrietas ſoleat cõmendare Pontifices Cardinales, effuſis nũc opibus. facti ſunt belluones. Regalis itaque purpura, quia vnicolor eſt, vilipenditur; pallia vero diuerſis fucata nitorib. ad ſublimis lectuli deputãtur ornatũ. & cũ domeſtici municipes noſtris aſpectib. ſordeãt, tranſmarinorũ pelles, quæ magno precio coemũtur, oblectant. ouiũ itaq; ſimul & agnorũ deſpiciuntur exuuiæ, ermelini, gibelini, martores exquiruntur, & vulpes: cũ illa ſcil. in ſacris honorentur eloqis & vel Eccleſiæ, vel perſonã exprimant Saluatoris:* e Io. 10. 27. f Io. 1. 29. e oues, in *quit*, meæ vocẽ meã audiũt. Et f Ecce Agnus Dei. De iſtis vero vel tacetur omnino, & indigna ſunt, q̃ ſcriptura cõmemoret; vel ſi eorũ reperitur vlla memoria, ſiniſtrã pbantur habere figurã: ſicut eſt illud; g Luc. 9. 58. g Vulpes foueã habent, &c. & poſtea pſtringit Papã ipſũ nõ Epiſcopos, vt vult Baron. Ait n. h Bar. ibid. n. 50. h *Tædet cætera vanitatis attexere nõ ridenda, ſed gemenda ridicula. faſtidiũ eſt tot ambitionis, ac prodigioſæ veſaniæ dinumerare portẽta: Papales ſc. infulas, gẽmis micantib. aureiſq; bracteolis per diuerſa loca corruptas: Imperiales equos, qui dũ pernicei greſſus arcuatis crinib. glomerant, ſeſſoris ſui manus loris innexas indomitæ ferocitate fatigãt. Omitto annulos, &c.*] ac ſtatim tranſit ad Paſtoralia non lignea ſed aurea Epiſcoporum. Et hæc ex ſacra ſcriptura Deo plurimum diſplicere pluribus demonſtrat.

XIV. In alia quoq; Epiſtola ad eoſdẽ Epiſcopos Cardinales hæc habet: i Apud Bar. to. 11. an. 1057. n. 29. i *Qui Epiſcopatũ deſiderat, bonũ opus deſiderat. Hic euidenter oſtenditur, nil aliud eſſe Pontificẽ, quã boni operis ſectatorẽ: non n. dixit bonã dignitatẽ, vel bonũ honorẽ deſiderat; ſed qui Epiſcopatũ deſiderat bonũ opus deſiderat. Ac ſi dicat qui ad Epiſcopatũ anhelat poſſidendũ ſine bono opere, inane vult nomen induere, ſine rei ipſius veritate. Nõ ergo conſtat Epiſcopatus in turritis gebelinorũ tranſmarinarumue ferarũ pileis, non in flãmantib. martorũ ſubmentalib: roſis, nõ in bractearum circunfluentiũ phaleris, non deniq; in glomeratis conſtipantiũ militũ cuneis, nec in frementib. ac ſpirantis frena mandentib. equis: ſed in honeſtate morũ. & ſanctarũ exercitatione virtutũ.*] Et in Epiſtola ad Dominicũ & heremitas, deſcribit plurib. ſcrupulũ quendã ſuũ, ex eo q aliquando dono accepiſſet Mediolani, dũ eſſet ibi Legatus Apoſtolicus, à quodã Abbate vaſculũ argenteũ. k *Suſpicatus ſum*, inquit, *quod negotiũ fortaſſis haberet, atq; ideo anticipando præueniens munerib. occuparet. mos quippe eſt apud nos, miniſtros videlicet Apoſtolicæ ſedis, ab his quorum negotiũ pendet, nihil prorſus accipere, ab his a. qui omnino quieti ſunt, ſi dare voluerint, nõ abnuere. & hæc regula non omniũ noſtrorũ, ſed illorũ duntaxat eſt, qui meliuſcule ſe ab auiditate cuſtodiunt.*] Hæc ex Damiano. k Ibid. an. 1059. n. 51.

Corruptiſſima ſane fuiſſe hæc tẽpora, & luxũ atq; auaritiã turpiſſime Eccleſiã Romanã vexaſſe, non modo colligas ex Damiano, qui in Cardinales duntaxat inuehitur, ſed etiã ex confeſſione Leonis IX. paulo ante, ad Orientis Imperatorẽ Monomachum Conſtantinũ de ſuis prędeceſſorib. valde pfuſis facta. Ait n. l *Et quia abundantis iniquitate, & refrigeſcente charitate, ſancta Romana Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ſedes, nimis diu obſeſſa fuit mercenariis, & non paſtoribus, à quib. ſua nõ quæ ſunt Ieſu Chriſti quærentib. deuaſtata iacebat mirabiliter hactenus, diuinũ conſilium voluit meã humilitatẽ ſuſcipere tantæ cathedræ pondus, &c.*] Quid mirũ igitur ſi Cardinales ſub talib. Pontificib. educati iſ eſſẽt quos deſcribit Petrus, & mores pditi in illa curia totã illã Eccleſiã, & alias cõſequẽter deturparẽt? Nã, XV. l 1019. ep. 9.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

XVI. Iuo Carnotenſis, ſi nõ apertis verbis, ſaltem aliquid innuentibus, eandẽ pſtringit auaritiam; q etiam indignos, ob munera, in ſedib. Epiſcopalibus ſolẽt confirmare: De quodam n. intruſo loquens, ait: m *Cui ſi ad Epiſcopalem miniſtrationem aliquando Apoſtolica autoritate patuerit aditus, manifeſtum eſt tẽporib. noſtris exitiale ſilentium impoſitum eſſe Canonicis legib. quomodo n. ad fontẽ ſcientiæ pertingemus, ſi ab ipſis, qui clauem tenẽt, intrare non permittimur? --- Dominum Papam ſuper his cautum faciatis, vt qui ex aduerſo ſtat, occaſionem maledicendi non habeat de vobis, tanquam ſua quærentibus, & non quæ Ieſu Chriſti, prædictus n. intruſus feſtinat vt cito Romam vadat, aut mittat, & Palatinos quib. poterit muneribus vel promiſſionibus, flectat in ſuam partem, & Dominũ Papam quacunq; poterit machinatione decipiat. --- ſi enim & in hoc caſſata fuerit expectatio noſtra, iam quid cõtra obloquentes pro Romana Eccleſia loquamur non habebimus; & murum pro domo Dei ponere, fiducia Romanæ Eccleſiæ vltra non audebimus.*] Clarius tamen in alia Epiſtola Iuo ſenſum animi ſui in hoc explicat. *Inſuſurrarat aliquis in aures Legatorum Romanorum Iuonẽ in Eccleſia ſua Carnotenſi permittere labẽ ſimoniacam dominari, hac de re à Legatis monitus, negat ipſe; & potius gloriatur ſe multas malas conſuetudines in Eccleſia ſua inuentas, & toto pene Regno radicatas abſtuliſſe*: Et addit; n *ſi qua a. adhuc ſunt, quæ pro conſuetudine antiqua publice exigant Decanus & Cantor, & alij miniſtri ab ijs qui Canonici fiunt, me contradicente, & perſequente, Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ſe defendunt, vt quæ dicunt cubicularios & miniſtros ſacri Palatij multa exigere à conſecratis Epiſcopis vel Abbatibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine palliãtur; cum nec calamus nec charta gratis ibi, vt aiunt, habeatur; & hoc quaſi lapide conterunt frontem meam, cum non habeam quid reſpondeam, niſi Euangelicũ illud;* o Quod dicunt, ſeruate & facite; ſed ſi id faciunt, ſecundum opera eorum nolite facere. *Si autem hanc peſtem radicitus euellere non valeo, non tantum inualetudini meæ hoc imputandum eſt; quia ad hoc ab origine naſcente* m Iuo ep. 87. n Iuo ep. 133. o Matth. 23.

ſtalentis Eccleſia Romana Eccleſia laborauit, nec à gremio ſuo tales ſua quærentes penitus præualuit eliminare. hec in diebus malis regnare deſinet cupiditas, donec finito mundi termino, pacatum Regnum accipiat charitas.]

XVII. Quo tempore maxime ardebant iræ Pontificiæ in laicis Principum inueſtituras, nihil magis potuit illas ſedare & mulcere, quam fuluum illud, & tam eximiæ virtutis ſuauiſſimiq; ſoni, aurum, multo magis quam remiſſus ille & dulcior *a* Timothei cantus Alexandrum mitigaret, totum contrario Phrygio iam concitatum, & furentem, atque ad conuiuium reuocaret. Anſelmus quippe Cantuarienſis, vt ſcribit Matthæus Paris, Romam profectus eſt conſenſu tamen vix à Rege habito, ſecum ad Paſchalem ſecundum ducens degradatos Pontificio anathemate quia inueſtituras à Rege acceperant: *b Pro quibus*, inquit, *multa precum inſtantia Dominum Papam rogare cœpit, vt cum illis misericorditer diſpenſaret, vt poſſent amiſſas recipere dignitates. Tunc ſedes clementiſſima quæ nulli deeſſe cōſueuit (dummodo aliquid albi vel rubei intercedat) præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates reuocauit, & cum gaudio ad proprias ſedes remiſit.*] Alius magnus Simoniacus, vt ſcelus pœnitentia aboleret, *c Romam*, inquit Villelmus, *profectus ſeueritoribus annis, vbi loci ſimoniacum & baculum & anulum deponens, indulgentia clementiſſimæ ſedis iterum recipere meruit. Quod Romani ſanctum, & ordinatum cenſeant, vt Eccleſiarum omniū ſumptus ſuis potius marſupiis ſeruiant, quam quorumlibet regnum vſibus militent.*] Monachi quidam diœceſis Ambianenſis in manifeſta fraude, tanquam falſarij, deprehenſi, exhibitione priuilegiorum ab ipſis confictorum, nihilominus Romam profecti à Paſchali largitione *munerum d victoriam contra Epiſcopum ſuum obtinuerunt.*] Ita Fulco Andegauenſis comes raptor multorum bonorum Eccleſię Turonenſis, cum Papa ſuper ſuis rapinis, data ei ſatis magna copia auri, compoſuit: ſuper quo magnum ſcandalum, & Romæ, & in Galliis ortum narrat *e* Glaber.

a Baſil. or. ad. de vtili. ex Aut. capien.

b Math. Par. s.

c Malmesb. in vita Vlfl. l. 2.

d Apud Iuo. ret. ad Iuo. ep. 65.

e Glab. hiſt. l. 2. c. 4.

XVIII. Nihil meliora de Vrbano Paſchalis immediato præceſſore narrat idem qui ſupra Villelmus, vbi agit de legato Regis Anglorum Romam miſſo aduerſus Anſelmum Cantuarienſem Archiepiſcopū. *f Ardebat* inquit, *aliquid efficere, vt ampliorem locaret apud Regem amicitiam. Itaque arte qua peritus erat negotiū conſiciens, ſingulos muneribus & pollicitationibus Regi terminum ad feſtum S. Michaelis obtinuit. Cunctatus eſt multum ad id concedendum Vrbanus, quod luctarentur in eius animo Anſelmi religio, & munerum obliquio; ſed præualuit tandem pecunia. Itane omnia ſuperat, omnia deprimit nummus? indignum factum, vt pectori tanti viri, Vrbani dico, vilis fieret fama cara, Dei reſpectus cederet, & pecunia iuſtitiam præuerteret?*]

f Malmesb. de geſt. Pont. Angl. l. 1.

XIX. Sub Calliſto II. in Concilio quodam Rhemis per legatos Romanos coacto, *g* Eboracenſis, vt eſt apud Matthæum, Romanos, ſicut mos eſt, in ſuum fauorem largitatis beneficio tranſtulit, & per eos vt à Papa conſecraretur impetrauit. Controuerſiam vero magnam, quæ tunc erat inter Cantuarienſem, & Eboracenſem de primatu concertantes, indicat ſatis aperte Villelmus, fuiſſe à Papa callidis artibus foram, ac nutritam: nam dicebat, *h* ſe omnino priuilegia Cantuarienſi conſeruaturum, & Eboracenſi ſua; ſed nunquam voluit definire quænam eſſent iſta priuilegia, & cui illa vere primatum darent. *Sic callidus lupus Romanorum*, inquit Villelmus, *nouit ſe conuertere ad oratorum verſutias, & quæ vult caſſa ſic ſpendit ambage, non parcens alienis laboribus, dummodo ſuis conſulat profectibus.*]

g Par. s. ad an. num 1119.

h Malmesb. vbi ſu. de geſ. Pont. Angl.

XX. Bernardus, non ſemel in Romanam curiam inuehitur. Reprehendit in vna ſua Epiſtola nimiam Prælatorum ambitionem, cum auaritia coniunctam, qui beneficium Eccleſiaſticum beneficio copulare conantur: & addit. *i Huius rei gratia non pigritantur crebro terere limina Apoſtolorum, inuenturi & ibi (quod magis dolendum eſt) qui ſuæ faueant improbæ voluntati: non quod valde Romani curent quo fine res terminetur, ſed quia valde diligunt munera, ſequuntur retributiones. Vnde nuda loquor, nec retego verenda, ſed inuerecunda confuto. Vtinam priuatim, & in Cameris hæc fierent: vtinam ſoli viderimus & audierimus: vtinam nec loquentibus crederetur: vtinam nobis reliquerint moderni Noe vnde à nobis poſſent aliquatenus operiri. Nunc vero, cernente orbe mūdi fabulam, ſoli tacebimus? caput meum vndique conquaſſatum eſt, & ego ſanguine circunquaque ebulliente putauerim eſſe tegendum? Quicquid appoſuero, cruentabitur, & maior erit confuſio voluiſſe celare cum celari nequiuerit.*] Et in Epiſtola alia ad Eugenium Papam, reformationis curiæ Romanæ cupidiſſimus, exclamat. *k Quis mihi det antequam moriar videre Eccleſiam Dei, ſicut in diebus antiquis, quando Apoſtoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, ſed in capturam animarum? quam cupio illius te hereditare vocem, cuius adeptus es ſedem?* l Pecunia, *inquit*, tua tecum ſit in perditionem. *O vox tonitrui, ô vox magnificentiæ & virtutis, ad cuius terrorem confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Hoc vehementer expectat, & omnino expetit à te mater tua: Hoc filij matris tuæ puſilli cum maioribus deſiderant: Hoc ſuſpirant, vt omnis plantatio quam non plantauit Pater cæleſtis tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim conſtitutus es ſuper gentes & Regna, m vt euellas, & deſtruas, & ædifices & plantes.*] Spemque maximam iam excitatam commemorat, vt Eugenius ſit omnino abuſus curiæ ſublaturus.

i Bern. ep. 42.

k Idem ep. 237.

l Act. 8. 20.

m Hie. 1. 10.

XXI. Ad eundem Eugenium ſcripſit idem Bernardus libros de conſideratione, plane diuino Spiritu, & vera libertate religioſa: In ijs ſæpius ad peſtem hanc Romanæ auaritiæ excurrit. *n Plena*, inquit, *eſt ambitioſis Eccleſia, non eſt iam quod exhorreat in ſtudiis, & molitionibus ambitionis, non plus quam ſpelunca latronum in ſpoliis viatorum. Si Chriſti diſcipulus es, igneſcat zelus tuus, exurgat autoritas aduerſus impudentiam hanc, & generalem peſtem. Intuere magiſtrum ſic facientem*, (hoc eſt cōtra nummularios *o* flagella parantem) *ergo*, inquit, *& tu fac ſimiliter. Erubeſcant vultum tuum iſtiuſmodi negotiatores ſi fieri poteſt ſi non, timeant, & tu flagellum tenes. Timeant nummularij. nec fidant in nummis, ſed diffidant, abſcindant æs tuum à te, ſcientes effundere quam accipere pa ratiorem.*] Sugillat potiſſimum cauſidicos, & procuratores litium, beneficialium anfractus quærentes, vt inde emolumenta capiant, an rapiant? & miſeros litigantes exugant. Cupit Bernardus vt Papa remedium adhibeat, & paucas cauſas iudicandas ipſe ſumat, vel committat, tantum grauiores, & eas ſummarie & ſuccincte. At vero nulla in toto mundo tribunalia ſunt quæ longioribus tricis litigantes infælices implectanr, quam ſacra Romana: totaq; curia inde maximum habet lucrum, neq; eo Papa caret: officia enim plurima Notariorum Curſorum, & ſimilium officialium, quo plura multiplicantur negotia, eo pluris à Papa vēduntur. Vt propterea fruſtra Bernardus exoptet à Papa debere litium anfractus præcidi, quarum occaſione curia Papalis auctior eſt, & opulentior.

n Bern. de conſid. l. 1. c. 10. 11.

o Io. 2.

XXII. Queritur preterea Bernardus, quod exteræ Chriſtianorum nationes Auſtrales, hęreſibus, & infidelitate labefactatæ, opera Papæ ad nitorem fidei non reducantur: miraturq; ꝙ qui ad hoc mittebātur, nihil boni facerēt, nec audiret eorum bonos fructus: addit tamen: *p Et forſitan aud. iuiſſemus, niſi præ auro Hiſpaniæ, ſalus populi viluiſſet. Tuum eſt & plagæ huic remediū prouidere. ſed eſt inſipientia quæ ipſam quoq; iam propemo-*

p Bern. de conſid. l. 3. c. 1.

dum ſtultam facit ſapientiam fidei. Quomodo & Eccleſiam Catholicam pene totam hoc virus infecit? Nam dum & in ipſa quoq; quæ noſtra ſunt quærimus, fit vt inuicem inuidentes, &c.] Videtur mihi Bernardus innuere, & ſtudiũ lucri Romæ alias cogitationes propagandæ fidei ſupprimere, & auaritiam ne pecuniam Eccleſiaſticam ad proprium vſum iam conuerſam expendere ſit neceſſe, conuertendarum gentium conſilia impedire. Extrema ſane Pontificum noſtri temporis in cumulanda pecunia ſibi & ſuis diligentia, extremam parit in fide & religione reparanda & conſeruanda negligentiam. Audio vnum noſtrorũ Pontificũ nuper Legato cuidam ſuo qui in Germania fuerat, ac referebat, periculũ eſſe vt pars Catholicorũ etiã à Romana Eccleſia plane deſciſceret, reſpõdiſſe, quid tum? non multum eſt id cuius iacturã faceremus, hoc eſt q̃a Datariæ emolumenta exigua ſunt ex Germania, iacturã etiam fore exiguam. ſcio religioſos Franciſcanos de obſeruantia, qui multa in Turcica ditione habent monaſteria, ac pene ſoli in tam lato Imperio, ac floridiſſimis Chriſtianorũ Prouinciis, Romanam fouent Religionem, & Chriſtianos continent in officio, vni ſimiliter ex noſtris Romanis Pontificibus pias expoſuiſſe querimonias, ſe ſub tanta tyrannide & oppreſſione Turcorũ, quos perpetuis debent delinire munerib. nõ poſſe, abſq; Eccleſiæ ſanctæ adiumentis temporalib. ſubſiſtere, Põtificemq; nõ ſine ſtomacho reſpondiſſe. ſi ſubſiſtere nõ poteſtis, recedite. Cũ mallet fideles illos ſacris miniſtris deſtitui, & conſequenter etiã fidem deſerere, q̃ pecuniam Eccleſiaſticam, neq; admodũ multam, in tam piũ opus erogare: q̃ ad ſuos tantũ ditãdos & magnificandos cõgregabat. Ad Bern. redeo.

XXIII. a *Praes, inquit Eugenio, & ſingulariter. Ad quid? ergo tibi dico conſideratione. Nunquid vt de ſubditis creſcas? nequaquam ſed vt ipſi de te. Principem te conſtituerunt, ſed ſibi, non tibi. Alioquin quo pacto te reputas ſuperiorem his, à quibus beneficium mendicas? Audi Dominum;* b Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. *At iſtud de his qui foris ſunt. Quid ad nos? Tu id mendaciter diceris, ſi non tam beneficus eſſe, quam beneficè praeeſſe intẽdas. Parui deiectiq; animi eſt, de ſubditis, non profectum quærere ſubditorum, ſed quæſtum proprium. In ſummo præſertim omnium Pontifice nihil turpius. Quam pulchre magiſter gentiũ* c *parentes filiis, non filios debere cenſuit theſaurizare parentib. Non mediocris gloria vox illa identidẽ ipſius:* d Non quæro datum, ſed fructum. *At iam tranſeamus & hinc, ne quis moram in his meam, auaritiæ in te notam interpretetur, quæ quam longe à te ſit, in libro ſecundo teſtatus ſum: ſciens quanta, & in quanta tua neceſſitate reſpueris. Ad te proinde ſcripſerim iſta, non propter te, nempe quod tibi ſcribitur, ſoli prodeſſe nõ decet. Hic locus auaritiam carpit, à quo vitio immunis ſatis tua opinio eſt; an & opus, tu videris.*] mox vero laudat Eugenij continentiam in reſpuendis quibuſdam magnis muneribus. Ac nihilominus curiæ abuſus iam inolitos in auaritia taxat non parum, dum narrat Eugenium ex propria pecunia clam dediſſe cuidam pauperi Epiſcopo, vt ille eam publice donaret. Dicit quidem in laudem Eugenij reſpuentis turpia quędam Germanorum Epiſcoporũ munera:

—*Quando hactenus aurum Roma refudit?*

Non ſic à paupere Epiſcopo continuiſti, dans quod daret, ne immuniſſimus notaretur. Accepit clam, quod palam dedit. ſic de tuo ſacculo conſultum eſt verecundiæ viri. ſic quoq; curiæ morem gerens, tuo beneficio inuidiam declinauit eorum qui diligunt munera.]

a Bern. de conſid. l. 3. c. 3.
b Luc. 22. 25.
c 2. Cor. 12. 14.
d Phil. 4. 17.

XXIV. Scripſerat vero idem Bernar. ad Papam Cæleſtinum, de Eboracenſi intruſo; e *Cum non potuit per oſtium ſodis argenteo, vt aiunt, ſarculo, vnde impudenter irruſit.*] Nec omittam quod Gulielmus Abbas ſcribit in vita Bernardi, nimirum, Papam Innocentium veniſſe ad ipſum inuiſendum, in ipſius paupere monaſterio: Tunc, inquit, *de Curialibus Papæ;* f *Nihil in Eccleſia illa vidit Romanus quod cuperet, nulla ibi ſupellex eorum ſollicitauit aſpectum; nihil in oratorio niſi nudos viderunt parietes.*] Solitos igitur innuit Romanos Curiales concupiſcere, & extorquere, vbi aliquid in Eccleſiis ſibi carum reperirent.

e Bern. ep. 234.
f Vita Ber. l. 2. c. 1.

XXV. Sed adhuc audi Bernardum ad Cardinalem Oſtienſem ſcribentem, & inſignem Legati Romani turpitudinem aperientem; g *Pertranſiit, inquit, Legatus veſter de gente in gentem, & de Regno ad populum alterũ; fœda & horrenda veſtigia apud nos relinquens. A radice alpium, & Regno Theutonicorum, per omnes pene Eccleſias Franciæ & Normanniæ, & circumquaq; circumiens, vſq; Rothomagum; vir Apoſtolicus repleuit non Euangelio ſed ſacrilegio. Turpia fertur vbiq; commiſiſſe. ſpolia Eccleſiarũ aſportaſſe, formoſulos pueros in Eccleſiaſticis honoribus, vbi potuit, promouiſſe, vbi non potuit, voluiſſe. Multi ſe redemerunt, ne veniret ad eos. Ad quos peruenire non potuit, exegit, & extorſit per nuncios. In ſcholis, in curiis, in Triuiis fabulam ſe ipſũ fecit. --- Et ſcitote minus me dixiſſe quam publice prædicatur*]

g Bern. ep. 290.

XXVI. Legatorum Papæ pecunia corruptorum turpiſſimum factum narrat quoq; Chronicon Moguntiacum Conradi: h *Qui ſcelus graue perpetrarunt. ſpoliantes Epiſcopatu illo virũ probum Henricum ipſiuſq; procuratorẽ & productorẽ Arnoldum, vanis conſiliis mendacijs & calumniis, in Epiſcopatum intrudentes. & cũ miſer Epiſcopus innocens per ſummũ ſcelus priuatus, ad Dominũ Ieſum Chriſtũ, à tam potenti Romana iniuſtitia appellaſſet, ipſoſq; Legatos iudices pecunia corruptos ad Chriſti tribunal prouocaſſet ipſi inſuper ridentes, & ludentes, reſponderunt, cũ tu præceſſeris, nos ſequemur.*] Et Petrus Bleſenſis iam dixerat, i *Legatos hodie fecit quæſtus, non reſpectus Chriſti, non honor Eccleſiæ non regnorum pax, aut populi ſalus.*]

h Apud Baron. tom. 12. an. 1153.
i Pet. Bleſ. ep. 144.

XXVII. Thomas Cantuarienſis ſæpe ſibi ſuſpectam habuit Romanam curiam, ne ipſius patrocinium, pro qua ille vitæ diſcrimina ſubibat, vi pecuniæ, deleret; cuius voces non nihil querulæ ſunt: k *Ego dolendo dico rem dolendam nimis. Capta eſt vrbs inclyta, quæ iam fere totum ſubegerat orbem, ſubuerſa humanæ gratiæ cupiditate, & quæ gladio perire non poterat, occidentali veneno infecta ſuccumbit. Proh dolor, ipſius occaſu fit vndique diſpendium libertatis Eccleſiæ, compendio temporalium. Itur in ipſius ruinam, per anfractus diuitiarum. proſtituta eſt vt fornicaria. quæ multorum libidini patet in plateis fornicantur cum ea quilibet potentum.*] Innuit miſſum aurum ab Anglorum Rege, ad corrumpendam Romanam Eccleſiam. l *De quo,* inquit Baronius, *audiquerelas Pictauienſis Epiſcopi ita ſcribentis ad Lombardum: Gloriatus eſt etiam Rex ſe tales amicos habere in curia, qui omnes conatus Archiepiſcopi Cantuarienſis euacuabunt, & ita ſeduli ſunt in promouendis negotiis eius, vt nec vnam petitionem porrigere poſſit, vel aliquid impetrare, quod per amicos non mittatur ad ipſum. Scimus & nomina eorum quorum conſilio vtitur, & qui nuper egerunt in tanta causa Dei, & pauperes Chriſti vili precio vendiderunt. Neque enim fuit multitudo in commutationibus eorum. Nam quid fuiſſent illæ vnciæ auri, quibus impulſi ſunt vt caderent, quos Eccleſiæ columnas oportuerat eſſe? Adeoque in triumpho ſuo elatus eſt Rex, vt in domo ſua tacere non poſſit, qui Cardinales de illo peſtifero & infami auro nihil acceperint, qui ne procurauerint quomodo diſpenſaretur, aliis plus, aliis minus, ſecundum quod magis aut minus quis promeruerat ad iuſtitiæ ſubuerſionem.*] Qui etiam Thomas & refert quæ gloriabatur nuncius quidam Regis, & credit vera illum dicere: m *Dicit etiam,* inquit, *quod ſi Dominus Papa decederet, faceret nos deleri de libro vitæ: iactitans curiam Romanam ita*

k Apud Baron. tom. 12. an. 1167.
l Ex ibid.
m Apud Baron. 12. an. ibid.

venalem

venalem eſſe, vt interuenientibus muneribus, quicquid velit poßit impetrare.

XXVIII. Ioannes Saresberienſis, eiuſdem Thomæ à ſecretis, eadem ſuſpicione & plenus erat, & ſine ſuſpicione etiam ſæpius in Romanam auaritiā eſt inuectus
a Saresb. ep. 225. apertiſſime. Ipſum audiamus. a *Varius rumor eſt, aliis aſſerentibus Cardinales fideliter pro Eccleſia Dei laboraturos, aliis dicentibus quod propoſuerunt diſtrahere Eccleſiæ libertatem, & euacuare iuſtitiā cauſæ noſtræ pro pecunia, quā tamen non licet mittere in corbonam, quia precium ſangui-*
b Idem ep. 222. *nis eſt.*] Item; b *Romanos amicis verba dare iam nemo miratur, quia percelebre eſt, & innotuit vniuerſis, quod apud eos quantum quiſq; nummorum habet in arca, tantum habet & fidei, & plerunq;, obliquata mente legum & Canonū, qui munere potior eſt, potentior eſt iure. ſi ergo ibi duplicitas reperitur, nihil accidit inopinatum, cum frequens ſit vt diuina lex diſpendium patiatur, vbi diſpenſandi neceßitatem ſingit auaritia, cum tamen æquitatis euerſionem, & honeſtatis ludibrium, nunquam ratio introducat.*] *Et quamuis ſibi quaſi vim adhibens nolit aſſentiri Papam Alexandrum muneribus fore excæcādum, laudes tamen,* inquit, *eius, prout meruerit, in fine canam.*] vt ſignificet ſe à ſuſpicione non
c Idem ep. 232. eſſe liberum. Habet & illud: c *Cardinalium nomen viluit apud Francos, eo quod Balaamitæ, quatenus licuit, inuenti ſunt, & digni qui cum ſuis Madianitis corruant gladio Moyſi. Viuificant enim animas quæ non viuunt, & Moabitarum captātes munera, populum Dei maledicto & infamia conantur inuoluere.*] Et paulo poſt, *de ſuis moribus alios metientes, nec Deo, nec hominib. habent fidem, vbi doloſi ſpes refulſerit numi.*] Et ad ipſum Thomam ſcribit, plenus
d Apud Baron. tom. 12. an. 1164. ſuſpicione in Pontificem; d *Contra vos faciunt multa, pauca pro vobis: Venient enim magni viri diuites in effuſione pecuniæ, quam nunquā Roma contempſit, eruntq; non modo ſua, ſed Domini Regis (quē curia in nullo audebit offendere) autoritate freti, &c.*] Item in alia Epiſtola ad eundē: e
e Ibid. an. 1167. *Vtiq; Alexander Papa vir ſanctus & iuſtus eſt, ſed eius ſunt tot neceßitates, & tanta auiditas & improbitas Romanorū, vt interdum vtatur licentia poteſtatis, procuretq; diſpenſatione, quod Reipublicæ dicitur expedire, & ſi non expediat religioni.*] De corruptione Cardinalium, & de auto
f Baron. to. 12. an. 1167. Romam à Rege miſſo fatetur etiam f Baronius.

XXIX. Ambitionem Epiſcopi Lundonienſis primatum Regni Cantuaria ad ſuam ſedem, trahentis, irridet idem Ioannes, primum titulo Archiflaminis, dein-
g Saresb. ep. 272. de prophetia quadam Merlini; tum addit ſeria: g *ſed quia,* inquit, *Merlinus philoſophus propheta ſuis futilem nouit autoritatem, etiam ad validiora certe ſubſidia dicitur confugiſſe; præſumens de potentatu Principis, de Eccleſiæ debilitate, de auaritia Romanorum, de puſillanimitate veſtra* (ſcribit ad conuentum Cantuarienſem) *de paupertate Archiepiſcopi, & multitudine diuitiarum ſuarum.*

XXX. Acriora ſunt, quæ idem Autor, occaſione ſomniorum & viſionum, ſcribit de ortu Romanæ vr-
h Idem in Policrat. l. 2. c. 15. bis. Ait enim: h *Æneas oraculorum iudicio promißam & quæſitam inuenit Italiam; & in ea non tam numinum, quā Dæmonum nutu ſedem ſtatuit, & ſementem Romani generis in horto qui eis complacuerat ſeminauit. Quid enim aliud agit in ſomniis Pater Anchiſes, quid Iupiter, quid Apollo, quid alij quos longum eſt recitare? Vnde ſi de ſemine illo genus oritur toxicatum, impium in Deum, crudelem homines, perſecutioni ſanctorum inuigilans, fide rara, ſolemni perfidia, ſeruile moribus, faſtu Regale, fœdum auaritia, cupiditatibus inſigne, ſuperbia tumidum, omnimoda nequitia non ferendum, miraculis non debet aſcribi, cum auctor eorum homicida fuerit ab initio, & à veritate deficiens (inuidiæ ſpiculo) orbi terrarum infixerit mortem. Qui ergo ex eo patre ſunt, etſi eius nequeant implere menſuram, ſolent tamen illius imitari malitiam. licet in horto illo nonnullas plantas, quæ virtutis fructum irrigatione Apoſtolica faciunt, manu Domini conſtet eſſe inſertas.*] Dum nonnullos tantum viros bonos Romæ eſſe ſuo tempore affirmat, eoſq; excipit à tota mala progenie, in illo Diaboli horto ſata, ſignificat reliquum eſſe corruptum, & non minus ſe loqui de Romanis ſui temporis, quam de Romanis Ethnicis, qui ingreſſum in vrbem Euangelij anteceſſerunt.

Voces publicas quæ de Papa, & Romana Eccle- XXXI.
ſia circunferrentur eo tempore, refert fideliter idē Saresberienſis Adriano quarto ſum. Pont. id ab eo
enixe expoſcenti: quæ tales erant. i *Romana Eccleſia,* i Saresb. in Policrat. l. 6. c. 24.
quæ mater omnium Eccleſiarum eſt, ſe non tam matrem exhibet aliis, quam nouercam. Sedent in ea ſcribæ & Phariſæi; ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in Clero, nec forma ſunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam; precioſam ſupellectilem congerunt, auro & argento onerant menſas, ſibi etiam ab auaritia nimis parci. nam pauper aut nullus, aut rarus admittitur, quem interdum non tam Chriſtus, quam vana gloria introducit. Concutiunt Eccleſias, lites excitant, collidunt Clerum & populum, laboribus & miſeriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Eccleſiarum lætantur ſpoliis, & quæſtum omnem reputant pietatem. Iuſtitiam non tam veritati, quam precio reddunt: omnia namq; cum precio hodie, ſed nec cras aliquid ſine precio obtinebis. Nocent ſæpius, & in eo Dæmones imitantur, quod tunc prodeſſe putantur, cum nocere deſiſtunt; exceptis paucis, qui nomen & officium paſtoris implent. Sed & ipſe Romanus Pontifex, omnibus grauis & fere intolerabilis eſt. Præterea omnes arguuntur, quod ruentibus & collabentibus Eccleſiis, quas Patrum conſtruxit deuotio, altaribus quoque incultis palatia extruit, & ipſe non modo purpuratus, ſed deauratus incedit. Palatia ſplendent ſacerdotum, & in manibus eorum Chriſti ſordidatur Eccleſia. Prouinciarum diripiunt ſpolia, ac ſi theſauros Crœſi ſtudeant reparare. ſed recte cum eis agit altißimus; quoniam & ipſi aliis & ſæpe vilißimis hominibus dati ſunt in direptionem. & vt opinor dum ſic in uio errauerint, nunquam deerit eis flagellum Domini. Os ſiquidem Domini locutum eſt, k quia k Matt. 7. 2.
quo iudicio iudicauerint iudicabuntur, & ſua menſura remetietur eis. Antiquus dierum mentiri non nouit.]

Quibus relatis, quærit ex eo Papa, vt dicat ipſe XXXII.
ingenue, quid de his vocibus ſentiat. Reſpondet, *Anguſtiæ ſunt vndique: vereor enim ne mendacij vel adulationis contraham notam, ſi ſolus populo contradixero; ſin autem, reatum vereor maieſtatis, ne tanquam qui os meum in cœlum poſuerim, crucem videar meruiſſe.*] Audis tacitam confirmationem? excipit quidem pauculos quoſdam nominatim; duos nimirum Cardinales ſobrios, & continentes, de bonis Eccleſiæ parciſſime viuentes: & gloriatur ſe vidiſſe Clericos modeſtos Romæ. Ea vero quaſi vnctione præmiſſa, ne ictus tam grauis videretur, ſubdit aperte. *Non eſtis omnibus operibus imitandi: ſed, Deo propitio, ſunt qui non omnium veſtrum opera imitentur. --- Boni rapiuntur interdum, ne malitia immutentur: & quia Roma corrupta apud Deum, his reperitur indigna.*] Et poſt paucula: *Omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris & Dominus; & capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. ſi ergo Pater es, quare à filiis munera & retributiones expectas? ſi Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, & temeritate repreſſa, eos ad fidem non reuocas? At vrbem vis Eccleſiæ tuis muneribus conſeruare. Nunquid eam ſic Syluester muneribus acquiſiuit? In initio Pater es, & non in via. Eiſdem eſt conſeruanda muneribus, quibus eſt acquiſita. Quod gratis accepiſtis, gratis date. Iuſtitia Regina virtutum eſt, & erubeſcit quouis precio permutari. ſi gratioſa futura eſt, ſit gratuita. nequaquam proſtituatur ad precium, quæ corrumpi non poteſt. Integra eſt & ſemper incorrupta. Dum premis alios, & tu grauius opprimeris.*]

Quid ad hæc Pontifex? Riſit, & Apologo illo, XXXIII.

a Liuius l. 2. circa medium.

quo aliquando vſus eſt Menenius a Agrippa, ventris comedentis in ocio, & aliorum membrorum laborantium, eluſit obiecta. *Tale eſt,* inquit, *frater, ſi recte attendas, in corpore Reipub. vbi licet plurimum appetat magiſtratus, non tam ſibi, quam aliis coaceruat. ſi enim exinaniti fuerit, nihil eſt quod membris valeat impartiri. nam ſtomachi in corpore, & Principis in Repub. idem officium eſt.*] Hæc ille. Potuit tamen vrgere Ioannes hoc pacto: *Beatiſſime Pater, quid Republicæ ſeculari, cum bona Eccleſiæ ea quæ emungitis, bona ſunt Chriſti miniſtrorum, ſanctarum Eccleſiarum, & Chriſti pauperum, neq; conuerti poſſūt ad temporalem Rempub. ſuſtentandam. ſi eſtis Princeps temporalis, habetis etiam veſtri Principatus emolumenta ordinaria, vectigalium, taxarum, fiſci, & alia. Bonis vero Eccleſiaſticis ne regatis veſtra temporalia, nec illa augere conemini: ſed in Eccleſiaſticos tantum vſus ea ſinite expendi. & ſane verum eſt ventrem merito accipere quicquid & ipſi, & reliquo ſuo corpori, ſatis ſit ad alimoniam: Quod ſi venter tam magnus extendatur, & tantopere ſe ingurgitet, vt ſaginato abunde proprio corpore, tantum plus acceperit, quantum centum alia corpora, aut mille, aut multo plura poſſent ali, & tamen ex hac nimia vnius repletione illa plura proprio priuentur alimento, profecto venter hic dignus eſt qui diſrumpatur, atque proiectus in ignem, in cineres reducatur, ſi nolit cibo ſibi, & ſuo corpori ſoli ſufficienti, & proportionato iſ ſe contentus.* Hæc erant Adriano reponenda. optime

b Gerſon. de poteſt. Eccl. conſid. 12.

enim dicit Gerſonius, b *Summum Pontificem cum collegio ſuo ita præſidere bonis Eccleſiaſticis, vt de eis ſtatum habere ſufficientem, & decentem oporteat. Sed non ita vt caput grauidum membra reliqua obruat mole ſua, neque velit vſurpare, contra naturam ſingularis membri, omnia officia membrorum.*] Extenuantur profecto Eccleſiæ omnes, & ad ſolitudinem reducuntur, miniſtrique earum, ac pauperes fame pereunt, vt Papa ſolus & curiales abundent, atq; ipſe & in temporalibus dominetur.

XXXIV. De curiarum corruptelis in genere prius viſus eſt loqui idem Ioannes Saresberienſis, ſed tamen Romanam potiſſimum ibi ſugillauit auaritiam, vbi ita

c Saresb. Policr. l. 5. c. 10.

ſcripſit: c *Qui corruptior moribus, & corrumpentior muneribus, apud iſtos beatior eſt. ſi Principū manus euaſeris grandis tibi reſtat via, arcta & ardua, antequam tortores extremos fugias ſadandum eſt tibi. Ecce inſtrumenta tua conficit Coſſus. ſi eum ſalutare licuerit, pro magno reputa: ſi ſcedulā non attuleris, fruſtra accedes ſi autem attuleris, inutilis eſt, nec acquieſcet vt manus nobilis vitio membrana degeneret. Quid multa? ſuam neceſſe eſt comparari, cum nec opera, nec calamus, aut ſcriptiola, aut nigra loliginis ſuccus tibi conſtet in emptus. ſed & ipſas ſyllabas & apices, niſi eum tibi propitiū feceris, ſic diſtorquebit, tot tibi verborum ponet tendiculas, vt pro pace bellum, pro quiete litigium amici inſtrumento videatur inſcribere. ſi cingulum forte tibi venuſtius fuerit, ſi inciſorium aptius, ſi quid in minuta ſupellectili decentius, rebus eius connumera, niſi tibi perire velis operam & impenſam. Aut enim precibus extorquebitur, aut eas liberalitate præuenies. Tandem pileum qualiſcunque ſit aſportabit amicus, in memoriam tui. Iam à Coſſo digrederis, ſed tibi ignis purgatorius imminet, ſupereſt Veiento, quem multa ſolicitabis inſtantia, & magno artificio geſtus precum, & munerum, vt te clauſo labello reſpiciat. Tunc de ſingulis verbis in Conciliū itur, deliberationi præſcribit tempus. & apices ſinguli ponuntur in ſtatera. Niſi eum præmulſeris occurret tibi non fideliter rei geſtæ concepta ſeries, aut ſtylus incultus oberit, aut à publica forma Notarij vel ſcriniarij diuertens benignitas, aut negligentia iuris. & aliquis ſemper nodus, pecunia vindice indigebit. Vt vero minimum lædat, longa expectatione torquberis, dum differtur quod negari non poteſt. Experto crede: in manus eorum millies incidi.*] Fuit Ioannes hic à pueritia vir Eccleſiaſticus, & tandem Epiſcopus: negotia igitur ipſius fuerunt Eccleſiaſtica, & in curia Romana ſæpius tractata. Pergit vero eo loci in eodem auaritiæ argumento, eamque pluribus exagitat. Idem facit adhuc fuſius & plenius rurſus in eodem opere, dum ait ſub Ironia, d ſe non loqui de Lega- d Ibidem l. 8. c. 17.
tis, & de Eccleſia Romana, *quæ non poteſt*, inquit, *ab homine iudicari, & argui cæleſti priuilegio munita: Nec enim credibile eſt,* inquit, *quod ea committere præſumant, quæ de iure gentium in præſidibus Prouinciarum, & Proconſulibus, id eſt Legatis Cæſarum conſtat eſſe illicita. Quæ vero impudentia hoc attentare audeat diſcipulus crucifixi, Vicarius Petri, Paſtor animarum, quod, vigente iuſtitiæ diſciplina, Vicarius Imperatoris ſub officio Conſulis rector corporum præſumere non audebat?*] Et poſt pauca: *Quis ergo credat quod Patres Eccleſiæ, Iudices orbis, & vt ita dicam, clariſſima lumina mundi diligant munera, ſequantur retributiones, Prouincias concutiant, vt excutiant loculos, exinaniant alienos, vt ſolident ſuos, verbis producat paupertatem, & criminibus ad diuitias properent, bonorum ſpiritualium damnent commercia, vt cum eis duntaxat in talibus contrahere liceat, id agentes vt omnibus ſint terrori, & metuntur à nullo, quietem doceant, vt faciant rixas; Humilitatem indicant & ſimulent, vt vendicent faſtum, alienam pulſantes, & ſuam fouentes auaritiam, diſtantes largitatem, tenacitati inſiſtentes, & vt paucis bonis anfractus & voluminis ſpecioſa complectar, cum ſceleratis & falluſtis omnibus ponentes factionem, aut flagitia vendicantes ſolidum, vt videatur Concilium vanitatis iniqua gerentium in ſynagoga Eccleſia malignantium, e in quorum manibus* e Pſ. 25. 10.
iniquitates ſunt, & dextera eorum repleta eſt muneribus?] *Et nonnullis in eodem argumento interiectis ait: Teneant profecto memoriter illud propheticum, f Ecce conſtitui te ſuper* f Hier. 1. 10.
gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Quæ vero plantata minime erunt nituntur auellere, vt ædificent ſibi domum Domini in muneribus manus, aut lingua, aut obſequii, aut eos ſubſtituant explantatis, quos eligit affectio carnis, id eſt aut genitos à ſe, aut ſibi ab aliis carnaliter genitos.] Hæc & plura Sariſberienſis.

Petrus Bleſenſis eiuſdem temporis ſcriptor, quā- XXXV.
topere Romanam auaritiam deteſtetur, & aliquoties diris proſcindat, cum vera pietate & Catholico zelo, modis, ex ipſius epiſtolis, quarum particulas ſubnecto, poteſt lector, me tacente, audire. g *Illud no-* g Pet. Bleſ. ep. 39.
uerit, inquit, *quia Romana curia more ſuo me multipliciter debitis obligauit, ſed ſi ſemel euaſero per Dei gratiam, nō recidam in Carybdim.*] h *Nuncii veſtri* (Regis Angliæ) *à* h Ep. 41.
Romana curia redierunt, exonerati quidem argento, onerati plumbo, non multum indumentis aut eurectionibus honorati.] Abbatis cuiuſdam apud eundem Bleſenſem verba ſunt quæ ſequuntur: i *Viles ſunt Abbates & miſe-* i Ep. 68.
ri, qui poteſtatem Epiſcoporum prorſus non exterminant cū pro annua auri vncia plenam à ſede Romana poſſint aſſequi libertatem.] Nunc vncia nihil eſt; pondera magna eo ſunt conferenda, & conferuntur. Peior eſt ſumma auaritia cum ſumma iniuſtitia, ac tyrannide coniuncta. k *Electus enim ſancti Auguſtini Abbas, benigne,* in- k Ep. 158.
quit, *receptus eſt* (Romæ) *ab eis, qui, ſicut ſcitis, gratius acceptant hominum munera, quam merita perſonarum. ſperabant enim quod promotio eius eſſet rixæ materia, & magni emolumenti occaſio atq; fluuium abſorbentes, habebant fiduciam quod in os eorum Iordanis influeret. ſtabat ex aduerſo conſtanter, & prudenter magiſter G. ſtabam & ego ſicut miniſtrabat in dulcedine ſua pauperi Deus. Verumtamē & leges & Canones; & quicquid de ſacro eloquio ad noſtræ partis aſſertionē poteramus inducere, fumoſū quidē maiores, inter cæteros, & ſacrilegū reputabāt, noſq; hoſtes Romanæ Eccleſiæ publice iudicabāt, niſi ceſſaremus ab his verbis, quib. Eccleſiam S. Auguſt. quam ſuā ſpecialiter aſſerunt, Eccleſia Cantuarienſi ſubiicere conabamur. Damna ſiquidē animarū nō attēdētes in Monachis, oīa illicita eis licere permittūt, vt iugo diſciplinæ*

prorſus abiecto, vagi & petulantes ad omnes carnis currant illecebras, omneſq; exceſſus quos per annum faciunt, annua redimūt penſione. Cum itaq; nobis publice fuiſſet inhibitum, ne in cauſa iſta Canones aut leges deduceremus in medium, ſed Priuilegia duntaxat, ſi qua haberemus ad manum, quorum nullum eo tempore nos habere ſciebant. viderentque nos in hac parte omni ſolatio humano deſtitutos, & quod in votis haberent hominem illiteratum, & laicum, ſed in emendis honoribus circumſpectum præficere Abbatiæ, quam ſimoniaca venalitate acquiſierat, non occulta, ſed publica & forenſi, proſilui ad accuſationem, atq; aduerſus electū paginam inſcriptionis arripui. Cum enim manifeſta & notoria proponerem contra eum, illi, quos amicos ſibi fecerat de Mammona iniquitatis, opinionis & infamiæ vulnerib. vinum & oleum infuderunt. Exhauſtis itaq; Flandriæ mercatoribus in argento, à Romanis tandem infinitam multitudinem auri mutuauit. ſic pēna columba deargentata, & poſteriora dorſi eius in fulgore auri, fecerunt, vt non audirent illi duo, vel etiam vnum de libertatibus & dignitatibus ſanctæ matris Eccleſiæ Cantuariēſis, &c.] Et ſubdit: *Iniunxerant electo, vt ſe tonderi, & radi faceret. benedictionem à Domino Papa ſequēti Dominica recepturus. Inter anguſtias igitur & cruces, inter mortes innumeras conſtitutus, videns quod non conuerteretur in iudicium iuſtitia, ad natiuæ rationis argumenta me contuli. feciq; ſine promiſſione aliqua. ſine donorum aliquorum impendio, quod benedictio elongata eſt ab eo.*]

XXXVI. De Legatorum Romanorum extorſionibus prēterea, quæ ſuperius cōmemorauimus, illud etiā in hiſtoriis legimus, a *Fridericus ſane Imperator dolet, quod legati Adriani quarti ad ſe venerint, quaſi de Mammona iniquitatis inflati, de altitudine ſuperbiæ, de faſtu arrogantiæ, de execrabili tumidi cordis elatione.*] Et poſtea: *Quia multa paria literarum apud eos reperta ſunt, & ſchedulæ ſigillatæ, ad arbitrium eorum adhuc ſcribendæ, quibus, ſicut hactenus conſuetudinis eorum fuit, per ſingulas Eccleſias Teutonici Regni conceptum iniquitatis ſuæ virus reſpergere, altaria denudare, vaſa domus Dei aſportare, cruces excoriare nitebantur; ne vltra procedendi facultas eis daretur, eadem qua venerant via ad vrbem eos redire fecimus*, inq̄t Fridericus,] Et in reſponſione ad obiecta Pontificis idem Fridericus hæc dixit, b *Cardinales in contemptum dilectiſſimi & Reuerendiſſimi patris noſtri, & conſecratoris à finib. terræ noſtræ non coegimus exire, ſed cum his & ꝑ his quæ & ſcripta, & ſcribenda ferebant in dedecus & ſcandalū Imperij noſtri, vltra eos prodire pati noluimus. Introitū & exitum Italiæ nec clauſimus edicto, nec claudere aliquo modo volumus peregrinantibus, vel pro ſuis neceſſitatibus rationabiliter, cum teſtimonio Epiſcoporum & Prælatorum ſuorum, Romanam ſedem adeuntibus: ſed illis abuſionibus quibus omnes Eccleſiæ Regni noſtri grauatæ & attenuatæ ſunt, & omnes pene clauſtrales diſciplinæ emortuæ, & ſepultæ, obuiare intendimus. In capite orbis Deus per Imperium exaltauit Eccleſiam: In capite orbis Eccleſia, non per Deum, vt credimus, nunc demolitur Imperium.*]

a Rade. in Frider. l. 1. c. 10.

b Ibid. l. 1. c. 16.

XXXVII. Alexander tertius legationem ſolennem expediuit in Orientem, ad Regna per Chriſtianos Occidētis recuperata, vt ſcribit Villelmus Tyri Archiepiſcopus. Epiſcopi vero diuiſi erant inter ſe, nū Legatū acceptare deberent, Rex vero ſenſit & definiuit, c Legato ipſi, ſi tāquam peregrinus orationis gratia, abſq; inſignibus legationis ad loca ſancta vellet accedere, dandam eſſe licentiam, & concedendam libertatem moram in Regno faciendi, vſq; ad primū tranſitum, extunc ei redeūdum eſſe. *Allegabat etiam*, inquit Tyrius, *& dictorum ſuorum cauſam ſubiungebat, & rationem dicens: ſchiſma recens eſt, nec dum orbi innotuit vter, &c.—Præterea nec legato opus eſſe in Regno, qui Eccleſias & monaſteria grauet impenſis, extorſionibus attenuet, &c.*] Querimonias alias & ſane frequentes paſſim in ſcriptoribus eſt inuenire ſuper Legatorum Romanæ Eccleſiæ auiditate & extorſionibus, quas nimis longum eſſet huc omnes congerere. Deſcendamus paulatim ad propinquiora nobis tempora, ac videamus, an Romana auaritia modum tandem aliquem ceperit, an potius illa curia in deterius ſemper ſit prolapſa.

c Tyr. Lib. c. 19.

Sub Clemente 3. Richardus Rex Angliæ in Orientem ad ſacra bella profecturus Elienſem Epiſcopum ad Regni cuſtodiam relicturus, Apoſtolica legatione firmare laborauit; idq; Romæ per nūcios obtinuit: putaſne gratis? audi ipſum Regem id, & alias turpitudines auaritiæ Cardinali Oſtienſi exprobrantem; d *Quod ſeptingentas marchas debuerint habere pro conſecratione Epiſcopi Cenomanenſis; & mille & quingentas marchas pro legatione Elienſis Epiſcopi, & pecuniam magnam ne deponeretur Burdegalenſis, qui à Clericis ſuis accuſabatur in crimine.*] XXXVIII.

d Roger. in annal. an. 1 90. & Baron. an. eod.

Stephanus Epiſcopus Tornacenſis circa idem tempus dum eſſet adhuc Abbas in monaſterio S. Geneuæ, inſtaurationem illius Eccleſiæ vrgebat, ac vndiq; adiumenta petebat, & colligebat. Putaſne à Romana Eccleſia aliquid opis implorarit? nihil minus. Quinimo à quodam Epiſcopo dum petit ſubſidium, ludit, & ludens acriter Romā pungit, ita ſcribens. e *Parietes reficere incæpimus, comparata iam lignorū macerie, quæ & ſuperponatur innouatis parietibus, & tecto plumbeo ſupponatur. ſub quodam rubore mendicantes rogamus & petimus, vt aliquid de beniuola ac benefica liberalitate veſtra nobis mittatis, quo plumbum emamus, non Romanum, ſed Anglicum: quoniam Anglico plumbo teguntur Eccleſiæ, nudantur Romano.*] Ludit eodem modo de eadem re etiam ad Abbatem quendam ſcribens, & ait. f *Comparauimus nouam lignorum maceriem, ad ſarta tecta reficienda: quæ & ſuperponatur parietibus, & laminis plumbeis ſupponatur. Hac enim materia. ſi Deus permiſerit, operimur nos operturos Eccleſiam: Non attendentes ſignificationem plumbi* g *prophetici, quod ſuper iniquitatem ſedere dicitur, ſed Baſilicæ noſtræ vtilitatem, & decorem. Huius metalli materiam quærimus, non figuram.*] Romanam carpit ſimoniam. XXXIX.

e Tornacen. ep. 165.

f Idem ep. 166.

g Zach. 5. 8.

XL. Gloſſa quædam fuit, vt legi, ſed iam ex nouis eſt ſublata codicibus, quæ dicebat; h *Roma fundata à prædonibus, adhuc de primordiis retinet. Dicta Roma quaſi rapiens manus.*] Abbas vero Vrſpergenſis, inter alia mala ſchiſmatis Imperij ſub Innocentio tertio confuſionem narrat Eccleſiarum his verbis: i *facta eſt*, inquit, *hæc abuſio, vt fieret portentum: Vix enim remanſit aliquis Epiſcopatus, ſiuè dignitas Eccleſiaſtica, vel etiam Parochialis Eccleſia, quæ non fieret litigioſa, & Romam deduceretur cauſa; ſed non manu vacua. Gaude nunc noſtra Roma quoniam aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, vt ad te confluant riui in magna copia nummorum.*]

h Gloſ. in c. fundamenta de elect. in 6.

i Apud Naucl. gen. 40. circa an. 1195.

XLI. Nicolaus Clemangis Doctor Pariſienſis de Papa hæc ſcribit: k *Qui emolumentis Romani Epiſcopatus, Petrique patrimonio ſuper Regna quæque ampliſſimo non contentus, in aliena ouilia lana & lacte copioſa incurrit, omniumque Præſulatorum, & Eccleſiarum vacantium, quæ cunque per orbem terrarum Chriſtiana Religio protenditur, iura, & collationes ſibi attribuit; & legitimas electiones Paſtorum ſuis reſeruationibus, prouiſionibus, & aduocationibus irritas fecit: & Eccleſias annua biennali, triennali, quandoque quadriennali fructuum exactione, decimis, angariis, procurationibus, Prælatorum ſpoliis, & infinitis aliis oneribus oppreſſit, & collectores ad hæc omnia exigenda, per omnes Prouincias inſtituit, non ſine horribili abuſu ſuſpenſionum, interdictionum, & anathematum, ſi quis ſoluere recuſabat. Et eam negociationem per curiæ ſuæ lites, & Cancellariæ regulas exercuit, vt domus Dei facta ſit ſpelunca latronum. Et Cardinales ſuos, tanquam ſui Pompatus ſocios, ex ſortis infima Clericatu in elationem euexit, vt Reges ipſos æquipa-*

k Clemang. de corrup. Eccl. ſtat. ſparſim per plura capita.

rare contendant: & per diſpenſationes ſuas locupletauit ipſos, vt officia, beneficiaque non quidem duo, vel tria, decem, vel viginti, ſed centena & ducentena, & interdum vſque ad quadraginta, vel quingenta, aut amplius; eaque non parua, vel tenuia, ſed omnium pinguiſſima, & optima, poßideant. Repleuit Eccleſiam mutis canibus, & malis beſtiis per vſurpationes, exemptiones, compoſitiones, ſimoniam, proſtitutionem, & fornicationem cum Principibus terræ commiſſam, vt tueatur ſuperbiam, libidinem, luxumq; Regificum ſtatus ſui mundani, quem vltra Reges & Imperatores extulit.] Hæc Doctor iſte, ante ducentos paulominus annos, in Eccleſia Catholica ſcribebat.

XLII. Gulielmus Budæus, a *Pontificiam iuriſdictionem ita*, inquit, *degeneraſſe cernimus ex charitate priſca, vt vbi æqui boniq; finis ſolebat eſſe, ibi litium officina, capturarumq; improbiorum nunc eſſe videatur. Inde illa formularum aucupia, & rituum Pontificiorum cautiones, ad circumſcribendam familiam Domini concinnata. Inde mulctarum compendia Præſulibus enata. Indidem ſacrilegæ nundinæ earum rerum, quæ in commercio humano ſine piaculo eſſe non poſſunt, mitto Teſſeras nō modo veniales, ſed etiam venales, impunitatem ſcelerum, & ſolutionem ſacrarum legum, ſordida benignitate largientes.*]

a Bud. de aſſe & par. l. 5.

XLIII. Cardinalis Cuſanus, vbi reformationem curiæ Romanæ exoptat, ait: b *Et quia paßim promotiones ad fortunam in curia fiunt, illuc confluunt omnes à teneris annis, ibi degentes, & expectantes ditari, ac poſtponunt ſtudia, ac religionum exercitia: deferunt aurum & argentum, & reportant chartas.*]

b Cuſan. de concor. Cath. l. 2. c. 40.

XLIV. Baptiſta Mantuanus cecinit,

——c *Romana graui maculata veneno*
Curia, quæ terras contagia ſpargit in omnes.]

c Mantuan. Iuſt. l. 4.

Item d *Si quid Roma dabit, nugas dabit: accipit aurum:*
Verba dat: heu Romæ nunc ſola pecunia regnat,
Exilium virtus patitur.]

d Idem Ecl. 5.

XLV. Æneas Syluuis; e *Nihil eſt*, inquit, *quod abſq; argento Romana curia dedat. Ipſa manuum impoſitio, & Spiritus ſancti dona venduntur: nec peccatorum venia, niſi nummatis impenditur.*] Onuphrius inter Adriani 6. laudes non minimam illam reponit, f *Quod reſeruas, acceſſus, regreſſus, coadiutorias--- & id genus alia Romani*, inquit, *aucupij neſcio quo nomine appellata retia, quæ facilitate Leonis ſupra modum propagata erant, magna ex parte ſuſtulit: præſertim quod ea via plurimi probroſi ineptique ad opima ſacerdotia obreperent, qui pecuniam haberent qua nihil non parare eſt, maxime Romæ, probi literatique, qui hanc non haberent ab eis excluderentur.*]

e Syluius ep. 66.

f Onuph. in Platin. Adrian. 6.

XLVI. Franciſcus Duarenus, ex g *Aula*, inquit, *Pontificis Romani, proficiſcuntur diplomata, quibus mandat ac præcipit beneficia quibuslibet conferri.- - Conuenit tamen inter omnes quotquot ſunt iuris Pontificij enarratores, hanc beneficiorum diſtribuendorum rationem apud veteres in vſu non fuiſſe. -- Auaritia etenim Aulæ Pontificiæ, poſt aliquot ſæcula, hoc nouum pecuniæ aucupium adinuenit, quod nunquam veteribus in mentem venerat, - - res ipſa loquitur, & nos quotidie ſatis docet experientia, quantum hæc lues peſtiſque noceat Eccleſiæ.*] Hæc ille. ſed ſublatæ ſunt, inquis, expectatiuæ. Bene: longe peiores ſucceſſerunt reſeruationes. Ego vero nunc palam facio non niſi auaritiam, & expectatiuas, & reſeruationes, & plurima alia monſtra adinueniſſe: idq; ex continuata Catholicorum ſcriptorum confeſſione reddo manifeſtum. Habet vero hæc etiam Duarenus: videlicet: h *Quis eſt adeo imperitus rerum, vt Romanæ curiæ artes non norit, & quantum ea hirudo Gallici exorbeat ſanguinis, quotidie non ſatis intelligat!*] *Dicam quod à viris peritiſſimis, ac diu in Republica verſatis, non ſemel accepi, quanquam incredibile videtur, quotannis variorum diplomatum à Pontifice obtentorum nomine, ad ſeptingenta, aut eo amplius, aureorum millia Romam hinc exportari ſolere; quæ ita illic velut capta vinctaque detineantur, & cuſtodiantur, vt nullo vnquam poſtliminio ad nos redeant. Quid multa? In prouerbium abiit iamdudum Romana permutatio, plumbi videlicet, cum auro.*] Vtinam vero non decuplo plus illi auri pondo acciperent, quam plumbi exhibent, nam pro vncia plumbi, talenta ſuccedunt auri.

g Duare. de ſac. Eccl. min. & beneſ. l. 5. c. 8.

h Duar. l. 1. c. 6.

Dominicus Sotus totus Pontificiæ poteſtati ad- XLVII. dictiſſimus, vidit tamen, vt videmus omnes, ſed tacere vel volumus vel cogimur, turpitudinem tot artium Romanarum, in auro congregando, paucisq; & modeſte eas improbauit, dicens; i *Congruens fuit Dei præceptum, vt* k *Decimarum Decimam ſummo ſacerdoti penderent. Qua vtique ratione ſummus Pontifex, inſtante vrgente neceßitate, decimam decimarum à Clero exigere valet. Imo vero vtinam vniuerſalis, eaque perpetua toti Clero imponeretur: ſi tamen illa ratione omnis alia occluderentur in perpetuum via & modus alia commentandi iura, aliaſque excogitandi artes ſuſtentandi Apoſtolicam ſedem, quibus Eccleſiaſticæ leges non poſſunt non periculoſiſſime arctari.* Sed Apoſtolicæ ſedis ſuſtentatio, inquantum ſedes illa eſt Apoſtolica, hoc eſt Eccleſiaſtica, non tam ingentibus indiget opibus, & ſibi ipſi ipſamet eſt ſufficientiſſima. Iam vero ſedes Apoſtolica in ſedem Imperialem, ne dum Regalem, eſt conuerſa. Imperialis vero ſedes bonis Eccleſiaſticis ad ſolos pauperum vſus deputatis non eſt, niſi cum graui ſacrilegio ſuſtentanda.

i Sot. de iu. & iu. l. 9. q. 4. art. 4. ad tertium.

k Numer. 18. 28.

Artes porro propemodum innumerabiles, qui- XLVIII. bus Romæ Eccleſiaſtica pecunia ex tota pene Chriſti Eccleſia emungitur, exugitur, hauritur, abſorbetur, ſi vellem omnes numerare, opus creſceret in immenſum. Huc enim ſpectant Bullę, annatę, proprię decimæ, quindennia, compoſitiones, diſpenſationes, abſolutiones, indulgentiarum perpetuæ conceſſiones, vacationum implicati modi, reſignationes, permutationes, ſubrogationes, acceſſus, regreſſus coadiutoriæ, commiſſiones, extra tempora, ſi in euidentem, ſignificauit gratiæ, Priuilegia, licentiæ, aliaque innumerabilia mihi etiam ignota. officinæ enim in quibus hæ, & aliæ artes & excogitantur & exercentur ſunt Conſiſtorium, Camera, Dataria, Cancellaria, curiæ libellorum, ſignaturæ gratiæ & iuſtitiæ, pænitentiaria, plurimæq; congregationes. Et tamen in omnibus ne minimum quidem editur reſponſum, ſine precio: vt in eis iam maxime antiquum illud verificetur, l *Phœbus oraculum non edit ſine ære.* Eſtque is morbus illius curiæ antiquiſſimus; nam etiam Auguſtini tempore auaritia Diaconorum Eccleſiæ Romanæ ſuæ officioſitatem vendentium ſugillatur; vt habes ſupra lib. 4. huius operis, cap. 5. num. 31. Quoniam tamen verſamur in collationibus beneficiorum, reiectis omnibus aliis auaritiæ Romanæ ſagenis, Bullas ſolas, & Annatas hic mihi aſſumo conſiderandas; ſiquidem Bullis; & Annatis, tanquam bonis & legitimis inuolucris auaritiæ ſuæ turpitudinem Roma conatur obtegere, ne ſimoniacæ labis notam ſubire videatur; ſed fruſtra.

l Naz. ca. 1. in Iul.

Porro, cum ſatis ſuperque probatum à me huc- XLIX. uſque fuerit, collationes beneficiorum nullo pacto poſſe ſine graui offenſa & iniuria ordinariorum, totiuſq; Eccleſiæ ipſis ordinariis eripi à quoquam, & reſeruationes omnes non poſſe ſine iniquitate aut fieri, aut defendi, eaſq; omnes eſſe meras occupationes, ac violentas vſurpationes, plane ſequitur, ſolutiones quoq; Bullarum, quibus hæ fiūt collationes, nec non Añatarum à beneficiatis extorſiones, eſſe valde iniuſtas, ipſaſq; Bullas, abſq; vlla legitima poteſtate, nulloq; iure, à curia Romana cōfici, Añataſque exigi. Itaq; etiāſi in ipſis Bullis nihil iniquitatis,

& in

& in Annatis nihil iniuriæ aut iniuſtitiæ peculiaris contineretur, hoc tamen ſolo nomine exploden-dæ eſſent, & omni conatu totius eccleſiæ impedi-endæ, quod ex vſurpata ſola poteſtate, contra ius & eccleſiaſticas ſanctiones, Apoſtolicaſque tradi-tiones, cum tanta iniuria Epiſcoporum, propter ſo-lam auaritiam, & auri ſitim, ab illa curia profici-ſcantur. Hinc illæ quas vidimus piorum & docto-rum hominum irriſiones, plumbum Romæ, ſiue chartulas, cum auro commutari. Significant enim ipſos beneficiatos nihil aliud tandem tot impenſis conſequi Romæ niſi chartas illas, & nudum plum-bum, cum nihil preterea ipſis poſſit Roma pro tan-to auro dare, nam ipſa beneficia ab ordinarijs tan-dem ordinaria ipſorum poteſtate eis conferuntur: præſertim vbi Bullæ ſunt in forma. *Dignum*. In gra-tioſis vero Curia dat quod non habet, & collatio vera ac legitima ad ordinarios omnis ſpectat, non ad alios. Adde etiam generalem regulam bonis o-mnibus eccleſiaſticis neceſſario, vt probaui capi-te 7. annexam, vt nemo eccleſiaſticus ex ipſis plus habeat quam neceſſitas ipſius, cum magna ſobrie-tate, poſtulet; & pro ſolis laboribus in opere ec-cleſiaſtico ſuſceptis: ac pro miniſterio ſacro, opere ipſo exhibito, de dictis bonis participet: Et ſi quid plus aliquis accipiat, id totum eſſe merum latro-cinium, ac ſacrilegium intolerabile. An fortaſſe negabunt inſana illa Bullarum precia, annataſ-que quas rapiunt eſſe bona eccleſiarum, precia peccatorum, & patrimonia pauperum? ſed his pauliſper poſtpoſitis, ad plenius huius materiæ examen; & vt magis pateat ſolam auaritiam colla-tiones haſce ad Curiam vi pertraxiſſe conceſſa et-iam ad horam eidem Curiæ poteſtate legitima re-ſeruandi & conferendi, adhuc tamen ſpecialem iniuſtitiam, ac ipſiſſimam Simoniam in Bullis & annatis fuiſſe à viris doctis ac piis, atque catholi-cis obſeruatam, meritoque à quoquam poſſe & debere obſeruari, ac nugas eſſe ea omnia quæ Ro-manæ Curiæ Paraſiti in Bullarum ac Annatarum defenſionem comminiſcuntur, oſtendemus.

L. Bullarum neceſſitatem amplificauit pluribus Bonifacius octauus his verbis. *a Sanè quàm pericu-loſum exiſtat quod aliquis in officio, dignitate, vel gra-du ſore ſe aſſerat, & pro tali etiam habeatur, niſi prius ipſe quod aſſerit legitimis oſtenderit documentis, tam ex ciui-libus quàm ex canonicis inſtitutis, colligitur euidenter. Aſ-ſerenti namque cum mandatis Principis ſe veniſſe, creden-dum non eſt, niſi hoc ſcriptis probauerit, nec ſimiliter credi-tur ſe aſſerenti legatum. Nunquam enim Apoſtolicæ ſedis moris fuit, abſque ſignatis apicibus, vndecunque legatio-nem ſuſcipere. Sed nec dicenti ſe delegatum ſedis eiuſdem, creditur, vel intenditur, niſi de mandato Apoſtolico fide doceat oculata. Similiter Clerici ad alienam Diœceſim ſine ſuorum ordinariorum literis venientes nec in ſuis re-cipiantur ordinibus, nec ad ſuperiores aſcendant. Clerici quoque & monachi, qui de ſuis ciuitatibus ad alienam vrbem proficiſcuntur, niſi muniti veniant ſuorum lite-teris Prælatorum, non ſunt Clerici vel monachi reputandi. Si quis præterea in Clerum electum ſe dicat, ſi ſacerdotem ſeſe nominet, hoc ſeruandum eſt, quia non ſine periculo eſt in talibus communicatio indiſcuſſa. Quod autem in illis qui ſe Epiſcopos, vel ſuperiores prælatos, aut etiam Abbates, Priores, ſeu alios monaſteriorum Rectores, quocunque nomine cenſeantur, appellant, ſit diſcuſſio celebris & dili-gentis facienda, luculenter apparet, ſi ſcandala & pericula grauia, quæ ipſorum parere poſſet communicatio indiſcuſ-ſa, diligentius attendantur. Hinc nos euidens euocat ratio, vt cum præmiſſis aliis caſibus, qui minoris exiſtunt periculi, ſit ex conſtitutionibus editis iam prouiſum, hunc vlti-mum, qui periculis grauioribus minatur, nequaquam ſine prouiſionis opportunæ remedio relinquamus. Præſenti itaque perpetuo valitura conſtitutione ſancimus, & cæte-ra.*] Statimque decernit, neminem promotum in Curia debere ad ſuas eccleſias accedere, & bo-norum adminiſtrationem aſſumere, prouentuſ-que accipere, abſque literis illius ſedis, promo-tionem ſuam, confirmationem, conſecrationem, ſeu benedictionem continentibus. Præcipitque promoti ſubditis, ne illum recipiant, eiue obe-diant, ſub pænis ſuſpenſionis à perceptione ſuo-rum beneficiorum, irritaque & caſſa decernit om-nia acta illorum Epiſcoporum, qui pallio fuerint à Papa decorati, ſi literas traditionis pallij prius nõ receperint. Hanc Bonifacij conſtitutionem, & in-nouarunt poſtea, & ampliarunt rigidioremque fe-cerunt, *b* vterque Iulius, & Pius IV.

a Extrau. Inter communes. de electione in com.

LI. Incommoda ſane illa quæ prius Bonifacius, vbi abſque literis agitur, etſi vera ſint omnia, ea ipſa tamen incommoda & pericula nulla profecto omnino eſſent, ſi collationes ijs relinquerentur, quorum ſunt propriæ. Nam paſtor quiſq; optime ſuas omnes nouit oues: ſcitque cui & quando offi-cia committit Eccleſiaſtica, etiam Abbatias. Et metropolitanus cum ſuis comprouincialibus opti-me pariter nouit ad ſedes Epiſcopales promouen-dos, neque periculum vllum eſt, vt rite in propria Prouincia promotus, etiam ſine bullis, & vix le-ui teſtimonio ſuorum promotorum, fallat eccle-ſiam cui præfectus fuit. Incommoda igitur hæc & pericula omnia in Curiam ipſam Romanam ſunt referenda, ad quæ euitanda tertius & tutius remedium eſt, ſi collationes & promotiones pro-prijs eccleſijs & Prouincijs permittantur; vt ſem-per factum eſt in tota Chriſti eccleſia, vſque ad no-ſtra ferme tempora; quam vt neceſſitas ingruat ha-rum Bullarum Romanarum. Demus tamen id fie-ri oportere; fiant in Curia prouiſiones; Bullarum omnino adſit neceſſitas, vitanda ſint iam dicta in-commoda & pericula, nonne facile ijs occurritur, ſi literæ breues, & ſimplices, promotis & prouiſis in Curia, aut gratis omnino, vt olim fiebat, aut ad ſummum æqua laboribus ſcriptorum ſola ſoluta mercede, tribuantur? Ac profecto male ageretur cum legatis, Nuncijs, Procuratoribus, Commiſſa-rijs, Delegatis, nec non Clericis, ſacerdotibus, & monachis, ſi illi ſuas commiſſiones, & hi ſuas di-miſſorias, ac teſtimoniales, deberent tanto precio expedire, cum Bullis tot impenſarum.

b Apud Stephan. Quaran. in ſum. Bull. verbo Beneficiorum poſſeſſio.

LII. Gregorij ſane magni decretum eſt in Synodo Romana; his verbis conceptum. *c Antiquã Patrum regulam ſequens, nihil vnquam de ordinationibus accipien-dum eſſe conſtituo; neque ex datione pallij, neque ex tradi-tione chartarum, neque ex ea quam noua per ambitionem ſimulatio inuenit, appellatione paſtelli. Quia enim ordinãdo Epiſcopo Pontifex manum imponit, Euangelicam lectionem miniſter legit, confirmationis autem eius Epiſtolam Nota-rius ſcribit: d ſicut Pontificem non decet manum quam im-ponit vendere, ita miniſter vel notarius nõ debet in ordina-tione ſua eius vocem, vel calamum venundare. Pro ordina-tione vero, vel pallio ſeu chartis, atque paſtello, eundem qui ordinandus vel ordinatus eſt; omnino aliquid dare prohi-beo. Ex quibus prædictis rebus ſi quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre forte præſumpſerit, in di-ſtricto Dei omnipotentis examine reatui ſubiacebit. Is au-tem qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, neque petitus, poſt acceptas chartas & pallium aliquid cui-libet ex Clero, gratia tantummodo cauſa, dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis*

c Greg. l. 6. ſub ep. 44. & ibid. ind. 13. ep. 55. Diſt. 100. c. Nouit.

d 1. q. 2. c. Sicut Epiſcopum.

ambitu non proceſſit.] Atque hoc ipſum decretum pro lege toti eccleſiæ ſeruandum proponitur in corpore *a* Iuris Romani, pro Simonia vitanda. Leo quoque ſecundus *b* conſtitutum fecit, *vt qui ordinatus fuerit Archiepiſcopus nulla conſuetudine pro vſu pallij aut diuerſis officiis eccleſiæ quicquam quis perſoluere debeat.*]

a De ſimonia. in ordinando.
b Anaſt. in Leone 2.

LIII. Sanctus Bonifacius martyr primus Germanorum Epiſcopus audierat aliquando pro pallijs perſolutam fuiſſe Romæ pecuniam, ipſo id exigente Pontifice Zaccharia, & Romanæ eccleſiæ Clericis, idque indigniſſimo animo tulit, & magnopere per literas redarguit Zaccharia͂ labis Simoniacæ, quod pro palliis conferendis pecuniam acciperet. Habemus hoc ex reſponſione Zachariæ, quæ eſt huiuſmodi. *c Reperimus etiam in memoratis literis tuis, quæ nimis noſtros animos conturbant, quod talia à te de nobis referantur, quaſi nos corruptores ſimus Canonum, & Patrum ſcindere traditiones quæramus, ac per hoc (quod abſit) cum noſtris Clericis in Simoniacam hæreſim incidamus, accipientes, & compellentes, vt ij quibus pallia tribuimus, nobis præmia largia͂tur, expetentes ab illis pecunias. Sed chariſſime frater, hortamur charitatem tuam, vt nobis deinceps tale aliquid minime tua fraternitas ſcribat, quia faſtidioſum à nobis, & iniurioſum ſuſcipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omnino deteſtamur. Abſit enim à nobis & noſtris Clericis. vt donum quod per ſpiritus ſancti gratiam ſuſcepimus, precio venundemus, dum & illa tria pallia, quæ à te ſuggerente, vt prædiximus, ſumus flagitati, nullum ab eis quiſquam commodum expetiit. Inſuper & chartas, quæ ſecundum morem à noſtro ſcrinio, pro tua confirmatione, atque doctrina tribuuntur, de noſtro conceſſimus, nihil ab eis auferentes. Abſit vt ſic quippiam à tua fraternitate criminis nobis Simoniaci obijciatur; Anathematizamus namque omnes quicunque auſi fuerint donum ſpiritus ſancti precio venundare.*] Et ad eundem idem ſcribens, hæc rurſus habet, *d Pallia miſimus —— & quod diuina gratia largiente gratis accepimus, gratis dedimus.*]

c Zacchar. ep. 8.
d In vita Bonif. l. 2. c. 10.

LIV. Propterea Iuo Carnotenſis non leue ſcandalum paſſus aperte ſupra exprobrat Curiæ Romanæ, *e* quod cubicularij & miniſtri ſacri Palatii multa exigerent à conſecratis Epiſcopis, vel Abbatibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine palliabant: *cum nec calamus*, inquit, *nec charta gratis ibi, vt aiunt, habeatur*] Indecens igitur & contra mores eccleſiæ, ac forte Simoniacum Iuo Canonici iuris peritiſſimus eſſe arbitratur, ſi pro calamo & charta aliquid accipiatur. Ac ſi quid tandem precij ſeu mercedis eſſet ſoluendum, ſolis Notarijs, ſua iuſta merces, citra indebitas exactiones, iuxta moderatas *f* taxationes, pro ſola Scripturæ quantitate, ad ſummum ſolui deberet. Cur igitur pro bullis Papa ipſe, vel Curia ipſius capere tanta debent emolumenta? Nonne Iudici cauſarum eccleſiaſticarum ciuilium acris datur prohibitio, *g* Ne cum Notariis cauſæ lucrum participent vllo modo? Vbi tamen periculum non eſt tam graue, ſicut vbi imminet periculum Simoniæ. Cur igitur Papa qui confert beneficia gratis, ex Notariorum lucro audebit participare? Tametſi enim ex ſingulis Bullarum expeditionibus ſingillatim cum Notario no͂ participet, Notariatus tamen ipſos, ſeu ſcriptorias & abbreuiatorias magno vendit precio: & illi propter ſui officij emptionem exactiones faciunt ampliores. Prouiſi igitur ſeu promoti & ordinati, & Notario mercedem debitam ſoluunt, & collatorem pro ipſa collatione emolumenti non exigui faciunt participem.

e Iuo ep. 133 ſupra n. 16.
f Extrau. Cum ad ſacroſancta de ſent. excom.
g c. ſtatutum de reſcrip. in 6. §. Notariũ.

LV. Eſt & illud intolerabile ſolius auaritiæ inuentum, vt tot Abbreuiatores, Reuiſores, Regiſtra, Plumbum cum innumeris notis & ſubſcriptionibus ſint additi, ad maiorem vim pecuniæ corradendam. Antequam igitur Bullæ alicuius dignitatis vel beneficij ad exitum perducantur, plurimis in ſtationibus beneficiandus ſiſti cogitur, ac in ſingulis pugillus auri illi eſt deponendus. Cur non ſatis eſt breuiſſimum, ac ſimplex teſtimonium proferre, de illius perſonæ facta promotione? Percurramus Gregorii regiſtrum & inueniemus non paucas Bullarum variarum formulas, breuiſſimas ac ſimpliciſſimas, vnam aut alteram hic apponamus.

h Probabilibus, inquit, *deſideriis, nihil attulimus tarditatis. fratrem namque & coepiſcopum noſtrum, hominem bonum, vobis ordinauimus ſacerdotem.*] Atque hæ ſunt integræ Bullæ promotionis ad Epiſcopatum. Accipe alteras paulo longiores, & ad Eccleſiam Parochialem. LVI.

h Greg. l. 11. ep. 11. Ind. 11.

i Ea quæ prouide diſponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia Eccleſiam ſanctæ Mariæ Campiſonis in tua Parochia poſitam presbytero vacare cognouimus, præſentium portitorem Dominicum presbyterum in eadem Eccleſia vt præeſſe debeat, nos certum eſt deputaſſe. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta eiuſdem eccleſiæ faciat, ſine cunctatione præſtari, & decima fructus Indictionis, qui iam percepti ſunt, prædicto viro fac ſine mora reſtitui; quatenus eiuſdem Eccleſiæ vtilitates, cuius emolumenta conſequitur, Deo adiutore ſolicite valeat procurare.] LVII.

i Greg. l. 2. Ind. 10. ep. 10.

Si vis alias etiam eiuſdem Papæ non paucas ſtyli eiuſdem, eiuſdemque ſimplicitatis, ſiue ad cathedrales, ſiue ad Parochiales, ſiue vnionum de duabus cathedralibus, & ſimul promotionis, ſiue tranſlationis Epiſcoporum, ſiue traditionis pallij, vide in dicto regiſtro lib. 1. ep. 8. & ep. 77. lib. 2. Ind. 10. ep. 11. 25. 31. 35. & eodem lib. Ind. 11. ep. 13. 14. 20. lib. 4. Ind. 13. ep. 45. 54. lib. 10. epiſt. vlt. quæ conceſſionis pallij formam continet generalem, ſed ſimpliciſſimam. Fuiſſe vero abuſum vt ex pallij traditione vtilitas caperetur, fatetur idem Gregorius, & abuſum ſe hunc ſuſtuliſſe ſignificat, ita ſcribens ad Ioannem Corinthiorum. *k Nouit autem fraternitas veſtra quia prius pallium, niſi dato commodo, non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus B. Petri Apoſtolorum Principis, tam de hoc quam de ordinationibus aliquid accipere ſub diſtricta interminatione vetuimus.*]

k Greg. l. 4. Ind. 13. ep. 55.

Zaccharias Papa Bullas ſuas in hæc verba conficiebat. *l* Flagitauit à nobis pro ſuis ſyllabis ſanctiſſimus Vir (*Bonifacius*) per Apoſtolicam autoritatem veſtras confirmari ſedes. Pro quo & nos ardenti animo, & Diuino iuuamine, ac autoritate B. Petri Apoſtolorum principis, cui data eſt à Deo & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto ligandi ſoluendique poteſtas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus: Atque ſolidas permanere veſtras Epiſcopales ſedes ſancimus, intercedente ipſius Principis Apoſtolorum auctoritate, à præſente in futuras omnes generationes; vt nullus audeat contra eandem veſtram venire ordinationem, quæ dignante Domino ex noſtra præceptione in vobis facta eſt. LVIII.

l Zacchar. ep. 1.

Ioannes octauus in ſuo regiſtro habet exemplar bullarum quibus pallium tradiderat Archiepiſcopo Iuuanenſi; videlicet, *m Iccirco tuam fraternitatem tanto pallij decore ſtuduimus decorare, vt Chriſto epulante, & ante Dei oculos bonis & ſanctis actibus polleas, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, à qua potum præclari poculi ſumis deuotus ſemper fidelis exiſtas, eius in futurum effectus particeps, cuius locata perpetualiter fundamentis conſiſtis, & apud Carolomannum Regem dilectum filium noſtrum,* LIX.

m Ioan. 8. ep. 64.

quotidia-

quotidianis interuentor pro Romana Eccleſia hortamur exiſtas.] Vrbanus 2. Iuoni Carnotienſi Bullas fecit ſimpliciſſimas: videre eas licet inter epiſtolas Iuonis, & eſt tertia in ordine.

LX. Et quod magis adhuc miror, ſub Innocentio 3. quando Curia Romana iam plurima excogitarat vtilitatum emolumenta, Bullæ tamen erant longe ſimpliciores. Accipe vnius exemplar. a *Plenitudinem poteſtatis, quam ab eo qui eſt pater miſericordiarum agnimus, cum iis debemus potius diſpenſare cum quibus miſericorditer eſt agendum. quia ſi forte (quod abſit) miſericordes, ſicut & Pater noſter miſericors eſt, in huius diſpenſationis officio non eſſemus, merito nos tangeret inter alios Diſpenſatores Apoſtolus de quibus illam quæſtionem inducit: Iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Vnde tanto cautius agere nos oportet quanto ea quæ ſub huius conſiderationis intuitu ſtatuuntur, à nobis ſtabilitate volumus perſiſtere firmiori. Defuncto ſiquidem nuper in vrbe bonæ memoriæ magiſtro Aimerico de Patrimaio, auunculo tuo, miſericordia moti fuimus erga te, quem vidimus omni conſilio & auxilio deſtitutum, & audiuimus in Cancellaria noſtra fuiſſe fideliter conuerſatum: Vnde nos propter hoc ad prouiſionem tuam vehementius excitati, ad deſolationis tuæ remedium, præbendam quam idem auunculus tuus in eccleſia ſancti Hilarij Pictauienſis olim habuerat, ſicut de plenitudine poteſtatis nobis conceſſa licebat, tibi miſericorditer duximus concedendam; te per annulum propriis manibus ſolenniter inueſtientes de ipſa. Vt igitur quod ſuper præbenda ipſa de te factum eſt, robur in poſterum obtineat firmitatis, & ne temeritate cuiuſlibet valeat immutari, inueſtituram ipſam autoritate tibi Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus.*] De confirmatione Abbatis habes eiuſdem b has breuiſſimas. Oderat ſane Innocentius ſordidas, & putidas exactiones: Sic enim de eo ſcribit Antoninus; c *In primis cum ſupra omnia exoſam haberet venalitatem, cogitauit qualiter illam poſſet à Romana curia extirpare: Vnde ſtatim fecit edictum, vt nullus officialium curiæ ſuæ quicquam ab aliquo exigeret, præter ſolos ſcriptores, & bullatores: quibus etiam certum modum præfixit, diſtricte præcipiens, vt ſinguli ſuum officium gratis impenderent. Fecit præterea oſtiarios à notariorum cameris amoueri, vt liber ad eos pateret acceſſus. Erat autem intra Lateranenſe palatium menſa, ſuper quam ponebantur vaſa aurea, & argentea, multuſque theſaurus, quam ille ſolertiſſimus Pontifex fecit illico de toto palatio amoueri.*]

a *Innoc. 3. l. 1. ep. 90.*

b *Innoc. 3. l. 1. ep. 179. 189.*

c *Anton. 3. p. tit. 19. c. 1. & Nauel. gen. 40.*

LXI. Nunc vero longiſſimo tractatu Bullæ circumſcribuntur, plenæ tricis, plenæ tot conditionibus & particulis, cum modis vacationis, cum expreſſione valoris, cum abſolutionibus ad effectum, cum tot nō obſtantibus, & aliis, & quo plures cautelæ etiam non petitæ à prouiſo ponuntur, & quæ nihil ipſum ſubleuant, eo plus pecuniæ eſt conferendū, & nihilominus ex ipſiſmet cautelis vel maxime lites ſuſcitantur, vt ſi vel parum quid in Bullis claudicet, alteri ſtatim impetrationē præparet: ex qua nouę bullę in eadē vacatione cum integro nouo precio expediūtur; ac inſuper lites noua ſuppeditant lucra curiæ; aut ſaltem nouo ſoluto precio, perinde valere, & cum noua compoſitione impetrantur. O bullas vere bullas, & ſpumam, quę præter ventum & vanum tumorem, nihil aliud continent, & tamen pro exiguo vento, & labili aere, tantum aurum colligitur & argentum. Ac poſtquam Forenſes in eccleſiā ſtrepitus ſunt ingreſſi, à quibus eccleſiæ prior ſimplicitas tantopere abhorrebat, bullarum particulæ; & tot cautelæ captioſæ ſunt multiplicatæ, ad ſolam Romanæ Curiæ ditationē, eccleſiaſticæ vero diſciplinæ deſtructionem.

Sed niſi bullæ expediantur, inquies, prouiſus LXII.
nō poteſt facere fructus ſuos; vt Bonifacius, Iulij, & Pius ſtatuerunt. Vt igitur ſaltem fructuū ſit Dn beneficiarius, tenetur bullas expedire. Nugę ſunt iſtę. Solam hęc bullarum obtrudendarū anxietas, petit pecuniæ exactionē: Huc minæ: huc terrores: & ſola bullas haſce, earumque neceſſitatem cudit Auaritia, nam optime quidam canoniſta dicebat, ſe credere, d Quod mens Principis volentis tacite vel expreſſe quod ſuper gratijs per eum factis expediantur literæ, & aliter gratiæ non valeant, moueatur, non propter intentionē vt gratiæ melius examinētur per literarū expeditionē, ſed tantum, vt ex illa expeditione veniat ei lucrum. *Tunc & eo caſu* inquit, *etiam non expeditis literis, gratia quis vti licite poteſt: & hoc propter malam intentionem, & iniquam Principis voluntatem. Nam ſi ſuper hoc legem fecerit, videtur iniqua talis lex. cum ad vtilitatem communem, non ad priuatam lex fieri debeat. faciunt nota in cap. 1. de Conſtitut. & inc. Erit autem lex. 4. diſt. Quia iniquam legem condendi Deus ſibi autoritatem non dedit; ad quod facit textus in c. Qui reſiſtet 11. q. 3.*] Ita Iuriſta ille. Hæc de bullis.

d *Apud Gygan. de penſ. q. n. 6.*

Annatas primum indixiſſe Ioannem 22. tenent LXIII.
multi; Bonifacium vero nonum. Platina tradit in eodem ſecundum ex Pontificibus ad onera belli contra infideles eas exegiſſe. Certe Ioanes 22. fatetur e *Se fructus, redditus & prouentus primi anni beneficiorum vacantium, & vſque ad triennium, in diuerſis partibus vacantium & vacaturorum, pro Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus, per ſuas ſub certa forma literas duxiſſe reſeruandos.*] Nondum igitur vlla erat perpetua lex annatarum. Sicut neque Bonifacij noni puto fuiſſe perpetuam & vniuerſalem hanc legem, ſiquidem ſola bellorum contra infideles occaſione dicitur annatas indixiſſe. Igitur nōdum erant in vniuerſum indictæ. Et ſublata bellorum illorū neceſſitate, etiā annatæ ſublatæ debebant intelligi. Mos tamen Principum ordinarius eſt, vt certis occaſionibus temporalia vectigalia impoſita, ceſſantibus occaſionibus, ſæpiſſime vectigalia tamē nolint ceſſare, ſed in perpetuum perſeuerare. Quare neq; mirum eſſet ſi belli ſacri contra infideles Bonif. 9. annatas voluerit, tanquam temporarias, pro illa ſola neceſſitate, quas ceſſante poſtea neceſſitate hac, ipſe, & ſucceſſores voluerint nihilo ſecius exigere. Audio enim poſt triginta circiter annos à Bonif. 9. Miſſos Concilij Baſileenſis ad Papam Eugenium quartum, ita lamentari. f *Quamuis autem P. B. iſtæ annatæ introductæ fuerint ex cauſa paſſagij Terræ ſanctæ, nunc autem ceſſante cauſa ceſſare poterit & effectus.*] Qui tamen neque ceſſauit amplius, neque ceſſat, & adhuc perſeuerat.

e *Extrauag. Cum Nonnulla. in com. de præb. & dig.*

f *In append. Conc. Baſ. in collatione Io. de Brachenſtein.*

Eas vero in more etiam ante Ioannem XXII. LXIV.
poſitas fuiſſe, ita vt pro occaſione ad tempus certum exigerentur, colligimus ex Oſtienſi, qui ſub Alexandro quarto, g aſſerit, propter has annatarum reſeruationes ſæpe fuiſſe reclamatum. Et Zabarella ait: h *In Concilio Vienenſi Annatas fuiſſe ſublatas, & mediam decimam fuiſſe Annatis ſubſtitutam.* Ac propterea Polydorus Virgilius i hoc inuentum annatarum facit ſatis Ioanne XXII. antiquius. Et k Pius V. dicit, *Annatas in recognitionem Dominij vniuerſalis introductas eſſe antiquiſſimas.* Video itaque inter alia Auaritiæ Romanæ inuenta eccleſiæ non probata, ſed ab ea impugnata, fuiſſe annatarū exactiones. Eas tamē neque video lege perpetua ſancitas, neq; in collatione officiorum ac beneficiorum eccleſiaſticorum fuiſſe, vt poſtremis temporibus factitatum cernimus, extortas potius, quam exactas.

g *Oſtienſ. in c. Inter cætera de off. ord.*

h *Apud Genebrar. ſub Bonif. 9.*

i *Polyd. de Inuent. l. 8. c. 2.*

k *In 7. l. 2. tit. de Annat. c. 7.*

Inter omnia eccleſiaſticorum hominū ſcelera, LXV.
atque

atque externi operis flagitia, nullum vnquam fuit reputatum grauius, turpius, pernicioſius, & quod magis Chriſti ſponſam eccleſiam dehoneſtaret, ac deturparet, quam Simonia, ac propterea neque acrius contra vllum vitium vnquam tota inſurrexit eccleſia, quam contra ipſam labem Simoniæ. Ac quemadmodum Deus videns populi ſui maximā ad idololatrandum propenſionem, in primo ac præcipuo ſuæ legis præcepto, non modo *a* idolorum cultum, ſed etiam quancunque ſculptilium & imaginum formationem prohibuit, ne vel ſpeciem ſolam Idololatriæ eis relinqueret, ita eccleſia tolerare neque potuit, neque debuit vllam pecuniæ acceptionem, in officiis & muneribus eccleſiaſticis diſtribuendis: ne vel ſolam Simoniacæ hæreſis ſpeciem poſſet illa præ ſeferre; pœnaſque ſeueriſſimas poſuit, & inflixit. Quanto magis vbi directe pro ſacro officio conferendo pecuniaria compendia acquiruntur. Annatæ vero quid aliud ſunt tandem, niſi precia huiuſmodi collationum?

a Exod. 20. 4.

LXVI. Narrat Palladius, *b* conueniſſe ex Aſia, Scythia, Thracia aliiſque partibus aliquot grauiſſimos Metropolitas Conſtantinopolim ad Ioannem Chryſoſtomum ibique, facta Synodo, oblatum fuiſſe libellum ab vno Epiſcopo aduerſus Antoninum Epheſinum, accuſationes aliquot continentem. Inter capita accuſationum ſeptimum erat, *quod pro lege atque decreto habebat ordinationes Epiſcoporum vendere, pro modo redditúum.*] Ecce tibi ipſiſſimas annatas, lege & decreto firmatas: Vt qui plus redditúum colligeret ex bonis illius eccleſiæ, plus ſolueret; & qui minus, minori ſolutione dimitteretur. Quid ad hæc ſancta Synodus? *Etſi*, inquiunt, *vnumquodque capitulum per ſe impium eſt, & vndique ſacris legibus interdictum, ne tamen videamur in his quæ ſuggeſta ſunt nobis, omne ſtudium ponere, ab eo quod eſt horribilius fiet inquiſitionis initium. Si enim illud inuentum fuerit verum, nulla de capitulis reliquis erit controuerſia; cum capitalis illius radix omnem præ ſe ferat ſpeciem iniquitatis, iuxta illud, c* Radix omnium malorum eſt cupiditas. *Qui enim ſuper innocentem acceperit munera, & ſancti Spiritus largitionem pecunia ſe vendere putat, quo pacto iam parcet ornamentis, aut lapidibus, aut fundis eccleſiæ?*] Inuenti ſunt ſimoniace ordinati, & ad iudicium Ioannis, ac Synodi mortuo iam, dum iudicium hoc agitaretur, Antonino, vocati. Quid putas ad ſuam defenſionem protulerunt? *Dedimus*, aiebant, *hanc eſſe conſuetudinem exiſtimantes, vt videremur à Curia liberari. At nunc, ſiquidem honeſtum eſt, oramus, vt in miniſterio eccleſiæ ſimus. Sin autem, vel aurum quod dedimus recipiamus; quidam enim ex nobis vxorum noſtrarum aurum & variam ſupellectilem dedimus.*] Ac pergit Palladius. *Præcepit itaque Synodus ab Antonini hæredibus eis aurum reſtitui, eos vero intra altare communicantes à ſacerdotibus fieri: ne ſi iſta paſſim permitterentur, conſuetudo Iudaica, vel Aegyptiaca fieret, vendendi ſacerdotium & emendi.*] Hæc ille.

b Pallad. in Dial. de vita Chryſoſt.

c 1. Tim. 6. 10.

LXVII. Sola ſuſpicio & ſane falſa aduerſus *d* Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quod pecuniarias faceret promotiones, fecit vt multi Catholici ab eo ſe ſponte ſeparauerint, & tanquam ab excommunicato abſtinuerint. Tantum abhorrebat eccleſia tunc peſtem hanc ſimoniæ. Et Taraſius idem, Quod in ſuſpicionem ſimoniacæ prauitatis ab aduerſarijs inductus eſſet, ad eam abolendam, & ad ſimoniam ſtirpitus ex ſuis eccleſiis euellendam, totum ſe conuertit. Nam, vt ſcribit Ignatius monachus, qui eius res geſtas enarrat, *e Primum ſimoniacæ crumena ſcindens venenum, quo Spiritus ſancti donum venale proponitur, ſtatuit, vt ſacerdotum gratis fierent creationes, & ordinationes: ex atrio eccleſiaſtico omnē pecuniariam expellens conſuetudinem. Et quicquid erat aſperum eijciens rectas fecit ſemitas fidei.*] Omnis igitur conſuetudo vbicunque in creatione ſacerdotum, & officiorum eccleſiaſticorum diſtributione pecunia intercedit, tanquam ſimoniaca peſtis ab eccleſia ſemper eſt exterminanda. Romæ vero ſemper nouæ huiuſmodi conſuetudines veteribus adduntur, peſſimis incrementis. Quin imo Taraſius ipſe acerrimas dedit literas ad Adrianum Romanum Pontificem, tanquam ſimoniaca labe pollutum: quas refert *f* Theodorus Balſamon, eumque ſeuerius increpat. Ait enim. *Multipliciter multiſque modis Euangelice, Apoſtolice, & paterne docemur, vt mores ab auaritia alienos in ſacerdotis conſecratione habeamus: & neque deauremur, vel deargentemur, vel nobis aliquid vendicemus, in cuiuſquam ſacerdotalis viri ordinatione, vt demonſtrabimus in ſententiis hic ſubiectis, ex diuinis Scripturis, & paternis doctrinis.*] Et poſtquam turpitudinem & indignitatem labis huius pecuniariæ docuit, hæc addit. *Cum diuinus Petrus Apoſtolus, cuius Cathedram ſortita eſt fraternitas veſtra, vt Simonem magum eos diſpoſuerit, eam ob cauſam veritatem annunciare non veremur, ſeruantes & retinentes ea, quæ à ſanctis Apoſtolis & inclytis Patribus noſtris canonice tradita ſunt; & ſi quid eorum ab aliquibus eſt prætermiſſum auerſamur. Fraternitas ergo veſtra, & ſacerdotalis ſanctitas, quæ non iure, nec ex Dei voluntate, Pontificale munus adminiſtras, magna laborat infamia. Dicit enim per Prophetam magnus & primus Pontifex Chriſtus Deus noſter; viuo ego, ſed eos qui me glorificant, glorificabo. Scis enim ô homo, Macedonij, & eorum qui circa illum erant ſancti Spiritus hoſtium, tolerabiliorem eſſe hæreſim, cupiditatibus Spiritus. Cum enim illi ſanctum Spiritum Dei & Patris creaturam & ſeruum nugentur, hi ipſum, vt videtur, ſeruum ſuum faciunt. Omnis enim Dominus, id quod habet, ſi vult vendit, &c.*] Pluribus deteſtans ſimoniacam labem, recitat Canones veteres, & diuerſorum Patrum ſententias, in huiuſmodi deteſtationem erroris. Inde ſic Adrianum alloquitur. Sic nos quoque doce vir Dei ſanctiſſime, & Scripturæ, & Euangeliorum, & Apoſtolorum, & Canonum, & Patrum præcepta ſequi. Verbis enim oris veſtri paremus. In altum montem conſcende, exalta in fortitudine vocem tuam, ambula in dilationibus, prædica cum libertate, vt tollatur, & ad interitum deducatur quæ pecunijs facta eſt per manuum impoſitionem ordinatio; & quicquid eam propter auaritiam, iniuſtitiam, & mercaturam, turpis lucri gratia conſequitur. Ea enim cum iis quæ in eodem ſunt ordine, ex peculiari populo qui Chriſti nomine eſt appellatus, & redemptionem gratis eſt aſſecutus, ſublata omnia vitij inquinamenta, quæ conſequuntur funditus exciſa ſunt: & ſacerdotes vt palma florebunt, Chriſti bonum odorem iis qui ſeruantur inſpirantes, & eccleſiæ Epinicion canentes, *g Abſtulit Deus à te iniquitates tuas*, &c.] Hæc Taraſius ad Adrianum. Quamuis in *h* Græca epiſtola aliter nonnihil legatur. Qui ſi videret nunc inſanas exactiones Romanæ Curiæ in ſacerdotibus promouendis, quid diceret? Habebat ne Adrianus paratas excuſationes cur pecuniam acciperet? quis neget habuiſſe? An non facile occurrit ingenioſis quid dicant *i* ad excuſandas excuſationes in peccatis? & tamen vnde Adrianum excuſaret non habuit Taraſius: Simoniacam enim ſciebat eſſe omnem pecuniæ acceptionem, quæ in dandis ſacerdotijs interueniret.

d Apud Baro. to. 9. an. 787. n. 92. 93.

e Ibid. n. 94.

f Apud Baron. ibid. n. 96. 97.

g Iſai. 60.

h 1. q. 1. poſt c. 21. in Gregoriana.

i Pſ. 140. 4.

LXVIII. Vides Romanam Eccleſiam ſatis antiquo auaritiæ morbo ad ſimoniam vſque laborare, infamiaque hac à multis retro temporibus notari? Nam & Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario

ſcanda-

ſcandalum graue ab hac Romana auaritia & ſimonia patiebatur. Vbi enim contra ſimoniacos inſurgit, hæc habet. *a Quæ etiam Deo odibilis peſtis primum neceſſe eſt vt Imperiali autoritate & poteſtate, tum conſenſu venerabilium ſacerdotum, à Romana Eccleſia amputetur. Quoniam ſi caput languerit, membra incaſſum vigeant neceſſe eſt.*] Et ad finem eiuſdem capitis ait. In Epiſtolis beati Gregorij multa haberi in deteſtationem ſimoniæ, *in quibus*, inquit, *manifeſte apparet, quod eo tempore quando eaſdem Epiſtolas idem Doctor in Gallias mittebat, ſedes beati Petri, cui Prælatus erat, ab eadem lue immunis erat.*] Quaſi dicat, nunc quidem hac infamia laborat, ſed non ſemper fuit ſic. Puto enim tunc in Gallijs etiam plurimum viguiſſe hanc peſtem, remediumque inane reddidiſſe Romanum exemplum, dum multi ſimoniaci Prælati ſe Romanæ Curiæ vallarent exemplo, vt fiebat tempore Iuonis, cui reſiſtebant Canonici ſimoniaci; nec corrigi ſe in hoc patiebantur, Romanorum exemplo. *b Publice* inquit Iuo, *exigunt, me contradicente & perſequente, Romanæ Eccleſiæ conſuetudine ſe defendunt, in qua, &c.*] Ac ne exemplum hoc obeſſet, laborant illi Patres vt doceant ſub bonis Pontificibus ita non fuiſſe, qui à labe ſimoniaca abhorruerunt.

a Conc. Papiſi. l. 1. c. 11.

b Iuo ep. 133.

LXIX. Qui honeſtant annatas, & iuſte eas exigi conantur defendere, dicunt: *c* Pro Eccleſiæ Romanæ neceſſitatibus illas imponi & exigi, ita Ioannes 22: Pro ſuſtentatione ſummi Pontificis & Cardinalium *d* Eugenius quartus & paſſim Theologi vt infra: Loco decimarum, quas ex omnibus beneficijs Papæ prius exigebant, ita *e* Petrus de Aliaco Cardinalis; ſed etiam fur pro ſuis neceſſitatibus furatur, vt habeat vnde laute viuat, & ſe ſuamque familiam ſplendide alat, ornet, ditet; Eritne propterea furtum licitum & honeſtum? At quæ ſunt hæ neceſſitates? ad concinnandane luminaria? ad Clerum proprium, vbi reuera neceſſarium & vtilem, ac pauperes alendos? Hæ ſunt eccleſiarum neceſſitates, vix aliæ, & ad has Eccleſia Rom. eſt ſibi ſufficientiſſima. Ad pompam vero temporalis Principatus bona Chriſti & pauperum non debent inſumi. Suſtentatio ſummi Pontificis, ſi parce viuat, vt debet, ſi pompas mundanas abdicet vt Epiſcopus, ſi neceſſario Clero ſit contentus, neq; decimis beneficialibus indigebit, neque annatis: nam & illæ Eccleſiæ quas Papa illis annatis priuat ſeu decimis, habent ſua onera, ſuum Clerũ, ſuos pauperes, ſua templa: & prouerbium Italicum tritũ eſt, vnum altare non eſſe denudandum, vt alterum inde operiatur. Sed eſto, quæſo, egeat Pontifex & Cardinales, ijque ſint eccleſiæ vere neceſſarij (cum tamen prorſus vacent) indulgendumq; ſit eis, poſſent legitime per Concilium generale eccleſiæ modeſte grauari vt ordinarias aliquas faciant contributiones, quæ quotannis pro ſumo Pontifice & Cardinalibus colligãtur. Promotiones tamẽ gratis fiant, vt ſimonia ab illa eccleſia procul amandetur, vt inferius melius explicabitur. Decimæ tamen omniũ redditũ eccleſiaſticorum etiã ſi eſſent vniuerſales, & ordinariæ ac perpetuæ, exorbitantem ſummam facerent, & eccleſias nimium ac iniuſte grauarent, vt propterea ſublatæ fuerint: Annatæ vero longe peiores à Pontificibus fuerunt ſubſtitutæ. Iterumque, vt annatæ ceſſarent tanquam ſimoniacæ, & nimis iniuſtæ, media decima, vt ſupra vidimus numero 64. in Concilio Viennenſi fuit Papæ conceſſa.

c Extrau. Cum nonnulla 1. in com. de præben.

d Apud Conc. Baſ. in reſponſ.

e collationem Ioannis de Brachen. in.

Aliac. de eccleſ. auct. part. 2. c. 2.

LXX. Ad annatas tamen ſe iterum Romana Curia voluit reducere, eaſque innouarunt & præceperunt Pius 2. Innocentius 8. Clemens 7. Iulius 3. Paulus 4. Pius 5. & alij, vt videre eſt in 7. lib. 2. titul. toto de Annatis. Qui ne illæ in beneficijs vnitis Regularibus nunquam amplius vacaturis extinguerentur, loco annatarum in talibus quindennia introduxerunt & præceperunt. Nec mirum quod ad annatas ſe iterum reduxerunt, quia nullum violentum perpetuum. Decimæ enim cum violẽtæ eſſent ac iniuſtæ, à prælatis & beneficiatis non ſoluebantur. Vnde & Concilium Conſtantienſe illas omnino prohibuit, Martino 5 ita ſtatuente, *f Præcipimus & mandamus, iura quæ prohibent inferioribus à Papa decimas, & alia onera eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis imponi diſtrictius obſeruari. Per nos autem nullatenus imponantur generaliter ſuper totum Clerum, niſi ex magna & ardua cauſa & vtilitate vniuerſalem eccleſiam concernente, & de conſilio & conſenſu & ſubſcriptione fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium & Prælatorum, quorum conſilium commode haberi poterit. Nec ſpecialiter in aliquo Regno vel Prouincia, inconſultis Prælatis ipſius Regni, vel Prouinciæ, & ipſis non conſentientibus, vel eorum maiori parte, & eo caſu per perſonas eccleſiaſticas, & Apoſtolica autoritate duntaxat, leuentur.*] Annatæ vero facilius ſoluuntur; quia aliter beneficium non datur niſi prius annata perſoluta. Et ſi contingat vt idem beneficium vacet bis, ter, aut quater, aut pluries in vno & eodem anno, Papa ſane habebit duas, tres, aut quatuor annatas, aut plures, quæ dicuntur primæ ab illo beneficio; quod tamen vno anno non poteſt niſi vnicam reddituum annatam dare. Cum itaque inquiunt, annatæ in locum decimarum ſucceſſerint, non ſunt reprehendendæ: non enim pro beneficij collatione, ſed loco decimarum Papæ debitarum exiguntur. Impoſitis vero annatis *g* Decimæ abolentur.

f Concil. Conſtant. ſeſſ. 49.

g Regul. Cancel. 62.

Cum tamen annata in Collatione beneficii exacta habeat ſimoniæ prauitatem (de qua paulo inferius) loco decimarum quæ rapinam redolebant, ſimonia quæ eſt longe peior, ſubintrauit. Atque ita perpetuo inter Scyllam & Carybdim verſatur Romana Curia. Imo perpetuo vel Scyllæ, vel Carybdi adhæret, & non inter ipſas nauigat; nõ enim verſatur in periculo dũtaxat ne impingat, periculumq; vitat, ſed conſulto in alterutrã impingit; & ſi illã à Scylla auellas, ad Carybdim ſtatim aduolat; & contrariã propriũ amat & vult naufragium. LXXI.

Scio Canoniſtas noſtros aliquos Papam à ſimoniæ periculo liberare. Contra quos ſolus nunc inſurgat Gerſo. qui depoſitionem Io. 23. factam in Concilio Conſtant. potiſſimum tribuit exceſſibus ſimoniæ. *h* Accuſatus enim inter cætera fuit, & conuictus, quod fuerat notorie ſimoniacus. *Ex quo*, inquit, *confunditur illa quorundam temeritas, qui Papam in collatione beneficiorum non poſſe committere ſimoniam vel diſputabãt, vel definiebãt.*] Itẽ alibi; *i ſupponitur*, inquit, *rurſus quod in his, quæ ſunt ſimoniaca de iure diuino, & nõ ſolũ quia prohibita lege humana (vt ita loquamur more Iuriſtarũ) Papa poteſt committere ſimoniã, quoniã diuinæ legi ſubijcitur ſicut alius; & dum tranſgreditur illã, grauius peccat, quanto maior habetur.* Conſtat autẽ prohibitũ eſſe Iure diuino vt illud quod eſt vere ſpirituale quæratur emi vel vẽdi, ſicut de Giezi, & de Simone mago ſcriptura S. palam tradit. Et ſicut Chriſtus ad diſcipulos loquens determinat *k Gratis accepiſtis, gratis date.* Idẽ docuit *l* Sotus, & paſſim Theologi. *m* Gregorius profecto ſextus propter ſolam ſimoniã aut depoſitus fuit ab Imp. Othone, aut coactus vt propter idem crimen ſponte ſe Pontificatu abdicaret. LXXII.

h Gerſ. ſer. pro viagio Regis Rom. par. 3. direct. 1.

i Gerſ. trac. de ſimonia ſuppoſit. 5.

k Matt. 10. 8.

l Sot. de Iuſt. & Iu. l. 9 q. 8. ar. 2. ad 2.

m Friſingen. l. 6. Chronic. c. 36.

Non negabo tamẽ me duplicẽ obſeruare Simoniam. Alterã veram & propriã, quã vocabo naturalem, LXXIII.

lem, hoc eſt iure diuino naturali prohibitam, in qua res ſacra ſpiritualis precio temporali, pecuniario præſertim, ſupponitur. Alteram præſumptiuam duntaxat, & poſitiuam, hoc eſt ſolo iure poſitiuo humano eccleſiaſtico prohibitam. Atque hæc conſiſtit non directe in venditione aut emptione rerum mere ſpiritualium; quæ vel ipſa natura dictat precio temporali non ſubſtare; ſed in actibus quibuſdam externis, in quibus præſumi poteſt, licet illa non appareat, adeſſe; ſpiritualium rerum nundinationem. Vt ſi beneficiarius reſignet alteri ſuum locum & beneficium, cum pacto vt ille patiatur ſibi imponi penſionem reſignanti ſoluendam. Hæc non eſt vera, & propria, ac naturalis ſimonia, quia reſignans non dat illi beneficium pro pecunia, neque illum ordinat, neque officium ſacrum committit, à quo reſignatarius nihil prorſus accipit, ſed reſignans cedit locum ſuum & officium, vt vacet, quo vacante collator confert. Soluere autem pecuniam, vt quis ſe priuet beneficio, non eſt emere beneficium: ſicut neque priuare ſe beneficio pro pecunia, non eſt beneficium vendere, ſed beneficio tantum carere. Ac potius hoc erit duntaxat ita locum cedere in quem collator poſſit alterum ſubſtituere, vt tamen ſemper reſeruet ſibi ille qui ceſſit aliquid pro ſui ſuſtentatione, qua prorſus non eſt priuandus, dummodo maneat in numero eccleſiæ miniſtrorum. Quia tamen huiuſmodi reſignationes remotam quandam videntur continere venditionem & emptionem, aut ſaltem ſpecie venditionis & emptionis non carent, iccirco prohiberi ſolent ſub ſola præſumptione ſimoniæ: Quemadmodum vſura etiam duplex obſeruatur: Altera propria & naturalis, vbi pro ſolo & nudo mutuo quis lucrum exigit & paciſcitur, altera preſumptiua, ex ſola lege humana, vt ſi fiat contractus cenſus, non ſeruatis quibuſdam ſolennitatibus. Et hæc vſura poteſt in foro hominum puniri, quæ in foro Dei & conſcientiæ poſſit omni prorſus peccato carere. Ita & Simonia, facile igitur crediderim Eccleſiaſticos Prælatos, & Papam, poſterioris ſimoniæ reatum non ſubituros, vbi illi ſupra legem poſitiuam habeant poteſtatem. Vbi tamen legi poſitiuæ Prælati etiam ſubſunt, puta ſi lex ſit totius Eccleſiæ vniuerſalis, ſupra quam nullus particularis Prælatus, ne Papa quidem habet poteſtatem, vt docui libro 8. tunc rei erunt etiam huius præſumptæ ſimoniæ; & pœnis eccleſiaſticis ſubiacebunt, vt vidimus ſupra exemplo Arianorum ſub Iohanne Chryſoſtomo, quos eccleſiis ſimoniace acquiſitis ſynodus illa ſpoliauit: Et Gregorius 6. ac Ioannes 23. ſuæ ſimoniæ pœnas luere ſunt coacti. De pœna ſaltem æterna veræ ſimoniæ, quis ambigat eam verum ſimoniacum, etiam Papam non poſſe, niſi per ſolam legitimam & ſalutarem pœnitentiam effugere?

LXXIV. Annatarum porro has exactiones, vt nunc fiunt in Curia Romana, eſſe vere & proprie ſimonias, ſicut non dubitauit, ita optime probauit doctiſſimus & pijſſimus Gerſonius, nec ſemel. *a Si iudicia,* inquit, *minora reprobantur in b Moyſe, videamus in ſummo Pontifice, & Curia ſua quid de tot profaniſſimis & indigniſſimis cauſarum & litigiorum continuis & anxiis occupationibus? Quid de beneficiorum quorumcunque, etiam minorum collationibus, & ſignationibus manu Papæ: Quid de annatarum exactionibus?*] Et paulo poſt, miniſtrorum inſtitutionem Papæ merito auferendam docet: *Maxime,* inquit, *dum recipit annatas, quoniam ex hac copula, quandiu perſeuerauerit; orietur ineuitabiliter leproſa peſtis ſimoniæ, inficiens ſua contagione nedum caput, ſed pene ſingula eccleſiæ membra.*] Ponit vero magiſtraliter alibi, vbi rem diſputat ex profeſſo; hanc concluſionem. *c Simoniaca labis, contra ius diuinum: vel, de ſimoniaca ſpecie ſuſpectum, eſt, in conferente beneficium eccleſiaſticum, etiamſi ſit Papa exigere, vel extorquere à beneficiãdo promptam pecuniam, ſub titulo primorũ fructuum; ac impedire poſſeſſionem, & officiationem ſuam, quouſque, ſoluerit illam pecuniam.*] Atque in hac ſola concluſione probanda; ac ab obiectis vindicanda totum illum tractatum conſumit.

a Gerſon. de poteſt. eccl. conſid. 8.
b Exod. 18. 22.
c Gerſon. de ſimonia

Aduerte tamen Gerſonium non fuiſſe adeo leuem, vt ſibi ipſi contraria doceret, dum igitur in eo quæ nunc ſubdo legis, ne turberis, ſed meam etiam accipe explicationem. Ait. n. *d Status predictus, hoc eſt ſummi Põtificis & Cardinaliũ, dum recipit, & quærit ſubuentiones conſuetas, in oblationibus, decimis, vel annatis, & ſimilibus, non debet eo ipſo de ſimoniaca prauitate notari; niſi forte vitium aliud in executionis modo concurrerit; quod vitium corrigi debet, non obinde ſtatus minui, deſtrui, culpari, vel iuribus aliunde debitis defraudari. Sicut ab infirmo morbus tollendus eſt, non ſubiectum vel corpus deſtruendum, oppoſitum vero pertinaciter imponens, notando generaliter de ſimoniaca prauitate totum ſtatum iſtum, temerarius eſſet nec ferendus.*] Hæc inquam, neminem turbent. Supponit enim inprimis Gerſonius doctrinam communem ſcholæ Pariſienſis, quam non eſt auſus, ex aliquo prudenti dictamine rationis, vnquam impugnare; (quanquam mihi credibile non videatur Gerſonium veritatem latuiſſe) nimirum Papam eſſe iure diuino caput viſibile totius eccleſiæ vniuerſalis: cui propterea Eccleſia tota debeat tribuere neceſſaria ad conuenientem ſuſtentationem pro ipſo Papa, & Cardinalibus, quos totius vniuerſalis eccleſiæ miniſtros agnoſcunt. Deinde, ſtante hoc ſuppoſito, laudat in genere & approbat huius ſuſtentationis collectionem, ſiue illa fiat decimarum, ſiue Annatarum exactione, ſiue quacunque alia, modo non habeat adiunctam aliquam turpitudinem, aut iniuriam. Et hanc generalem obligationem ſine temeritate negari non poſſe hoc loco Gerſonius pronunciauit. Quoniam tamen in exactionibus annatarum, iuxta modum particularem quo tunc fiebant, & nunc maxime fiunt, adiunctam vidit turpitudinem ſimoniæ, aut ſaltem ſpeciem ipſius non adumbratam, ſed eminentem, propterea in tractatu poſuit, ſimoniam adeſſe, vbi extorquetur pecunia ſub titulo primorum fructuum, cum impedimento ne promotus ſacrum officium exerceat, niſi prius ſoluat pactam pecuniam, vt non annatæ exactio, ſed exactio cum tali modo, & talibus circumſtantiis, quales etiam nunc vel maxime vigent, ſit ſimoniaca. Vnde & in commemorandis erroribus, qui circa diuinum præceptum, Non occidendi, poſſent contingere; alios etiam in alia materia adnexuit errores, inter quos hunc poſuit: *e Quod licuit Papæ & Dominis Cardinalibus quærere ſolutionem primarum annatarum, ab illis qui beneficiabantur in Curia, vel alibi, ſic quod non expedirentur eis bullæ, niſi prius realiter, & de facto tales annatas ſoluiſſent: licuit etiam extorquere per arreſtationem bullarum, vel aliter, quod ſe omnibus propriis ſoluturos obligarent.*] Non igitur, ſecundum Gerſonium, eſſet error, ſi annatarum obligatio eſſet generalis, vt ſinguli de nouo in Curia prouiſi, ad primos fructus ſoluendos tenerentur vt præcipiebat aliquando *f* Ioannes 22. Si tamen bullæ prouiſionis eis non negarentur neque impedirentur aggredi officium ſpirituale ad quod promouentur.

LXXV.

d Idem de Statu Papæ & Card. conſid. 5.
e Gerſ. in errorib. circa præcept. Non occid.
f Extrau. Com. ... nalis, ...

LXXVII An vero Eccleſia vniuerſa, præſertim occidentalis; ſit iure diuino ſubiecta Romano Pontifici,

tractatu

tractaui copioſe in libris præcedentibus, præſertim 1. 3. & 4. ac demonſtraui ſubiectionem hanc tantam, nullam eſſe. Itaque ex hoc capite cum Gerſonij ſuppoſitio cadat, cadit etiam tota eius ſententia de iuſtitia & decentia Annatarum, ſecluſis malis modis, & circumſtantiis. Sed neque ego erga illam ſedem nunc volo eſſe adeo rigidus, & crudelis, vt omnem ei neceſſariam & condecentem opem, ſaltem ex charitate erga noſtrum ſupremum Patriarcham, velim negare. Et ſane ex illo capite quod Papa ſibi ſubiectam non habeat eccleſiam vniuerſam, ſi annatas velit tamen etiam vi exigere, non ego illum ſtatim ſimoniæ inſimulabo, ſed iniuriæ potius & iniuſtitiæ actionem aduerſus ipſum Epiſcopos habere contenderem. Poteſt enim exactionē, etiam reuera ſimoniacam, obuoluere, intentione accipiendi annatas vt ſibi debitas: vel donare beneficia ſine propriæ vtilitatis ſecundario, non primario; & ita crimen ſimoniæ coram mundo euitare; neſcio tamen an illud coram Deo poſſit effugere, & ab eo declinare. Nunc vero cum Gerſonio admiſſa etiā tantiſper illa ſuppoſitione, à ſimoniaca labe, propter hanc quæ nūc fit Annatarum exactionem, & modum quo illa fit, illum non eſſe liberum & teneo & confirmo.

LXXVII Quid enim eſt ſimonia? Traditio poteſtatis, ſeu gratiæ ſpiritualis, proprie ſupernaturalis, ſub pacto expreſſo pecuniæ, & pro pecunia, aut quocunque precio: quæ eſt proprie venditio. Ita enim primus

a Act. 8. 19. huius hæreſis hæreſiarcha *Simon* a *quærebat ab Apoſtolis, vt ſoluto ipſis precio, poteſtatem illi ei communicarent, qua per manuum impoſitionē poſſet ille Spiritū S. dare ſicut illi dabant.* Vnicum mihi videtur effugium habere Curia, ſi dicat; ſe non vendere ipſum officiū ſacrum, ſeu ordinem, ſeu poteſtatē ipſam ſpiritualē regendi animas, & eccleſiaſtica munia ſacramētorum, diuiniq; cultus ac ſacrificiorum obeundi. Sed pro ſolo beneficio, h.e. pro iure illo accipiēdi redditus temporales; quod tēporale, & non ſpirituale, neq; ſacrum, eſt, accipere pecuniā: quod eſt velle Papā etiā participare de illis prouentibus, vt primū & præcipuum Prælatū, qui ſuper omnes eccleſias debeat inuigilare. Ita vt ne venditio quidē vlla proprie adſit; ſed ſola quædā fructuū ſibi applicatorum anticipata collectio, aut ſi eſt venditio Papa fructus ſuos, h.e. ſibi iam debitos, & applicatos, vendit nuper prouiſo, qui ſoluta pecunia, ſuos faciet fructus primi anni, quos alioquin non ſibi ſed Dom. Papæ colligere tenebatur. An non quotidiē Prælati fere omnes, omneſq; propemodum eccleſiæ, eccleſiaſticorum prædiorum fructus vendunt, etiam anticipata ſolutione, dum eos dant ad firmā? & quis eos ſimoniæ propterea condemnabit?

LXXXVIII Effugium tamen hoc (conceſſo etiam nunc iuſte & merito primos fructus primi anni poſt quālibet vacationē, & nouā prouiſionē, eſſe Dn. Papæ, eiq; iure deberi) non vitat ſimoniam, vt oſtendā ſtatim; ſed ad ſummum prob.t poſſe exigi annatas, & vendi etiam anticipata pecuniā, dumodo ſeorſim venditio hæc fiat à traditione officij, & muneris Eccleſiaſtici, neq; neceſſario ipſi traditioni officii & poteſtatis ſpiritualis annectatur. Nō oppono nunc id quod Roma docet & tenet, & factis ipſis, ac iudiciis comprobat, nimirum redditus beneficiorū, qui habent adnexam rem ſpiritualē, fieri etiam ſacros, induereq; quaſi naturam rei ſpiritualis: Hoc enim ſi verum eſſet, effugiū hoc prorſus nullum eſſet; nā iuxta Romana axiomata, vendere ſpiritualia, vel temporalia quæ cōtrahunt aliquam ſpiritualitatē, eſt manifeſta ſimonia. Quia tamen hoc verū non eſt, neq; id opponam, & hoc non eſſe verum patet, quia redditus eccleſiæ, quantumcunq; ſint annexi officio alicui eccleſiaſtico, quia ſuſtentant miniſtrum cui illud officiū eſt commiſſum, tamen paſſim, vt dicebam, venduntur, & circa eos innumerabiles fierent quotidie humani cōtractus, neq; tamen ſimonia vlla committitur, ſi præſertim Clerici ſint abſoluti Domini, vt aliqui perperam tenent, redditūum ſuorū beneficiorū. b Diſtinguit vero Gerſ. ſpiritualia proprie, à ſpiritualibus tantum attributiue, *quemadmodum*, inquit, *ſunt beneficiorū eccleſiaſticorum redditus. & ſimilia, certe carnalia ac temporalia, niſi quod ſpiritualibus ſubſeruiunt, eiſq; dicata ſunt. Hæc autē adinuentio annexa ſpiritualitatis*, inquit, *turbationes plures quam ſcribi poteſt traduxit in eccleſiam.*] Cur obſecro? noluit id explicare Gerſ. Turbationes tamen ſunt, quia inde finguntur ſimoniæ innumerabiles, ne ordinarij poſſint imponere penſiones, facere permutationes, abſoluere cōtra eas errantes, componere ſuper fructibus male perceptis, confirmare in beneficio tali ſimonia acquiſito, &c. ſed pro his omnibus, & aliis plurimis ad Papā cum plena crumena (quem ſolum faciunt ſuper has ſimonias habere facultatem) recurſus frequentiſſimus habeatur.

b Gerſ. de vita ſpirit. animæ lect. 3.

Oppono igitur huic effugio id, in quo Gerſ. to- LXXIX.
tam ſimoniæ notā & labē docet cōſiſtere; quod hæ exactiones ex pacto & cōuentione expreſſa fiant in ipſa ſacri officij collatione; ita vt ſacrum officiū nō poſſit haberi, niſi prævia pecuniaria ſolutione; quā annatæ curiæ debitæ nomine, aut vmbra, ipſa curia conatur palliare: ſeparetur temporale à ſpirituali, & tunc concedā ſiue venditionem, ſiue quemcunq; contractū circa ipſum temporale, & non erit periculū ſimoniæ. Sicut ſi vellet Papa, aut eccleſia, vendere aliqua prædia eccleſiaſtica, pro eccleſiæ neceſſitate, eaq; ab ipſa Eccleſia ſeparare, quis prohibet? quis ſimoniā timeat? ſola tēporalia vēduntur, quæ etſi ſpiritualib. inſeruient, inde tamē vere ſpiritualia non erant niſi ab vno ad vnum, vt loquuntur Logici, & attributiue, dicit Gerſo. quod eſt non eſſe formaliter, aut vniuoce ſpiritualia, ſed carnalia. ſola vero vniuoce ſpiritualia, ſi vendantur, pariunt ſimoniam, ſicut aqua baptiſmi regenerans hominem, & ex carnali faciens ſpiritualē, ſpiritualis attributiue dicitur, quia ſignificat, imo etiam efficit, rem ſpiritualem, internam nimirum animæ ablutionem, per quam anima fit ſpiritualis vniuoce, cū Chriſto vnita ita medicina dicitur ſana, quia efficit hominem ſanum, ipſa tamen vere & propie non eſt ſana. Aquam ergo baptiſmalem à baptiſmo ſeparatam vendere, ad potandum, vel ad aliuin vſum aquæ materialis propriū, non eſt ſimonia. Ita neq; vendere redditus, ſeu ius ad redditus recipiendos, ſimonia vlla eſt, dummodo ab officio ſacro ſeparetur. At vendere aquam baptiſmalem, in ipſo actu baptiſmi; & nolle illa aqua vti ad aliquem baptizandum, niſi prius ex pacto & conuentione baptizandus ſoluat pecuniam; cæcus videt eſſe patentiſſimam ſimoniam. Ego enim qui baptiſmum cupio, aquam à te baptizatore peto, non ad aliud, niſi vt cum aqua ſimul baptiſmum ſuſcipiam, & tu dices, abſque ſimonia, ſolue mihi pecuniā pro aqua, & tunc te iſta aqua baptizabo; alioquin nolo te baptizare. c *O ſtulti & tardi corde ad credendum.* Hoc prorſus fit in annatis. Ego quæro Epiſcopatum à te Papa collatore, tu dicis ſolue pecuniam pro redditibus Epiſcopatui annexis, alioquin Epiſcopatum non trado: ſed ſoluta pecunia, tradam Epiſcopatū, ſimul cū ſuis redditibus: ſicut baptizato datur aqua cū baptiſmo, & ego qui epiſcopatū peto, non ſoluo pecu-

c Luc. 24. 25.

pecuniam vt habeam redditus, ſed vt habeam epiſcopatum. Si igitur vis pro re temporali quam mihi das, hoc eſt, pro iure accipiendi redditus prædiorum, pecuniam, ſepara iſtos ab epiſcopatu, & da liberum Epiſcopatum, liberamque epiſcopalem poteſtatem; poſtea vero paciſcere quantum placet pro illo iure temporali, & accipe pecuniam, non eris aperte ſimoniacus.

LXXX. Ac, quemadmodũ omnes conſentiunt, *a eſſe ſimoniam vendere a calicē ſanctificatum, accepto peculiari precio propter annexam illã conſecrationem*; ita neceſſe eſt omnino dicant ſimoniã eſſe vendere peculiari precio prouentus epiſcopatus, non quia ſunt prouentus materiales, ſed quia ipſis adiũctus eſt epiſcopatus. Hoc fit omnino ſub annatarũ velamine, preciũ.n. accipit Papa ad hoc vt det cum prouentibus ſimul epiſcopatũ: Alioquin, inquit, ſi nõ ſoluis pecuniã, non dabo epiſcopatũ: non dicit non dabo prouentus. Quod ſi nõ vult eſſe ſimoniacus, det epiſcopatum, poſtea dicat non do tibi ius ad redditus percipiendos, niſi ſoluas pecuniã. Sed bene ſcit ſe hoc dicere nõ poſſe, quia cum primũ quis applicatur eccleſiaſtico officio ſtatim ei iure euangelico debetur neceſſaria ſuſtẽtatio. *b Quis enim ſuis ſtipendiis militat? & qui altario ſeruit de altario viuit, & Dominus præcipit eos, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* Imponat igitur Curia, ſi vult, omnibus eccleſiis, hanc annatarum obligationẽ lege generali; promoueatque promouendos, & liberos ad ſua officia tranſmittat, neque bullas promotionis neget; poſtea agat de ſuis annatis, & vt poteſt conueniat cum promotis iuſte tamen & abſq; ſimonia cogere eos non poteſt ad *c* pecuniã anticipatam, ad ſummum enim poteſt prætendere vt primi anni fructus nõ ſibi promotus accipiat, ſed Dn. Papæ colligat, & tranſmittat. Quid v. de illius ſuſtẽtatione? viderit Curia.

a Soto de Iuſt. & Iu. l. 9. q. 5. ar. 1.

b 1. Cor. 9. 7

c. vt noſtrũ vt eccl. ben. ſine dimin. conf.

LXXXI. Quid ſi nuper prouiſus moriatur ante fructuum primi anni collectionẽ? & poſt ipſum alter, & tertius, aut plures ſimiliter? eiuſdẽ profecto anni fructus bis, ter, & quater, ac pluries, ſi caſus ſane poſſibilis occurret, vendit Curia. Quæ hæc iuſtitia? & ſi ille primus prouiſus eos emit, cur eoſdem ipſius hęredes nõ colligunt? Ita de altero, tertio, & aliis? aut ſaltẽ cur primo illi ſuã pecuniã Curia non reſtituit? ſiquidem pro illis iiſdem fructibus, eaque annata à ſecũdo ſuũ habuit Curia precium? aut ſi Curia non vult reſtituere, cur ſecundus, à curia factus liber, non cõpenſat prioris mortui hæredibus, & tertius ſecundi, & ſic deinceps? Cum itaq; & primus, & ſecundus, & alij, præter vltimũ ſuperſtitẽ, pręmortui irrecuperabiliter precium ſoluerint, nec hæredes ipſorũ ius habeant vllũ ad annatã illam, quam ille emiſſe dicebatur, profecto nõ pro annata, quæ ſolius vltimi prouiſi eſt, ſed pro ipſa dignitate & poteſtate ſpirituali, ac pro ipſomet S. officio pecuniã ſuam præmortui illi numerarunt. Et hæc ſolet eſſe multarũ ruina domorum, quæ ſeſe extenuarunt ad emendã annatã, quam tamen emptam habere non poſſint ſi prouiſus præmoriatur, aut ſi priuetur, vel ob nullitates bullarũ, alio impetrante, excludatur: Et ſi eodẽ die duo impetrent idem beneficiũ Romæ, alter per obitũ, alter certo modo, ab vtroque annata exigitur, neq; expectatur vter euincat: & tamen fructus ſunt vnius & eiuſdem anni, ab vno horum duntaxat colligendi.

LXXXII Ex his ita explicatis, atq; additis inſuper iudicio Chryſo. Taraſii literis, Concilij Pariſ. autoritate & ſententia Gerſ. paulo ante commemoratis, ſicut ipſa annatarũ ſimonia apertiſſima emergit, & fit cõſpicua, ita etiã fundamẽta cõtraria ruunt, & obiectiones omnes quæ fieri poſſent & ſolent, facile diluuntur, fundamentum porro præcipuũ annatarũ, imo ſolũ & vnicũ meo iudicio (alia enim ſunt puræ nugæ) illud eſt, quod ponit Petrus de Aliaco, quem poſteriores ſequuntur, nimirũ; *d Papã, velut vniuerſalis eccleſiæ gubernatorẽ, habere ius in temporalia eccleſiæ ad ſe ſuosq; Cardinales, ſine quibus*, inquit, *neq; debet neq; poteſt eccleſiã totã gubernare, ſuſtentandos. Sicut in V. Teſt. Leuitæ tenebãtur e decimarũ decimã dare ſummo Pont. Ac propterea poſſe iuſte Papã decimam omniũ beneficiorũ exigere, loco vero decimæ annatas exigi.* Hoc tamen fundamentũ totum euertimus, quia cõcedimus nunc, & decimas, & annatas, ſi ſeparatim imponantur, vel petantur, & exigãtur nõ incluſo ſacerdotio, & S. officio, nullã continere ſimoniã (ſint ne vero iuſtæ an iniuſtę nunc nõ cõſideramus) cũ itaq; nomine tenus dicãtur annatæ, & ipſi fructus primi anni reuera à Papa nõ exigãtur, ſed pecunia pro annatis in ipſa S. officii collatione petatur, ſine qua ſacrũ officium non confertur, plane cõſtat aliud dici, & aliud agi, vt eſt explicatũ. Nunc igitur nõ tollimus Papæ (cõdeſcendimus.n. nõ parũ) poteſtatẽ ſibi prouidẽdi, & ſuis, ex communibus totius eccleſiæ bonis: ſed vt à ſimonia abſtineat, monemus. Prouideat, exigat, accipiat, à ſacerdotijs tamen ſeparatim, & nõ pro ipſa ſacerdotiorũ, & S. officiorũ collatione. Et in eo merito ſuccenſet Aliacẽſis cuidam Doctori Pręlato, quod *f* erroneã, ſcandaloſã, & periculoſam poneret concluſionẽ; nimirũ; *ſolutionẽ vacantiarũ, ſiue pactionatã ſiue nõ, ſiue ante, ſiue poſt; ſiue ante traditionẽ bullarũ ſiue poſt; quocunq; modo actã eſſe pure ſimoniacã.* Mentalis quidẽ ſimonia poſſet eſſe, ſed Deus ſolus eã iudicat: exterior vero & aperta ſimonia dici non poſſet, ſi cõferretur libere officiũ, ac Bullæ ipſius, citra vllũ impedimentũ ipſius officij exercẽdi: ſeorſim vero ab hoc, ſiue ante, ſiue poſtea & pacta & exactiones fierẽt pro annatis; modo abſit illud pactũ, nõ do ſacerdotiũ, niſi des pecuniã; nec; volo ſacerdotio vtaris, niſi prius ſoluas pactũ preciũ. Idq; ea cautione exigatur; vt ſi ille qui Papales primi anni fructus nondũ collectos anticipata pecunia emit; præmoriatur, aut cadat beneficio, data pecunia nõ pereat eis eiuſue hæredibus fructus empros nequaquã percepturis. Si enim peribit, ſignum erit neceſſariũ, miſerũ illum, nõ primi anni fructus, ſed dignitatem eccleſiaſticam ac officium S. emiſſe.

d Aliac. de eccl. auct. par. 2. c. 2.

e Num. 18. 28.

f Aliac. vbi ſup. c. 4.

LXXXIII. Obiectiones fere omnes poſuit Gerſ. & ſoluit vtcunq; *Prima eſt* ab exemplo Leuitarũ & Aaronis, cui decimam decimarũ illi perſoluebant. 2. *eſt*, quod in multis eccleſiis cathedralibus Canonici habent cõſuetudinẽ accipiendi à nouo Canonico pecuniam numeratã, etiã ante adeptionẽ poſſeſſionis. 3. Quod primas annatas ſolẽt Prælati inferiores, vel eccleſiæ Cathedrales, vel aliquę Religiones accipere, cur nõ Papæ? 4. Quod beneficia dantur ad firmã, & anticipate ſolet accipi pẽſio, antequã fructus ſint maturi. 5. Quod eccleſia tolerauit tandiu, & tolerat has annatarũ exactiones; quæ ſi eſſent ſimoniacæ iure diuino nõ toleraret; quia *g non ſolũ qui faciunt, ſed etiã qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte.* 6. Horribilis eſſet confuſio in eccleſia propter defectũ tituli; ſeu iuris, in beneficiis, & cõſequenter in defectu adminiſtrationis ſacramentorũ ad populos, propter defectũ, vel ſuſpenſionẽ eccleſiaſticæ poteſtatis in miniſtris ſimoniace promotis. 7. Qualiter prouideretur ſic promotis, per ſimoniacã promotionẽ? Addunt alij *octauã; h* Conciliũ Baſil. ſibi contrariũ, anatas prohibuiſſe; at vero ſubſidiũ charitatiuũ cõceſſiſſe: *annata autẽ quid aliud eſt* inquiunt, *quam exactio propter neceſſitatem eccleſiæ introducta?* Solutiones meas apponam, non enim Gerſonianæ omnes mihi ſatisfaciunt.

g Rom. 1. 32

h Conſt. ordin. et ...

Ad pli-

LXXXIV. *Ad primam*, Fiat prouiſio, & exactio: Ab exactione tamen & pecunia non pendeat ſacri officij & miniſterij collatio; neque ob eam ſacri miniſterii exercitium impediatur. Quo iure vero decimam decimæ poſſint prætendere Principes laici, ſeu æquiualens, non video, licet iuſte eam Papa prætenderet: quod non eſt verum.

LXXXV. *Ad ſecundam*, Allegare inconueniens, non eſt ſoluere quæſtionem: Si igitur Canonici ſunt veri ſacri officij collatores, & collationem alligant exactioni, ſimoniaci ſunt & puniendi. Eſt tamen longe diuerſa ratio. Nam Canonici non impediunt exercitium canonicale nouo Canonico, ſi anticipate non ſoluerit; & ſeparant exactionem à collatione, ſeu receptione: Merito tamen hæ conſuetudines à multis *a* improbantur; vt ſimoniacæ & eas *b* prohibere deberet eccleſia.

a Iuo. ep. 133 ſupra n. 16.
b Iacobus de ſimonia. & Extrau. Sane in commun. eo.

LXXXVI. *Ad tertiam*, Si recipiunt annatas, eas veras in ſuis fructibus recipiunt, ſuis temporibus: aut ſi componunt cum prouiſo, ſeorſim id faciunt ab ipſa prouiſione, faciat hoc pacto Curia Romana, & tacebimus atque tolerabimus, ſed & hæ conſuetudines vt periculoſæ aboleri deberent.

LXXXVII. *Ad quartam*, Si in collatione beneficii illud fiat inter collatorem & prouiſum, erit Simoniacum, nec imitandum: Si vero ſoli redditus beneficiales dentur ad firmam ſeorſim à collatione, nihil mali eſt.

LXXXVIII. *Ad quintam*, Optime reſpondet Gerſonius, *Quod apud bonos, & conſcientioſos, & eruditos, quos non excæcauit malitia vel ſuperbia, vel adulationis, vel auaritiæ, talis ſimoniaca peſtis reprobata eſt per prædicationes, & doctrinas, verbis, & ſcriptis; & nouiſſime per Concilium Conſtantienſe* (ac Baſileenſe) *iudiciali ſeueritate damnata fuit in capite.*] Et quomodo eccleſia id tolerare dicenda eſt, quæ miſere oppreſſa ſilere cogitur vt captiua? Cuius ſtatuta omnia, Concilia omnia Romæ conculcantur, & ſub pedibus Papæ teruntur, vbi pius quiſque, & bene ſentiens ne hiſcere quidem audet, Principibus ita volentibus, & Romanæ Curiſæ in Eccleſia poteſtatem, ne dicam tyrannidem, fouentibus, & adiuuantibus. Detur libertas eccleſiæ in ſuumque priſtinum ſtatum, in quo eſt à Chriſto Domino fundata, & inſtituta reſtituatur, manicæ, & compedes, iugumque ſeruitutis, & captiuitatis ei auferantur, & audiet mundus an eccleſia toleret, & hanc, & alias turpiſſimas Romanas abominationes, interim vide quid ſentiat in hoc, & ſcribat Franciſcus Duarenus, infra num. 107.

LXXXIX. *Ad ſextam*, Ego quidem in mea promotione Romæ facta, gratiam habui, ne annatam ſoluerem; (Bullæ tamen promotionum, nec non traditio pallij, non exigua pecunia mihi cõſtiterunt) inde maximo me ſemper liberum cẽſui ſcrupulo; diu enim vehementer ſuſpicatus ſum, & adhuc ſuſpicor, ne omnes inueſtiti de eccleſiis per Curiam Rom. cum ſolutione annatarum, ſint ſimoniace inueſtiti; & conſequenter illorum nulla ſit ordinatio, ſed *c* lepram, non ordinem acceperint. Si quid tamen poteſt in eorum excuſationem proferri, erit huiuſmodi: *Primum*; bona fides eorum qui promouẽtur; qui in ſoluendis annatis ſimoniã contineri nequaquã putarint: Cum non potuerint ſibi perſuadere Romam ſanctiſſimam, & Patrem beatiſſ. Chriſti Dn. Vicarium, Deum in terris, & ſimonijs lucrum turpe quærere. Hæc tamen excuſatio in plebeio & rudi homuncione locũ facile poſſet habere; in eccleſiaſtico tamen viro, qui nouit inter lepram & lepram diſcrimen ponere, ignoratio hæc non videtur eſſe inuincibilis, ſed affectata, craſſa, & ſupina, vbi præſertim plena Concilia, apertiſſimis decretis, ſimoniam hanc agnouerunt, & condemnarunt. *Secundũ*, Bona fides ſubditorũ, qui à miniſtris hiſce hoc pacto promotis debeant regi, quiq; inuincibilem habent huius ſimoniæ ignorantiã, tam iuris, quã facti (alioquin illam & merito impedirent, ſaltẽ recuſatione Prælati & miniſtri ſimoniace promoti) pium igitur videtur credere, & ſperare (vt notat Gerſo.) Chriſtum Dominum, verum Papam, defectum omnem ſupplere, ne ſubditi innocentes in ſpiritualibus quicquam ex alieno vitio patiantur. *Tertium*, non in omnibus eſſe ſpontaneã & vltroneam Prælaturarum hanc emptionẽ; ſed plures quodammodo vi cogi. Et ſicut egens qui ſumit ab vſurario dare parato pecuniam ad vſuram, vſurã ipſam ſine peccato ſoluit, licet ſine peccato vſurarius illam nõ accipiat, ita videtur excuſandus aliquis Prælatus, qui non tam vt emat dignitatem, quã vt iniuſtam redimat vexationẽ, ſolutione pecuniæ ſe ab ea liberat, vt acceptã dignitatẽ poſſit exercere. Non igitur qui pecuniã dat coactus, ſed qui eam poſcit & accipit quaſi violẽter, crimine ſimoniæ notandus erit. Dat Gerſ. exemplum baptiſmi, vbi presbyter nollet baptizare puerum ſine precio, & alius non poſſet, tũc enim parentes pueri non cõmittunt ſimoniam, ſed ſolus presbyter: Illi enim non emunt baptiſmum quẽ vendit presbyter ſimoniacus, ſed redimunt iniuſtam vexationẽ vt infanti prouideant. Ita de Euchariſtia, abſolutione, matrimonio, & ſimilib. Sed neque hæc excuſatio eſt omnino tuta, neceſſitas enim nulla cogit accedere ad ſimoniacum beneficij collatorem; cogit tamẽ ſæpe accedere ad vſurariũ, & ad ſimoniacũ baptizatorem, ſacramentorumq; miniſtrũ. Præterea vſuræ peccatũ non eſt accipere ad vſuram, ſed dare tantũ ad vſuram; at verò ſimoniæ peccatũ eſt tam emere, quam vendere ſpiritualia; imo adhuc magis fortaſſe emere, quã vendere, quia primus ſimoniacus fuit is, qui volebat in primo tractatu cũ Apoſtolis, emere, nõ vendere: licet emere vellet vt poſtea, cum longe maiori lucro, vẽderet. Baptiſmus & ſacramenta ſunt res maxime neceſſariæ, & omnino procurandæ: ac propterea omne impedimentum auferendum, vt obtineantur; nõ ita eſt in beneficiis, quæ ſi haberi poſsũt ſine ſimonia, bene quidẽ; ſin minus, deſerẽda. Quid v. de illis qui pter annatas, & bullarũ precia, multiplicant munera ſpõtanea; & certatim, vt alios ſe multo digniores, ſed pauperes deijciant, donant & effundunt, vt optata potiantur Prælatura? Hi profecto nullam habent excuſationẽ, & de ipſis actũ eſt. Sola enim pænitentia nõ eſt ſatis, niſi etiam ſe abdicent, & quod nullo pacto retinere poſſunt, abijciant.

c 4. Reg. 5.

Quartũ excuſationis caput ex ſumã poteſtate Papæ poſſet peti, qui & ſimoniã faciat vendendo, & ſimoniacũ emptorem à ſimoniæ pænis liberet, diſpenſetque cum illo, vt iam licite & valide teneat, quod illicite & inualide accepit. Hanc ego excuſationem totam conſtanter reijcio: nego enim ante omnia, ſimoniacam ordinationem quicquam gratiæ aut poteſtatis conferre: nam probaui in genere libro 2. cap. 4. malam ordinationem nihil efficere, ac multo minus in ſpecie ſimoniacam. Huc faciunt ſacri Canones 1. q. 1. c. 1. 2. 12 15. 21. &c. Ac ſolus profecto ſatis eſſe deberet diuinus Ambroſius, cuius verba aliquot ſanctiſſima non grauabor hic apponere: *d* Nempe, *Hoc eſt*, inquit, *quod doleo* (in ſimonia) *quia Archiepiſcopus carnaliter Epiſcopum fecit.*] Non ergo ſpiritualiter: At Epiſcopus qui non eſt ſpiritualiter Epiſcopus, Epiſcopus non eſt, niſi æquiuoce, XC.

d Ambr. de dignit. ſacerd. c. 5.

quod dicit Ambroſius carnaliter; Epiſcopatus enim eſt gratia & poteſtas ſpiritualis, non carnalis. Vnde & addit: *Oculis quidem carnalibus videtur quaſi Epiſcopus magnus & diuinis obtutibus inſpicitur leproſus magnus.* Ac pergit in ſola carne Epiſcopum agnoſcere, ſubditq;. *Cum aliū ordinaret quod accepit pecunia fuit, quod dedit lepra fuit.*] Interrogatque ſimoniace ordinatū: Frater Epiſcope cum dares pecuniam quid accepiſti? Gratiam epiſcopalem accepi, ergo interrogo te; Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Reſpōdet cur, inquis? Vt reor pro eo quod gratis datur, gratia vocitatur. Ergo ſi gratia gratis datur, & auro non æſtimatur, à te cur gratia pecunijs comparatur? Reſpondet, *Non*, inquit, *mihi daretur, ſi pecuniis non emeretur; nec Epiſcopus fuiſſem ordinatus, ſi pecunias non dediſſem.*] Ita profecto nunc prorſus contingit Romæ. *Do vt des; non dabo, niſi des: Do Epiſcopatum vt des pecuniam; & niſi des pecuniam Epiſcopatum non dabo.* Ambroſius pergit. *Ergo, vt apparet, ex reſponſionibus tuis, gratiam cum ordinaueris non ſuſcepiſti, quia gratuitò eam non meruiſti. Et ideo, frater, ſi gratiam non accepiſti, quomodo Epiſcopus effici potuiſti? Nam & ad diſcipulos*

a Matt. 10. 8. *ſuos Dominus dicit* a Gratis accepiſtis, gratis date. *Cur ergo gratuitam æſtimaſti te precio poſſidere gratiam? Nam; vt video, aurum dans perdidiſti, & gratiam ſanctam non acquiſiſti.*] Rurſus interrogat; Quis dat frater Epiſcopalem gratiam? Deus an homo? Reſpondeo ſine dubio Deus? Sed tamē per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam; ſacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera; Epiſcopus vitiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem, &c.] Indeque ratiocinatur, Deum, qui pecuniæ illius ſolutione iniuriam grauem accipit, & iritatur, gratiam ſuam nullo modo in actu adeo ſibi iniurio impertiturum. Sed adde Ambroſio, obſecro, etiam Taraſium Cōſtantinopolitanum, in ea Epiſtola, quam ſupra memorabam, ab eo ad Adrianum increpationum

b 1. q. 1. c. Eos qui. conſcriptum: in qua, inter alia, hæc habet. b *Spiritus ſanctus non venditur: quod ſi non venditur compertiſſimum quoque eſt in iſtis ſancti Spiritus gratiam non eſſe, aut ſacerdotii ſanctificationem: & quod non acceperunt, non habent.*] Vide plura in noſtro ſecundo huius operis lib. cap. 4. n. 8. 12. 18. & plane intelliges ſimoniacos iure diuino nihil accipere ſpiritualis poteſtatis.

XCI. Quid ergo timet, quid trepidat Sotus, quid hæ-

c Matt. 15. 3. ſitat, qui propter vanas c traditiones hominum adulatorum, cogit relinquere mandatum Dei, & doctrinam ſanctorum Patrum fundatiſſimam, à nouis Theologaſtris compreſſam, cōtemptam, conſopitam, conculcatam? d *Dicendum ergo*, inquit Sotus,

d Sotus de Iuſt. & Iu. l. 9. q. 8. ar. 2. ad 2. *quod ſi ea ſententia vera ſit, quod iure diuino ſit ſimoniacus inhabilis ad recipiendam prabendam, non eſt in Pontificis facultate illam collationem efficere validam, & ideo qui antecedens crediderit, eum neceſſ. eſt id quod ſequitur confiteri: & fateor. quod, niſi communis opinio reclamaret, ſic dicerem.*] Communis hæc Sote, ſtultorum eſt opinio: In ſapientiores priores, vera eccleſia humana Patres, conſule & ſequere. Videbis enim ſimoniacum nihil accepiſſe: & ita audenter ſine titubatione aſſeres; ſi Papa nihil dedit, neq; poſſe profecto validū facere id, quod Iure diuino inualidum fuit. Qui vero dicunt inualiditatem hanc eſſe ſolo iure poſitiuo eccleſiæ, & inde dant Papæ poteſtatem vt poſſit validare, turpiter errant. Sint enim aliæ ſimoniacorum pœnæ; puta excommunicationis, excluſionis, ſuſpenſionis, &c. iuris poſitiui, & conſequenter ſub eccleſiæ ac etiam Papæ poteſtate vt poſſit in ijs diſpenſare; hæc tamen inualiditas nō eſt pœna, ſed rei ſubſtantia, vt iure diuino nil ſimoniace confera-

tur. Tum vero, diſſimulata etiam hac veritate & admiſſa paululum oculis conniuentibus falſitate; optime Sotus; *Nihilominus*, inquit, *admittamus, vt ſupra haſitantes inſinuauimus, collationem illam precio emptam, atque adeo iniquam, non vſque adeo diuino iure impediri quin teneat; eſſet tamē inſigniter iniquum, vt abſit impietas verbo, Pontifex ille, qui tale patraret ſcelus. Et ſane* c

c Ibid. ad 3. *concedendum*, inquit, *eſt huiuſmodi facultatem diſpenſandi, vt ſacerdotiorum collatio ſimoniaca firma ſit, ſuapte natura præcipitium eſſe ad Simoniacū barathrum. Eſt tamen hoc Deo fidendum, quod nunquam, vel quam rariſſime in tam abſurdum ſacrilegium ſuum Vicarium collabi permitteret.*] Quæ ergo occaſio erit, vbi & neceſſ. ſit talis poteſtas in Papa ſuper hoc diſpenſandi, & ſi eam haberet, nō ſine grauiſſimo ſacrilegio diſpenſaret?

Sed dices: *Melius agi cum ſimoniace à Papa promotis,* XCII.
ſi validitas vel inualiditas ſimoniaca promotionis à ſolo pendeat iure poſitiuo: ſic enim tuto retinent quod male acceperunt, & inde ſubditi innocentes poſſunt anxietate liberari, legitimumque Prælatum ſibi præfectum habere. Nam Papa cum ipſemet ſimoniace ordinet, ſtatim intelligitur etiam cum promoto f diſpenſare, vt valide teneat quod Simo- f Sot. ibid.
niaca accepit ordinatione. Et quamuis graue in hac diſpenſatione tacita & interpretatiua committat ſacrilegium, quid tum? ipſe viderit.] Profecto ſi timor Dei non retrahit ipſum à prauitate ſimoniæ, neq; retrahet illum à ſacrilega diſpenſatione & qui ſemel in lutum ſe voluntarie præcipitat, facile etiam poteſt in eodē luto volutari, atq; paulo altius in eo ſe infigere. Ac propterea ego reſpondeo, Non iure poſitiuo, ſed vere iure diuino ſimoniacam ordinationem nihil cōferre, vt probaui. Et ſic excuſatio hæc à Papali diſpēſatione penitus abijciatur. Heu in quas difficultates eccleſiam Chriſti conijcit fœdiſſima Romana auaritia? & ſilemus omnes, & patimur, & non eſt qui requirat. Tu Chriſte optime, ſuper eccleſiā tuā reſpice, & ne des hæreditatē tuā in perditionē.

Ad ſeptimam igitur reſponſum eſt in præcedenti XCIII.
reſponſione ad ſextum: nimirum confuſionē maximam annatis iſtis ſimoniacis in eccleſiā irrepſiſſe: quæ vt auferatur, à ſolo Chriſto remedium eſt expetendum & expectandum, qui Principum Chriſtianorum corda emolliat, & inflectat, ad remedia in eccleſia non inſolita, & paulo poſt à me recenſenda, ſerio adhibenda.

Excuſationē nullam pene inuenire potuimus, XCIV.
quæ Romæ annatarum ſolutione prouiſos tueri poſſet; ſaltē vt legitime Chriſti & eccleſiæ miniſtri tuto poſſint dici: quamuis multi vi potius ferme adacti quam ſpōte, illas faciant ſolutiones. Quid ergo de Dn. Papa, qui modo illo iam ſatis damnato, velimus, nolimus, omnino pecuniam vult exigere? Vtinam bona fides, aut facti vel inuincibilis ignorantia, illum poſſet à Simoniaca labe tueri. Cum tamen plena Concilia, & ſane catholica, ac generalia Conſtantienſe & Baſil. vt inf. oſtendam, annatarum hoc modo illicito factas exactiones damnarint, & docti paſſim reclamant, non video bonā fidem, ignorantiam excuſantem non inuenio; quin potius malam fidē obſeruant omnes bene ſentientes. Hoc enim ſolo nomine, quia ad reformationē eccleſiæ in membris & in capite tentarunt illa Cōcilia, Romæ ſunt exploſa, & pro cōuenticulis declarata: in quibus tamen fuerunt Patres noſtræ religionis inſignes, catholici omnes, & zelo puritatis eccleſiæ ardentiſſimi.

Excuſari tamen Papam cenſet Cardinalis Aliacenſis, ex quadam diſtinctione, quam vidi in Ger- XCV.
ſonio, totidē verbis, ad fin. vlt. loco citati tractatus g Alliacus ubi ſup.
de Simonia, cōſcriptā. Ea vero eſt huiuſmodi. g No-par. 2.4.

tanda

ianda eſt, inquit Aliacenſis. *Doctoralis diſtinctio quadrifaria de intuitu vel reſpectu commodi temporalis, pro ſpirituali. Primo*, poteſt intuitus ferri ad temporale commodum, quaſi ad precium temporale, quaſi ſit adæquatio valoris vnius rei ad alteram; ſicut eſt in emptione, & venditione cuiuslibet rei. *Secundo*, poteſt ferri intuitus ad commodum temporale, quaſi ad motiuum principale dand. ſpiritualia, vel ad finem vltimum, in quo ſiſtit intuitus ſpiritualia conferentis. *Tertio*, poteſt ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad motiuum minus principale, vel ad finem ſubordinatum ſub vltimo fine. *Quarto*, poteſt ferri intuitus commodi temporalis tanquam ad rem debitam iure diuino, pro ſuſtentatione illius, qui ſpiritualia ſubminiſtrat; iuxta illud, *Dignus eſt operarius, &c.*] Hac diſtinctione poſita, dicit, primum & ſecundum intuitum eſſe vere iure diuino & humano ſimoniacos: & ſi adſit error intellectus id licere, tunc eſſe proprie hæreſim: & tales ſimoniacos habendos eſſe pro hæreticis, ſi ſint pertinaces. Quod ſi feratur intuitus tertio modo & quarto, *ille*, inquit, *poteſt eſſe licitus & laudabilis, imo & meritorius ac debitus.* Vult tamen in his etlaui obſeruandum Apoſtoli dictum. *a Ab omni ſpecie mali abſtinete*; vt non appareat adeſſe primus, vel ſecundus intuitus. Hoc quamuis ipſe non applicet Papæ, vult tamen nos intelligere Papam excuſari, quia dum dat ſpiritualia officia, intuitu annatarum & pecuniæ, non primo aut ſecundo, ſed tertio tantum & quarto modo illum reſpicere ad temporalia.

a 1. Theſſ. 5. 22.

XCVI. Nihil tamen hinc obtinet. Sane Gerſonius qui hanc ponit diſtinctionem, non eo ponit vt Papam excuſet, quem iam ſatis accuſauit, ipſiuſque auratas, vt tunc exigebantur, ratione modi illiciti, ſimoniæ condemnauit; ſed, vt eſt in titulo, ad hoc eam poſuit, vt aliquo modo inſeruiret ad rationabilem, contra ſimoniam & ſimoniacos, reformationem. Quia nimirum ſæpe contingit eccleſiaſticos, occaſione ſpiritualium, puta adminiſtrationis ſacramentorum, verbi Dei, miſſarum, exequiarum, &c. inde non parum lucri conſequi, format eorum conſcientias, vt caueant à duplici illo priori intuitu à duplici vero poſteriori nil timeant. Quæ cautio, vbi eſt aperta ex genere ſuo ſimonia, nihil valet: non enim intentio bona poteſt malum ex ſuo genere corrigere. Sic furtum intentione faciendæ eleemoſynæ commiſſum, vere eſt furtum, & illicitum, & peccatum, vt paſſim docent *b* Theologi. Atque hoc pacto nunquam daretur vera in rerum natura ſimonia: ſemper enim ſimoniacus poteſt dirigere intentionem, ſaltem tertio illo modo, vt velim lucrum in vendendo ſacro ordine, intentione quadam ſecundaria, & ſubordinata ad vltimum bonum finem, qui ſit meæ ſuſtentationis, vel eleemoſynarum, &c. imo ex hoc peccata multa humana poſſent excuſari, & à reatu peccati abſolui: puta ſi quis fornicaretur, ea ſola intentione, vt propriæ valetudini ſuccurreret, vel vt adulterium vitaret, aliudue peccatum carnis grauius, & ſic de alijs. liberet ſe itaque Papa prius ab illa neceſſaria coniunctione, quam facit rei ſpiritualis cum lucro temporali, vt non ſit actus ex ſuo genere malus & ſimoniacus, ſed indifferens: neque dicat do ſpirituale vt des temporale; &, ſi non dabis, non do: & tunc tertio illo, vel quarto, vel vtroque intuitu ſe tueatur accipiendo annatas, aliaue temporalia, non pro ſacro officio, ſed pro ſua ſuſtentatione ſibi debita, ſi tamen debita eſt. Ita ſi quis verbum Dei concionando ad ſpiritualem fidelium profectum, ſtipendium intueatur, non tanquam finem principalem, ſed ſecundarium, & tanquam merum motiuum, non erit ſimoniacus, licet etiam, ſi ſtipendium nō ſperaret, non eſſet alioquin concionaturus: cōcionatur tamē pro fine principali vt Chriſto lucretur animas, ſed ad hoc mouetur ſpe lucri etiā temporalis: ſi vero paciſcatur cum auditoribus, vel alio, & dicat; concionabor ſi des tantum, ſi non des nolo concionari, iam erit ſimonia, vt bene tradit *c* Sotus, quia hic modus paciſcendi, ex ſua natura, includit primum vel ſecundum intuitum. Si enim lucrum inſpicis ſecundario non primario, & lucrum ſeruit tibi pro motiuo non pro ſacræ rei precio, quod motiuum ſi abſit non ſis concionaturus, quære an ſis pro tuis laboribus quid recepturus. Si quis affirmet, & promittat, aut etiam te nil quærente offerat, potes concionari: ſin minus, liber es, abſtinere potes, niſi ex officio tenearis; paciſci tamen tibi non licet, do vt des; & ſi non des, non do; Quia in hoc eſt verus contractus venditionis; qui contractus, ex ſua natura, includit primum intuitum; nec occulta intentio poteſt contractum hunc externe factum eſſentialiter variare, aut deſtruere. Non eris vt dixi ſimoniacus, ſi intuitu ſecundario & ex motiuo mercedis concioneris: Mammonæ tamen non Deo ſeruies, vt monet optime Auguſtinus ſupra c. 4. n. 7. & conſequenter à Deo mercedem vix expectes.

b Aquin. p. 2. q. 20. ar. 2.

c Sot. de Iuſt. & Iu. l. 9. q. 6. ar. 2. ad 2.

Ad octauam.: Charitatiuum ſubſidium dum petitur, iubetur, exigitur, extorquetur, vt lubet, cum nulla re ſpirituali vllam habet cōiunctionem, neque adiunctum habet pactum, *Do vt des: Do tibi ſpirituale, vt tu des mihi ſubſidium charitatiuum temporalium.* Inepte igitur in Baſileenſe Concilio contradictio obſeruabatur. Neque Creſpetius ſatis viſu pollebat. Annatarum itaque exactio, vt nunc fit Romæ, tota ſimoniaca eſt & abominanda. XCVII.

Quid mirum igitur, ſi per ſingula ferme tempora, quibus hoc exactionis genus; his modis, inſurrexerit, acerrimos habuerit contradictores, reprehenſores & oppugnatores? Innocentius tertius, vt ſupr. vidimus n. 60. venalitates à Curia abſtulit, & menſas congregandorum theſaurorum ſubuertit. Hoſtienſis, qui vixit circa annum Domini 1260. teſtis eſt, vt ſupra num. 64. propter annatas, fuiſſe in eccleſia ſatis reclamatum. Zabarella ſimiliter dicebat, vt vidimus eodem num. 64. in Concilio Viennenſi, quod fuit celebratum ſub Clemente quinto, circa annum 1310. annatas fuiſſe ſublatas; & loco ipſarum mediam decimam, hoc eſt vigeſimam fructuum partem, ſuper beneficia fuiſſe indictam, ad exigendum: proculdubio pro ſacro bello quod tunc vrgebat. De Bonifacio nono qui annatas, vt vidimus, ſtabiliuit, ſumma Conciliorum hæc habet: *d Hic annorum circiter triginta erat, cum Pontificatum inij; ita tamen vixit in tanta peccandi licentia, vt nihil ei obijci poſſet, niſi quod fortaſſis annatarum vſum ſacerdotiis impoſuit.*] Qui ita loquitur, ſignificat annatas turpes eſſe, & inuentorem maculare. Petrus Bleſenſis expeditiones Romanas ſimonias vocat ſupra numer. 35. Et ſane ſimonia non occultas ſed publicas factas & forenſes. Concilium Conſtantienſe quantum laborarit vt Curia Romana tanquam ſimoniaca reformaretur, omnibus eſt notiſſimum. Sane Martinus V. in eodem Concilio, poſtquam declarauit ſimoniace quoſcunque promotos ab exercitio ſacro eſſe arcendos, *omnibus Prelatis, etiam ſibi, e aufert poteſtatem imponendi onera ſuper eccleſias*; vt ſupra vidimus nu. 69 Et in eodem Concilio iam decretum fuerat hoc modo. *f Cum* XCVIII.

d Apud Genebrar. in Chronol. in Boniſ. 9.

e Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 43.

f In fine actorum Concil. Conſtanti.

paterna pietas filiis hominum prouidere debeat, licet in caſu neceſſitatis vrgentis valeat viciſſitudo laudabilis, declarat ſancta Synodus, non licere Romano Pontifici indictiones, ſiue exactiones quaſcunque ſuper eccleſiam vel eccleſiaſticas perſonas imponere, per modum decimæ, vel alio quouis modo. Si vero cum neceſſitas acciderit Papæ, quæ eſſet eidem debite ſubueniendum, vocato generali Concilio, ſecundum quod expediens videbitur, & vtili, ſecundum decretum Concilii, prouideatur eidem.

XCIX. Clarius tamen & expreſſius Concilium Baſil. proxime ſubiectum, acuta falce ſerio amputare conatum eſt abuſus hoſce Curiæ Rom. ſimoniacaſque
a Conc. Baſ. ſeſſ. 12. 31. exactiones. Inprimis enim a reſeruationes omnes, vt vidimus, auferendas Curiæ Roma. eſſe cenſuit, quibus ablatis etiam annatarum & bullarum lucra omnia, & negociationes, ac nundinæ concidant neceſſe eſt. Sola enim confirmatio electionum Epiſcopalium Papæ, vt ſuæ Prouinciæ Primati ſpeciali, de iure relinquerentur; Quæ confirmationes ne & ipſæ lucro ſint ſimoniaco confirmatori, monent Patres illius Concilii ſummum Pontificem,
b Ibid. his dictis. b *Summum Pontificem hæc ſancta Synodus exhortatur, vt cum ſpeculum & norma omnis ſanctitatis & munditia eſſe debeat, pro confirmatione earum electionum, quas ad eum deferri contigerit, nihil penitus exigat, aut recipiat: alioquin ſi ſecus faciendo notorie & incorrigibiliter ex hoc eccleſiam ſcandalizet, futuro Concilio deferatur.*] Decreto poſtea ſolemni & generali voluit idem Cōcilium ſalubre remedium adhibere, quod ſic habet.

C. c *In nomine Spiritus ſancti Paracleti, ſtatuit hæc ſan-*
c Ib. ſeſſ. 21. *cta Synodus, quod tam in Curia Romana, quam alibi, pro, ſeu in confirmatione electionum, admiſſionum, poſtulationum, præſentationum, prouiſione, collatione, diſpoſitione, electione, poſtulatione, præſentatione, etiam à laicis facienda, inſtitutione, inſtallatione, & inueſtitura, de eccleſiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, monaſteriis, dignitatibus, beneficiis, officiiſque eccleſiaſticis quibuſcunque, nec non ordinibus ſacris, & benedictione ac pallio, de cætero nihil penitus ante vel poſt exigatur, ratione literarum, bullæ, ſigilli, annatarum communium, & minutorum ſeruitiorum, primorum fructuum, deportuum, aut ſub quocunque alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cuiuſuis conſuetudinis, priuilegii vel ſtatuti, aut alia quauis cauſa vel occaſione, directe vel indirecte: ſolum ſcriptoribus, abbreuiatoribuſque, & regiſtratoribus literarum, ſeu minutarum, pro ipſorum labore competente ſalario ſoluendo. Huic autem ſacro Canoni ſi quis exigendo, dando, vel promittendo contraire præſumpſerit, pœnam incurrat aduerſus ſimoniacos inflictam. & in ipſis dignitatibus, ac beneficiis taliter obtentis nullum ius, ac titulum acquirat. Obligationes quoque, promiſſiones, & cenſuræ, ac mandata, & quicquid in præiudicium decreti huius ſaluberrimi fieri contingit, nullas obtinere vires, atque irrita cenſeantur: Et ſi (quod abſit) Romanus Pontifex, qui præ cæteris vniuerſalium Conciliorum exequi & cuſtodire canones debet, aduerſus hanc ſanctionem aliquid faciendo eccleſiam ſcandalizet, generali Cōcilio deferatur. Cæteri vero pro modo culpæ, iuxta canonicas ſanctiones, per ſuos ſuperiores digna vltione puniantur:*

CI. Huius decreti æquitatem, imo & neceſſitatem eadem ſanctiſſima ſynodus optime per ſuos miſſos Eugenio Papæ declarauit, hoc pacto. d *In ſi-*
d In appen. Conc. Baſ. col. vt ſup. *gnum participationum tot & tantorum bonorum operum, tranſmittit ſanctitati veſtræ decretum de Annatis, vacantiis, & communibus ſeruitiis tollendis, prout in ipſo decreto ſtatim præſentando clarius continetur. Et dicta ſacra Synodus hortatur & requirit S. Veſtram, quatenus velit ipſum Decretum in ſua Curia ſeruare, & alibi obſeruari facere & cuſtodire: quoniam ipſum eſt conforme legi diuinæ, & Canonibus ſanctorum Patrum, & dignetur ipſum benigne ſuſcipere, tanquam opus quod principaliter reformandum erat. Quanuis autem P. B. iſtæ annatæ introductæ fuerint ex cauſa paſſagii terræ ſanctæ, nunc autem ceſſante cauſa ceſſare poterit & effectus, etiam dictæ annatæ hactenus ſublatæ non ſunt conuerſæ in eum vſum & finem, propter quem annatæ adinuentæ fuerunt, maxime autem quoniam ſuperioribus temporibus in ſubleuationem dictarum annatarum tantus rigor, tantæque exorbitantiæ, & tot inſuper deſtructiones, & orbationes inſignium eccleſiarum prouenerunt, adeo etiam quod in multis eccleſiis cultus diuinus nedum diminutus, ſed etiam in totum in collapſum reductus exiſtit: multi enim notabiles Prælati, ob non ſolutionem annatarum innodati Cenſuris eccleſiaſticis multis annis à diuinis abſtinentes, & tandem plurimi in ipſis ſic mortui, in terra profana inhumati ſunt. Alii vero coacti ſunt vendere libros, calices, capſas reliquiarum, & ornamenta eccleſiarum. Alia autem innumerabilia mala, quæ exinde ſubſecuta ſunt in longum enarrare de præſenti ſuperſedemus. Quibus ſingulis attentis peramplius non expediebat S. Concilio conniuentibus oculis pertranſire. Vnde Pater B. ſi Alexander ſanctæ R. E. & Apoſtolicæ ſedis Epiſcopus ſcribens Lucenſi eccleſiæ conſtituerit & decreuerit, quod nullus cuiuſcunque gradus Clericus pro eccleſiaſtico beneficio audeat aliquid conferre, etiam ſi fabricæ eccleſiæ, vel in denariis, ſeu etiam in vſus pauperum donatum tribuendum foret; multo magis decuit ſacrum Concilium, quod eſt ſpeculum & norma cuiuslibet vitæ, atque communis actionis, decernere, & ordinare, quatenus peramplius in collatione beneficiorum, confirmationum, electionum, admiſſionum poſtulationum, tam in Curia Roman. quam alibi, nil penitus, ante vel poſt, exigatur, directe vel indirecte, prætextu etiam cuiuſcunque conſuetudinis, priuilegii, vel ſtatuti, aut alia quacunque recepta occaſione, ſacrum namque Concilium nil noui feciſſe videtur, ſed antiquiſſima iura ſanctorum Romanorum Pontificum innouauit*]Hæc ibi.

Neque potuit, neque ſciuit Eugenius, aut quiſquam alius ex ipſius fautoribus quicquam aliud adducere ad ſuarum annatarum defenſionem, niſi ſuas, & ſuæ Eccleſiæ neceſſitates. e *Si qui, inquit,* CII.
in his prætendebatur abuſus, his prouidendum erat ſine priuatione ſubſtantiæ; aut ſaltem prouiſio debita ſimul facienda erat; vt ſic iuſtitia, & pax oſcularentur ſibi.] Cedit itaque potius, & confitetur abuſus, quam defendit. Quanquā Concilium iam ſuam manifeſtaſſet ſolicitudinem, quam gerebat circa hanc quam neceſſariā iudicauit prouiſionem; de qua inferius erit nobis ſermo. Sed Eugenius reformationē detrectans, ſibique leges ab eccleſia imponi non patiens, Concilii huius euerſionem totis viribus, ipſius tranſlatione, procurauit. Vnde querulæ illæ optimorum patrū voces eruperunt. f *Neminem latet, inquiunt, quanto conatu iam tribus Conciliis generalibus Conſtantienſi, Senenſi, & hoc præſenti Baſileenſi elaboratum ſit pro pacifico & ordinato regimine eccleſiæ, ſub lege Domini, & Canonicis regulis diſponendo, vt non per varios abuſus aſſidue increſcentes ipſe ſtatus eccleſiaſticus decolorari, & in deteriora ruere ſineretur, in offenſam diuinæ Maieſtatis & periclitationem, confuſionem atque turbationem maximam vniuerſæ Chriſtianæ religionis Neque inficiari poſſumus id eſſe beneplacitum diuinæ voluntatis, vt hæc reſtauratio decoris domus Dei, & reformatio ſalutaris ageretur, pro qua efficienda iam hæc tria generalia Concilia in Spiritu ſancto legitime congregata fuerunt, prout ipſi ſummi Pontifices, & vniuerſæ eccleſiæ miniſtri, atque etiam Reges, & Principes Chriſtiani profeſſi ſunt; & omnis plebs Catholica cognouit. Et vt dolorum præſentium originem aperto ſermone dicamus, pro hac vna cauſa reformationis eccleſiæ in capite & in membris, quam cum aliis operibus, extirpationem hæreſum, & pacificationem Chriſtianorum Principum concernentibus, hæc ſancta Synodus multa ſollicita-*

e Ib. reſponſ. Ambroſ. Andr.

f Ibid. ep. ſinod. in- dict. ſynod.

ſitudine & vehementi inſtantia proſequi cœpit, tot & tãta perturbationum genera, quæ conſpicitis, aduerſus eã excitata ſunt. Cum n. Decreta ſalubria ſuper celebrandis electionibus Prælatorum, tollendiſq; exactionibus, quæ ſub prætextu annatarũ, in collatione dignitatũ & beneficiorũ, ac Eccleſiarũ prouiſione interuenire ſolebant, atq; inſup de Prælatis non trãſferẽdis inuitis, de terris Eccleſiæ Romanæ nõ alienãdis, & alia quædã edidiſſet, ſperans Dominũ Eugeniũ Papam IV. non ſolũ ea amplecti, & maxime exequi, verũ etiã cæteros verbo & exẽplo ad obſeruantiã ſacrorum Canonum inducere, præſertim viſa adhæſione quã huic ſacro Concilio præſtiterat, vbi, &c.-- Vidit a. deinceps hæc ſãcta ſynodus, quod quaſi paſſim, electionib. obſiſtebat, reſeruationib. cõtrariis vtendo, exactioneſq; pecuniariũ in collationib. beneficiorũ, & dignitatũ magis in dies creſcebant, in illaqueationẽ animarũ, depauperationẽ Regnorũ, & Prouinciarũ, violationẽ voluntariã ſacrorum Canonũ & paruipenſionẽ auctoritatis Concilij generalis, à quo Canones ipſi editi erant, vnde futurorũ generalium Conciliorũ paruipenſio, & grauis contẽptus imminere videbatur. Nec ſic tamen ceſſauit ſancta ſynodus à proſecutione inchoati ſanctiſſimi operis reformationis Eccleſiæ, vt volũtati Domini Dei ſuo pro virib. obſequeretur. Promulgati ſunt Canones de numero & qualitate Cardinaliũ, de reſtringẽdis ſuperuacuis reſeruationib. beneficiorũ: Nec nõ & alia plura ſalutẽ & tranquillitatẽ totius Eccleſiæ concernẽtia, multoq; ampliora & in breuiori tẽpore pro publ. ſalute edita fuiſſẽt, ſi nõ grauiſſima impedimenta obſtitiſſent, quæ huic ſãctæ ſynodo quaſi aſſidue procurata fuerũt.-- Admonitus eſt ipſe Dominus Eugenius.-- Ipſe a. (quod dolenter referimus) nimiũ dure in aduerſũ obſtit t. ſoluebatq; inſup quos ligabat ſancta ſynodus, & ligabat ipſe quos hæc ſoluebat. Quibus ex reb. plurima ſcãdala, diuiſiones & ſchiſmata tũ in Eccleſiis particularib. tũ in generali facto vniuerſalis Eccleſiæ exorta ſunt. Viſuſq; eſt in hoc vnũ vehementer aſpirare, vt hoc Conciliũ ſic reformationis intentũ abrũperet & aliud in eã parte Italiæ, quæ ſibi magis placeret eligere poſſet, vbi oĩa magis ad ſuũ libitum tractarentur.] Quis ergo amplius ſperet Eccleſiæ tãtopere neceſſariã in mẽbris & in capite, ac pſertim deformatiſſimæ Romanæ curiæ reformationẽ, vbi in hoc Domini Papę, & Cardinaliũ expectetur opera, & aſſenſus, ſi illi tot ſemp poſuerint, & ſemp ſint poſituri impedimẽta? A Cõcilio Conſtantiẽſi & Baſileẽſi grauius icti, Concilia iã generalia, niſi ſint ex maxima parte Romanorũ aſſeclarũ, vt fuit Tridẽtinum, congregari nunquam patientur: ea enim ſola Hydræ capita poſſunt facile reſecare.

CIII. Romana itaq; Eccleſia, ne reformationi ſubderetur, Conciliũ Conſtantienſe & Baſileenſe turbauit, impediuit, abiecit, cõculcauit. At vero Eccleſia Gallicana Baſileẽſis Cõcilij ſalutifera Decreta auidiſſimis vlnis eſt amplexa: ex ſolis n. ferme decretis Baſileẽſib. ſuã cõpoſuit, Rege Carolo ſeptimo, & Regni ordinib. omnib. in Bituricẽſi generali cõuentu concurrentib. Pragmaticã ſanctionẽ. Cuiꝰ ſanctionis beneficio, vellẽt nollẽt Romani Põtifices, p plures annos trãquilliſſima pace, ac reb. Eccleſiaſticis florẽtiſſimis, potita eſt. De ea n. hæc pclare ſcribit Duaren. a Nihil, inqt, ea cõſtitutione popularius in Gallia, nihil maiore bonorũ oĩum plauſu vnquã exceptũ fuit. Ante eius promulgationẽ, infinita emanabant ex aula Põtificis Romani diplomata, quæ ordinem Eccleſiaſticũ, & Hierarchiã perturbabant omnino, atq; peruertebant. Antiſtitib. ordinandorũ Eccleſiæ miniſtrorũ adimebatur, & è manib. extorquebatur facultas. Indigniſſimi quiq; paſſim ad munera Eccleſiaſtica (viris ſanctitate & doctrinã cõmendabilib. præteritis) promouebantur. Et, quod lõge turpiſſimũ, ac bonis morib. maxime contrariũ eſt, nõ eorũ modo qui è viuis exceſſerãt, ſed ſ. pſtitũ etiã, ſpirantiũq; hominũ ſacerdotia, beneficiaq; in diẽ mortis eorũ, cuius captandæ dabatur occaſio cõferri ſolebant. Præterea lites & controuerſiæ de reb. ſacris & ſpiritualibus Romæ

a Duar. de ſac. Eccl. min. & benef. l. 5. c. 2.

diſceptabantur, contra veteres canones, & alia quædã huiuſmodi quotidie deſignabantur, quæ ſigillatim hic recenſeri nõ eſt neceſſe. Ex quib. omnib. malorũ atq; incommodorũ Ilias exoriebatur. Nã præter neglectam religionem, cultumq; diuinum, quo nihil poteſt exitialius dici, exhauriebatur res nummaria pecuniis omnib. ad ſacerdotiorũ nundinas, i. ad Romanam aulam exportatis. Niſi forte quis credat, aut gratis fuiſſe conceſſa, aut paruo conſtitiſſe ea Romæ quæ magna ex parte ad quæſtum excogitata eſſe nemo eſt adeo rerum imperitus vt non intelligat.] Subditq; paulo poſt idẽ Autor: Proinde Rex Chriſtianiſſimus Carolus, cum vniuerſa Galliæ ſuæ Eccleſia facile adductus fuit, vt Eugenij cauillationibus valere iuſſis, tam neceſſaria eo tempore decreta, quaſi cœlitus ad ſe demiſſa complecteretur, & ſanctione ſua confirmaret.

Decreta hæc Baſileenſia in Gallia ſic accepta & corroborata, feliciſſimã illam Eccleſiam tenuerũt; donec, inſtinctu Diaboli, Franciſcus, Leoni x. morem gerens ad concordata deuenit. Quæ, & Bullas, & ãnatas, licet nõ reſeruationes magnarũ Eccleſiarum Pontifici reſtituerunt. b Myſterium tamen iniquitatis tunc actum eſſe affirmat Genebrardus, quo perditam In-quit, Eccleſiam Gallicanam cernimus. Hinc n. eius pernicies, in ea omnis generis hæreſeon, ſimoniarũ, fiduciarũ ſeminarium, ſcientiæ, virtutis, pietatis, exterminatio, Regni proſtit.] Hæc ille. Et ſanè ſapiẽter: non n. pietatis aut religionis opus illud fuit, ſed ſuperſtitionis, & impietatis. Dum Reges terræ prudentia carnis inſtructi, volentes Ãnatis hiſce & bullis, aliiſq; pecuniis Regni Põtificem ſibi ad humana conſilia promouẽda deuinctum tenere, Eccleſias ſuás. Eccleſiaſticamq; rem & diſciplinam ad exitium & ruinam ducunt potius, quam duci permittunt. Imo & Regno ipſi grauiſſima inferunt detrimenta. CIV.

b Genebr. in Leone 10.

Conſiderent, obſecro, Reges & Principes Chriſtiani, viri ſapientis, ſi non admodum antiqui, at certe antiquorum ſapientia eruditi, admonitionem: c Cum vero inquit, Prouincialibus ſit hæc peſtis perniciosa, nulli perniciosior poteſt eſſe quam Principi. Bona ſiquidem prouincialium Principis ſunt. Ad neceſſitatem & vſum Principis omnia quæ prouincialium ſunt de iure exponuntur. Prouincia tota quaſi arca Principis eſt; quam quiſquis exhaurit, grauiſſimè delinquit in Principem, cuius extenuat facultates. Nam prouinciales quaſi quidam ſuperficiarij ſunt, & quoties vſus exigit poteſtatis, rerum ſuarum non tam Domini ſunt, quam cuſtodes. ſi vero neceſſitatis non incumbit articulus, ſuæ ſint Prouincialium bona ſua, quibus nec ipſe Princeps licenter abutitur. ſi enim expedit Reipub. ne quis re ſua male vtatur, abuti aliena vſquequaq; non licet. At cum per miniſtros iniquitatis, & ſcelerũ, & ſatellites Sathanæ viros Herodianos fuerit exhauſta Prouincia, ſi neceſſitas imminet, quibus vtetur Princeps? Proinde, ſi ſapit, d in chamo & fræno maxillas eorum confringet; ne videlicet, more luporum, quos improba ventris agit ingluuies, vaſtare poſſint, & lacerare Prouinciam: & in iniuriam Principis, quaſi vires totius Reipub. exhaurire.] Et quamuis in cortice literæ de publicanis ibi loquatur hic Auctor; in medulla tamen & ſenſu, vt ſolet, operto, non de Principũ ipſorum miniſtris, qui etſi fiant Hirudines & ſanguiſugæ, ſanguinem tamẽ quem prouincialibus exſugunt, totũ ordinarie in Principum ærarium euomunt, & velint nolint, tandem euomere vt plurimum coguntur, ſed de alienis & extraneis exactoribus, Prouincias & Regna depauperantibus, imo depopulantibus, & poteſt, & debet intelligi fuiſſe locutus. CV.

c Io. Sareſb. in Polic. l. 6. c. 1.

d Pſ. 31. 9.

Nicolaus quintus non potuit interdum non ſeq acta, & geſta in Concilio Baſileenſi. e Voluit enim vt omnes prouiſi de Eccleſiis, & beneficiis per ipsũ Conciliũ, ſeu Papam Fælicem ab illo Concilio poſt Eugenij depoſitionẽ electũ, retinerẽt ſuas Eccleſias CVI.

e Extat Bulla in Concil. Baſileenſi poſt ſeſſ. 45.

legitime, & liberi protſus eſſent ab omni obligatione, vel Bullarum, vel Annatarum, emiſſa ad hoc Bulla ſpeciali. vt nimium ſe conformaret in hac parte reformationi illius Concilij, tanquam bonæ, & laudabili.

CVII. Franciſcus Duarenus, non modo ſummopere laudauit Francicam illam Pragmaticam, Decreta Baſileenſia ſtabilientem, & exequentē, vt vidimus, ſed ſtylum ſuum in Annatas haſce exacuit vehemēter. a *Sæpe* inquit, *quæſitum eſt an iure poſſit exigi vectigal annuum, quod Annata vocatur. & hæc fere Theologorum eſt opinio, iuriſq; Pontificij conſultorum, Romanum Pontificē, lege ſimoniaci ambitus, vt cæteros Epiſcopos, teneri, ſi pro ſacris miniſterijs pecuniam accipiat. nam præter Canones quos ſupra citauimus, qui pecuniam omnino exigi vetant, hoc genus vectigalis à ſynodo Baſileenſi damnatum eſt, & pœna ambitus aduerſus eos, qui hac via ad ſacra miniſteria Eccleſiæ graſſantur, atq; adeo aduerſus ipſum Pontificem ſtatuta. nec ſatis perſpicio vt ſe excuſare poſſint hoc modo promoti à Pontifice, quominus in Canonum pœnam incurrant, & tanquam vitio creati, vt veteres loquebantur, dignitatem, honoremq; Eccleſiaſticum amittant, ſi quis ad priſcæ inſtitutionis normam potius quam receptæ conſuetudinis hæc exigere velit. nam quoquo ſe vertant Pontifices, quibuſcunq; decretis, conſtitutionibus, pactiſq; hanc exactionem tueantur, diuinū oraculum ſemper eis opponemus. Gratis accepiſtis gratis date. Quod cum ita ſit, conuentio inter Regem noſtrum, Pontificemq; Leonem inita, turpis omnino ac inhoneſta quibuſdā videtur, ideoq; pro non ſcripta haberi ac reiici debere: ita tamen vt cætera capita eiuſdem conuentionis, quæ à ratione honeſtateq; non abhorrent, nihilominus obſeruentur.*] Obſerua itaq; opinionem fuiſſe ordinariam Theologorū ipſius temporis, & Iuriſconſultorum, in hac Annatarum ſolutione, vt modo fit (tunc enim eadem erat) ſimoniacam adeſſe prauitatem. Hæc autem ſcribebat Duarenus anno Domini 1550.

a Duare. de Eccl. min. & benef. l. 6. c. 3.

CVIII. Baronius quoq;, quanquam apertum errorem, ſimoniamq; manifeſtam in his importunis exactionibus curiæ Romanæ nolit confiteri, eas tamen approbare non eſt auſus, neq; defendere, ſed miti malagmate appoſito, curam curiæ expetiuit, & illas amoueri exoptauit. ſic enim ſcribit. b *Optaret quiſq; bonus his caruiſſe ſemper Romanam Eccleſiam, quæ quantumlibet honeſtis titulis decorentur. tamen quia ſecundū Apoſtolum* c omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant, *atq; illud,* d ſi eſca ſcandalizat fratrē meum, non manducabo carnes in æternum, *e expediret in omnibus, quantum poſſibile eſſet, conſulere ſcandalo puſillorum, atq; libera fronte dicere Epiſcopum illud Apoſtoli,* e Bonum eſt mihi magis mori; quam vt gloriam meam quis euacuet. *quæ ſæpe, miniſtrorum auiditate, penes occaſionem quærētes, periclitatur: fitq; vt domus illa, quæ eſt repleta boni odoris vnguēto, ex diuerſorum ſancti Spiritus chariſmatum donis, ob huiuſmodi muſcas morientes, quæ perdunt odorem vnguēti, male malis oleat, in ipſorum perditionem.*] Ad perditionē potius eorum, qui fœtores male olentes culpa ſua excitant, quiq;, cum f bonus odor Chriſti eſſe deberent Deo, ijs qui ſalui fiunt, & ijs qui pereunt, malus odor fiunt bonis ad probationem eorum, & patiētiam, ſibi verò, & malis, quos ſuæ adhibēt ſocios auaritiæ, ad perditionem, Et tamen adhuc in dies magis g cōputreſcunt vt iumenta in ſtercore ſuo: Nunquam enim antea tantopere ſorduit illa curia vt nūc ſordet. Iam enim, auaritię præſertim ſordes, & conſequenter ſimoniæ, ac turpis lucri ad ſummum faſtigium excreuerunt. Quo igitur magis & Patres, & Concilia, & Doctores, pijq; viri contra tot abuſus inſurgunt, eos aperiunt, manifeſtant, reprehendūt, prohibent, inſectantur, eo ad maiorē illi aſcendunt abominationem. Quid mirum? verbum Dei eſt; h Auaro nil eſſe ſceleſtius. Omnia iam vere & propriè Romæ ſunt venalia. i *At nec domi illorum,* inquit Sareſberienſis, *iuſtitiam credas, aut veritatem, aut pietatem, apud quos vides omnia eſſe venalia. Chriſtus ipſe excluſus eſt, & ſi pulſat ad oſtium, non aperitur ei: fugiunt, & fugant gratiam, qui omnia ad pretiū, & gratis faciunt nihil. ſi preces porrigendæ ſunt, ſi cauſa examinanda, ſi executionem mandanda ſententia, ſi conficienda cautio, omnia nummus agit, veritas cæca eſt, pietas manca.*] Quid ſupereſt? niſi vt dicamus, Angelos ſanctos, diuinamq; cuſtodiam vrbem illam, veram Babylonem, deſeruiſſe, & ab illa receſſiſſe, clamantes & dicentes; k *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus illam.*]

b Bar. tom. 12. an. 1104.
c 1. Cor. 10. 23.
d Ibid. 8. 13.
e Ibid. 9. 15.
f 2. Cor. 2. 15.
g Ioel. 1. 17.
h Eccl. 10. 9.
i Sareſb. Polic. l. 5. c. 10.
k Hier. 51. 9.

CIX. Derelinquamus profectò & nos Babylonem: appropinquat enim tempus eius, vt de ea dicatur; l *Cecidit cecidit Babylon magna.*] ſed tamen nos ipſos non derelinquamus: Eccleſias noſtras, ſi poſſimus, à tāta oppreſſione quomodo liberari debeant oſtendamus; de remedio cogitemus, ſi forte & Babylon, vel inuita, curam admittat. Nemo melior in hac lepra curanda medicus, quā ipſemet ſummus Pont. ſi vellet: ſed quia ſtatim audiet illud, medice cura te ipſum, à proprij morbi cura abſtinebit; cū p̄ſertim morbus ille gratus ei ſit, & ad humanā fœlicitatem, quā ſibi iam præſcribunt illi, proficuus. Ideoq; alius eſt medicus quærendus, qui vel inuitū phreneticū à morbo curet: aut ſi curari ille neqt, alij ab incōmodis quæ iniuſte ab aliena phreneſi patiuntur, liberentur. Veſtrum eſt opus hoc Principes Chriſti amantiſſimi, veſtrum eſt remedium adhibere. Non creditis? exempla prædeceſſorum veſtrorum piorum Principū inſpicite, eos imitemini.

l Apoc. 18. 2.

CX. Leo Imperator huius nominis primus de Eccleſia Chriſti optime meritus, lege ſua ſacerdotalē hāc lepram curare & abſtergere nō deſtitit. m *Nemo gradum ſacerdotij,* inquit, *precij venalitate mercetur: Quantū quiſquis mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur. — Quem murum integritatis aut vallum fidei prouidebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpat: Quid denique cautum eſſe poterit & ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur, &c.*] Totam hanc legem poſui in hoc opere l. 6. c. 6. n. 25.

m C. de Epiſcopis & Cleric. l. 31.

CXI. Iuſtinianus, non minori zelo, lege ſua, Eccleſiam ab his ſordibus perpurgare eſt aggreſſus, ſic edicēs. n *Præterea ſancimus (quemadmodum diuinis Canonibus definitum eſt) ne quis Epiſcopus, aut Chorepiſcopus, aut Viſitator, ſiue circuitor, aut presbyter, aut alius cuiuſcunq; dignitatis Clericus per largitionem ordinetur, &c. — Si vero quis inuentus fuerit, occaſione prædictarum ordinationum & adminiſtrationum aliquid dediſſe, vel accepiſſe, ſiue Epiſcopus ſit, ſiue Clericus, & eum qui præbuit, & eū qui accepit extra ſacerdotium & Clerum fieri iubemus, vt poſt hæc Domini Dei ſubiaceant condemnationi.*]

n C. eo. l. 42. § 9.

CXII. Iſaacius Comnenus auaritiam hanc & ipſe lege ſua compeſcuit, atq; ita reſtrinxit, & eſt moderatus, vt aliqua iuſta ex cauſa parum neſcio quid Epiſcopi ex ordinationibus acciperent. Ait enim. o *Statuit Nro Imperatoria mea Maieſtas, vt etiam in ordinationibus ſacerdotum & Canonicorum ſua forma auctoritatē obtineat, & vt nihil in ordinatione Epiſcopus qui ordinat amplius accipiat, quam præſtantioris monetæ Imperatoriæ meæ maieſtatis, ſeptem aureos nūmos duntaxat; vnum videlicet, quando facit ſimplicē Papam ſiue lectorem: tres, quando ordinat Diaconū, alteros tres, quando ſacerdotem ſiue presbyterum perficit. ſic ſimiliter pro Canonico. à vico triginta inſumibula habēte ſimilem aureum vnum, argenteos duos arietem vnū, ordei modios ſex, vini menſuras ſex, farinæ modios ſex, gallinas triginta. A vico vero qui viginti inſumibula habet, auri biſſem, pro duobus argenteis argenteum agnum dimidiatum, ordei modios quatuor. Vini menſuras quatuor, & gallinas viginti. A vico denique, qui decem inſumibula habet, argenteos quinque, agnellum vnum, ordei modios duos, vini menſuras duas, fa-*

o Conſtit. Imp. in Iure

rina

rina modios duos, & gallinas decem, quemadmodum in veterum actuariorum ſigillis perſcripta ſunt, atq; prouincialiũ conueniens ordinatio Imperatoriæ meæ Maieſtati placuit.] Has puto fuiſſe tum Notariorum mercedes, tum ordinarias quaſi procurationes, ſeu regalia, in ſignũ dũtaxat ſubiectionis, & quaſi vectigal ſuperioritatis.

CXIII. Ludouicus ſanctus, Francorum Rex, in ſua Pragmatica ſanctione Anno Domini 1228. inter alia ſic decernit: a *Item exactiones, & onera grauiſſima pecuniarum, per curiam Romanam Eccleſiæ Regni noſtri impoſitas, vel impoſita, quibus Regnum noſtrum miſerabiliter depauperatum exiſtit, ſiue etiam imponendas, aut imponenda, leuari & colligi nullatenus volumus, niſi duntaxat pro rationabili pia, & vrgentiſſima cauſa, vel ineuitabili neceſſitate, ac de ſpontaneo & expreſſo conſenſu noſtro, & ipſius Eccleſiæ Regni noſtri.*]

a In fine Pragmatica Carol. VII.

CXIV. Henricus II. Imperator religioſiſſimus b dignoſcens, vt ſcribit Glaber, per vniuerſam Galliam atq; Germaniã Simoniacæ Philargyriæ graſſari cupiditatem coadunari fecit ex omni Imperio ſuo tam Archipræſules, quam cæteros Pontifices & tale eis intulit colloquium. *Lugens vobis incipio loqui, qui vice Chriſti in Eccleſiis conſtituti eſtis, quam ipſe ſibi deſponſauit, ac precio ſui ſanguinis redemit. Sicut enim ipſe gratuita bonitate de ſinu Dei Patris per virginem ad nos natus eſt redimendos, ita ſuis præcepit, mittens eos in orbem vniuerſum, Apoſtolis,* c *gratis accepiſtis, gratis date. Vos autem auaritia & cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis in huiuſmodi transgreſſionis dando & accipiendo Canonem, maledicti eſtis. Nam & Pater meus, de cuius animæ periculo valde pertimeſco, damnabilem auaritiam in vita nimis exercuit. Idcirco quicunque veſtrorum huiuſce ſe norunt contaminatos, oportet vt à ſacro miniſterio, ſecundum diſpoſitionem Canonicam, arceantur. Patet ergo manifeſtiſſime, quoniam propter hanc offenſam venerunt ſuper filios hominum diuerſæ clades; fames videlicet, atque mortalitas, nec non & gladius. omnes quippe gradus Eccleſiaſtici, à maximo Pontifice vſque ad Oſtiarium opprimuntur, per ſuæ damnationis precium, ac iuxta vocem dominicam, in cunctis graſſatur ſpiritale latrocinium. His denique ab Imperatore acerrime prolatis ſtupefacti Pontifices, quid illi reſponderent non habebant. Pertimeſcebant enim carere ob hanc culpam proprijs Epiſcopatuum ſedibus. Et quoniam non ſolum in Gallicanis Epiſcopis hæc peſſima pullulauerat nequitia, verum etiam multo amplius totã occupauerat Italiam, (omnia quippe miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habebantur venalia, quaſi in foro ſæcularia mercimonia) cernentes quoq; Epiſcopi graui ſe inuectione irretitos, miſericordiæ opem implorabant. At ipſe Princeps miſericordia motus, tale conſolationis protulit verbum. Ite, inquiens, & quod illicite accepiſtis, bene diſponere ſatagite, ac pro anima patris mei, qui hac noxa reus vobiſcum tenetur, attentius intercedere mementote: quatenus ei indulgentiam huius facinoris à Deo poßitis acquirere. Tunc propoſuit edictum omni Imperio ſuo, vt nullus gradus Clericorum, vel miniſterium Eccleſiaſticum precio aliquo conquireretur: ac ſi quis dare aut accipere præſumeret, omni honore deſtitutus anathemate mulctaretur. ſpopondit inſuper promiſſum huiuſmodi, dicens: ſicut enim mihi Dominus coronam Imperij ſola miſeratione ſua gratis dedit, ita & ego, quod ad religionem eius pertinet, gratis impendam. Volo, ſi placet, vt & vos ſimiliter faciatis.*] Miratur d Baronius quomodo Imperator diſpenſet cum Epiſcopis ſimoniacis, vt ſuos retineat Epiſcopatus, & anathema inferat in delinquentes. Indeq; comminiſcitur in Papæ præſentia hæc fortaſſe facta, nec conſiderauit adhuc magis mirum eſſe, ſi Imperator corã Papa Papale faciat officium. Et cur hiſtoricus dixit Archipræſules & Pontifices de toto Imperio ab eo fuiſſe coadunatos; & de Papa ſiluit? Imo ſi Papa adfuit etiam Papam eadem reprehenſione perſtrinxit, dum à maximo Pontifice ad oſtiarium infectos eſſe conqueritur. Nos vero nil miremur, quia diſpenſationem nullam cernimus: monet enim vt bene diſponere ſatagant quod male acceperunt: Hoc eſt, ipſi viderint, quid circa retentionem illis ſit faciẽdum. Neq; ipſe indicit anathema: ſed ſtatuit eos fore anathematizandos: quod eſt præmonere Epiſcopos, autore, & ſolicitatore Imperatore, anathematis pœnam in iure poſitam omnino, ſi deliquerint, eos ſubituros.

b Glab. l. 5. c. 2.

c Matt. 10. 8.

d Baron. to. 11. an. 1047. n. 6. 7. 8.

CXV. Cnutus magnus Rex Angliæ, Daniæ, Noruegiæ, &c. Romam aliquando ex deuotione profectus, quid ibi cum Papa Ioanne II. & Imperatore Conrado egerit ſuis literis ad Prælatos nobiles & plebem ſuã datis, ſignificauit. Inter alia vero quæ perfecit vnum fuit circa has turpes Romanas exactiones; de quo ſic ſcribit ipſe: e *Conqueſtus iterum ſum coram D. Papa, & mihi valde diſplicere dixi, quod mei Archiepiſcopi in tantum angariabantur immenſitate pecuniarum, quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo, ſecundum morem, Apoſtolicã ſedem expeterẽt: decretumq; eſt ne id deinceps fiat.*] Vtinam nũc etiam S. Sanctitas Principum noſtrorũ precibus permota, ab his, peſſimi ſaltem odoris ac maximi in tota Chriſti Eccleſia ſcandali, Annatis, & ſimilibus exactionibus abſtineret. Rogare itaq; ante omnia ipſi Principes ſinguli pro ſuis Eccleſiis deberent, & agere precibus, ſicut fecit Cnutus. ſi preces nil poſſint, agant poteſtate, habent enim exempla piorũ Imperatorum ac Regum, vt vidimus. Habent poteſtatem, vt docui lib. 6. cap. 5. & hoc libro 9. cap. 6. n. 14. Habent Concilij Pariſienſis autoritatem, quod dicebat; f *Neceſſe eſt, vt Imperiali autoritate & poteſtate, cum cõſenſu venerabilium ſacerdotum, à Romana Eccleſia peſtis hæc ſimoniæ amputetur.*

e Malmesb. de geſtis Reg. Angl. l. 2. c. 11.

f Concil. Pariſ. l. 1. c. 11.

CXVI. Ac ſane ſi tantas viderint eſſe Domini Apoſtolici neceſſitates, vt, reformata ſua curia, & ad ſacerdotalem modeſtiam ac ſobrietatem redacti, adhuc egeat, curent omnino ſinguli in ſuis Regnis, coacto Epiſcoporum Concilio, vt aliquid ordinariæ opis annuæ, taxis competentibus, ſuper beneficia, & omnia Eccleſiaſtica bona impoſitis, ad S. Sanctitatẽ quotãnis tranſmittatur: ac interim electiones & ordinationes in Prouinciis, de priſco more Eccleſiæ, & vt iuris communis eſt, libere fiant; iuxta Concilij Baſileenſis reformationes. De hac enim prouiſione ſolicitum fuit etiam dictum ſacrum Baſileẽſe Concilium; cuius ſolicitudinẽ & imitari, & perficere deberent Principes, cũ ſuis Prælatis. In Concilio n. ſic legimus. g *Pro oneribus autem quæ ipſum* (Dominũ Papam) *pro regimine vniuerſalis Eccleſiæ ſubire oportet, proq; ſuſtentatione S. R. E. Cardinalium, & aliorum neceſſariorum officialium, hoc ſacrum Concilium ante ſui diſſolutionem omnino debite & congruenter prouideat. Quod ſi contingat aliquam circa hac prouiſionem non facere, tunc illæ Eccleſiæ & beneficia, quæ vſque nunc ex noui Prælati aſſumptione certam taxam ſoluerunt, deinceps medietatem huiuſmodi capere per annum, poſt adeptam pacificam poſſeßionem, ſoluere in partibus teneantur: duratura huiuſmodi prouiſione, donec prædictis, & ſuſtentationi Cardinalium fuerit aliter prouiſum.*] h Fecit & aliam prouiſionem ad tempus, donec certior inueniretur, idem Concilium ſuo Papæ Felici: nimirum, vt ad primum quinquennium ei ſolueretur quintus denarius; & ad aliud quinquennium decimus ex omnibus fructibus Eccleſiaſticis primi anni, à quocunq; nuper promoto & beneficiato. Huiuſmodi igitur prouiſiones facile perfici poſſent; aliæue commodiores inueniri, vt & Domino Papæ in neceſſariis, vere tamen neceſſariis, poſt bonam reformationem, ſit conſultum, & exactiones indebitæ tollantur, & ſua iura Eccleſiis, ac priuilegia intacta conſeruentur.

g Concil. Baſil. ſeſ. 12. ad fin.

h Idem ſeſſ. 42.

Nolim

CXVII. Nolim tamen Principes noſtros (quos plurimũ cupio, ad hanc cogitationem horum remediorum ſerio animum aducere) eo tantum ſua conſilia dirigere, vt Romæ promouendi, de eorum notitia; & conſenſu promoueantur; illæ videlicet duntaxat perſonæ, quas ipſi Principes Domino Papæ propoſuerint; Hoc enim ſicut facile, qui nondũ obtinuerunt, arbitror cum Gallis obtenturos, vbi vel parũ quid ad reformationẽ manum admouerint, ita neque abuſus grauiſſimi annatarum & bullarum, neq; iniuriæ ordinariorum, neq; onera Eccleſiarũ, neq; extenuatio Regnorum auferrentur. Quid ſi, inquient, nolit Papa ſtare ijs, quas nos cum noſtris Prælatis ſtatuerimus prouiſionibus? Dicam meum conſilium: non propterea Prouincia occurrentib. tot malis eſt deſerenda. Imitentur vt dicebam Leonem, Iuſtinianum, Iſaacium Henricum, Ludouicum, Carolum, vbi Cnuti imitatio non ſufficiat: Leges ſeueriſſimas, contra Simoniam & Simoniacos promulgẽt, ſimiles prorſus Leoninis, Iuſtinianeis, Carolinis, &c. Baſileenſes, ſacraſq; alias iñumerabiles Eccleſiaſticas repetant in hoc ſanctiones, eaſq; omnino ſeruãdas in ſuis Regnis præcipiant, & edicant. Et quoſcũque inuenerint contra tales leges, ſoluta vbicunq;, & cuicunq;, & quocunq; nomine ſeu prętextu pecunia, in Eccleſiaſticas dignitates officia & munera irrepſiſſe; ad eas omnino accedere non permittant, conſtanterq; negẽt eis inueſtituras, ſeu exequatur, ſeu temporalem poſſeſſionem: iubeantq; Colonis Eccleſiaſticorum prædiorum, vt fructus beneficij vacantis nemini tribuãt, niſi literis ipſorum temporalem poſſeſſionem concedentibus, viderint præmunitum. In concedendis vero talibus literis, ſint rigoroſi, vt eas nullo pacto concedant ijs, qui pecuniæ quocunq; interuẽtu, in Eccleſiaſtica voluerint inuolare beneficia. Hinc profecto ſequetur vt in ipſis Prouinciis beneficia ipſa petantur, & fiant gratis, prout de iure, omnes prouiſiones.

CXVIII. Atq; hoc facto de perſonis etiam promouendis ad Cathedrales præſertim & maiores Eccleſias tuti erunt, in quarum electione, potiſſimam ſemper, iuxta doctrinam à me libris 3. & 6. traditam, partem habebunt. Ex quo, præterquam quod Eccleſiaſticã diſciplinam conſeruabunt, & peſtem Simonis ab Eccleſiis ſuis remouebunt, etiam politiæ ſuæ proderũt mirabiliter: nam & vis ingens pecuniæ, quę Romanis hiſce extorſionibus quotannis ex ipſorum Regnis exportatur, domi ſubſiſtet, & internum malum grauiſſimum, hoc eſt, præcipuorum fortaſſe Reipub. membrorum erga alienos Principes fidelitas & deuotio, precio partim, & partim ſpe tam ingentium beneficiorum ſuſtentata, vt par eſt, extinguetur; atq; erga proprios Principes, à quibus potiſſimum eadem illi expectent beneficia, pręter naturale debitum, mirabilibus aucta incrementis conuertetur. Quis enim ignorat, Romanam curiam, præter immenſa quæ capit auri lucra, tot ſibi miro artificio harum collationum vſu fideles & obſequioſos, nec infimi Spiritus homines, in alienis Regnis acquirere & retinere, quot ſunt qui ipſius beneficio Eccleſiaſticas poſſident cũ opibus dignitates, quotque ad illas, aut ad alias maiores ſuſpirant & anhelant? Atq; ita miſeri Principes Chriſtiani bona ingentia ipſorum ſceptris, vt probabo lib. 10. ſubiecta, vt in ipſorum grauiſſimam vertãtur perniciem, inuiti ne, an potius obcæcati & volentes patiuntur.

CXVIV. Vt tamen etiam ex me aliquid ipſe vlterius in cõmune Eccleſiæ bonum, & ſanctæ ſedis iuſtum leuamen conferam, operæpretium fore ducerẽ, ſi Principum eorundem fida opera, in omni Prælatura ac beneficio vacante prima ſola, & vnica annata, hoc eſt fructus integri primi anni, ſemel tantum accipiantur, & ad pecuniam redacti vnicam in ſingulis Regnis & Principatibus maſſam efficiant, eaq; conſeruetur, & ſingulis annis augeatur, quouſq; omnes fere, aut ſaltem præcipuę ſemel vacarint Eccleſiæ. Atq; hæc maſſa, cum iam ad bonam ſummam excreuerit Romam tuto curetur transferenda, ea lege, vt ex ea extinguantur tot montes ſuper vectigalibus & prouentibus S.R. Eccleſiæ erecti, & ipſa vectigalia libera eidem Eccleſiæ, & S. ſedi reddantur. Quæ ſane vectigalia annua, excedent fortaſſe totũ annatarum emolumentum. Aut ſi nolimus vacantias expectare, imponantur decimæ, cum debita proportione, ad aliquot annos: aut iurium fiant venditiones, vt ſupra hoc libro cap. 6. n. 65. quouſq; ſumma æquiualens colligatur. Quæ videlicet tot vectigalia liberent, quot annatarum emolumentum æquatura cenſeantur. Ac in ſingulis Prouinciis ab iiſdem Principibus, ex ſacris & laicis perſonis certus magiſtratus deputetur, qui huic præſit exactioni. facta vero illorum montium extinctione, & vectigalium publicorumq; prouẽtuum liberatione, ſtatim Curiales ceſſent in beneficiorum collatione exactiones, liberæq; relinquantur communis iuris electiones & collationes, & plena Baſileenſi reformationi in hoc detur executio. Iniiciat Deus mentem hanc piiſſimam noſtris Principibus, vt Eccleſiam ſanctam ipſi, pro ſua virili, vt eſt ipſorum muneris, efficiant *non habere a maculam, neque rugam.* a Ephes. 5. 27.

CAPVT

CAPVT X.

Quibus ſint beneficia Eccleſiaſtica conferenda.

Svmma Capitis.

Beneficia pauperibus potiſſimum, & non diuitibus, neq; patrimoniatis ſunt conferenda. n. 1. 2. 3. Et abuſus aliqui in hoc aperiuntur, n. 4.

Propinquitas ſanguinis in dandis beneficiis non eſt ſequenda. à n. 5. ad n. 15.

Conferantur meritis, & dignis. n. 12. 13. Meriti vero & digni non ſunt, niſi qui actu & perſonaliter ſeruiant, vt veri operarij, & conſequenter cum neceſſitate Reſidentiæ, à n. 14. ad n. 21.

Originarij locorum exteris præferendi. n. 22. Laicus non dentur, ſed in clericatu diu verſatis. n. 23. & Clericis eiuſdem Eccleſiæ propriis. à num. 24. ad num. 27. Et Theologi præferantur Iuriſtis. num. 28.

Pluralitas beneficiorum amoueatur. à n. 29 ad n. 39.

Vt ſufficiant beneficia: non multiplicetur Clerus abſque neceſſitate à num. 40. ad finem capitis.

I. ET ſancti Patres, & Eccleſiaſtici Canones, & leges ſæculi illud maxime inculcant, vt ad Eccleſiaſtica miniſteria, & ad vſum Eccleſiaſticorum bonorum, pauperes duntaxat aſſumantur. Id vero ſatis in primo huius libri capite confirmaui. Error itaque maximus eſt, & Apoſtolicæ inſtitutioni, ſanctæque Eccleſiæ ſanctionibus admodum contrarius, ſi beneficia Eccleſiaſtica diuitibus, & patrimonio, ꝓpriiſq; laicis bonis inſtructis conferantur. a Hi ſane, vt optime dicebat Hieronymus, *dum quod pauperũ eſt accipiunt, ſacrilegiũ committunt; & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant & bibunt.*] Item; b *ſi eges, & accipis, das potius quam accipias: ſi autem non eges, & accipis, rapis.*] Et Proſper; c *Nihil aliud eſt habentibus dare, quam perdere. Nec illi qui, ſua poſſidẽtes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, vnde pauper victurus erat, accipiunt. -- Et hi, non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt.*] Docui tamen cum eodem Proſpero ſupra cap. 1. nihil obſtare quominus, quantum ad leges Eccleſiaſticas; poſſit diues etiam, & patrimonio proprio pollens ad Eccleſiaſtica miniſteria admitti & ordinari; ſi tamen abſtineat à bonis Eccleſiaſticis, quæ ſolos pauperes debent ſuſtentare; & velit propriis ſtipendiis in Eccleſia Chriſti militare: quamuis enim paſſim & ordinarie ad hoc nullus miles teneatur, ſæpe tamen multi ſponte id faciunt in terrena militia, cur non in cæleſti? vbi præſertim laica poteſtas id permittit. Nam Conſtantinus lege publica vetuit, ne ditiores qui eſſent fierent Clerici, qui ad Reipub. munia ſubeunda eſſent idonei, vt ſic vtrique Reipub. conſultum eſſet. Ait enim. d *Neque vulgari conſenſu, neque quibuslibet petentibus ſub ſpecie Clericorum à muneribus publicis vacatio deferatur; nec temere & citra modum populi Clericis connectantur. ſed cum defunctus fuerit Clericus, ad vices defuncti alius allegitur, cui nulla ex municipibus proſapia fuerit, neque ea eſt opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare.*] Et ſi quis Clericatum aſſumpſiſſet, ac diues eſſet patrimonio, eadem lex præcipit illum à Clericatu auelli debere, & ciuitati reſtitui. *Opulentos enim*, inquit, *ſæculi ſubire neceſſitates oportet, pauperes Eccleſiarum diuitiis ſuſtentari.*] Aut ſi tamen voluiſſet opulentus Clericatui ſe mancipare, legibus etiam ſæculi tenebatur à ſe diuitias & patrimonium abdicare, vt vidimus in Ambroſio ſupra cap. 1. n. 23.

a 1. q. 2. c. Clericos.

b Apud Bls. ep. 102.

c cap Paſto. 1. q. 2.

d C. Theod. de Epiſ. & Cler. l. 6.

II. Ordinarius igitur Eccleſiæ mos eſt, vt non niſi pauperes Eccleſiaſtica ſuſcipiant officia, & conſequenter etiam beneficia. Quod plane ſupponit antiquus Canon, in antiquo Canonum corpore poſitus; & poſtea à Gregorio 9. in ſuos Decretalium libros tranſlatus; qui ſic habet. e *Non liceat vlli Epiſcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præſtare; ſed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos vel ſi fecerit det illis vnde viuere poſſint.*] Quod ſi licuiſſet quempiam ad titulum patrimonij ordinare, Canon hic profecto eſſet mancus & imperfectus. Vult igitur ſolos pauperes ordinari, ac propterea vel abſtinendum ab ordinatione ſi non ſuppetant bona Eccleſiæ pro ordinandi ſuſtentatione; ſed expectet vt locus vacet, iuxta Conſtantini legem; vel ordinatus ſtatim ab Eccleſia accipiat alimenta. Hoc eſt ſimul cum ordinatione beneficium ei conferatur.

e c. non liceat de prab. & dig.

III. Hæc tamen noſtra tempora longe prioribus inſipientiora, Canonem hunc, in ſe quidem perfectiſſimum, & optimum, ac Eccleſiæ ſaluberrimum perficere tamen, an potius inficere? voluerunt. Alexander nimirum tertius hoc pacto ſtatuit. f *Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel presbyterum ordinauerit, tandiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei conuenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet. Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hereditate, ſubſidium vitæ poſſit habere.*] Ego tamen quæro cur ordinat iſtum? vel Eccleſia hoc miniſtro eget, vel non: ſi eget habet etiam neceſſaria pro neceſſariis ſibi miniſtris alimenta, adſunt beneficia ſingulis ordinibus neceſſariis aſſignata, & deputata, ſiue in communi menſa quam nunc vocamus diſtributionum quotidianarum; ſiue in præbendis ſpecialibus; ſi non eget, cur fit ordinatio? iam enim g probaui, ex Eccleſiæ inſtitutis neminem abſolute ordinari debere, & ſine titulo, hoc eſt ſine certo officio & munere, & cõſequenter beneficio nõ debere quenquam in album Eccleſiæ miniſtrorum aſcribi: quod ipſum ſtatim melius confirmabo. Fateor equidem poſſe, ſi adſit miniſtrorũ neceſſitas, in aliqua Eccleſia paupere, in qua non ſint beneficia ad ſufficientiam, aſſumi aliquem ad id idoneum patri-

f c. Epiſcopus de prab. & dign.

g Sup. cap. 3. n. 9.

patrimonio instructum; qui ꝓpriis, vt dixi, velit mi[litare stipendiis, si] locus ei non ſuppetit [...] actuus, nullo [...] ne abſolutæ indicantur ordinationes, & [ſi ſ]upperit, trans eſt vitanda, ne iſte in ipſa propriis ſtipendiis militare, inhiet tamē in bona Eccleſię, vt ijs paulo poſt arreptis, abūdet magis, & alienis ſibi non debitis paſcatur alimentis. Multo magis igitur cauendum, ne ditiorum muneribus deliniti, aut ſpe commodorum temporalium ab ipſis accipiendorū, eis beneficia cōferamus. His n. noſtris potiſſimum temporibus verum illud eſt.

a *In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores,*
Cenſus amicitias, pauper vbiq; iacet.

a Saresb. in Policr. l. 4. c. 5.

IV. In delectu profecto perſonarum, & Cleri multiplicatione, ac conſequēter beneficiorū diſtributione, ſi volumus primam q̃ poſuimus ſeruare cōditionē, vt non niſi pauperib. dentur beneficia, medium virtutis inter duo extrema vitij, eſt diligēter obſeruandū. Adlegere Clero pauperes, quos ſolos Eccleſia ſibi opportunos cenſet, iiſq; officia Eccleſiaſtica committere, ex bonis tamē Eccleſiæ vel parū, vel nihil eis cōferre vnde viuāt, extremū eſt, nec vitio caret; & hodie vitiū hoc in Eccleſia viget turpiſſime. ſingularū Eccleſiarū bona ſatis opima ad ſe ſolos Epiſcopi attraxerunt, Clerus vero pondus diei fert & æſtū; ac ꝓpriis ſtipēdiis cogitur vt plurimū militare: & vbi abſunt patrimonia (ꝙ eſt potius in omnib. q̃ in plurib.) turpe lucrū excogitare cogitur, & venari. Hinc infames q̄ſtus, ſimoniæ, cū ſacrorū venundatione. Hinc Clericorū etiā apud laicos ſordidi famulatus: Hinc turpitudines innumerabiles. Alterū extremū eſt ꝙ aut ꝓpinquis ſanguine, aut amicis: aut nūmatis, aut noſtrarū libidinū miniſtris, & ſane paucis plura cōferimus Eccleſiaſtica beneficia, vt vnus, aut pauci, vt plurimū ad Eccleſiaſtica officia ineptiſſimi ebrij ſint, & nimiū abundēt, alij eſuriāt, & fame cōficiātur, cū grauiſſima Chriſto irrogata ignominia, cū pnicie animæ taliū beneficiatorū, cū diuini cult' depreſſione, cū miniſtrorū Chriſti inopia, & cū totius populi Chriſtiani ſcandalo imēnſo. ſed & alio modo extrema hæc vitioſa in Eccleſiaſticis Prælatis obſeruamus, circa miniſtrorū ſacrorū deputationē, q̃ eſt collatio beneficiorū: vt vel pauciores q̃ Eccleſiaſticæ facultates alere poſſent, quamq; neceſſitas Eccleſiæ poſtulat ordinētur, vt inde pl' Prælato abūdet, vel tā multos illi ordināt, & multiplicāt Clericos, & miniſtros, etiā īdignos, ſupra facultates Clero deputatas, & omnino otioſos, quorū opera Eccleſia nihil ꝓrſus indigeat, vt ꝓpterea & egeāt poſtea oēs, cū multi ſint vbi pauci egregie ſuſtentarētur, & prio[ra ſ]candala, q̄ nunc commemoraui, ſacro ordini notā inurant dedecoris & ignominiæ. Contra hęc extrema ſemp Eccleſia pectus erexit, eaq; vt vitarētur ſerio monuit, & ſategit. Oſtendo igitur Eccleſię inſtitutione in deligendis Eccleſiæ miniſtris perſoniſq; ad beneficia aſſumendis, hæc cauenda eſſe collatoribus vel maxime, ſi ad perniciē ꝓpriam animarum ſuarum, ac æternā damnationem nolunt ſibi traditta vti poteſtate, vt nō carnis & ſanguinis affectu; ſed meritis trahantur: vt pluralitatē beneficiorum oderint: vt citra neceſſitatē & opportunitatē ſacèrdotes non multiplicent, eo numero cōtenti, qui ſuppleat neceſſitatibus miniſtrationum, & ſufficiat, non exuberet in ocioſos vagos, & ſolutos.

V. Ne carnis ꝓpinquitas nos moueat in diſtribuendis Eccleſiaſticis bonis, ꝙ nunc potiſſimū fit beneficiorū collatione, habemus in primis Apoſtolicum Canonē, iā à me alia occaſione ſupra ꝓlatum: b *Non liceat, inq̄t, Epiſcopo ex reb. Eccleſiaſticis quicquam contingere, aut parentib. propriis, quæ Dei ſunt, condonare. Quod ſi pauperes ſunt, tanquam pauperib. ſubminiſtret, ne eorū occaſione Eccleſiæ negotia [de]prædentur.*] Item; c *Non oportet Epiſcopum fratri, vel filio, vel alij cognato gratificantē humana affectione ad Epiſcopatus dignitatem quem vult [ordinare]. Epiſcopatus enim hæredes facere iuſtum non eſt ea quæ Dei ſunt largientem. ſi quis a. hoc fecerit, irrita quidē electio maneat, ipſe a. ſegregatione mulctetur.*] Hieronymus d ſacerdotium non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ, monet: & abuſum deflet quo in impetrādis ſacerdotiis amor, obſequia & munera dominarentur.

b Canon Apoſtol. 39.

c Canon Apoſtol. 7.

d 8. q. 1. c. Moyſes.

VI. Ambroſij e documentum ꝓ lege Eccleſia aſſumpſit Romana, ꝙ tale eſt: *Eſt probanda illa etiam liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas. Melius eſt n. vt ipſe ſubuenias tuis, quib. pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere, aut alium poſtulare ſubſidiū neceſſitati, non tamen vt illi ditiores eo fieri velint, quod tu poſſis cōferre inopibus: cauſa n. præſtat, non gratia. Neq; n propterea te Domino dicaſti, vt tuos diuites facias, ſed vt vitam tibi perpetuam, fructu boni operis, acquiras: & precio miſerationis peccata redimas tua. Putant ſe parū poſcere? preciū tuū quærunt; vitæ tuæ fructū adimere contendunt, & accuſant quod [eos diuites] non feceris; cum te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede.*]

e Ambro. de off. l. 1. c. 30. f Diſt. 86. c. eſt probanda.

VII. Concilium Toletanū x. g *Agnouimus, inquit, quoſdam Pontifices præcepti Apoſtolici ita eſſe immemores, vt quibuſdam monaſteriis, Parochialibuſq; Eccleſiis aut ſua cōſanguinitati perſonas, aut ſui fauoris participes iniquū ſæpe ſtatuant in Prælatū -- proinde decenter omnib. placet, & in præſenti tale reſcindere factū, & non eſſe de cætero faciendū. Nā quiſquis Pontificum deinceps aut ſanguine propinquis, aut fauore perſonis quibuſcunq; ſibi deuinctis talia cōmendare loca tentauerit-- quod iuſſum fuerit reuocetur in irritum, & qui ordinauit annua excōmunicationi ſubiaceat.*] Hoc etiam decretum ꝓ h lege vniuerſali ꝓponit Romana Eccleſia. Ex Cōcilio Pictauienſi habent Decretales Canonem huiuſmodi; i *Vt nullus de Clero, ſiue de populo Eccleſiaſtica bona iure conſanguinitatis ſibi regat habenda.*

g Concil. Tolet. x. c. 3.

h Diſt. 89. c. Decreuer.

i De preb. & dign. c. vt nullus.

VIII. Gregorij 7. Decretū tale ꝓponitur; k *Peruenit ad nos fama ſiniſtra, quod quidam Epiſcoporū, non ſacerdotibus ꝓpriæ Diœceſis decimas atq; Chriſtianorū oblationes conſirant, ſed potius laicalib. perſonis, militū videlicet ſiue ſeruitorum. vel, ꝙ grauius eſt, conſanguineis. Vnde ſi quis amodo Epiſcopus inuentus fuerit huius diuini præcepti tranſgreſſor inter maximos hæreticos. & inter Antichr. non minim' habeatur.*

k 1. q. 3. c. peruenit.

IX. Oxonienſe Conciliū in Anglia ſtatuit; l *Vt nullus Abbas, nullus Prior, nullus Decanus vel Archidiaconus, vel alius habēs perſonatum, vel dignitatem, ſed nec Clericus inferior, pēſiones, vel redditus dignitatis vel conſanguineis, vel amicis quibuſcunq; vendere præſumat, vel impignorare, ſeu infeudare denouo, vel quolibet modo alienare præſumat, niſi forma Canonis obſeruata.*]

l Concil. Oxon. c. 18.

X. Baſileenſe Conciliū capitali vulneri omniū peſſimo, ſingulare medicamētum, ſed fruſtra adhibere eſt conatum Decreto huiuſmodi. m *Ne ſummus Pontifex carnalitatis trahi videatur affectu, magis quam iudicio rationis, atq; vt ſcandalis obuietur, quæ, experiētia teſte ſæpe ſecuta ſunt, nullum de cætero ſanguineum, vel affinem vſque ad tertium gradū incluſiue, d[e cetero] &c.-- faciat, aut eſſe permittat. Ipſi quoq; Cardinales [ſ]ummo Pontifici ſecus agere volenti neq[uaquam] aſſen[tia]nt.*] Et q[ui]a de tēporalis tantum Principatus Romanę Eccleſię gubernationib. cuitatum & Prouinciarū hæc inhibuerat, q̄ ſunt minoris corā Deo periculi, & momenti, vt de ſpiritualib. etiam & Eccleſiaſticis miniſteriis frænum aliquod eidem iniicerent, addunt: *Non ſint Cardinales nepotes ex fratre, vel ſorore, Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis.*] Præuidebant ſane Patres illi ſapientiſſimi nepotes Paparum infinitorum beneficiorum & Eccleſiaſticorum bonorum voragines [...] futuros. Præcipit quoq; Cardinalibus idem Concilium, *ne ſuos affines opum ac beneficiorum multitudine accumulent.*] Hæc tamen præcepta Romæ deriſui ſunt & ludi-

m Concil. Baſilien. ſeſſ. 23.

& ludibrio. Sicut & quod ſtatuit Concil. Trident.
a Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. a *Ne Epiſcopi ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familia-
reſue ſuos augere ſtudeant: neq; res Eccleſiaſticas diſtrahant
& diſſipent eorum cauſa --- ſed omnem humanum hunc
erga fratres, nepotes, propinquoſq; carnis affectum, vnde mul-
torum malorum in Eccleſiis ſeminarium extat, penitus depo-
nant.] Sed ſi Regis ad exemplum reliqui compo-
nuntur, cur Epiſcopi ſalubre documentum huius
Concilij amplectantur, ſi illud à ſupremo Epiſco-
po contemni vident, & prorſus derideri?

XI. Sanctorum Patrum querelas audiuimus ſupra
c. 5. quibus in abuſus Prælatorum Eccleſiaſticorum
vehementer inſurgebant, quos nō ſemel huic car-
nis & ſanguinis affectioni tribuebāt: illis nunc ad-
b Pet. Bleſ. Ep. 102. do Petri Bleſenſis querimoniam dum ait. b *Quæ er-*
go inſania eſt theſaurizare in laboribus pauperum & in ſan-
guine alieno mihi & meis delicias procurare? Nunquid me
apud diſtrictum Iudicem poterūt excuſare parentum ſuſten-
tatio, falſa hoſpitalitatis fama? -- nunquid propter hoc me
oportuit bona pauperum rapere? -- Certe nec Miluus, nec ac-
cipiter, nec Vultur, ſiue herodius, aut alia rapax auis accepta-
c Hieron. Ep. 138. *tur in Dei ſacrificium. -- ſi accepi diuitias, vt parentū meo-*
rum indigentiam releuarem, terret me B. Hieron. dicens: c
Quod cum propinquitates corporum reſpicimus, corporis &
animæ creatorē offendimus. Et adiungit: Multi dum paren-
tibus miſerentur, animas perdunt.] Hi ſunt qui iudicio
me (*pergit Bleſenſis*) animas ſuas pro amicis ſuis cru-
deliter & damnabiliter ponunt. Legi Epiſt. Hiero.
ad Heliod. & inueni, quam graui & auſtero rigore
abſcindenda ſit in iis qui conuertuntur ad cor, om-
d 1. Reg. 6. 10. nis affectio parentelæ. d *Vaccæ ſetæ, quæ deferebant ar-*
cam Domini in Bethſamos, ad vitulos ſuos colla minime re-
e Deut. 33. 9. *flectebāt, nec in domo* e *Domini ſacerdos aut Leuita eligitur,*
niſi dixerit patri & matri, Neſcio vos. Mortuus eram Mun-
do, & mundus mihi: amor autem ſæculi qui in corde meo a-
ruerat, ſub quodam falſæ pietatis obtentu, per affectiones ſan-
guinis reuireſcit. Infelices autem qui parentibus erogant, vn-
de poſt illorum gaudeāt obitum, cum vana viuorum gaudia
ſæpe tranſeant in ſupplicia mortuorum.] A propriis ergo
conſanguineis plurimū cauendum eſt Prælato, ne
ſint ei cauſæ ruinæ, ſiue in diſtributione eleemoſy-
narū Eccleſiaſticarū, ſiue in beneficiorum collatio-
ne, in eiſq; ſolam reſpiciat paupertatē, non cogna-
tionem ſi vult eis, etiam laicis, aliquid ex redditibus
eccleſiaſticis erogare. Quod ſi vult etiam benefi-
cium conferre, merita adhuc, & in cognatis, & in
quibuſcunq; aliis debet diſquirere. -- Meritis nam-
que danda eſſe beneficia iam contendo.

XII. Sane Concilium Agathenſe, f *Clerici*, inquit, *om-*
f 1. q. 2. c. Cler. *nes qui Eccleſiæ fideliter vigilāterq; deſeruiunt, ſtipendia ſan-*
ctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum, vel ordi-
nationem Canonum, à ſacerdotibus conſequantur.] Et Gre-
gorius, vt vidimus huius lib. c. 1. n. 13. Beneficiorū
redditus ſibi, nō niſi ad ſolas neceſſitates, & pro la-
borum tantum meritis deberi cenſuit, & aſſeruit.
g Gregor. Homil. 17. in Euang. g *Quid nos*, inquit, *ò Paſtores agimus, qui & mercedem cō-*
ſequimur, & tamen operarij nequaquā ſumus? -- Penſemus
cuius damnationis ſit ſine labore hic percipere mercedem la-
boris.] Celebre eſt & veriſſimū dictū illud, Beneficiū
datur propter officium. Qui ergo nullū officiū facit
in Eccleſia, cur bonis Eccleſiæ eſt ſuſtentandus? Bo-
na ſane Eccleſiæ, vt iam ſatis eſt probatum, c. 7. ad
Clericorū neceſſariā ſuſtentationē debent inſerui-
re. Quorumnā Clericorū? otioſorū? minime vero:
h 2. Theſ. 3. 10. ſed in Eccleſia laborantium: h *Et qui non laborat non*
manducet. Inde enim tantummodo licite ab Eccleſia
ſuſtentatur Clericus, quod altario ſeruiat, & Euan-
i 1. Cor. 9. 13. gelium annunciet. De his enim ſolis dicitur: i *Qui*
altari deſeruiunt, de altari participent; & qui Euangelium
annunciant, de Euangelio viuant.

Meritis igitur & dignis danda ſunt beneficia: XIII.
meritos autē & dignos intelligas, qui ob ſeruitia nō
Prælato extra Eccleſiā, ſed ipſi Eccleſiæ præſtita, &
quæ iugiter præſtant Eccleſiæ, ab ipſa Eccleſia ſunt
ſuſtentandi, & ſi iam ſint impotētes, adhuc dicūtur
meriti & digni, quia ſunt in albo Clericorū, & quia
etiā ſunt pauperes. Dignos vero nō ex ſola aptitudi-
ne diiudicādos cenſeas, puta quia docti, quia valetu
dine & viribus corporis pollēt, quia nobiles, ac pij,
& ex aliis capitib. idonei, ad Eccleſiaſtica miniſteria
exercenda. tales enim omnino ſunt Clero adlegen-
di, & digni ſunt beneficio accipiēdo, ſed ad retinen-
dū beneficiū acceptum digni nequaquā ſunt, ſi actu
ipſo officiū acceptū non exerceant. Cur enim ſuſtē-
tetur ab Eccleſia qui ei nil ſeruit? Cibus Eccleſiaſti-
cus & cibus tantum operariorū, & qui operarij non
ſunt, tanquā operarij cibos nō accipiant. Qui igitur
Prælatus immeritis ac indignis huiuſmodi potiſſi-
mū, i. e. qui neq; operantur, neq; ſunt in Eccleſia o-
peraturi, beneficiū conferunt, peccant grauiſſime,
& Eccleſiam fraudant, & ſacrilege rapiunt Eccleſiis k Apud Nauar. de reddit. Eccl. q. 2. n. 23.
bona, digniſq; auferunt cibum, & ad reſtitutionem
tenentur, vt omnes docent Theologi & Canoniſtæ,
k Adrianus, Sotus, Caietanus, Nauarrus & alij.

Si beneficia non niſi meritis & dignis conferen- XIV.
da ſunt, hi vero potiſſimū intelligūtur veri operarij,
vt eſt certiſſimū, ſequitur omnino conferenda non
eſſe, niſi in ſuo beneficio reſidentibus, aut reſidere
paratis, & ſi nō reſideant, fures illos eſſe & latrones,
qui alienos cibos ſibi rapiunt & vſurpant. Neq; mi-
hi ſepares beneficia ſimplicia, per modernā Roma-
næ Curiæ, ſed inſipientem, diſtinctionē, à curatis &
Parochialibus, & dicas, ſimplicia non requirere re-
ſidentiam. ſola curata requirere. Nec illa ſi habeant
Vicariā ſtabilitā, & facta ſint donatiua, cum ſummo
abuſu, Nam etiam Canonicatus, vt plurimū, liberi
ſunt à cura animarū exercenda, & dignitates multæ,
& tamen à reſidentia nō liberantur. Non ergo ſola
cura animarū requirit reſidentiā, ſed quodcunq; be
neficiū cum ſit propter officiū requirit miniſtrum,
qui illius beneficij officium exequatur, propter ꝙ ei
aſſignatur illud beneficiale ſtipendiū. Merito ergo
etiam Canoniſtæ, iure cautū eſſe aſſerunt, vt Clerici
omnes teneātur in ſuis beneficiis reſidere, ſiue ſint
Curata, ſiue ſimplicia. l Innocentius, Io. And. Ho- l Apud Gygna. depēſ. q. 31. nu. 1. 2.
ſtienſis, Abbas & alij. Et ſi nō reſideat Clericus, pri-
uandū eſſe, aliumq; reſidentē ei ſubſtituendum, &
hoc factū fuiſſe in vno Cardinali, teſtatur m Leo III? m c. ex geſtis de Cle. non reſid.
Quantumcunq; igitur modicū & tenue ſit benefi-
cium, etiam ſimpliciſſimum. qui illud obtinet, n re- n c. Quia nonnulli eo.
ſidere tenetur, & per ſeipſum curam illius gerere,
Quod ſi cauſetur ad ſuſtentationē illud ſibi nō ſuffi
cere, relinquat ipſum, nemo enim cogit vt retineat.
Quamuis Epiſcoporū prudentia deberet tenuia be
neficia, vſq; ad competentē vnius ſaltem Clerici in
minoribus conſtituti ſuſtentationē, vnire, & huiuſ-
modi ſimplicib. beneficiis Clericos ſuſtentare, qui
tamen reſideant, h. e. curam ſuſcipiant illarū Eccle-
ſiarū, eaſq; ſartas tectas conſeruent, mundas teneāt,
& pro fundatorib. orent, ac ſi maiora habent anne-
xa onera, & facultates ſuppetant, in primis & ante
omnia illa onera expleant, ex reliquo ſuſtentationē
propriā accipiant. Vbi vero ad altiores gradus pro-
uehuntur, in quibus ſufficientem acquirant ſuſten-
tationē, hæc aliis eiuſdem ordinis Clericis, Epiſco-
po prouidente, derelinquāt. Imo hæc ſimplicia be-
neficia nō puto fuiſſe olim in vſu vt presbyteris da-
rētur, ſed ſolis Clericis minoribus. Zacharias enim,
vt ſupra cap. 8. n. 10. vidimus, negabat his oratoriis
presbyterū Card. hoc eſt ordinarium, ac titulatum.

I ſicut

ſicut negabat ſacramentorum in ipſis adminiſtrationem: extraordinarios tantum presbyteros ad miſſas celebrandas interdum concedebat. Ex quo ſequitur, hæc beneficia quę ſacerdotem non requirunt, vix poſſe ſacra dici & appellari, quia ſine ſacro ordine, ac ſine conceſſione vllius ſpiritualis poteſtatis, conceduntur, cum ſola obligatione miniſterij corporalis, ad quæ ſola miniſteria corporalia minores ordines ſub presbyteratu conferuntur, & conſequenter in his non puto ſimoniam poſſe committi.

XV. Huc igitur, *a* præter iura quæ habentur in decretalibus, præſertim in titulo de Clericis non reſidentibus, quæque de omni beneficio in communi loquuntur, nec diſtinguunt ſimplicia à Curatis, ſpectant iura antiquiora. Conciliũ Carthagin. 4 c. 49. *Clericus*, inquit, *qui abſq; corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis priuetur.*] Carthaginenſe 5. c. 5. *Presbyter vel Diaconus, vel quilibet deputatus Clericus, ſi ad Eccleſiam, aut ad ſacrificium quotidianum nõ venerit, Clericus non habeatur.*] Aurelianenſe primum c. 30. *Clerici, qui ad opus ſanctum adeſſe contempſerint, ſecundum arbitrium Epiſcopi, Eccleſiaſticam ſuſcipiant diſciplinam.*] Aurelianenſe 2. c. 14. *Clerici, qui officium ſuum implere deſpiciunt, aut vice ſua ad Eccleſiam venire detrectant, loci ſui dignitate priuentur.*] Aurelianenſe tertium cap. 11. *Si qui Clerici, miniſteria ſuſcepta, quacunque occaſione agere, ſicut & reliqui detrectant, inter reliquos Clericos Canonicos, ne hac licentia alii vtientur, nullatenus habeantur, neque ex rebus Eccleſiaſticis ſtipendia aut munera vlla percipiant.*] In Concilio Aurelianenſe quarto, capite 33. & in alio, *b* explicatur officium Clericorum neceſſarium, in beneficiis etiam ſimplicibus, ſaltem ad cuſtodiam; Vt inde habeas, reſidentiam, in omnibus Eccleſiis, eſſe neceſſariam. Omitto alia Concilia. Non tamen omitto pulcherrimam Iuſtiniani legem, quam cenſui digniſſimam quæ hic integre deſcribatur. Ait igitur: *c Et illud etiam definimus, vt nemo Deo amabiliũ Epiſcoporum foris à ſua Eccleſia pluſquam per totum annum deeſſe audeat, niſi hoc per Imperialem fiat iuſsionem (tunc enim ſolum erat inculpabile) ſacratiſsimis Patriarchis vniuſcuiuſq; Diœceſeos compellentibus Deo amabiles Epiſcopos ſuis inhærere ſanctiſsimis Eccleſiis: & non longo itinere ſeparari, neq; in peregrinis demorari velle, neq; ſanctiſsimas Eccleſias negligere, neq; annum excedere, quem & ipſum per miſericordiam conſtituimus. Si vero vltra annum errauerit & deliquerit, & non ad Epiſcopatum remeauerit propriũ, neq; Imperialis aliqua eum (ſicut prædiximus) detineat iuſsio, tunc ſiquidẽ ſit Metropolita circa Eccleſiaſticam diſpoſitionem ſegregatum regionis illius Patriarcha reuocet quidem cum legitimis inclamationibus, ſeruans vbiq; ſacrarum Regularũ obſeruationem. Si vero maneat per omnia inobediens, expellatur à ſacro Epiſcoporum choro, & alium introducat huiuſmodi & Reuerentia, & verecundia & honeſtate dignum. Si vero non Metropolita ſed aliorum Epiſcoporum aliquis ſit qui errauerit, hæc omnia à Metropolita fiant. Nemo enim eorũ talem ſuſcipiat occaſionem ſi dixerint propterea proprias derelinquere Eccleſias, propterea quod litium cauſas aut aliarũ rerum propriarum, aut ad ſacras Eccleſias reſpicientiũ circumluſtrant, & hic conſtituti adhærent, aut in aliis veniunt locis. Hoc enim non habet decentẽ rationem, vt cum multitudine quam neceſſe eſt Epiſcopum habere miniſteria luſtrẽt peregre, & expendant, & neq; vllum ſanctiſſimis Eccleſiis lucrum, neq; vllum præbere iuuamen, neque ſecundum quod decet ſacerdotem proprium habere habitũ, præſertim cum liceat ſi quædam ſint lites forte ſanctiſsimis Eccleſiis, propter quas has occaſiones aſſerũt hoc per eos qui ſub ipſo ſunt religioſos Clericos, aut apocriſarios, aut œconomos mouere, & petitiones ad Imperiũ dirigere, impetrare autem ſperata. Propterea ſancimus, ſi quando propter Eccleſiaſticam occaſionem inciderit neceſsitas, hanc aut per eos qui res agunt ſacrarum Eccleſiarum (quos apocriſarios vocant) aut per aliquos Clericos huc deſtinatos, aut œconomos ſuos notam Imperio facere, aut noſtris adminiſtratoribus, vt impetrent quod competens eſt: & non hoc Deo amabilibus Epiſcopis errore, & abſentia, & ſanctiſsimis Eccleſiis læſionis occaſionẽ fieri, tam in Prouincia Eccleſiaſticis rebus per abſentiã eorum neglectis, quam etiam hic expenſis multis ab ipſis factis, nec non peregre habitatione non habili conſtituta, & vndique cauſa nullum iuuamen, magis autem læſionem Eccleſiis ſanctiſsimis inferente.*]

a Quia nõ nulli de Cler. non reſid. & c. Adhæc de præb. & dign.

b De conſec. diſt. 1. c. Nemo Eccleſiam.

c Nouel. 6. c. 2.

Intolerabile vero eſt, & nullo modo ad excuſationẽ ſufficiens, quod per alios officium ſui beneficij implere velint, qui de beneficio ſunt in perpetuum prouiſi. Hinc enim tot leges Eccleſiaſticæ pluralitatẽ beneficiorum vni negantes (de quibus paulo inferius agam) emanarunt: nam ſi liceret per ſubſtitutionẽ Vicariæ operæ, & officiũ ſuſcepti beneficij adimplere, pluralitas ex hoc capite non vetaretur. *d Cum igitur beneficium quodcunq; conferatur, vt ait Sotus, intuitu perſonæ, ob ſuam ſcil. ipſius dignitatem, illa ſuppleri non poteſt & pauperem mercenariũ, qui vt plurimũ indignus eſt: & quamlibet indignus eſſet vt locum haberet mercenarius, non tamen pro ratione fructuum beneficij, ſoluit Eccleſia iuſta ſtipendia pro viro docto & graui, qui ſi præſens adeſſet ſuis eleemoſynis, conſiliis, fauoribus, atq; auctoritate, poſſet gregi proſpicere, ac deſeruire, non ergo has poſſunt per mercenarium perfici. Miraculum eſt, quod liceat Curato, ob eam ſolum curam & onus, quod Vicariũ vilius quam poteſt ſibi ſubſtituit, amplitudinem fructuum percipere, reclamante Paulo: e* Qui non laborat non manducet. *Sed ais, ſatis eſt laborare per alium. Profecto ſi non debet manducare, niſi qui laborat, fit vt qui non per ſe, ſed per aliũ laborat, non debeat ipſe manducare, ſed contentus eſſe ſi loco illius alius manducet. Ait fortaſſe Paracus, beneficij poſſeſſor, ſatis eſt huic Eccleſiæ bonum Vicarium ſubſtituere. Reſponderet autem Eccleſia ſi fari ſciret: Ergo ſat is eſt ei hæc quam tu illi tribuis merces, cur ergo reliquum ex me, abſq; vllo ſeruitio, ſurripis?*] Hæc Sotus: nec male. Quæ non minus accommodantur & conuincunt in quocunque etiam ſimplici beneficiato, quam in Epiſcopo & Parocho: nullum enim, vt dixi, eſt adeo ſimplex beneficium, quin detur in Eccleſia propter officium. Et qui comedit bona Eccleſiæ, abſque vllo opere, aut officio Eccleſiaſtico, iſte non ſua, nec vllo iure ſibi debita, ſed aliena comedit. Quæro enim, vel beneficium quod habes ad ſolam tuam ſuſtentationem eſt ſufficiens, vel exuberans & ſuperfluens: ſi tantũ ſufficiẽs, totum eſt tuo Vicario, & mercenario ſubſtituto dandum: & ſic non tu, ſed ille eſt integer & totus beneficiarius: nec tu potes quicquã iuris amplius retinere: Tibi enim pro tuo opere tantum illud dabatur ad ſuſtentationem. Cum vero ab opere ceſſes tu nõ es amplius illius Eccleſiæ beneficiarius. Si vero tibi adhuc ſuperfluit, ex doctrina tradita c. 7. illud tibi retinere nulla ratione potes, ſed id totũ debetur pauperibus, & ſane illius Eccleſię, ſeu Diœceſis, non alterius. Puniuntur, & merito etiam per Laicas poteſtates decimarum debitores, ſi fraudaſſe decimas inueniantur, ſed vbi Rector præcipuus non modo perſonaliter non reſidet, nec diuina miniſtrat, ſed Vicario nititur, aut impropriatione Laicus ipſe fruitur, & ſane Vicario cui tenuiſſimum relictum ſit ſtipendium, inſufficiens minimo clericulo, nedum viro optimo Eccleſiaſtico, & docto, ac perito concionatori, certe coram Deo non punirentur ſi fraudarent tales Rectores, ad id duntaxat vt inde bonum, & idoneum miniſtrum poſſint alere: ille enim eſt proprius, miniſtri actu ſeruientis, panis, & non alius cuiuſcunque. XVI.

d Sot. de Iuſt. & Iu. l. 3. q. 6. ar. 3 concl. 7.

e 2. Theſſ. 3. 10.

Atque

XVII. Atque huc ſpectat prohibitio illa Eccleſiaſtica, a *Ne Eccleſia conductitiis presbyteris committantur.* Ac merito deplorant Sennonenſes, b quod Canonici illius Prouinciæ, per intereſſentiam vnius diei groſſos fructus totius anni percipiant. *Ex quibus*, inquiunt, *vagandi materia oritur, cultus Diuinus diminuitur, officium propter quod beneficium Eccleſiaſticum datur omittitur. quibuſdam Clericis admodum ignaris tenui precio conductis cura Diuini officij committitur. Quod vnico contextu, non ſeruatis interſtitiis temporum ab Eccleſia præfixis, per huiuſmodi mercenarios tranſcurrẽdo, & ſyncopando, celebratur, vt aliunde ex quæſtu miſſarũ vitam ſibi mendicent.*] Et optime Duarenus: c *Nec iuſta*, inquit, *eſt eorum excuſatio, qui vicaria quorundam ſacerdotum opera, in obeundo opere ſuo vtuntur, cum ipſi eo fungi debeant. Ac indignum eſt, vt Innocentius ait, conductitiis presbyteris Eccleſiam committi. Hoc amplius, ſi exiguus tenuiſq; ſit redditus beneficij, vt ex eo ſe tueri nequeat Clericus, nec hoc quidẽ caſu aſsiduitatis vacationem habet, cum ipſi eo beneficio ſe abdicare liceat.* e *Omne ſiquidẽ beneficium, propter officium laborem, & induſtriam conceditur. Ceſſante igitur cauſa propter quam datur beneficium, ratio poſtulat vt à beneficiario id auferatur.*] Plura etiam ibidem in eandem materiam, cum graui magnæ pietatis ſenſu, Autor idem exaggerat.

a Decreta Eugenii c. 11. & Concil. Alemã. ſub Conrad. Legato c. 12. to. 3. & 21. q. 2. c. fin.
b Concil. Sennon. c. 10.
c Duaren. de ſac. Eccleſ. min. & benef. l. 8. c. 5.
d c. cõquerente de Cler. non reſid.
e De reſcr. c. fin. in 6.

XVIII. Dominicus etiam Sotus præclare hac de re diſſerit: Poſita enim illa concluſione, f *Obligatio Antiſtitũ ad reſidendum, omniumq; paſtorum parocialiũ Eccleſiarum, eſt de iure diuino.* Illius mox ſubdit probationes, quæ procul dubio conuincunt, non modo de Epiſcopis, & Parochis, ſed generaliter de quocũq; beneficiario, vt patet. Ait enim: *Epiſcopus non eſt propter quem Eccleſia eſt conſtituta, ſed ipſe potius eſt propter Eccleſiã inſtitutus. Mundum quidem Deus fecit propter hominẽ, nempe vt ei eſſet ſubſidium vitæ, ipſe autem non propter ipſum, ſed creatus eſt tanquam eius Dominus, & paterfamilias. Sæculares diuitiis ſuas domos, propter ſuos ſucceſſores amplificant. Itaque in eiuſmodi familiis, non perſonæ propter domos, ſed domus propter perſonas ſunt extructæ. In rebus autẽ publicis diuerſo modo ſe res habent. Regnum enim nõ eſt factum propter Regem, ſed Rex propter Regnum, & in hoc Rex differt à Tyranno, quod ille omnibus ob publicũ bonum vtitur, hic vero regno propter ſe abutitur. Multo id autem certius eſt in Epiſcopis. Chriſtus enim, qui propter nos homines deſcendit de cælis, propter ſe ipſum Eccleſias fundauit, & propter ipſas tum alios paſtores, tum præcipue Epiſcopos, niſi quod eſt diſcrimen duplex, inter Ciuilem & Eccleſiaſticã Rempub. Vnum ſcil. ex parte finis, ex quo, in modo adminiſtrandi, alterũ deriuatur. Finis namque proximus ciuilis Reipub. eſt pacificus tranquillusque eius ſtatus, & ſi in ſupracæleſtem ſubinde referatur. finis autem proximus Eccleſiaſticæ, eſt ſempiterna felicitas, ad quam nos Chriſtus Eccleſiæ fundator, per ſuos miniſtros perducere expetit, & omnimode contendit. Alterum autem diſcrimen eſt, quod ſæculares Principes, in modo ſui regiminis, effigiem habent Dominorũ, Epiſcopis vero nullam præſeferre licet, niſi miniſtrorum, atq; omnino ſeruientium.* g *Principes enim gentium ait Chriſtus, dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. non ita erit inter vos, &c.* Vnde Auguſt. ſuper Iſaiam Homil. 7. *Qui vocantur ad Epiſcopatum, non ad Principatum vocantur, ſed ad ſeruitium totius Eccleſiæ. Ecce ergo Epiſcopalis inſtitutionis fundamentum, quod conſtitutiſſimũ eſt de iure Euangelico, nempe quod vt ſeruus quicquid eſt, Domini eſt, ſic Epiſcopus quicquid eſt, ſit Eccleſiæ. Hinc conſequitur Epiſcopalẽ dignitatem non eſſe inſtitutam niſi propter officium. Eſt enim dignitatis paſtoralis officium paſcere. ad quam veritatem pœnitiſsime commendandam, nunquam dignitas in ſacra pagina niſi officii nomine deſignatur: Paſce oues meas: non ait Chriſtus, ſis Præſul, aut Epiſcopus, imo nec ſis paſtor, nam & paſtores ſocordes eſſe poſſunt, & gregi indormientes: ſed paſce, hoc eſt, doce, inſtitue, atq; adeo guberna exemplo meo meas oues. Et vbi Apoſtolos prædicatum dimiſit, non dixit, Meſsis quidem multa eſt, ii autẽ qui metendũ docti ſunt, pauci: ſed operarij, nempe qui vſu poteſtatem exerceant. nil enim refert qua doctrina aut facultate præditi ſint ſacerdotes, niſi munere ſuo fungantur. Miſit ergo Deus, non qui operari poſſent, ſed qui operarentur. ſimiliter enim inſtituerat Deus Aaron Leuit. 28. Applica enim, inquit, ad me Aaron, & filios eius: Non ait, vt ſacerdotes mihi ſint, ſed vt ſacerdotio fungantur mihi: ſed vt ſupra in Paulo annotauimus, qui Epiſcopatũ deſiderat, bonũ opus deſiderat, i. e. ſi legitimum eius eſt deſiderium, non ad dignitatẽ, ſed ad opus referendũ eſt.* Quare illico ſubiunxit: oportet Epiſcopũ Doctorem eſſe, hoc eſt, oportet vt doceat. Vnde ad Paulinũ Auguſt. h *Exponere*, inquit, *voluit Apoſtolus quid eſt Epiſcopatus: quia nomen eſt operis, non honoris.* Et ad Honoratũ Hieronymus: *Qui Epiſcopatũ deſiderat, opus deſiderat: hoc eſt non dignitatem, aut delitias, ſed opus, & laborẽ.*] Vides igitur opus perſonale requiri in omni Eccleſia, quæ non niſi operarios ſuos actu laborantes ſuſtentat, neque indiget Autoritatiuo, & Sedente, Titulato, & Gubernatore, ſed miniſtro, & operario actuali. Vt propterea merito tenuerim, & oſtenderim lib. 1. c. 2. Apoſtolatum etiam nudum fuiſſe miniſterium. Et lib. 5. c. 2. Iuriſdictionem & dominiũ in Eccleſia nullum eſſe, ſed nudum miniſterium, ſeruitium, & opus. Ex quo vniuerſalẽ aſſiduitatis & reſidentiæ obligationẽ in quocunq; beneficiato, qui titulum quemcunq; habeat Eccleſiaſticũ, cum ſuis qualibuſcunq; emolumentis, colligas neceſſe eſt, & firmiſſime ſtabilias.

f Sot. de Iuſt. & Iu. li. 10. q. 3. art. 1. concluſ. 1.
g Mat. 20. 25.
h 8. q. 1. c. qui Epiſcopatum.

XIX. Vidit ſuis adhuc temporibus Iuſtinianus Imperator, quam indecens eſſet Clericos Eccleſiæ bonis frui & ſuſtentari, & nihilominus ab Eccleſiaſticis miniſteriis vacantes, & ocioſos, Eccleſiis, vt par eſt, nequaquã deſeruire: legeq; , vt ſolebat, conſtituta, conatus eſt prouidere. i *Præterea*, inquit, *ſancimus, vt omnes Clerici per omnes Eccleſias conſtituti per ſe ipſos pſallant nocturna & matutina, & veſpertina, nec ex ſola Eccleſiaſticarũ rerum conſumptione Clerici appareant, nomẽ quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei. Turpe enim eſt pro ipſis ſcriptos, neceſsitate ipſis inducta, pſallere. Si enim multi Laicorum, vt ſua anima conſulant, ad ſanctiſsimas Eccleſias cõfluentes, ſtudioſi circa pſalmodiã oſtenduntur, quomodo indecens nõ fuerit, Clericos ad id ordinatos non implere ſuum munus? Quapropter Clericos omnes pſallere iubemus, & ipſos inquiri à Deo amantiſsimis ſuo tempore Epiſcopis, --& eos qui inuenti non fuerint inculpate in liturgiis perſeuerantes, extra Clerũ conſtitui. Nam qui conſtituerunt, vel fundarunt ſanctiſsimas Eccleſias, pro ſua ſalute, & communi Reipub. reliquerunt illis ſubſtantias, vt per eas debeant ſacra liturgia fieri, & vt in illis, à miniſtrantibus piis clericis Deus colatur.*] Requirit & merito Religioſiſſimus Imperator, opus à Clericis, & opus publicũ in ipſis Eccleſiis à quibus aluntur, ſi velint ab iis vitæ ſubſidia accipere. Vult vt pſallant in ipſa Eccleſia, & diuini cultus externi operi aſſiſtant: non muſſitent priuatim in cubiculis, foris, compitis, tricliniis, etiam extra vrbẽ, & Prouinciã, & Regnũ, nedum extra Eccleſiam, obmurmurentque ſoli diuinũ officium. Quod iam, ſi Deo placet, ſufficere multis, qui opulentiſſima habent Eccleſiarum ſacerdotia, Romanorũ docent paraſiti. Id vero ita cenſent commẽdatarij plurimi ditiſſimi: de quibus agendũ erit capite ſequente, aliiq; faſces ingentes ſimpliciũ beneficiorum in humeris geſtantes.

i C. de Epiſcopis & Cler. l. 42. §. 10.

XX. Diſpenſatione ſe Domini Papæ tuentur iam fere omnes, qui eos à reſidentia liberet, & vt plura retineant beneficia, etiam immenſo terrarũ ſpacio inter ſe diſiuncta concedat. *Papa*, inquiunt, *mecum diſpenſauit, ipſe ſibi viderit, ego immunis ſum.* k *Hic tamen ca-*

k Sot. de

Iuſt. & iur. l.3.q.6. art. 3.ad fin. *uillus*, (inquit,& bene,Sotus,) *ſecuros multos reddit,tutum vero neminẽ: Quoniã Papa nõ eſt Dominus, vt identidẽ dictum eſt,ſed diſpenſator. Ideoq; qui iniquã diſpenſationem petit, iniquitatis cauſa eſt,& qui ea vtitur, eadem ſemper irretitur iniquitate.*] omnis profecto diſpenſatio Papæ intelligitur,in quantũ poteſt, & nõ ſit contra ius diuinũ. At vero de iure diuino eſt, vt *a* de Euangelio nõ viuant, niſi ſoli miniſtri Euangelij, & vt de Eccleſia habeat miniſtri ſuſtentationẽ,qui Eccleſiæ deſeruit,& vt verorũ miniſtrorũ Chriſti & operariorũ in vinea ipſius alij ocioſi & nõ operantes panẽ nõ ſurripiant, pauperumq;, h.e. alienis ſe ingurgitent alimẽtis. Et ſi in hoc ſe poſſe diſpenſare Papa putet,in errore verſatur grauiſſimo: perinde enim poſſet cõtra omnia diuina præcepta ſecundæ tabulæ ſibi arrogare diſpenſationes. de quibus lib. 8. ſatis egi.

a 1. Cor. 9. 14.

XXI. Non inficior equidẽ poſſe ex graui cauſa beneficiatũ, imo etiam Epiſcopum, aliquo tempore,à ſua Eccleſia abeſſe,& per ſubſtitutũ ſua implere officia, quoties nimirũ maius Deo,& ſanctæ Eccleſiæ præſtat obſequiũ, q̃ ſi in ea Eccleſia, à qua habet ſuſtentationẽ munera propria ſibi commiſſa obiret. iam enim probaui ſuperius c. 7. n. 2. cum Auguſt. bona Eccleſiaſtica, etiamſi videantur eſſe vnius Eccleſiæ particularis, vere tamen & proprie, intentione tam donantiũ, q̃ Eccleſiæ recipientis, ea eſſe totius Eccleſię vniuerſalis. Si quis igitur toti Eccleſiæ vniuerſali laborat egregie, cum maiori ipſius ſpirituali emolumento,& fructu, q̃ ſit fructus particularis, quẽ ille parere poſſit in opere & officio particulari, ſuæ Eccleſiæ particularis. quis dubitat hunc poſſe merito ex illis bonis ſuæ Eccleſię ali,& ſuſtentari, etiamſi tantiſper, imo etiam ad aliquod tempus ſua propria opera Eccleſię illi nõ deſeruiat ſed ſuppleat ſuo muneri per ſubſtitutos? Qua occaſione, ſi per totã ſuam vitam debeat vniuerſali Eccleſię, vt dixi deſeruire, puta cõtra hæreſes pugnãdo & ſcribendo, aut Regibus & Principibus? pro bono,& pio regimine aſſiſtendo, Vicariũ etiam perpetuũ poſſet habere, cum ſola retentione tot fructuũ, quot ſatis ſint, ad ipſius neceſſitatibus decenter ſubueniendũ. An vero eodem modo excuſari poſſint,qui Dño Papæ inſeruiunt, ipſi viderint, ponderentq; ſeruitium ꝙ in Curia præſtant, ſit ne ſpirituale & proprie Eccleſiaſticũ,& ad totius Eccleſiæ ſpirituale ſubſidiũ, tale ac tantum, ꝙ apertiſſime pręponderet ſeruitio ſuæ Eccleſiæ particularis. Hæc enim ſola regula mihi videtur tutiſſima, reliquæ omnes fallaciſſimæ. Dixi lib. 4. c.vlt. & huius lib. c.9. præcedenti de Legationib. & Nunciaturis Pontificiis, eas mihi videri ad ſola dirigi, vt plurimum, temporalia, & nihil aut fere nihil, ad ſpiritualia, niſi in quantum, peſſima ſubuerſione, ſpiritualia lucris inſeruiunt temporalibus.

XXII. Quia igitur beneficiati opere proprio debent officia ſua exercere, ꝙ eſt reſidere, iccirco Eccleſia illud maxime ſeruauit,& ſeruandũ docuit ac pręcepit, vt ex proprio Clero aſſumerentur ad beneficia promouendi, iiq; eſſent locorũ originarij, non extranei & aduentitij, ac multominus extranei, qui ſuorum beneficiorũ Eccleſias nunquã viderint, aut ſint viſuri. Audiamus Cæleſtinũ primum, illum qui aduerſus Neſtorium tantopere laborauit, *b* *Alter*, inquit, *in alterius Prouincia nil præſumat: nec emeritis in ſuis Eccleſiis Clericis peregrini & extranei, & qui ante ignorati ſunt, ad excluſionẽ eorum, qui bene de ſuorũ ciuium merentur teſtimonio, præponantur: ne nouum quoddã, de quo Epiſcopi fiant inſtitutum videatur eſſe Collegium.*] Et paulo poſt: *Habeat*, inquit, *vnuſquiſq; Clericorũ ſuæ fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minime alter obrepat, nec alii debitam alter ſibi audeat vendicare mercedem.*] Et in Epiſt. 2. vbi laicos vetat ad Epiſcopatus aſſumi, Iniuriam dicit fieri Clericis illius Eccleſiæ: *Quid proderit, inquit, per ſingula Clericos ſtipendia militaſſe, & omnẽ egiſſe in Dominicis caſtris ætatem, ſi qui his præfuturi ſunt, ex laicis requirãtur.*] Agnoſcit ergo dignitates omnes etiã ipſum Epiſcopatũ deberi Clericis propriæ Eccleſię,& alienũ honorẽ ambire ait laicos, qui ad Epiſcopatus aſpirant. Honor itaq; ille, ſi alienus eſt Laicis, quia debetur Clericis, & nõ quibuſq;, ſed illis, qui in ea Eccleſia diu militarunt, alienus profecto erit etiam Clericis exteris, qui & ipſi alienos honores accipiunt, quoties in beneficia non ſuæ Eccleſiæ intruduntur, & propriis iniuria fit Clericis, vt ſupra ad initiũ noni capitis conſiderabant, imo & toti illi Ciuitati, cuius panis ab alienis comeditur, & ipſius iuuentus ſordeſcit, dum ſublata ſpe honorum & dignitatum domi conſequendarum, in doctrina & virtutibus non enutritur. Honos enim alit artes.

b Cæleſti. Ep.1. & diſtinct.61. c.12.13.

Laicos promoueri non debere ad vllum Eccleſiaſticum officium, ne dum ad faſtigiũ Epiſcopale, vndiq; ſtatuta circumſonant Eccleſiaſtica. Ex quo ſolo capite vel maxime vrget *c* Nicolaus, aduerſus Phocij ordinationẽ,& ipſas hac de re profert Eccleſiaſticas ſanctiones, de quibus ego egi lib. 3. c. 4. Laicis igitur Beneficiũ conferri nullo pacto licet, vt dicebat etiam Cœleſtinus, in præiudiciũ propriorum Clericorum. Itaq; beneficiũ Clericis tantũ dandum eſt, nimirũ qui iam ſint in Clericatu,& non, vt nunc fit, in fraudẽ, qui ex Laicis ſtatim primam accipiunt tonſurã,& tunc incipiunt eſſe Clerici. Quam fraudẽ aperui lib. 2. c. 4. n. 43. Cum igitur Clericus nullus fiat, niſi certę Eccleſię aſcribatur, nec ab illa poſſit amplius recedere nec vllus Epiſcopus poſſit alienũ Clericũ accipere aut promouere, quæ omnia ſunt Canonicis inſtitutis, vt mox oſtendã firmatiſſima, manifeſtũ redditur nõ poſſe, niſi conculcatis ſanctiſſimis Eccleſiæ legibus, vt iam conculcantur, dari vllum beneficium cuiquam, niſi Clericis originariis, & in ea Eccleſia ſua ſtipendia ſacra merentibus, in qua, ſeu ſub qua beneficium illud reperitur. XXIII.

c Nicola. Ep. 1.2.3.4.5.6.7.

Concilium profecto Chalcedonenſe dedit Canonẽ, qui fuit in Eccleſia ſemper accurate obſeruatus, ꝙ nõ *d* permittit dari alicui locũ in Eccleſia, niſi ſimul ad eum locũ is ordinetur, qui titulatus appellatur,& abſq; titulo tali ordinationes abſolutas, reſpuit & repellit. Et in Cõcil. Vrbani II. *e* irrita habetur ſine titulo facta ordinatio, & pcipitur, vt in qua Eccleſia quilibet titulatus eſt, in ea perpetuo perſeueret. Fatetur etiam Innocentius III. *f* tales abſolutas ordinationes ex vi Canonũ irritas eſſe & inanes. Quamuis ipſe Epiſcopos ordinantes obliget, vt talibus ſine titulo à ſe ordinatis ipſi neceſſaria ſuppeditent, donec eis de beneficio puideãt. Iam vero titulus patrimonij omnia corrumpit, vt ſupra *g* cõſideraui. Nullus igitur de iure poteſt eſſe Clericus, qui ſuæ Eccleſię, ſuoq; titulo nõ ſit allegatus. Alienũ vero Clericũ *h* nullus Epiſcopus poteſt aut retinere in propria Eccleſia, aut promouere, vt ſtatuit Cõcilium 3. Carthag. & *i* Mileuitanũ. Ex his ſequitur, ꝙ dicebam, beneficia nõ poſſe niſi propriis illius Eccleſiæ Clericis conferri. Solo excepto caſu, vbi illa Eccleſia idoneũ non haberet. Ait enim Leo I. *k* *Vt omnium Clericorũ atq; ciuium voluntate diſcuſſa, ex presbyteris eiuſdem Eccleſiæ, vel Diaconis optimus ordinetur.*] Cõcilium Chalcedon. generali præcepto inhibuit, *l* ne alterius Eccleſiæ Clericus in altera Eccleſia ordinetur, niſi qui propriã perdiderit Ciuitatem: pœnaſq; apponit excommunicationis, tam ſuſcipienti, quã ſuſcepto. Vide quæ de electione Epiſcoporum diximus & protulimus lib. 3. c. 4. XXIV.

d Concil. Chalced. c. 6.

e Diſt. 70. c. ſanctor.

f Cap. cum ſecundum de preb. & dign.

g Cap. 2. n. 24. & hoc c. 10. n. 2 ().

h Diſt. 71. c. Clericũ.

i c. placuit ea.

k Diſt. 61. c. Metropolitano.

l Diſt. 71. Clericus

Propterea

XXV. Propterea merito etiam octaua Synodus generalis Decretum hoc innouauit, *a* Vt, non niſi qui in eadem Eccleſia militarunt, ad maiores gradus promoueantur, & non alij aliunde petiti. Et Nicolaus primus: * *Scimus, inquit: ex ſacris canonibus, quod non minus mala conſuetudo, quam pernicioſa corruptela, vitanda ſit: Et ſcimus quod paulatim creſcens iam tuæ peſtiferæ nequitiæ gramine multos inuaſerit, adeo vt temeritas hac tantum excreuerit, vt iam minime Clericis egeāt, dum contra ſacros Canones ex ſe ipſis ſubito tonſuratū quem voluerint eligant, & ad labores Clericorum mentis oculos non inflectant. Ac per hoc fit, vt alienus comedat ipſorum fructus laborum, & ſtipendia meritorum extraneus hoſtis inſperatus ſurripiat, ita vt nihil proficiat Clericis in caſtris Dominicis militaſſe, vel gradatim per ſingulos Eccleſiaſticos ordines aſcendiſſe, dum alter ſaltu hos omnes tranſcendit, & repente principatur in eis, qui inter eos nec contra ſpirituales hoſtes arma ſuſtulit, nec diuerſis Eccleſiæ aduerſariis pro veritate prælians aliquando reſtitit.*]

a Oct. Syn. c. 13.
* Nicol. Ep. 7.

XXVI. Innocentius Tertius ab his ſanctiſſimis Eccleſiæ inſtitutis elongari noluit. Dum præcipit, *b Viduatam Eccleſiam, de perſona idonea, ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius, ſi digna non reperiatur in illa, ordinari.*] Et Honorius Tertius ad Epiſcopum Regin. ita reſcribit, *c Te nobis proponente didicimus, quod quidam Prælati Eccleſiarum tuæ iuriſdictionis in Eccleſiis ſibi commiſſis, ſine conſcientia tua, Clericos de alienis Epiſcopatibus inſtituere non verentur. Attendentes igitur id eis nulla ratione licere, cum ſit honeſtati contrarium, & à ſanctorum Patrum inſtitutionibus alienum.*] Et infra: *Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod tibi licet eos exinde remouere, niſi aliquos ex diſpēſatione in eiſdem Eccleſiis duxeris dimittendos.*] Ex quo colligit Gloſſa ibidem, *non poſſe eligi Prælatum ex aliena Diœceſi, ſed illū eſſe poſtulandum: & præualere* d *electionem perſonæ de proprio Clero, electioni factæ de alio, etiam ſi illa facta ſit à minori parte electorum.* Atque illud etiam ego obſeruo, in hoc Honorij reſcripto, Inſtitutiones illas alieni Clerici irritari, non ex defectu poteſtatis inſtituentis, ſed ex eo quod res ipſa in ſe ſit illicita, & contra Eccleſiaſticas ſanctorū Patrum ſanctiones. Conſiderent itaq; Summi Pontifices quomodo quotidie, cum tanto Eccleſiarum detrimento, & proprij Cleri iniuria, ac originariorum præiudicio, intrudant in illas Eccleſias alienos. Siquidem hoc in ſe iniuſtum eſt, & Patrum, quos ipſi etiam Summi Pontifices ſemper ſunt venerati, decretis aduerſans & repugnans. Quinimo Lex Imperialis Archadij & Honorij leges Eccleſiaſticas corroborat & confirmat, atq; vt illæ ſeruentur omnino cauet & præcipit: e *Ne, videlicet, in Eccleſiis aliis quam originarij locorum ordinentur.*

b Cap. Ne pro defectu de Electione.
c c. Te nobis de Cler. peregr.
d Gloſſ. in c. Cum inter Canonicos de Elect.
e C. Theodo. de Epiſco. & Cler. lib. 33.

XXVII. Et ratio id perſuadet vel maxime, nam vt conſiderauit cum Thoma f Sotus, *non parui æſtimandus eſt ingenitus amor, quem quiſq; ad natiuum ſolum habet: Extranei vero non eo affectu ſuam operam collocāt in bono ſubditorum: & ſic etiam ambitionibus & litibus magis obuiatur: & incolæ ſpe illa animantur, vt liberos ſuos literis & moribus informent.*] Id vero multo magis neceſſariū eſt, vbi externus miniſter Eccleſiæ, neq; multū ſui pecoris agnoſcit, neq; linguā intelligit. Adeo vt oues ipſius vocem ſui paſtoris non audiant, & dicere non poſſit ille, g *oues meæ vocem meam audiant*, & : *Ego agnoſco illas, & cognoſcunt me meæ.* Et Paulus: h *Si neſciero, inquit, virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus: & qui loquitur mihi, barbarus.*]

f Sot. de Iuſtit. & Iu. l. 3 q. 6. art. 2.
g Ioh. 10. 27.
h 1. Cor. 14. 11.

XXVIII. Inter ipſos vero originarios, & eiuſdem Eccleſiæ Clericos, delectus etiam habēdus eſt, vt dignior & aptior, præferatur minus digno & minus apto. Et dum aptitudo ex literis & ſcientia diſcernitur, comparanturque inter ſe iuris vtriuſq; peritus, cum Theologo, omnino Theologus prius, quam iuris peritus, cæteris paribus, eſt ad officia & beneficia Eccleſiaſtica promouendus. Quod in Epiſcopi promotione potiſſimum locum habere debere probaui ſatis libro tertio, in quo de Epiſcoporū electione & promotione multa dixi, ac oſtendi quibus nam Epiſcopalia munera ſint committenda. Hoc vero loco de minoribus beneficiis magis agimus. Theologica porro ſtudia eſſe maxime propria chriſtianæ Eccleſiæ nemo dubitet, quæ finem ſolum habet ſupernaturalē, æternam beatitudinem, fide, ſpe, & charitate conſequendam. Iuris vero & fori ſtrepitus ab ea ſunt remotiſſimi: *Nam & Paulus potius i iniurias pati cupit fideles, quam forenſibus tribunalium litibus implicari.* Iuriſtarum igitur ſubtilitates, & inanes occupationes in Eccleſiam irrepſerunt poſtquam temporalibus aucta eſt emolumentis, quæ illam maxime & turbarunt, vt iam oſtendi, & deturparunt. Eccleſiaſtici enim miniſtri, hoc eſt Euangelij annunciatoris eſt; *k Eloquia ſacra euoluendo, vt ait Sotus, recolere ac meditari; vnde doctrinæ pabulum gregi ſubminiſtret.*] Quod optimis probat auctoritatibus & confirmat. Et ego confirmaui lib. 5. ca. 2. n. 26.

i 1. Co. 6. 7.
k Sot. vbi ſupra.

XXIX. Dentur igitur beneficia pauperibus, meritis, dignis, graduatis, reſidentibus, originariis, & de proprio Clero, ac in eo iam probatis, & inſtructis. Atq; ita tamen dentur, vt honeſte ex eis viuant, & ſuſtententur, non tamen ditentur, nec nimium abundēt, ne ſimul & Eccleſiæ debitis obſequiis, & egentes alij Clerici eis debita ſuſtentatione & remuneratione fraudentur. Vt propterea Eccleſia tam ſerio ſemper beneficiorū pluralitatem in vnica perſona ſit deteſtata. Huc enim ſpectant leges omnes, quæ Clericos quoſq; propriæ alligant Eccleſiæ, quæque vetant Epiſcopos, alienos Clericos accipere, detinere, ac promouere, quæque ſolis propriis Eccleſiaſticas functiones iubent aſſignari. Sed pluralitatem ſpeciatim etiam prohibuerunt: Concilium Chalcedonenſe ſtatuit: *l Non licere Clericum in duarum Ciuitatum ſimul conſcribi Eccleſiis.* Septima Synodus idem prohibet, & rationem prohibitionis aſſignat, *m quia hoc eſt negociationis, & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine prorſus alienum:* applicatque huc illud Chriſti, *n Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire.* Et Apoſtoli: *o Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, maneat.* Indulget tamen extra Ciuitatem, propter ſacerdotum inopiam, vt vnus poſſit duabus ſeruire. Agathenſe Concilium vnū p Abbatem prohibet duobus præfici Monaſteriis, Gregorius, *q Quiſquis ſemel in hac Eccleſia, inquit, ordinem acceperit, egrediendi ex ea vlterius licentiam non habet.*] Vrbanus II. Canonibus ſanctis conſona præcipit: *r Ne quis in duabus intituletur Eccleſiis, niſi paucitas ſacerdotum Epiſcopi iudicio aliud ſuadeat.* Idem ſeuerius inhibet Concilium Pariſienſe ſub Lothario, & Ludouico lib. 1. cap. 49. & Metenſe ſub Arnulfo Can. 2. & Remenſe c. 2. vt & apud Burchard. Decret. lib. 3. c. 44. & Nanneten. ibid. c. 47.

l Concil. Chalced. c. 10. habetur 21, q. 1. c. 2.
m Ead. c. 1.
n Matt. 6. 24.
o 1. Cor. 7. 20.
p 21. q. 1. c. 4.
q 1. q. 1. c. ſi-lium veſtrum.
r Diſt. 71. c. ſanctor.

XXX. Hic tamen abuſus pluralitatis beneficiorum maxime inoluit, poſtquam inſtituta ſunt beneficia ſeparata: vtruſque is fuit & proprius ac infelix, infelicis huius inſtitutionis, partus. quæ ſane ſeparatio, diſſectio, & appropriatio, beneficiorumque inſtitutio, duodecimo iam poſt Chriſtum ſæculo facta eſt, cum maxima Eccleſiæ ſanctæ, Eccleſiaſticæque diſciplinæ relaxatione. Tunc enim ex ſpirituali tota in ſuis miniſtris carnalis facta eſt, & mundana. Gratianus profecto, qui hoc duodecimo ſæculo ſuum compilabat Decretum, præbendarū ſeparationem,

vt ſupra c.7.n.32.33.oſtendi, *a* illicitam & inconceſſam inuenit: Et quia illam iam fieri videbat, de illa tanquã de re noua *b* loquitur, neq; poteſt aſſentiri, vt præbendæ illæ in proprietatẽ tranſeant præbendatorum. Hæ igitur præbendarum diſſectiones, & minorum Eccleſiarum à totali maſſa ſeparationes, peculiaribuſq; ac perpetuis Rectoribus illarũ, extra manum & adminiſtrationẽ Epiſcoporum cõſignationes fecerunt, vt iam facile vnus in plures Eccleſias irreperet, & abſens etiam id quod iam ſeparatum fuerat, & illius adminiſtrationi commiſſum, ac Epiſcopis ereptum, ſibi vſurparet. Hoc vero grauiſſimum incommodum, Alexandro III. plurimum diſplicuit, & contra ipſum datis reſcriptis ſæpius pugnauit, mandans, vt qui plura tenerẽt beneficia, vno ſibi relicto ad vitam ſufficienti, reſignarent alia, aut etiam iis ſpoliarentur. Ita ſane in titulo de Præbendis & dignitatibus cap.5.6.13.14.15. & de ætate & qualit. & ord. præficiend. c. eam te. & c. conquerente. de Cler. non reſid. & de prælat. exceſſ. c. 1. Poſt Alexandrũ Lucius III. abuſum hunc vidit, & fraudes agnouit eiſque vt occurreret laborauit, ſtatuitq;: *c* Vt qui Romæ beneficiũ peterent exprimerent prius, ſi ꝙ aliud beneficiũ obtinerent, alioquin noui impetratio nulla eſſet. Idẽ poſtea & *d* Honori⁹ *e* & Innocentius vterque III. & *f* Bonifacius VIII. ſanxere. Quæ lex adhuc cum rigore ſeruatur: non tamen vt nimium auidi & inſatiabiles repellantur, (huc enim lex collimare deberet) ſed vt addita in Bullis diſpenſatione maior vis pecuniæ corradatur.

a 12. q. 2. c. Vobis.
b c. illi autem §. de rebus, & c. Nulli §. ſi ergo, Ea.
c c. ad aures de reſcrip.
d c. in noſtra ep.
e c. ſi proponente eo.
f c. Collatio de off. leg. in 6.

XXXI. Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, qui circa initia Innocentij III. Pontificatus diem ſuum clauſit extremum, à ſua Eccleſia abuſum hunc euertere eſt conatus, ita ſtatuens: *g Inſtitutionis Eccleſiaſticæ forma multis excogitata vigiliis, ſecundum diuerſitatẽ locorum & temporum, perſonarumq; & cauſarum varietatem, diuerſis conſuetudinibus ordinatur, & regitur, diſponitur, & ſeruatur: Vna tamen eſt Eccleſia, vna Dei columba, vna fides Catholica, vna circumdata varietate religio chriſtiana. In hos autem omnes Apoſtoli & Euangelici Patres vnum præbuerunt conſenſum, vt qui altari ſeruiunt, de altari viuant, qui gregem paſcunt de lacte gregis edant, fructum vineæ colligãt, qui vineam plantant, & in vinea laborant. Sicut enim non debet alligari os bouis triturantis, & dignus eſt operarius mercede ſua, ita & præcipitur, vt qui non laborat non manducet. Omnia tamen diebus noſtris infirma ſunt tempora, & homines ſe ipſos amantes, & quærentes quæ ſua ſunt in pluribus Eccleſiis connumerari, & intitulari volunt, & in ſingulis percipere ſtipendia. quamuis vel tenuiter non deſeruiãt in vna. Nos multitudini parcentes, & fratrum compatientes infirmitatibus eos de collegio noſtro, qui à modo canonici inſtituuntur in Eccleſia noſtra, ſi aſſidue in ea manſionarij non fuerint, nõ omnino priuare volumus beneficio, nec plena cum aliis percipere ſtipendia, qui in vinea Domini pondus diei portant & æſtus. Statuimus igitur, &c.*

g Tornac. Epiſc. 8.

XXXII. Innocentius III. & ipſe non ſine graui animi ſui ſenſu abuſum hunc ſuis temporibus in pluribus Eccleſiis & aduertit, & increpauit. Ad Neapolitanum Archiepiſcopum ita ſcripſit: *h Cum ſecundum doctrinam Apoſtoli non ſit conueniens, vt vnus ſit ebrius & alter debeat eſurire, nec iuxta inſtituta Canonica vni perſonæ tantum debeat de redditibus Eccleſiaſticis aſſignari, vnde ſcrupuloſo corde alij moueantur, qui ad diſpoſitionem Pontificis ſunt pro perſonarum meritis diuidendi, non ſufficimus admirari, quod, ſicut noſtris auribus eſt relatum, in Eccleſia tibi commiſſa ſtipendiis obtinendis, quod iniquum eſt & abſurdum, imperiti magiſtris, noui antiquis, rudes emeritis præferuntur. Vnde Ioannes filius quondam Comitis Aliern. Eccleſiæ tuæ Clericus, plus potentia patris ſui, quam prædeceſſoris tui ſpontanea voluntate, vltra viginti Eccleſias, in Ciuitate Neapolitana & in maiori Eccleſia beneficium maximum proponitur obtinere. Cum ergo in nullius perſona permittendum ſit, quod inſtitutis generalibus continetur, fraternitati tuæ autoritate præſentium indulgemus, vt non obſtante Ap. diſ. ſuperfluitatem ad moderamen reducas, non plus de redditibus Eccleſiaſticis Clerico præfato dimittens, quam apud vnum de plus habentibus noſcitur reſidere: aliis omnibus beneficiis perſonis idoneis conferendis, quæ cum officiis diuinis inſeruiant, nondum adepta ſunt ſtipendia Clericorum.*] Et ad Auxitanum: *i Dignitates,* inquit, *& cætera beneficia Eccleſiaſtica pia fidelium deuotione conſtituta fuerunt, certis aſſignanda perſonis, vt per ipſas perſonas in Eccleſiis deuotum ſeruitium iugiter impendatur. Verum quidam qui rectam & piam ordinationem Eccleſiæ præuaricare minime pertimeſcunt, in diuerſis Eccleſiis plures ſibi Archidiaconatus, vel alias dignitates vſurpant: Propter quod Eccleſiæ debitis defraudantur obſequiis. & ex hoc in eis non leue ſcandalum generatur. Ea propter venerabilis in Chriſto Frater, tibi auctoritate præſentium indulgemus, quatenus illos qui plures Archidiaconatus, dignitates, vel perſonatus, in eadem Eccleſia, per totam Auxitan. Prouinciam habere conſueuerit, ſi Prælati eorum poſt tuam commonitionem id exequi negligenter omiſerint, data illis optione quem maluerint retinendi, reliquos poſſis, appellatione remota, priuare ipſoſque, ſi ſuper hoc contumaces apparuerint, per cenſuram Eccleſiaſticam coercere.*

h Innoc. 3. lib. 1. Ep. 414.
i Idem li. 1. Ep. 84.

XXXIII. Cumq; nimium abuſus hic inoleſceret, nec priuata ſatis eſſent remedia, in Concilio Lateranenſi antiquas harum pluralitatum prohibitiones idem Innocentius *k* innouauit ac ſeueriori publica lege data euitandas mandauit, pœnaſq; impoſuit priuationis beneficiorum accipienti, & priuationis poteſtatis conferendi collatori. Iiſdem inſtiterunt veſtigiis *l* Gregorius X. *m* Bonifacius VIII *n* Clemẽs V. *o* Ioannes XXII. Synodus *p* Auguſtenſis eandem pluralitatem paulo ante Concilium Tridentinum ſeueriſſime prohibuit & poſtremo *q* Conciliũ Tridentinum. ſed omnes hæ prohibitiones fruſtra factæ ſunt. Romanæ diſpenſationes, & non obſtantibus eas ad nihilum redegerunt.

k c. De multa de præb. & dign.
l c. ordinarii de off. ord. in 6.
m c. conſuetudinẽ de conſuet. in 6. & c. cum ſingula de præb. & dig. in 6.

XXXIV. Gerſonius ſolita ſua pietate & libertate, inter defectus quos compendioſe commemorat virorum Eccleſiaſticorum, vt probet Eccleſiam reformatione maxime indigere, pluralitatem hanc ponit ſub n. 49. in tract. de defectibus, dicens: *Iterum ad quid expedit, aut quid vtilitatis Eccleſiæ confert tam magnifica Principum gloria, & tam ſuperflua Prælatorum & Cardinalium pompa, vt quaſi ſe homines eſſe neſcire faciant? Et quæ vtiq; abbominatio, quod vnus tenet ducenta, alter trecenta beneficia Eccleſiaſtica? Nonne inde cultus diuinus diminuitur, Eccleſiæ depauperantur, valentibus viris & Doctoribus priuantur, fidelibus mala exempla dantur.*] Et ſub n.51. *Quid eſt,* inquit, *quod hodie vnus, vtinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinq; vel ſex, vel octo beneficia, quorum vno non eſt dignus quibus octo ſuſtentari poſſent, doctrinis, orationibus, & diuinis laudibus inſiſtentes? Attendite an potius hodie equi, canes, & aues, & ſuperflua Eccleſiaſticorum familia patrimonium Eccleſiæ comedere debeant, quam pauperes Chriſti? Vel quam ad diuini cultus ampliationem, & pro infidelium conuerſione, aut in huiuſmodi pietatis operibus modis congruis expendendum ſit?*] Et in ſermone, quem coram Alexandro Papa habuit in die Aſcenſionis Domini hæc habet. *Videas alios nouem ordinibus non contentos, non enim nouenis beneficiis ſaturantur, tamdiu nouos hiatus pandere, quamdiu viuant, coniungere domum ad domum, agrum agro copulare: quaſi in medio terræ ſoli habitarent, ipſum vero r Propheticum pro fabula contemnere. Videmus fere omnes ſummis importunitatibus in leges irruere, dum nunc petunt gratiã obtinendorum ſimul incompatibilium, nunc in abſentia poſſe fructus colligere, nunc ante*

n Clementina ſi plures de præb. & dign.
o Extrauag. execrabil. eo. & extrauag. ii quos in com. de off. lud. ord.
p Syn. Auguſtæ c. 11.
q Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 4. & ſeſſ. 24. c. 17.
r Eſa. 5.

omnes

omnes dignitates aſſequi; nunc ad ſacros ordines non compelli: & mille alia rectè legibus vetita.]

XXXV. a Duar. de Sac. Min. Eccl & beneſ. l. 8. c. 4. Non minus pie quam erudite abuſum hunc etiam Franciſcus Duarenus eſt deteſtatus ita ſcribẽs; a In gratiam vero perſonarum magis quam Eccleſiæ, beneficia coaceruare, quamuis & genere, & doctrina aliis antecellant, peſſimi res Exempli, & antiquis Canonibus omnino contraria eſt. Itaq; gratiam horum Canonum à ſolo Pontifice Romano, cuius voluntas pro ratione habetur, fieri poſſe cõſtitutum b eſt. b De mul de præb. & dign. *Atq; ita Canones prima ſpecie inuicem pugnantes conciliari poſſe videntur: quamuis alij aliter nodum diſſoluant - - - Hinc fit vt captatores beneficiorum Romam certatim curſitent, prætextu literaturæ, aut nobilitatis, veniam à Pontifice impetraturi, (quæ nemini, quamlibet indigno nebuloni, modo is numeret, denegari conſueuit) Quæ ex re, tanta Eccleſiæ deformatio exorta eſt, & prope dixerim πανολεθρία, vt nulla vis humani ingenij ad eam dignitatem exprimendam ſufficiat. Prodigioſa ſane res eſt, in Eccleſia hæc beneficiorum cumulatio: quæ ſine delectu paſſim recipitur: nec minus mihi monſtroſi videntur qui tot perſonas in Eccleſia ſuſtinent, quam Briareus ille, qui manus centum habuit, vt eſt in fabulis: aut Geryon, quem trium fuiſſe corporum perhibent.*]

XXXVI Habemus & antiquas ſanæ puræque Eccleſiæ in hoc genere leges & prohibitiones, ne vnus duabus aut pluribus præficiatur Eccleſiis: & recentiores Eccleſiæ iam infirmæ, & contaminatæ: Illæ ſunt liberæ, vniuerſales, & abſolutæ: hæ vero limitatæ conditionatæ, & plenæ exceptionibus. Solam in antiquis vnicam reperio exceptionem, quam ipſa lex naturæ ſecum fert, & dictat: nimirum, vbi paucitas miniſtrorum cogit, vt vni duæ, aut paulo plures Eccleſiæ, minores tamen, non Cathedrales, regendæ committantur. Altera vero exceptio, quam ponunt moderni, vt ſi tenuis ſit vna, alia addatur, (etiamſi & ipſa iuri naturæ ſit conſona) quouſque ſufficiant ad victum honeſte ſuſtentandum, vt loquitur Concilium Tridentinum: Hæc tamen exceptio, ante præbendarum & beneficiorum ſeparationes, locum non habuit: quia omnes Clerici ex vnico, & eodem cumulo bonorum omnium Eccleſiarum illius Diœceſis, in ſolidum congregato, ad ſufficientiam ſuſtentabantur. Et iuſſu ac iudicio Epiſcopi, onera Eccleſiarum, inter ipſos diſtribuebantur: ſiue Parochiales illæ eſſent, ſiue non: nulla enim Eccleſia ſine dote ædificabatur, aut conſecrabatur: ac propterea nulla erat quæ ſuum onus ad iunctum non haberet: etiamſi cura multæ carerent animarum. Ac noua eſt, & olim inaudita hæc diſtinctio, inter beneficia cõpatibilia & incõpatibilia: Inter curata & ſimplicia: inter reſidẽtiam requirentia, & non requirentia: Omnes n. Eccleſiæ ſub Epiſcopi poteſtate erant: & ille omnibus per ſuum proprium Clerum in ſua Eccleſia matrice reſidentem & aſſiduum æque prouidebat Curatis ac non curatis, & omnium onera ſuſtentabat: neque opus habebat diſtinguere compatibilia ab incompatibilibus: quia per ſuos Clericos omnium obſequiis & oneribus abunde ſupplebat: Ac interim totum ille Clerum, ex bonorum omnium Eccleſiarum communi illa maſſa, ſuſtentabat. Quæ fuit feliciſſima, per mille & vltra annos, Eccleſiarum adminiſtratio.

XXXVII. Nunc vero rebus omnibus, ex beneficiorum ſingularium erectione & dimembratione, perturbatis, hæ pluralitatis leges potiſſimam faciunt exceptionem, vt tot vni poſſint cõferri beneficia, vnum Curatum aut reſidentiam requirens, & alia ſimplicia, quot ad vitam eius ſuſtentandam ſufficiunt. Et quia Cardinales, & perſonæ aliæ nobiles, vt Regum filij, ventres habent in immenſum extenſos: imo in ventribus altiſſimas voragines: ideo Cardinales, & Regum filios excepit extrauagans illa vere execrabilis, ne lex vetans beneficiorum pluralitatem ad iſtos ſe debeat extẽdere: Et hoc ſupra n. 34: Gerſonius merito deplorabat. Haſq; pluralitatum prohibitiones Romanæ Curiæ defenſores Canoniſtæ faciunt iuris poſitiui, vt locum habeant Papæ diſpenſationes: quæ tamen, vt querebatur Duarenus, nemini, dummodo intercedat pecunia, iam negantur: Vt manifeſtiſſima res ſit, prohibitiones illas, non ad vitandum abuſum turpiſſimum, ſed ad occaſionem lucri ex diſpenſationibus (vt fit in omnibus Canonibus) ab Eccleſia Romana proponi, & edici. & ſi abuſus diſpliceret, eumque tollere cuperent Romani Pontifices non abſoluerent de pluralitate c accuſatum, & delatum, & conuictum, c c Cũ Eccleſiaſtic. de excep. ex eo tantum, quod accuſator & ipſe eadem pluralitate abutatur: idque pro vniuerſali lege ſtatuerent, & publicarent. neque definirent, d collatiõnẽ quidem legati de nouo beneficio alicui factam, d Clem. et ſi de off. Iud. ord. ſine mentione alterius beneficij quod ille poſſideret, nullam eſſe: In aliis tamen quibuslibet collatoribus, legem hanc non eſſe obſeruandam: ſicut neque in e Collationibus quas Papa faciat motu e Clem. ſi Roman. de præb. & dign. proprio. Neque demum tam facile cõtra hanc pluralitatem tot concederent diſpenſationes. Quarum cum ſola, vt vidimus, legitima cauſa ſit vel Clericorum nimia paucitas & inopia, vel etiam beneficiorum ad vitam non ſufficientium tenuitas, profecto vbi hæ cauſæ non adſint, diſpenſatio erit diſſipatio, quæ & diſpenſantem grauiſſimo peccati deprimit onere, & diſpenſatum ab iniquitate & iniuſtitia non liberabit. Et de pluralitate quidem eorum quæ ſint curata hoc expreſſe tenet & docet Sotus: f Papalem nimirum diſpenſationem eſſe cum f Sot. de Iuſt. & Iu. l. 3. q. 6. ar. 3. iniquitate, & rurſum non reddere diſpenſatum in conſcientia. Ego vero de beneficiis cuiuſcunq; generis idem conſtanter affirmo & probo. Quia ſolam ad ſummum beneficiorum diſpẽſationem habet Papa, vt idem Sotus ibidem optime probat, & nullum dominium: Non ergo poteſt aliud, niſi cum debita prudentia & iuſtitia beneficia ipſa diſtribuere, & diſpertiri, ſingulis nimirum g prout cuique g Act. 4. 35 opus ſit. Quantum nimirum ſufficit ad frugalem vitam Clericorum, vt docui & probaui ſatis capite ſeptimo. Neq; fingamus nobis gradus quoſdam, & decentias imaginarias, ab Eccleſiaſtico homine, & ſpiritu, ac ipſius profeſſione alieniſſimas. Redditus porro Eccleſiaſtici, quicunque illi ſint, & cuiuſcunque Eccleſiæ, tam ſimplicis quam Curatæ, Clericorum non ſunt, niſi pro ſola ipſorum neceſſaria (ſi tamen in Eccleſia laborãt) ſuſtentatione. Quicquid ſuperfluit, id pauperum eſſe iam eodem ca. 7. probauimus.

XXXVIII. Tu vero, Sote, vnde probas in beneficiis ſimplicib pluralitatem, ẽt abſq; diſpẽſatione, licere? h *ſcio,* h Sot. vbi ſup. conclu. 4. inquit, *Gloſſas ſacrorum Canonum multas in contrarium ire: ſed tamen non ſolum iam receptus vſus, verum & ratio noſtram concluſionem edocet.*] Scias tamen, Sote, vſum tuum eſſe abuſum, & meram corruptelam, quippe tot ſanctiſſimis ſanctionibus contrarium. Rationem à te peto. *Conſuetudo,* inquit, *poteſt deſuetudine abrogare ius humanum: & habere duo vel plura beneficia non eſt contra ius diuinum, aut naturale: quia per iuſtitiam etiam commutatiuam Eccleſiis de miniſtris prouidendum eſt. Vbi autem reſidentia non eſt requiſita, ibi Eccleſia non læditur, ob præbendarum pluralitatem.*] Hæc ille. Ego vero iam docui & probaui num. decimoquarto, omnes Eccleſias proprio miniſtro indigere.

Et ſane Eccleſiæ miniſtri ex iuſtitia commutatiua nihil aliud Chriſti, Apoſtolorũ, & Sanctorum Patrum inſtitutione poſſunt petere, aut prætendere in hac mortali vita, niſi ſolam neceſſariam, & illam modeſtam ac frugalem ſuſtentationem. Ex iuſtitia vero diſtributiua non ſola neceſſaria poſtulant, ſed etiam nonnihil plus ad modeſtam commoditatem, iuxta illud Apoſtoli, a *Presbyteri duplici honore digni ſunt, qui laborant in Verbo & doctrina.*] Semper tamen intra terminos Clericalis paupertatis, frugalitatis, & modeſtiæ. Et hæc paupertas frugalitas, & modeſtia de iure diuino eſt, vt docui, abundanter in ſuperioribus cap. 5. & 7. non humano. Et de iure diuino naturali eſt, vt aliena non ſurripiantur, neque vſurpentur. quicquid vero Clerico ex quocunque beneficio vltra neceſſaria ſuperfluit, id totum pauperum eſſe iam demonſtraui.

a 1. Tim. 5. 17.

Et reſidentia in omni beneficio, quantumcunque ſimplici, iure diuino naturali requiritur, vt oſtendi ſupra à numero 14. & magna fit læſio Eccleſiis vbi vnus plures regit, quia perſonali opere eis vt tenetur non deſeruit: & quia fructus deſeruientibus & pauperibus debitos ille ſibi rapit, & quibus illi debentur, aufert. Quanto minus poteſt Sotus b concedere diſpenſationes in beneficiis reſidentiam perſonalem & aſſiduitatem ex noua diſtinctione citra controuerſiam requirentibus; & tamen illam concedit. Quia Eccleſiaſtica ſuſtentatio Clericis non debetur, vt iam declaraui & probaui, niſi pro opere perſonali: aut nomine veræ paupertatis, & indigentiæ. & qui non laborans in Eccleſia de bonis Eccleſiæ viuit; iſte alienos, & ſibi indebitos cibos rapit.

b Sot. vbi ſup. concl. 5.

XXXIX. Melior eſt ſexta eiuſdem Soti concluſio: quæ, meo iudicio, deſtruit duas præcedentes, & illarum arguit falſitatem, dum ait c *Quod huiuſmodi beneficiorum coaceruationes, ſiue per diſpenſationem fiant, ſiue ſecus, carere non poſſunt culpa, etiam quandoque mortali, ac graui ſcandalo, in Eccleſiarum detrimentum: idque potiſſime vbi nimium accumulantur, & perſonis deputantur indignis. Iam enim nulla ſpectantur, aut deſiderantur merita: ſed perinde quin etiam turpius atque impudentius, quam ſecularia, & profana ambiuntur, cambiuntur, veneunt, hereditantur, regreſſantur, profanantur, ac dilapidantur.*] Digni vero Eccleſiaſtico ſtipendio Clerici, & hoc ad ſolas vitæ neceſſitates, nulli prorſus ſunt, niſi ſoli illi qui actu ipſo & opere Eccleſiaſtica obeunt miniſteria. Quid enim Eccleſiæ cum Optimatibus, Nobilibus, Regum filiis, ſapientibus ſæculi, Cardinalibus, & Curialibus: quando illi Euangelium non annunciant: Sacramenta non miniſtrant: Diuino cultui non deſeruiunt: & reliqua Eccleſiaſtica officia non exercent? Et incommoda quæ hic recenſet Sotus, incommoda ſunt directe contra ius diuinum & naturale, & non contra ſolum ius humanum. Dices; *Eccleſia tamen prohibet has pluralitates?* Sed nemo neſcit Eccleſiam ſuis legibus ſæpe multa præcipere aut vetare, quæ etiam abſque Eccleſiæ iuſſu, vel præcepta ſunt vel vetita diuino iure naturali. Vt quando Paulus præcipit d *Epiſcopum non debere eſſe vinolentum, percuſſorem, turpis lucri auidum, &c.* Erit quidem humanum duntaxat præceptum, vt vnus Clericus non intituletur in duabus Eccleſiis, de quo ſupra Concilium Chalcedonenſe: num. 29. ſed ne Clericus in duabus Eccleſiis intitulatus ab vtraque plena accipiat alimenta, eſt ius diuinum naturale: ne quis alienam ſibi vſurpet ſuſtentationem. Veriſſima igitur & vniuerſalis debet eſſe illa Soti propoſitio, quam de ſolis curatis ipſe enunciat; nimirum: e *Itaque & Papa ſine legitima cauſa diſpenſans grauiter delinquit, & eius delictum non liberat ambientem, obtinentem, & retinentem à culpa.*] Hæc de pluralitate.

c Sot. ibidem cõcl. 5.

d Tit. c. 7.

e Sot. ibidem concl. 7.

XL. Denique circa perſonas beneficiandas vehementer collatores aduertere oportet, *vt non* f *tam cito*, neque tam multis, ſacri præſertim ſacerdotij *manus imponant.* Ex nimia enim Clericorum multiplicatione ſequitur nimia alimentorum conſumtio. Atque inde, vt monui, ſupra, numer. 4 & ſordida officia, & turpia lucra, & ſimoniæ, & mala plurima oriuntur. Eccleſia ſane quæque, non admodum multis eget miniſtris. Et pro facultatum oblationumque quantitate, numerus etiam debet præſcribi Clericorum. Quod ſi abſolutæ vt Canones ſupra allati præcipiunt, vitarentur ordinationes, & non niſi ad titulum Eccleſiæ Clerici ex ſe pauperes ordinarentur, ac ſane pro ſolis neceſſariis miniſteriis, non videremus tantam Eccleſiaſticorum ocioſorum, ac indiſciplinatorum turbam. Audiamus, quæſo, Zozimum: g *In cæleſti, inquit, militia —— ſtatim Dux eſſe deſiderat, cum tyro ante non fuerit: & prius vult docere, quam diſcere. -- facit hoc nimia remiſſio conſacerdotum noſtrorum, qui pompam multitudinis quærunt, & putant ex hac turba aliquid ſibi dignitatis acquiri. Hinc paſſim numeroſa popularitas, etiam his locis vbi ſolitudo eſt, talium reperitur, dum Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præſtare non poſſunt, diuinos ordines largiuntur. Quod oportet diſtricti ſemper eſſe iudicij. Rarum eſt enim omne quod magnum eſt.*] Pompa igitur Epiſcoporum ad habendam multitudinem clientelæ, & obſequia famulantium, quibus pro ſtipendio ſacri ordines conferuntur, multitudinem inutilem parit ſacerdotum: nec modo inutilem, ſed etiam contemptibilem. Ideo olim, Hieronymi tempore, Romæ Diaconi honorabiliores erant quam presbyteri: *quia* h *Diaconos, vt ait* idem Hieronymus, *paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles faciebat.*]

f 1. Tim. 5. 22.

g Diſt. 59. c. ſi officia.

h Hieron. Ep. 85. ad Euagr.

XLI. Vis ſcire, lector, quam contemptibiles reddat multitudo ſacerdotes? audi Agobertum Epiſcopum Lugdunenſem fœditatem ſui temporis omni lachrymarum fonte plorantem. i *Quando increbuit,* inquit, *conſuetudo impia, vt pene nullus inueniatur anhelans, & quantulumcunque proficiens ad honores & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat ſacerdotem, non qui obediat, ſed à quo inceſſanter exigat licitam ſimul atque illicitam obedientiam, non ſolum in diuinis officiis, verum etiam in humanis. Ita vt plerique inueniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut ſacrata vina miſceant, aut canes ducant, aut caballos quibus fœminæ ſedent regant, aut agellos prouideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus, bonos ſacerdotes in domibus ſuis habere non poſſent (nam quis eſſet bonus clericus, qui cum talibus hominibus deboneſtari nomen & vitam ſuam ferret?) non curant omnino quales Clerici illi ſint, quanta ignorantia, ſeu quantis criminibus inuoluti: tantum vt habeant presbyteros proprios, quorum occaſione deſerant Eccleſias, ſermones, & officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem apparet ex hoc, quod non habeant eos in honore: vnde & contumelioſe eos nominantes, quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos, aut iubent dicentes: habeo vnum Clericionem, quem mihi nutriui de ſeruis meis propriis, aut beneficialibus, ſiue pagenſibus: aut obtinui ab illo vel illo homine ſiue de illo vel illo pago: volo vt ordines eum mihi presbyterum. cumque factum fuerit putant ex hoc quod maioris ordinis ſacerdotes non eis ſint neceſſarij: & derelinquunt frequenter publica officia, & prædicamenta.*]

i Apud Baron. to. 10. in append. ad an. 750

XLII. Hodie vero pejora videmus. Iam enim quot pene homines ſunt, præſertim nobiliores; ſiue etiam

quot

quot fœminæ, tot ſacerdotes oportet multiplicare: vt ſingulis ſingulæ, ſuis horis, ſiue momentis commodis, miſſæ celebrentur; ne parum quid incommodi capiant, ſiue maturius ad Eccleſiam propetando, ſiue in Eccleſiis vnam communem miſſam expectando: &, quod peius eſt, ne inter ignobile vulgus diuinis aſſiſtant myſteriis; & ad pompam duntaxat proprios plurimi volunt habere Capellanos ne dicam, an mancipia? Et quia in domibus priuatis, ac profanis cubiculis, vt aliquãdo, ſacra myſteria celebrari paſſim non promittuntur, hinc tot oratoria, ſacella, & Capellæ ſunt extructæ, tot altaria in ſingulis Eccleſiis erecta: cum ſacri Eccleſiaſtici miniſterij iniuria graui, & maximo ſpirituali detrimento, Eccleſiaſticæque diſciplinæ ingenti relaxatione. Vbi enim prius vnica in die miſſa in ſolis matricibus Eccleſiis, & Parochialibus, præſertim Dominicis & feſtis diebus celebrabatur publica & communis, ad quam fideles omnes concurrebant, verbum Dei audiebant, de ſacris & ſpiritualibus rebus inter ſe conferebant, ſynaxes frequentabant, diuinas laudes canebant, & ſacramenta diuina percipiebant, iam his omnibus prætermiſſis quiſque ſibi ſatis religioni feciſſe cumulate arbitratur, ſi vnicam miſſam priuatam, quam citiſſime obmurmuratam & deuoratam audiat. Imo ne audiat quidem, ſed ſolam corporis præſentiam tantiſper, dum illa quam citiſſime abſoluatur, etiam aliud agens accommodet. Nos vero ſtulti & inſani Prælati tantæ indeuotioni & indignitati ſubſeruientes, & multitudinem ſacerdotum non Eccleſiæ, ſed hominibus obſequentium ordinamus, & oratoria ac ſacella conſecramus: & altaria innumerabilia erigimus & noſtræ etiam interim inertiæ obſecundamus, dum ſic labores verbi & ſanæ doctrinæ, & ſpiritualium exercitiorum fugimus, & declinamus.

XLIII. Lanfrancus ſane Archiepiſcopus Cantuarienſis vir inſignis doctrinæ & ſanctitatis, ante quingentos circiter annos inter abuſus graues, quos ex Regno
a Apud Baron. to. 11. an. 1089. n. 15. Hyberniæ per Regem tolli cupiebat, ponit hunc: a *Quod in villis vel Ciuitatibus plures ordinantur.*] Vnicum enim ſacerdotem in vnaquaq; Eccleſia ſufficientiſſimum, de antiquo more Eccleſiæ, eſſe ſciebat. & hunc abuſum reponit inter alias, *quas ipſe vocat prauas conſuetudines, quæ à ſacris legibus improbantur.*] Praua profecto conſuetudo eſt multiplicitas presbyterorum, quia paſtores animarum vix vnquam poſſunt proprias oues colligere, iiſque debita pabula ſpiritualia impertiri, eas monere, hortari, increpare, arguere, docere, inſtruere, reficere: quia iam quot oues fere tot ſunt etiam paſtores, non paſtores ſed mercenarij, & fortaſſe lupi, vt alias conſideraui lib. 2. & lib. 10. conſiderabo: Interim tamen placet huc patrum Senonenſium ſenſum apponenere, & videndum exhibere.

XLIV. b *Ne populus*, inquiunt, *diſtrahatur à Miſſa Parochiali, & ab auditione mandatorum Dei & Eccleſiæ, prohibemus, ne in capellis ab antiquo etiam Epiſcoporum auctoritate*
b Syn. Senon. in decretis morum c. 15.
fundatis alia miſſa celebrẽtur, quã illæ quæ de fundatione extiterint: & ſi quæ ſint miſſæ, quæ ex tenore fundationis dici debeant, die Dominico non dicantur, niſi poſt miſſam Parochialem. Admonemus inſuper ſuffraganeos noſtros, vt ex cauſis præmiſſis, & præſertim hoc tempore, quo videmus multos adduci ad contemptum præceptorum Eccleſiæ, & miniſtrorum eiuſdem, non facile admittant fundationes Capellarum, quibus ordinatur celebratio miſſæ Dominico die: & potiſſimum hora, qua populus vniuerſus conuenire debet, ad audiẽda diuina, præceptaque Dei, & Eccleſiæ. Et vt magis ac magis tollatur occaſio celebrandi miſſas in locis, ac oratoriis priuatis, iniungitur ſuffraganeis noſtris, vt nõ ſint faciles ad conſecranda altaria portatilia: ſed tunc demum ad ea conſecranda accedant, cum intellexerint ea eſſe requiſita pro Eccleſiis, aut aliis locis, in quibus licite celebratur. Et per ſuos Decanos rurales, alioſue officiarios prouideant, ne prædicta altaria portatilia retineantur in domibus priuatorum.] Hæc illi. Quibus, vt vides, plurimum cordi fuit, vt vtiliſſimæ ſynaxes totius populi, ad vnicam miſſam peragerentur in ſolis Eccleſiis matricibus, & Parochialibus: priuatarumque miſſarum vſus, quam maxime fieri poſſet, reſtringeretur: ne fideles priuatis hiſce miſſis contenti, à Conuentu publico refugerent, neque à paſtoris ſui proprij vultu ſe auerterent.

Ex alia vero, à me ſupra commemorata cauſa capite de paucitate Eccleſiaſticorũ cupit etiam Gerſonius, dum ait: c *Tutius eſſe videtur apud Eccleſiaſticos viuentes ex dotationibus pauciores eſſe in numero Monaſteriorum, vel perſonarum, vel Eccleſiarum collegiatarum, quam ſubire nimias ſolicitudines, & periculoſas anxietates in corpore & anima: in redditibus comparandis & augendis: maxime ſi ſpeciem vſurariæ, vel ſimoniacæ prauitatis apud ſimplices habere videantur.*] Et Sotus d *diffiteri non poteſt numerum iam nunc ſacerdotum iuſto ampliorem in Eccleſia permitti, admittique citra delictum in hunc ordinem, quoſcumque.*] Sacræ vero literæ multitudinem hanc merito contemnendã docent: dum e Gedeonis exercitus triginta duorum millium militum ad trecentos tantum redactus eſt, qui Madianitas deuicerunt, qui non flexo poplite aquas mundanas ad ſatietatem cum magna ingluuie deuorabant, ſed manu ad os admota, erecti vix eas delambebãt. Vtiliores ſunt Eccleſiæ pauci boni, quã plurimi inepti & mali. Duodenarius numerus f Apoſtolorum in Chriſti famulatu perſeuerauit, & totum mundum conuertit: ſeptuaginta vero & duo defecerunt, & receſſerunt. g *Regnum cœlorum*, hoc eſt, Chriſti Eccleſia *ſimilis eſt grano ſynapis, paruo mole, magno virtute: & fermento, cuius parua particula magnam fermentat farinæ maſſam. Et non eſt h difficile Domino, ſaluare ſiue in multis, ſiue in paucis.*] Imo tunc ſolus Ionathas cum vnico ſuo armigero caſtra eſt aggreſſus Philiſtinorum, & poſt illum valde pauci de maximo hoſtium exercitu victoriam obtinuerunt ſingularem. Multitudo ergo Sacerdotum eſt omnino contrahenda.

XLV.
c Gerſon. de contractib. ad fin.
d Sot. de iuſt. & Iu. l. 7. q. 6. ar. 2. ad fin.
e Iud. 7. 7.
f Io. 6. 70.
g Matt. 13. 31.
h 1. Reg. 14. 6.

* *
*

CAPVT

CAPVT XI.

Commendas & Penſiones iam fieri illegitimas.

Svmma Capitis.

Inducitur quæſtio de Commendis. num. 1. *Occaſiones Commendarum ad tempus, fuerunt aliquæ legitimæ. num.* 2.3. *ſed abuſus irrepſit perpetuarum Commendarum, quæ omnino prohibita ſunt. à n.* 4. *ad num.* 12.

Commendatarij omnes legibus reliquorum beneficiatorum tenentur. n. 13. *Et Commendatarij ordinum militarium inſtruuntur, contra Nauarrum. n.* 14.15.16.17.

Penſiones etiam aliquando ex iuſtis cauſis legitimæ fuerunt. à n. 18. *ad n.* 23. *ſed poſtea iniuſtæ, & iniquæ inſurrexerunt, quas Eccleſia prohibuerat. n.* 24.25.26.

Penſionum iniquitas manifeſtatur. numer. 27.28.29. *Et excuſatio illarum tollitur. num.* 30.31.

Iuſtas penſiones melius Epiſcopi imponunt, quam Papa. n. 32.

Incommoda, & mala ex penſionibus iniuſtis multa prodeunt. n. 33.

Indicia iniuſta circa penſiones Romæ, & fraudes deteguntur. n. 34.35.

I. MIrvm eſt, & amaris lachrymis deplorandum, quam fœde Romana Curia optimas ſiue leges, ſiue conſuetudines ſacroſanctæ Eccleſiæ ad optimum regimen primum inuentas, & in vſu poſitas, totas carnalem tantum ſecuta ſenſum ad ſe, ſuoſque in temporalibus ſublimandos peruerterit, eoque tandem, non contenta tot aliis abuſibus ſupra à me capit. 9. commemoratis, quos tamen aliquo qualicunque inuolucro obtegebat, ad apertiſſimam iniquitatem abſque velo vllo, abſque tegumento, abſque apparenti ſaltem aliquo prætextu, fronte perfricta, vere meretricia (cum lachrymis hæc ſcribo, neq; ſilere me Dominus patitur) erupit, & quod iniuſtum, quod iniquum, quod nulla ratione optime nouit eſſe excuſandum efficit quotidie in oculis totius mundi, *a* in conſpectu omnis Iſrael, in conſpectu ſolis. & nos Chriſti ſerui, eiuſque miniſtri & Vicarij, quibus ille Eccleſiam ſuam gubernandam commiſit, non reclamamus, ne ingemiſcimus quidem: ſed potius *b* fures & nos facti, ac ſocij furum, vt inde nos etiam in furto participemus, iniquitatem eandem fouemus, laudamus, proponimus, procuramus. Et hoc non eſt dicere in corde, imo in opere, *c* Non eſt Deus? & hoc non eſt eſſe corruptos & abominabiles? Profectò non eſt qui faciat bonum, non eſt pene vſque ad vnum.

a 2. Reg. 12. 12.

b Iſai. 1. & Pſal. 49. 18.

c Pſal. 13. 1

II. Fuit olim laudabilis mos in Eccleſia, vt ſi quando non poterat commode ſtatim alicui Eccleſiæ vacanti vel Cathedrali, vel Parochiali, vel Monaſticæ Prælatus præfici, puta ſi non ſtatim perſonæ idoneæ copia eſſet, vel deliberatione res indigeret; aut ſimilis cauſa intercederet, tunc ad fugienda incommoda, quæ ex defectu Prælati & gubernatoris, Eccleſiæ, & omnia bona communia ſolent pati, Eccleſia ipſa vacans alicui Clerico, ſeu ſacerdoti bono & fideli tantiſper commendaretur, & committeretur: qui veluti tutor ad tempus eſſet, & procurator: quouſque de legitimo Prælato & Rectore prouideretur: vt is bona fide curam gereret illius Eccleſiæ temporalium, legitimo Prælato mox futuro exactam rationem redditurus: Ipſe vero Paſtor ordinarius nequaquam erat. Imo poterant & ſolebant Eccleſiæ huiuſmodi, etiam ordinariis Paſtoribus, qui propriam haberent vel habuiſſent Eccleſiam ab * hoſtibus vaſtatam, hoc pacto ad tempus *d* commendari. * *Quæ commendatio non facit Prælatum, ſed Procuratorem: & qui commendauit poteſt reuocare*, inquit Gloſſa, *quando vult: nam commendare nihil aliud eſt quam deponere.*] Ita Gloſſa. Depoſitum vero non eſt ſub arbitrio abſoluto, & dominio depoſitarij: neque perpetuum, ſed ad tempus, pro arbitrio deponentis.

* Greg. l. 2. ind. 11. ep. 13.

d 21. q. 1. c. Qui plures & Gre. l. 2. ind. 10. ep. 7.

* Gloſ. ibi. & in c. Nemo de elect. in 6. facit etiam c. ſi conſiteris de ae cuſa.

III. Hic modus prouidendi ad tempus Eccleſiis vacantibus per commendationes, ſicut fuit bonus, legitimus, imo etiam ſæpe neceſſarius, ita facile ex hominum malitia amplum aperuit aditum ad fraudes, calliditatem, & dolos: nimirum ad pluralitatem beneficiorum tantopere prohibitam, honeſto aliquo velamine obtegendam. Concedebantur enim auidis, (& iis qui paucis non ſunt contenti, ſed volunt abundare, & de bonis Eccleſiæ luxuriari) duæ Eccleſiæ, aut plures: ita tamen vt vnicam haberent in titulum, alteram vel alias in commendam, ſed commendam tamen *e* perpetuam, & ad vitam: Quam fraudem tolerare non potuit in Parochialibus Gregorius X. in Concilio generali Lugdunenſi: ſed *f* commendationes haſce vltra ſex menſes noluit perdurare: elapſis vero ſex menſibus, nullæ eſſent, irritæ, & inanes. Hæc tamen eſt propria & intrinſeca natura commendationum omnium, cum ſint, vt dicebamus, mera depoſita. Atque ita per inanem hanc diſtinctionem Curatorum beneficiorum à non curatis, ſeu reſidentiam non requirentium, à requirentibus, fraus multo magis radicata eſt, & dolus ſtabilitus. Et quæ res vtiliſſima erat ad Eccleſiarum vacantium conſeruationem, ea tandem in ipſarum perniciem, vt loquitur Duarenus, peſtemque mirabiliter conuerſa eſt. *g* *Nam quibus*, inquit, *per Canones non licet præfici Eccleſiis, aut Monaſteriis, moribus comparatum eſt vt eiſdem Eccleſia vel Monaſteria in perpetuum, & quandiu viuunt commendentur. Atque ita concipitur formula huius commendationis in Diplomatibus Pontificiis, vt libera non ſolum diſpenſatio rerum, ſed etiam conſumptio atque diſſipatio ipſis permiſſa intelligatur. Et ſane mirum eſt homines ingenioſos, qui fucum hunc commenti ſunt, tantæ corruptelæ non alium colorem quæſiſſe, ne tam aperte deſpici Canones, & palam ludibrio haberi viderentur: quaſi vero conſilium eorum non cuiuis notum perſpectumque ſit, qui hac arte & impoſtura corruptelam*

e c. Dudũ 2. de elect.

f c. Nemo de elect. in 6.

g Duaren. de ſac. Eccle. min. & benefi. l. 5. c. 1.

ſcelam omnium quæ vnquam in Eccleſiam irrepſerunt maximam tueri & adumbrare conantur, qui verbu decoru obuoluunt vitium.] Hæc ille, & plura. Neque mihi obiicias Gregorium *a* Agnello Epiſcopo Fundano Eccleſiam Terracinenſem commendantem in perpetuum. Illa enim ſi fuit commendatio, erat cum obligatione præſentiæ, & reſidentiæ, atque curæ perſonaliter exercendæ: Sed re vera non fuit commendatio, ſed vnio Eccleſiæ [Terracinæ] vacantis ad Eccleſiam Fundanam in Agnello: aut ſaltem ad titulum illius.

a Aug. l. 2. ind. 11. ep. 13.

IV. Quid vero, obſecro, eſt commendare in perpetuum, cum plena & abſoluta poteſtate vtendi redditibus, abſque vlla obligatione reddendi de ipſis vlli rationem: & cum totali prouiſione, ac inueſtitura, vt modo fit, nullo amplius certo proprio & ordinario paſtore ſeu Rectore vero titulato inſtituendo, aut expectando, quam vere & proprie beneficium conferre? Et nomine tantum commendari dicitur, reuera confertur. Nam & in veris ac maxime propriis collationibus, beneficiarij eodem prorſus modo rebus ſuarum Eccleſiarum, in quibus ſunt intitulati, non niſi tamquam commendatis vtuntur, vt tota clamat Eccleſia, & ego fuſe iam probaui capite ſeptimo: ac præſertim expreſſe fatetur Magnus *b* Leo. Imo longe maius, & certius, & abſolutius Dominium datur Commendatariis, quam titularis, vt inferius patebit, ita Dominus Papa ſolo, diuina potius quam Papali autoritate iubente, & concedente. Nam & ratio omnino contrarium ſuadet, vt qui Dominus rei non eſt res donare non poſſit: & Papa eſt merus, ad ſummum, diſpenſator, & non niſi in perſonas, quæ merito ob Eccleſiaſtica miniſteria Eccleſiaſticis debent bonis ſuſtentari. Et Gloſſa aperte negat cum Hoſtienſi *c* poſſe Commendatarium fructus ſuos facere. *Quia*, inquit, *cuſtos eſt, nec in Eccleſia ius habet, nec etiam in fructibus, niſi ad colligendum, & gubernandum, & prouidendum ſibi, & miniſtris: & quod ſupereſt in vtilitatem Eccleſiæ conuertendum.*] Sibi inquit intellige procul dubio, in ſolis neceſſariis: & neque in his, niſi Clericatus nomine: ſi in ea Eccleſia ſupplet perſonaliter officia Clericalia. Nam ſi Clericus non eſt, aut id non præſtat, nihil aliud poteſt iuſte prætendere & accipere, niſi pactam mercedem, tamquam mercenarius, & in hoc Eccleſiæ purus famulus. Addit vero eadem gloſſa hæc verba: *Tamen contrarium fit de facto.*] Percipis quid ſibi velit? Scis iam quid ſit factum quod à iure contra-diſtinguitur, & iuri ſit contrarium: nimirum meram iniuriam, & violentiam: ne dicamus nunc tyrannidem: Vbi non amplius in Eccleſiæ vtilitatem, ad quam ſolam Commendæ primum ſunt inſtitutæ, ſed ad ſolum commodum, *d* & emolumentum commendatarij, iam ſiunt fictæ iſtæ, & fucatæ commendationes, reuera diſſipationes.

b Sine exceptione. 12. q. 2.

c Gloſſ. in c. Nemo. de elect. V. Commendare. in 6.

d Alciat. in l. Pactū curat. C. de pactis.

V. Lex eſt Eccleſiaſtica Concilij Chalcedonenſis, quod eſt vnum ex primis quattuor Oecumenicis celeberrimis, *e* *Vt, quæ ſemel dedicata ſunt Monaſteria cum concilio Epiſcoporum, maneant perpetuo Monaſteria: Et res quæ ad ea pertinent Monaſteriis reſeruare oportet: nec poſſe ea vltra fieri ſecularia habitacula. Qui vero permiſerint hoc fieri ſubiaceant iis condemnationibus, quæ per Canones conſtituta ſunt.*] Quam legem Innocentius tertius violare non eſt auſus: *f* *Vbi de Epiſcopatu nouo in quadam Abbatia funda[...] ita conſenſum præbet, vt tamen Monachi nullatenus excludantur.*] Et addit hæc. *Cum & hodie generaliter ſtatuatur, vt ordo Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundum DEVM, & beati Benedicti Regulam, dignoſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur.*] Quod verbo docuit, hoc & factis etiam confirmaretur ſtuduit idem Innocentius. Cum enim in Hungaria Monaſterium quoddam, ob Monachorum Sancti Benedicti diſſolutionem ad ſolitudinem fuiſſet redactum, ipſumque alterius Monaſterij & ordinis fratribus, ab Epiſcopo conceſſum, iterum ob horum etiam vitam diſſolutam dilapidaretur, ac deſtrueretur, conſulenti Epiſcopo, ita reſpondit: *g* *Quatenus, ſi per Monachos Eccleſiam illam videris reformari non poſſe, in ipſa Eccleſia Canonicos inſtituas Regulares: qui, ſecundum regulam beati Auguſtini deuotum ibi DOMINO famulatum impendant: & per eorum Religionem locus ipſe in melius, tuo faciente ſtudio, reformetur.*] Sapienter quidem: nec dum enim in exorbitantes commendas abibant Monaſteria. Imo Monaſterium iam in Canoniam tranſmiſſum, *h* iubet idem vt redeat ad Monachiſmum. Epiſcopus Carnotenſis Iuo Meldenſi Epiſcopo *i* ſuadet, vt ſua Epiſcopali autoritate Monaſterium Monialium ſuæ Diœceſis male viuentium tradat Monachis diſciplinatis. Commendæ igitur Iuoni non placebant. Alia non pauca Monialium diſſolutarum *k* Monaſteria, ſola Epiſcoporum & Regis, interdum etiam conſulto Papa, non commendatariis ſæcularibus: ſed Monachis religioſis, & diſciplinatis integra tradita ſunt, & cum bonis omnibus conſignata. Et Innocentius Tertius rurſus publico reſcripto cauit: *l* *Vt Monaſteria, quandiu poſſint per Religioſos reformari, id omnino fiat. In defectu vero Religioſorum in eis*, inquit, *Clerici ordinentur.*] Non dicit, Vni alicui commendentur.

e 19. q. 3. c. Quæ ſemel.

f Innoc. 3. l. 1. ep. 153.

g Idem l. 1. ep. 500.

h Idem l. 1. ep. 125.

i Iuo ep. 70.

k Iuret. ad ep. Iuonis 70.

l c. Inter. de relig. Do.

VI. Poſtea vero ex ſola Abbatis alicuius diſſoluta vita, Monaſteria quæque opulentiſſima cœperunt ſiue Clericis, ſiue etiam meris laicis, vix ad ſpeciem tonſuratis, & ſæpiſſime pueris adhuc commendari: etiam vbi Monachorum perſeueraret conuentus, & regularis inter ipſos vigeret obſeruantia. Sed cum Abbate in ſuo Ordine & ſuæ regularis diſciplinæ carerent, partim ex libertate, & naturali vitæ corruptione: partim etiam, imo potiſſimum & neceſſitate commendatariis menſam ipſis maxime reſtringentibus, & exterminationem cupientibus, & procurantibus, vt totius facultatis, abſque impenſis in Monachis nutriendis, plene fierent Domini, facile multa ſunt Monaſteria prorſus diſſoluta, Aedificia diruta, Eccleſiæ deſolatæ: prædia vero Commendatariis relicta, eodem prorſus vſu, quo laici quique bonis patrimonialibus vtuntur. Et quamuis ad ſpeciem duntaxat Papa ſoleat, in Commendandis Eccleſijs, obligationes *m* Concilij Lateranenſis imponere Commendatariis, vt tertiam, ſiue quartam fructuum partem quotannis ad Eccleſiæ Commendatæ, & pauperum illius loci beneficium ſeparent & tribuant: id tamen paſſim nihil prorſus ſeruatur: vidente & ſciente, & conſentiente Papa. Quot enim tales Eccleſias nepotibus Cardinalibus commendant? & bene ſciunt fructus, quantum maxime fieri poteſt, locari, totaſque locationes liberas, abſque vlla detractione, in domos ſuæ ſanctitatis comportari. Idem ab eo edocti faciunt

m Conci. Lateran. ſub Leon. 10. ſeſſ. 9. in Bulla reform. Cur.

ciunt cæteri. Quæ ergo imponit Verbis onera in his commendationibus, eadem tollit ſtatim factis, & exemplo, & expreſſa conniuentia: Iubet etiã & mandat idem *a* Cõcilium Lateranenſe, Vt Commendatarij, cõmendatis ſibi Eccleſiis aut monaſteriis de iuſto Clericorũ, vel Cappellanorum, ſeu Religioſorum, aut Monachorum Deo ſufficienter & laudabiliter ſeruientium numero prouidentes: ædificia quoque, poſſeſſiones, & iura quæcunque in ſtatu conuenienti conſeruent, & diruta inſtaurent, ſicut ad bonorum Prælatorum, & Commendatariorum officium ſpectat: ſed hæ ſurdis narrantur fabulæ. Hiat Curia quæritque modum, ſi forte poſſent reliquæ omnes Eccleſiæ opimæ, & Monaſteria Clero ac monachis ſpoliari, & ad commendas reduci. Nam ſi Papæ diuini cultus zelum haberent, aut Commendas iuxta eiuſdem Concilij admonitionem extinguerent, Eccleſias illas bono Clero, boniſque monachis traderent: aut ſaltem ſerio commendatariis præciperent, imo & eos cogerent, vt quæ Concilium hoc monet, quæque fundationes impoſuerunt onera exequantur.

a Ibid.

VII. Gregorius Magnus rem cenſuit eſſe abſurdiſſimam, *b* ſi Clerici Monachorum præeſſent Monaſteriis. At quid aliud eſt commendare Monaſteria Clerico cuipiam, imo & Laico, vt fit, vix tonſurato, quam illum Conuentui præficere Monachorum? Tales vero præficere, ſiue, quod idem eſt, talibus Monaſteria commendare, dicit eſſe loca ſacra deſtruere. *Nullo modo*, inquit, *patior loca ſacra, vt per Clericorũ ambitum, deſtruantur.*] Item: *c* *Ad nos*, inquit, *peruenerat, Monaſteria in Rauẽnæ partib. conſtituta omnino Clericorum veſtrorum dominio prægrauari*, (hi ſe procul dubio commendatarios fecerant) *ita vt occaſione quaſi regiminis ea, quod dici graue eſt, velut in proprietate poßideant.*] prohibetque, ne Clerici habeant poteſtatem accedendi ad Monaſteria, niſi ad orandum: vel ſi inuitati fuerint, ad miſſas celebrandas. Curam igitur & regimen cuiuſcunque, qui verus Monachus non ſit, in Monachos, reprobat & repellit Gregorius.

b Gre. l. 4. ep. 1.

c Idem l. 6. Ind. 15. ep. 40.

VIII. Concilium Meldenſe *Regem acrius increpat, quod Monaſteria laicis daret in commendam, eaq;* *d* *contra omnẽ auctoritatem & rationem, ac præceſſorum Regum conſuetudinem, laicorum cura, & poteſtati, in maximo ſuo periculo, & illorum perditione, & Dei ac ſanctorũ non modica ad iraſcẽdum prouocatione, commiſiſſet.*] rogatque Regem, *vt præſumptionem hanc ab anima ſua, & felicitate Regni ſui propellat, & loca Venerabilia, & habitum, ac ordinem ſacrum eis, qui ad hoc vocati ſunt, Viris ſcilicet ex clericali & Eccleſiaſtico, vel Monaſtico ordine Religioſis, ſeu, & in ſuo ſexu fœminis Deo dicatis atque deuotis, atq; in Schola Chriſti eruditis, ad cuſtodiendum & prouidendum cõmittat.*] Nimirum loca ſacra in quib. Clerici ſeruiunt Clericis: Monachalia Monachis: & fœminarum fœminis. non autem iis qui à profeſſione illius loci ſint alieni & extranei. Et addit. *Qui etſi minus perfecte, & in diuina religione, & in Reipublic. vtilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores & vtiliores in locis eorum ſubſtituantur: & non propter prauorum nequitiam ordo religionis, & loca ſacratißima eis, quibus licitum non eſt committantur. quia vt ſancti Patres dicunt, non debet eſſe in regimine vel in contubernio communis habitatio, quorum eſt diuerſa profeßio.*

d Conc. Melden. c. 11.

IX. Clementi quinto, qui in bona valetudine corporis, ac fælicitate temporali Eccleſias multas etiam cathedrales & parochiales, necnon monaſteria, non ſine affectu erga Reges, vt ipſe fatetur, & perſonas nobiles Eccleſiaſticas & ſeculares gratia, precibus, obſequiis, & ſtudio largitatis, vt nunc fit, non vlla neceſſitate commendarat, ægritudinis beneficio in tenebris ambulanti lux affulſit, erroremque ſuum vidit ille, & agnouit, Ait enim: *e* *Verum in debilitate ipſius ægritudinis conſtituti, à negotiorũ vtcumq; diſcußione ſemoti ad hoc ſub diligenti examine direximus aciem noſtræ mentis, demumque perſpeximus euidenter, quod Eccleſiarum, & Monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona, & iura diſſipantur ipſorum, ac ſubiectis eis perſonis, & populis ſpiritualiter plurimum, & temporaliter derogatur, eiſque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum. Ac nedum ipſis ſed etiam Roman. Matri Eccleſiæ (quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dinoſcitur, & magiſtra) grauiora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his tot, & tantis diſpendiis vlterius cauſam relinquere, ſed volentes potius opportunum, & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes, & ſingulas promißiones per nos factas —— reuocamus, caſſamus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem.*] Lux tamen hæc Clementis non eſt oborta ipſius ſucceſſoribus, qui palpant in meridie, & propriis oculis ruinam cernunt Eccleſiarum, quas ruinas, & volunt, & amant, dum lupis oues non ceſſant commendare.

e Extrauag. et ſi pemæ de præben. & digni. in com.

X. Lateranenſe idem vbi ſupra Commendas iſtas vehementer reprobauit. *Et quoniam*, inquit, *ex commendis Monaſteriorum (vt magiſtra rerum experientia ſæpius docuit) Monaſteria ipſa tam in ſpiritualibus quam in temporalibus grauiter læduntur. quippe quorum ædificia, partim Commendatariorum negligentia, partim auaritia, vel incuria, collabuntur, & indies diuinus cultus in his magis diminuitur, paßimque obloquendi materia perſonis præſertim ſecularibus præbetur, non abſque dignitatis Apoſtolicæ Sedis diminutione, à qua Commendæ huiuſmodi proficiſcuntur: Vt eorum indemnitati ſalubrius conſulatur, volumus, ac ſancimus.*] Vidit bonus Leo decimus morbum, agnouit morbi cauſas, ſymptomata & indicãtia fuerunt ei perſpectiſſima, prognoſticum, ſi morbus non curaretur, fecit optimum: ſed neſciuit, imo noluit veram curationem adhibere. *Cum poſthac*, inquit, *morientur Abbates, eorum Monaſteria ne commendentur amplius, ſed perſonis idoneis cum titulo conferantur.*] Magno ſane morbo leue remedium: imo ne leue quidem: Nam Monaſteria innumerabilia, quæ iam commendata fuerant, ſub commendis relinquit: atque eas in eo duntaxat reſtringit, vt Cardinalibus tantum, ac perſonis qualificatis, & benemeritis, (*puta, de Romana curia, non de Eccleſia*) commendentur. Et alia Monaſteria, quæ nondum in commendas tranſierant, mortuis Abbatibus *non poßint*, inquit, *commendari: niſi ratione vtilitatis Eccleſiarum, prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experientiæ, atque Curialitatis antiquæ, cum competenti litteratura, & in Sede Apoſtolica merito aliter viſum fuerit faciendum.*] Et: *Niſi pro conſeruatione autoritatis Apoſtolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium, pro temporum qualitate, aliter ſummo Pontifici, de fratrum ſuorum conſilio, viſum fuerit expedire.*] Vides in leuiſſimo remedio quot adhuc ponantur exceptiones & reſeruæ: quæ procul dubio totum euacuant præceptum illud, & redigunt ad nihilum. Itaque commendæ, quæ iam cognoſcebantur à Leone, & aſſerebantur in Eccleſia pernicioſæ: multo plus confirmantur, & ſtabiliuntur, quam auferuntur. Medicus ſane erat, ſed non bonus: qui morbum agnouit, ſed ne curaretur impediuit: Imo ipſum, ſub prætextu curationis, & auxit, & longe pernicioſius reddidit, ac periculoſius.

In

XI. In Concilio Tridentino Patres congregati, ſicut & in Lateranenſi, abuſum viderunt, mala plurima, quæ ex his commendationibus monaſteriorum ſequebantur agnouerunt, de remedio cogitarunt, ſed actum egerunt: quia radicem omnium malorum in Curia Romana fixam altiſſime tangere noluerunt. a Legem & ipſi ſanxerunt circa monaſteria nondum ſolita commendari, *vt in vacationibus, Religioſis ipſis eorum ordinum profeſſis, in titulum, & non aliis, ne veſtem*, inquiunt, *lino lanaque contextam induant, conferantur.* ſed tamen profitentur ſe ſummo Pont. legem non poſſe imponere: aiuntque, ſe b confidere, *ſanctiſſimum Rom. Pont. pro ſua pietate & prudentia curaturum, quantum hæc tempora ferre viderit, vt iis quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ ſuoi Conuentus habent, Regulares perſonæ eiuſdem ordinis expreſſe profeſſæ, & quæ gregi præire & præeſſe poſſint, præficiantur. Quæ vero in poſterum vacabunt, nonniſi regularibus ſpectatæ virtutis & ſanctitatis conferantur.*] Commendatariis autem, quibus commendata erant monaſteria, quæ eſſent capita ordinis, iubet Concilium, Regulam illam, intra certum terminum, profiteri; alioquin commendæ ipſo iure vacare cenſeantur. Sed & illi Patres nihilo meliores medici fuerunt. totum enim remedium in libertate Pontificum reliquerunt. Ac profecto, vt & alii, ſurdo narrarunt fabulas. Irrident Pontifices hæc monita: quia Bullarum, & Annatarum, aliorumque maiorum munerum diſpendium facerent: nec poſſent tot c amicos, de Mammona iniquitatis comparare.

a Concil. Trid. ſeſſ. 4. c. 10.

b Ibid. ſeſſ. 25. de Regularib. c. 21.

c Luc. 16. 9.

XII. Ad hoſce Commendatarios, maxime qui Eccleſias ſibi commendatas nunquam vident, ſpectant ea, quæ deplorat Franciſc. Duarenus: d *Ex quo*, inquit, *veluti fonte mala innumerabilia, atque incommoda in Eccleſiam vniuerſam quotidie manant, quæ ſine horrore maximo referre non poſſumus. Quid enim indignius eſt, quam ſacris eos ſtipendiis frui, qui venialibus diplomatibus, ne dicam venalibus ſubnixi de regendis Eccleſiis ne cogitant quidem vnquam; vt aperte Canones omnes illudere, & contemptui habere videantur*, qui nimirum reſidentiã & aſſiduitatem in omni beneficio præcipiunt. *Nemo etenim eſt qui neſciat, eos beneficia, redditusque Eccleſiaſticos locare, & maius precium offerentibus addicere conſueuiſſe; non aliter ac quoſuis Patresfamilias prædia ſua: nihil penſi habentes, quam idoneus ad functionem ſacram ſpiritualemque hic redemptor ſit; in quem omne onus, quod ſubire eos oportebat, reiiciunt. Atque ita hæc geruntur, vt quamuis publice nota ſint hoc ſæculo, ficta tamen magis quam facta olim poſteritas fortaſſis exiſtimatura ſit. Nihil de fructuum dilapidatione hic dicam, quos pauperibus diſtribui veteres Canones iubent.*] Hæc ille.

d Duaren. de ſac. min. Eccleſ. & ben. l. 8. c. 5.

XIII. Eſto tamen: habeant Commendatarii iſti excuſationem aliquam, qua poſſint tuta conſcientia fructus Eccleſiarum ſibi commendatarum ad proprios vſus conuertere, ſi præſertim vel Eccleſiæ cõmendatæ, vel vtilius vniuerſali Eccleſiæ, in Eccleſiaſticis muneribus inſeruiant, in vera vita clericali: In bona tamen illa nihil plus poſſunt, quam alii beneficiati. Vt neceſſaria ſola ſibi capiant, quæ vero ſuperſunt in pauperes & vſus pios, ſupportatis aliis oneribus, erogare teneantur. Atqui Commendatarii maxime omniũ ſe liberos faciunt dños & abſolutos fructuum Eccleſiarum, ſiue monaſteriorum ſibi commendatorum: atque omnino ex leges, & ab omni ſacrorum Canonum præſcripto immunes, à perſonalique quocunque Eccleſiaſtico officio & munere exemptos. Qui eſt error turpiſſimus, & omnino intolerabilis. Vt in vſu bonorum Eccleſiaſticorum nullum prorſus vel minimum ponant inter ea diſcrimen, & inter bona perfecte propria, & patrimonialia, ac hæreditaria, & ſimpliciter laica.

Audire nunc mihi videor tot inſignes, nobiliſſimoſq; ordinum militarium Commendatarios, qui ex me quærant, nunquid eos eodem nomine, eademque obligatione cenſeam, cum reliquis Commendatariis: qui ſint in ordine Clericali ſeu Monachali? Et num commendas ipſorũ, pari ratione condemnem? Quibus ego reſpondeo me non eſſe bene inſtructum de ipſorum commendis, ac propterea neque eas includo cum cæteris, neque à cæteris excludo. Habent hactenus à me regulas generales, quibus facile poſſunt conſcientiis propriis ipſimet ſatisfacere. Si enim commendæ ipſorum ſunt Eccleſiaſtica propria beneficia, ſuas habentia Eccleſias, præſertim clericales, more aliarum Eccleſiarum fundatas, & poſtea ordinibus ipſis militaribus rite conceſſas, dubium nullum eſt Eccleſias illas requirere opera perſonalia proprie Eccleſiaſtica, ſiue ſacerdotalia, ſiue ſaltem clericalia minorum ordinum, prout earum fundationes, & inſtitutiones noſcuntur repoſcere. Quæ opera ita debita, ſi commendatarius, vt verus Eccleſiaſticus non præſtat, iniuria fit illi Eccleſiæ, nec poteſt miles, abſq; clericali opere, fructus illos ſuos facere: cum vero clericalis profeſſio cum militari nullo modo poſſit cohærere, quantumcunque militia ſit pia, & ob ſolam fidem aſſumpta, (de quo alias) non video qua ratione miles tuta conſcientia poſſit, Eccleſia deſtituta, clericalem locum occupare, & clericali alimonia ſe ſuſtentare. Facile equidem concederem, poſſe ordinibus hiſce militaribus Eccleſias etiam clericales donari; eo prorſus modo, quo licet Epiſcopis, vt vidimus, e Eccleſias ſuas aliquas & donare, & nouas erigere monachis puris: hoc eſt, non clericis; iiſque monaſteria ædificare, & bonis Eccleſiaſticis dotare: poſſe etiam Eccleſias & Monaſteria Monachorum, ſeu monialiũ, ab ipſis iam derelicta, vel ipſis ex cauſa legitima erepta in eoſdem militares transferri ordines; ſicut ſolẽt & poſſunt etiam laici ſuis bonis dictos ordines amplificare, & commendis quas vocant augere; Tunc tamen neceſſarium iudico, vt ipſimet milites, perinde ac veri monachi, citra tamen ſacros ordines, aut profeſſionem clericalem, Eccleſias ſuas regerent, repararent, & more monachorum, antequam hi fierent clerici, perſonali reſidentia, ad orationem retinerent, mundarent, ornarent, & conſeruarent: aut ſaltem efficerent vt Capellani clerici eiuſdem ordinis, vt fieri ſolet, membra in iis reſiderent, & totius ordinis nomine eas regulari vita regerent & gubernarent. In commendam tamen vni ex his militibus non puto Eccleſias illas tuta conſcientia poſſe dari, iiſdem prorſus rationibus, & autoritatibus, quibus in communi ſupra cõmendas omnes reprobaui. Vbicunque ſcilicet officium ſacrum & Eccleſiaſticum, temporalibus bonis adiunctũ reperitur. Separet potius tota Religio militaris temporalia à ſpiritualibus, & profana ab Eccleſiaſticis, ipſaque ſpiritualia & eccleſiaſtica committat ipſis Capellanis; cum aſſignatione ſuſtentationis, & reliquarum impenſarum ad Eccleſias ipſas in neceſſariis inſtructas retinendas neceſſariarũ. Reliquum vero temporalium reducat in commendas: atque hoc reliquum purum temporale, commendet Religio ſuis Commendatariis, vt ſolet, in perpetuum. Tales enim commendas, illa quæ hactenus ego diſputaui, non improbant, neque damnant: ſed illas in quibus ſpirituale præcipue commendatur, quanquã intuitu temporalis, ꝙ ſpirituali fuit annexum. XIV.

e Sup. cap. 6. n. 37. 44. 56.

XV. Huiuſmodi igitur Commendatarii militares fructibus ſibi commendatis ante omnia in propriam vtentur ſuſtentationem; non tanquam propriis, cum vera proprietate, veroque Dominio, ſed cum ſolo vſu, tanquā communibus. nam præter communem rationem bonorum Eccleſiaſticorum, qualia eſſe hæc bona nemo dubitat, quæ in proprietatem nunquam poſſunt ſine ſacrilegio tranſire, milites hi, cum dicantur veri Religioſi, etiam peculiari paupertatis voto ſe aſtringunt. Qui ſane vſus vt legitimus eis conceditur, dummodo pius ſit & religionis proprius, non profanus, neque à Deo, neque ab Eccleſia, neque à Religione conceſſus. hoc eſt, vt in ſua ſuſtentatione vitæ militaris pro fide, & Eccleſia, & ſe ipſos alant, & veſtiant condecenter, ſed abſque magnis pompis. equoſq; & famulos, pro ipſa militia neceſſarios nutriant, armaque & apparatus bellicos præparent. ſi autem adhuc aliquid ſuperſit, tenentur & ipſi regula generali in conſcientia, vt ea in pauperes diſtribuant: quamuis, loco pauperum, poſſint internis ſui ordinis neceſſitatibus, aliiſue eiuſdem ordinis militibus egentibus, ſubuenire. Quoad proprietatem tamen, & abuſus, eadem cum omnibus beneficiatis ſiue clericis ſiue monachis lege tenentur. Et ſicut verum eſt redditus Eccleſiaſticos in ſolis vſibus piis inſumendos eſſe, ita in his ordinibus intelligo inter pios vſus rem ipſam militarem, ipſamque militiam, & ſacra bella merito reponi, ad oppreſſos ab infidelibus miſeros Chriſtianos à iugo captiuitatis liberandos.

XVI. Humanum itaque etiam bonus ſenex Nauarrus aliquid paſſus eſt quando, non ſine aſſentationis ſuſpicione, conceſſit, [a Nauar. de reddit. Eccl. q. 1. mon. 37.] *a* Poſſe magiſtros ſupremos horum ordinum militarium, ea quæ ipſis ex bonis eorundem ordinum ſuperſunt, deductis iis quæ ſunt illorum decentiæ neceſſaria, vti magiſtris illius magiſtratus, in aliis rebus expendere, ſi alio reſpectu illis etiam ſuperfluis indigeant. Et applicat id ſereniſſimo Regi Catholico, qui eſt ſupremus magiſter multorum ordinum. eumque dicit poſſe, qua & magiſter eſt, ſuum hunc gradum bonis illis ſuſtentare: & qua Rex eſt, poſſe iiſdem bonis Regiis ſubuenire neceſſitatibus: *Sicut Cardinalis* inquit, *& filius Regis*, per extrauagantem, *execrabilis*, & alii Nobiles & literati, per c. *De multa*, de præb. & dign. *pluralitatem beneficiorum poſſunt retinere.* [b Sup. cap. 10. n. 37.] Hæc ego ſupra iam *b* confutaui, & toto præſenti pene libro oſtendi, bona Eccleſiaſtica non poſſe per vllam terrenam & humanam poteſtatem, etiam totius Eccleſiæ vniuerſalis, in alios vſus quam ſacros & pios, ac vere pauperum conuerti. Et Papam etiam non poſſe bonis Eccleſiæ gradum Principis temporalis, ſine ſacrilegio ſuſtentare: quanto minus Rex. Alioquin fruſtra idem Nauarrus tantopere laborauit, vt oſtenderet, id quod veriſſimum eſt, beneficiatos non poſſe redditus Eccleſiæ ſuis vſibus domeſticis, & ſuorum applicare, ſed ſuperflua teneri pauperibus erogare. Si enim Rex; qua magiſter, poteſt neceſſaria ex illis bonis ſuorum ordinum ſumere, & ſuperflua vſibus aliis, qua Rex eſt, applicare, cur non quilibet beneficiatus poteſt, qua Epiſcopus eſt, verbi gratia, neceſſaria ſumere ab Eccleſia, & qua Nobilis eſt, caputque ſuæ familiæ temporalis, ſuperflua ad honeſtandam ſuam, ſuæque familiæ cui præeſt dignitatem temporalem expendere & inſumere? Quotus quiſque enim eſt beneficiatus Eccleſiaſticus, qui vltra ſuam egentiam, vt Eccleſiaſticus eſt, non etiam alio reſpectu pluribus egeat? Vaniſſima ergo eſt tanti viri diſtinctio, vt Eccleſiaſticus adminiſtrator ſuperflua erogare pauperibus teneatur, ſi alio reſpectu non egeat: ſecus ſi egeat. Et miror hæc tanto Doctori excidiſſe. Vbi præſertim loquitur de egeſtate non vera pauperum: ſed de indigentia Regum, in temporali Regnorum adminiſtratione: Cui temporali adminiſtrationi Eccleſiaſtica bona, vt Eccleſiaſtica ſunt, ſupponit. nam eccleſiaſtica bona, quatenus temporalia ſunt, ego etiam in multis caſibus lib. 10. Regibus ſuppono: Non tamen conſidero Reges qui ſimul vtramque perſonam, & Eccleſiaſticam & Laicam ſuſtinerent.

XVII. Quod ſi conſideraſſet Nauarrus Pauli verba. [c 1. Cor. 1. 26.] *c* *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*] nunquam doctrinam huic doctrinæ contrariam aſſentando laudaſſet, & approbaſſet. eam videlicet quam Ioannes XXII. & Innocentius III. propoſuerunt, vt Eccleſiaſtici Canones & ſanctiſſimæ ſanctiones, imo ipſum naturæ ius diuinum conculcaretur, & beneficia Eccleſiaſtica Cardinalibus, & Nobilibus, & Regum filiis, citra omnem modeſtiam & iuſtitiam multiplicarentur, & Eccleſiæ deſtruerentur, & diuinus cultus desereretur, & qui ferunt pondus diei & æſtus, fame enecarentur, vt inde maiori luxui, maioribuſque pompis pauci Eccleſiæ prorſus inutiles poſſent indulgere. Hæc ſi approbet Nauarrus, næ mihi parum ſapere videbitur. Atque iam ſatis de Commendis. penſiones diſcutiamus.

XVIII. Quemadmodum legitima occaſio, imo & neceſſitas exegit aliquando, vt res Eccleſiaſticæ ad tempus alicui commendarentur, indeque commendæ peſſimæ perpetuæ ortum in Romana Curia habuerunt, ita etiam penſiones legitimæ, & cum iuſta cauſa aliquibus interdum ex bonis alicuius Eccleſiæ perſolui ſolitæ, eiuſdem Curiæ artibus in grauiſſima & iniuſtiſſima Eccleſiarum onera, & in pura, impura Romanæ auaritiæ compendia tandem abiere: & malum exemplum alii Epiſcopi etiam ſunt ſecuti. Occaſiones porro quæ has penſiones peperere fuerunt variæ, nec malæ, ſed potius neceſſariæ. Puta ſi quando ab Epiſcopo quis ordinabatur, & Clero adlegebatur, poſtea vero per iniuriam, & ſine culpa ab Epiſcopo eiiciebatur, debuit profecto Epiſcopus ei, etiam extra Eccleſiam poſito, neceſſaria ex ſuæ Eccleſiæ bonis ſubminiſtrare, ſiue illum in Eccleſiam iterum recipere. Aliquid pene tale video tempore Simplicii Papæ contigiſſe. [d Simpl. Ep. 16.] *d* Rauennas enim Archiepiſcopus Gregorium quendam inuitum ordinauit non modo Clericum, ſed etiam Epiſcopum. Gregorius hac iniuria affectus, fuit per Simplicium, vt popoſcerat, à ſubiectione Archiepiſcopi Rauennatis liberatus, & Mutinenſi Eccleſiæ præfectus, eique mandauit Papa prædium Rauennatis Eccleſiæ, ad ſuſtentationis iuuamen, ad vitam aſſignari, quia neceſſitates, culpa dicti Rauennatis Archiepiſcopi, patiebatur. Ita ſi priuabatur Epiſcopus, penſio tamen ei ad vitam conſignabatur, vt vidimus ſupra in Polyennio: in hoc lib. cap. 6. n. 28. Aut ſi clerici à ſua Eccleſia ſtudiorum, vel diſciplinæ cauſa abeſſent à ſua Eccleſia, alimenta debebant ab ea ſuſcipere. Ita Gregorius ad Meſſanenſem ſcribens Epiſcopum; [e Greg. l. 1. Ep. 54.] *e* *Clericorum qui- dem,*

dem, inquit, *aliorum conſuetudinem te oportet illibatam ſeruare, eiſque annis ſingulis, quæ ſunt conſueta* Romam *tranſmittere.*] Vbi etiam ex infirmitate, & impotentiâ gubernandi datur Coadiutor, *a* reſeruantur expenſæ & alimenta ægroto, quæ eſt penſio neceſſaria. Clericos etiam pauperes aliqua occaſione ſuis Eccleſiis priuatos & de errore reſipiſcentes ſolebat Romanus Pontif. ex commiſeratione alicui Eccleſiæ commendare, vt fecit idem Gregorius, qui Diaconum quendam Hiſtricum Siracuſano Epiſcopo commendat, vt illum vel ſuo Clero in Diaconorum locum & officium adſcribat vel ſaltem efficiat. *b Vt ſola eiuſdem officii commoda, pro ſuſtentanda paupertate ſua conſequatur.*] Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, *c* Clerico cuidam Cancellarii Domini Papæ, rogatus ab ipſo Cancellario, ſtipendium menſtruum libenter ſoluebat. Sed & Epiſcopus *d* Eboracenſis, intuitu paupertatis quorundam Canonicorum Eccleſiæ cuiuſdã Collegiatæ, Eccleſiam eis vnam, cuius Rector adhuc viuebat, donauit, vt eam plene poſt obitum dicti Rectoris, poſſiderent. At interim voluit, vt idem Rector dum viueret, certam eiſdem Canonicis ſolueret penſionem. In his tamen euentis, aut debitam quibuſdam tanquam propriis clericis cerno Eccleſiaſticam ſuſtentationem, aut puram & ſimplicem liberamque video eleemoſynam, & ex bonis Eccleſiaſticis in veros pauperes erogationem: penſionum non niſi vmbram quandam, & remotam inſpicio ſimilitudinem.

a 7. q. 1. c. Quamuis. & de cler. ægrot. c. 3. a. 5. 6. & Greg. ſupra hoc op. l. 3. c. 3. n. 72. 77.
b Idem l. 3. Ind. 12. Ep. 14.
c Tornac. Ep. 68.
d c. Cum veniſſet. de reſtit. ſpol.

XIX. Penſionum imaginem etiam nobis precariæ ex iuſtitia debitæ, & introductæ aliquam repræſentant, dum videlicet *e* benemeritis de Eccleſia, pro obſequiis temporalibus ei præſtitis, prædia aliqua, ſiue etiam certa annua ſtipendia ex bonis Eccleſiæ aſſignarentur. Hæc tamen nihil aliud eſt, niſi pura & ſimplex merces mercenarii, nihil diſtans ab aliis mercenariorum, & famulitii ſtipendiis: Et eſt res tota temporalis, *f* quæ tranſit pleniſſime in proprietatem ſtipendiati: neq; in ſe amplius continet vel minimum quid ſpiritualis, aut cum ſpiritu & Eccleſia connexionis, & ex iuſtitia debetur commutatiua.

e 12. q. 2. c. Quicunque ſuffragio & 16. q. 1. c. Poſſeſſiones.
f Nauar. de red. Eccleſ. q. 1. mon. 39.

XX. Poſtquam monaſteria Monachorum cœperunt ditari, & circa ea plebes congregari, occaſione colonorum prædia multa ipſorum monaſteriorum excolentium, impoſitum fuiſſe oportuit dictis monaſteriis, vt de ſacerdote Parocho ſuis plebibus prouiderent. Huiuſmodi vero *g* Parochis debuerunt monaſteria dicta & ſuſtentationem neceſſariam, & ad onera ſupportanda commoditates ordinarias ſuppeditare, ac certam partem ex bonis monaſterii ſeparare eiſque attribuere. Sed hoc nihil aliud eſt, quam laborantem in illa vinea Domini, & Euangelium ibi annunciantem de Euangelio etiam viuere. Sicut vbi præter Eccleſiæ Rectorem, ſiue Paſtorem, clericus aliquis, vt ibi neceſſarius inſtituitur, certe eidem ſua portio *h* debet ex illius Eccleſiæ bonis ad ſuſtentationem aſſignari. Atque in his omnibus penſiones huiuſmodi non dantur ſine onere, & penſionarii labore, ſiue ſpirituali, ſiue ſaltem temporali.

g c. de monachis. c. extirpandæ. de præb. & dign. & c. 1. In eo in 6.
h c. Conquerente de Cler. nõ reſid.

XXI. Ab his penſitationibus, omnibus ſane iuſtis, & honeſtis, factus eſt à Curia Romana, & Epiſcopis, ſaltus maximus: nam penſionariis abſque vllo onere aut labore, ſine Eccleſiaſtico miniſterio, tam ſpirituali, quam temporali, imo etiam abſque vllo merito, penſiones plurimæ & maximæ, ſolent concedi. Et aliquando quidem, non ſine alicuius honeſtatis, & æquitatis prætextu, (& has tolerabiliores cenſere poterimus,) aliquando vero, imò vt plurimum abſque vllo aut æquitatis, aut honeſtatis velo, imo ab omni æquitate & honeſtate exorbitantes: & illas non poſſumus non vocare impudentiſſimas. Æquitatis vmbram habent primum, vbi quis beneficium ſuum reſignat ad fauorem alicuius, ſibique ſuper eo reſeruat penſionem. Quod ſi fiat ex honeſta cauſa, puta ſi ſenio confectus Beneficiarius officium ſuum in alterum, Epiſcopo conſentiente, transferri velit, id non poſſum improbare. Nam Eccleſiæ milites emeritos, etiam vbi non poſſunt amplius in Eccleſiaſticis miniſteriis laborare, par eſt ab eadem Eccleſia, vſque ad vltimum ſpiritum, ſuſtentari. Sed ſi Eccleſiaſticus mos antiquus perſeueraret, & non eſſent erecta beneficia particularia, poſſet Epiſcopus in locum impotentis alium aptiorem ſubſtituere, etiam inuito impotente, atque interim de bonis communibus Eccleſiæ illum nihilo ſecius ſuſtentare, neque locum haberent reſignationes in fauorem, quæ cum liberam auferant Eccleſiaſticis Prælatis de rebus ſuarum Eccleſiarum diſpenſationem, & miniſtrorum ordinationem, non poſſunt vlla ratione laudari aut approbari. Quod ſi reſignatio fit abſque legitima aut honeſta cauſa, puta vt ſe quis liberet à reſidentia, & onera vitet perſonalia, miniſtrandique labores effugiat, ac interim Eccleſiæ impenſis genio indulgeat, penſiones quas reſeruat & recipit ſunt mera ſacrilegia, ac turpes rapinæ: vt in præcedentibus eſt probatum cap. 5. 7. 10. neque clerico Eccleſia quicquam debet, niſi ſit operarius: & Prælati, ſiue Papa, qui talibus, huiuſmodi reſeruant penſiones, miniſtri ſunt iniquitatis: *Illi enim i gregem non paſcunt, & de lacte comedunt.*

i Ezech. 34. 3.

XXII. Deinde æquitatem videtur habere penſio, vbi ſuper eodem beneficio duo litem agitant, *k* iudexque pacis & concordiæ cauſa, vni beneficium addicit, alteri annuam ſuper eodem reſeruat penſionem. Lites tamen ſuper beneficiis nullæ vnquam eſſent, ſi illæ ſeparationes factæ non fuiſſent, & proprietas peſſima introducta. E re tamen Romana ſunt illæ, nec mediocriter. Quid vero putas Paulum ſuaſurum Clericis, qui laicos etiam à litibus, & tribunalibus forenſibus ita abducere conabatur, vt potius *l iniuriam pati eos cuperet, quam litigare? Nam ſeruum Dei*, inquit, *non oportet litigare.* Vnde & Concilium Carthaginenſe 4. *m Epiſcopus*, inquit, *nec prouocatus pro rebus tranſitoriis litiget.*] Gregorius profecto *n* mauult cum Apoſtolo rapinam bonorum ſuſtinere, quam litigare. Et de Religioſis ait Petrus Bleſenſis, *o Qui pro terra litigant, aut pro paſcuis, indigni ſunt in terra viuentium, aut in loco paſcuæ collocari.*] Neque eſſet vlla litium cauſa inter Clericos, ſi ſecluſa peſtifera proprietate, in communi, aut ſaltem ex communi illi ſoli viuerent, qui rite ab Epiſcopis in Clerum ſint cooptati: neque diuerſa loca inter miniſtros Eccleſiæ & operarios, viribus & contentionibus raperentur, ſed ad ea quiſque pro meritis, ſano Epiſcopi iudicio, admitteretur. De foro tamen & litibus, ac Tribunalibus, & iudiciis Eccleſiaſticis iam fuſe in præcedentibus lib. 8. diſputaui. Nunc vero ſi tricæ litium ſunt in Eccleſia tolerandæ, penſiones tamen pro pace litis ei ego ſolui nunquam tolerandum puto, qui nullum illi Eccleſiæ præſtet obſequium. Si autem vterque illi Eccleſiæ inſeruit, pro qua litigabant, penſionem alteri tanquam pauperi, & eiuſdem Eccleſiæ miniſtro dandam eſſe, ad ipſius ſuſtentationem, non

k c. Niſi eſſent. de præb. & dign. & c. de cætero de tranſac.
l 1. Cor. 6. 7. & 2. Timoth. 2. 4.
m 14. q. 1. c. Epiſcop.
n Greg. l. 2. ind. 11. ep. 58.
o Bleſ. ep. 117.

abnuerem. Aut ſi ille alter vniuerſali Eccleſiæ vtilem operam impendit.

XXIII. Honeſtate aliqua illi etiam obtegunt penſiones, qui permutantes beneficium ſuũ pinguius cum alio tenuiori, Pontifice ſuam interponente autoritatem, penſione aliqua æquationem faciunt, & compenſationem. Hanc tamen ego nõ dubito eſſe mercaturam, & ſupponere veram proprietatem ab Eccleſia alieniſſimam. Nam ſi de quocunque beneficio neceſſaria ſola beneficiarius caperet, hæ compenſationes locum nõ haberent. Sed iam circa beneficia eccleſiaſtica perinde ac circa laicorũ hęreditates & patrimonia omnes agitãtur negotiationes. Hæ tamen omnes penſiones vtcunq; videtur poſſe tolerari. Aliæ præter has ſunt prorſus intolerabiles.

XXIV. Prætextu igitur vel meritorum de Eccleſia, vel inopiæ, vel infirmæ valetudinis, Romanus Pontifex ſuis Cardinalibus, Curialibus, amicis, propinquis, &c. ſolet annuas attribuere penſiones. Idem faciunt Epiſcopi ſuis. Hi enim ſplendorem ſuum, vt aiunt, (luxum melius dicerent) abſque his redditibus tueri nequeunt. Et quia planum eſt conceſſiones penſionum, ſine iuſta cauſa, iuſtas non eſſe, imo eſſe ſacrilegas & impias, os omnibus occludunt, oculoſque excæcant dum volunt illud omnibus perſuaſum eſſe debere, ſolam Papæ *a* voluntatem pro iuſta ſemper, in re beneficiaria præſertim, legitimaque cauſa haberi. Vnde & Leo X. generaliter prohibet penſiones, *b Niſi ex reſignationis cauſa*, inquit, *aut etiam alia, quæ in ſecreto noſtro Conſiſtorio, iuſta, probabilis, & honeſta habita fuerit.*] Non ita tamen ſentiunt qui ſapiunt: & ratio cõtrarium ſuadet. Bona enim Eccleſiæ in quos vſus ſint expendenda plene docui ſupra cap. 5. & quibus ea poſſint tribui, habem⁹ cap. 8. ſemper vero excludimus eos omnes, qui, niſi veniant vero nomine pauperũ, Eccleſiæ nullũ præſtant obſequiũ perſonale.

a Clemen. 1. Vt lite pend.
b In Concil. Later. ſeſſ. 9. Bulla. reform. Cur.

XXV. Generalis regula eſt in Eccleſia, *c vt nulla Eccleſia diuidatur in partes. At propterea in vna Eccleſia non ſint duo Epiſcopi, d ne res Eccleſiæ ſæua diuiſione debeant partiri.*] Quam regulam, potiſſimum quo ad diuiſionem bonorum & redditaum, ne eiuſdem vnius maſſæ diſpenſatores præcipui ſint plures, ſed vnus, exacte Romani Pontifices obſeruarunt, & ſuis etiam *e* Decretalibus confirmarunt. In qua ſane bonorum dimembratione, Simoniam agnouerunt Innocentius II. & Cæleſtinus III. *Ille enim, Simoniacum*, inquit, *eſt quicquam dare in receptione honoris Eccleſiaſtici, & negat quicquam debere exigi à promoto: f ſed libere*, ait, *& abſque diminutione aliqua, collata ſibi dignitate atque beneficio perfruatur.*] Hic vero inter accuſationes cõtra Eboracenſem & illam accepit; *g Quod cum ſpiritualia dona gratis debeant, & ſine prauitate diſtribui, frequenter cũ donat Eccleſiam, aut eam ſcindit per partes, contra ſtatuta Eccleſiæ Canonica, aut in ea nouam & indebitam retinet penſionem.*] Atque hinc toties publicæ emerſerunt prohibitiones, ne Eccleſia vlla penſionibus hiſce grauari debeat. *Monachi patronatum habentes in quaſdam Parochiales eas ita penſionibus h onerabant*, inquit Clemens III. *quod nec Eccleſiis competenter poſſent in paupertate nimia deſeruire, nec Epiſcopo in Epiſcopalibus reſpondere, neque hoſpitalitatem ſicut conuenit tranſeuntibus impertiri. Nolentes autem*, inquit, *vt ſtatus Eccleſiæ debitus & antiquus per inſolentiam alicuius ſubuertatur, mandamus --- quatenus prædictos exceſſus ſtudeas rationabiliter emendare.*] Ita etiam Alexander 3. noluit omnino *i* penſionem dari cuidam, qui beneficium alteri commiſerat, eamque exigebat. Innocentius quoque tertius vidit grauiſſima incommoda & mala, quæ penſionum hæc impoſitio pariebat in Eccleſiis: *k Nam quidam ſibi*, inquit, *Eccleſiarum prouentus vendicantes, presbyteris earundem ſeruitio deputatis reliquerunt adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeant ſuſtentari. --- Vnde fit vt in his regionibus pene nullus inueniatur ſacerdos Parochialis, qui vllam vel modicam habeat peritiam literarum.*] Et ad finem, *Illud penitus interdicimus, ne quis in fraudem de prouentibus Eccleſiæ, quæ curam habere debet proprii ſacerdotis, penſionem alii, quaſi pro beneficio, conferre præſumat.*] Ideoq; Concilium Lateranenſe generalem poſuit prohibitionem, *l ne noui imponantur cenſus Eccleſiis, aut veteres augeantur, neue quis partem redditunm ſuis vſibus appropriet, ſed libertatem quam ſibi maiores conſeruare deſiderant, minoribus ſuis bona voluntate conſeruent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur.*] In Concilio *m* Trident. etiam exceſſiuæ penſiones fuerunt cohibitæ, & appoſita moderatio. Iam vero prohibitiones huiuſmodi Romæ ludibrio habentur, & vnica exili particula, *Non obſtantibus*, corruunt omnes & abolentur.

c 21. q. 2. c. Sicut.
d Concil. Cabilon c. 4. & Turon. c. Maioribus de præb. & dign.
e c. Tuæ fraternitatis c. Auaritiæ c. Dilecto c. vacante de præb. & dign. & c. vn. vt eccl. ben. ſine diminut. cõſ.
f 1. q. 3. c. fin.
g Apud Rogerum Annal. ſub ann. 1194. & Baron. eod.
XXVI.
h c. ſicut de ſuppl. negl. Præl.
i c. Conquerente. de cler. nõ reſid.
k c. Extirpandæ de præb. & dign.
l c. Prohibemus de cenſibus.
m Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 13.

XXVII. Audiunt Papæ libenter ſummas ineptias peſſimorum Iuriſtarum, imo vero Nebulonum, qui aſſerunt, *n* poſſe Papam, cum ſit Dominus beneficiorum omnium, aſſignare penſiones quaſcunque placuerit, etiam ſine cauſa. Sed ſi ſapit ſua S. Theologos & Theologiam cõſulat & ſequatur, planeq; cognoſcet penſiones ex ſolis veris, ſolidis, & iuſtis cauſis, quas paulo ante attigi, poſſe aſſignari, & non poſſe cuiquam ſine furto & ſacrilegio, per adminiſtratorem & diſpenſatorem Eccleſiaſticũ dari bona Eccleſiaſtica, niſi aut propter paupertaté, aut propter ſacrũ officium & miniſterium, aut demũ propter quodcunq; vel ſpirituale, vel temporale obſequium, quo Eccleſia indigeat. Et ſane ſi de paupertate ſola loquimur, vel ipſa natura dictante agnoſcimus iniquum eſſe, vt externarum Eccleſiarũ pauperes, ab aliqua Eccleſia alantur, quæ propriis abundet pauperibus, cũ eorundem propriorũ pauperum miſerabili deſertione, & extinctione. Sicut & iniquũ eſt, vt pro quocunq; paupere vero & domeſtico, quãto magis externo & prætẽſo, Epiſcopus, vel presbyter, vel clerus proprius poſthabeatur, & cõſequenter officiũ & miniſterium Eccleſiaſticũ, propter inopiã deſeratur aut parum idoneo cõferatur, vt ex bonis illius Eccleſiæ, alii Eccleſiaſticis officiis nequaquam deputati opipare nutriantur. Roma tamen pro nihilo habet, vt Eccleſiæ omnes ſpoliẽtur, denudentur, deſtruantur, cultuſq; diuinus etiam aboleatur, modo Cardinales & Curiales penſionibus exceſſiuis ad ſatietatem luxurientur, Regũ & Principum pompas æmulentur, & diuitias ex omni parte ſibi ſuiſque congregent in immenſum.

n Gyg. de penſ. q. 1. n. 4. & q. 6. n. 7. & 17.

XXVIII. Iniquiſſimas porro eſſe hodiernas penſiones vel ipſi Canoniſtæ coguntur fateri. Illarũ enim ortum aſſerunt eſſe *o* contra regularem iuris diſpoſitionem, cum ex illis detur ſciſſio in beneficiis. Nil etenim aliud eſt penſio, quã certa portio ex beneficio ad tempus ſeparata: &, imponere penſionem beneficio, eſt illi ſeruitutem iniungere: &, penſio eſt, inquiunt, plaga fœtida, ex percuſſione nerui Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſimilitudinarie inflicta. Et, penſionis impoſitio eſt odioſa: quia eſt cõtra charitatem. Nam qui nõ ſeruit altari, de altari viuere nõ debet, & contra Apoſtoli ſententiam dicentis; *Qui non laborat non manducet.* Et multoties accidit, ꝙ detracta penſione, nõ remanet tantũ Rectori Eccleſiæ grauatæ hoc onere, ꝙ poſſit onera, ad q̃ de iure tenetur, perſoluere. Et ſub titulo priuilegiorũ pẽſionis, numerat Paul⁹ de Roma ibidẽ abſurda turpiſſima:

o Gyg. & DD. apud ipſum q. 96. de penſ.

Primum,

Primum, quod Penſio eſt beneficium ſine obligatione Eccle-
ſiaſtici ordinis. Secundo, quod in Penſione gratia indebitum
a Rom. 4. 4. *reputatur, contra illud Apoſtoli dicentis.* a Quod ei qui
operatur, merces ſecundum gratiam non imputabi-
tur, ſed ſecundũ debitum, *quia nimirum Papa & Car-*
dinales huiuſmodi penſionibus ſuis Curialibus ſeruitutis ſibi
præſtitæ ſtipendia debita ſoluunt, & mercedes, & miſer bene-
ficiarius, quod ex gratia & eleemoſyna ſoluere ſolet, cogitur
ex debito ſoluere. Tertio quia Penſionarius fructus beneficii
ſine labore manducat, contra ſententiam Apoſtoli. Quarto,
quia Penſionarius frangit Iuſtitiæ æqualitatem, — Honores
etenim & commoda diuidi debent ſecundum qualitates labo-
rum. Quinto, quod Penſio eſt præmium ſine opere, quia qui
non ſeruit altari, inde viuere non debet, *nec præmium*
conſequi, & Boui trituranti os alligatur. *Sexto, quod*
penſio ſit ſeges ſine vomere & aratro, & meſſis ſine ſemine,
b Luc. 19. 21. & Mat. 25. 25. *quia Penſionarius* b metit vbi non ſeminauit, & cogit
vbi non ſparſit, & in elabore aliorum introit. *Septi-*
mo, quia Penſio eſt merces ſine cuſtodia, ad quam Paſtor de
c Io. 4. 38. *iure tenetur. Octauo, quia eſt beneficium ſine onere, & eſt*
medulla tritici, & adeps frumenti, butyrum de armento, lac
de ouibus, meraciſſimus ſanguis vuæ, mel de petra, oleum-
que de ſaxo duriſſimo, videlicet de Patrimonio Chriſti.]
Hæc illi. Qui tamen ſolent perpetuo Domino Pa-
pæ aſſentari, ſed veritate compulſi tam euidenti,
quæ etiam lippis oculis ſe manifeſte & eminenter
præbet intuendam, eam occultare non ſunt auſi.

XXIX. Hæc autem abſurda veriſſima contra iuſtitiam,
contra conſcientiam, contra Canones, contra ius
diuinum naturale, contra ipſum Deum excuſent ſi
poſſunt Papæ, dum abſque iuſtis illis primis cauſis
à me ſupra commemoratis, penſiones tam multas
reſeruant & donant, etiam laicis, etiam pueris, imo
d Gyg. de Penſion. q. 13. in fine. & infantibus. Audi quæſo Gygantem: d *Ego, inquit,*
dum eſſem Bononiæ, tempore coronationis Cæſareæ Maieſtatis
Caroli V. quæ facta fuit ſub die 25. Februarij 1530. vidi
literas Apoſtolicas, in quibus Clemens Septimus reſeruabat
penſionem annuam ducatorum vigintiquatuor auri de Ca-
mera, cuidam Prognæ de Purcinigo, infanti Concordienſis
diœceſis qui etiam defectum natalium patiebatur, ex Clerico
& ſoluta genitus, conſtituto in quarto ſuæ ætatis anno, quæ
aſſignatio fiebat poſtquam eſſet inſignitus Clericali caracte-
re, cum eo diſpenſando, quod in illa ætate annorum quatuor
promoueri poſſet ad primam tonſuram, & penſionem extunc
percipere valeret, & erat conſtituta dicta penſio ſuper fructi-
bus Parochialis Eccleſiæ ſanctæ Zenonis de Aniano, Concor-
dienſis Diœceſis, & aderat clauſula, quod ex quauis cauſa,
etiam vrgentiſſima, reduci non poſſet ad minorẽ ſummam.]
Et Stephanus Tornacenſis lepide grauamen ſuum
narrat Papæ Alexandro, cuius iuſſu puero penſio-
e Tornac. Ep. 67. nem ſoluebat. e *Ad vnius, inquit, iuſſionis vocem veſtræ,*
Pater, obtemperans, filio Laxii de Arcberio, ſicut præſens
coram vobis promiſerã, abſens exhibere curaui, quanquam
ſit vobis aliter per eius vicinos intimos intimatum. Frumen-
to & vino ſtabiliui eum, vt altero confirmaretur cor homi-
nis, altero lætificationem ſentiret. Superueniente nuncio mu-
tatum eſt mandatum, & aggrauatum præcepto, vt quoti-
dianum victum in immenſam pecuniæ ſummam conuerte-
rem, & decem ſolidos Pariſienſes, per ſingulos menſes puero
numerarem. Factum vt imperaſtis cum & hæc, & alia quæ-
cumque iuſſeritis, ego, & fratres noſtri parati ſimus & li-
benter ſuſcipere, & liberaliter adimplere. Sciat interim Pa-
ternitas veſtra nos, in quibuſdam Clericis exhibendis, per ali-
quos Dominos meos Cardinales conſimilia onera ſuſtinere.]
Hæccine ſunt toleranda? Nunc etiam grauiſſimum
eſt, quod fructus Eccleſiarum grauant penſioni-
bus, non fructuum portione, ſed numerata pecu-
nia ſoluendis? cum tamen nullus ſit frutex in præ-
diis Eccleſiaſticis, qui ſiliquas auro ſignato plenas,
producat.

Fructus, inquiunt, ſi ſeparentur à ſacro officio, XXX.
ſunt aliquid merum temporale. Quid igitur obſtat
ne dentur cuicunque etiam laico? etiam puero? et-
iam infanti? fateor equidem redditus Eccleſiaſti-
cos, ſi ſeparentur, vt ſupra f docui, eſſe aliquid me- f ſup. ca. 9. n. 78. huius.
rum temporale. Ac propterea non nego poſſe eos
ex cauſa, & laicis, & pueris etiam, ac infantibus at-
tribui: Cauſa vero legitima erit vel paupertas, vel
merita propter obſequia & ſeruitia exhibita Eccle-
ſiis, puta Aduocati, coloni prædiorum incultorum,
campanarij, & ſimilia. Sed paupertas debet eſſe ve-
ra, non ficta, & ſine præiudicio propriorum pau-
perum, ac multo magis proprij cleri, qui primus
ſemper de neceſſariis plene prouideri debet ex Ec-
cleſiæ ſuæ cui inſeruit bonis, inde Eccleſia ſuas de-
bet habere reparationes, & ornamenta, ac ſacram
ſupellectilem. Ac demum, ſi quid ſuperſit, id in
proprios pauperes & peregrinos, ac hoſpitalita-
tem eſt erogandum. Exteri vero pauperes apud
proprias Eccleſias quærant ſolamen, non alienum
panem aliis pauperibus debitum rapiant. At peius
eſt, quod diuites illum rapiunt, & abundantibus
datur, ac in deliciis, luxu, & vanitatibus abſumitur.
Concedam itaque ſimoniæ peccatum abeſſe, ſi ali-
quæ fiant ex redditibus Eccleſiaſticis ab officio Ec-
cleſiaſtico ſeparatis nundinationes, ſed ſi illi inde-
bite diſtrahantur, & in alios vſus quam pure ſacros,
pios, & Eccleſiaſticos, & ad Eccleſiæ verum ſerui-
tium, & obſequium, profane conſumuntur, furti,
rapinæ, ſacrilegij, ac iniuſtitiæ peccatum omnino
affuturum quis dubitat? A quo ne Papam quidem
immunem poſſe eſſe iam oſtendi, quanto magis ſi
puro laico, abſque cauſa ſeruitij Eccleſiaſtici, etiam
temporalis, panis detur Eccleſiaſticus in penſio-
nem.

Quinimo Sotus Romanæ Eccleſiæ patronus XXXI.
addictiſſimus, non permiſit hac in re ſuos oculos
penitus caligare. g *Ego vero,* inquit, *licet de plenaria* g Sot. de Iuſt. & Iur. l. 3. q. 6. ar. 2. ad fin.
Pontificis Poteſtate in diſpenſandis beneficiis nihil ambi-
gam, ſemper tamen arbitratus ſum hæc, (ſcilicet circa pen
ſiones) *eſſe periculoſiſſima omnium beneficiorum: idque*
propter eandem rationem, qua alii cenſent eſſe tutiſſima:
(quia videlicet ſeparatæ ſint ab officio Eccleſiaſti-
co.) *Nam ſi verum eſt, quod paulo ante commonſtrare ni-*
tebamur, ait *nempe ſummum Pontificem nõ eſſe Dominum,*
ſed diſpenſatorem beneficiorum, quæ ſunt Eccleſiarum ſtipen-
dia, conſequens inde fit, vt illa adiudicare nequeat, niſi pro
altaris, vt ait Paulus, miniſterio, vel tanquam mercedem
pro aliquo ſeruitio Eccleſiæ, etiamſi non eſſet ſpirituale.] Et
exemplificat in militibus, qui Eccleſiam tempore
neceſſitatis propugnant. quo nomine dicit Regi
Catholico tertiam decimarum eſſe attributam. &
ego eodem nomine Eccleſiaſticos prouentus com-
mendarum libenter ordinibus militaribus conce-
di admittebam. Concedit etiam Sotus ibidem pen-
ſiones, iis, qui negotia Eccleſiarum extra Eccleſias
alicubi, puta in Concilio, vel Curia gererent. Ita
etiam ob pacem & concordiam litigantium eaſ-
dem admittit, & rem his verbis concludit. *At quod*
citra hunc caſum, abſque vllo titulo & obligatione, bona Ec-
cleſiæ poſſint hoc modo diſpendi, non apparet quomodo intra
limites diſpenſationis contineatur. Et reuera rei nouitas eam
in ſuſpicionem vehementer adducit.] Ita Sotus non pla-
ne cæcus, nec plane mutus, ſed tamen artificioſe
blæſus.

Penſiones ſane iuſtas & legitimas, nec in Eccle- XXXII.
ſia olim etiam inuſitatas multo melius iuſtius &
commodius Epiſcopi poſſunt & debent concede-
re quam Papa. Epiſcopus enim quiſque optime
nouit ſuæ Eccleſiæ debita, & obligationes quibus

illa tenetur, vt vitæ & ſuſtentationis alicui ſuppeditet adiumenta, nouit etiam merita ſuorum pro illa Eccleſia vel ſpiritualiter, vel temporaliter laborantium, & inopiam pauperum. Cumque Epiſcopus ſit verus & proprius prouentuum Eccleſiaſticorum diſpenſator ſupra cap. 8. ad ipſum etiam ſpectabit, vbi opus ſit, penſiones quoque applicare. Epiſcopus prætetea optime omnium cognoſcit cuiuſcunque ſuæ Eccleſiæ & opes, & abundantiam, ſiue anguſtiam, & neceſſitates. Vnde & facile ſcire poteſt quid & quantũ ſuperfluat Rectori, deductis ipſius alimentis, & aliis oneribus, vt inde neceſſariam aliquam poſſit imponere penſionem. Nunc enim negotiatio circa penſiones omnium fortaſſe in Curia Romana maxima, eo deducitur, vt qui beneficium ambit facile ſibi aſſentiat penſionem imponi, quam tamen ille ſit perſoluturus ex debito fabricæ Eccleſiæ, ornatui, & diuino cultui exercendo, nec non pauperibus ſubleuandis. Quod tamen Epiſcopus, vt omnium ſuarum Eccleſiarum protector & gubernator, nunquam pateretur.

XXXIII. Imponit itaque Summus Pontifex penſiones, etiam vt plurimum grauiſſimas, oneratque Eccleſias & ſine poteſtate onere prorſus intolerabili, miſeræq; Eccleſię ſimillimę fiunt infelici illi, *qui in a latronum manus incidit, quem illi expoliauerunt, & multis plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* Hinc illas Curia Bullis & annatis expilat, inde penſionarij diripiunt, & ſi quis pilus remanſit, illum beneficiarius & Rector, tanquam *racemum poſt vindemiam, auide corradit.* Eccleſiæ vero miſere decaluantur, expilatæ, corraſæque ac direptæ & denudatæ ſqualent, & tendunt ad interitum, in tot enim manus hoſtium crudeliſſimas incidunt, adeoque male tractantur, vt ſemineces tandem penitus etiam corruant ſit neceſſe.

a Luc. 10. 30.

b Iſa. 24. 13.

XXXIV. Et quoniam tota pene Curia Romana famelicis ac voraciſſimis plena Harpyiis ex penſionibus potiſſimum viuit, imo & ditatur, & luxuriatur, hinc fit, vt ipſa ſibi ſuo modo leges nouas finxerit & fixerit, ita vt ſemel vel iniuſtiſſima & iniquiſſima impoſita penſione, cuius iniquitas, & nullitas ex patentiſſimis capitibus ſit manifeſta, nunquam tamen ſperet oppreſſa Eccleſia, vllum ex æquitate iudicium, quo miſera à tanta oppreſſione vel leuetur, vel liberetur. Si beneficiarius penſione grauatus litem penſionario ſuſcitet, cogitur omnino Romæ duntaxat litigare, cauſam extra Curiam committi non patitur Pontifex, nec permittunt Curiales. Romæ vero ipſimet Iudices penſionibus potiſſimum ſuſtentantur, & ſane fere omnibus iniquiſſimis. Quis igitur dubitat ipſorum ſententias tales fore, quales illi, pro tuitione ſuarum penſionum, ferri vellent? Adde vero ſtylum Curiæ nouum ius induxiſſe, totum oppoſitum & cõtrarium iuri communi, & viam inuenerunt Canones ſibi oppoſitos eludendi per contrarium Curiæ ſtylum ſuperinductum. Et vbi de iure communi extra Curiam facile penſionis iniquitatem probare poſſis, neceſſe eſt vt in Curia, propter ipſius ſtylum iniquiſſimum, & qui omne ius deſtruit, omnemque etiam naturalem diuini iuris æquitatem exterminat, cauſa cadas. Hinc illa fœdiſſima axiomata: *Non retardata ſolutione: Solue & repete: In forma Cameræ: Motuproprio: Præalimentis*, & ſimilia. Quibus, faueant tibi quantumuis iura omnia, ſententiam tamen contrariam oportet vt expectes. Quod ſi fortaſſe ad magnam egeſtatem redactus ſit miſer aliquis beneficiarius ob penſionis exceſſiuæ nimiam exorbitantiam, neque habeat vnde ſoluat ſi debuit viuere, ſtatim cenſuræ & fulmina excommunicationum in miſerum intorquentur, cum turpiſſimo abuſu Cenſurarum: neque ad vllam admittitur excuſationem, quantumcunque iuſtiſſima ſit, niſi prius omnes ſoluerit decurſas penſiones. Quinimo ſi miſer cedat bonis, & nudum retineat titulum, redditus tamen omnes à ſe abdicet, eoſque paratus ſit reſignare, reſignationem nolunt admittere: ſed vrgent Eccleſiaſticis Cenſuris adhuc peius. Si beneficium petat capituli, *Odoardus: de ſolut.* quod in ſacri ordinis ſapienter excogitatum fuit ſoſpitatem, & æquitatem continet maximam naturalem, ſtatim crudeliſſimo ſuo inſurgunt ſtylo Curiæ, qui in penſionibus nolit locum eſſe huius legis beneficio. Quæ eſt tyrannis ſæuiſſima, tametſi enim oſtendas ſummam paupertatem, bonis & redditibus cedas, quo caſu prouidit Eccleſia vt ſacri Eccleſiarum miniſtri pro ſordida pecunia carceribus non mancipentur, neque in damnum Eccleſiarum quas regnat cenſuris irretiantur: nihilominus volunt omnino pecuniam, nec locum vllum aut legibus, aut pietati relinquunt: *Et vbi lac non poſſunt emungere, eliciunt ſanguinem.* c Prouerb. 30. 33.

Quid dicam de fraudibus apertiſſimis? Docent ſane Canoniſtæ, vt vidimus num. 30. poſſe etiam laicis penſiones Eccleſiaſticas aſſignari: ſed pro certis cauſis, & obſequiis temporalibus, in beneficium Eccleſiæ præſtitis, ſeu præſtandis. Non audet igitur Papa tanta cum audacia procedere, vt laicis donet penſiones nullam cauſam præſeferentibus. Vult tamen ſuis, & Cardinalibus Curialibus mercedem obſequiorum penſionibus ſoluere: Ecce tibi ingentem, & patentem fraudem, laicis illis primam tonſuram vt arripiant, iubet, clericoſque ſtatim nominat: ſcilicet Clericos thalami, triclinij, culinæ, ſtabuli & ſimilium locorum, ac magis profanorum, non Eccleſiarum. Et cum illis diſpenſat ſtatim ſuper Clericali habitu, & tonſura, vt poſſint in militari, laicoq; habitu incedere. Cauetur enim lege Romana Pontificia, ne laici accipiant ea quibus ſacerdotes debent ſuſtentari, in cuius fraudem, iam, ſi Deo placet, iſti, laici non ſunt, ſed Clerici, qui ne capillum quidem vnicũ habent, qui cogitet de Clericatu. Et Clericus verus non eſt, niſi qui Eccleſiæ in rebus Eccleſiaſticis inſeruiat. Vnde etiam, ex decretis Concilij Tridentini d neque gaudent fori priuilegio addita præſertim declaratione congregationis Cardinalium, quæ ſic habet: Cui reſeruata fuit penſio, ſi non incedat in habitu, & tonſura, non gaudet priuilegio fori.] Hi igitur pro meris laicis, vt ſunt, ita & habentur ab Eccleſia. Atque duplici nomine, à clericorũ numero excluduntur his decretis, quia habitum, & tonſuram non deferunt, & quia, etiamſi deferrent (vt nonnulli deferunt) nullius Eccleſiæ ſeruitiis ſunt addicti. Quare fraus hæc eſt manifeſta. Si vero adiuuantur penſionibus tanquam pauperes, cur cum tanto ſcandalo tonſurantur? nam ſine tonſura pauperes poſſunt bonis Eccleſiæ ſuſtentari. Sed neque veri pauperes ſunt, neque debent Eccleſiæ externis pauperibus, poſthabitis propriis, ſubuenire. Eripitur igitur Clero, & pauperibus, & Eccleſiis, neceſſaria ſuſtentatio vt inde Romano famulitio merces, & debitum ſtipendium Curialitatis perſoluatur.

XXXV.

d Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 6.

Quid vero dices, pie lector, de alia fraude inuentoque illo pulcherrimo Romanæ ſimoniæ vt Dominus Papa non contentus in collatione beneficij Bullarum precio, & Annatis, ac ſæpe muneribus, vt venditio ſit amplior, penſionem adhuc reſeruet pro perſona nominanda, nunquam tamen nominanda XXXVI.

ſanda? ſtatimq; beneficiarius penſione grauatus, vt ſe ab ea liberet, iuxta iā ſolitas nundinationes, quinque annorum ſoluat penſiones anticipate: eaq; ſolutio fit Cameræ Apoſtolicæ, non vlli perſonæ nominatæ, aut nominandæ. & ita veriſſimam & propriiſſimam venditionem ſacri beneficij, nomine tegunt falſæ penſionis: quæ penſio nō ſit, ſed merum precium emptionis, Papæ ipſi, beneficium conferenti, ideſt vendenti, perſolutum. Hæc videt Reſpublica Chriſtiana, & tolerat? cernunt hæc Principes Chriſtiani, & dormiūt? ſola Gallicana Eccleſia ipſa Catholica firmiſſimo obice, ne hic abuſus peſſim[9] in illud florentiſſimū regnum irrumperet, & reſtitit perpetuo, & reſiſtit. alia vero Chriſtianorum ſub Papa regna, præclarum piiſſimi regni exemplum, neſciunt imitari. Cernimus inter multos Gallicanæ Eccleſiæ libertatis articulos, quos illa diuino primum, deinde & communiſſimo antiquo Eccleſiæ vniuerſalis iure, non peculiari vllo priuilegio tuetur, illum etiam recenſeri: a Non poſſe Papam penſiones vllas in Regno Franciæ ſuper Eccleſia vlla beneficia imponere, niſi de conſenſu beneficiati: & iuxta Conciliorum decreta canonicaſque conſtitutiones: ſeu ob vtilitatem reſignantium, qui ſibi penſionem reſeruarent, ſiue ad concordiam litigantium. Iuſtas, & legitimas retinet: a-llas omnes exterminat penſiones. Et de his ſatis. a Liber impreſſus Pariſiis an. 1594.

CAPVT XII.

QVOS HÆREDES ET SVCCESSORES IN BONIS temporalibus habeant Clerici.

Svmma Capitis.

De bonis per Eccleſiam acquiſitis Clericus teſtari non poteſt. n. 1. ideo canones prohibent teſtamenta clericorum. n. 2. ſed de bonis propriis poſſunt teſtari n. 3. 4. 5.

Teſtamenta Clericorum ad pias cauſas, etiam de bonis per Eccleſiam acquiſitis, & ſine licentia facta, approbantur. n. 6. 7. Et licentiæ conceſſæ clericis ad teſtandum examinantur. n 8. (n. 9. 10, 11. 12.

Teſtamenta clericorum ad pias cauſas à Papis immerito abolentur & prohibentur.

Conſuetudo & Princip. decreta circa clericorū teſtamenta quid poſſint. n. 13. 14. 15. 16.

Libera teſtamenta Clericorum in certis caſibus approbantur. n. 17.

Monachorum teſtamenta excludantur. n. 18. 19. 20.

Hæres Clericorum ab inteſtato quo ad bona Eccleſiaſtica eſt Eccleſia, & ſucceſſor in beneficio: à n. 21. ad n. 24.

Auaritia tamen Romana id ſubuertit legibus circa ſpolia Clericorum ad Cameram Apoſtolicam attracta, à n. 25. ad n. 29.

Principes circa ſpolia Clericorum quid poſſint. n. 30.

Fructus vacationis tempore percepti ad quos pertineant. n. 31.

Compoſitio cum Romana camera pro fructibus male perceptis examinatur. n. 32. 33.

1. QVÆ ſunt hactenus à nobis in præcedentibus capitib. in hoc libro diſputata, caput hoc poſtremum breuius faciunt, & expeditius. Huc enim ſpectant ea omnia quæ de Dominio Clericorum in fructus ſuorū beneficiorum ſunt à me c. 7. & de eorum proprietate, tractata. Siquidem enim Clericus nullū habet Dominium in ſuos fructus, ſed vſum tantum, & diſpenſationem ſuperfluorum in opera pia, ac vere Eccleſiaſtica, neceſſario profecto ſequitur, nō poſſe Clericum poſt mortem, quicquid ei ex bonis Eccleſiæ ſuperfuit, de illo vlla ratione diſponere. Ius enim totum clerici beneficiati in bona ſui beneficij eſt in vſu duntaxat bono, pro ipſius neceſſitatibus, & modeſtis commoditatibus, vt docui c. 7. & in diſpenſatione ſuperfluorum. Poſt mortē vero plane omnis vſus ceſſauit, vt conſtat: Diſpenſator vero ipſe amplius non eſt. Potuit dum viueret bona illa ſuperflua, ſeu etiam ſupellectilem, & vtenſilia, quæ ei fuerunt neceſſaria diſpenſare pro ſuo libito, in vſus tamen pios, non profanos, vt toties iam inculcaui: ſed ſi viuus ea non diſpenſauit, certe poſt mortem ipſius res illæ, cum ſint vere & proprie Eccleſiaſticæ ac extent, illarum adminiſtratio tota in ordinarium viuum & extantem, ſtatim poſt ipſius mortem recidit adminiſtratorē: ſiue is ſit Epiſcopus, ſiue ſucceſſor, ſiue alius, de quo infra. Atq; in hoc tanquam ſolidiſſimo fundamento conſiſtit deciſio illius, quam Nauarrus dicit eſſe a *perobſcuram, quæſtionis: à nemine*, inquit, *radicitus hactenus explicata*? an ſcilicet conſuetudine induci poſſit, vt Beneficiarij teſtari valeant libere de redditibus ſuorum beneficiorum, abrogando ius commune contrarium? Reſpondeo enim id nullo pacto fieri poſſe: quia Dominium in illa bona nullum habent ipſi Beneficiarij, ſed nudum vſum & diſpenſationem. Et hoc ex donantium voluntate, Eccleſiæque accipientis intentione, vt iam explicaui capite ſexto, in quibus Ius Diuinum naturale cerno, vt dominium Eccleſiaſticæ communitati non auferatur, quæ ipſum penes ſe retinuit, nec id in Adminiſtratores tranſtulit. Vſus ſimiliter, quem rerum illarum Dn. ſoli Eccleſiæ & pauperib. donauit, in alios non poteſt transferri. Et ita nos tandem reducimus ad præceptū naturale, *Non furtum facies*; contra quæ naturalia præcepta neq; conſuetudo, neque lex humana vlla quicquam poteſt. Hoc igitur eſſet concedere vt ille Clericus poſſit furtum licite facere & Dominium quod non habet ſibi vſurpare: & vſum veris vſuariis, ſeu vſufructuariis eripere ac furari: ipſumque in alios, quibus non debetur, transferre. Atque hinc etiam manifeſta omnibus pateſcit ratio, cur poſſit Clericus inter viuos de rebus, quas ab Eccleſia habuit, & non teſtamento poſt mortem a Nauar. de red. Eccl. q. 3. mō. 5.

a Apud Nauar, de red eccl. q. 3. mon. 1.

diſponere: quam inſignes Iuriſtæ *a* craſſe nimium, vt ſolent, procedentes, & rerum ſuperficiem non penetrantes, ſe non poſſe aſſequi falſi ſunt.

II. Eidem fundamento maxime naturali & diuino iure fulcito, innititur dictum illud cõmuniſſimum: Non modo monachum, ſed etiam Clericum, quicquid acquirit, Eccleſiæ ipſi, nõ ſibi acquirere. Concilium Agathenſe c. 54. ſic ſtatuit. b *Presbyter dum diœceſim tenet, de iis quæ emerit ad Eccleſiæ nomẽ ſcripturam faciat: aut ab eius quam tenet Eccleſiæ ordinatione.*] Toletanum vero ſecundum id ita explicat: c *Si quis ſane Clericorum agellos, vel vineolas, ſeu alia ædificia in terris eccleſiæ ſibi feciſſe probatur, ſuſtentandæ vitæ ſuæ cauſa vſq; ad diem obitus ſui poßideat. Poſt ſuum vero de hac luce diſceſſum, iuxta priorum Canonum conſtitutiones, ius ſuum Eccleſiæ ſanctæ reſtituat: nec teſtamentario, ac ſucceſſorio iure cuiquam hæredum, aut prohæredum relinquat: niſi forſitan cui Epiſcopus, pro ſeruitiis ac præſtatione Eccleſiæ largiri voluerit.*] Et Carthaginenſe 3. d *Placuit,* inquit, *vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunq; Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus vel Clericatus ſui, agros, vel quæcunq; prædia, nomine ſuo comparant, tãquam rerum dominicarum inuaſionis crimine teneantur: niſi admoniti, Eccleſiæ, eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis proprie aliquid liberalitate alicuius, vel ſucceßione cognationis obuenerit, faciant inde quod eorum propoſito congruit. Quod ſi à ſuo propoſito retrorſum exorbitauerint, honore Eccleſiaſtico indigni, tanquam reprobi iudicentur.*] Toletanum item 8 c. 4. e *Sacerdotes,* inquit, *vel quicunq; illi ſint, quibus Eccleſiaſticarum rerum cura commiſſa eſt, quæcunq; adminiſtrationis ſuæ tempore emerint, ſi de reb. propriis vel vile vel carum habuerint, ad eccleſiæ nomẽ, cui præſunt chartharum inſtrumenta conficere procurent. Non n. conuenit vt eccleſia quem ſuſcepit externum, efficiat in alieno diuitem: & in ſuo retineat fraudatorem.*] Arelatenſe: f *ſi nihil,* inquit, *patrimonij habẽs presbyter, quando promotus eſt ad eccleſiaſticum ordinem, poſtea emerit prædia, eccleſiæ ſunt, iuxta Canonicam autoritatem.* Si igitur quæ acquirit Clericus, eccleſiæ ſuæ acquirit, proculdubio de illis teſtari non poteſt: quia non ſunt ipſius ſed eccleſiæ. Et hoc adhuc magis inferius confirmabo, dum agam de ſpoliis. oſtendam enim eccleſiam eſſe propriam & perpetuam hæredem Clericorum.

b 12. q. 4. c. Presbyter & de pecu. Cler.

c Concil. Tolet. 2 c. 4. & c. pia. de pecul. Cler.

d 12. q. 3. c. 1.

e 12. q. 4. c. 1.

f c. 1. de pecul. Cler.

III. Docet tamen ratio, & iura explicant, Clericum non poſſe teſtamento diſponere de bonis, ſiue eccleſiaſticis, hoc eſt de ipſis fructib. & redditibus ſui beneficij, ſiue de acquiſitis per ipſum, tam per bona prædicta quæ ipſi ſupereſſent, quã per exercitia eccleſiaſtica: & quæcunq; ad ipſum perueniunt ex eo quod Clericus eſt, & intuitu eccleſiæ ei donantur, vel legantur. Quod ſi alia habet bona, & non ab eccleſia, nec per eccleſiam, nec pro eccleſia, cũ ſit horum verus Dn. nihil prorſus obſtat quominus liberum ſit ei teſtari: eodem modo quo cæteris laicis omnibus, & diſponere de talibus ad placitum ſuæ voluntatis. Neq; obiicias mihi, me proprietatem omnem Clerico ſuſtuliſſe: Proprietatem n. ſolam ei abſtuli, circa bona eccleſiaſtica ita vt nunquam liceat Clerico in illa dominium verum acquirere, quorum non habet niſi ſolum vſum, & diſpenſationem eccleſiaſticam. Abſtulit etiam Chriſtus poſſeſſionẽ diuitiarum temporalium ſuis Clericis, quos iuſſit renuntiare omnibus quæ poſſident: & nos id, cum S. Patrib. c. 1. & 7. declarauimus, vt qui ex patrimonio Chriſti velit viuere, proprium deſerat patrimonium: niſi quis interdum (quod rarum admodum & extraordinarium continet caſum) eccleſiæ velit deſeruire, & proprio ſuſtentari patrimonio, nihilque bonorum attingere, ad proprium vſum, eccleſiaſticorum. Et tales miniſtros tolerare potius quã quærere deberet eccleſia: quia curis temporalibus magnis irretitus, parum aptus eſt miniſteriis ſpiritualibus ſerio exercendis. Itaque, in hoc etiam ſenſu, proprietatem opimæ nimirum hæreditatis, & magni patrimonij à Clerico remouemus. Omnem tamen penitus proprietatem bonorũ temporalium, modo ne ſint eccleſiaſtica, vt dixi, aut nimia, & ingentis curæ, non puto Clerico eſſe auferendam: puta ſi aliquo artificiolo, vel donationib. externis, vel legatis piis, intuitu perſonæ, non ordinis aut eccleſiæ, is aliquid conſequeretur: Id profecto ad ipſius ſpectabit proprietatem: in hoc perfectum habebit dominium: & de his aut de aliis horum beneficio acquiſitis, & auctis poterit libere teſtari: vt apertiſſime ei ſacræ concedunt leges.

IV. In canone Apoſtolorum quadrageſimo, ita legimus: g *Sint manifeſtæ res propriæ Epiſcopi, ſi tamen habet propriæ, & manifeſtæ dominicæ: vt poteſtatẽ habeat de propriis moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quib. voluerit derelinquere: nec ſub occaſione eccleſiaſticarum rerum, ea, quæ Epiſcopi eſſe probãtur, intercidant. fortaßis n. aut vxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut ſeruos. Et iuſtum eſt hoc apud Deum & homines, vt nec eccleſia detrimẽtum patiatur, ignoratione rerum Pontificis: nec Epiſcopus vel eius propinqui, ſub obtentu eccleſiæ, proſcribantur: & in cauſas incidant qui ad eum pertinent, morſq; eius iniuriis mala fama ſubſcatur.*] Et in Concilio *h* Agathenſi c. 48. nec non in collatione *i* Martini Bracarenſis cap. 15. diſtinguuntur bona propria, à bonis eccleſiaſticis Epiſcoporum: vt de propriis poſſint teſtari, ſecus de eccleſiaſticis. Ita Alexander 3. concedit, *vt Clerici* k *de iis, quæ paternæ ſucceßionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio, ſeu doctrina ſunt adepti, ſeu dono cõſanguineorum, aut amicorum, nõ habito reſpectu ad eccleſiam peruenerunt ad ipſos, libere diſponere valeant.* [Quam ſane Clericorũ proprietatem in minutiorib. extra eccleſiam acquiſitis, iura etiã antiqua agnouerunt & permiſerunt, aut ſaltẽ vetitã non agnouerunt. Canon ſane Apoſtolicus paulo ante productus, id ſupponebat. Cõcilium vero Agathenſe c. 33. hæc habet. l *Epiſcopus, qui filios aut nepotes non habens, alium quam eccleſiam reliquit hæredem, ſi quid de eccleſia non in eccleſiæ cauſa, aut neceßitate inſumpſerit, quod diſtraxit aut donauit irritum habeatur. Qui vero filios habet, de bonis quæ reliquit, ab hæredibus eius indemnitatib. eccleſiæ cõſulatur.*] Vult vt hæredes ſeparent bona propria paterna, à bonis eccleſiaſticis Concilium octauum Tolet. c. 4. m ſubdit: *Voluntatis arbitrio clerici teſtatoris ea, quæ meruerit pro ſui vtilitate, atq; amicitia, vel præſtatione, aut quocunq; modo, aut per ſcripturæ ſeriem: hæc n. non vult in eccleſiaſticis rebus numerari.*] Idem habet etiam Concilium Carthaginenſe 3. *n* quod permittit Clerico aliquid acquirere, vel alicuius liberalitate vel ſucceſſione cognationis. Et paſſim *o* Doctores admittunt: & cõſuetudo firmat, nec repræhenditur. Quomodo vero diſcernenda ſint quæ donantur Clerico intuitu perſonæ, ab iis quæ eidem intuitu eccleſiæ donantur, explicat idem quod ſupra Concilium *p* Agathenſe c. 6. Vt in hoc magnum ſit diſcrimen inter Clericum & Monachum: Nam ſicut eos iam pares feci in abdicatione proprietatis, reſpectu bonorũ eccleſiaſticorum: ita nunc plurimum differunt reſpectu aliorum bonorum externorum. nam Clerici non ſunt incapaces alicuius proprietatis, etiãſi in communib. eccleſiæ bonis nonnihil participent: At vero Monachus & Regularis, ex vi profeſſionis & voto paupertatis, à quacunq; proprietate debet eſſe penitus alieniſſimus. Et Monachus quicquid vndecunq; acquirit legitime, non ſibi, ſed monaſterio acquirit. Clericus vero, niſi ſit Regularis, ac niſi

g 12. q. 1. c. 21.

h c. Epiſc. ea.

i c. Manifeſta. ea.

k c. Quia nos & c. Relatũ. 2. de teſtam.

l 12. q. 2. c. Epiſcop.

m 12. q. 1. c: Quicunque.

n 12. q. 3. c. Placuit.

o Nauar. de red. eccl. q. 1. mõ. 33.

p c. Pontifices 12. q. 3.

intuitu

intuitu Eccleſiæ, & ſacrorū miniſteriorū acquirat, poteſt ſibi quiſq; acquirere. Ac proinde monach⁹; nulla ratione poteſt teſtari, cuius in omnibus ſemper eſt *a* hæres monaſteriū, clericus vero interdum poteſt libere teſtari, de aliunde, & non per Eccleſiā acquiſitis. Et prohibitio quæ fit clericis ne cōdant teſtamenta, conditionata eſt, non abſoluta, vt per multa *b* iura vtriuſq; ordinis conſtat. Quæ ſicut teſtamenta clericorum de rebus propriis, & aliunde acquiſitis, intacta relinquunt, ita ea irritāt, caſſant, & abolent, ſi de rebus Eccleſiæ, vel per Eccleſiam acquiſitis illa fiant. Quæ leges ſupponunt id iure naturali diuino eſſe prohibitum, nec licere.

a C. de ſacroſ. Eccl. auth. ſi qua mulier.

b 12. q. 5. per totam & Concil. Pariſ. l. 1. c. 16. & C. de Epiſcop. & Cler. l. 42.

V. Nō deſunt tamen Eccleſiaſticæ leges, quæ, non tam debitum iuris diuini, quam æquitatem quandā humanā ſecutæ, ſtatuunt vt Epiſcopi & Clerici etiam bona propria, ſiue patrimonialia, ſiue ab extra acquiſita, Eccleſiis poſt mortē, nō aliis relinquant. Ita enim vidimus paulo ante in Canone trigeſimo tertio Agathenſi, & quidam Canon, à Gratiano tamen vitiatus, decernit, *c Epiſcopum, qui filios aut nepotes non habuerit, alium quā Eccleſiam non debere relinquere hæredem.* Et Concilium Tolet. 8. cap. 4. dicit, *liberos eſſe clericos circa bona ipſorum propria, vt diſponant de iis pro arbitrio ſuæ voluntatis.* Subdit *d Quod ſi hoc poſt eorum mortem inordinatum fortaſſe remanſerit, Eccleſia cui præfuit, vel miniſter extitit, hoc ſibi in perpetuum vendicabit.*] Et Concilium Triburienſ. *e Quicunq;*, inquit, *ex gradu Eccleſiaſtico, ſine teſtamēto, & ſine cognatione deceſſerit, hæreditas eius ad Eccleſiā vbi deſeruit, deuoluatur.*]

c 12. q. 2. c. Epiſc. qui filios.

d 12. q. 5. c. quicunq;.

e 12 q. 5. c. quicunq;.

VI. Eadem etiā humana æquitas, fecit, vt teſtamenta clericorum, quibus etiam bona proprie Eccleſiaſtica in pias tamen diſpenſat cauſas, ab Eccleſia facile tolerētur, imo & approbentur, ideoq; Gregorius, & Alex. 3. *f* executioni mandandam cenſent clerici voluntatem teſtamēto explicatam, de eleemoſynis quas viu⁹ adhuc facere deſtinarat. Si præſertim diſponat de ſolis *g* mobilibus, per Eccleſiam etiā acquiſitis. In quo tamen bonus Nauarrus fallitur aliquantulū, dum *h* colligit, ex hoc quod Papa cōcedit teſtamenta clericorum ad pias cauſas, non iure diuino, ſed iure tantum humano Eccleſiaſtico prohiberi clericis, ne teſtamenta condant ad pias cauſas, iure autem diuino prohiberi, ne ea condant ad cauſas profanas. Eidem enim prorſus diuino iuri naturæ aduerſatur, vt oſtendi cap. 8. ſi quis iure adminiſtrationis & diſpenſationis aliquem priuet indebite, & illud ſibi vſurpet. Quamuis igitur bona illa bene diſpenſentur, iuxta naturalem finē quem habet donantium & Eccleſiæ intentio, non tamen ampli⁹ diſpenſantur à ſuo vero & legitimo diſpenſatore, quem docui aliū eſſe à mortuo teſtatore, qui in articulo mortis vtrunq; ius & vtendi, & diſpenſandi amiſit. Ac propterea omnes Eccleſiaſticæ ꝓhibitiones, quibus *i* teſtamenta clericorū abolentur, ſunt valde generales, nec minus negant clerico ad profanas quā ad pias cauſas, teſtamenta cōdendi facultatem. Quod igitur Alexand. habet, non tā eſt lex, aut conceſſio, (Eccleſia enim contra ius diuinum nihil poteſt) quam conniuentia quædam, & pia toleratio: cuius æquitas in eo conſiſtit, quod illi ipſi ſucceſſores in locum mortui, ac ipſamet Eccleſia tacite quodāmodo & interpretatiue cedunt iuri ſuo, ac permittunt teſtamēta ad pias cauſas præceſſoris defuncti locū habere, ſiquidem expectant, vt ipſorum etiam teſtamenta ſimilia locum habeant.

f 12. q. 5. c. quia Ioannes, & c. Ad hæc de teſtament.

g c. Relatū 2. de teſtā.

h Nauarr. de red. Eccleſ. q. 3. mon. 5.

i 12. q. 5. tota, & c. cum in officiis & c. Quia nos de teſtām.

VII. Ita profecto Gregorius eadem æquitate ductus teſtamentū Ioannis Epiſcopi Rauennatis exequēdum cenſet ad pias cauſas. *k Non quoniam*, inquit, *ſupremam eius ſequimur voluntatem, ſed quia ei hoc viuenti promiſimus.*] De ſe ergo teſtamentum etiā ad pias cauſas nullū eſt, nec voluntas ſuprema eſt ſequenda, vt in aliis ſequenda eſt validis teſtamentis, eam tamen ex conniuentia & pietate vult adimpleri: ipſe præſertim, qui ratione ſui primatus erga Eccleſiam Rauennatem poterat circa adminiſtrationem bonorum dictæ Eccleſiæ aliquid ſtatuere & innouare: neque habuit proximum ſucceſſorem teſtatoris renitentem, qui etiam ſuo iuri ceſſiſſe facile eſt putandus. Et ſicut Metropolitani ac Synodi ſubſtituunt, ſede aliqua vacante, oeconomos, cum poteſtate diſpenſandi quæ occurrunt diſpenſanda ad pias & neceſſarias cauſas, cur non poſſunt iidem, actu etiam ipſo aliqua diſpenſare, prout æquitas & pietas ſuadet? Ita Concilium Colonienſe ad eiuſmodi decretum deuenit: *l Vbi ſacerdos*, inquit, *noſtræ diœceſis mortuus eſt inteſtatus, bona ipſius præter patrimonialia quæ hæredibus cedant, deducto ære alieno, & funeralibus, in piam cauſam pro defuncti animæ ſalute conuertantur.*] Quod ſi defunctus ipſemet ſuo teſtamento id diſpoſuiſſet, quis dubitat Concilium illud id approbaturum fuiſſe?

k 12. q. 5. c. Quia Ioannes.

l Concil. Colonien. par. 13. c. 11.

VIII. Quæret hic quiſpiam quid efficiat licentia teſtandi quæ peti ſolet à Clericis & obtineri? Reſpondeo nullam prorſus licentiam à quocunque Prælato conceſſam, etiam à ſummo Pontif. quicquam valere coram Deo, & in foro conſcientiæ, ad teſtandum libere & abſolute, ad quamcunq; cauſam etiam profanam. Atque hoc ex tot noſtris diſputationibus factum eſt manifeſtiſſimum & probatiſſimum. Quia bona Eccleſiaſtica nulla humana, ne totius quidem Eccleſiæ vniuerſalis auctoritas poteſt in alios vſus, quam pios conuertere. Et qui conuertit, quique conuertenti aſſentitur, fures ſunt & ſacrilegi raptores. Ad pias tamen cauſas licentia ſui Prælati plurimum prodeſt. Quamuis enim Alexandri Conſtitutiones, iuncto Gregorii decreto, valida quodammodo reddant teſtamenta Clericorum de bonis Eccleſiæ ad pias cauſas, etiam abſque licentia facta, ſi tamen ſucceſſor defuncti remittendum eſſe cenſeret, facile poſſet teſtamentis huiuſmodi non deferre. Vbi vero cum ſuperioris licentia fit teſtamentum, ſi præſertim teſtatores ſint inferiores Epiſcopo, & licentia detur *m* ab Epiſcopo illius Eccleſiæ, ad quam ſpectat teſtator, teſtamentum illud erit validiſſimum: quia Epiſcopus eſt verus & legitimus omnium bonorum ſuarum Eccleſiarum de iure *n* adminiſtrator, & ſic teſtatori in ea parte ſuam delegat diſpenſandi ad pias cauſas poteſtatem. In quo caſu longe tutiorem puto teſtatorem cum licentia ſui Epiſcopi teſtantem, quam ſi cum ſola Papæ licentia teſtaretur, vt ex dictis patet. Epiſcopus autem debet habere licentiam à ſuo Metropolitano, & ſic gradatim, vſque ad Patriarcham. Quamuis hæ licentiæ pro Epiſcopis mihi non nimium arrideant: non enim Metropolitanus eſt ordinarius diſpenſator bonorum Eccleſiarum, iure Metropolitico ſibi ſubditorū, ſed mortuo Epiſcopo, oeconomus ſuccedit, vt ſuo loco *o* docui, cū obligatione tamen reddendi rationes futuro Epiſcopo. Vnde ſuſpicor vix quicquam prodeſſe Epiſcopis licētias Metropolitanor. ſiue etiā Papæ. Plus ego profuturam opinor licentiam ſeu cōſenſum capituli, quam aliam. Quia etiam ſede vacante Capitulū, in omnia fere iura Epiſcopalia, ſubintrat & repræſentat quodāmodo totā illam Eccleſiam quę domina eſt illorum bonorum. Cum tamen iam vſu quodam inualuerint Alexandri decreta, & pietas æquitaſque negotio huic plurimum faueat, non puto vlla licentia Epiſcopos indigere,

m Reform. Cler. Leod. init. tom. 4. Concil.

n Sup. cap. 6. à n. 22. huius.

o Ibid. n. 28. 29.

digere, ſed poſſe ſua teſtamenta ad cauſas pias condere, eaque principibus præſertim loci coadiuuantibus, executionem plenam ſemper habitura. Semper enim & facile præſumi poteſt, ac merito, Epiſcopum multa habere, quæ aliunde quam per Eccleſiam compararit. Ac miror prorſus cur cum tot incommodis & expenſis Epiſcopi, & magni Prælati Romanam ambiant licentiam ad teſtandum. Si enim eam volunt ad cauſas etiam profanas, & ſe & Pontificem graui crimine illaqueant, licentiamque obtinent, nihil eis prorſus coram Deo profuturam: Ad pias vero cauſas iam Alexandri declaratione, & rationibus dictis licentia non indigent.

IX. Hæc tamen Gregorii & Alexandri tanta pietas, vſuſque, & conſuetudo ſummæ adiuncta æquitati, & ab Eccleſia bonorum ſuorum domina tacite approbata non placuit noſtris Pontificibus: poſtquam nouam, ac perpetuis retroactis ſæculis inauditam excogitarunt, & aperuerunt ingentis pecuniæ ex Clericorum ſpoliis aſſequendæ officinam: de qua paulo poſt diſputabo. Omnia enim opera pia cedere volunt ſuæ Cameræ Apoſtolicæ, & præ illa, tanquam nullius momenti, poſthabenda. Audi quæſo quomodo per cuniculos, ſumma arte, facultatem hanc Clericorum ad opera pia teſtandi iam vſu ad noſtra ferme tempora corroboratam magna æquitate ſuffultam, & expreſſis Romanæ Eccleſiæ ſanctionibus confirmatam, conati ſint demoliri. Paulus tertius, *a* vt videretur iure agere, & ſe nihil ſtatuere quod ipſius non eſſet poteſtatis, facultates has Clericorum ad opera pia teſtandi ad Sedis Apoſtolicæ reduxit conceſſionem, indeque ortas aſſerit: Quia ipſa ſedes locis piis dederit priuilegia, vt capere poſſent legata omnia, & hæreditates Clericorum non habentium teſtandi facultatem. Quo poſito, dicit ſe moderari iſta priuilegia, ita vt pro ſola decima bonorum teſtatoris valeant teſtamenta, abſque facultate teſtandi ad pia loca, piaſque cauſas facta, & non per modum inſtitutionis hæreditariæ, ſed per legatum duntaxat, & ſimplicem donationem dicta decima pars locis piis relinquatur. Vbi vero ſunt iſta priuilegia, præſertim generalia? fortaſſe locus aliquis ſpecialis habuit priuilegium hoc: ſed nil ad rem.

a In 7. l. 2. tit. de teſtam. c. 1.

X. Pius 4. adhuc in hos ſeuerior, abſque cuniculis, aperto Marte *b* omnia teſtamenta Clericorum ſine licentia Sedis Apoſtolicæ facta, ad quaſcunque pias cauſas, quas dicit eſſe prætextus & fraudes, in Regno præſertim Neapolitano caſſat, irritat, abolet, & annullat. Vt nimirum omnia ad Cameram perueniant Apoſtolicam: aut ſaltem pro licentiis ad ſedem illam, non ſine plenis marſupiis, recurratur.

b Ibid. c. 3.

XI. Doceri velim à noſtris Romanis quid reſponderi debeat grauiſſimæ obiectioni, quam nobis hic faciunt Principes ſæculares, non ſine aliquo nec mediocri ſcandalo, ac dicunt, ſi licet ſummo Pontifici impedire, ne Clerici ſuis teſtamentis loca pia adiuuent, & locupletent, etiam bonis mobilibus, etiam vbi & vſu laudabili, & legibus Canonicis facultatem habent de bonis Eccleſiaſticis teſtandi, & vbi ſæpiſſime præſumitur illos diſponere de bonis propriis, magis quam de Eccleſiaſticis, atque hoc, vt ipſe Pontifex ſibi ſumat ea omnia, quæ locis piis, & Eccleſiis erant deſtinata, quorumque Eccleſia ipſa, & non ſummus Pontifex erat legitima & propria hæres: Cur ipſis non licebit impedire teſtamenta laicorum ad pias cauſas, non ad proprium ditandum atque augendum ærarium, ſed vt bona tantummodo immobilia in ſæculo maneant, mobilia vero quæcunque, & pretia immobilium tranſeant ad Eccleſias, & loca pia?

Has tamen & Pauli & Pii conſtitutiones non puto eſſe vſu adeo receptas, vt vſum contrarium, contrariaque Alexandri ſtatuta euertant. Etſi illæ ad lydium lapidem reducantur, plane apparebit, eas neminem aſtringere, & arctare. Nam Epiſcopi, vt docui, n. 8. raro poſſunt cæteris inferioribus, plenam teſtandi ad cauſas pias concedere facultatem. Epiſcopi vero eam generali conſenſu Eccleſiæ vniuerſalis habent ampliſſimam, non priuilegio Romano, vllaue humana conceſſione ſpeciali; Quæ melius ex infra dicendis, vbi de ſpoliis diſſeram, confirmabuntur. Pii tamen V. Conſtitutionem, *c* qua teſtamenta Clericorum in illegitimos abolenda decernit, quia coram diuino iure naturali nulla ſunt, & ſacrılega, dum bona Eccleſiarum propria ad laicos, & ſpurios profane tranſmittuntur, laudo omnino & veneror, cuperemq; maxime vt Principes eam laici in ſuis quiſq; ditionibus ſeruandam omnino præciperent, & curarent. XII.

c Ibid. c. 1.

Obiicies, vſum tamen fere eſſe communiſſimum, vt Clerici quicunque, etiam Epiſcopi, abſq; vlla petita licentia, ſua propria voluntate teſtamenta condant libera & abſoluta; in quoſcunque ipſis placuerit, etiam laicos, & profanos, & de quibuſcunque etiam Eccleſiaſticis bonis, quæ viuentes congregauerunt. Imo vero principes, qui ſpolia pro Camera Apoſtolica in ſuis ditionibus nolunt colligi, teſtamenta Clericorum libera admittere, velleque omnino, vt paratiſſimam habeant executionem. Sunt etiam Principes, qui bona Clericorum mobilia, ſiue etiam immobilia proprio nomine ab eis comparata, decedente Clerico ab inteſtaro, hæredes ipſius, & proximos ſanguine omnia velint capere, iure hæreditatis. Quinimo in Clericis omnibus, ſolis exceptis Epiſcopis, volunt, vt fructus omnes illius anni nondum collecti, ſi poſt exactum menſem Martium beneficiarius moriatur, ſint plene hæredum ipſius, nullo etiam intercedente teſtamento: Si vero antea, ſint ſucceſſoris. Reſpondeo vſum hunc propterea & tolerari à principibus, & foueri, quia vtplurimum Clerici, noſtrorum præſertim temporum, multa ſibi propria induſtria viuentes comparant, & acquirunt, modis ſupra productis, nec tam facile poſſunt ſeparari bona propria ipſorum, à bonis Eccleſiæ debitis. In propriis vero bonis nemo dubitat teſtamenta Clericorum eſſe libera, prout in aliis de iure naturæ. Et, vt obſeruat Nauarrus, *ſi oppugnarentur hæc teſtamenta* *d* *hoc eſſet litibus & ſcandalis implere orbem, cum paruo commodo, eo quod multis modis ſe poſſent heredes defendere, allegando multas rationes, quibus diſponere poteſt beneficiarius tam in morte quam in vita ad libitum de omnibus quæ poſſidet.*] Puta quia illa plus aliis viis licitis, quam per Eccleſiam acquiſierunt. Ex quo merito Principes, qui per ea, quæ vtplurimum fiunt regimen ſuum moderantur, ad pacem & tranquillitatem ſubditorum in foro externo valere volunt teſtamenta quæcunque Clericorum, vt litibus multis & tumultibus occaſiones præcidantur. XIII.

d Nauar. de red. Ecc. del. §. 5. mon. 5.

In conſcientiæ tamen foro neminem puto tali ſeu conſuetudine, ſeu Principum ſtatutis tutum eſſe, dummodo ipſe beneficiarius teſtator bene ſciat, bona de quibus diſponit teſtamento, eſſe vere & proprie iuris Eccleſiaſtici, & per Eccleſiam, & in Eccleſia, & propter Eccleſiam eſſe acquiſita. Quæ ſi relinquat iis, quibus bona pauperum & Eccleſiæ non XIV.

ſi non debentur, eodem furto & ſacrilegio peccat, quo peccabat, ſi viuus in profanos vſus bona Eccleſiæ inſumeret. Ita etiam hæredes, ſiue legatarii in conſcientia retinere non poſſunt ea bona, quorum ipſi alioquin ſunt incapaces: quantumuis teſtamentum in foro externo validum ſit, & exequendum. Nam etiam meretrices legibus & ciuilibus, & Eccleſiaſticis fere paſſim permittuntur, nec poſſunt puniri, aut à meretricio retrahi, & tamen tuta conſcientia non poſſunt propterea in meretricio perſeuerare. Non ergo externa iura, neque litera quæ occidit, ſed internus ſpiritus regere debet beneficiarios, dum ſua condunt teſtamenta, vt de iis quæ ipſi certo ſciunt eſſe ipſorum propria, pro libito diſponant, & dent Cæſari quæ ſunt Cæſaris, quæ tamen Dei ſunt, Deo reſtituant. Nam alioquin & vſus eſt abuſus, ac corruptela, contra diuinam legem naturalem, & Principum iuſſa ſunt mere externæ permiſſiones, qui ſæpe coguntur minora mala permittere, ad maiora euitanda. Vt igitur litium tumultus ceſſet, ſupponunt id quod ſæpe contingit, nimirum bona illa Clerici ab inteſtato defuncti aut omnia, aut maxima ex parte eſſe bona libera, & Clerici propria, ac conſequenter hæredibus ipſius ſecundum mundum debita. Et quod ſtatuunt de fructibus nondum collectis, magnam cōtinet æquitatem, vt qui illius anni magnam partem tranſegit, & ſane difficiliorem, hoc eſt qui ſua obſequia Eccleſiæ præſtitit, tota nimirum hyeme laborando, fructus etiam eiuſdem anni percipiat, ſi non in ſe, ſaltem in ſuis quos ipſe tanquam pauperes ſuſtentabat. In quo etiam conſenſus vniuerſalis præſumitur totius cleri, ſcienti vero & volenti, imo etiam ita tacite ſtipulanti, & contrahenti, non fit iniuria, idem enim priuilegium quiſque expectat ſibi etiam profuturum, ſi tamen propinqui hi clerici mortui non ſint capaces boni Eccleſiaſtici vllo iuſto titulo accipiendi, hanc etiam non conſuetudinem, ſed corruptelam eſſe non dubito.

XV. Conſuetudinem porro libere teſtandi in omnibus clericis, ſolis exceptis Epiſcopis, probat Didacus Couarruuias: a *ſiquidem*, inquit, *clerici omnes libere teſtantur, & in vltima voluntate diſtribuunt bona, quæ ex redditibus Eccleſiarum adepti ſunt, atque in eiſdem inteſtati decedentes ſucceſſores habent parentes fratres, ceteroſque cognatos.*]. Praxim vero eſſe hanc in Hiſpaniæ & Galliæ Regnis, ſcripſit b Rebuffus, & Gloſſ. in Pragm. & aſtipulantur Hoſtienſis, Faber, Florentinus, Guidus Papienſis, Paludanus. Hæc dixerim tum vt Principes qui in Italia idem ſeruant defendantur, tum vt pateat Paulinam & Piam, ſed parum pias, conſtitutiones, non debuiſſe ita repente & ex abrupto orbis Chriſtiani pacem abrumpere, & pluris facere profana Cameræ, quam piorum locorum, & ſacræ religionis ſacra adiumenta. Hæc tamen conſuetudo, vt dixi, in ſolo foro externo valet, in conſcientia nihil facit, ſi illi parentes & cognati teſtatoris ſint incapaces.

a Couar. 2. tom. rel. c. Cum in officiis.

b Nota in c. 3. tit. 14. lib. 2. in 7.

XVI. Sunt qui aliunde etiam teſtamenta libera clericorum plurimum excuſant, nimirum ex quodam Canone Concilii Agathenſis, c quo videtur Epiſcopo permitti, vt quantum de bonis ſuis patrimonialibus Eccleſiæ contulerit, tantundem poſſit decedens propinquis, aut quibus maluerit relinquere. d *Quia ſcilicet tunc*, inquit Nauarrus, *æquipollenter, ſeu virtualiter de redditibus ſuis patrimonialibus eſſectu inſpecto teſtatur: & de æquipollentibus idem eſt iudicium, &c.*] Ex quo etiam infert idem Nauarrus, quod beneficiarius, qui de bonis ſuis patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus quidpiam pauperibus donauerit, poſſet tantundem ex teſtamento cui voluerit relinquere ex redditibus Eccleſiaſticis: & probat cum Doctoribus. Mihi tamen hæc placere nullo modo poſſunt. Aperitur enim via ad fraudes patentiſſima, & laudem eleemoſynæ illam largienti Clerico ex bonis propriis iſta aſſertio totam aufert, ſiquidem ille mutuum tantum concedit, non elargitur, quia aliunde eam intendit compenſare, & quod dedit in eleemoſynam recuperare. Præterea cap. p. & 7. docui, Clericum, qui commode poteſt ex proprio patrimonio viuere, ſacrilegium committere ſi, patrimonio retento, velit ab Eccleſia alimenta capere. Vnde & ſatis improbabilis relinquitur illa fere communis iuriſtarum aſſertio, dum aiunt, poſſe beneficiarium patrimoniatum parcere patrimonio, illudque totum reſeruare, ac ſeponere, atque interim de bonis Eccleſiæ viuere, & expenſas ordinarias facere. Hoc tamen, rationibus iam expoſitis aduerſatur, & Proſper reprehendit acriter, vt habes ſupra cap. 5. n. 10. Cum igitur patrimoniatus non poſſit licite, & ſine peccato furti ac ſacrilegii bonis Eccleſiaſticis ſeipſum ſuſtentare, quanto minus poterit ex iiſdem Eccleſiæ bonis ſe in patrimonio reficere, ac compenſare, vbi ex eo aliquid in eleemoſynas contulerit? Concilium vero Agathenſe non facit eum ſenſum, quem ei tribuunt multi. Illud duntaxat monet, Epiſcopum ad reſtitutionem ex propriis obligari, ſi bona Eccleſiæ teſtamento ab Eccleſia alienauerit. Tunc enim legatum Epiſcopi quodcunque, puto etiam in cauſas non pias, præſertim ſtabilium Eccleſiæ validū fore cenſet, & exequendum, ſi in compenſationem talis legati Epiſcopus ex propriis tantundem eodem teſtamento mandet refundi, & reſtitui Eccleſiæ: vt ſit quædam cum permutatione facta reſtitutiō. Quod ſi in beneficium ſuæ Eccleſiæ Epiſcopus ſæpe multa ex patrimonio expenderit, aut etiam, parcens bonis Eccleſiæ, vt volebat Proſper, ex ſolo patrimonio ſemper victitauit, Concilium ſane non concedit vt poſſit ad finem vitæ, ſupputatis rationibus, quærere compenſationem. Nam nec ratio eleemoſynæ, quam liberam fecit, id requirit, aut patitur, neque ſine iniuſtitia poteſt Eccleſiæ rapere id, quod ei Eccleſia nunquam debuit, dum ille potuit, ex patrimonio retento, ſe ipſum abunde ſuſtentare. Abſint itaque à viro Eccleſiaſtico huiuſmodi compenſationes.

c 12. q. 5. c. Si Epiſcopus.

d Nauar. de red. Eccleſ. q. 3. num. 4.

XVII. Aliunde tamen teſtamenta libera Clericorum etiam extra pias cauſas vt valida debent ab Eccleſia admitti, & executioni mandari: Vbi videlicet teſtator æs alienum, abſquè luxu vel abuſu contraxerit, ob expenſas licitas & honeſtas. Similiter ſi habeat famulos neceſſarios, quos remunerare teneatur. Atque eodem pacto ſi pro anima ſua velit eleemoſynas fieri, vt iis redimat peccata ſua. Siquidem igitur ex tenuitate redditaum, aut grauioribus impenſis piis non potuit id ſuis redditibus exſoluere, cur non potuit & debita ſua, & remunerationes, & eleemoſynas in ſuam ſupellectilem, qua viuus carere non potuit, & in vtenſilia domeſtica coniicere, vt illa, quia poſt mortem non amplius illis indigebit, ſuppleant? Itaque talia teſtamenta ſunt potius traditiones quædam, quas faciat clericus in ipſo articulo mortis adhuc tamen viuus, quam legata: & ſane traditiones ex iuſtitia, & æquitate & iuſtæ, & debitæ, & neceſſariæ. Hæc itaque de clericorum teſtamentis dicta ſufficiant. Quid vero monachi?

Mona-

XVIII. Monachum oſtendi n. 4. multo arctiori vinculo paupertatis teneri, quam clericum, & ab eo omnem prorſus proprietatem, cum vero dominio excluſi, excluduntque Canones paſſim, ac leges & *a* Doctores. Quicquid enim licite acquirit monachus, non ſibi ſed monaſterio *b* acquirit. Nemo vero de rebus alienis poteſt teſtari. Hic tamen rurſus Canoniſtæ nobis caput obtundunt, dum Papali diſpenſatione volunt poſſe monachum teſtari: omnipotentiam enim Domini Papæ medullitus tenent in viſceribus impreſſam, & vel inuitis, ac renitentibus Romanis pontificibus, hanc eis, cum multis aliis obtrudunt poteſtatem. Videmus ſane Innocentium 3. verbis apertiſſimis *c* negare ſibi poteſtatem diſpenſandi cum monacho ſuper proprietate. Quid illi? *d* *Poteſt nihilominus*, inquiunt, *cum magna cauſa. ſed tunc, aiunt, liberabit monachum à monachatu, cum ſit opinio communis Papam id poſſe facere.* Sed Nauarrus contendit poſſe id Papam, etiam non euellendo monachum à monachatu. *Non enim*, inquit, *dat ei proprietatem, ſed ſolam autoritatem diſponendi, & quaſi prorogat ei adminiſtrationem, efficitque eum tantum executorem, ac diſpenſatorem, qualis etiam iure communi*, inquit, *poteſt eſſe religioſus, niſi ſit ordinis minorum.*] Hæc tamen ſtare non poſſunt, quia ad profana, ſi neque Clericus, nec Epiſcopus, nec Papa, nec tota Eccleſia poſſunt vel donare, vel quacunque via alienare bona Eccleſiaſtica, quanto minus id poterit monach⁹ ſimplex, qui nullam prorſus nullo iure habet bonorum communium adminiſtrationem, niſi Abbas ſit, vel alius ſuperior, & officialis, & is, aut in ſolum vſum monachorum & monaſticum bona illa diſpenſet, aut, ad ſummum, ſi ſuperfluunt, etiam in pauperes, & opera pia, vt dictum eſt de clericis, eſt enim eadem prorſus ratio. Cum vero mortuus eſt, ceſſat in eo omnis poteſtas diſpenſandi, etiam ad opera pia. Neque inter monachos eſt illa tati habitio, quæ inter Epiſcopos, & beneficiarios clericos, vt ſucceſſor toleret ſui præceſſoris teſtamentum ad opera pia, quia & ipſius teſtamentum ſimile, à ſuo ſucceſſore tolerabitur, & vſus id iam aſſenſu eccleſiæ obtinuit, & Romanæ decretales approbarunt. Inter monachos vero nihil tale eſt: Et Papa non poteſt dare mortuo poteſtatem diſpenſandi bona eccleſiaſtica cum præiudicio veri diſpenſatoris, niſi veri diſpenſatores ex aliqua pietate, vellent ratam habere voluntatem vltimã mortui diſpenſatoris: & tunc diſpenſatio fiet, non virtute teſtamenti, ſed voluntate ſola diſpenſatorum viuentium, qui in gratiam mortui aliquam faciant diſpenſationem. Itaque, ne in opera quidem pia poteſt monacho dari poteſtas, vt teſtamento de rebus monaſterii diſponat, quia neque Clericus id poteſt iure diuino, niſi in quantum ratum habent qui debent, & tunc etiam, non vi teſtamenti, aut iure & poteſtate teſtatoris, ſed mera & ſimplici voluntate diſpenſatorum viuentium, qui ſe accommodant deſiderio teſtatoris.

a Apud Nauarr. de red. Eccl. q. 3. mon. 11. n. 1.
b Ibid.
c c. cum ad monaſteriũ de ſta. monach.
d Apud Nauar. vbi ſup. n. 2.

XIX. Diſtinguit Nauarrus quatuor genera Religioſorum: *ſunt*, inquit, *primum beneficiarii.* 2. *ſimplices religioſi in conuentu viuentes in communi.* 3. *qui non perfecte viuunt in communi, ſed eis à Conuentu aſſignatur certa quantitas panis, vini, & pro veſtitu, de licentia ſuperiorum: & ſi quid eis deſit, vt aliunde quærant.* 4. *Qui de licentia Papæ, aut alia, extra clauſtra degunt, & ſola ſua induſtria viuunt, nec quicquam reddunt ſuis monaſteriis, à quibus nihil recipiunt. Primis quotidie*, ait, *dari facultatem teſtandi, quia nullum eſt præiudicium monaſteriorũ: ſecundis*, ait, *non concedi facultatem teſtandi, quia nullum in vita aut acquiſierunt quicquam, aut adminiſtrationem vllam habuerunt; niſi forte ex ſeculo multa bona ad monaſterium tulerint, tunc enim par eſſet*, inquit, *vt poſſent parentibus relinquere, & pro anima ſua diſponere. Tertiis & quartis poſſe & ſolere concedi facultatem teſtandi aſſerit, non tanquam de propriis, ſed per ſolam adminiſtrationem quaſi prorogatã, & diſpenſationem, qualem habuit in vita.*

Beneficiarios in beneficiis clericorum, etiamſi ſint monachi, ego monachos nõ agnoſco, ſed plane clericos: & docui libro 2. ex monaſteriis ſæpe fuiſſe ſolitos aſſumi monachos ad clericatum, & tunc ceſſant eſſe monachi. Atque ita quicquid dictum eſt de teſtamentis clericorum, de his etiam dictum exiſtimo. Secundi vero plane nulla ratione poſſunt diſpenſari ad teſtandũ, niſi velis poſſe Papam concedere, vt qui ne adminiſtrationem quidem vllam habet bonorum Eccleſiæ, de illis diſponant; & vt qui in vita nullam habuit adminiſtrationem, illam iam mortuus habeat; quæ ſunt inintelligibilia. Si tulit ſecum multa bona, ante profeſſionem, & donationem factam potuit de illis diſponere, vt placuit; ſed poſt donationem & profeſſionem rogare poteſt bonorum adminiſtratores, & par eſt vt illi ei gratificentur, ſed de alieno teſtari nõ poteſt. Imo ne adminiſtratores quidem legitime, vt dixi, ne tota quidem Eccleſia poteſt ad profana ea diſpenſare; intuitu paupertatis poteſt. Tertii ſunt mere vſuarii, tam eorum quæ habent à monaſterio, quam aliorum. quæ, ſaluo monachiſmo, acquirunt. nam ſemper monaſterio acquirũt, ſi quid propriis neceſſariis vſibus ſuperſit, ac propterea ne his quidem concedi poteſt, vt de ſuperfluis, aut acquiſitis, teſtentur; niſi in quantum Religio in qua ſunt ratum velit habere; & non niſi ad opera pia; vt de Clericis eſt dictum. Et potior eſſet ac tutior his facultas & licentia ad opera pia teſtandi quam ab ipſa ſua Religione obtinerent, quam ſi eam à Romana Curia impetrarent: quia illa bona, quoad vſum, & diſpenſationem ſunt Religionis, nõ Papæ; & illa poteſt de ſuo diſponere: Papa nõ poteſt auferre Religioni, & aliis etiam pauperibus dare; niſi forte Religio non indigeret; & tunc licentiã Papæ monachis huiuſmodi ad ſola opera pia teſtandi factam, eorum teſtamenta valida puto effecturã: ſed multo validiora erunt, ſi ab Epiſcopo loci licentia concedatur, quia, vt docui cap. 6. Epiſcopus loci ſolus, & verus, & legitimus adminiſtrator eſt, omnium bonorum Eccleſiaſticorum ſuæ diœceſis. Quod ſi concedatur libera facultas monacho cuicunq; teſtandi de bonis non per Eccleſiam acquiſitis, tanquã de propriis, per modum dominii, hoc erit profecto exmonachum facere, & à monachatu auellere, vt illi ſupra merito dicebant. Proprietas etenim deſtruit monachatum: An vero ſine Papæ, aliorumue licentia, poſſit quiſque ſe à monachatu ſua etiam ſola voluntate liberare, dixi ſatis libro ſecundo. Quarti vero cum degant extra clauſtra, & facti ſint plene proprietarii, veri Sarabaitæ, de quibus cum Caſſiano ſatis egi lib. 2. ad finem, monachi non ſunt niſi æquiuoce, ſed meri laici, aut ad ſummũ clerici, ſi ſunt ſacris ordinibus, præſertim presbyteratus, initiati. Erit a de illis idem dicendum, & ſtatuendum circa teſtamenta, & peculium ipſorũ, ſi ab inteſtato decedant, quod de peculio clericorum. Vt acquiſita per ſacros ordines ſint Eccleſiæ illius cui deſeruiunt, ſeu in qua decedunt: ſi vero ſint acquiſita aliunde, maxime vero per negotiationes, & officia ac exercitia laica monachis & clericis illicita, ſint propinquorum, aut fiſci. Quod confirmo ex eo etiam quod regu- XX.

lares

a Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. & ſeſſ. 7. c. 14.

ſtres extra clauſtra degentes plene a tranſeant ad ius ordinarium Epiſcoporum propter ſacros ordines tam in ciuilibus, quam in criminalibus. ſi igitur viui ſubſunt legibus clericalibus, etiam mortui extra clauſtra iiſdem ſubſint neceſſe eſt. Quemadmodum enim Monachus, contractis nuptiis, hoc facto ſtatim deſinit eſſe Monachus, vt iam eſt à me oſtenſum in poſtremo capite ſecundi libri, & confirmatur ex c. cum ad Monaſterium de ſtatu Monach. ita admiſſa proprietate, ac præſertim poſt relicta clauſtra, abiectamque ſubiectionem, regularemque obedientiam, Monachus non eſt amplius ſed ſæcularis; ideoque per ipſum acquiſita ſpectant ad illos ad quos bona ſæcularia deuoluuntur. Viderunt etiam Papæ tales regulares non eſſe amplius Monachos, neque de illis verum eſſe dogma illud, quicquid Monachus acquirit monaſterio acquirit: ideo talium bona non ad ipſorum religionem, ſed ad Cameram Apoſtolicam deuolui declararunt. Sed Principes rudes erunt qui id permittent.

XXI. Quid vero cenſendum eſt de bonis Clericorum ab inteſtato decedentium? ſi ſanctiſſima ſanctiſſimæ Chriſti Eccleſiæ ſtatuta eo quo debent dignitatis & auctoritatis loco haberentur, nec tam facile ſubuerterentur & conculcarentur, pauciſſimis rem abſoluerem, ea enim pleniſſime quæſitum noſtrum definierunt. Duæ tamen poteſtates mundi, altera curiæ Romanæ, altera Principum temporalium rem totam peruerterunt. Illa profecto, poſtremis iam noſtris ferme temporibus, inuento nouiſſimo, ad ſuam Cameram ſpolia attraxit Clericorum, rapacitate ferme incredibili: Hi vero, de ſuorum laicorum commodis ſoliciti volunt vt plurimum familias ipſas Clericorum ad Clericorum bona quæcunque, per ſucceſſionem accedere. Ego vero quid recta ratio ſuadeat, quid conſcientia dictet, quid Eccleſia in hoc genere ſemper & docuerit & ſtatuerit, & opere ac vſu expleuerit, libere, vt ſoleo veritatis amator, explicabo.

XXII. Duo bonorum genera, cum ſanctis Patribus, Conciliis, & Canonibus, iam ſæpius apud Clericos obſeruauimus. Alterum propriorum, ſiue Patrimonij, ſiue peculiari induſtria Clerici, donationeue, & ſucceſſione, alioue modo, & non per Eccleſiam, neque pro Eccleſia, neque ex bonis & redditibus Eccleſiaſticis, alterum ex ipſis Eccleſiæ fructibus, Eccleſiaſticiſque miniſteriis conquiſitorum. De priori bonorum genere nulla eſt, neq; eſſe poteſt aut debet controuerſia: ea enim, tota acclamante Eccleſia, ſunt libera naturalium ciuili lege hæredum Clerici, & ſucceſſorum. Quid ſi nullos habeat iure ſanguinis & propinquitatis ſucceſſores? ſi b Canon Romanæ ſynodi ſecundæ ſub Syluestro à me ſupra recenſitus in hoc libro cap. 7. n. 16. & alius quidam, vt à c Gratiano ſupra ponitur cum duobus aliis, altero Concilij Toletani, d Triburienſis altero, & e Concilij apud f Altenſes ſint ſequendi, Eccleſia cui Clericus ſeruiuit etiam ad eiuſmodi bona libera habet acceſſum. ſed neſcio an fiſcus Principis temporalis, ſit id permiſſurus. certe, ſi rigorem ſpectamus iuſtitiæ, cū hæc bona Eccleſiaſtica non ſint, ſed laica, vbi non adeſt legitimus hæres, communis omnium talium bonorum hæres fiſcus eſt. Æquitas tamen magna eſt, vt Eccleſia ipſa ſit ſuorum Clericorum fiſcus. Nam & Clericus, qui ſe Eccleſiæ dedicauit, in qua leges eſſe ſciebat, vt eius bona propria ab inteſtato deficientibus propinquis ſint Eccleſiæ, tacite conſenſit in has leges, & conſequenter tacite declarauit, pro hærede ſe Eccleſiam inſtituere propriorum etiam bonorum, ſi abſque alio teſtamento cognatione carens, moriatur. Et hoc Principes pij deberent libenter concedere, Canoneſque illos, tanquā valde pios confirmare, & cum g Iuſtiniano approbare; vbi præſertim certi ſint ſpolia illa in veros pios & Eccleſiaſticos vſus eſſe tranſitura. Quod ſi in priuatas Epiſcoporum vel Papæ crumenas, ſint conijcienda, longe melius eſt, vt fiſcus, qui eſt verus & legitimus, de rigore in talibus ſucceſſor, ea capiat, quia bonum commune Reipub. ea ſibi melius vendicabit, quam priuata Eccleſiaſticorum auaritia, & rapacitas.

b Syn. 2. Ro. c. 4.
c 12. q. 2. c. Epiſcopus qui filios.
d 12. q. 3. c. Quicunq.
e 12. q. 5. c. Quicunq.
f c. 1. de ſucceſſ. ab inteſt.
g Nouel. 131. c. 13.

XXIII. De altero bonorum genere vere ac proprie Eccleſiaſtico quis dubitat illud ſtatim in Eccleſiam recidere? ſiquidem ſolam Eccleſiam iam fecimus, vt re vera eſt, dominam bonorum omnium Eccleſiaſticorum. Quare & ipſa Eccleſia iam egregie prouidit circa hæc ſpolia Clericorum. Sane Concilium Chalcedonenſe vehementer prohibuit, *ne poſt mortem Epiſcopi, Clerici rapiant res ad eum pertinentes;* h *ſicut*, inquit, *antiquis quoque hoc eſt Canonibus conſtitutum.*] Supponit profecto vtenſilia cuiuſque Epiſcopi inſeruire debere ſucceſſoribus, quandiu illa durant. Cum enim ex omnibus bonis Eccleſiæ neceſſaria omnia, ad vſum duntaxat, & non ad Dominium, vt toties iam explicatum eſt, Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis miniſtris ſuppeditarentur, non debuerunt in mutatione Epiſcopi ea ſemper de nouo fieri: ſed quæ extarent perpetuo omnibus ſucceſſoribus, dum conſumerentur, inſeruiebant. Atque huic Chalcedonenſi Canoni innixum Concilium Lateranenſe ſub Innocentio ſecundo quaſi eum clarius explicans, ait. i *Illud quod in ſacro Chalcedonenſi Concilio conſtitutum eſt, irrefragabiliter conſeruari præcipimus, vt videlicet decedentium bona Epiſcoporum, à nullo omnino hominum diripiantur.*] Quid igitur agendum? Cuinam ſpolia illa ſeruanda? An Cameræ Apoſtolicæ colligenda? minime vero: *ſed ad opus* inquit, *Eccleſiæ, & ſucceſſoris ſui in libera œconomi, & Clericorum permaneant poteſtate.*] nimirum ad cuſtodiam: ſic enim Canonem hunc explicat Concilium Ilerdenſe ſtatuens, k *Vt defuncto Antiſtite, vel etiam adhuc in ſupremis agente, nullus Clericorum quicquam de domo præſumat, vel quod de vtilitate inſtrumenti domus eſſe agnoſcitur, id eſt mobilis, & immobilis rei Eccleſiaſtica, conetur inuadere. --- Sed is, cui domus commiſſa eſt, ſubiunctis ſibi cum conſilio vel duobus fideliſſimis Clericis, omnia vſque ad tempus Pontificis ſubſtituendi debent conſeruare, & iis qui in domo inueniuntur Clericis conſuetam alimoniam adminiſtrare.*] Et concilium Valentinum ſub Theodotico capite tertio adhuc fuſius diſponit & ordinat omnia, quæ ſede Epiſcopali vacante fieri per Metropolitanum & comprouinciales debeant; præſertim circa cuſtodiam rerum, quæ ſint in domo Eccleſiæ, vel Epiſcopi: *In libris*, inquit, *ſpeciebus, vtenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, animalibus, &c. vt omnia futuro Antiſtiti conſeruentur, ne in vacuam*, inquit, *Eccleſiæ domum, futurus Pontifex, non ſine dolore ſuccedat, ſed magis de prædeceſſoris ſui dimiſſo poſſit & ipſe gaudere, & aliis miniſtrare. In eodem inſiſtit etiam ſexta ſynodus, dum inhibet Metropolitano cuique,* l *Ne mortuo Epiſcopo, qui ſub eo eſt, aut res eius, aut Eccleſiæ auferat.*] Quod eſt expreſſiſſime vetare ne fiant ſpolia; nam & ſubdit ſtatim; ſed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ defuncti Epiſcopi, vſq; dū alius ordinetur Epiſcopus. ſi vero Clerici in Eccleſia non fuerint, tunc Metropolitanus illibata omnia Epiſcopo q ibi ordinabitur reddat.] Conciliū

h Concil. Chalced. c. 22.
i 12. q. 2. c. Illud.
k Concil. Ilerd. c. 16.
l 12. q. 2. c. non liceat.

a 12.q.3.c.1. Carthaginenſe tertium ſtatuit; *a ea omnia quæ ac-*
quirit Epiſcopus poſt ordinationem ſuam intuitu
Eccleſiæ ſuæ, pertinere ad ipſam.* Quod etiam legè
b C. de Epiſcopis & Clericis l. 42. & Nouel. 131. c. 13. ſanxit *b* Iuſtinianus. Et Conciliũ Agathenſe. *c Iuſtum*
eſt, inquit, *vt ſicut ſacerdos habet quod Eccleſia dimiſſũ eſt,*
ita & Eccleſia habeat quod relinquitur ſacerdoti.] Conci-
lium Toletanum 9. *d Eccleſiam vult ſuccedere Epiſcopo*
c 12.q.3.c. Pontifices. *pro rata in bonis per Eccleſiam acquiſitis.*] Concilium Hi-
ſpalenſe decernit, *e Vt poſtquam quis factus eſt Epiſcopus,*
d 12.q.4.c.1. *quaſcunq; res de facultatibus Eccleſiæ, aut ſuo aut alterius no*
e 12.q.5.c. fixum. *mine qualibet conditione comparauerit, non in propinquorũ*
f Nauar. de *ſuorum, ſed in Eccleſia cui præeſt iura deueniãt.*] *f* Pondera
ſpol. Cler. §. verba *cui præeſt*, inquit Nauarrus, *& ſubdit ergo non Ro-*
9. *mane. Et ita palam conſtituit Eccleſiam ſuccedere debere ſuo*
Rectori in eius ſpoliis.] In Concilio Vrbani apud Al-
g 12.q.2.c. 1. de laicis. uerniam celebrato ſtatuitur: *g Vt Epiſcoporum deficien-*
tium res per Archipresbyterorum, ſeu Archidiaconorũ ma-
nus, aut ſecundum mortuorum iudicium, pro ipſorũ ſalute,
in eleemoſynas diſpenſentur; aut ſucceſſori qui futurus eſt re-
ſeruentur.] Vide etiam, quæ ſupra habet Conci-
h Hoc lib. c. 5.n.30. lium *h* Pariſienſe dum ſtatuit acquiſita per Clericos
ad Eccleſiam pertinere. Gregorius reſcribit *i Legatũ*
i 12.q.5.c.1. *quorundam bonorum teſtamento Epiſcopi factum, eſſe iudi-*
cialiter reſcindendum, ſi bona illa fuerunt ab eo Epiſcopo per
Eccleſiam acquiſita, & Eccleſiæ ipſi reddenda: non in ſuam
Cameram Apoſtolicam comportanda.

XXIV. Sed & iura recentiora vſq; ad noſtra ferme tem-
pora eandem & ſeruarunt legem, & docuerunt ve-
ritatem, à priſco iure nihil recedentia. Gregorius ſa-
ne 9. ſicut admittit teſtamentum cuiuſdam Epiſco-
pi, quatenus habuerit propria, ita reſpuit quoad bo
k c.1. de teſtam. na Eccleſiaſtica: *k Quicquid vero*, inquit, *Eccleſiæ, ante i-*
pſius conſecrationem fuiſſe cognoueris, vel in Epiſcopatus or-
dine prædictum Epiſcopum acquiſiuiſſe, in eiuſdem Eccleſiæ
dominio conſeruetur.] ſolemne etiam eſt Concilij La-
l c. Cum in officiis eo. teranenſis ſtatutum antiqua firmans: *l Hoc igitur*, in-
quit, *quia antiquis Canonibus conſtat inhibitum, nos inde-*
mnitati Eccleſiarum (non dicit Cameræ Apoſtolicæ,
vt moderni) *prouidere volentes ſiue inteſtati Clerici de-*
ceſſerint, ſiue aliis conferre voluerint, penes Eccleſias eadem
bona præcipimus remanere.] Vbi nam ſpolia Cameræ
Apoſtolicæ? Alexander III. iuxta hoc ſtatutũ reſcri-
bit, bona decedentium ad Eccleſias pertinere; & ad
m c. Relatum 2. de teſtam. dit: *m Conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, vt de his,*
pauperibus, & religioſis locis, & illis qui viuenti ſeruierant,
ſiue conſanguinei ſint, ſiue alij, aliqua, iuxta ſeruitij meri-
n c. Quia ſæpe de elect. in 6. & c. præſ. de off. ord. in 6. *tum, conferantur.*] Bonifacius 8. *n Bona à Prælatis di-*
miſſa, vel vacationis tempore obuenientia, in vtilitatem Ec-
cleſiarum ipſarum expendi debere aſſerit. Idem confirmat
etiam *o* Clemens 5. Et Concilium Colonienſe pau-
o Clem. ſtatutum de elect. lo ante Tridentinum iiſdem inſiſtens veſtigiis, bo-
na Clerici defuncti, quę non ſint patrimonialia, ſed
Eccleſiaſtica, definit; *p Vt deducto ære alieno, & funera*
p Concil. Colon par. 13.c.11 *libus, in piam cauſam, p defuncti animæ ſalute cõuertantur.*

Ex his tam clarum eſt quam quod clariſſimũ bo-
XXV. na Eccleſiaſtica, ſi quæ Clericorum aut neceſſitas,
aut auaritia accumulauerit; ea, iuxta naturam ſuam
propriã, ſicut ſunt Eccleſiæ, ita ad Eccleſiam reuerti
debere; & omnino inter bona communia Eccleſia-
ſtica eſſe perpetuo numeranda; vt ſoli Eccleſiaſtico
vſui debeant inſeruire, & in nullius tranſire pro-
prietatem. Atq; hoc nihil prorſus in ſe dubij, nihil
ambigui contineret, tot præſertim Eccleſiaſticis de
cretis in hoc vnum concurrentibus, niſi illa, quæ
iandiu fœdat Eccleſiam Harpya nuper ad hæc Cle-
ricorum, quæ vocat, ſpolia ventris ſui perpetuo fa-
melici nunquam ſatiandam ingluuiem obuertiſſet.
Circa tempora nanq; Concilij Conſtantienſis cæ-
perant ſibi haſce Clericorum morientium exuuias,
Romani Pontifices reſeruare; ſed nouum hoc nu-
per enatum monſtrum Concilium idem conatum
eſt in ipſis cunis comprimere, & vix editum ſuffo-
care: ſic enim ſtatuit: *q Cum per Papam facta reſeruatio,* q Conc. Conſt. ſeſſ.
& executio, & perceptio procurationum ordinariis & aliis 39.
inferioribus Prælatis debitarum ratione viſitationis, nec nõ
& ſpoliorum decedentium Prælatorum, aliorumue Clerico-
rum, grauia Eccleſiis, monaſteriis, & aliis beneficiis, Eccleſia-
ſticiſque perſonis afferant detrimenta. præſenti declaramus
edicto, rationi fore conſentaneum, & Reipub. accommodum,
tales per Papam reſeruationes, ac per collectores, & alios au-
ctoritate Apoſtolica deputatos, ſiue deputandos, exactiones,
ſeu perceptiones de cætero nullo modo fieri, ſeu attentari: quin
imo procurationes huiuſmodi, quorumcunque Prælatorum,
Cardinalium, etiam vel ipſius Papæ familiarium, officialiũ,
& aliorum quorũuis Clericorum, in curia Romana, vel ex-
tra, vbicunq; & quandocunq; decedentium, ſpolia, ſeu bona
eorum mortis tempore reperta plene & libere pertineant il-
lis, & per illos recipiantur, quibus aliàs, præfatis reſeruatio-
nibus, mandatis, & exactionibus ceſſantibus, competerent;
& pertinere deberent; Prælatis etiam inferioribus, & aliis,
huiuſmodi ſpoliorum exactiones, præter, & contra iuris com
munis formam fieri interdicimus; conſtitutione tamen feli-
cis record. Bonifacij Papæ 8. quæ incipit, r præſenti, ſuper hoc r de off. ord.
edita, ſpecialiter in ſuo robore duratura.] in 6.

Paulus tamen tertius his omnibus contemptis, XXVI.
Eccleſiiſque, atque pauperibus, aliiſque piis operi-
bus valere iuſſis, ſuam ſubſtituit Cameram Apoſto-
licam, eamque hæredem Clericorum declarauit v-
niuerſalem. ſic enim, ſolemni edita conſtitutione,
loquitur. *ſ Cum ſicut accepimus, à nonnullis nimium cu-* ſ In 7. l. 3. tit.
rioſis, qui iura Cameræ Apoſtolicæ vſurpare, ac Cameram in ſpol. Cl.
præfatam illis defraudare vellent, in dubium redigatur, an c. 1.
res, & bona. ſpolia nuncupata Prælatorum, etiam Pontifica
li vel alia maiori dignitate fulgentium, cæterarumque per-
ſonarum Eccleſiaſticarum ſecularium & regularium tem-
pore obitus ipſorum remanentia, ex eo quod Romano Ponti-
fici pro tempore exiſtenti, & Cameræ præfatæ reſeruata fore
aliqua generali Apoſtolica conſtitutione forſan nõ caueatur,
ad Cameram prædictam iure legitimo ſpectare, & pertinere
debeant, Nos & ſi ſatis euidenter conſtet & appareat, præ-
deceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & noſtram
indubiam intentionem, & voluntatem ſemper fuiſſe, vt ſpo-
lia huiuſmodi ad dictam Cameram, & non ad alios ſpecta-
rent & pertinerent; & quod pro eadem Camera exigerẽtur,
& recuperarentur; cum prædeceſſores præfati diuerſos dictorũ
ſpoliorum, vt ad Cameram prædictam ſpectantium, & perti
nentium collectores, & exactores in variis Prouinciis & locis
deputauerint, & conſtituerint, & nos deputauerimus, & cõ-
ſtituerimus;-- ac ſemper de illis, dicti prædeceſſores, per pleraſ
que alias literas tanquam de rebus ad Cameram prædictam
pertinentibus donando, vel tranſigendo, aut aliàs diuerſimo-
de diſpoſuerint, & nos diſpoſuerimus; nec non ab antiquiſſi-
mo tempore citra, dictæ Cameræ noſtræ nomine, exacta, &
inter iura ipſius Cameræ cõnumerata fuerint, ne tamen, &c.
--- dubium huiuſmodi enucleare, ac in præmiſſis opportune
prouidere volentes, motu proprio, &c.---declaramus,---ad
Cameram Apoſtolicam, & non ad alios-- ſpectaſſe & ſpecta-
re.-- Ac ita vt præfertur, eorundem prædeceſſorum, & no-
ſtram intentionem & voluntatem ſemper fuiſſe, fidem faci-
mus, & atteſtamur per præſentes.] *t* Ampliant & confir- t Ibidem
mant huius conſtitutionis rationem, Iulius III. Pau- 4.6.7.& 8.
lus IV. Pius IV. & Pius V. & *u* Gregorius XIII. Pius de ſpol. Cle.
etiam IV. *x* ad ſpolia ſuæ Cameræ debita reduxit, o- u In 7. eod.
mnia Clericorum bona per illicitam negotiationẽ 4.
quæſita, quæ tempore obitus remanent inconſum- x ibid. c. 6.
pta. In pœnam etiam non reſidentium Pius IV. *y* gra y Apud
tias teſtandi de ſpoliis Cameræ irritas fecit, volu it- Quar. v.
que ſpolia talium ad Cameram omnino ſpectare. Reſidentia.

Cum itaq; negare non potuerit primus ſpolio- XXVII.
rum legiſlator, imo apertè faſſus ſit nullam ante
ipſum

ipſam extare conſtitutionem, quæ expoliationes iſtas, ſatis per ſe infames, Cameræ tribuant Apoſtolicæ, merito hæc ipſa Paulina cõſtitutio ſecum ipſamet ſcriptum in *a* frõte gerit MYSTERIVM: Bona illa, iure diuino naturali, hæredes habent: quæ libera ſunt propinquos Clerici defuncti; quæ vero Eccleſiaſtica ipſam Eccleſiam, & in officio Eccleſiaſtico ſucceſſores. Quid vero commune habent bona Eccleſiæ, id eſt patrimonium Chriſti, & pauperum, cũ Camera Apoſtolica; hoc eſt cum ærario Papæ, vt Princeps terrenus eſt: ſi Papa, etiam vt Princeps Eccleſiaſticus, non habet vllum *b* dominium in bona hæc, ſed ad ſummum nudum miniſterium, & purã diſpenſationem, quo iure poteſt ſibi accipere, & in proprios vſus conuertere ea, quæ ſunt in Eccleſias, Eccleſiaſticoſq; miniſtros, & pauperes, aliaq; opera pia diſpenſanda? Tota Eccleſia perpetuo clamat hæc bona, quæ nunc vocantur ſpolia, à nemine eſſe rapienda, ſed Eccleſiæ cuius iſta re vera ſunt, & ſucceſſoribus conſeruanda; vt tanto minus pro futuro Prælato de communibus bonis expendatur; tantoque magis pro aliis neceſſitatibus ſuperſit Eccleſiarum & pauperum; & hæc à Camera Apoſtolica debere diripi, vt in profanos vſus conuertantur? Nimium curioſos vocat Paulus tertius Doctores ſui temporis, qui ſpolia hæc, contra ius commune, quomodo ad Cameram Romanam pertinerent, non intelligebant, quia nulla eſſet in Iure conſtitutio, quæ ea huic Cameræ attribueret: & totum ius Canonicum & ciuile ea ad Eccleſias, & ſucceſſores, non ad Papas ſpectare profiteretur. Hoc tamen non curioſitas, ſed ipſiſſima veritas ſuadebat. Neque potuit Paulus aliunde fidem ſuæ aſſertioni, ſuæque conſtitutioni nouiſſimæ, & iuri communiſſimo penitus cõtrariæ aſtruere, quam ex ſua, ſuorũque prędeceſſorum voluntate, & intentione. Quid ſi tua, tuorumque, & valde paucorum, vt vidimus, præceſſorum voluntas & intentio obliqua ſit, & diuino, humanoque iuri, quod te conuellere nequaquam profiteris, aduerſa, tali ne voluntati, & intentioni nulli nixæ rationi ſtandum putas? Nemo iam dubitat Romanorum Pontificum voluntatem & intentionem eſſe, vt ex omni parte ditentur; & non modo priuatos ſuis rebus, ſed etiam Principes ſua ſpolient poteſtate & iuriſdictione: Inepte tamen probaret quis, & bona priuatorum, & poteſtates Principum ab arbitrio Papę iuſte & merito pendere, Quia nimirum Papa ita ſentit, vult, & intendit. Tyranni tantum, non boni Principes, non viri potiſſimum Eccleſiaſtici ſibi illud arrogant, vt ſit pro ratione voluntas. Factum ſimiliter paucorum, & quibus Eccleſia in Concilio Conſtantienſi reſtitit, dum collectores per Prouincias tranſmittebant, non ſemper, vt audacter affirmatur, ſed nouiſſimis illis temporibus nihil melius ius probat: imo iniquum eſſe ac iniurium tale factum iura ipſa clamant. Habuit ſæpe per omnes ferme prouincias ſedes Apoſtolica, Indulgentiarum nundinatores, & inde etiam non exigua emolumenta in Cameram Apoſtolicam comportabantur, quid peperit tandem hoc ſingulare auaritiæ inuentum? quis ipſum nunc etiam vt legitimum propterea tueatur, quia ſedes Apoſtolica habuit tales Indulgẽtiarum Commiſſarios, & negotiatores?

a Apocal. 17.

b Chiet. 22. q. 43. ar. 8.

XXVIII. Habuit tamen portentum hoc Paulinum ſuos aſſentatores; Non deſunt delitia Canoniſtarum, qui miſeros Papas dementarunt. Non habebat textum vllum Nauarrus, quo ſpolia hæc Cameræ Papali adiudicaret; habebat tamẽ multos, & vehemẽtiſſimos, quibus ea abiudicaret; quo ſe recepit bonus dormitãs Homerus? *c* ad priuilegium diuinum Papæ conceſſum, vt ſancta eius ſedes Apoſtolica adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiaſticorum haberet ipſa per ſe, quandiu alteri aliquorũ bonorum non ſit ab ipſa ſede adminiſtratio commiſſa. In quo Priuilegio diuino legem generalem ponit, per quam Papa, nihil indigens Canone, conſtitutioneue ſpeciali, vbicunq; ceſſat ſpecialis adminiſtrator, aſſumit ſtatim in illa bona quæ ille gubernabat, adminiſtrationem. Huius vero priuilegij aſſertorem expiſcatus eſt Leonem x. in Concilio Lateranenſi. Ego tamen primum oppono, aliud eſſe adminiſtrationẽ ad Papam deuolui, per obitum beneficiariorũ; aliud bona Eccleſiaſtica, quæ à defuncto adminiſtrabantur, ad dominium & proprietatẽ Domini Papæ per illius obitum deuenire; & priuilegium illud, ſi ꝙ eſſet, non facit Papam Dominũ ſpoliorum. Deinde oppono, priuilegiũ illud eſſe merũ cõmentum, à me toto cap. 6. pleniſſime confutatũ; vbi demõſtraui Epiſcopos eſſe veros & ꝓprios rerũ Eccleſiaſticarum adminiſtratores, & Papam ab hac vniuerſali adminiſtratione penitus cũ totius Eccleſiæ ſenſu, excluſi Et dũ conatur Nauar. cõtraria iura ſoluere, incaſſum laborat; cauillis n. vtitur ipſo indignis; nihilq; ſolidũ affert, vt patet illum legẽti: Adeo vt non ſit operæpretium hic amplius in viri ſapientis inſipientia immorari. ſatis ſit ipſum quoq; de *poculo d fornicationis cuiuſdam fuiſſe inebriatum.* *d Apo. 17. 2.*

c Nauar. de Spol. Cler. §. 10.

Acutior fuit Baronius, qui illiberales has ſpoliorum collectiones ad pænam reducit auaritiæ Clericorum, ſibi ex bonis Eccleſiæ theſaurizantium. *e Ad eiuſmodi*, inquit, *negotiatorum potius dicendorum, quam Clericorũ auaritiam compeſcendam, cum ſegniores eſſent Epiſcopi legum vindices, & ipſi interdũ eodẽ morbo languerent, iure meritoq; Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus Romanus antiſtes, ad vendicandas eiuſmodi ex bonis Eccleſiæ partas, ac male cõgeſtas opes, per Prouincias conſueuit mittere exactores, quos nominant collectores. De quorum importuna exactione cum multi querantur, hoc facile vitabunt, & prudenter arte deludent, qui bona Eccleſiæ quæ ſuperſunt nõ congregarint, ſed in pauperes erogarint. f Habitantes enim in terra ſalſuginis pauperes ſcilicet, clamorem non audient exactoris.* Hoc tamen eſt minora minorum & ſingulorum furta, vnica vnius & generali rapina concoquere; XXIX.

e Ad Baron. to. 5. an. 397. n. 65.

f Iob. 39. 10.

Sic vos non vobis.

Auaritia igitur auaritias cohibet; imo abſorbet.

Longe tolerabilius malum patitur Eccleſia circa hãs Clericorũ ſiue opes, ſiue opulas, à Principib. laicis, vbi Romanæ Camerę ad eas nõ ꝑmittitur acceſſus; ſed illæ hęredib. etiã ab inteſtato, conceduntur. Malum tamẽ ſemp malum eſt: vt propterea cuperẽ pios Principes ſpolia huiuſmodi vbi apertiſſima res eſt, ea ex ſolis bonis Eccleſiaſticis eſſe cõgregata, certis piis operib. applicare; ne laici ex ſe diuites pauperum & Eccleſiarum patrimonia, non ſine vlcere cõſciẽtiæ, diriperẽt. Quanuis negare nunc nõ poſſim, id ꝙ ſupra docui c. 6. nimirũ bona Eccleſiaſtica, pręſertim q̃ in proprietatem & dominium indebitũ Eccleſiaſticorũ, dominio iam abſolutiſſ. & ab vſu diſtincto ac ſeparato tranſierint, vbi ſunt incerti donatores ad Principũ ius ꝑtinere; ita vt tanquã veri & legitimi eorũ Domini poſſint de illis, vt placuerit, diſponere; qa Eccleſiã talis dominij iã fecimus *g* incapacẽ. Nihilominus vellem pietatẽ ac religionem pij Principes in hoc ſequerentur, vt donantiũ voluntatem & intentionẽ omnino ꝓcurent exequendã; vt videlicet bona omnia Eccleſiaſtica vſui duntaxat pio inſeruiant, & à cuiuſcunq; proprietate & dominio amoueantur. Laudaremque rigorem eorundem Principum, ſi ſpolia huiuſmodi omnia ſeue- XXX.

g Sup. cap. 6. n. 12.

riſſime colligerent, & piis operibus attribuerent; vt vel ſic tandem Clerici ab auiditate male [illegible] aurizandi animum, dum viuunt, auocarent.

XXXI. Ad Clericorum mortuorum ſpolia animum adieciſſe, & manus extendiſſe non contenta Camera Apoſtolica (tales Cameras puto Apoſtolos ſanctos plurimum deteſtari, ac indignari quod dicantur Apoſtolicæ) vt maiores accumularet opes, non ante Ioannem viceſimũ ſecundũ ſibi *a* reſeruauit fructus omnes, qui tempore vacationum colligerentur. Et tamen iam ſatis diſputaui in præcedentibus, quam poſſit habere Papa, erga fructus & redditus Eccleſiaſticos, poteſtatem; ac oſtendi bonorum omnium adminiſtrationem ad Epiſcopos pertinere, ſede vero vacante, ſacrorum præcepto Canonum, œconomos ſubintrare, futuris Epiſcopis plenam rationem redditurοs. Vnde & Alex. III. eorũdẽ Canonũ memor, & diuini Iuris naturalis conſcius iubet, *Vt ſi electio interdũ iuſta de cauſa differatur,* b *ponantur œconomi in Eccleſiis vacantibus. qui debeant fructus percipere; & eos, aut in Eccleſiarum vtilitatem expẽdere, aut futuris perſonis fideliter reſeruare.*] Et Bonifacius *c* VIII. necnon *d* Clemens V. publice ſunt profeſſi, fructus vacationis tẽpore collectos vel Eccleſiis ipſis, vel ſucceſſoribus eſſe tribuendos. Et Celeſtinus 3. in reprehenſione q̃ facit Epiſcopo Eboracenſi, tanquam graue delictum, inter alia cõmemorat, *e Quod Eccleſias faceret ſola ſua voluntate diutius vacare; vt earum fructus ipſius vſib. applicarentur: & quod ſuſtentationi alicuius Clerici,* inq̃t, *honeſti debebatur, ſibi non metuit retinere.*] Quo vitio, quaq; obiectione, quoniam vt nunc maxime, tunc notabatur Eccleſia Romana, Martinus V. à Concilio Conſtantienſi de multis abuſibus illius curiæ monitus, inter cætera eiuſmodi edidit decretum: *f fructus & prouentus Eccleſiarum, monaſteriorum, beneficiorum vacationis tempore obuenientes, iuris & conſuetudinis, vel priuilegij diſpoſitioni relinquimus, illoſq; nobis, vel Apoſtolicæ Cameræ, prohibemus applicari.*] Vidit igitur Martinus, Ioannem viceſimũ ſecundum contrariũ ſatis incaute ſtatuiſſe: ſicut & multo incautius moderni noſtri Papę eoſdẽ fructus, qui dum Eccleſiæ vacant, percipiuntur, exigunt in multis Regnis ſeueriſſime. imo inſigni cum ſcandalo, vt faciebat Eboracenſis ille, Eccleſias prædiuites, ad plures etiam annos vacantes non raro relinquunt, ſolis Vicariis impoſitis, vt fructus opimi ſic vacantium Eccleſiarum ad Cameram perueniant Apoſtolicam: & ſæpe cum magnis Principibus, vt audio, tranſigunt, & colludunt; vt electio, ſeu præſentatio differatur; ipſoſq; fructus inter ſe amice partiuntur, quæ mihi magna videtur abominatio.

a Extrauag. cum nonnullis. in Com. de præb. & dig.

b c. Cum vos de off. Iud. ord.

c c. Quia ſæpe de elect. in 6.

d Clem. ſtatutum eo.

e Apud Baron. tom 12. an. 1194. ex Rogerio.

f In Concil. Conſtantie. ſeſſ 43.

XXXII. Huc demum ſpectat frequens, quæ in curia Romana fit, cum Camera Apoſtolica compoſitio circa fructus male perceptos. Quæ compoſitio rete ſane magnum eſt, quo Camera Apoſtolica magnos piſces capit, & exquammat; argenteas ex eis ſquammas, & aureas deponens, ſibique capiens. rete tamen, quòd etiam ipſos piſces miſeros adhuc magis irretit, & Diaboli prædam facit. Putant enim ſtulti Clerici, qui male fructus Eccleſiaſticos, & contra conſcientiam perceperunt; vel quia ſe in beneficio iniuſte, aut ſimoniace intruſerunt; vel alio modo ea vſurparunt, ſe ſatis hoc onere conſcientiæ liberatum iri, ſi cum Camera componant Apoſtolica, eique partem aliquam tribuant; reliquam vero & longe maiorem, libera donatione Apoſtolica, retineant, & non vident miſeri tunc Cameræ Apoſtolicæ à Deo dici; *g Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Vt nunc etiam faciunt Confeſſarij fraterculi multi, qui pænitentes reſtitutionibus obnoxios abſoluunt; & onere reſtitutionis liberant; modo cum ipſis componant, certamque partem ipſis confeſſariis ſuorum furtorum donent; & ita *h cæcus ductor ſimul cum cæco ducto in foueam præcipitantur.* Conſuluit aliquando prudẽter Nauarrus, *i non eſſe tutos in conſcientia quoſdam, qui fructus Eccleſiaſticos indebite ceperant, etiamſi cum Camera Apoſtolica compoſuerant; ſed obligatos eos, vt integros illos fructus male perceptos reſtituerent illis beneficiariis, ad quos eorum diſpenſatio de iure pertinebat; vel in vſus pios, &c.* Et hoc ita ſentit Nauarrus, vbi beneficium, cuius fructus quis male percepit, ſit iam commiſſum alicui ſub iuſto titulo. nam ſi ſecus, quia Papam facit primum & legitimum beneficiorum adminiſtratorem, tunc compoſitionem cum Camera tutam facit. Errat tamen, quia illa adminiſtratio non eſt Papæ, & bona illa ſunt Eccleſiæ, & pauperum, & res ſuo domino eſt reſtituenda. Et aliud eſt, vt iam monui, rem diſpenſare, aliud ſibi retinere. Quare tutior erit quicunque apud ſe habet bona Eccleſiaſtica, & ea non poteſt ſibi ſalua conſcientia retinere, ſi ea in opera vere pia diſtribuat ipſe, cum conſenſu potiſſimum Epiſcopi ſui, quam ſi millies cum Camera componat Apoſtolica.

g Pſ. 49. 18.

h Matt. 15. 14.

i Nauar. de ſpol. Cler. § 12.

Moneo tamen, ſæpe Clericos ad reſtitutionem fructuum obligari iure humano poſitiuo, non diuino; ex eo, verbi gratia, quod aut *k* profeſſionem fidei non fecerunt, aut ex aliquo delicto. Hos ego profecto nunquam reſtitutioni ſpontaneæ & voluntariæ obnoxios facerem. Priuari enim in pænam poteſt Clericus ſua ſuſtentatione ad tempus, iuxta delicti grauitatem; & pænam iuſtam debet ille tolerare; ſed contra ſe ipſum *l* pænam exequi nemo tenetur. Igitur ſi Clericus ex ſuo beneficio, vltra neceſſaria, habet ſuperflua; hæc ſane ſuperflua, vt oſtenſum eſt, debet ille, iure diuino, in pauperes, & opera pia, diſpenſare. Neceſſaria vero, ei, iure ſimiliter diuino, debentur; & quandiu Clericus eſt, & altario ſeruit, de altario debet viuere, & alimenta ei, quantuncunque peccanti & delinquenti, iure eodem debeantur: niſi aut à Clericatu prorſus excidat, aut ad tempus in pænam, alimentis Eccleſiaſticis priuetur. Quæ priuatio eſt quædam temporanea depoſitio. & magna mihi videtur ineptia, ſi quis ſuper propriis alimentis ſibi neceſſario debitis, cogitur cum Camera Apoſtolica componere, & ei partem dictorum alimentorum tribuere. Ex alimentis vero quæ pauperibus debentur Cameram Apoſtolicam velle ditari videtur magnum abſurdum. Vt quæ me nequaquam alit, ſibi à me repetat ea alimenta, quæ ego iuſte percipere non debuerim. Tolle igitur proprietatem ex Eccleſia, tolle auaritiam, tolle theſauros Clericorum, & ſic ceſſabunt ſpolia; ceſſabunt compoſitiones, ceſſabit repetitio fructuum male perceptorum; quia ſi nihil amplius percepi ab Eccleſia, niſi victum & veſtitum; quomodo, ſi hæc ipſa male & cum fraude percepi, à me repetentur? Poteritne Camera Apoſtolica à me repoſcere, quod iam comedi, & concoctione naturali in propriam ſubſtantiam conuerti; aut nunquid me veſtibus denudabit, nudumque proijciet in plateas? Proprietas igitur & auaritia particularis Clericorum, generalem & maximam & portentoſam aluit & educauit Romanæ curiæ auaritiam. Ac omnes hæ tam particulares, quam vniuerſales auaritiæ Eccleſiam Chriſti miſerrime deturparunt. Re vera igitur venenum in Eccleſiam magnum effuſum eſt, quando opes in eam temporales cum proprietate,

XXXIII.

k Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 12.

l Sot. de iuſt. & iu. l. 4. q. 6. ar. 6.

quæ

quæ beneficia, verius veneficia pepererunt, ſunt ingreſſæ. Atque ita beneficia Eccleſiæ, in ſummum ei tandem verſa ſunt maleficium. Si ergo reformatio Cleri ſit aliquando in Eccleſia Catholica tentanda; bona omnia Eccleſiaſtica ad communitatem eſſent iterum reducenda; œconomiſque Diaconis viris probis; ſub Epiſcoporum regimine, ſed ſimul etiam cum Principum ſuperintendentia, committenda. atq; ex communi maſſa totius diœceſis neceſſarii Eccleſiarum miniſtri alantur, & in ſingulis Prouinciis per ſynodum prouincialem regulæ bonæ adminiſtrationis, bonæque & iuſtæ diſtributionis; Principibus ad hoc plurimum inuigilantibus formentur, vt & miniſtri, & pauperes ſuſtententur, & templa ipſa conſeruentur, ac modeſte ornentur, & ſic piæ Eccleſias dotantium mentes adimpleantur, decimæq; iuxta diuinam iuſſionem impendantur.

APPENDICES AD DVOS PRIORES TOMOS DE REP. ECCLESIASTICA:

PRIOR NVMERVS NOTAT EDITIONEM LONDINENSEM: POSTERIOR HEIDELBERGENSEM ET FRANCOFURTENSEM IN GERMANIA EDITAS.

PARTE PRIMA.

a Bell. de cul tu ſanct. l. 3. c. 4.

Pag. 12. B. pag. 5. a. in fine numeri 22. adde. Sane Bellarminus optime ait, *a* viuente Domino nondum erat Eccleſia noui teſtamenti, ſed tunc colligebatur & conſtituebatur.]

Pag. 60. c. lin. 1. pag. 37. a. lin. 39. —deducas. *adde.* Titus Boſtrorum Epiſcopus ſic locum hunc expo- *b Tit. Boſtr. in Luc. c. 22.* nit, *b* Eſto poſthac Petre eorum doctor & firmamentum, qui mihi per fidem adiunguntur. Nam etſi me negaturus es, non ob id tamen Apoſtolica gratia priuabere.] Theophilactus, &c.

Pag. 66. c. lin. 4. pag. 41. a. lin. 24. Qui inquit. *& pone ſic.* Qui, *inquit*, vere nobis factus eſt firma petra fundans fidem Domini, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia per omnes modos: Primum quidem quia confeſſus, &c.

Pag. 70. D. lin. 9. pag. 43. b. lin. 17. à fine. —celebrabatur. *dele. & pone.* iam inceptum fuerat, & nondum abſolutum.

Pag. 74. c. lin. vltima pag. 46. b. lin. 19. Patres *dele & pone.* Petro.

Pag. 75. A. lin. 1. aliterque *lege* aliter quam.

Pag. 85. c. lin. 3. pag. 53. a. lin. 19. à fine. —nihil ſis ſolicitus *adde* In cuiuſcunque vero obitu etiam naturali Chriſtum ſuo aduentu adeſſe ad iudicium particulare, ſicut per alterum ipſius aduentum venturus eſt ad iudicium in fine mundi vniuerſale; eſt communis multorum ſententia, quæ confirmari poteſt ex illis ſcripturæ locis, vigilate quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Matt. 25. 13. Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat Luc. 12. 46. Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei: Matt. 25. 6. Quæ & ſimilia loca de die cuiuſque obitus omnino videntur intelligenda, ſed hic aduentus corporalis non eſt, ſed ſpiritualis. Idem vero ſenſus eſt ſi legamus vt vere legi debet. Si eum volo manere donec veniam: hoc eſt, ſi ego nolim eum morte violenta tolli, ſed vitam producere donec ego veniam quando naturalis ei à me præfixa mors obuenerit, quid ad te? Sunt qui verba hæc donec veniam intelligant de aduentu eius ad Hieroſolymæ deſtructionem, quæ Ioanne adhuc ſuperſtite contigit. De quibus vide Toletum in hunc locum: Sed vix aduentus Chriſti poteſt oſtendi fuiſſe tunc aliquis ſpecialis quando Hieroſolyma deſtructa eſt. Deinde verba hæc *donec veniam* non ſunt dicta à Chriſto vt tempus mortis prædiceret; ſed genus mortis; Nam & Petri mors non multum præceſſit Hieroſolymæ caſum. Petro vero prædixit mortem crucis, quocunque tempore illa futura eſſet: Et ea occaſione quærebat Petrus de Ioanne *hic autem quid?* id eſt quo genere mortis vitam finiet. Ad hoc curioſum quæſitum reſpondet Chriſtus, Si ego nolim vt ille morte violenta vitam finiat, quid ad te? Si autem reſponſio eſſet, Si ego nolo illum mori antequam Hieroſolyma deſtruatur; quid ad te? non ſatisfaceret quæſito Petri; neque ipſius curioſitatem compreſſiſſet; adhuc enim potuiſſet ille perſiſtere & dicere: Bene quidem quod non ſit moriturus antequam tu venias ad Hieroſolymæ deſtructionem, quo tamen mortis genere ille morietur? Quoniam tamen ordinarie iam intelligebant Apoſtoli alterum Chriſti aduentum eſſe aduentum corporalem publicum glorioſum ad iudicium in fine mundi, ideo non inepte ſuſpicantur Ioannem vſq; ad illum aduentum Chriſti non moriturum. Sed Chriſtus hoc loco non corporalem hunc publicum, ſed illum priuatum ſpiritualem intellexit.

Pag. 85. e. lin. 9. pag. 53. b. lin. 28. --- Bene itaque *adde* Cyprianus; *c* Paſtores ſunt, *inquit*, omnes; *c Cypr. de ſimpl. Præl.* ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.] Et Baſilius, &c.

Pag. 87. D. lin. 5. pag. 54. b. lin. 24. à fine. —vt ſupra etiam tradidi *dele cum citatione etiam marginali.*

Pag. 109. e. lin. 9. pag. 69. b. lin. 9. —ferebant: *adde* ſicut neq; Ioanni prærogatiuam inuidebant quod ſupra pectus Domini recubuerit, vt ibidem habet Nazianzenus.

Pag. 113. B. lin. 2. pag. 71. b. lin. 35. fontem *adde* (vt *d* *d Aug. cont. Creſc. l. 2. c. 33.* Auguſtinus plane agnoſcit.)

Pag. 134. e. lin. 8. pag. 86. a. lin. 25. — differentem. *adde.* Qui & autoritate *e* parem omnibus Apoſtolis facit Paulum. *e Chryſ. in 1. Cor. hom. 39.*

Pag. 163. e. lin. 4. pag. 104. a. lin. 26. à fine. —Paſtoralem. *adde.* Fatetur idem nobiſcum *f* Cardinalis *f Cuſa. de conco. Cath. l. 2. c. 13.* Cuſanus.

Pag. 234. D. lin. 3. pag. 151. a. lin. 10. à fine. — Albaveatur.] *adde* Epiphanius, *g* Neque Diaconis, *inquit*, *g Epiph. hær. 79.* in Eccleſia concreditum eſt vt aliquod miniſte-

rium perficiant, ſed ſolum vt adminiſtrent, & exequantur commiſſa.] Hieronymus.

Pag 271.*c.lin.* 10.*pag.*175.*b.lin.*39.—terrarum degit] ad duos priores Tomos. *adde.* Et in vna cócione ait, *a* intelligamus nos omnes vnum corpus eſſe— ac proinde—nos quoq; Eccleſię totius, perinde hac communis corporis cura afficiamur.] In qua cura communi includit etiam laicos. Et Auguſtinus Mileuitanæ &c.

a Idem in 2. Cor. hom. 18.

*Pag.*515.*D.lin.*7.*pag.*338.*b.lin.*19.*à fine.*—contentus. *adde.* At vero Cardinalis Cuſanus, *b* Omnia *inquit*, iura electionis tollere penitus, & ſuæ diſpoſitioni reſeruare Eccleſiaſticarum rerum diſpoſitionem, puto Papam non poſſe, &c.]

b Cuſa de Concord. cath. l. 2. c. 32.

*Pag.*521.*c.lin* 2.*pag* 343 *b.lin.*10.—falcem immittant: *adde* vſurpatores vero in hoc Papas eſſe aperte fatetur *c* Gloſſa.

c Gloſſ. in c. quod omnes de reg. iur. in 6.

Pag 565 *D.lin.*6.*pag.*374.*a.lin.*19.*à fine.*—conſiderabitur. *adde.* Ideoq; Cardinalis Cuſanus *d* Primatum Romanæ ſedis totum tãdem ad Conciliorũ autoritatem redúcit.

d Cuſa. de concord. cath. l. 1. c. 16.

*Pag.*597.*c.lin.*15.*pag.*305.*a.lin.*15.*à fine* —ſoli Epiſcopi ſuffragium *lege* Epiſcopi & alij præter Cardinales ſuffragium.

*Pag.*616.*D.lin.*4.*pag.*407.*b.lin.*11.*à fine.*—imò & ne vix quidem *dele.*

*Pag.*620.*A.lin.*5.*pag.*409.*b.lin.*34.—in alia collocari. *adde.* Et Cardinalis Cuſanus, *e* ſi per impoſſibile, *inquit*, Treuerenſis Archiepiſcopus per Eccleſiam congregatam pro Præſide & Capite eligeretur, ille proprie plus ſucceſſor S. Petri in principatu foret, quam Romanus Epiſcopus.]

e Cuſa. de concord. cath. l. 2. c. vlt.

*Pag.*686.*B.lin.*3.*pag.*454.*a.lin.*13.*à fine.* pendeant omnia. *Quæ inde ſequuntur vſque ad finem capitis dele & ſic pone* 16. ſanctorum canonizator. 17. Hæreſum, hæreticorumque Iudex ſupremus. 18. Librorum ſupremus cenſor, approbator & reprobator. 20. Diuinorum officiorum, Breuiariorum, Miſſalium reformator, inſtitutor, approbator. 21. Iudex vniuerſalis Epiſcoporum, ipſe à nemine iudicandus, & appellationum ex tota Eccleſia cognitor. 22. Degradatos, ſolus reſtituit. 23. Supremus in Eccleſia legiſlator. 24. Diſpenſationum contra quoſcunque canones conceſſor. 25. Votorum, & Iuramentorum relaxator ſupremus, commutator, & diſpenſator. 26. Beneficiorum collator vniuerſalis. 27. Bonorum Eccleſiaſticorum alienator. 28. Solus teſtamentorum Eccleſiaſticis dat facultatem condendorum. 29. Solus hæres ordinarius omnium Eccleſiaſticorum. 30. Pluralitatem beneficiorum concedit, & liberat à reſidentia. 31. Solus religiones approbat, reprobat, & confirmat. 32. Supremus priuilegiorum, gratiarum, exemptionum, immunitatum, & libertatum largitor.

XXII. Omnia tamen hæc priuilegia eſſe falſa, ac partim ipſo facto illegitima partim aliis erepta & vſurpata, toto hoc opere ſparſim ſuis locis oſtendo. De primo fuſe egi libris 1. 2. 3. Et ago toto hoc quarto. De ſecundo, tertio, & quarto egi lib. 2. De 5. 6. 7. 8. egi lib. 3. De 9. & 10. ago lib. 4. De 11. & 12. agam lib. 5. De 13. & 14. agam lib. 6. De 15. 16. 17. 18. 19. 20. agam lib. 7. De 21. 22. 23. 24. 25. agam lib. 8. De 26. 27. 28. 29. 30. agam lib. 9. De 31. & 32. agam poſtremo, hoc eſt, decimo huius Operis libro. Bene vertat Deus.

*Pag.*710.*c lin.*1.*pag.*470.*a.lin.*26 *à fine.*—generaliſſimus. *adde.* Vnde & Valentinianus cum Placidia & Eudoxia Auguſtis Theodoſium rogant velit dignitatem B. Petro conſeruare, *f* quatenus, *inquiunt*, beatiſſimus Romanæ ciuitatis Epiſcopus, cui principatum ſacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit, &c.] Non Chriſtus, non Euangelium, ſed antiquitas, priuilegia videlicet illa quæ cap. 9. expoſuimus.

f Ante Con cil. Chalced.

*Pag.*738.*A.lin.*7.*pag.*488.*a.lin.*3.*à fine.*—exiſtimabat. *adde.* Nam & eundem Iuſtinum Euagrius *g* alienæ pecuniæ, dicit, fuiſſe appetentem, vt omnia iniqui quæſtus gratia diuenderet, imo etiam ipſa ſacerdotia diuinum numen minime renerens plebeijs hominibus venalia palam exponeret.

g Euagr. l. 5. c. 1.

*Pag.*772.*c.lin.*6.*pag.*511.*b.lin.*10.*à fine.* eſſent *adde* nollent habere ſocios, vt potentiores & honorabiliores eſſent.

PARTE SECVNDA.

Pag. 58. *A. lin.* 12. obuiandum. *adde.* Hoc arrogantiæ tribuit *h* Beda: & confirmationem Epiſcopalem tertia quadam vnctione fieri docet, quæ tamen diuerſa non ſit à ſecunda, quæ numuum baptiſmalis erat ceremonia.

h Beda in pſ. 26.

*Pag.*195. *A. lin.* 2. ſic de vino *adde.* Et Auguſtinus in concione quadam ad populum, vbi certe etiam Catechumeni intererant, noluit panem nominare, ſed periphraſi vtitur dicens. *i* Quia cum commendaret ipſum corpus ſuum, accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret: hoc eſt corpus meum.

i Aug. in pſ. 33. concione 2.

Pag. 221. *D. lin.* 9 *pag.* 156. *b. lin* 16. panem ferebat. *adde* ac ſane Auguſtinus in ſecunda concione eiuſdem pſalmi dum repetit quæ in priore de ſui in propriis manibus delatione dixerat correctius loquitur, ait enim, & ipſe ſe portabat quodammodo: illud quodammodo realitatem corporis à pane excludit.

Pag. 261. *D. lin.* 6. *pag.* 184. *a. lin.* 3. *à fine.* corpus Chriſti. *adde.* Sed nihil melius meo *iudicio poteſt* rem noſtram explicare quam *alia* huic locutioni in Euangelio ſimillima *locutio*; cuius ſenſus, ſicut & in hoc, ad literam ſit impoſſibilis. *k* Verbum caro factum eſt, inquit, Ioannes; vt vera ſit hæc locutio, quis adeo inſaniat vt dicat Verbum diuinum tranſubſtantiatum fuiſſe in carnem humanam: & ideo dici Verbum factum eſſe carnem? profecto gloſſula eſt omnino neceſſaria, hoc eſt, verbum ſuæ hypoſtaſi vniuiſſe carnem, & humanitati illi dediſſe ſubſiſtentiam. Sic, quia eſt impoſſibile panem eſſe humanum corpus, gloſſula neceſſario eſt adhibenda, videlicet, panem eſſe Sacramentum corporis Chriſti, non quidem abſentis & imaginati, ſed realiter præſentis, quod reali ſed miraculoſo modo, ac nobis imperceptibili ſimul cum pane digne illum recipientibus exhibeatur, & re ipſa communicetur.

k Ioan. 1. 14.

Pag. 286. *c. lin.* 6. *pag.* 202. *a. lin.* 2. videtur habere *adde.* Neque ego illum ſequendum puto: cum præſertim etiam in antiquiſſima & puriſſima Eccleſia inueniam homines, vel ipſo magnorum & ſanctiſſimorum Epiſcoporum ſuaſu, ſacris myſteriis etiam non communicaturos interfuiſſe. Dionyſius enim Alexandrinus ad Romanum Epiſcopum Syxtum de quodam ſcrupulis agitato ſcribens ait, *l* Iſte tamen lamentis & mærore ſe conficere non deſtitit, ad menſam accedere præ metu exhorruit, & vix oratus precibus intereſſe ſuſtinuit.

l Apud Euſeb. l. 7. c. 8.

Pag.297.B.lin.11.p.209.a.lin.29 erit mutilarum. *addē* Sane pro complemento communionis more Græcorum aliqui in Latina eccleſia ſecuti panem intinctum porrigebant; *a* Sed ordo Romanus *inquit Tungrenſis* contradicit, & Iulius quoq; Papa in ordine 56. Epiſcopo Ægypti ſcribens huiuſmodi intinctionem penitus prohibet, & ſeorſum panē, & ſeorſum calicem, iuxta dominicam inſtitutionē ſumenda docet. Vnde & B. Gelaſius Papa in ordine 56. ſcribens quibuſdam epiſcopis, excommunicari illos præcepit, quicunq; ſumpto corpore Domini Dominico à calicis participatione ſe abſtinuerunt: nam & ipſe in eodem decreto aſſerit, huiuſmodi ſacramentorum diuiſio ſine grandi ſacrilegio prouenire non poterit.] Sciant ergo Romani Pontif. ſi Gelaſio Romano Pontifici magnæ autoritatis credunt, ſacrilegium eſſe, ſacramentum eucharistiæ mutilare, & calicem à fidelium communione auferre.

a Radulf. Decan. Tungren. de Canon. obſeru. propoſ. 23. ad fin.

Pag.299.D.lin.1.p.210.b.lin.3.— improbatio *adde* Et alibi, *b* Peccatorum, *inquit*, in hac vita non fit noſtra virtute ſed diuina miſeratione purgatio: per indulgentiam illius, non per noſtram potentiam; quia & ipſa quantulacunq; virtus, quæ dicitur noſtra, illius eſt nobis bonitate conceſſa.]

b Idem de Ciuit. Dei lib. 20. c. 22

Pag.325.C.li.3.-Diaboli. *adde.* Sed ſi non abolerentur interimerent, ſunt.n. venialia ijs quibus diſplicent & qui illa abolere perpetuo non ceſſant: at vero negligentibus, & illa amantibus, & conſequenter illa abſque adhibito remedio multiplicantibus ſunt vere & proprie mortalia & mortifera, vt contendit Auguſtinus.

Pag. eadem. E lin.8.p.228.b li.29.- Et Solent *adde.* operibus miſericordiæ, & pijs orationibus, inquit *c* Auguſtinus.

c Aug. ep. 89. q. 1.

Pag.351.C.lin.6.p.246.a.lin.19.--vrgeri.] *adde* Et Hieron. *d* Facile quippe, *inquit*, ignoſcit filio Pater, cum Mater pro viſceribus ſuis deprecatur.

d Hier. adu. Lucifer.

Pag.375 C.lin.8.pag.262.a.lin.12 à fine.---Ignis, &c. *adde* Monet Dominus diuites, vt ad conuiuia ſua inuitent pauperes, qui remunerare non poſſunt, nec retribuere *e* Retribuetur enim, *inquit*, tibi in reſurrectione iuſtorum.] Ergo ante reſurrectionem animæ iuſtorum non recipiunt retributionē, quam bene operantibus pollicetur Deus.

e Luc. 14. 14.

P.376 B.lin.2.p.262 b.li.13.à fine.-reſeruari.] *adde* Iacobus in ſua epiſt. catholica, *f* Patientes, *inquit*, eſtote fratres, vſq; ad aduentū Domini: ecce agricola expectat precioſum fructū terrę, patienter ferens, donec accipiat temporaneū & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam aduentus Domini appropinquabit.]

f Iacob. 5. 7. 8.

Pag.386.E.lin.4.p.270.a.lin.35.--Serm.17.& 34. *add.* Et qui cupit ſpecialem orationem audire, qualis olim pro defunctis fundebatur, eam in Auguſtini precatione, quam pro Matre ſua defuncta fundit, habet expreſſam in hæc verba. *g* Ego autē iam ſanato corde ab illo vulnere in quo potuit redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noſter pro illa famula tua longe aliud lachrymarum genus, quod manat de concuſſo ſpiritu, conſideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur. Quanquam illa in Chriſto viuificata, etiam nondū carne reſoluta ſic vixerit vt laudetur nomen tuum in fide, moribuſque eius: non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptiſmum regeneraſti, nullum verbum exiſſe ab ore eius cōtra præceptum tuum: Et dictum eſt à veritate filio tuo, ſi quis dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis: Et væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam: Quia vero non exquiris delicta vehementer, fiducialiter ſperamus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quiſquis autem tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua? O ſi cognoſcant ſe omnes homines, & qui gloriantur in Domino glorientur. Ego itaq; laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, ſepoſitis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te exaudi me per medicinam vulnerum noſtrorum quæ pependit in ligno, & ſedens ad dexteram tuā te interpellat pro nobis. Scio miſericorditer operatā, & ex corde dimiſiſſe debita debitoribus ſuis; dimitte illi & tu debita ſua, ſi qua etiā cōtraxit per tot años poſt aquam ſalutis. (*non ergo confeſſa fuerat, nec abſolutione vlla vnquam vſa eſt ſacramentali*) Dimitte Domine, dimitte obſecro, ne intres cum ea in iudicium, ſuperexaltet miſericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera ſunt, & promiſiſti miſericordiam miſericordibus. Quod vt eſſent tu dixiſti eis qui miſereberis cui miſertus eris, & miſericordiam tuam præſtabis cui miſericors fueris. Et credo iam feceris quod te rogo, ſed voluntaria oris mei approba Domine. Nanque illa imminente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſe contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum patrium. Non iſta mandauit nobis, ſed tantummodo memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt Chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra, & quærens quid obijciat, & nihil inueniēs in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem ſanguinem? Quis ei reſtituet precium quo nos emit, vt nos auferat ei? ad cuius precij noſtri ſacramentum ligauit ancilla tua animam ſuam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non ſe interponat nec vi, nec inſidiis Leo, & draco: neq; enim reſpōdebit illa nihil ſe debere, ne conuincatur, & obtineatur ab accuſatore callido. Sed reſpondebit dimiſſa debita ſua ab eo, cui nemo reddet quod pro nobis nō debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & poſt quē nulli nupta eſt, cui ſeruiuit fructū tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoq; lucraretur tibi. Et inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis fratribus meis, quibus & voce & corde, & literis ſeruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodū neſcio. Meminerint cum affectu pio parentū meorum in hac luce tranſitoria, & fratrum meorū ſub te Patre in Matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hieruſalem, cui ſuſpirat peregrinatio populi tui ab exitu vſq ad reditum, vt quod à me illa popoſcit extremum, vberius ei præſtetur in multorum orationibus, tam per confeſſiones, quam per orationes meas.] Ita precabatur Auguſtinus pro parentibus ſuis defunctis; vt ſint in pace, & peccata, ſane venialia totius vitę eis (profecto quo ad culpam) remittantur; ſupponit ergo ex communi eccleſiæ vniuerſæ ſenſu, ab Apoſtolis ſic inſtructæ, poſt mortem pijs interceſſionibus viuorū defunctis peccata illa leuiora quotidiana, ſimul cum tota eis debita pœna condonari.

g Aug. confeſſ. lib. 9. c. 13.

P.472.D.li.11.--habuerunt facultatem *adde* Sed *h* propter arrogantiam ablata eſt eis hæc facultas,

h Beda in Pſ. 26.

vt ait Beda. Cum tamen eadem vnctio ſit eidem Bedæ illa ſecunda, quæ in baptiſmo datur per presbyterum cum hac tertia quæ epiſcopis eſt reſeruata, & vulgo confirmatio dicitur, vt alias obſeruaui.

Pag.488.c.lin.9.pag.339.a lin.13.à fine.— id fecerint. *adde* Sic *a* Orientales Epiſcopi Philippopoli & Sardicæ coacti, ab alijſque diuiſi Iulium Papam excommunicarunt.

a Soz. lib.3. c.10.

Pag.534.c.lin.4.pag.31.a.lin.6.—recipere poſſit.] Vtinam vero iam ſenex Bellarminus Recognitiones illas, in quibus hæc habet, edidiſſet non vt in gratiam Papæ palinodiam canens Principum autoritati quiddam detraheret, quod prius conceſſerat, ſed vt in gratiam veritatis ſexcentas huiuſmodi vafricies ſuas ſponte agnoſceret, & graui perniciosæ doctrinæ onere animam liberaret.

b Epiph. hæreſ.71. *P.569.D.l.2.*— Conſtantinus *adde* Et b Photinus damnatus Sardicæ impetrauit à Cōſtantino nouos iudices.

Pag.580.D.lin.8.pag 62.b.lin.20.à fine.- maxime pendet. *adde* Optima ſane Regii muneris explicatio, cui conuenit vt populum non modo placatum erga Regem, ſed & fidelem erga Deum mediis externis & corporalibus efficiat, ipſiſque ab errore retractis lucem veritatis oſtendere. Vtinam Chriſtiani Principes errorum multiplex ac tenebroſum velum, quo magna pars eccleſiæ per vim obnubitur, manu ſua diducerent, vt ſaltem per tranſennam aut clathros veritas poſſit allucere.

Pag.595. A.lin.col.pag 72.b.lin.24.-à fine. conuocandum *adde* Huius Concilii erroribus vt obuiam iretur per aliud ſanius Conciliū cupiens plurimum Leo, non audet nouum ipſe indicere, ſed hortatur Clerum Conſtantinopolitanum, vt id ab Imperatore, etiam ipſius nomine impetret. Et *c* quoniam, *inquit.* oportet vos, poſt diuinum auxilium, etiam catholicorum Principum gratiam promereri, humiliter ac ſapienter expoſcite, vt petitioni noſtræ, qua plenariam indici Synodum poſtulamus, clementiſſimus Imperator dignetur annuere] Et hæc iuxta petitiones ipſius ad Imperatorem epiſt. 11. 26 27.35.

c Leo ep 25.

Pagina 601 A.lin.8.pag.76. lin.12.à fine.—— ex pia quadam benignitate *dele.*

Ibid.A lin.10.ibid lin.8 à fine.-Non dicit non poſſumus ſed non volumus, ſciebat enim ſe etiam poſſe ſi velit neceſſitatem inferre & cogere, *dele hæc omnia, & pone ſic.* Non hæc pertinent ad inuitationem ad Concilium, ad quod poſſet etiam cogere; ſed ad libertatem ſentiēdi: nam proteſtatus fuerat ſe nolle quemquam cogere, vt contra conſcientiam ferat in illius temporis controuerſijs ſententiam; collationem tamen fieri omnino volebat.

Ibi.B.lin.6.pag.77.a.lin.7.—Hortaremur.] *adde* Et Leo ipſe fatetur ſcribens ad Imperatorem Synodum hanc ab ipſo Imperatore fuiſſe conuocatam.

d Leo 1.ep. d Quam, *inquit*, nutu Dei veſtra clementia & ſedule conuocauit, & cui pro Dei miniſterio præfuit.]

Pag.610 B.lin.5.p.83.a.lin.23.à fin.-iam defendi: *adde* Arauſſicanum quoq; ſub Leone, quo Pelagiana doctrina maxime fuit repreſſa occaſione dedicationis eccleſiæ celebratum fuit Similiter & Arelatenſe 3. Turonicum primum ab illis Epiſcopis celebratum eſt, qui ad celebritatem feſti Martini conuenerant, vt ex actis horum Conciliorum conſtat.

Pag 612.A.lin.3.pag.84.b.lin.15.-Macedonium? *add* Certe quidem vt non fuerit quod fuerit diuinā non præſtat potentia. Illi Synodo inter celebrandum CHRISTVS, eo quo promiſſum eſt modo, aut affuit, aut non affuit, ſi affuerit erat ſanctum ac pium Concilium etiam ante Papalem rati-—habitionem; ſi non affuerit nec Papa facere poſtea potuit vt affuerit, niſi ſit Deo ipſo potentior. Sed & Papa ille non habuit ratam, & cætera.

Pag.628.D.lin.8.p.96.à lin.21.à fine.—ſubſequentibus. *adde.* Ex his & aliis, quæ ſupra adduximus, haud difficile eſt ipſos rationum fontes deſignare, ex quibus Imperatores Regeſque Chriſtiani ſuam rerum eccleſiaſticarum curam ac gubernationem deriuarunt. Vna eſt Ciuilis, & Regibus tam infidelibus, quam Chriſtianis communis, externa nempe tranquillitas Reipublicæ, cuius multum intereſt vt religione ac numinis metu ſubditi intra officium contineantur, ac vt turbellis & ſeditionibus, religionis prætextu oboriētibus, occurratur. Quo quidem reſpectu etiam Pagani Reges ac Tyranni politica prudentia inſtructi de cultu Numinis promouendo, ac eiuſdem obſtaculis remouēdis, nunquam non erant ſoliciti. Altera eſt quaſi media inter politicam & piam, vel ex vtraque mixta ratio, nempe à præmio. Cum enim rectæ rationis lumen nobis ſuggerat verū Deum ſinceris ſui cultoribus bona omnia impartire, ac ipſa experientia prober, vt hic loquitur Theodoſius, Dei cultu puriſſimo, & pietate maxime firmari Rempublicam bene ſperant Reges, ſacroſancta religione recte conſtituta, ac per ipſos defenſa & propagata, omnia ſibi proſpera pro votis euentura, Regnumque ſibi fore non modo diuturnum, ſed etiam benedictionibus cumulatum. Et hac quidem ex parte nempe expectatione præmij huius, veram pureque catholicam religionem tueri ac ſolicite curant merito, aduerſanteſque corruptelas exterminant pij Principes, vt inde externam quoque Reipublicæ obtineant fælicitatē. Tertia cauſa vere & maxime pia ab ipſo officio, nempe quia Deus Principem vice ſua poſuit non modo iuſtitię inter homines, ſed & erga ſe pietatis exactorem. *Rex enim Chriſtianus* non modo officio Regio obligatur, ſed & ſponſione vel expreſſa; vel implicita ad Chriſti, cui nomen dedit, cultum tuendum. Deinde præter hanc ſuperobligationem, etiam inſtruitur ex Chriſtiana doctrina, quem cultum, & quomodo tueatur, quas doctrinæ morumque corruptelas repurget.

P.736.D.lin.9.p.168.b.lin.33.—Mala parati. *adde* Ait enim Cypr. *e* intellexit *aduerſaria* milites Chriſti vigilare, iam ſobrios & armatos ad prælium ſtare, vinci non poſſe, mori poſſe; & hoc ipſo inuictos eſſe, quia nec mori timent, nec repugnare *contra* impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat, ſed prompte & animas & ſanguinem tradere.] *e Cyp.lib.ep.1.*

Pag.797. A.lir.6.p.210.a.lin.11.à fine.—numero 43. *adde* Non placuit P. Ioſepho A Coſta Ieſuitæ hæc Ieſuitica Bellarminiana de rebuspublicis ſpeculatio; contrariū enim & ſenſit & aſſeruit ita ſcribens, *f* Neque vero ſi Reſpub. aliqua peccet leges condendo flagitioſas & turpes, aut ſi moribus perditis Princeps ac Magiſtratus labefactantur, continuo ius erit Reipub. vicinæ, aut Principi leges ferre meliores, inuitos compellere vt eas recipiant & ſeruent, non obſequentes ferro aggredi, repugnantes bonis & vita exuere. Etenim ſi tantum licentiæ Reip. in Rempub. tribuas nihil aliud agas quam vt breui vniuerſum terrarum orbem perturbes, & diſcordia ac cædibus impleas. Melius, melius omnino diuina incommutabilis atque æterna lex ſan-

f A Coſta de procur. Ind. ſal. l.1. c.4.

xit,

xit, nullius vnquam emendanda ſapientia aut temeritate violanda, vt id iuris Principi in Principem, Reip. in Remp. ſit, quod attinet ad leges ferendas, & ſcelera profliganda, quod eſt ciui in ciuem priuato viro in priuatum. Vbi illud ſolum intereſſe volunt clariſſima ingenia quæ totam hanc rem copioſiſſime, & dilucidiſſime proſecuta ſunt, vt non modo fas ſit Reipublicæ ſe defendere contra aggredientis iniurias, quod etiam priuato licet, vt vim repellat vi, verum etiam iam acceptas propria autoritate vindicare queat, quod priuato nequaquam licet, id ita docente ratione clariſſima, quod ciuis ac priuatus habeat apud quem expoſtulet, vbi repetat, à quo iniuriæ recompenſationem merito expectet, publicum magiſtratum: at Reſpublica contra Rempublicam alteram nullum habet quod adeat commune tribunal, ac niſi ipſa propria autoritate vleiſcatur iniurias, futurum ſit vt rebus omnibus læſa reparari nullo modo queat. Quæ cum ita ſe habere tum in ipſa naturæ luce veluti in aperta lege notaſſent, tum perpetuo ab ipſo mundi exordio decurſu ab omnibus mortalibus ſeruata, quotquot iuſtitiæ qualemcunque prætextum bello gerendo præferrent, animaduerterent ſapientes omnes & noſtri & externi, eam ſolam cauſam bello aggrediendo æquam & iuſtam ſtatuerunt, ad reſarcienda damna, & iniurias vendicandas, vel ſuas vel ſuorum, id eſt ciuium aut ſociorum, aut eorum etiam qui inique læſi ipſorum opem imploraſſent. Præter hanc cauſam acceptæ iniuriæ aut violati iuris gentium, nullam noſtri maiores iuſtam agnouerunt, neque gloriæ quærendæ, neque cumulandarum opum, neque amplificandi dominatus, neque vero religionis propagandæ. Quotquot vero non læſi arma ſumpſerunt, eos prædones potius quam milites vocitandos cenſuerunt.] Sed Bellarminus turbis & cædibus quoſcunque poteſt libenter parat aditus, ſi enim Reſpublica in Rempublicam ius habet quod ipſe aſſerit, ſi illa non pareat, ecce bellum in eum iniuſtum parat altera, cui prætextus ille viam aperit.

Pag. 896. *C. lin.* 11. *pag.* 277. *b. lin.* 6. *à fine.* —diſceſſiſſe *adde.* Videbis quæ ſcribimus libro 7. cap. 12. num. 125.

Pagina 1000. *E. lin.* 4. *pag.* 348. *a. lin.* 19. *à fine.*— quando Romæ expeditum non inuenio, nec quanto ſpacio Romæ vel in Anglia delituerit. Certe *dele hæc omnia, & pone ſic* Romæ expeditum eſt V. Calen. Martij 1569. ſpacio nouem menſium delituit: nam, &c.

Ibidem E. lin. 6. *Ibid. lin.* 16. *à fine* 1569. *dele & pone* 1570.

Ibidem E. lin. 8. *Ibid. lin.* 13. *à fine.*—1568. *dele & pone* 1569.

F I N I S.

INDEX

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI CVM EORVNDEM ARGVMENTIS.

CAPVT PRIMVM.

Ecclesiasticos primitiuæ & veteris Eccleſiæ, ſine terrenis poſſeſſionibus fuiſſe ex liberis oblationibus cum magna frugalitate ſuſtentatos 1

CAPVT II.

Ius ſoluendarum Decimarum inter Chriſtianos etiamnum permanere 12

CAPVT III.

Bona temporalia, quæ vocantur Beneficia, quomodo ſint ingreſſa in Eccleſiam, quæque fuerit origo beneficiorum 19

CAPVT IV.

Qui vſus Eccleſiaſticorum prouentuum eſſe debeant 24

CAPVT V.

Abuſus graues occaſione bonorum temporalium, in Eccleſiam irrepſiſſe 28

CAPVT VI.

Penes quem ſit bonorum Eccleſiaſticorum Dominium & Adminiſtratio 56

CAPVT VII.

Clericos non eſſe Dominos redditLuum Eccleſiaſticorum ipſis in beneficium aſſignatorum 72

CAPVT VIII.

Cum ſacro ordine beneficium ab Epiſcopo conferri 84

CAPVT IX.

Auaritiam Romanæ Curiæ omnia iura peruertere 93

CAPVT X.

Quibus ſint beneficia Eccleſiaſtica conferenda 119

CAPVT XI.

Commendas & penſiones iam fieri illegitimas 130

CAPVT XII.

Quos hæredes & ſucceſſores in bonis temporalibus habeant Clerici 139

INDEX RE-

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN HOC NONO LIBRO COMPRÆHENSARVM.

A.

ABBAS vnus duobus Monaſteriis præfici non debet 125.2.
Abbas Vrſpergenſis inter alia mala ſchiſmatis Imperij ſub Innocentio III. confuſionem narrat Eccleſiarum 101.2.
Abbatum vanitas 54.2.
Abuſus bonorum temporalium in Eccleſia 28.2.
Abuſus circa commendationes monaſteriorum 133.1.
Abuſus prælationum 29.2.
Abuſus in Monachiſmo grauiores, quam in Clericatu 49.2.
Actus Simoniacus eſt res ſpirituales cum turpi lucro coniungere 113.1.
Adminicula vitæ mortalis 3.1.
Adminiſtratio communium Eccleſiaſticorum bonorum quem penes ſit 61.1.
Adminiſtratio eleemoſynarum in eccleſia 4.2.
Adminiſtratores Eccleſiaſticorum bonorum in Eccleſia Hieroſolymitana 61.1.
Adminiſtratores primarii rerum Eccleſiaſticarum 62.1.
Admonitio Chryſoſtomi ad perſoluendas decimas 14.1.
Admonitio Chryſoſtomi de Templorum ædificatione 200.2.
Admonitio Petri Bleſenſis ad Eccleſiæ Epiſcopos 6.2.
Admonitiones Petri Damiani aduerſus Pontificum & Cardinalium Romanorum vitam perditiſſimam 96.1.2.
Adoleſcentium vita incerta 73.1.
Adrianus quartus Romanus obiecta ſibi crimina apologo eluſit 100.1.
Ægyptiorum monaſteria 44.1.
Æquiuocationes vocabuli Dominij 57.1.
Affectio parentelæ in iis, qui conuertuntur ad cor, abſcindenda 121.1.
Agobertus Epiſcopus Lugdunenſis turbam Clericionum deſcripſit 128.2.
Agri Eccleſiæ quibus vſibus deputati 25.2.
Alexander tertius quas alienationes approbauerit 68.2.
Alexander tertius mandauit, vt qui plura tenerent beneficia, vno ſibi relicto ad vitam ſufficienti, reſignarent alia, aut etiam iis ſpoliarentur 126.1.
Alienationes Eccleſiaſticarum rerum Presbyteris Romanis prohibitæ 65.2.
Alienatio Eccleſiaſticarum facultatum non fieri debet à ſolo Epiſcopo 65.1.
Alienatio rerum Eccleſiaſticarum ad ſolius Epiſcopi poteſtatem reducitur 66.1.
Alienationes Eccleſiaſticarum rerum quando faciendæ 67.1.
Alienationes illegitimæ quomodo cohibendæ 67.1.
Almaynus de obligatione decimarum 15.1.
Altaris oblatio quæ & qualis patrum tempore fuerit 4.1.
Amaritudo Eccleſiæ 31.2.
Ambroſius de diſpenſatione oblationum Eccleſiaſticarum 4.2.
Ambroſius de priuilegio Sacerdotis 8.2.
Ambroſius de ſuſtentatione Clericorum 26.1.
Ambroſius de vſu ſingulari bonorum Eccleſiaſticorum 27.2.
Ambroſius de auaritia ſacerdotali 29.2.
Ambroſius de captiuis redemptis 38.1.
Ambroſius ſimoniace ordinatos iure diuino nihil accipere ſpiritualis poteſtatis firmiſſime demonſtrat 112.1.
Ambroſius de poſſeſſione Eccleſiaſticorum bonorum 59.1.
Amor ingenitus, quem quiſque ad natiuum ſolum habet, magni æſtimandus 125.1.
Anacletus de Epiſcoporum conſtitutione 21.1.
Anaſtaſii Imp. ordinatio de exequiis 43.1.
Annatarum exactiones ſunt inuentum Romanæ auaritiæ 105.2.
Annatarum exactiones, vt nunc fiunt in Curia Romana, ſunt vere & proprie ſimonia 108.1.
Annatarum exactio, vt nunc fit Romæ, tota ſimoniaca eſt, & abominanda 113.2.
Annatarum ſolutiones abſque vllo iure à Romana Curia conficiuntur & exiguntur 102.2.
Annatæ ſeparatim impoſitæ & exactæ nullam continent ſimoniam 110.2.
Annatas quis primum indixerit 105.2.
Annatis impoſitis decimæ abolitæ ſunt 107.2.
Annatarum fundamentum præcipuum & vnicum 110.2. euertitur ibid.
Animarum ornamenta 38.2.
Antiochenum Concilium de Presbyterorum & Diaconorum ordinatione 85.2.
Antiochenæ Eccleſiæ prouentus 4.2.
Antonius Epheſinus annatas turpiſſimas lege & decreto firmauit 106.1. ordinationes Epiſcoporum pro more redituum vendidit ibid.
Apoſtoli alienis ſe ſuſtentarunt facultatibus 3. & 9.1.
Apoſtoli in prima miſſione ex fidelium eleemoſynis victitarunt 3.1.
Apoſtoli impedimenta liberæ prædicationis abſque voto remouerunt 61.1.
Apoſtolorum Canon de adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum 61.2.
Apoſtolorum ſucceſſores peiore conditione eſſe non debent Apoſtolis 3.1.
Apoſtolatus nudum fuit miniſterium 123.2.
Apoſtolica ſedes in ſedem Imperialem, imo Regialem conuerſa eſt 102.2.
Aqua contradictionis 38.2.
Archadij Imperialis Lex præcepit ſolos originarios ordinandos 125.1.

Arrianum

Arrianum venenum 37.2
Auguſtinus beneficentiſsimus in pauperes 6.1.
Auguſtinus cariores ſibi pauperes quam diuites reputauit 31.1.
Auguſtinus Chriſti dictum Luc. 14. non tantum de animi præparatione, ſed actuali etiam renunciatione rectè explicat 10.1.
Auguſtinus Clericos ſuos ad vitam communem reduxit 72.2.
Auguſtinus de collationibus Eccleſiaſticis 29.1.
Auguſtinus de dominio bonorum Eccleſiaſticorum 56.2.
Auguſtinus de Eccleſiæ theſauris 37.2.
Auguſtinus de eleemoſynis erogandis 25.1.
Auguſtinus de exactione decimarum 18.2.
Auguſtinus hæreditates Laicorum intactas eſſe voluit 43.2.
Auguſtinus de obligatione decimarum 14.2.
Auguſtinus de Monachis delicatioribus 46.1.
Auguſtinus de monachorum ſegnitie 52.2.
Auguſtinus de ſycophantiis Regularium 52.1.
Auguſtinus de vſu decimarum 13.2.
Auguſtinus procurator pauperum 62.2.
Auguſtini reſponſio ad querelas Donatiſtarum de ablatis ſibi fundis 56.1.
Auaritia auaritiam cohibet, imo abſorbet 147.2.
Auaritiæ clericalis occaſio 25.2.
Auaritia Epiſcoporum fidelium manus contraxit 22.1.
Auaritiæ malum quando Chriſti miniſtros exagitare cœperit 29.1.
Auaro nihil ſceleſtius 116.1.
Auaritia Presbyterorum 27.1.
Auaritia Romanæ compendia 134.2.
Auaritia ſacerdotalis tempore Ambroſii 29.2.
Auditores erga miniſtros Eccleſiæ debent eſſe liberales 9.2.
Aurelianenſe Concilium de diuiſione Eccleſiaſticorum redituum 75.2.
Aurelius de licentia Monachorum 45.1.
Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis à vitio Philargyriæ alienus 43.2.
Autoris conſilium de inſtituenda Eccleſiaſti a reformatione 118.1.2.
Autori, dum pro decimis ſcribit, lis mouetur 18.2.
Autor ſermonum ad fratres in Heremo, de vita & officio Clerici 8.1.
Autoritas Epiſcopalis 41.1.
Auxentius Sathanæ Angelus 37.2.

B.

Baptiſmi aqua regenerans hominem ſpiritualis attributiue dicitur 109.2.
Baptiſmalem aquam vendere in ipſo actu Baptiſmi patentiſsima ſimonia eſt 109.2.
Baptiſtæ Mantuani verſus de auaritia Romanæ Curiæ 102.1.
Baronii mordacitas in principes 27.2.
Baronii ſententia de ſpoliis Clericorum 147.2.
Baronius religioſam frugalitatem in Manuele Commeno reprehendit 51.2.
Baronius quanquam Simoniam Romanæ Curiæ non confeſſus ſit, eam tamen defendere non eſt auſus, ſed amoueri exoptauit 116.1.
Baſileenſe Concilium de expectatiuarum ſublatione 90.1.
Baſileenſe Concilium reſeruationes beneficiorum Pontificibus Romanis prohibuit 91.1.
Baſilica à quibus ditata 21.1.
Baſilicarum ruina 37.1.
Baſilius de autoritate ſacerdotali 29.2.
Baſilius de laboribus Monachorum 44.1.
Baſilius de manuali labore monachorum 4[illegible]
Baſilius iunior legem Nicephori de non augendis latifundiis Monaſteriorum, ſuſtulit 5[illegible]1.
Beatitudinem æternam, fide, ſpe & charitate conſequimur 125.2.
Bellarminus Chriſti dictum Luc. 14. de renunciatione temporalium tantum de animi præparatione male intelligit & explicat 10.1.
Bellarminus Eccleſiam Iudaizare docet 40.1.
Bellarmini error de conſuetudine antiquorum monaſteriorum 48.1.
Bellarmini error de ſtatu magnifico Eccleſiaſticorum 40.1.
Bellarminus falsò ſcripſit, Deum ſibi decimas à Iudæis exegiſſe titulo Regio 17.2.
Bellarminus falsò ſcripſit, ſolos iuniores monachos laboraſſe 48.1.
Bellarminus imperitè ſcripſit; Naſcentem Eccleſiam poteſtatem coactiuam exercuiſſe 18.1.
Bellarminus male negat extare præceptum, quo monachi ad laborem obſtringuntur 44.2.
Benedictus prædia ſuorum Monachorum non retinuit 49.1.
Benedicti regula in Ciſtercio quomodo reformata 47.2.
Beneficium Eccleſiaſticum 21.2.
Beneficia Eccleſiaſtica quando exorta 22.1.
Beneficia Eccleſiaſtica dantur propter officia ſpiritualia 66.2.
Beneficii Eccleſiaſtici nomine quid intelligatur 84.1.
Beneficia Eccleſiaſtica quibus conferenda 119.1.
Beneficia Eccleſiaſtica turpius ac impudentius, quam ſecularia & profana ambiuntur, cambiantur, veneunt hæreditantur, regreſſantur, profanantur ac dilapidantur 128.1.
Beneficiorum fundamenta 119.1.
Beneficium nullum adeo ſimplex eſt, quin detur in eccleſia propter officium 122.2.
Beneficium obtinere quid 22.1.
Beneficiorum origo 66.2.
Beneficiorum pluralitas cultum diuinum diminuit 126.2.
Beneficiorum pluralitatem in vna perſona Eccleſia ſemper eſt deteſtata 125.2.
Beneficiorum pluralitatis abuſus maxime inoluit, poſtquam inſtituta ſunt beneficia ſeparata 125.2.
Beneficiorum pluralitatis leges quare iam faciant exceptiones 127.1.
Beneficia quæ Sacerdotem non requirunt non poſſunt ſacra appellari 122.1.
Beneficia magis in gratiam perſonarum, quam Eccleſiæ coaceruare, peſſimi res exempli 127.1.
Beneficiorum redditus annexam rem ſpiritualem habentes, ſacros fieri, induereque quaſi naturam rei ſpiritualis, Roma docet & tenet 109.1.
Beneficiorum ſeparatio facta eſt duodecimo poſt Chriſtum ſeculo, cum maxima Eccleſiaſtica diſciplina relaxatione 125.2.
Beneficia ſimplicia olim ſolis iunioribus Clericis dabantur 121.2.
Beneficia tam ſimplicia quam curata reſidentiam requirunt 121.2.
Beneficiarii Eccleſiæ ſuſcepti beneficii officium non poſſunt per ſubſtitutionem vicaria opera adimplere 122.2.
Beneficiariis quando beneficia auferenda 123.1.
Beneficiati de redditibus ſuorum beneficiorum an teſtari valeant 139.1.2.
Beneficiatus imo etiam Epiſcopus aliquo tempore à ſua Eccleſia abeſſe poteſt, quoties maius Deo & eccleſiæ præſtat officium, quam ſi propria ſibi commiſſa munera obiret 124.1.
Beneficiati, quicquid ipſorum honeſtæ ſuſtentationi ſupereſt, pauperibus erogare debent 81.1.

Bernhar-

Bernhardus de abuſibus reddituum eccleſiaſticorum 31.2.
Bernhardus de Clericis auarioribus 6.2.
Bernhardus de luxu Clericorum 34.2.
Bernhardus Prelatorum ambitionem cum auaritia coniunctam reprahendit 97.2. Eugenium Papam ad reformationem Curiæ Romanæ cohortatur ibid.
Bernhardus de procuratione bonorum Eccleſiaſticorum 63.2.
Bernhardus de templis ſumptuoſis 38.2.
Bernhardus de vera Eccleſiaſtici hominis frugalitate 83.1.
Bernhardus quam monachiſmi inſtitutionem agnouerit 9.1.
Bernhardi querimonia de negligentia Papæ in conuertendis Gentilibus 97.2.
Bernhardus Romanorum Curialium auaritiam taxauit 98.2. Cardinali Oſtienſi inſignem Legati Romani turpitudinem aperuit ibid.
Bernhardus vitam diſſolutam Cluniacenſium Monachorum deſcribit 53.1.
Bona Eccleſiæ olim donata vſu conſumptibilia eſſe cenſentur 58.1.
Bona Eccleſiarum patrimonium pauperum 25.1.
Bona Eccleſiaſtica in luxum & ſplendorē abſorbentur 9.2.
Bona Eccleſiaſtica quomodo inſumenda 73.2.
Bona Eccleſiaſtica, qui habent, vt ditentur & magnificentur, ad reſtitutionem ſunt obligati 79.2.
Bona Eccleſiaſtica tam intentione donantium, quam eccleſiæ recipientis ſunt totius eccleſiæ vniuerſalis 124.1.
Bona fructifera & habilia eccleſiis data in tria genera diſtinguuntur 79.1.
Bonifacij noni lex de annatibus fuit temporaria 105.2.
Bonifacius octauus Bullarum neceſſitatem amplificare conatur 103.1.2. refutatur ibid.
Bonifacius octauus beneficiorum pluralitatem prohibuit 126.2.
Bonifacius I. Germanorum conuerſorum Epiſcopus vnde ſuſtentatus ſit 14.2.
Bonifacius primus Germanorum Epiſcopus Pontificem Zachariam redarguit, quod pro palliis conferendis pecuniam acciperet 104.1.
Bonorum Eccleſiaſticorum dominium totum penes eſt Eccleſiam 57.1.
Bonorum Eccleſiaſticorum dominium eſt conditionatum 58.2. vniuerſale diſpoſitiuum 59.1.
Bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſio eſt ſumptus egenorum 59.1.
Bullas, earumq; neceſſitatem ſola auaritia cudit 105.2.
Bullarum exemplar Ioannis octaui 104.2.
Bulla medicatrix Mannelis Commeni 51.2.
Bullæ Pontificum à quibus examinandæ 71.2.
Bullæ, proue nunc longiſſimo tractatu conſcribuntur, vere bullæ ſunt 105.1.
Bullarum ſolutiones abſque vlla legitima poteſtate à Romana Curia conficiuntur & exiguntur 102.2.
Bulla ſub Innocentio tertio ſimpliciſſima 105.1.
Bullarum variarum formula breuiſſima & ſimpliciſſima 104.2.
Bulla Zachariæ Papæ 104.2.

C.

CAbilonenſe Concilium Clericorum auaritiam compeſcere conatur 43.2.
Cabilonenſis Concilij decretum de vita communi Clericorum 73.1.
Caietanus de poteſtate Papæ in diſponendis Eccleſiæ bonis 79.2.
Chalcedonenſis Concilii canon de diſpenſatione Eccleſiaſticarum rerum 63.1.
Chalcedonenſis Concilij de bonis Epiſcopi demortui edictum 145.2.
Charitatem Chriſtianorum, quid extinxerit 9.2.
Charitas liberalium obligationum quando refriguerit 36.1.
Charitatis ornamentum 29.1.
Calixtus de diſpenſatione Eccleſiaſticorum bonorum 62.1.
Camera Apoſtolica de ſpoliis Clericorum edictum 146.2.
Camera Apoſtolica qua in re minime ſit Apoſtolica 148.1.
Canon antiquiſſimus Eccleſiæ beneficia & officia nonniſi pauperibus confert 119.1.
Canon ſecundi Concilii Matiſconenſis de Altaris oblationibus 4.1.
Canon Martini Bracarenſis de alienatione Eccleſiaſticorum bonorum 65.1.
Canonici ſimoniaci ſunt & puniendi 111.1.
Canonici Simoniaci Prælatis ſimoniacis reſiſtebant 107.1.
Canonicorum vita 73.1.
Canonici viuere non debent, vt alii Nobiles 39.2.
Canonicus prabendarius 85.1.
Canoniſtæ miſeros Papas dementant 147.1.
Canoniſtæ partim ex Theologiæ inſcitia partim ex ſpiritu aſſentationis Romanis Pontificibus poteſtatis plenitudinem attribuerunt 87.2.
Canoniſtæ Papam fruſtra à ſimonia periculo liberare ſtudent 107.2.
Canoniſtæ probibitiones pluralitatis beneficiorum faciunt iuris poſitiui 127.2.
Canoniſtæ priuant Papam poteſtate res ſuæ Eccleſiæ alienandi 66.1.
Capellarum fundationes non facile admittendæ 129.2.
Capitula, inuito Epiſcopo, neminem in Clerici canonici numerum recipere & retinere debent 86.2.
Captiui vnde redimendi 38.1.
Cardinalis Aliacenſis Papam à ſimonia tueri conatur diſtinctione quadrifaria de intuitu commodi temporalis pro ſpirituali 113.1.
Cardinalis Oſtienſis turpiſſima auaritia 101.2.
Cardinales non digni ſunt ſtipendio Ecleſiaſtico, quia Euangelium non annunciant 128.1.
Cardinales ventres habent in immenſum extenſos; imo in ventribus altiſſimas voragines 127.1.
Cardinalium Romanenſium vita perdita 96.1.
Cardinales Balaamitis ſimiles 99.1.
Carnis propinquitas in diſtribuendis Eccleſiaſticis bonis non reſpicienda 120.1.
Carolus Magnus decimas quando & quomodo vſurpauerit 18.1.
Caroli Quinti coronatio vbi & quando facta 137.1.
Carthaginenſis IV. Concilii decretum de victu Clericorum 7.1.
Carthaginenſis Concilii canon de poteſtate Epiſcopi in Eccleſiaſticis facultatibus alienandis 64.2.
Cautela de alienatione facultatum Eccleſiaſticarum 65.1.
Chriſtus qua & quanta pro nobis paſſus 3.1.
Chriſtus diuitem illum iuuenē vocauit ad Clericatum 9.1.
Chriſtus Dominus terra terrena aſpernatus, interim tamen alienarum opum ſubſidia non ſpreuit 3.1.
Chriſtus Luc. 14. de vera & actuali renunciatione poſſeſſionum temporalium loquitur 10.1.
Chriſti aurum 38.1.
Chriſtum quomodo ſequi poſſimus 9.1.
Chriſtiani Deo etiamnum decimas ſeparare tenentur 15.1.
Chriſtianorum omnium vna Reſpublica 46.2.
Chryſoſtomus Epiſcopus quotidie ordinarios pauperes tria millia aluit 21.1.
Chryſoſtomus de vita Monachorum 47.1.
Chryſoſtomus non ſolum à poſſeſſione, ſed etiam adminiſtratione temporalium abhorruit 6.1.
Chryſoſtomus paratus eſt rationem reddere ſuæ adminiſtrationis bonorum Eccleſiaſticorum 25.2.

Chryſo-

Chryſoſtomi admonitio ad perſoluendas decimas 14.1.
Ciſtercienſis ordo, Abbate Bernbardo, vera monaſtica obſeruantia fulgebat 52.2.
Clemens quintus errorem ſuum de commendis vidit, & agnouit 132.2.
Clericus duas res profeſſus eſt 8.2.
Clericus perfectus quis 8.2.
Clericus dimidius quis 8.2.
Clericus regularis 8.2.
Clericus de iure non eſt, e ... eccleſiæ ſuoq; titulo non eſt alligatus 124.2.
Clericus non debet in duarum ciuitatum ſimul conſcribi Eccleſiis 125.2. *extra ciuitatem propter ſacerdotum inopiam duobus ſeruire poteſt* ibid.
Clericus de bonis per eccleſiam acquiſitis teſtari non poteſt 140.1.
Cleri ſtatus numerus & præfixus in ſingulis antiquis eccleſiis 4.2.
Cleri reformatio quomodo inſtituenda 149.1.
Clerico intuitu perſonæ quæ donantur, ab iis, quæ eidem eccleſiæ intuitu donantur, diſcernenda 140.1.
Clerico omnis proprietas bonorum temporalium non auferetur 140.2.
Clericum & patrimonium retinere & eccleſiæ bonis frui, piaculum fuit 9.1.
Clerici canonice viuere debent 73.1.
Clerici cibariis & veſtibus fruebantur ex communitate bonorum Eccleſiaſticorum 4 2.
Clerici duces cæci 33.1.
Clerici diuites qui & quomodo fuerint 8.1.
Clerici iuniores in vno loco alebantur & inſtruebantur 73.1.
Clerici laicorum opes venantur obſequiis 43.2.
Clerici non habent verum dominium in bona Eccleſiaſtica 74.1.
Clerici oblationes quomodo diſtribuerint 48 2.
Clerici omnes tenentur in ſuis beneficiis reſidere 121.2.
Clerici omnes in ipſa Eccleſia pſallere, & operi diuini cultus externi aſſiſtere tenentur 123.2.
Clerici Patres Monachorum 9.1.
Clerici paſſeribus ſimiles 49.2.
Clerici quomodo redditus Eccleſiaſticos diſpenſare debeant 25.1.
Clerici quomodo ad propriam confeſſionem redigendi 51.2.
Clerici ſub prætextu Eleemoſynæ diuitias quærebant 30.1.
Clericorum iniquitas 34.1.
Clericorum inſolentia 34.1.
Clericorum iuniorum diſciplina 73.1.
Clericorum luxus 34.2.
Clericorum ornatus 41.2.
Clericorum ſuppellex 34.1.
Clericorum ſuſtentatio 26.1.
Clericorum numerus pro Eccleſiaſticarum facultatum quantitate præſcribendus 128.2.
Clericorum libera teſtamenta in certis caſibus approbantur 143.2.
Clericorum teſtamenta ad pias cauſas à Papis immerito prohibentur 141.1.2.
Clericorum teſtamenta Concilia & Canones qua ratione prohibeant 140.1.
Clericorum vita communis eſſe debet 72.1.
Clericis licentia ad teſtandum conceſſa examinatur 141.2.
Clericis nullo modo licet habere quid proprium 74.2.
Clericis propriæ Eccleſiæ omnes dignitates conferantur 124.2
Clericis ſtipendia, ſecundum ſeruitij ſui meritum danda 121.1.
Clericatus à quocunque monacho fuit remotiſſimus 48.2.
Clericatus officio non niſi pauperes fungebantur 5.1.
Cluniacenſes de manuali monachorum labore 49.1.
Cluniacenſes monachi diſſolute vixerunt 52.2.
Cnutus magnus Angliæ Rex Romam aliquando ex deuotione profectus, coram Papa inter alia de annatarum exactionibus conqueſtus eſt 117.1.
Cæleſtinus Clericis iniuriam fieri ſcribit, ſi laici ad Epiſcopatus aſſumantur 124.1.
Cælum quare nunc æneum 15.2.
Cœnobitæ luxum amplexi ſunt & pietatem exuerunt 17.1.
Cœnobitæ multo magis ad paupertatem obligantur, quam Clerici 44.1.
Collatio beneficiorum quando & quomodo ad Canonicorum Capitula peruenerit 86.2.
Collationes fidelium in priori Eccleſia libera 4.2. *copioſiſſiſſima* 5.1.
Collatio ſimoniaca beneficiorum 91.1.
Collatio vera & propria beneficij eccleſiaſtici 88.2.
Collatoris ſeu Donatoris beneficiorum nomen per multa centena in Eccleſia inauditum 84.1.
Collatores circa perſonas beneficiandas quæ aduertere oporteat 118 2.
Commendas & penſiones iam fieri illegitimas demonſtratur 130.2.
Commendatio non facit Prælatum ſed Procuratorē 130.2.
Commendationum formula 130.2.
Commendationum omnium propria & intrinſeca natura 130.2.
Commendatarius ſuos fructus cum Hoſtienſi non poteſt conferre 131.1.
Commēdatarii fructus Eccleſiarum ſibi commendatarum an poſſint tuta conſcientia ad proprios vſus conferre 133.1. *nullum ponunt diſcrimen inter bona eccleſiaſtica & patrimonialia* ibid.
Commēdatarii militares an ſint in eadem obligatione cum reliquis commendatariis 133.2.
Commendatariorum bonorum officium 131.2.
Commendatariis abſolutum dominium datur, quam titulatis 131.1.
Commentum Gratiani de proprietate clericorum 75.1.
Commutatio decimarum 17.1.
Commutationes eccleſiaſticarum rerum cauendæ 68.1.
Concilium Agathenſe vnum Abbatem probibuit duobus præfici miniſteriis 125.2.
Concilium Baſileenſe abuſus Romanæ Curiæ, ſimoniacaſq; exactiones acuta falce ferro amputare conatum eſt 114.1.2.
Concilium Conſtantienſe decimas prohibuit 107.2.
Concilium Conſtantienſe ſummis viribus laborauit, vt Romana Curia tanquam ſimoniaca reformaretur 113.2.
Concilium Chalcedonenſe ordinationes abſolutas reſpuit 124.2.
Concil: Chalcedonenſe generali præcepto probibuit, ne alterius Eccleſiæ clericus in altera Eccleſia ordinetur 124.2.
Concilium Chalcedonenſe ſtatuit, non licere Clericum in duarum ciuitatum ſimul conſcribi Eccleſiis 125.2.
Concilium Lateranenſe commendas vehementer reprobauit 132.2.
Concilium Meldenſe Regem acriter ... pabat, quod monaſteria laicis daret in commendam 132.1.
Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario ſcandalum graue ab Romana ſimodia paſſum eſt 106.2.
Concilium Vrbani II. irritam habet ſine titulo factam ordinationem 124.2.
Concilium Tridentinum beneficiorum pluralitatem ſeueriſſime prohibuit 126.1.
Concilii Chalcedonenſis lex de Monaſteriorum vacantium commendatione 131.1.
Concilii Tridentini Patres radicem omnium malorum in Curia Romana fixam altiſſime tangere noluerunt 133.1.
Concilia quæ legitimum vſum Eccleſiaſticorum prouentuum docuerunt 26.1.

Concilia,

Concilia, quæ Eccleſiaſticam reformationem tentarunt, Romæ exploſa & pro conuenticulis declarata ſunt 112.2.

Concilia antiquiora de Clericorum officio 122.1.

Conciliorum antiquorum, de Eccleſiaſticorum reddituum diuiſione, decreta quantitatem diuiſionis determinant, modum non variant 78.1.

Conciliorum Canones de Presbyterorum & Diaconorum ordinatione 85.2.

Conciliorum inſtituta de diſpenſatione Eccleſiaſticorum bonorum 62.1.

Concilia præcipuam adminiſtrationem Eccleſiaſticorum bonorum Epiſcopis contulerunt 61.2.

Concionatoris finis duplex 113.2.

Conflictus Damaſii & Vrſicinii de ſede Epiſcopali 42.2.

Congiarium publicum tempore Conſtantini 7.1.

Conſecratio templorum 20.1.

Conſeruatio rerum Eccleſiaſticarum 37.1.

Conſtantinus poſt Concilium Nicænum ad prouinciarum præfectos de diſtribuendis eleemoſynis Eccleſiaſticis 7.1.

Conſtantinus Imperator lege publica vetuit ne ditiores clerici fierent 119.1.

Conſtantini Imp. Lex de aſſumendis Clericis 8.2.

Conſtitutiones Imperatorum de vſu Eccleſiaſticorum bonorum 27.2.

Conſtitutio Innocentii III. de mercede Eccleſiaſticorum 43.1.

Controuerſia inter Cantuarienſem & Eboracenſem Epiſcopum de primato à Papa callidis artibus fouebatur ac nutriebatur 97.1.

Controuerſiæ de rebus ſacris & ſpiritualibus Romæ diſceptantur contra veteres canones 115.2.

Conſuetudo circa clericorum teſtamenta quid poſſit 142.2.

Conſuetudo mala non minus quam vitioſa corruptela vitanda 125.1.

Conſuetudo oblationum Eccleſiaſticarum variata 6.2.

Conuerſionis difficultas 40.2.

Crudelitas Epiſcoporum Orientis 30.1. Purpurati Eccleſiaſtici 30.1.

Cupiditatis mala 34.1.

Curam Eccleſiaſticorum bonorum principes ſuſcipere debent 23.2.

Curia Romana Bullis & Annatis auaritiæ ſuæ turpitudinem obtegere conatur 102.2.

Curia Romana nihil abſque argento dat 102.1.

Curia Roma perpetuo inter Scyllam & Charybdim verſatur 107.2.

Curia Romana optimas ſacroſanctæ Eccleſiæ leges peruertit 130.1. fronte meretricia, quod iniuſtum & iniquum eſt, in oculis totius mundi efficit ibid.

Curia Romana expenſionibus viuit, ditatur & luxuriatur, 138.1.

Curiæ Romanæ artes, quibus Eccleſiaſtica pecunia ex tota pene Chriſti eccleſia emungitur, exugitur, hauritur, abſorbetur, ſunt innumerabiles 102.2. earundem officinæ ibid.

Curiæ Romanæ effugium vanum ſimoniaci criminis 109.1.

Curiæ Romanæ fœdiſſima axiomata 138.1.

Curiæ Romanæ morbus antiquiſſimus 102.2.

Curiæ Romanæ deformatiſſimæ reformatio non expectanda 115.1.

Curiæ Romanæ ſtylus iniquiſſimus 138.1. nouum ius induxit ibid.

Curiales lites inter beneficiarios & penſionarios legitime dirimere non poſſunt 138.1.2. eliciunt ſanguinem vbi lac non poſſunt emungere ibid.

Curiales non digni ſunt Eccleſiaſtico ſtipendio, quia Euangelium non annunciant 128.1.

Curialium officium an ſit totius eccleſiæ ſpirituale ſubſidium 124.1.

Curialibus ſtipendia vnde perſoluantur 138.2.

Cyprianus de abuſibus Epiſcoporum 20.1.

Cyprianus de adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum 62.2.

Cyprianus de auaritia Epiſcoporum 29.1.

Cyprianus de difficultate conuerſionis 40.2.

Cyprianus peccatores turpi lucro retractos Eccleſiæ facultatibus ſuſtentauit 24.2.

Cyrilli dictum de vita Eccleſiæ miniſtri 3.2. de vita miniſtrorum Eccleſiæ Cyrilli dictum 3.2.

D.

Decimæ omnium prouentuum quid 13.1.

Decimæ Eccleſiaſticæ quo iure nunc ſoluantur 14.1.

Decimæ humanæ donationis 16.2.

Decimæ iuris diuini 16.2.

Decimæ cœnobiis impropriatæ 17.1.

Decimæ Eccleſiæ miniſtris fideliter contribuantur 18.2.

Decimæ Emphyteutico iure exactæ 16.2.

Decimæ non neceſſariæ 14.2.

Decimæ vnde diminutæ 18.2.

Decimæ Leuitis vnde datæ 40.1.

Decimæ ſub præcepto morali & diuino naturali continentur 16.2.

Decimæ Prælatorum negligentia tranſierunt in perpetuum ad hæredes 17.1.

Decimarum abundantia 13.2.

Decimarum commutatio vnde facta 17.1.

Decimarum debitores, ſi fraudaſſe decimas inueniuntur, per laicas poteſtates puniendi 122.2.

Decimarum defraudatio 14.1.

Decimarum diſtributio 13.2.

Decimarum dominium 18.1.

Decimarum genus quatruplex 13.1.

Decimarum feudum qui habuerint 17.1.

Decimarum impropriationes diſſoluendæ 17.1.

Decimarum impropriationes, quando legitimæ 17.2.

Decimarum impropriationes cœnobiis factæ ſunt cõtra monachalia inſtituta 47.2.

Decimarum lex 13.1. vſus ibid.

Decimarum obligatio 14.1.

Decimarum rigor 18.2.

Decimarum ſeparatio 13.2.

Decimarum ſolutio in Eccleſia Chriſti antiquiſſima 16.1.

Decimarum vſurpatio 17.1.

Decimas eccleſiaſticas quis & cui primo dederit 12.1.

Decimationes gentilium non arbitrariæ 12.2.

Decimatio Tobiæ in captiuitate 15.1.

Decretum Aquiſgranenſis Concilii de Monachorum ſuſtentatione 46.1.

Decretũ Concilii Alemanienſis de vſurpatione decimarũ 18.1.

Decretum Concilij IV. Carthagienſis de victu clericorũ 7.1.

Decretum Carthaginenſe de autoritate Epiſcopali 41.1.

Decreta de annatis, vacantiis & communibus ſeruitiis tollendis ſint conformia legi diuinæ 114.1.

Debitum commune 13.1.

Debitum decimarum Eccleſiaſticarum quale 12.1.

Delectus inter Originarios & eiuſdem Eccleſiæ Clericos habendus 125.1.

Deputatio decimarum 15.2.

Deſcriptio Religioſorum 52.1.

Deuolutiones collationis beneficiorũ ad quos ſpectent 92.2.

Deuorare populum Dei quid 29.2.

Deus decimas in ſignum vniuerſalis dominii ſibi dari præcepit 15.1.

Deus decimas ſibi reſeruat titulo Dominii vniuerſalis 17.2.

Deus in miniſtris ſuis parſimoniam amat 13.2.

Deus præcipue curam gerit pauperum 16.2.

Deus quare nunc dare ſoleat terram ferream 15.2.
Diaconi in Eccleſia Hieroſolymitana electi 61.2 & eorundem officium ibid.
Diaconorum officium in primitiua Eccleſia 7.2.
Diaconi nummularii 64.1.
Diaconorum prima inſtitutio oſtendit vitam communem Verbi miniſtrorum 72.2.
Diaconi, tempore Hieronymi, Romæ erant nobiliores quam Presbyteri 128.2.
Dictum Chriſti Matth. 5. Qui percuſſerit, &c. de animi præparatione intelligendum 10.2.
Differentia inter dictum Chriſti Luc. 14. qui non renunciauerit, & Matth. 5. p. 10.1.
Differentia miniſtrorum Eccleſiæ 9.2.
Dimicationes circa dominium veſtium cibariorum & ſupellectilis mendicantium Franciſcanorum quomodo ſedandæ 59.2. 60.1.
Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus de antiqua Romanæ Eccleſiæ pietate & liberalitate 94.2.
Dionyſii Papæ Epiſtola apocrypha de præbendarum diuiſione 78.2.
Diploma Bonifacii 28.2.
Diſciplina eccleſiaſtica in cœnobiis turbata 33.1.
Diſcrimen inter ciuilem & Eccleſiaſticam Rempublicam 123.1.
Diſcrimen inter Monachos & Clericos 80.1.
Diſcrimen inter Clericos & Monachos circa vſum oblationum 46.1.
Diſpenſator optimus 30.1.
Diſpenſationis Papalis cauillus ſecuros multos reddit, tutum vero neminem 124.1.
Diſpenſationem iniquam qui petit, iniquitatis cauſa eſt, & qui ea vtitur, eadem ſemper irretitur iniquitate 124.1.
Diſputatio de voto paupertatis Apoſtolorum ocioſa 59.2.
Diſtinctio inter beneficia compatibilia & incompatibilia, inter curata & ſimplicia; inter reſidentiam requirentia & non requirentia, noua prorſus & olim inaudita eſt 127.1.
Diſtractio terrarum Eccleſiaſticarum 25.2.
Diſtributio decimarum 13.2.
Diſtributio redditLuum Eccleſiaſticorum 27.1.
Diues ad Eccleſiaſtica miniſteria qua ratione admittendus 119.1.
Diuiſio collationis menſtruæ in clerum 4.1.
Diuiſio vera Eccleſiaſticorum bonorum 75.2.
Diuiſio terræ Chanaan 40.1.
Documentum Proſperi de re ſtipendiaria eccleſiæ 27.1.
Doctores ſcholaſtici palpones 6.2.
Doctrinæ poteſtas 19.2.
Dominium bonorum Eccleſiaſticorum quem penes ſit 56.1.
Dominium & vſus in rebus conſumptibilibus diſtinguuntur 74.1.
Dominium conditionatum ſummæ paupertati non repugnat 61.1.
Dominium omnium rerum Eccleſiaſticarum quem penes ſit 61.1.
Dominium redditLuum Eccleſiaſticorum non ſolo iure humano, ſed potius diuino regulandum 6.2.
Dominium rerum Chriſto & Apoſtolis non prorſus negatur 60.2.
Dominium terræ Canaan quale Iſraelitis conceſſum fuerit 13.1.
Dominium terrenorum duplex 13.1.
Dominium temporalium & ſpiritualium in Romana Eccleſia multiplicatum 42.2.
Dominium vſufructuariorum 57.1.
Dominicus Sotus turpitudinem tot artium Romanarum in auro congregando, improbauit modeſte 102.2.
Donationes Eccleſiæ factæ ſunt conditionatæ 80.1.
Donatiſtarum Eccleſiaſticorum querela de fundis à Catholicis ſibi ablatis
Dotationes Eccleſiaſticæ 56.1
Duarenus abuſum beneficiorum pluralitatis pie deteſtatus eſt 20.2. 127.1.
Duarenus eorum excuſationē qui vicaria quorūdam ſacerdotum opera in obeundo opere ſuo vtuntur reijcit 123.1.
Duarenus ſtylū ſuum in Annatas exacuit vehemēter 116.1.
Dynaſtæ Eccleſiæ 33.1.

E.

Eccleſia à pauperibus & abiectis fundata 40.2.
Eccleſia donata prædia retinuit contra Apoſtolicam inſtitutionem 58.1.
Eccleſia eſt columba 56.1.
Eccleſia eſt ſola bonorū omniū eccleſiaſticorū domina 145.2
Eccleſia Gallicana Baſileenſis Concilii ſalutifera decreta auidiſſimus vlnis amplexa eſt 115.1.2.
Eccleſia Hieroſolymitana exemplar cæterarum omnium poſt illam fundatarum 61.1.
Eccleſia non reddit præmium laboranti, ſed tantum præſtat neceſſaria indigenti 8.1.
Eccleſia non indiget Autoritatiuo, & Sedente, Titulato & Gubernatore, ſed miniſtro & operario actuali 123.2.
Eccleſia per multa ſecula abuſum circa adminiſtrationem bonorum temporalium vidit 67.2.
Eccleſia primitiua oblata prædia propter miniſtrorum & pauperum vſum vendidit 22.1.
Eccleſia primitiua cui regimen Eccleſiaſticorum bonorum dederit 61.1.
Eccleſia quomodo bona in communi poſſideat 41.1.
Eccleſia Romana multos ad ſacros non admittit ordines, niſi ad titulum patrimonii 8.1.
Eccleſia Romana, ſe non tam matrem exhibet aliis eccleſiis quam Nouercam 99.1.
Eccleſia Romana ne reformationi ſubderetur, Concilium Conſtantienſe & Baſileenſe turbauit & impediuit 15.1
Eccleſia Romana prohibitiones pluralitatis beneficiorum non ad euitandum abuſum turpiſſimum, ſed ad occaſionē lucri ex diſpenſationibus proponit & inducit 127.2.
Eccleſia Romana potentia & diuitiis maior, virtutibus minor 31.1.
Eccleſia ſine Monachis poteſt ſubſiſtere 80.1.
Eccleſia ſub iugo adhuc ſeruitutis & captiuitatis, ſimoniacam labem & multas alias Romanas abominationes tollerare cogitur 111.1.
Eccleſia vniuerſalis nunquam deficere poteſt 57.1.
Eccleſia vniuerſalis dominium particulare in bona particularium Eccleſiarum exercere non poteſt 58.2.
in Eccleſiam quando venenum magnum effuſum 148.2.
Eccleſiæ Clericales an poſſint ordinibus militaribus donari 133.2.
Eccleſiæ facultates non propriæ ſed communes 62.2.
Eccleſiæ magna fit læſio vbi vnus plures regit 128.1.
Eccleſiæ miniſtri ex iuſtitia diſtributiua non ſola neceſſaria poſtulant, ſed etiam nonnihil plus ad modeſtam commoditatem 128.1.
Eccleſiæ nomine totus cœtus fidelium intelligitur 58.1.
Eccleſiæ offerre pecuniam, an pauperibus, quid magis conferat 38.1.
Eccleſiæ omnes extenuantur, ſi Papa ſolus & Curiales abundent 100.1.
Eccleſiæ ornatus precioſiſſimus 38.1.
Eccleſiæ penu 44.1.
Eccleſiæ prædia quo titulo ad aliena iura transferenda 68.1
Eccleſiæ multæ vnde deſolatæ 131.2.
Eccleſiæ Præſules nil præter victum & veſtitum habere oportet 40.2.
Eccleſiæ priorum priuilegia à Ro. Pontificib. conculcata 62.1.
Eccleſiæ primitiuæ facies quatenus immutata 22.1.

Eccleſiæ primitiuæ miniſtri cur & quando decimas exegerint 16.1.
Eccleſiæ primitiuæ ſplendor 38.2.
Eccleſiæ primitiuæ vſus ad Monachos non ſpectat 49.1.
Eccleſia priuata Romæ extructa 38.1.
Eccleſiæ Romanæ antiquiſſimi canones pedibus teruntur & conculcantur 68.1.
Eccleſiæ Romanæ, tempore Cornelij, liberalitas 95.1.
Eccleſiæ Romanæ plumbum 101.2.
Eccleſiæ redditus in nimio templorum ac ſupellectilis ſacræ fulgore non impendendi 37.2.
Eccleſiæ redditus in quatuor partes antiquitus diſtributi 75.2.
Eccleſiæ redditus in quibus rebus expendendi 77.1.
Eccleſiæ redditus pueris & infantibus, qua ratione attribui poſſint 137.2.
Eccleſiæ ſumptus vtiliſſimi 38.1.
Eccleſiæ tempora periculoſa 33.1.
Eccleſiæ Terracinæ vacantis ad Eccleſiam Fundariam vnio 131.1.
Eccleſiæ theſauri 37.2.
Eccleſiæ theſauri quomodo cuſtodiendi 67.1.
Eccleſiæ vacantes quibus antiquitus commendata ſint 130.1.
Eccleſiæ vaſa precioſa 38.1.
Eccleſiarum adminiſtratio feliciſſima 127.1.
Eccleſiarum fructus penſionibus grauantur 137.1.2.
Eccleſiarum iura ad Epiſcopi ordinationem pertinent 62.1.
Eccleſiarum pompa minuenda 77.2.
Eccleſiarum res initio vnde locupletata 4.1.
Eccleſiis vacantibus modus prouidendi antiquus, vt fuit bonus, ſic ex hominum malitia amplum aperuit aditum ad fraudes, calliditatem & dolos 130.2.
Eccleſiaſtica bona alienanda in beneficium Clericorum, captiuorum & peregrinorum 66.1.
Eccleſiaſtica bona quomodo curanda 63.2.
Eccleſiaſtica beneficia quibus danda 121.1.2.
Eccleſiaſtica ſtipendia benemeritis Eccleſiæ per precarias concedenda 66.2.
Eccleſiaſticus nouit diſcrimen inter lepram & lepram 111.1.
Eccleſiaſtico viro olim quis finis, quod medium 9.2.
Eccleſiaſtici errores, quos corrigere debent, imitantur 42.1.
Eccleſiaſtici integram decimam omnium redditaum à Laicis repoſcere non debent 40.1.
Eccleſiaſtici multi cum vxore Lothi retroſpiciunt 9.2.
Eccleſiaſtici à palliis ad Diadema emergunt 41.1.
Eccleſiaſtici ſe reuerendos faciunt actu, non faſtu 40.2.
Eccleſiaſticorum auaritia 35.1.
Eccleſiaſticorum auaritia fruſtra legibus compreſſa 43.2.
Eccleſiaſticorum bonorum voragines 120.2.
Eccleſiaſticorum otioſorum & indiſciplinatorum turba plurima 128.2.
Eccleſiaſticorum morbus 43.2.
Eccleſiaſticorum proprium 7.2.
Eccleſiaſticorum ſuperflua familia patrimonium Eccleſiæ comedit 126.2.
Efficacia verbi diuini 34.1.
Eleemoſyna Eccleſiaſtica quomodo adminiſtrata fuerint 4.2.
Eleemoſyna ex iuſtitia debita 16.2.
Eleemoſynarum largitas 38.2.
Eleemoſynarij bonorum Eccleſiaſticorum 82.2.
Emeritenſis Concilij decretum de diuiſione Eccleſiaſticorum redditaum 76.2.
Epiſcopus alienum Clericum accipere aut promouere non poteſt 124.2.
Epiſcopus ex bonis Eccleſiæ paſcitur ipſe & pauperes paſcit 62.2.
Epiſcopus ex Clero antiquitus deligebatur 85.2.
Epiſcopus in ſua diœceſi poteſtatem habet Eccleſiaſtica bona alienandi 64.1.
Epiſcopus ſi ſuperflua in profanos vſus abſumit, ad reſtitutionem obligatur 82.1.
Epiſcopo in tribus caſibus Eccleſiæ vaſa confringere & diſtrahere licet 67.2.
Epiſcopi carent ſacerdotalibus virtutibus 39.1.
Epiſcopi decimas iuſte diſtribuere debent 62.2.
Epiſcopi de plebis & Laicorum conſenſu electi 88.1.
Epiſcopi diſpenſatores bonorum Eccleſiaſticorum habere debent 63.1.
Epiſcopi Eccleſiaſticas poſſeſſiones abſque ſubſcriptione Clericorum commutare non debent 64.2.
Epiſcopi hæreticorum mores induerunt 29.2.
Epiſcopi in primitiua Eccleſia ex proprio diuites Eccleſiæ bonis non ſuſtentabantur 8.1.
Epiſcopi in primitiua Eccleſia in omni officio Apoſtolis ſucceſſerunt 61.2.
Epiſcopi habent poteſtatem fundandi monaſteria Monachorum 66.1.
Epiſcopi Lundonienſis ambitio 99.1.
Epiſcopi magnam curam de minimis, paruam de maximis gerunt 64.1.
Epiſcopi moderni deliciis occupati gregis Dominici damna non curant 30.2.
Epiſcopi moderni Leonibus rugientibus ſimiles 30.2.
Epiſcopi non debent viuere ceu alij Magnates 39.2.
Epiſcopi non incedere debent more principum 41.1.
Epiſcopi non debent eccleſias fundare ſine Monachis ad magnificandas ſuas ſepulturas 66.1.
Epiſcopi Procuratores rerum alienarum 75.1.
Epiſcopi quæ Eccleſiæ auferant 77.2.
Epiſcopi quomodo res Eccleſiaſticas conſeruare debeant 37.1.
Epiſcopi quomodo diœceſes ſuas regere debeant 37.1.
Epiſcopi quomodo in officio retinendi 65.1.
Epiſcopi quomodo Eccleſiaſticis bonis vti debeant 62.1.
Epiſcopi quomodo nunc gratiam Romanæ curiæ aucupentur 95.1.
Epiſcopi de mala bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione à quibus corripiendi 63.1.
Epiſcopi ſiue ſynodi prouincialis notitia remunerationes bene meritis de Eccleſia facere non debent 66.2.
Epiſcopi ſimilimi conuiuis 82.1.
Epiſcopi ſunt Collatores beneficiorum Eccleſiaſticorum 84.2.
Epiſcopi ſunt ordinarii beneficiorum omnium ſuæ diœceſis Collatores 86.1.
Epiſcopi ſunt veri & proprii Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratores 63.1.
Epiſcopi ſuperflua quomodo ſubdiuidenda & diſtribuenda 81.2.
Epiſcopi vnde & quomodo viuere debeant 6.2.
Epiſcopi temporali lucro & ſacris miniſteriis inhiare non debent 29.1.
Epiſcopi teſtamentum quando ratum haberi poſſit 148.2.
Epiſcoporum auaritia manus fidelium contraxit 21.1.
Epiſcoporum cuſtodes 41.2.
Epiſcoporum eſt Bullas Pontificum examinare 71.2.
Epiſcoporum eſt omnia Eccleſiaſtica munera diſtribuere 85.1.
Epiſcoporum felicitas 34.2.
Epiſcoporum prioris Eccleſiæ paupertas 7.2.
Epiſcoporum ambitio 35.1.

Epiſcoporum poteſtas in rebus Eccleſiaſticis 26.2.
Epiſcoporum ſtudium in colligendis opibus reprobandum 37. 1.
Epiſcoporum ſuperflua pompa multitudinem ſacerdotum inutilem, imo contemptibilem parit 128.2.
Epiſcoporum veſtimenta 83.1. famulitium ibid.
Epiſcoporum vita qualis fuerit 4.2.
Epiſcopis circa vſum vel abuſum Eccleſiaſticorum bonorum, quæ euitanda 82.3.
Epiſcopis diœceſes ſuæ quando viſitandæ 76.2.
Epiſcopis inſciente ſynodo Eccleſiæ prædia vendere non licet 64.2.
Epiſcopis tertia pars Eccleſiaſticorum redituum aßignata 76.1.
Epiſcopalis inſtitutionis fundamentum 123.1.
Epiſcopatus legitimum deſiderium non ad dignitatem, ſed ad opus referendum 123.2.
Epiſcopatus prouentus vendere peculiari precio ſimonia eſt: Plane ſicut ſimonia eſt calicem ſanctificatum accepto certo precio propter annexam conſecrationem vẽdere 110.1.
Error Ioan. Wicleff. de decimis 18.1.
Error Melchiadis de poſſeßione prædiorum in Eccleſia 20.1.
Eugenius Papa reformationem Eccleſiaſticam detrectauit: ſibi à patribus Concilij Baſileenſis leges imponi nequaquã paſſus eſt 114.2.
Exactio decimarum legitima 18.2.
Executio debiti communis 13.1.
Expenſæ Eccleſiaſticæ quibus diſtribuendæ 27.1.
Expenſæ Eccleſiaſticorum redituum 77.1.
Expectatiuæ maximas in Eccleſiam turbationes inuexerunt 90.1.
Explicatio vaticinii de Tyro 25.1.

F.

Facti vſus 60.2.
Facultatum Eccleſiaſticarum direptores Iudæ proditori ſimiles 55.2.
Faſtus Clericorum 34.2.
Felicitatis Chriſtianæ tempus 25.1.
Feudum decimarum qui habuerint 17.1.
Feudum Deo debitum 13.1.
Feudum ex fructibus Deo debitum 15.1.
Feudum in decimis conſiſtit 15.1.
Fidelium manus quare iam contractæ 9.2.
Fidelium oblationes quatenus ad Monachos ſuſtentandos pertineant 45.2.
Fidelium tempore Apoſtolorum liberalitas 19.2.
Finis propter quem temporalia Eccleſiæ data 36.2.
Fiſcus tollit, quod Chriſtus non accepit 14.1.
Franciſci Duareni ſententia de diplomatibus Romani Pontificis, 102.1. de artibus Romanæ curiæ ibid.
Franciſcanorum ordo reprobatus 59.2.
Fridericus Imperator Legatos Adriani quarti à finibus terræ ſuæ quare exire iuſſerit 101.1.
Fructus diuitiarum in Romana Eccleſia 42.2.
Fructus terræ Eccleſiæ non abſque pecunia commedendi 6.2.
Frumentum à piis Imperatoribus Eccleſiis Libyæ præſtitum 4.1.
Fuga vera ſacerdotis 6.1.
Fulgor templorum Epiſcopalium ab oratoriis Monachorum excludendus 39.1.
Fulco Andegauenſis comes raptor multorum bonorum Eccleſiæ Turonenſis, cum Papa ſuper ſuis rapinis, data ei ſatis magna copia auri, compoſuit 97.1.
Fundamentum beneficiorum 19.1.
Fundamentum præcipuum ſuſtentationis Eccleſiaſticæ 121.
Fundationes beneficiorum 20.1.
Fures & ſacrilegi ſimul qui 24.1.
Frugalitas Eccleſiaſtica 40.2.

G

Gelaſius Papa de conſecratione templorum 20.1.
Gelaſius Papa Eccleſiæ reditus & oblationes in quatuor partes diuiſit 77.1.
Gerſon de abuſibus Papalis poteſtatis 90.1.
Gerſonius annatarum exactiones, qua ratione, iniuſtas pronunciauerit 108.1.2.
Gerſonius Romanam Eccleſiam reformatione indigere probauit, 126.2. beneficiorum pluralitatem taxauit ibid.
Gentiles debitum Dei à vero Deo in falſa numina tranſtulerunt 13.1.
Genus decimarum quatruplex 13.1.
Germanorum Apoſtolus 15.1.
Gloria Epiſcopi 30.1.
Gerſonius auarum Eccleſiaſticum Iudæ proditori comparat 7.2.1.
Gerſonij ſententia de iuſtitia & decentia Annatarum reprobatur 109.1.
Gratianus quibus Clericis proprietatem conceſſerit 74.2.3.
Gregorius beneficiorum reditus ſibi non niſi ad ſolas neceſſitates, & pro laborum tantum meritis deberi cenſuit & aſſeruit 121.1.
Gregorius de obligatione decimarum 14.2.
Gregorius decimus alienationes Prælatorum confirmauit 69.1.
Gregorius decimus beneficiorum pluralitatem prohibuit 126.2.
Gregorius Magnus Epiſcopalia priuilegia ſemper intacta ſeruari voluit 89.1.
Gregorius Magnus abuſum circa pallij traditionem ſuſtulit 104.2.
Gregorius Magnus rem cenſuit eſſe abſurdißimam, ſi Clerici Monachorum præeſſent monaſteriis, 132.1. prohibuitque ne Clerici haberent poteſtatem accedendi ad monaſteria, niſi ad orandum ibid.
Gregorius Magnus legitimas admiſit alienationes 68.1.
Gregorius maluit rapinam bonorum ſuſtentare, quam litigare 135.2.
Gregorius Papa de presbyterorum ordinatione 84.2.
Gregorius proprietatem à Clericis auferebat 74.2.
Gregorius ſecundus de redditibus Eccleſiæ quatuor fecit portiones 77.1.
Gregorii ſeptimi decretum de oblationibus Eccleſiaſticis 4.1.
Gregorii VII. querimonia de iniuſta decimarum vſurpatione 18.1.
Gregorii ſeptimi decretum de alienationibus 68.1.
Gregorius ſextus propter ſolam ſimoniam ſe abdicare Pontificatu coactus fuit 107.2.
Gregorii de officio & præmio Eccleſiæ miniſtrorum dictum elegantißimum 6.1.
Gregorii Magni decretum de euitanda Simonia 103.2.

H.

Habenti dare, nihil aliud eſt, quam perdere 74.2.
Habitatio communis in contubernio non debet eſſe quorum eſt diuerſa profeßio 132.2.
Henricus ſecundus Imperator religioſißimus Archipræſules & Pontifices omnes in ſuo Imperio admonuit, vt bene diſponerent, quod male, per ſimoniam, accepiſſent 117.1.2.
Hermaphroditi ſunt Pſeudo Monachi 50.1.
Hilarius de portione miniſtrorum Eccleſiæ 5.2.
Hilarius Papa de alienationis licentia 67.2.

Hiero-

Hieronymus de auaritia Eccleſiaſtica 30.1.
Hieronymus de Monachorum auaritia 52.1.
Hieronymus de exactioni decimarum 18.2.
Hieronymus de ignominia ſacerdotum 7.2.
Hieronymus de paupertate ſacerdotum 5.2.
Hieronymus de ſacerdotibus ante legem Moſaicam 13.1.
Hieronymus de vſu decimarum 13.2.
Hieronymus de vaticinio Tyri 25.1.
Hieronymus monet, ſacerdotium non ſanguini deferendum eſſe, ſed vita; & abuſum deflet, quo in impetrandis ſacerdotiis amor, obſequia & munera dominarentur 120.2.
Hieronymus quales in album ſuorum miniſtrorum adſcripſerit 7.2.
Hilarius Clericatum aſſumpturus omnia ſua pauperibus erogauit 8.1.
Homo actuoſum non otioſum corpus habeat 44.2.
Honor eſt teſtimonium virtutis 42.1.
Honor presbyteri 4.2.
Hoſpitum ſtipendia 76.1.
Hoſpitalitas Romanæ Eccleſiæ ſub Papa Martino 95.1.
Humilitas cordis contritione laboris acquiritur 47.1.

I.

Iacob à quo didicerit decimas ſacerdoti Dei altiſſimi dandas eſſe 13.1.
Iacobus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primus Epiſcopus 61.1.
Ieſuitarum collegia imminuenda 50.2.
Ieſuitæ in domibus profeſſis ſcholas aperire debent 51.1.
Ignominia ſacerdotum 7.2.
Imperatores Orientales nimiam Monachorum ditationem ægre tulerunt 51.1.
Indulgentiæ venales 25.2.
Indumenta mollia, animi mollitiem indicant 54.2.
Infeudatio decimarum 17.1.
Initium prædiorum poſſidendorum in Eccleſia 20.1.
Innocentius tertius quas alienationes approbauerit 68.2.
Innocentius tertius de ordinaria poteſtate Epiſcopi 89.1.2.
Innocentius tertius beneficiorum pluralitatis abuſum in pluribus Eccleſiis increpauit, 126.1.2. pluralitatum prohibitiones in Concilio Lateranenſi innouauit, pænaſq; impoſuit priuationis beneficiorum accipienti, & priuationis poteſtatis conferendi collatori ibid.
Innocentius tertius abſolutas ordinationes fatetur irritas eſſe & inanes 124.2.
Innocentius tertius quod de Monaſtici ordinis conſeruatione docuit, facto etiam confirmare ſtuduit 131.2.
Innocentij primi ad Decentium Eugubinum reſcriptum de fidelium oblationibus 4.1.
Innocentius quartus alienationes decimarum reuocat 69.1.
Inueſtiti de Eccleſiis per curiam Romanam ſunt ſimoniacè inueſtiti, 111.1.2. eorundem excuſationes infirmiſſimæ ibid.
Inſtitutio monaſtica debet eſſe perpetua 48.1.
Intentio bona malum in ſuo genere non corrigit, 113.1.
Intentio occulta contractum externum eſſentialiter non variat 113.2.
Ioannes Driedo abuſus Romanæ Eccleſiæ libere arguit, 36.1.
Ioannes Gerſonius de Eccleſiaſticorum auaritia, 35.1.
Ioannes Gerſonius de ſumptibus Prælatorum, 39.1.
Ioannes piiſſimus in Monachos illiberalis in pauperes beneficentiſſimus 47.1.
Ioannes Sareſberienſis Thomæ Cantaurienſis Epiſcopi à ſecretis Cardinalium perditos mores taxauit, 99.1. querelas publicas de Papa & Romana Eccleſia Adriano IV. pontifici retulit, 99.2. Romanæ curiæ auaritiam ſugillauit 100.1.2.
Ioannes XXII. Franciſcanis dominium rerum vſu conſumptibilium conceſſit 60.1.
Ioannis Chryſoſtomi dictum de prouentu Eccleſiæ Antiochenæ 4.2.
Ioannis Chryſoſtomi de prædiis Eccleſiaſticis eorundemq; adminiſtratione locus pulcherrimus 22.1.
Ioannis Wicleffi de decimis error refutatur 18.1.
Iſaacius Imperator Romanæ curiæ auaritiam moderatus eſt 116.2.
Iſchyrion Diaconus Alexandrinus quæ & quanta Epiſcopo ſuo exprobrauerit 4.1.
Iudæi quando terræ ſterilitate puniti, 15.1. fæcunditate ditati ibid.
Iudæi quando ab obligatione decimarum liberi fuerint 15.1.
Iudices Romanæ Eccleſiæ Lupis Arabiæ ſimiles 30.2.
Iugum intollerabile Romani Pontificis excutiendum 92.1.
Iuo Carnotenſis, iuris Canonici peritiſſimus ſimoniacum eſſe arbitratus eſt, ſi pro calamo & charta, vi conſecrationis, aliquid acciperetur 104.1.
Iuramentum non eſt vinculum neceſſitatis 71.1.
Iuramenti Epiſcopalis explicatio 71.1.
Iuris vſus 60.2.
Iuriſconſulti parum ſapientes Papam Dominum fecerunt abſolutum omnium beneficiorum 88.1.
Iuriſconſultorum, Duareni tempore de annatarum ſolutione opinio 116.1.
Iuriſtarum ſubtilitates in Eccleſiam, poſtquam temporalibus aucta eſt emolumentis, irrepſerunt 125.2.
Iuriſdictio Pontificia quomodo degenerauerit 102.1.
Iuriſdictio in Eccleſia nulla eſt, ſed nudum miniſterium, ſeruitium & opus 123.2.
Ius decimarum Eccleſiaſticarum quale 12.1.
Ius patronatus 17.2.
Iuſtitia regula virtutum 99.2.
Iuſtinianus Imp. alienationes Eccleſiaſticorum bonorum in Oriente & Occidente prohibuit, 69.1.2. certis legibus permiſit ibid.
Iuſtinianus Imperator lege Eccleſiam à ſordibus ſimoniacis perpurgare aggreſſus eſt 116.2.
Iuſtinianus Imperator de dotatione Eccleſiaſtica 21.1.
Iuſtiniani Imperatoris lex de remotione Clericorum 121.1.2.
Iuſtinianus Religioſiſſimus Imperator opus à Clericis & opus publicum in Eccleſiis à quibus alebantur, merito requiſiuit 123.2.

L.

Laici ad nullum Eccleſiaſticum officium promouendi 124.2.
Laici qui ad Epiſcopatum aſpirant, alienum honorem ambiunt 124.2.
Laici ſi ſimoniam agnoſcerent, illam recuſatione miniſtri ſimoniace promoti, impedirent 111.2.
Laicorum Charitas vnde refrigerit 23.2.
Leges Conſtantini Imp. de aſſumendis Clericis 8.2.
Leges contrariæ de Eccleſiæ bonis 22.1.
Leges Principum de vero vſu bonorum Eccleſiaſticorum 27.1.
Legati Romanæ Eccleſiæ alias Eccleſias & monaſteria grauabant impenſis & extorſionibus attenuabant 100.1.

Legatorum Papæ pecunia corruptorum turpiſſima 98.2.
Leo primus Imp. alienationes rerum immobilium Eccleſiæ maioris Conſtantinopolitanæ ſub certis pœnis prohibuit 69.1.
Leo Imperator huius nominis primus Papalem lepram lege curare non deſtitit 116.2.
Leo decimus commendarum morbum agnouit, ſed ne curaretur impediuit 132.2.
Leonis ſecundi conſtitutum de euitanda Simonia 104.1.
Leonis vndecimi confeſſio de turpiſſima vita ſuorum prædeceſſorum 96.2.
Lex Conſtantini de poſſeſſione prædiorum in Eccleſia 20.1.
Lex decimarum 13.1.
Lex de Laicorum hæreditatibus 43.2.
Lex Iuſtiniani Imp. de bonis Eccleſiæ 22.1.
Lex Nicephori de non augendis latifundiis monaſteriorum 51.1.
Liberalitas Auguſtini in pauperes 6.1.
Liberalitas auditorum quomodo excitanda 23.2.
Lis autori de decimis mota 182.
Liberalitas fidelium tempore Apoſtolorum 19.2.
Liberi & literis & moribus informandi 125.1.
Litium tricæ in Eccleſia non tollerandæ 135.2.
Locus elegantiſſimus Chryſoſtomi de prædiis Eccleſiaſticis 22.2.
Loculi Chriſti 18.2.
Locupletatio Eccleſiaſticorum minuit decimas 23.2.
Lucius tertius ſtatuit, vt qui Romæ beneficium peterent, exprimerent prius, ſi quod aliud beneficium obtinerent, alio quin noui impetratio nulla eſſet 126.1.
Ludouicus Francorum Rex annatarum exactiones in regno ſuo colligi noluit 117.1.
Luxus Cœnobitarum 17.1.
Luxus humanus rapuit ad ſe Chriſti ſacerdotes 40.2.
Luxuria ſæcularium 34.2.

M.

Mala ex retentione prædiorum in Eccleſia orta 23.2
Malum auaritiæ quando Chriſti miniſtros turbare cœperit 29.1.
Mammona iniquus 37.2.
Mandata ſpecialia Canonicorum 191. *Clericorum & Monachorum* ibid.
Mandata in nouo Teſtamento duplicia 10.1.
Manuel Commenus Nicephorianam legem de non augendis latifundiis à Baſilio ſublatam innouauit 51.1.
Manuelis Commeni monaſterium vbi & quomodo fundatum 51.
Maiores noſtri vnde copiis omnibus abundauerint 13.2.
Mater inſolentiæ clericalis 34.1.
Mathematica cum Theologia comparatio 1.
Marcellinus Gentilis de ſchiſmate Damaſi 42.2.
Martha neceſſaria Mariæ 47.1.
Martinus quintus ſimoniace promotos ab exercitio ſacro arcendos eſſe declarauit, 113.2. *omnibus Prælatis, etiam ſibi, abſtulit poteſtatem imponendi onera ſuper Eccleſias* ibid.
Matiſconenſe ſecundum Concilium de obligatione decimarum 14.2.
Matiſconenſis Concilij decretum de Altaris oblationibus 4.1.
Melchiadis error de poſſeſſione prædiorum in Eccleſia 20.1.
Mens aſſueta delitiis 34.1.
Mens hominis excæcatur terrenis 1.
Mercaturæ infames curiæ Romanæ 90.2.
Merces miniſtrorum verbi debet eſſe vniuerſalis non arbitraria 16.1.
Merces miniſtri Eccleſiæ duplex 8.
Milites religioſi fructibus commendatis quomodo vti debeant 134.2.
Miniſter Eccleſiæ auarus Iudæ proditori ſimilis 7.2.
Miniſtri Eccleſiæ diuitiis & opulentia quatenus abſtinere debeant 5.1.
Miniſtri Eccleſiæ ſunt egentes, & multos tamen locupletant 9.2.
Miniſtri prioris Eccleſiæ oblationes, per quas ſuſtentabantur autoritatiue non exegerunt 7.1.
Miniſtri primitiuæ Eccleſiæ quare decimas non exegerint 16.1.
Miniſtrorum Eccleſiæ vita qualis eſſe debeat 4.2.
Miniſterij ſacri collatio ab exactione annatarum non pendet 111.1.
Miſſa Parochialis quando & vbi celebranda 119.1.2.
Miſſarum priuatarum abuſus 129.1.
Miſericordia peruerſa tribuere victum Monachis otioſis 46.2.
Miſtura ex Monachiſmo & Clericatu facta 49.2.
Modeſtia Paſchaſij Epiſcopi 41.2.
Moguntinenſis Concilii Canon de vita communi Clericorum 73.1.
Monachus qui non laborat Latroni par iudicatur 47.2.
Monachus teſtari non poteſt 141.1.
Monachi ad opes, quibus iam fruuntur, quomodo peruenerint 50.2.
Monachi à Sarabaitis diſtinguuntur 47.1.
Monachi antiqui ex propria electione ſibi ſtatuerunt regulas 48.2.
Monachi antiqui quam artem mechanicam exercuerint 48.2.
Monachi Clericatum amplexi ſunt 50.2.
Monachi diœceſis Ambianenſis in manifeſta fraude deprehenſi à Paſchali ſecundo largitione munerum victoriam contra Epiſcopum ſuum obtinuerunt 97.1.
Monachi dictum Pauli 2. Theſ. 3. *de opere ſpirituali imperite explicauerunt* 45.2.
Monachi ditiores quam ſæculares 52.1.
Monachi diuites laicos pauperes alere debent 55.1.
Monachi ex bonis patrimonialibus in communi viuere non debent 49.1.
Monachi ex labore manuum viuere debent 44.1.
Monachi ex incultis ſyluis culta prædia faciebant 49.1.
Monachi in numero pauperum Chriſti reponuntur 45.2
Monachi moderni ne veſtigium quidem veri Monachiſmi habent 52.2.
Monachi non ocioſi, ſed actuoſi eſſe debent 46.1.
Monachi nullum ius habent in oblationes fidelium, 461. *non Eccleſiæ bonis, ſed propriis laboribus ordinarie ſuſtentari debent* ibid.
Monachi, ob deſidiam, monaſteriis pulſi 46.2.
Monachi opere rurali victitarunt 47.1.
Monachi oratione & pſalmodia in manuali opere non impediuntur 45.2.
Monachi Paulinum amplexi ſunt viuendi laborem 45.1.
Monachi propria retinentes à ſua regula diſcedunt 48.2.
Monachi potius aliorum indigentiis ſubuenire, quam aliunde opem expectare debent 44.2.
Monachi, quare rebrachiatoriis vſi 47.1.
Monachi quomodo ad propriam confeſſionem redigendi 51.2.
Monachi quomodo ſæculo renunciare debeant 52.1.
Monachi ſub habitu hypocritæ 52.1.
Monachi ſub religionis titulo exercuerunt iniuſta compendia 53.1.
Monachorum affabilitas 53.1.
Monachorum magnates diuitiarum, quas adminiſtrant, ſatis bonam partem in os Lupæ iniiciunt 55.1.

Mona-

Monachorum vigilantia 53.2.
Monachorum abuſus circa bona temporalia 44.1.
Monachorum auaritia 52.1.
Monachorum defectus oblationibus populi ſupplebantur 48.2.
Monachorum diſcretio 53.1.
Monachorum impoſture 52.1.
Monachorum indumenta 54.1.
Monachorum Mendicantium ſegnities 55.1.
Monachorum modernorum deſcriptio 53.1.2.
Monachorum prædia dilatata 50.2.
Monachorum pſalmodia 45.1.
Monachorum regula ordinaria 44.2.
Monachorum ſobrietas 53.2.
Monachorum ſanctitas 54.2.
Monachorum teſtamenta improbantur 144.1.2.
Monachorum tria propria 47.2.
Monachorum vnanimitas 54.1.
Monachorum vera profeſſio 50.1.
Monachis abſq; graui neceſſitate temporalia non ſubminiſtranda 46.2.
Monachis veris ex ordinaria mendicatione viuere non licet 49.2.
Monaſterium Cluniacenſe diſſolutum 49.2.
Monaſteria ex commendis tam in ſpiritualibus, quam in tẽporalibus grauiter læduntur 132.2.
Monaſteria laicis non danda in commendam 132.1.
Monaſteria Monialium diſſolutarum quibus tradenda 131.2.
Monaſteria non debent vltro fieri ſæcularia habitacula 131.1.
Monaſteria multa vnde diſſoluta 131.2.
Monaſteria nõ habent licentiam augere ea, quæ ab ipſis bodie poßidentur 52.1.
Monaſteria opulentiſſima Clericis, Laicis, ſæpiſſime pueris commendata 131.2.
Monaſteria quomodo ditata 49.2.
Monaſteria vbi & vnde ædificanda 51.2.
Monaſteriorum antiquorum conſuetudo 48.1.
Monachatus naufragium 50.2.
Monachiſmus in Clericatum conuertitur 48.2.
Monachiſmus antiquus diſruptus 49.2.
Monaſtica profeſſio 45.1.
Monſtrum papalis poteſtatis 88.1.
Mordacitas Baronis in principes 27.2.
Mores Clericorum 31.1.
Mulieres piæ proprijs facultatibus Apoſtolos ſuſtentarunt 3.1.
Myſterii vocabulum, Apocal. 17. quid denotet 147.1.

N.

Nauarri ſententia & cauilla de ſpolijs Clericorũ 147.2.
Nazianzenus de mercede miniſtrorum verbi 5.2.
Nazianzenus de abuſu prælationum 29.2.
Negociationes Tyri 25.1.
Negotia Eccleſiaſtica quomodo Romæ tractentur 95.2.
Nicephorus donationes monaſterijs atq; templis relictas aboleuit 51.1.
Nicolaus Clemangis Doctor Pariſienſis auaritiam & malitiam Pontificis Romani ex animo deteſtatus eſt 101.2.
Nicolaus Cuſanus Cardinalis reformationis Romæ curiæ fuit cupidiſſimus 90.2.
Nicolaus Franciſcanis vſum facti in rebus conſumptibilibus conceßit 60.1.
Nicolaus Pontifex à Carolo Rege reſtitutionem Eccleſiaſticarum rerum audacter petijt 27.1.
Nicolaus quintus acta & geſta Cõcilii Baſileenſis interdum ſecutus eſt 115.2.
Nicolaus ſecundus de vita communi Clericorum 73.2.
Nicolaus II. de diſtributione Decimarum 62.2.
Nicolai ſecundi propoſitio de plenaria papali in omnia Eccleſiaſtica beneficia poteſtate Euangelio eſt contraria 87.2.
Nundinæ ex Monachorum habitu facta 55.1.
Nundinationes Romanenſium 43.1.
Numerus denarius decimarum fundamentum habet in natura 16.2.

O.

Occaſio clericalis auaritiæ 25.1.
Oculus Eccleſiaſticus qualis eſſe debeat 1.
Obiectio Bellarmini ex 1. ad Tim. 3. de poſſeſſionibus proprijs Eccleſiaſticorum 11.
Obiectiones octo pro annatis conſeruandis diluuntur 111.1.2.
Oblatio Altaris quando & vbi facta ſit 4.1.
Oblationes ex quibus Apoſtoli ſuſtentabantur 3.2.
Oblationes prædiorum quando factæ ſint 20.1.
Obligatio decimarum 14.1.
Obligatio decimarum inter Chriſtianos perſeuerare debet 16.1.
Obligatio decimarum eſt iuris diuini poſitiui, ſed perpetui 16.2.
Obligatio ſuſtentandi miniſtros & pauperes eſt iuris diuini naturalis 16.2.
Obligationem iuris diuini in perſoluendis decimis patres docent 14.2.
Obligationes ſpontaneæ primorum Chriſtianorum decimas ſuperabant 16.1.
Oeconomorum Eccleſiaſticorum officium 63.2.
Oeconomi Eccleſiaſticarum rerum non debent pro arbitrio ſuo diſtribuenda diſtribuere 64.1.
Oeconomorum Eccleſiaſticorum inſtructio 64.1.
Officium Diaconorum in primitiua Eccleſia 7.2.
Officium Eccleſiæ miniſtrorum 6.1.
Operarij ſubdoli Pauli continentiam præ ſeferebant 29.1.
Opulentia nimia Prælatorum 35.2.
Ordinatio abſoluta irrita 21.2.
Ordinatio presbyterorum includit collationem beneficiorum 84.2.
Ordinatio ſimoniaca nec quicquam gratiæ aut poteſtatis confert 111.2.
Ordinare & dare beneficium idem ſunt 21.2.
Oratoria dotationum 20.1.
Origo Eccleſiaſticorum beneficiorum 21.1.
Origenes de mandato primitiarum 15.2.
Origenes ſacerdotes Chriſtianos poſſeſſionibus opulentos comparat ſacerdotibus Pharaonis 5.1.
Ornatus miniſterij Eccleſiaſtici vnde initio fuerit comparatus 4.1.
Ornamentum charitatis 29.1.
Oſores Eccleſiæ decimas Eccleſiaſticis denegant 18.2.
Othonis III. Imperatoris querimonia de Pontificum Romanorum rapinis 95.2.

P.

Pallium auaritiæ clericalis 43.1.
Pallium purpureum Chriſti 33.1.
Papa Romanus nomine Gregorius ex eleemoſynis liberis neceſſarium duntaxat victum ſumpſit 6.2.
Papa de Eccleſiæ bonis non poteſt diſponere, ſicut Eccleſia poteſt 79.2.
Papa debet frugalius viuere 90.1.
Papa diſpenſatione ſua iniqua neminem à reſidentia liberat 123.2.
Papa Eccleſiarum ruinas vult & amat, dum lupis oues non ceſſat commendare 132.2.
Papa facit infeudationes Eccleſiaſticarum facultatum cum grauiſſimo Eccleſiæ detrimento 71.1.
Papa gradum Principis Eccleſiæ bonis ſine ſacrilegio non ſuſtentat 134.1.

Papa libentius audit ineptias Iuriſtarum, quam pias admonitiones Theologorum 136.2.
Papa multas Eccleſias captiuas tenet, 92.1. male vſurpata reſtituere debet ibid.
Papa non ſolus conſulendus de cauſa alienationis 70.2.
Papa non ſolus Dominus abſolutus eſt Eccleſiaſticorum bonorum 79.2.
Papa nullum Zelum habet diuini cultus 132.1.
Papa omnium rerum Eccleſiaſticarum non eſt primarius & ſolus adminiſtrator 63.1.
Papa Pater in inuio, non in via, 99.2. alios premens grauiſſime opprimetur ibid.
Papa quotidie cum magno Eccleſiarum detrimento, & proprij Cleri iniuria ac originariorum præiudicio, intrudit in Eccleſias alienos Clericos 125.1.
Papa ſibi ipſi priuilegia confictt 92.2.
Papa ſine legitima cauſa diſpenſans grauiter delinquit, & eius delictum non liberat ambientem, obtinentem & retinentem à culpa 128.2.
Papa, quatenus Papa neq; beneficialibus neq; annatis indiget 107.1.
Papa repleuit Eccleſiam mutis canibus, & malis beſtiis per vſurpationes, exemptiones, compoſitiones, ſimoniam, proſtitutionẽ, & fornicationem cum principibus terræ commiſſam 102.1.
Papa vniones & permutationes beneficiorum ad ſe ſolum traxit 92.2.
Papa Simoniæ crimen coram Deo effugere non poteſt 109.1.
Papa vt à ſimonia abſtineat, admonetur 110.2.
Papa validum non poteſt facere, quod iure diuino inualidum eſt, 112.1.2 ſimoniace ordinat, ſacrilege diſpenſat, ibid. à ſimoniaca labe nec bona fides nec inuincibilis facti ignorantia illum tueri poteſt ibid.
Papa contra ius diuinum ſibi non poteſt arrogare diſpenſationes 124.1.
Papæ diſpenſationes ſunt diſſipationes 127.2.
Papæ patrimonia Eccleſiæ quomodo colligere debeant 26.1.
Papæ tyrannis, 94.1.2. auaritia ibid.
Papam mundanus faſtus plurimum dedecet 42.2.
Papalis aſſenſus in alienandis Eccleſiaſticis bonis non reducitur ad Epiſcoporum Iuramentum 70.2.
Papalis poteſtas notha & illegitima 88.1.
Pariſienſe Concilium de vero vſu Eccleſiaſticorum bonorum 74.2.
Parſimoniam in miniſtris ſuis Deus amat 13.2.
Paſchalis de obligatione decimarum 14.2.
Paſchalis ſecundus, magnus Simoniacus præſcriptos Abbates & Monachos (dummodo aliquid albi, vel rubei interceſſit) ad dignitates priſtinas reuocauit 97.1.
Paſtorum parœcialium Eccleſiarum obligatio ad reſidendum eſt de iure diuino 123.1.
Patres decimarum obligationem inter Chriſtianos perſeuerare volunt 16.1.
Patres prioris Eccleſiæ ex quotidianis piorum oblationibus vixerunt 6.1.
Patres plenam poteſtatem circa bona Eccleſiaſtica habuerunt 62.2.
Patres Prælatorum Eccleſiaſticorum abuſus carnis & ſanguinis affectioni tribuerunt 121.1.
Patres prauiderunt, nepotes Paparum infinitorum beneficiorum & Eccleſiaſticorũ bonorũ voragines futuros 120.2.
Patres pro Clerico non habuerunt eum, qui non contentus fuit ſuſtentatione ex bonis Eccleſiæ 74.1.
Patres Prouinciæ Bracarenſis de diuiſione redditUum Eccleſiaſticorum 76.1.
Patres qua ratione eleemoſynas decimas appellarint 16.2.
Patrum decreta de reſtituendis Altaris oblationibus 4.1.
Patrum ſententia de commodiſſima Epiſcoporum vita 82.2
Patrimonium Chriſti quomodo vituperetur 35.1.
Patrimonium pauperum 25.1.
Patrimonia pontificum 20.1.
Patronatus beneficia non debent conferri inconſulto Patrono 86.1.
Phariſæorum decimæ 14.2.
Plaga Romanæ Eccleſiæ inſanabilis 31.2.
Pragmatica aduerſus Pontifices Romanos maximè neceſſaria 91.2.
Pragmaticæ ſanctiones de reſeruationibus Papæ auferendis 91.2.
Paula monaſteria ædificauit, 49.2. ſanctimoniales in tres turmas diuiſit, ibid. pudore non terrore ad laborem prouocauit ibid.
Paulus quare de Euangelio viuere noluerit 31.1.
Paulus quare à Corinthiis ad vitæ ſuſtentationem nihil petierit 29.1.
Paulus quare in ſcriptis ſuis non fecerit decimarum mentionem 16.1.
Paulus potius iniurias pati cupit fideles, quam forenſibus tribunalium litibus implicari 125.2.
Paulus ſecundus alienationes & locationes certis conditionibus prohibuit 70.1.
Paulus ſecundus Canoniſtarum ineptiis deluſus Epiſcopis dominium in bona Eccleſiaſtica prohibuit 70.2.
Paulus III. quoſnam doctores curioſos appellet 147.1.
Pauli III. inexplebilis auaritia, & iniquitas maxima 146.2
Paulinus Clericatũ aſſumpturus omnia ſua pauperibus erogauit 8.1.
Pauperes tantum ad vſum Eccleſiaſticorum aſſumẽdi 119.1.
Pauperum alimonia 37.2.
Pauperum compauperes 62.2.
Pauperum ſtipendia 76.1
Paupertas Epiſcopi Theodoreti 7.2.
Paupertas Epiſcoporum prioris Eccleſiæ 7.2.
Paupertas quatenus Clerico neceſſaria 9.1.
Paupertatẽ Monachalẽ homines voluntariè excogitarũt 9.1.
Pecunia in loculis Chriſti 61.1.
Pecunia pecuniam trahit 39.1.
Pelagius Papa tria propria Monachis attribuit 47.2.
Penſiones annuæ illegitimæ 136.1.
Penſiones à quibus Pontificibus prohibitæ 136.1.2.
Penſiones æquæ 135.2.
Penſiones exceſſiuæ in Concilio Trident. prohibitæ 136.2.
Penſiones hodiernæ iniquiſſimæ 136.2.
Penſiones honeſtæ 136.1.
Penſiones impudentiſſimæ 135.1.2.
Penſiones monaſteriorum legitimæ 135.1.
Penſiones neceſſariæ 135.1.
Penſiones non reſeruandæ, 137.1. neq; laicis neq; pueris donandæ ibid.
Penſionum abſurda turpiſſima, 137.1. quæ Papa excuſare non poſſunt ibid.
Penſionum grauiſſima incommoda & mala 136.1.
Penſionum imagines 135.1.
Penſionum impoſitio odioſa 136.1.
Penſionum origo 134.2.
Penſionum reſeruationes ſacrilegia 135.2.
Penſionarius metit, vbi non ſeminauit 137.1.
Peregrinorum ſtipendia 76.1.
Permutationes beneficiorum Romana curia ad ſe pertinere vult 92.1.
Perſonale opus requiritur in omni Eccleſia 113.2.
Phœbus Pontificius oraculum non edit ſine ære 102.2.
Pietas naturalis 19.1.
Pompa Clericorum laicos ſcandalizat 41.2.
Pœnam contra ſeipſum exequi nemo tenetur 148.2.
Pœnitentia Eccleſiaſtica relaxatio 25.2.
Polychronius Epiſcopus Hieroſolymitanus ob Simoniacam labem de throno deturbatur, 64.2. in eundem thronum reſtituitur, ibid. bona Eccleſiaſtica ſibi ad vitam neceſſaria in pauperum erogauit ſuſtentationem ibid.

Pontifex Romanus quomodo Apoſtolicam ſedem conſeruare debeat 93.1.
Pontifex Romanus quomodo cum collegio ſuo eccleſiæ bonis præſidere debeat 100.1.
Pontifices Romani priores, Epiſcopos rerum Eccleſiaſticarum primarios adminiſtratores agnouerunt 62.1.
Pontifices Romani non ſunt plenarii omnium Eccleſiaſticorum beneficiorum collatores 87.1.2.
Pontifices à ſimplici commendatione beneficiorum tranſitum fecerunt ad liberam collationem 89.2.
Pontifices Romani complures annatas ſublatas innouarunt & præceperunt 107.1.
Pontifices Romani Conciliorum pia monita irrident 153.1.
Pontifices Romani quando cœperint clericorum mortuorum exuuias ſibi reſeruare 146.1.
Pontificum auaritia 33.1.
Pontificum decreta de Epiſcoporum poteſtate in ordinandis Presbyteris & Diaconis 86.1.
Pontificum Romanorum auaritia cum iniuſtitia & tyrannide coniuncta 100.2.
Pontificum mandata de conferendis beneficiis ab ordinariis collatoribus eluſa 89.2.
Pontificum noſtri temporis in cumulanda pecunia ſibi & ſuis diligentia, extremam parit in fide & religione reparanda negligentiam 98.1.
Pontificum Romanorum perditiſſimi mores totam eccleſiam illam, & conſequenter alias turbarunt 96.2.
Pontificum Romanorum callidus lepos nouit ſe conuertere ad oratorum verſutias 97.1.
Pontificibus Romanis alienatio Eccleſiaſticarum facultatum inhibita 65.2.
Populus Chriſtianus erga Eccleſiaſticos Miniſtros ad quid obligatus ſit 14.2.
Populus in primitiua Eccleſia quare diuites in Epiſcopos elegerit 8.1.
Poßidius de liberalitate Auguſtini in pauperes 6.1.
Poteſtas collatiua Papæ vnde primum orta 88.2.
Poteſtas Epiſcoporum in rebus eccleſiaſticis 26.2.
Poteſtas ordinandi Presbyteros & Diaconos quem penes ſit 85.2.
Poteſtas doctrinæ 19.2.
Poteſtatis Papalis abuſus 90.1.
Potior munere, potentior iure in Romana Curia 99.1.
Præbendæ canonicales quando erectæ 86.2.
Præbendæ non ſunt legitima beneficia 78.2.
Præbendæ Præbendatis in ſolam adminiſtrationem aſſignandæ 78.1.
Præbendarum diuiſio illegitima 78.1.
Præbendarum diuiſio cum appropriatione in Eccleſia fieri non debet 79.2.
Præbendarum erectio ob duas cauſas facta 80.1.2.
Præbendati, quicquid ipſorum honeſtæ ſuſtentationi ſupereſt, pauperibus erogare deben 81.1.
Precaria eccleſiaſtica 66.2.
Precariæ cui concedenda 66.2. quomodo renouandæ ibidem.
Precaria dantur propter officia temporalia 66.2.
Præceptum de decimis in N.T. habetur 16.1.
Præceptum de eleemoſyna neceſſarium 16.2.
Præceptum monaſticæ profeſſionis 45.1.
Præcepta de decimis ſunt moralia 15.1.
Præceptum ad Simoniacum barathrum 112.2.
Prædia DEO oblata, cur Eccleſia curanda ſuſceperit 23.1.
Precia peccatorum 25.2.
Prælatus ex aliena Diœceſi non eligendus 125.1.
Prælato Eccleſiaſtico à propriis ſanguinis cauendum 121.1.
Prælati declinare debent ad vitæ auſteritatem 41.2.
Prælati Eccleſiaſtici animarum curam inſciis committunt 35.2.
Prælati eccleſiaſtici quales eſſe debeant 6.& 7.2.
Prælati non ſunt niſi puri adminiſtratores eccleſiaſticorum bonorum 79.2.
Prælati ſacrilegi 32.2.
Prælati huic ſeculo per omnia conformari ſtudent 32.2.
Prælatorum abuſus 36.1.
Prælatorum ambitio cum auaritia coniuncta 97.2.
Prælatorum conuiuia regales ſuperant menſas 42.2.
Prælatorum damnatio 32.2.
Prælatorum Eccleſiaſticorum circa miniſtrorum deputationem duo extrema vitioſa 120.1.
Prælatorum felicitas 34.2.
Prælatorum ignauia 32.2.
Prælatorum inſania & ſtultitia 129.1.
Prælatorum ſuperflua pompa Eccleſiæ noxia 126.2.
Prælatorum ſumptus 39.1.
Prælaturarum emptio non in omnibus eſt ſpontanea & voltronea 111.2.
Præmium Eccleſiæ miniſtrorum 6.1.
Presbyteris honor 4.2.
Presbyteri in eccleſia 4.2.
Presbyteri conductitii 85.1.
Presbyteri Eccleſiam expoliant 37.1.
Presbyterorum auaritia 27.1.
Presbyterorum multiplicitas praua eſt conſuetudo 129.1.
Presbyteris conductitiis Eccleſia non committenda 123.1.
Petri Bleſenſis admonitio ad Eccleſiæ Epiſcopos 6.2.
Petrus Bleſenſis de Romanorum Legatorum auaritia 98.2.
Petrus Bleſenſis de abuſibus bonorũ Eccleſiaſticorum 35.1.
Petrus Damiani Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis ob mores Cardinalium perditos Cardinalitiam dignitatem & Epiſcopatum depoſuit 95.2. auaritiam Romanæ Curiæ taxauit ibid.
Petrus Bleſenſis Romanæ curiæ auaritiam maxime deteſtatus eſt 100.2.
Petrus Bleſenſis expeditiones Romanas ſimonias vocauit 113.2.
Petri Bleſenſis querimonia de abuſibus Prælatorum eccleſiaſticorum 121.1.
Principes Bullas Pontificum iniuſtas impedire debent 71.2.
Principes bonorum eccleſiaſticorum curam ſuſcipere debent 23.2.
Principes exactiones Clericorum moderari debent 43.1.
Principes leges de eccleſiaſticorum auaritia potius arbitrio voluntatis, quam recti iudicii ratione tulerunt 44.1.
Principes maximam autoritatem habent circa bona eccleſiaſtica 59.1.
Principes peculiares eccleſiaſticorum inueſtituras quare ſibi reſeruauerint 88.1.
Principes quomodo prouincias ſuas regere debeant 115.2.
Principes quomodo Eccleſiaſticam Reformationem inſtituere debeant 118.1.2.
Principes reformationem monaſteriorum ditiſſimorum inſtituere debent 55.1.2.
Principum Chriſtianorum eſt remedium adhibere magnæ, quæ cecidit, Babyloni 116.2.
Principum decreta circa clericorum Teſtamenta quid poſſint 142.2.
Principum miniſtri ſunt ſanguiſugæ 115.2.
Principum magnifica gloria nihil eccleſiæ vtilitatis confert 126.2.
Principibus eccleſiaſtica bona quatenus ſupponenda 134.1.2.
Proceres Romanæ eccleſiæ ad augenda beneficia omnes corporis & animi vires expromunt 22.1.
Proditionis malum in Iuda vnde creuerit 74.2.
Profeſſio monaſtica cum proprietate bonorum pugnat 9.1.

Promotiones debent gratis fieri 107.1.
Proſper de procuratoribus bonorum Eccleſiaſticorum 25.2.
Proſper de vita communi Clericorum 73.2.
Proſperi documentum de re ſtipendiaria Eccleſiæ 27.1.
Proſperi dictum de alendis Eccleſiæ miniſtris 3.2.
Proprium Eccleſiaſticorum 7.2.
Proprietas bonorum cum profeſſione monaſtica pugnat 9.1.
Proprietas bonorum cum profeſſione Clericali pugnat 73.2.
Proprietas bonorum Eccleſiaſticorum ſacrilegium 74.1.
Proprietarij Eccleſiaſtici 55.2.
Prouentus Eccleſiæ Antiochenæ quomodo inter quos diſtributus fuerit 4.2.
Prouiſorum conditiones in emendis annatis 110.1.
Pſeudocanonici 73.2.

Q.

Querela publica de Papa & Romana Eccleſia tempore Adriani Pontificis 99.2.
Querimonia Bernhardi de Epiſcoporum deſidia 32.1.
Querimonia de Clericorum auaritia 43.1.
Querimonia Hieronymi de abuſu Eccleſiaſticorum bonorum 75.2.
Quindenia loco annatarum introducta & præcepta 107.2.

R.

Radix omnium malorum in curia Romana 133.1.
Rapacitas Epiſcopalium miniſtrorum, 27.1. *Suſtentatio peregrinorum* 27.1.
Raſio capitis in Clericis quid ſignificet 74.1.
Redditus beneficiales ſi dantur ad firmam ſeorſim à collatione, nullam continent ſimoniam 111.1.
Redditus Eccleſiaſtici ex Apoſtolorum præcepto non diuiſi 76.1.
Redditus Eccleſiæ in ipſo actu collationis vendere manifeſtiſſima ſimonia eſt 109.2.
Redditaum Eccleſiaſticorum vſus legitimus 24.1.
Reformatio Eccleſiæ Romanæ quomodo inſtituenda 118.1.2.
Refutatio obiectionis Bellarminianæ de poſſeſſionibus proprijs Eccleſiaſticorum 11.2.
Regula certiſſima circa decimas 18.2.
Regula generalis de vſu Eccleſiaſticorum bonorum 74.2.
Regula certiſſima ſtipendiorum & ſumptuum Epiſcopalium 82.1.
Regulares ne inquiete ambulent, manibus laborare debent 48.2.
Regularium abuſus circa bona temporalia 44.1.
Regularium ſycophantiæ 52.1.
Relaxatio pœnitentiæ Eccleſiaſticæ 25.2.
Religio externo apparatu non indiget 39.2.
Religioſi licita non faciunt, illicita committunt 52.2.
Religioſi plus eſſe volunt, quam ſæculares 52.2.
Religioſi rerum, quibus aluntur, ſolum vſum habent, nullum dominium 57.2.
Religioſorum quatuor genera 144.1.
Religioſorum mendicantium abuſus 50.1.
Religioſorum abuſus 52.
Rempublicam Romanam quid perdiderit 36.1.
Res Eccleſiaſticæ cum iudicio Epiſcopi diſpenſandæ 61.2.
Res precioſæ ſacra templa dedecent 38.1.
Reſcriptum Innocentij ad Decentium Eugubinum de fidelium oblationibus 4.1.
Reſeruationes generales beneficiorum à quibus Pontificibus facta, innouata & confirmatæ 90.2.
Reſeruationes ordinarijs beneficiorum collatoribus poteſtatem eripiunt 90.2.
Reſeruationes per regulas cancellariæ auctæ 90.2.
Reſidentia in omnibus Eccleſijs neceſſaria 122.1.
Reſtitutio male ablatarum decimarum 18.1.
Retentio prædiorum Laicos crudeliores reddidit 13.2.
Reuerentia duplex 39.2.
Reuerentia erga Prælatos quomodo conſeruetur 39.2.
Rex differt à Tyranno, quod ille omnibus ob publicum bonum vtitur hic vero propter ſe abutitur 123.1.
Rigor decimarum quando remittendus 18.1.
Richardus Angliæ Rex conſecrationem Epiſcopi Cenomanenſis & Legationem Epiſcopi Elienſis quanti à Papa emerit 101.1.
Richardus Anglorum Rex ex manibus Ducis Auſtriæ quomodo redemptus 28.1.
Romanæ vrbis ortus 99.1.
Roma, rodens manus, à prædonibus fundata, adhuc de primordiis retinet 101.2.
Romæ commutatio, ſcilicet plumbi cum auro 103.1.
Romæ omnia venalia 116.12.
Romæ qui promouendi 118.1.
Romanæ curiæ auaritia omnia iura peruertit 93.1.
Romanæ curiæ abuſus vnde nati 94.1.
Romam, veram Babylonem ſancti Angeli deſeruerunt 116.2.
Romanenſes fingunt ſibi gradus quoſdam & decentias imaginarias, ab Eccleſiaſtico homine & ſpiritu ac ipſius profeſſione alieniſſimas 127.2.
Romanenſes ſpontaneas fidelium oblationes in ordinariam obligationem conuertunt 43.1.
Robertus ad Cluniacenſes dolo & blanditiis illectus 49.1.

S.

Sacerdos animarum ſalutem non lucra terrena inquirere debet 43.2.
Sacerdos pompaticus 41.2.
Sacerdos vnicus in vnaquaque Eccleſia ſufficientiſſimus 129.1.
Sacerdotis vera humilitas 39.2.
Sacerdotem decent aliæ mores 39.1.
Sacerdotes ante legem Moſaicam qui fuerint 13.1.
Sacerdotes de plebis & Laicorum conſenſu electi 88.1.
Sacerdotes Pharaonis cæteris Ægyptiis ditiores 5.1.
Sacerdotes poſſeſſionibus opulenti ſimiles ſunt ſacerdotibus Pharaonis 5.1.
Sacerdotes viuere non debent velut alij ciues 39.2.
Sacerdotum tam inſtitutio quam depoſitio ad Epiſcoporum officium pertinet 86.1.
Sacerdotum multitudo iam omnino contrahenda 129.2.
Sacerdotis meritum 39.2.
Sacramentorum ornatus 38.1.
Sacrificulorum Duareni tempore, conſuetudo laudabilis 45.1.
Sacrilegium omnium prædonum crudelitatem ſuperat 30.1.
Sacrilegium eſt ex bonis pauperum ditari 40.2.
Sacrilegium eſt vltra frugalem ſuſtentationem quicquid ex Eccleſiæ bonis aſſumere 79.2.
Sæculare ſanctum 38.1.
Salomon mulierum amore ſeductus 38.2.
Saluianus de abuſibus Religioſorum 52.1.
Sanctimoniales communem vitam Clericorum decet 49.1.
Sanctimonialium antiquarum labor 49.2.
Sanctuarium Dei 34.
Scholaſtici Patrum dicta de vita & officio Clericorum vituperatorie exponunt 6.2.
Scholaſticorum error communiſſimus de diuiſione præbendarum in Eccleſia 81.1.
Schiſmata Romanæ Eccleſiæ 42.2.
Schiſmatici Eccleſiaſticas terras non debent poſſidere 56.1.
Scopulus circa vſum vel abuſum Eccleſiaſticorum bonorum euitandus 82.3.

Scriptu-

Scripturarum negligentia vnde oriatur 23.1.
Sedis Papalis patrimonia 20.1.
Segnities in orando vnde oriatur 23.1.
Sententia veterum de bonis Eccleſiaſticis 36.1.
Sennonenſes deplorabant, quod Canonici illius prouinciæ, per intereſſentiam groſſos totius anni fructus perciperent 113.1.
Separationes decimarum 13.2.
Sterilitas terræ eſt pœna ſubtractionis decimarum 15.1.
Seuerus Sulpitius de moribus Clericorum 31.2.
Simonia inter omnia Eccleſiaſticorum ſcelera atque externi operis flagitia, turpiſſimum & pernicioſiſſimũ 105.2
Simonia duplex 107.2.
Simonia in Romana Eccleſia longe turpior eſt, quam in Simone Mago 42.2.
Simoniæ nota in quo conſiſtat 109.2.
Simoniæ labes à Romana Eccleſia Imperiali poteſtate cum conſenſu venerabilium ſacerdotum amputanda 117.2.
Simonia Romana inuentum pulcherrimum 138.2.
Simoniaca peſtis ab Eccleſia exterminanda 106.2.
Simoniacæ hereſis hereſiarcha 109.1.
Simoniacorum pœna 112.1.
Sinus pauperum 27.2.
Simplicius quomodo Eccleſiæ redditus diuidi decreuerit 76.2.
Sitis auaritiæ 36.2.
Sixti IV. Bulla de reſeruandis beneficiis in Eccleſia Gallicana 91.2.
Splendor primitiuæ Eccleſiæ 38.2.
Syluestri Canon de diuiſione Eccleſiaſticorũ redditũ 75.2.
Symmachi decretum de alienatione rerum Eccleſiaſticarum 65 2.
Sotus fruſtra tueri conatur in beneficiis ſimplicibus pluralitatem abſque diſpenſatione 127.2.
Sotus propter vanas adulatorum hominum traditiones reliquit verbum Dei, & ſanctorum Patrum doctrinam fundatiſſimam 112.1. dubia eiuſdem ſententia de ſimoniace promotis ibid.
Soti concluſio legitima contra beneficiorum conſeruationes 128.1.
Soti de penſionibus iudicium 137.2.
Soti obiectiones de maximis Epiſcoporum ſtipendiis & ſumptibus diluuntur 82.1.
Solutio decimarum in Eccleſia Chriſtiana 14.1.
Solutio exigua iuſtum precium quando fuerit 17.1.
Spartani cur pecunias in ærarium non collegerint 36.1.
Spiritualia vniuoce ſi venduntur, parium ſimoniã 109 2.
Spiritualia propriè à ſpiritualibus attributiue diſtinguuntur 109.2.
Sportulantes in priori Eccleſia 4.2.
Stephanus Epiſcopus Tornacenſis Romanam ſimoniam reprehendit 101.2.
Steph. Epiſcopus Tornacenſis abuſum beneficiorum pluralitatis à ſua Eccleſia euertere conatus eſt 126.1.
Stomachi in corpore, & Principis in Republica idem officium 100.1.
Studium Epiſcoporum in colligendis opibus 37.1.
Studium Romanæ Eccleſiæ Procerum in augendis beneficiis 22 1.
Stultitia Prælatorum 28.2.
Subſtantia inopum 25.2.
Subtractio decimarum terræ ſterilitate punitur 15.1.
Sumptus Eccleſiæ vtiliſſimi 38.1.
Sumptus magni in Eccleſiis non approbantur 81.2.
Superbia Prælatorum 32.1.
Suſtentatio Clericorum 26.1.

T.

Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Simoniam ſtirpitus in eccleſiis ſuis euellendam, totum ſe conuertebat 106.
Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani grauiſſimæ admonitiones ad Adrianum Romanum Pontificem, ſimoniaca labe pollutum 106.2.
Templum magnificum Epiſcopi Arriani 37.2.
Templum Hieroſolymitanum ditiſſimum 37.2.
Templa Pontificia repræſentant antiquum ritum Iudæorum 39.1.
Templorum conſecratio 20.1.
Temporalia Eccleſiarum ſub poteſtate principum pro communi bono perpetuo poſita ſunt 28.1.
Tempus Chriſtianæ felicitatis 25.1.
Tempora Eccleſiæ periculoſa 33.1.
Terra quare nunc ferrea 15.2.
Terrena excæcant mentem hominis 1.
Theologiæ cum Mathematica comparatio 1.
Theologus animum aduerſus terrena inuictum gerere debet 1.
Theologus prius quam Iuriſperitus ad officia & beneficia Eccleſiaſtica promouendus 125.2.
Theologorum, Duareni tempore, de annatarum ſolutione opinio 116.1.
Theologica ſtudia habent finem ſupernaturalem 125.2.
Theodoretus de Epiſcoporum paupertate 7.2.
Theophanes de Pietate Heraclii 28.1.
Theſaurus Eccleſiæ 27.2.
Theſauri Eccleſiæ vbi collocandi 37.2.
Theſauri Eccleſiæ quomodo diſtribuendi 37.2.
Tholoſanus Præſul ſuperbus 37.1.
Tholoſani Epiſcopatus redditus 37.1.
Thomas Sotus officium Euangelii annunciatoris eſſe ſcripſit, recolere & meditari, vnde doctrinæ pabulum gregi ſubminiſtret 125.2.
Thomæ Cantuarienſis querimonia de Romanæ Curiæ auaritia 98.2.
Tituli Cardinales quomodo diſponendi 85.2.
Tobiæ decimatio in captiuitate 15.1.
Toga Gentilis 41.1.
Toletanum Concilium IV. de diuiſione redditũm Eccleſiaſticorum 75.2.
Toletani Concilii decretum de beneficiorum vnione & permutatione 92.2.
Traditiones Apoſtolicæ circa vſum oblationum & bonorum Eccleſiaſticorum iam exoleuerunt 55.2.
Tribunalia non ſunt in toto mundo, quæ longioribus tricis litigantes infelices implectant, quàm ſacra Romana 97. 2.
Triburienſe Concilium de diuiſione redditũum Eccleſiaſticorum 76.1.
Tribus Leuitica pars decima totius populi Iſraelitici 40.1.
Tridentinum Concilium Expectatiuas ſuppreſſit 91.2.
Tumultus in Eccleſia circa miniſtrorum Eccleſiaſticorum inſtitutiones 88.1.
Tunica charitatis 33.1.
Tyranni tantum, non boni Principes, ſibi illud arrogant, vt ſit pro ratione voluntas 147.1.
Tyri negociationes 25.1.

V.

Valentinum Concilium de dotibus Eccleſiaſticis 20.2.
Valentini Concilii canon de communitatibus rerum Eccleſiaſticarum 67.1.
Vaſa miniſterij eccleſiaſtici vnde initio comparata fuerint 4.1.
Vaſa vitentium 37.2.
Vaticinium de Tyro 25.1.
Venatio Eleemoſynæ 30.1.
Venetæ Reipublicæ ſtatutũ de rerum Eccleſiaſticarum commutationibus 69.2.
Verbi diuini efficacia 34.1.
Veſtes miniſterii eccleſiaſtici vnde initio comparata fuerunt 4.1.

Vita Clericalis 10.1.
Vita communis Chriſtianorum 10.1.
Vita communis eſſe debet inter Clericos, ſiue clauſtraliter viuant, ſiue ſeparatim 73.2.
Vita communis Clericorum in prouincia Turonẽſi innouata 73.1.
Vita Epiſcoporum deteſtabilis 35.1.
Vita Prælatorum Eccleſiaſticorum qualis eſſe debeat 6.& 7.2.
Via lata ad mortem 34.2.
Vitæ mortalis adminicula 3.1.
Vitia Romanæ Reipublicæ 36.1.
Vniones minorum Eccleſiarum ad quem ſpectent 92.2.
Votum decimarum liberum 12.1.
Votum paupertatis in Chriſto & Apoſtolis non temere excogitandum 61.1.
Vſus decimarum 13.1.
Vſus Eccleſiaſticorum bonorum eſt determinatiſſimus 58.2.
Vſus oblationum omnium in ſana Eccleſia perpetuo obſeruatus 24.1.
Vſus ſingularis bonorum Eccleſiaſticorum 27.2.
Vſurpatio decimarum 17.1.
Vſurpationes decimarum quando iuſtæ & iniuſtæ 18.1.
Vtilitas ex laboribus manualibus Monachorum duplex 48.2.
Vormatienſe Concilium Eccleſiæ redditus in quatuor partes diſtribui decreuit 76.1.

Z.

Zabarella annatarum exactionem improbauit 113.2.
Zacharias Papa Presbyterorum & Diaconorum ordinationem ad Epiſcopos pertinere aſſerit 86.1.
Zacharias Papa Bonifacio I. Germanorum conuerſorum Epiſcopo modum præſcribit vnde cum ſuo Clero ſuſtentari debeat 14.2.
Zelus Clericorum 34.1.
Zelator patrimonij pauperum 35.1.

AD LECTOREM.

Factum eſt operarum incuria candide Lector, vt in Præfatione poſt hæc verba, typis formaque, *ſequentia deſiderarentur*; Anglicana, ſic nunc Angliam poſtremos libros accipere debere typis formaq;: *Item, vt pro vocula*, ſimul, *irrepſerit vocicula*, ſemel. *Quod ſi in opere ipſo errata, quæ ſint alicuius momenti, occurrerint: ſcito, ea perplexa librariorum ſcriptioni, dubijſq; ac diſtortis & ſui copiam negantibus literarum characteribus eſſe imputanda. Id quod tibi ſignificandum duximus.*

FINIS.

de